UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte Et Statv Religionis

Qvo Qvid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvvnt, vel ad illum disponunt

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1625**

urn:nbn:de:hbz:466:1-93480

Visual Library

Th. 909 a.

Cv.
6

R. P.

# FRANCISCI SVAREZ

GRANATENSIS, E SOCIETATE IESV DOCTORIS THEOLOGI,

*ET IN CONIMBRICENSI ACADEMIA SACRÆ Theologiæ quondam Primarii ac emeriti Professoris.*

# DE VIRTVTE ET STATV RELIGIONIS.

## TOMVS TERTIVS.

*DE OBLIGATIONIBVS, QVÆ RELIGIOSVM CONSTITVVNT, vel ad illum disponunt.*

Cum Superiorum permissu, & Priuilegio Cæsareo:

Collegij Societ. Jesu Paderbornæ 1653.




MOGVNTIÆ,
Sumptibus Hermanni Mylii, Birckman.
Excudebat Hermannus Meresius.

ANNO M. DC. XXV.

# VRBANO OCTAVO PONT. MAX.

*Rector, & Conimbricensẽ Collegium Societatis IESV, vtramque salutem.*

ILLVXIT tandem aliquando, PATER BEATISSIME, sexta Augusti dies Transfigurationi Dominicæ ritè à maioribus sacra, qua Christum Optim. Max. in Thaborino monte soleipso fulgentiorem imitatus, in monte persanctæ electionis conclaui dicato noua forma conspicuus, Christique Vicarius orbem Christianum vniuersum quàm fulgentissimè illustrare cœpisti. Dum enim nobiscum taciti Europam mente percurrimus, à tuis eam videre nobis videmur radiis illustratam. In Hispania viso in aula Regis Catholici Angliæ Principe, ac Rege Scotiæ, tuis addictæ patrociniis, renascentem in Britannico Oceano fidei lucem te exorto sole demiramur. Gallia tibi quondam multis nominibus obstricta errorum tenebras (in hoc scilicet regno pro Christo multum desudasti) tuis, & Christianissimi Regis auspiciis ablegare gestit. Germania tristi Hæreseos circumfusa caligine, & prodigioso desertorum Christi examine oppressa è miseriarum salebris emergit. Memoratu nimirum digna nobis peræquè, & iucunda visa res est eodem die, quo Romæ summo omnium applausu Pontificatus apicẽ adiisti; in Germania Alberstatiũ pseudopontificem Catholicæ fidei transfugam à Tillio Bauarien si Imper. victum transfugio vitæ cõsuluisse, signis inter alia centum amissis. Auspicato planè, vt sexto Augusti die Christo auspice è Romana arce VRBANVS OCTAVVS Catholicũ belli signũ extulerit, & vel remotas in Germania, hostilesq; Hęreticorũ acies Tillio duce glorioſissimè fuderit

Hæresis verò turpiter victa, speque deiecta suam in posterum sensit penitus ruinam. In tanta luce, P.B. oramus, atq; obsecramus, vt Conimbricensi Collegio in citeriore Lusitania liceat tuum hoc iubar multo iucundissimum intueri, atque venerari. Scimus, & gratulabundi scimus, quantum in te præsidium, columen, & decus habeat Societas Iesu. Posthumum ergo D. Francisci Suarij de Religione opus tibi dicamus, consecramusque. Immortalis beneficij loco ducemus, si ab hoc auctoritatis fastigio, à quo vires accipit quidquid est ratione firmum, doctrina clarum, religione sanctum, auctoritate stabilitum, benignis oculis hanc qualemcunque amoris, & honoris significationem adspicias. Quod superest ad tuos exosculandos pedes effusè prouoluimur, eodemque oris habitu Deum precamur, vt te quàm diutissimè seruet incolumem. CONIMBRICÆ Idibus Septembris. M. DC. XXIII.

Lectori

# Lectori studioso.

EN tandem aliquando oppigneratam toties liberamus fidem. Prodeunt multorum votis expetita, nulli expectata de Religiosorum hominum statu Magni SOARII volumina simul alia duo: eorum, quæ iam ab annis aliquot de Religionis virtute lucem aspexere, germani fratres: natu illi quidem minores; non postremi meritis, non ornatu. Quin eo ipso elaborati magis, eo elucubrati accuratiùs, quo maturioris sunt curæ, vegetioriſque animi operoſi partus. Nimirum, vt præluſiſſe quondam ſupremus Opifex in condenda hac rerum vniuerſitate viſus eſt, prodituro tandem illi, in quem omnia compilaſſet, Microcoſmo: homini, inquam, qui, vt ſcitè Ambroſius, poſtremò eſt quaſi ſumma totius operis, quaſi finis naturæ formatus: haud multo aliter SOARIVS, vt fœcundus, ita dexter in primis librorum artifex, illa de Religionis virtute veluti anteludia præmiſit, quibus ad hoc ſeſe opus, quod quaſi ſumma reliquorum, & meta eſſet, peragendum comparauit: hic neruos animi omnes contenſurus, hic virentes ſenectæ vires exhauſturus; quo gratiſſimum teſtaretur affectum, in eum, quem primis ab annis elegerat, & præreliquis vnicè adamárat vitæ ſtatum. Habent itaque hoc in opere, qui ad Religioſæ perfectionis faſtigium anhelant à Religioſiſſimo Doctore non documenta modò virtutum plurima, ſed quæ ex triplici præſertim Religionis vinculo conſurgunt, arctiſſima Deo cui vouerunt obſequendi debita, ſic ſtabilita rationum momentis, ſic eruditionis variæ luminibus illuſtrata, planè nihil vt addi, demi nihil aut immutari poſſit. Habent Theologi, habent iuris vtriuſque periti inextricatos hactenus & Gordianos verè nodos ab hoc Alexandro non tam ingenij miro acumine diſſectos, quàm diſſolutos prorſus & expeditos, nulli vt in poſterum negotium faceſſant, nulli otium demant. Vtinam, qui ſoli deerant, tot inter fœcundiſſimi ingenij monumenta, quoſque capaciſſimo mentis ambitu Authoriam conceperat, diſtinxerat, compſerat de Juſtitia, de Hierarchico Ordine, & Matrimonio commentarios docto calamo pariter expreſſiſſet! Habuiſſent profecto tum & Philoſophiæ, & Theologiæ candidati omnes, vnde de quouis argumento, nullius aliunde emendicato ſubſidio, ab vno hoc Apolline, à communi hoc Orbis Magiſtro reſponſa in dubiis referrent Delphicis multo oraculis certiora. At quoniam non tam hanc SOARIO gloriam, quàm rei literariæ decus & emolumentum Mors numquam non immatura inuidit, his tu, Lector beneuole, inuiſæ mortis exuuiis fruere, dum quæ ſuperſunt alia adhuc volumina, viginti iam nunc editis addenda quatuor, & tuo & bono literarum publico elimantur ad prælum. Fruere, inquam, hiſce duobus: neque enim priùs, ſpondeo, tomum hunc vel perfunctorie luſtratum depones, quàm manibus mox tuis alter ſuccedat, vt mole & rerum multitudine aliquanto grauior, ſic & argumenti varietate gratior nonnihil futurus. VALE.

*Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lusitania.*

EGO PETRVS NOVAIS Societatis Iesv in Lusitania Prouincialis, facultate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Generali MVTIO VITELESCHI, facultatem concedo, vt hic tertius tomus de Religione, à Patre Francisco Suarez Societatis nostræ, sacræque Theologiæ Doctore, & in Conimbricensi Academia quondam primario Professore Emerito compositus, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque munitas dedimus. Olisippone 2. die Feb. 1623.

PETRVS NOVAIS.

---

*O P. Esteuao do Couto da companhia de Jesvs podera uer o tertio tomo de Religione do P. Francisco Soares da mesma Companhia e com sua approuazao se podera imprimir. em Lisboa a os zinco de Nouembro de 1622.*

O Bpõ Inquisidor general.

---

RECOGNOVI, de mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. FERDINANDI MARTINI MASCARENIÆ, D. Episcopi Quæsitoris Generalis, tertium tomum de Religione, Reuerendi admodum P. Francisci Soarez D. Theologi, & in Academia Conimbricensi Primarii quondam Theologiæ professoris emeriti, ex Societate IESV. Censeo in iis libris nihil contineri, aut Fidei, aut moribus Christianis dissentaneum; imò esse opus planè insigne, & admirabile; siue de Religioso statu subtilitates theologicas, recondita, solidaque Sanctorum PP. & sacrarum literarum eruditione, & gaza opulentas; siue de huiusmodi argumento, doctrinæ seriem à capite, ad calcem vsque instar catenæ, principiorum, conclusionumque veluti annulis aureis, mirabiliter contextam: siue præstantissimi ingenii felicitatem in inueniendo, eloquendoque acumen, facilitatemque in disponendo: acerrimi iudicii maturitatem in concludendo, spectes. Quare posthumus hic tanti Viri partus, cæterorum librorum, ceu liberorum quasi coronis, ad Dei Opt. Max. gloriam, ad Religiosi status præsidium, & ornamentum, ad Soarini nominis celebritatem, immortalitatemque typographiæ felici fatu edatur in lucem. Conimb. in Collegio Societatis IESV. 18. Decem. Anno Domini 1622.

D. STEPHANVS COVTO.

---

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Rhenana.

*CVm ex mandato Sacræ Cæsareæ Maiestatis, omnibus & singulis Typographis Bibliopolis, ac aliam quamcumque librariam negotiationem exercentibus, serio firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros vllos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut imposterùm edendos, intra Sacri Imperii, regnorum & dominiorum Sacræ Cæs. Maiest. hereditariorum fines, simili aliqua charactere aut forma, siue in toto siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam seu palam citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat, vel præsumat. Ego* IOANNES COPPERVS *Societatis* IESV *per Rheni Prouinciam Prouincialis concedo* HERMANNO MYLIO *facultatem excudendi* FRANCISCI SVAREZ DE VIRTVTE ET STATV RELIGIONIS TOMVM III. ET IV. *In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum & sigillo munitum dare voluimus. Monasterii. 1623. 24. Maij.*

Ioannes Copperus.

INDEX

# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

*Primus numerus paginam, secundus marginalem eiusdem paginæ numerum indicat.*

## EX VETERI TESTAMENTO.


*Geneſis.*

CAP. I. verſ. 22. CRESCITE, & multiplicamini, & replete terram. pag. 438. n. 4.

26. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. 14.8

28. Dominamini piſcibus maris. 247.2

2. 24. Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & matrem; & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. 539.25

4.26. Cæpit inuocare nomen Domini. 142.1

17.1. Ambula coram me, & eſto perfectus 352.11

31.6. Scitis quod totis viribus ſeruierim patri veſtro. 27.10

*Numeri.*

30.3. Si quis votum Domino vouerit, non faciet irritum verbum ſuum. 442.18

4. Si pater audierit, & tacuerit, rea erit. 175.12

*Deuteronomium.*

4.29. Et tota tribulatione animæ tuæ. 27.9

*Lib. I I. Regum.*

15.13. Toto corde ſequitur Abſolon. 27.10

*Lib. III. Regum.*

14.8. Cuſtodiuit mandata mea, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo. 27.7

17.3. & 4. Recede hinc, & vade contra Orientem, ibi de torrente bibes, coruiſque præcepi, vt paſcant te ibi, &c. 144.7

9. Surge, & vade in Sareptha Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim mulieri viduæ, vt paſcat te. ibid.

19.16. Eliſæum filium Saphat vnges Prophetam pro te. ibid. 8.

*Lib. IV. Regum.*

2.15. Et venientes in occurſum eius, adorauerunt eum proni in terram. 144.9

4.8. Quæ tenuit eum, vt comederet panem, &c. Pone ollam grandem, & coque pulmentum pro filiis Prophetarum. ibid. 7

6.1. & 2. Dixerunt filij Prophetarum ad Eliſæum: Ecce locus, in quo habitamus coram te anguſtus eſt nobis; eamus vſque ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſylua materias ſingulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum; qui dixit: Ite, &c. 145.10

20.3. Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto. 27.8

*Iob.*

14.2. Nunquam in eodem ſtatu permanet. 1.2

*Pſalmi.*

Pſal. 39.18. Ego autem mendicus, & pauper ſum. 382.8

44.10. & 14. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate; omnis gloria eius, filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. 6.6

49.9. & 14. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos; immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. 95.12

75.12. Vouete & reddite. 21.9

88.35. Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. 442.18

118.10. In toto corde meo exquiſiui te. 27.7

*Prouerbia.*

30.8. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi. 349.1. & 10

*Eccleſiaſtici.*

37.14. Non attendas his in omni conſilio, ſed cum viro ſancto aſſiduus eſto. 210.2

47.10. De omni corde ſuo laudauit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum. 27.7

*Lib. Sapientiæ.*

3.14. Felix ſpado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit contra Deum nequiſſima; dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptatiſſima. 143.3

*Ieremias.*

35.6. Non bibetis vinum vos & filii veſtri, vſque in ſempiternum, & domum non ædificabitis, & ſemen non ſeretis, & vineam non plantabitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris. 146.14

*Threni.*

3.27. Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. 190.2

*Daniel.*

4.24. Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime. 22.6

*Oſeas.*

2.14. Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. 19.12

# EX NOVO TESTAMENTO


*Matthæus.*

4.19. VENITE post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. 148.10
5.48. Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. 9.7.& 20.3
8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pauperes spiritu, &c. 14.9
19. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. 30.13
14. Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi, nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. 44.7
Quod si sal euanuerit, in quo salietur. ibid 8
Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. 59.4
3. Beati pauperes spiritu. 350.3
6.25. Nolite sollliciti esse quid manducetis, nec corpori vestro quid induamini. 374.10, & 381.3
8.17. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. 388.28.& seq.1
10. 9. Nolite possidere aurum neque argentum. 382.8
11.28. Venite ad me omnes, qui laboratis. 210.2
16. 18. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. 135.17
24. Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. 147.5,6,& 13.248.11,552.6, 567.2,575.3.
19.11. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter Regnum cælorum: qui potest capere capiat. 6.5,20.6,72.2, 75.3.143.& 4388.5.16,& 22.
21. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. & habebis, thesaurum in cælo, & veni sequere me. 6.5,31.3,32.2,147.5.347.3,& 5,350.4.& 14,361.13 & 22.552.1.5.8.& 9.
6. Quod Deus coniunxit homo non separet. 47.2,462.11 531.2.& 4,539.25
27. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. 353.15.496 14,554.14.
21. &c. Vade & vende omnia, quæ habes: abiit tristis, erat enim habens multas possessiones. 358.10
14. Sinite paruulos venire ad me. 191.2
24. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. 347.3,& 5.
20.14. Quia in his duobus præceptis vniuersa lex pendet & Prophetæ. 15.14
21. Petre amas me. 44.8
22.37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. 204,& 32.1
30. Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. 440.14

*Marcum.*

14.14. Dicite Domino domus, quia Magister dicit, &c. 388.28
16.15. Prædicate Euangelium. 593

*Lucas.*

1.13. Et factum est, vt impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam. 492.14
2.51. Erat subditus illis. 553.8
6.24. Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationē vestram. 357.8
8.2. Mulieres aliquæ ministrabant ei de facultatibus suis. 382.8
10.42. Maria optimam partem elegit. 581
9.62. Qui mittit manum suam ad aratrum, & respicit retro, non est aptus regno Dei. 55.9,75.4,553.11
60. Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. 148.10 554.13
10.7. Edentes, & bibentes quæ apud illos sunt, & manducate quæ apponuntur vobis. 382.8
12.19. Anima habes multa bona in annos plurimos, comede, bibe, epulare. 351.7
15. Videte, & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet. ibid 8
14.33. Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. 347.3
16. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, non potest meus esse discipulus. 532.6,& 7
17.10. Dum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. 20.5,& 8,31.4
18.1. Oportet semper orare. 382.7
21.34. Attendite vobis ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. 490.9
22.32. Rogaui pro te vt non deficiat fides tua 135.17

*Ioannes.*

6.27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. 392.6
8.31. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. 348.4
10.4. Bonus pastor ante oues vadit, & oues illum sequuntur. 59.4
13,34. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. 20.3
15. Vos vocatis me Magister, & Dominus, & bene dicitis, sum etenim. 553.10
14.16. Si diligitis me, mandata mea seruate: qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. 27.10
15.13. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. 203
17.3 Hæc autem est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. 12.20
19.27. Accepit eam discipulus in sua. 378.25

*Acta Apostolorum.*

4.32. Multitudinis autem credentium erat cor vnum. 151.4
Ibid. Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia. 353.17.361.13
5.4. Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate. 21.9,151.4
6.2. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus. 148.10.384.16
15.25. Cum charissimis meis Paulo, & Barnaba hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. 12.7
21.8 In-

21.8. Intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem. 495.8
23.6. Pharisæus sum filius Pharisæi. 494.5

*Epistola D. Pauli ad Romanos.*

5.5 Spes autem non cõfundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. 8.1
6.18. Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. 3.10
8.24. Spe salui facti sumus. 8.1
13.10. Plenitudo legis est dilectio. 8.3
8. Qui diligit proximum legem impleuit. 16.15

*Epist. I. ad Corinthios.*

4.12. Maledicimur, & benedicimus. 74.10
17. Qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo. 93
7.7. Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. 6.5
39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. 8.15
10. Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio nõ ego, sed Dominus, vxorem à viro no discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. 531.2
34. Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. 19.12
32. & 34. Volo vos sine sollicitudine esse; mulier innupta, & virgo, &c. 31.3. & 34.8
32. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. 76.6
De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. 21.7. & 439.11. & 12
Bonum est homini mulierem non tangere. 22.2
Si acceperis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit, qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit. 22.6. 439.11
Si nupserit virgo, non peccauit. Liberata est à lege, cui vult nubat; beatior autem erit si sic permãserit secundum meum consilium. 23.7. & 439.11.
Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi; ego autem vobis parco. 41.13
Si non se continent, nubant. 444.4. & 8
Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier; nec mulier sui corporis potestatem habet, sed vir. 268.3
Et qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur. 376.16.
Volo autem omnes esse sicut meipsum. 150.2. & 494.4
Existimo autem hoc bonum esse propter instantem necessitatem. 440.13
9.15. Bonum est enim mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet; nam si euãgelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. 21.8
Omnium me seruum feci vt plures lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. 59.4
Si non euangelizauero, væ mihi est. 149.10
Num potestatem non habemus sororem mulierem circunducendi, sicut & cæteri Apostoli. 442.20 & 495.9
12.4. Diuisiones gratiarũ sunt, idem autem spiritus diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus in proæm. 14.2
28. Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, Prophetas, Doctores. 6.5
Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. 8.1
13.4. Charitas patiens est, benigna est. 11. 13. & 20.4
3. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. 252.11
14.20. Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti. 8.2, & 15

*Epist. II. ad Corinthios.*

8.13. Non enim vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. 352.11

*Epistola ad Galatas.*

3.26. Omnes filii Dei estis per fidem. 8.1
4. Ita & nos cum essemus paruuli sub elementis huius mundi eramus seruientes. 143.5
5.1. State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. 2.3

*Epistola ad Ephesios.*

4.12. Ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. 6.5. & 45.2
18. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis. 381.4
5.32. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. 533.1
6.11. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere, & stare in die mala, & in omnibus perfecti stare. 8.2

*Epistola ad Philippenses.*

2.8. Factus obediens vsque ad mortem. 552.5
3.12. Non quod iam apprehenderim, & perfectus sim. 42.20
15. Quotquot ergo perfecti sumus hoc sapiamus. ibid. 21.
12. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim. 31.1
4.8. Quæcunq; sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, &c. hæc facite. 203
Rogo te germane compar. 494.6

*Epistola ad Colossenses.*

3.14. Plenitudo legis est dilectio: super omnia autem hæc charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. 83. & 9
16. In gratia cantantes in cordibus vestris. 19.12

*Epist. I. ad Thessalonicenses.*

4.10. Rogamus autem vos, vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris sicut præcepimus vobis, & nullius aliquid desideretis. 381.4
5.17 Sine intermissione orate. 582.7

*Epistola ad Hebræos.*

7.19. Nihil ad perfectum adduxit lex. 143.5
9.8. Adhuc priore tabernaculo habente statum. 1.2.
11.37. Circumierunt in mellotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti. 143.3
Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. ibid.5

*Epistola ad Titum.*

1.7. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse vnius vxoris virum sobrium, &c. 489.3. & 17. 496.13.

*Epist. I. ad Timotheum.*

1.5. Finis præceptorum charitas de corde puro. 10.10
4.6. Hæc proponens fratribus, bonus eris Minister Christi Iesu. 452
5.11. Adolescentiores viduas deuita. Volo iuniores nubere, & matres familias esse. 184.1. & 190.16.
Viduas honora. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt. 1988
8. Qui suorum maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior. 204.1 & 501.9
Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 442.18. & 444.5
6.1. Quicunque sunt sub iugo serui. 266.2
Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere, &c. 348.6
8. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti simus. 349.2. 365.30. 389.31

*Epistola Iacobi.*

1.3. Probatio fidei nostræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes. 8.2
Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. 12.18
2.2. Si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens in veste candida, introierit autem pauper in sordido habitu; nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? & nonne diuites opprimunt eos? &c. 357.8

*Epist. I. Petri.*

2.18. Serui subditi estote. 266.2

*Epist. I. Ioannis.*

3.3. Qui habet spem, sanctificat se. 81
14. Qui non diligit, manet in morte. 12.22
Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. 16.15
18. Non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate. 27.8
Debemus pro fratribus animas ponere. ibid.9
4.16. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 9.4
5.3. Hæc est charitas, si mandata eius custodiamus, &c. 27.10

*Apocalypsis.*

14.3. Cantabant canticum nouum. 12.440.

INDEX

# INDEX CONCILIORVM, ET CONSITVTVTIONVM.


Conc. Ancyran. Can. 9. al. 10. pag. 1. num. 5,6,7
Antiochen. cap. 21. pag. 49. num. 11
Arausican. I. can. 22. 496.16.501.8. 504.4
Arelaten. II. can. 1. 496.16
Carthaginen. II. cap. 2. 503.15
Gangren. cap. vlt. 155.7
Relatum dist. 30. cap. 14.
Lateranen. p. 5 c. 6. 519.9
Melden. can. 9. 152.9
Neocæsar. can. 1. 512.3,&4
Nissen, can. 14. 223.24
Can. 3. 498.5,499.6
Taurin. can. 7. 496.16
Toletan. II. can. 1. & III. can. 5. ibidem.
IV. cap. 49. al. 50. 54.8
VIII. can. 7. 511.35
XI. cap. 2. 59.4
Tridentin. sess. 6. cap. 1. de form. 60.9
Sess. 23. cap. 1. de reform. 57.25
Sess. 24. can. 2. 49.11
Sess. 25. cap. 11. de reform. 59.3
Ead. sess. cap. 14. de reform. 517.26
Ead. sess. cap. 1. de reform. 579.19.& 21
Ead. sess. cap. 1. de regularib. 75.2
Ead. sess. cap. 15. de regularib. 163, cap. 3,16,&19 227. cap. 12,13,14,&15
Ead. sess. cap. 16. de regularib. 184.6
Ead. sess. cap. 17. 186,10,213.2,& seq.
Ead. sess cap. 19. de regularib. 179. 5, 342.11,343.1
Ead. sess. cap. 3. de regularib. 424.1,2
Ead. sess. cap. 2. de regularib. 393.2,& 36 408.1,5,7,& seq.
Turon. I. can. 2. 497.17
Constitutio Sixti V. & alia Clem. VIII. circa ingressum & professionem religionis. 209.14,222.22,281.1


INDEX

# INDEX LOCORVM
## IVRIS CANONICI, ET CÆSARI.

*Ex Decreto.*


CONSTITVIT. 20.q.3. p.265.n.6
Decernimus. dist.28. 583. 12, & 13
De Monachis. 18.q.2. 133.3
Desponsatam. 27.q.2. 480.16, 540.1,& 2
De viduis. 27.q.1. 450.1
Legem. dist.53.& c.multos.dist.54. 223.25
Monasteriis. 19.q.3. 223.25 24.17
Non dicatis. 12 q.1. 361.13
Nullus. dist 60. 502.11.& 13
Pueri. 1.q.1. 508.22
Quàm sit. 18.q.2. 582.7.& 13
Qui se scit 2.q.6. 57.24
Quod interrogasti. 27.q.1. 450.1,17,& 22
Si in qualibet.20 q.2. 185.8,& 9 189.12
Si quis. 17.q.2. 223.25
Si vir. dist.29. 446.2,& 14
Statutum. 18.q.1. 401.35
Vtlex. 27.q.1. 121.27, 453.13.530.27


*Ex Decretalibus.*


Ad nostram. de confirm.vtil. 586.23
Ad nostram. de Regularib. 315.12
Cæterùm. de donat. 415.11
Commissum. de sponsal. 169.13
Coniugatus. de conuers.coniug. 518.4
Constitutionem. de Regularib. 315.12,& 13
Consulti. de regularib. 318.22,26,& 27
Cùm ad monasterium. de statu monach. 302.2, 308.8, 367.2, 393.1, 409.1, 432.3, & 16, 547.7,& 17 586.23
Cùm dilectus. de his quæ vi. 264.4,& 9
Episcopus. de præbend. 502.11,& 13
Ex parte.1. de conuers.coniug. 450.2,& 23, 456.6, 463.14
Ex parte.2.eod. 265.6, 538.22
Insinuante. qui cler. vel vou. 288.15, 409.3
Inter corporalia.de transl.Episcop. 50 14.& seq.
Ne nimia.de relig.domib. 122.1, 126.1,323.10
Nisi cùm pridem.de renunt. 38.14 48.6
Per tuas. de voto. 61. cap.19.& 20
Porrectam.de confirm.vtil. 586.23
Præterea.de conuers.coniug. 269.11.& seq.
Quia in insulis. de regularib. 266.7
Quidam.de conuers.coniug. 268.5
Quidam.de renunt. 49.7
Relatum.qui cler.vel vou. 406.12
Rursus.eod. 106 9 489.2,& 14
Scripturæ. de voto. 293.3.4.5.& 13
Si quis ante. de regularib. 185.8,& 9
Statuimus. eod. 313.4,8,22,26, & 27, 321.3, & 8
Super eo. eod. 318.22,26,& 27
Veniens. qui cler.vel vou. 481.2,5,6.& 7
Veniens.de conuers.coniug. 264.4
Vidua. de regularib. 314.6,8,12,14,& 15


*Ex sexto Decretalium.*


Beneficium. de regularib. 239.12 318.22,26, & 27
Constitutionem. eod. 286.8, &10, 337.11, 318.22,26,& 27
Consulti.eod. 218.22,26,& 27
Indemnitatibus.de cler. 324.15
Is qui.de regularib. 317.17,& seq. 326.7
Non solùm.eod. 241.18, 318.22,26,& 27
Nullus.de elect. 324.15
Quod votum.de voto. 91.15, 97.3,& 6,524.6,& 8, 296.15,18.& 19
Quorundam. de elect. 586.24
Religioso.de sentent.excom. 226.12
Religiosus. de elect. 112.7
Si religiosus.eod. 582.7,8,14,& 15
Statuimus.de regularib. 241.18


*Ex Clementinis.*


Cùm concessa.de elect. 582.7
Eos qui.de regularib. 317.18,& 21
Si quis.§.1.de pœn. 45.5


*Ex Extrauagantibus Ioan. XXII.*


Antiquæ.de voto. 456.5,& 13


*Ex Digestis.*


l.Cùm pater.79.§.curatores.de leg.2. 1.1
l.Inter omnes.§.rectè.de furt. 395.10


*Ex Codice.*


l.non dubium. de legib. 518.7
l.nos semper.42.de Episc.& cler. 46.6


OPERIS

OPERIS

# DE RELIGIONE PARS SECVNDA

## DE STATV PERFECTIONIS, ET Religionis.

### TRACTATVS SEPTIMI

*Proœmium.*

OPvs de Religione iam dudum inchoatum, & per plures annos, ob graues causas, quas nunc enumerare non est necesse, interruptum, diuino freti auxilio consummare aggredimur. Distinximus autem in principio primi tomi totum opus in duas principales partes; vnam, de Virtute, & alteram de statu Religionis, & vtriusque rationem, materiam, & connexionem ibidem explicuimus; ideoque eadem iterum in præsenti proponere, necessarium non duximus. Operæ autem pretium visum est, obiectum huius partis, eiusque materiam, & partitionem distinctiùs repræsentare. Quamuis enim præcipua instituti nostri ratio, & intentio sit, de religioso statu maximè proprio tractare; ipsarum tamen rerum connexio, & amplitudo postulat, vt de omnibus statibus vitæ Christianæ, quatenus ad æternam felicitatem consequendam ordinantur, & de his præsertim, quæ ad maiorem vitæ puritatem, & charitatis perfectionem acquirendam conferunt, simul disseramus. Atque ita in hoc tractatu, sicut in cæteris, ducem habebimus D. Thomam, qui singularem doctrinam, & inter morales, magni momenti, de statibus, scriptam nobis reliquit in 2.2. à quæst. 183. vsque ad finem. 1.

Vt autem scopum totius disputationis clariùs aperiamus, scire conuenit, prædictum Doctorem sanctum, postquam in illo libro à principio vsque ad quæst. 170. de omnibus virtutibus in particulari disseruit, in initio quæstionis 171. tria genera operum distinguere, quorum cognitio ad complementum sacræ doctrinæ, quæ de moribus tractat, necessaria erat; quia huiusmodi opera, aut excedunt aliquo modo commu- 2. *D. Thom. tria operũ genera distinguit.*

*Eandem diuisionẽ D. Paulus insinuat.*

communem virtutis vsum, aut à peculiari operatione, vel institutione, diuina, vel Ecclesiastica, pendent. Insinuauit autem illam trimembrem diuisionem Paulus 1. ad Corinth. 12. dicens: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus Et diuisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* In his enim verbis tria genera operum satis clarè distinguit Apostolus. Ex quibus primum, scilicet, *diuisiones gratiarum*, de gratiis gratis datis, ab omnibus intelligitur: illas enim statim enumerat Apostolus, & concludit: *Hæc omnia operatur vnus, atque eidem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Vnde per se, nec ad ministeria, nec ad status fidelium pertinent, sed in quouis ministerio, vel statu, possunt, & solent pro Dei arbitrio communicari, & absque illis etiam possunt officia, seu ministeria fieri, & status Ecclesiastici subsistere. Et ideo alterius rationis est illarum gratiarum consideratio, quã tradit D. Thomas, ab illa quæst. 171. vsque ad 178. Nos verò in tractatu de Gratia Prolegom. 4. illas breuiter explicuimus; ibique alia loca, in quibus specialiùs singulæ tractandæ sunt, designauimus.

3. In secundo membro ponit Apostolus *diuisiones ministrationum*, seu ministeriorum, aut officiorum, quæ in fine capitis, & ad Eph. 4. enumerat, dicens: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos.* Et hoc sub membro comprehendit D. Thomas varios fidelium status. Nos autem officia tantùm sub his verbis comprehendimus; quæ idem sunt, quod ministeria, illaque ab statibus distinguimus, quia licèt vnum alteri sit annexum; nihilominus distincta sunt, & inuicem separantur. Nam potest aliquis esse in vno statu Ecclesiæ sine aliquo speciali officio Ecclesiastico: & è contrario, possunt in eodem statu religionis, v.g. varia ministeria inueniri, vel in diuersis personis, vel aliquando in eadem. Ac denique potest aliquis habere in Ecclesia peculiare ministerium, licet peculiarem statum non habeat, nisi cõmunis fidelis. Vnde ministerium & status diuersas conditiones, seu proprietates habent: nam ministerium, seu officium Ecclesiasticum per se ordinatur ad aliquas actiones communes, & ordinarias ad vtilius regimen Ecclesiis necessarias, & ad illas exercendas ius, seu facultatem confert, vt pastoribus, aut Doctoribus dari solet. At verò status per se sufficienter ordinatur ad vtilitatem eius, qui in tali statu constituitur, & ad opera huiè conuenientia non proprie ius, aut facultatem moralem, sed potiùs commoditatem confert, vel etiam obligationem addit. Et præterea ad statum peculiaris immobilitas necessaria est, vt videbimus, quam officium per se non requirit, licèt interdum illi adiungatur.

*Officia, siue ministeria ab statib. distinguuntur.*

*Ministerium, siue officium ordinatur ad actiones cõmunes Ecclesiis necessarias ad earum regimen.*

*Status sufficienter ordinatur ad vtilitatem eius, qui in tali statu constituitur.*

4. Vnde tandem fit, aliam esse considerationem de ministeriis Ecclesiæ, aliam de statibus. Nam, vt rectè D. Thomas admonet in principio quæstionis 183. officia propriè Ecclesiastica cum sacramento ordinis coniuncta sunt, & ideo cum illo sacramento tractanda sunt. Propter quam rationem, licet omnia illa ministeria sint virtutis religionis munera,

nera, nihilominus in tractatum de sacramento Ordinis illa referuamus; in illo enim de tota Hierarchia Ecclesiastica, Deo iuuante, dicere disponimus. Alia verò officia Reipublicæ Christianæ, quæ Ecclesiastica non sunt, à Theologo non considerantur, nisi quoad obligationem conscientiæ, quæ ad virtutes, præsertim ad iustitiam, charitatem, seu misericordiam, pertinent: & ideo de huiusmodi officiis in tractatu de Iustitia, & de aliis virtutibus disputatur. Status verò Ecclesiæ specialem, ac propriam considerationem postulant.

Superest ergo tertium membrum à Paulo indicatum, in verbis illis: *Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Per quæ verba intelligit D. Thomas vitam actiuam, & contemplatiuam, *quia secundùm diuersa operationum studia distinguuntur.* Sed licèt verum sit, illam etiam diuisionem sub illis verbis comprehendi; nihilominus existimo, ad illas *diuisiones operationum* omnes status vitæ Christianæ pertinere. Intelligo enim Paulum loqui de operationibus propriis, ac personalibus (vt sic dicam) quibus singuli fideles ad vitam æternam tendunt, & pro ea consequenda laborant. Nam hæc opera distinguit Apostolus non solùm ab extraordinariis gratiis, quæ ad vtilitatem aliorum ordinantur, sed etiam ab ordinariis Ecclesiæ ministeriis, quæ ad eiusdem commune bonum, & gubernationem fiunt; ergo solùm supersunt operationes virtutum, & donorum, prout ad spirituale bonum vniuscuiusque agendæ sunt per gratiam Dei, *qui operatur omnia in omnibus*, vt subiungit Apostolus. Ideoque, cùm priora duo membra in discursu totius capitis explicasset, de tertio solùm in fine concludit dicens: *Et adhuc excellentiorem vitam vobis demonstro*, id est charitatis viam, quæ omnium bonorum operum principium esse debet. Et ideo non solùm diuersa studia operum vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, sed absolutè omnia studia ordinata ad charitatem, eiusque varias operationes, ac perfectiones, ad diuisiones operationum pertinere arbitramur. Hæc autem studia non sunt, nisi varii status religiosi, quos Deus in sua Ecclesia prouidit, vt in eis homines diuino cultui, singulari votorum vinculo, consecrentur. ideoque vtroque titulo, & ratione præsens tractatus de Statu religioso, superiori de virtute Religionis copulatur.

5.

*Præsens tractatus de statu religioso.*

INDEX

# INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

*De statu perfectionis, variisque illius modis, seu speciebus.*


CAP. I. QVID sit status vitæ Christianæ, & quas conditiones postulet.

II. An status vitæ Christianæ in statum communis vitæ & statum perfectionis conuenienter distinguatur.

III. Quæ sit perfectio Christiana, ad quam status perfectionis ordinatur.

IV. Qualis perfectio charitatis per statum perfectionis intendatur.

V. Quid sit status perfectionis, quasve conditiones requirat, & ab ipsa perfectione quomodo distinguatur.

VI. Vtrùm in euangelica lege consilia à præceptis distinguantur.

VII. Ratione veritas Catholica probatur.

VIII. Consiliorum materia, & varietas occasione eiusdem objectionis declaratur.

IX. Satisfaciendo fundamentis hæreticorum nonnulla dubia de consiliis euangelicis explicantur.

X. Statum perfectionis non præceptorum tantùm, sed etiam consiliorum obseruantiam includere.

XI. An Christiana perfectio, vel eius status principaliùs in præceptorum, quàm consiliorum obseruatione consistat, vel è conuerso.

XII. Vtrùm status perfectionis per votum, vel promissionem aliquam obligationem inducentem necessariò constituendus sit.

XIII. An status perfectionis in statum incipientium, proficientium, & perfectorum conuenienter diuidatur.

XIV. Vtrùm status perfectionis in statum illam acquirendi, vel eandem exercendi conuenienter distinguatur; & quomodo Episcopi in statu perfectionis esse dicantur.

XV. Vtrùm Episcopatus sit status perfectionis exercendæ, seu perfectorum, ac proficientium.

XVI. Vtrùm Episcopale vinculum iure diuino indissolubile sit, vel inde immutabilitatem habeat.

XVII. Vtrùm Prælati seculares Episcopis inferiores, vel etiam Parochi sint in statu perfectionis.

XVIII. Vtrùm status Episcoporum perfectior sit quàm status Religiosorum.

XIX. An status Episcopalis adeò perfectus sit, vt in eo votum religionis implea tur: & exponitur caput Per tuas, de voto.

XX. Nonnulla dubia circa capitulum Per tuas, explicantur.

XXI. Vtrùm status inferiorum Prælatorum, vel Parochorum sit perfectior religioso statu.


LIBER

# LIBER PRIMVS.

## DE STATV PERFECTIONIS, VARIISQVE illius modis, seu speciebus.

Dari in Ecclesia statum religiosum supponendum.

SVPPONIMVS esse in Ecclesia statum hunc perfectionis, seu religionis, eiusque originem inquirimus. quia illud prius per se notum est in Ecclesia; & quia omnis doctrina de proprio obiecto supponere debet, An sit. Hoc verò posterius obscurius est, & necessariò est stabiliendum; vt ex illo fundamento ad substantiam, proprietates, operationes, onera denique, ac commoda status religiosi explicanda, cum maiori certitudine progredi valeamus. Deinde claritatis gratia supponimus, statum religiosum, & statum perfectionis, vt superius, & inferius inter se comparati, omnis enim verus status religionis est status perfectionis; è contrario verò non omnis status perfectionis est status religionis propriè dictus: nam interdum illum superat, interdum ab illo deficit, vt in sequentibus declarabimus, & ostendemus. Et ob hanc causam necessarium est ab vniuersalioribus procedere; & priùs statum perfectionis in communi describere; ac deinde varia eius membra distinguere, & illa, quæ minus completa sunt, breuiter explicare; ac tandem circa religiosum statum diutiùs immorari. Quia verò status vitæ Christianæ cæterorum fundamentum est, de illo etiam aliquid præmittere absre non erit.

Status perfectionis ut sic potest, quàm status religionis.

### CAPVT I.

#### *Quid sit status vitæ Christianæ, & quas conditiones postulet.*

1. Significatio nominis status.

PRincipio significatio nominis *status* explicanda est, & præsenti instituto accommodanda; est enim multiplex; & nisi certus, ac definitus illius vsus supponatur, in æquiuoco sæpe laborabimus. Attribuitur enim rebus viuentibus, & non viuentibus, rationalibus, & irrationalibus, naturalibus, & moralibus; cùm verò personæ attribuitur, duo semper indicat, scilicet, perfectionem in aliqua conditione, vel modo existendi eius, & quietem, seu immutabilitatem in illa. Prior conditio exemplis declaratur: nam Philosophi statum Solis appellant, terminum ascensionis eius; & terminum accretionis vocant viuentis statum: & Medici statum ægritudinis vocant, cùm ad summum gradum peruenit. Item leges dicunt, hominem ad statum peruenisse, quando maiorem ætatem, vt viginti quinque annorum, attigit. l. *cùm pater.* 79. §. *curatores.* iuncta gloss. ff. de legat. 2. Item iurisperiti statum causæ vocant, quando inquisitio, & allegatio ex vtraque parte consummata est. Et nos statum quæstionis vocamus, quando punctum controuersiæ clarè, & sine ambiguitate propositum est. Ex his ergo intelligere licet, statum significare aliquam conditionem perfectam, & quasi consummatam in suo genere. Dico autem, *in suo genere*, quia non oportet, vt dicat perfectionem simpliciter, vel per comparationem ad oppositam perfectionem; sed solùm in suo ordine, seu oppositam inchoationi rei, quasi in fieri existentis.

Status per se duas conditiones requirit.

Et ita hæc conditio per alteram rectè explicatur; requiritur enim ad statum permanentia quædam, seu quies in conditione per statum significata. Quod quidem ipsa vox *status* satis indicat: quietem enim, & stabilitatem præ se fert: & ideo quæ in continua mutatione sunt, dici non possunt habere statum; & è contrario, quæ in eodem esse permanent, secundum illum statum habere dicuntur. iuxta illud Pau. ad Hebr. 9. *Adhuc priore testamento habente statum*, id est, nondum immutato: & è contrario cùm res aliter se habet, quàm erat, mutare statum dicitur. iuxta illud Iob 14. *Nunquam in eodem statu permanet.* Vnde D. Thom. 2. 2. q. 183. art. 1. statum definit esse *quandam positionis differentiam alicuius rei secundùm modum suæ naturæ, quasi in quadam immutabilitate.* Et in priori parte primam conditionem, in posteriori secundam indicat; vtramque verò declarat ex proprietate verbi *stands*: nam homini attributum duo in rigore inuoluit; Vnum est, quòd homo sit rectus, quia in ea positione singulæ partes corporis quasi naturalem situm habent; pedes infimum, caput supremum, & cætera medium sibi conuenientem. Et in hoc indicatur prior conditio, sed non sufficit: nam aliud simul necessarium est, nimirum, vt homo quiescat, nam si homo ambulet, non dicetur stare, licèt rectus incedat: & in hoc insinuatur altera conditio status, nimirum, quòd res in ea perfectione, vel modo existendi immota permaneat; vel etiam aliquo modo immobilis persistat.

2. Status definitio à D. Thom.

Homo stans rectus, & quiescens esse oportet.

Hinc verò oritur morale dubium, quanta immobilitas ad moralem statum necessaria sit? Nam Henric. quodlib. 12. quæst. 29. ad 1. negat, immobilitatem esse de ratione status moralis, sed sufficere putat carentiam mutationis, vel ad summum propositum permanendi in tali genere vitæ. Probat inductione, quia homo dicitur esse in statu gratiæ, licèt non habeat immutabilitatem in illa: & clericus in Minoribus simpliciter est in statu clericali, licèt per coniugium cum vidua, illum possit amittere: & homo dicitur esse in statu libertatis, licèt sua voluntate seruus fieri possit. Vnde colligit, secundùm communem vsum loquendi, vocem *status* non significare talem immobilitatem, ac proinde non esse illam conditionem necessariam ad statum moralem. Contrarium verò docet D. Thom. dicta quæst. 183. art. 1. in corpore, & ad 3. Imò hanc conditionem ponit in definitione status; & hoc sequuntur ibi communiter expositores. Et Soto lib. 7. de iust. quæst. 5. art. 1 Antonin. 3. p. in Prolog. §. 4. Turrecr. lib. 1. Sum. cap. 73. Isti autem authores ferè omnes fatentur, quæstionem esse de modo loquendi. Vnde etiam Antonin. & Turrecr. dicunt, conditionem immobilitatis requiri ad statum strictè sumptum, quamuis interdum vox illa in latiori significatione sumatur.

3. Quæ immobilitas ad moralem statum requiratur. Henricus nullam requirit.

Oppositum docet D. Thom. Soto. Antonin. Turrecrem.

*Licèt verbum stands non semper immobilitatem importet, illam tamen in communi vsu, & pro eo hic accipitur, significat.*

Et certè dubitari non potest, quin verbum ipsum *standi* interdum perueniens ad terminum motus, licèt res in illo nihil quiescat, significet, vt in ascensu Solis, vel lapidis, vel in augmento viuentis constat, aliquando verò addat positioni rei quietem actualem (vt sic dicam) id est, carentiam motus, sine carentia mutabilitatis: vt quando homo stare dicitur. Sæpius autem significat firmitatem, & aliquam immutabilitatem in stando; hanc enim energiam habere videtur hoc verbum ad Galat. 5. cùm Paulus dicit: *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Et in vsu communi loquendi Latinorum, ita accipi solet, quando de conditione personæ, seu modo viuendi loquuntur. Vnde statum dicunt esse veluti habitum, qui est difficilè mobilis; quia est, vel consuetudine, vel lege, vel alio modo simili firmatus. Denique vt non sit dubium de ambiguitate vocis, supponimus in hac significatione, vocem illam in præsenti materia sumi.

4. *An immobilitas status requirat aliquam obligationem permanendi in illo.*

Vt autem magis hoc declaretur, interrogari vlteriùs potest, an hæc immobilitas status, necessariò includat obligationem permanendi in illo: obligationem (inquam) vel legis, vel iustitiæ, aut voti, aut aliam similem, ratione cuius non possit homo licitè illum statum relinquere, in quo constitutus videtur. Nam D. Thom. dict. quæst. 183. art. 1. dicit: *Id ad statum hominis pertinere videtur, quod respicit obligationem personæ hominis.* Et in quæst. 184. art. 4. ex hoc principio colligit, ad statum perfectionis obligationem requiri. Et idem sentiunt Turrec. & Antonin. suprà. Et idem indicat Soto d. art. 1. post concl. 8. Ratio reddi potest ex mente horum authorum; quia status non dicit solum actum, vel exercitium; sed ius, vel obligationem: non est enim in statu seruitutis omnis, qui seruit; sed qui ex peculiari iure, & obligatione seruire tenetur, & sic de aliis. Confirmatur, quia sicut status, de quo tractamus, moralis est, ita requirit moralem firmitatem, hæc autem sine obligatione esse non potest.

*Affirmat D. Thom. Turrec. Antonin. & indicat Soto.*

5. *Henric. negat.*

At verò Henric. suprà, hoc maximè negat, & quæ adducit exempla, hoc suadere videntur: nam in Ecclesia dicuntur esse status viduarum, virginum, laicorum, & secularium, qui nullam habent obligationem permanendi in illo statu. Idem probat exemplum de statu libertatis, & seruitutis, quia non minus propriè, imò perfectior status est libertatis, quàm seruitutis, vt ex iure constat; & tamen non habet firmitatem obligationis, sicut illam habet status seruitutis. Vnde idem D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 4. sub disiunctione dicit: *Ad statum requiritur obligatio aliqua, vel absolutio ab illa.* Ex qua disiunctiua videtur apertè colligi, obligationem non esse de ratione status in communi; quia si inter oppositas differentias, vna posita disiunctiuè sufficit ad constitutionem rei, neutra determinatè potest esse de necessitate talis rei. Vt si de ratione numeri est, vt sit par, vel impar; dici non potest esse de necessitate numeri vt sit par. Vnde Caiet. dict. quæst. 183. in principio, fatetur, obligationem determinatè non esse de ratione status, sed ordinem ad obligationem, vtique habendi, vel carendi illa. Quod potest ratione, & inductione declarari; quia status moralis, de quo tractamus, pertinet ad statum libertatis, vel seruitutis, vt D. Thom. docet d. quæst. 183. art. 1. & colligitur ex iure, vt paulo pòst videbimus: quod vt vniuersale sit, intelligendum est latè, accipiendo seruitutem, vt extenditur ad omne vinculum subiectionis, vel obligationis ad alium; sic enim status coniugalis continetur sub statu seruitutis: vidualis autem, & virginitatis sub statu libertatis, & sic de aliis. Atque ita in vniuersum omnis status constituitur, vel per obligationem aliquam, vel per carentiam eius: ergo obligatio determinatè non est de ratione status in communi, sed ordo ad obligationem.

*Fauet D. Thom.*

*Idem tenet Caiet.*

Sed contra hanc doctrinam, & explicationem obiici potest; quia hinc sequitur, immobilitatem non esse de ratione status, sed vel immutabilitatem, vel carentiam eius, seu habitudinem ad immobilitatem, quæ potest esse, vel carendi illa, vel illam habendi: consequens autem destruit prius fundamentum de statu positum; ergo. Sequela probatur, quia eadem est ratio obligationis, & immobilitatis; quia moralis stabilitas non potest intelligi sine obligatione; & carentia obligationis varietatem, & mutationem facilè admittit. Vnde confirmatur, nam carentia obligationis non confert ad immobilitatem conditionis personæ, secundùm quam dicitur esse in statu; ergo nec potest ad statum conferre; ergo frustrà, & sine fundamento dicitur, ad statum esse necessariam, vel obligationem, vel carentiam eius; cùm hæc carentia de se statui repugnet. Vt declaratur facilè in vidua, vel virgine: nam sola carentia seruitutis coniugij non constituit illas in proprio statu, si non habeant aliunde firmitatem in tali conditione vitæ continentis; alioqui solum propositum continentiæ sufficeret ad statum, vt Henricus volebat.

6. *Impugnatur sententia Henric.*

Ad hæc verò tacitè respondet D. Th. in d. q. 183. art. 1. dum addit, ad statum requiri libertatem; vel seruitutem, seu obligationem, vel carentiam eius, *ex causa permanente, & non facilè mutabili.* Itaque verum quidem est, in omni statu includi respectum ad obligationem, quasi sub disiunctione habendi, vel carendi illa, non tamen sufficere, nisi habitudo illa, quæ statum in particulari constituerit, ex causa permanente, & non facile mutabili proueniat. Vnde carentia coniugij per se non sufficit constituere statum, sed opus est, vt ex causa permanente proueniat. Imò neque omnis obligatio sufficiet constituere statum, nisi causam habeat permanentem. Famulus enim etiam habet obligationem seruiendi Domino, tamen, quia illa obligatio non habet causam permanentem, non constituit proprium statum; & ita facilè soluitur difficultas tacta; quia carentia obligationis non ponitur, vt necessaria ad aliquem statum, quia det illi stabilitatem, sed quia pertinet ad conditionem personæ, quæ ad formalem statum libertatis constituendum sufficiet, si ex causa permanente proueniat.

7. *Solutio rationes in contrarium, & resolutur, nec requiri obligationem, nec sufficere.*

Interrogari verò vlteriùs potest, quænam esse debeat hæc causa permanens: nam ex dictis colligitur, non esse ipsam obligationem, nec carentiam obligationis, sed aliam permanentem causam, quæ talem conditionem inducit. Quam ergo, vel qualem causam illam esse oportet? Nam D. Thom. vel Caiet. in hoc nihil declarant, loquendo de statu in cõmuni; quanuis in particulari tractando de statu perfectionis, vel religionis, dicant, in illo statu requiri votum, vt causam firmitatis eius: imò etiam addunt, esse necessarium votum solemne. Quod etiam sequuntur Antonin. Turrec. & Soto. Sed hoc postea examinandum est; nunc enim in communi loquimur de statu: & sic certum est, votum non esse causam adæquatam firmitatis eius; nam status in communi comprehendit omnem statum libertatis, & seruitutis, vt etiam D. Thomas indicat. Manifestum est autem, non omnem statum huiusmodi ex voto pendere. Et ita facilè posset hoc inductione ostendi, quæ statim fiet. Et ratio est clara, quia status de se abstrahit à cultu religioso, & ab speciali obligatione ad Deum: nam potest esse merè ciuilis, & per obligationem ad homines, vel per carentiam eius, & ita potest sine voto subsistere.

8. *Quænam causa permanens requiratur ad immobilitatem status.*

Dico

9. Nulla causa potest generatim assignari præter variam materiæ capacitatem.

Dico ergo, huiusmodi causam permanentem, & ad statum constituendum sufficientem, quoad modum, vel speciem, non esse determinatam, sed esse variam, & multiplicem iuxta capacitatem materiæ, in qua status versatur. Ratio in generali reddi potest, quia ad rationem status solum requiritur immobilitas aliqua materiæ proportionata; sed hæc non potest oriri ex eadem causa in omni materia, vt est per se notum; ergo nec ratio status petit immobilitatem prouenientem ex eadem causa, vel radice, sed iuxta materiæ exigentiam: melius tamen declaratur in particulari, veluti quadam inductione. Nam omnis proprius status, prout de illo nunc loquimur, reducitur ad statum libertatis, & seruitutis.

Immobilitas in seruitute ciuili & humana oritur ex titulo iusti dominij in seruum.

At verò in seruitute ciuili, & humana maximè propria immobilitas talis status nascitur ex causa morali, nimirum ex illo titulo dominij iusti Domini in seruum, siue sit iustum bellum, siue emptio, & venditio iusta, siue alius contractus iustus; vel immediate, vel mediante natiuitate ex matre iam serua; qui titulus etiam lege iuuatur, quæ causa etiam est moralis. Ex hoc ergo titulo nascitur dominium in seruum, quod de se inducit in seruum obligationem ex se immutabilem moraliter; quanuis per liberalem manumissionem, vel alium contractum auferri possit. Quod non obstat rationi status, quia non postulat vinculum prorsus immutabile, sed moraliter fixum, ac permanens. In statu autem libertatis oppositæ dictæ seruituti firmitas nascitur ex naturali lege; quia homo naturaliter liber creatus est, & iuta ex parentibus liberis, liber nascitur. quæ libertas ratione huius naturalis dominij difficilè mobilis est; quod sufficit ad rationem status, licet ex voluntate ipsius hominis, vel in pœnam iustam auferri possit. Vnde in hoc genere status non est necessaria in ipso homine libero obligatio permanendi in tali statu libertatis, poterit enim aliquando sine peccato, se in seruum tradere, aut vendere: sufficit ergo vel quòd id non possit facere licite sine iusta, & graui causa, vel etiam quòd ab aliis non possit tali libertate inuitus priuari sine publica potestate, & causa iusta.

Immobilitas libertatis oritur ex lege naturali, quia homo naturaliter liber nascitur.

10. At verò in statu apud Deum spirituali, & interno, vt est status peccati, & gratiæ, status peccati videri potest status libertatis ab obligatione Deo debita, iuxta illud Ier. 2. *Rupisti vincula, confregisti iugum, dixisti, non seruiam*; Hoc enim fit per actuale peccatum, à quo talis status duxit originem. Re tamen vera est status seruitutis; Quia rebellio non aufert obligationem Deo debitam, & aliunde inducit debitum pœnæ, & cogit quodammodo seruire peccato; quia peccatum inhærens suo pondere in aliud trahit: & hanc conditionem seruitutis vocauit Caiet. suprà obligationem, vt defendat, etiam hunc statum sumi ex aliqua obligatione. Sed reuera non est obligatio moralis, & propria, secundùm quam homo dicitur teneri ad aliquid faciendum, vel ad permanendum in tali statu, nam hæc obligatio impossibilis est, vt constat: sed dicitur obligatio, id est, necessitas quædam, & debitum eius, vel quia est fragilitas, & pronitas ad malum, quæ ipsum peccatum comitatur: vel quia peccatum mortale, de quo est sermo, difficile mobile est, quia nec per vires hominis naturales, nec per vllam causam creatam auferri potest; ideo ex hac parte sufficiens est ad statum constituendum. Videri autem potest deficere à ratione status, quia in eo potius homo iacet, quàm stet, quia in eo non habet positionem (vt sic dicam) secundùm naturam sed contra illam. Nihilominus tamen, quia in suo ordine habet consummationem, vel per comparationem ad suum oppositum, ad idem genus reducitur.

Status peccati propriè est status seruitutis, eius immobilitas oritur vel ex proclivitate ad malum, vel difficultate reuertendi ad gratiam.

Alter verò status est huic oppositus, scilicet, status gratiæ, quem Caiet. vocat statum libertatis, vtique à seruitute peccati, & ab obligatione, seu debito perpetuæ pœnæ. Addere verò possumus, principaliter esse statum seruitutis Dei, quæ est vera libertas, iuxta illud ad Rom. 6. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Et iterum: *Liberati à peccato, serui autem facti Deo.* Est autem illa seruitus, non vilis, sed nobilissima, quia perficit libertatem hominis; ideoque hoc etiam titulo est status libertatis; imò etiam est status amicitiæ apud Deum, iuxta verbum Christi, Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Vnde non ita est status libertatis, vt solum dicat carentiam obligationis, sed potiùs, vt magnam obligationem importet seruiendi Deo, amandi ipsum, & permanendi in tali statu. Hanc autem permanentiam, & stabilitatem ipsa gratia, quantum ex se est, secum affert: & ideo licet ex libertate, & fragilitate hominis frequenter amittatur, nihilominus proprium statum apud Deum constituit; quia gratia ipsa est permanens causa, & de se firmitatem, & stabilitatem secum affert.

11. Status gratiæ status libertatis dicitur, licet seruitutis Dei dici possit.

Eius immobilitas à gratia oritur.

Denique idem videre licet in statibus politicis, & humanis, vt v.g. in statu seculari, & regulari. Nam hic posterior ad statum seruitutis reducitur, quia peculiarem subiectionem, & obligationem inducit, cuius habet permanentem causam; qualis est, vel professio religiosa, vel votum; vel pactum aliquod, vt postea late tractandum est. Status verò secularis, est status libertatis; vtique à iugo, & obligatione religiosa: illius autem libertatis habet stabilem, & permanentem causam, scilicet, ipsum naturale ius propriæ libertatis, quod de se stabile, ac perpetuum est, quandiu per voluntatem propriam regulari iugo non subiicitur. Et ad hunc modum sub his membris, alia subdiuiduntur, quæ sunt in vsu: vt de statibus regularibus postea dicendum est. Sub statu verò seculari distingui possunt status laicorum, & clericorum. Nam licet hic posterior fortasse non habeat tam propriam rationem status (vt infrà dicam) nihilominus eo modo, quo illam denominationem recipit, habet causam de se permanentem. Nam est status seruitutis, quatenus in illo specialiter cultui diuino persona dicatur, & suo modo consecratur, quæ consecratio inchoatur, per sacramentale quoddam ita permanens, vt iterabile non sit, vtique per primam tonsuram; & paulatim perficitur per sacramentum immobile, & imprimens characterem indelebilem. Ideoque licet in vsu, vel professione eius possit mutari, nihilominus status, seu munus, de se causam, & fundamentum permanens habet; è contrario verò status laicorum est status libertatis, à clericali obligatione, & destinatione, quæ naturalis est, & inde habet causam de se permanentem, sicut in aliis explicuimus.

12. Status regularis, seruitutis est à professione, voto, vel pacto eius immobilitas oritur.

Status secularis, libertatis est, eius causa permanens est ius libertatis.

Sub statu seculari clericorum status continetur, cuius causa permanens vel à sacramentali non iterabili, vel à charactere petenda est.

Et idem est de statu coniugij, aut viduitatis, vel virginitatis: nam prior, qui est status seruitutis, causam habet satis permanentem; vt de se satis patet. Posterior verò præcisè sumptus, vt priori opponitur, est status libertatis à seruitute coniugij, & vt sic habet etiam causam satis permanentem; vtique naturale ius propriæ libertatis, quam habet virgo, quandiu non nupsit; & vidua, quando per mortem viri à iure, & subiectione coniugij liberatur. Quatenus verò hic status viduitatis, vel virginitatis potest transire ad statum seruitutis, id est, obligationis seruandi castitatem; sic non constituitur in propria ratione status, nisi aliqua causa permanens, & aliquo modo immutabilis interueniat; vt est votum castitatis, vt postea videbimus. Ex quibus omnibus sufficienter declaratum est, quomodo ratio status non sit sine aliqua immutabilitate, quæ causam

13. Status virginitatis, vel viduitatis, sunt status libertatis, illius immobilitas à iure proprio libertatis mutuandæ.

sam permanentem habeat, & qualis, & quàm varia talis causa esse possit: simulque satisfactum est fundamento Henrici; nam ferè omnia exempla, quæ adducit, in contrarium inducta sunt, & in discursu sequentium capitum, id magis declarabitur.

14. *Explicatur secunda particula capitis.*

Hactenus solùm exposuimus priorem particulam in titulo capitis positam, scilicet, *statum*, nunc superest secundo loco explicanda alia particula, scilicet, *vitæ Christianæ*, sunt enim in Ecclesia varii modi statuum; non tamen omnes ad vitam Christianam, vt Christiana est, ordinantur: & ideo ad præsentem disputationem non pertinent; ideoque particulam illam formaliter sumimus, quia de solo illo statu, qui peculiari modo ad vitam æternam consequendam ordinatur, tractamus. Ad hoc autem meliùs intelligendum, distinguere oportet, in Ecclesia, id quod habet commune cum aliis infidelium communitatibus, seu congregationibus, aut rebus publicis, ab eo, quod habet speciale, vt Christi Ecclesia est. Priori enim modo sumpta, ordinatur ad præsentis vitæ conseruationem, propagationem, & temporalem pacem, & commoditatem: posteriori autem modo spectata, ordinatur ad bonum animæ, & vitam æternam consequendam; & sub vtraque ratione distinguuntur in illa varij status. Nam vt est respublica temporalis, sunt in ea status libertatis, & seruitutis humanæ, secundùm quas conditiones, vt sæpe dixi, maximè distingui solent status in republica humana; vt docet D. Thom. 2.2.q.183. art. 1. ex cap. *si quando* 2.q.6. vbi causa libertatis, vel seruitutis, causa status appellatur. Idemque sumitur ex leg. 3. & 4. ff. de capitis diminut. & ex toto titulo C. de ingenuis manumiss. & ff. de statu liberis. &, ne de statu defunctorum. & præsertim in l. 2. & 3. ff. de statu hominum. Et sub statu liberorum distinguebantur olim status ingenuorum, & libertinorum; & nunc distinguuntur status nobilium, & plebeiorum. Item sunt in republica humanus status coniugatorum, vel solutorum. Item status maiorum, vel minorum, secundùm ætates; in quibus omnibus aliquis modus subiectionis, vel carentiæ illius considerari potest, vt ex dictis facilè patet. Horum autem statuum consideratio per se ad nos non spectat, quia mere ciuilis, & politica est. Dico autem *per se*, quia indirectè, quatenus ex illis statibus aliquo modo pendet proprius spiritualis status, interdum à Theologis considerantur, vt dicemus.

*In Eccl. sia sumpta prout conuenit cum aliis communitatibus, status libertatis & seruitutis humanæ reperiuntur.*

15. *Ecclesia vt status vitæ Christianæ, seu spiritualis duplex, militans, & triumphans.*

Alio ergo modo consideratur Ecclesia, vt est congregatio hominum per fidem, & opera tendentium in supernaturalem beatitudinem; & sic ipsamet Ecclesia est status vitæ Christianæ, seu spiritualis; & secundum hanc considerationem, sicut est duplex Ecclesia, militans, & triumphans; ita distingui solet duplex status termini, & viæ: & ille prior in statum beatitudinis, & damnationis subdistingui potest ex Anselmo lib. de Similitud. c. 46. vbi distinguit quidem duos vltimos terminos viæ; non verò vtitur nomine *status*. Veruntamen priori termino, scilicet, beatitudinis, nomen status vitæ Christianæ meritò tribuitur: nam in illo perfectissime inueniuntur illæ duæ conditiones, perfectionis, & stabilitatis; & ideo ille solus, quasi per antonomasiam nomen status meretur; nam in secundo nullum est bonum, sed summa miseria, & potius est in perpetua malorum successione, quàm in stabili quiete. Nihilominus tamen denominatur status, vel propter perpetuitatem solam, quia ab illo statu non potest mutatio fieri: vel etiam, quia in genere mali, & miseriæ ad terminum summum peruenitur: vel denique, quia opposita ad idem genus reducuntur. Non poterit tamen status vitæ Christianæ appellari, tum quia potius est status mortis, quàm vitæ; tum quia licet sit vitæ naturalis, nullo modo est Christianæ. In purgatorio autem, vt est locus pœnæ, non censetur esse status; quia est in transitu, & ad breue tempus: vt verò ad statum salutis pertinet, propter eius certitudinem, & perpetuitatem, quædam est status beatitudinis inchoatio.

16. *Quo pacto status via dari possit.*

Nunc verò non de statu, seu statibus termini, sed de statu viæ agimus. De quo etiam interrogari posset, quomodo cohæreant status, & viæ, cùm via mutationem postulet, status verò quietem. Dicendum verò est, optime cohærere, quia non ipse vsus ambulandi per viam (vt sic rem declarem) dicitur status viæ, sed conditio personæ, vel modus viuendi aptus ad tendendum in beatitudinem, acquirendo illam, dicitur status viæ, quia in illo, & perfectio, & stabilitas ad rationem status, iuxta huius vitæ capacitatem sufficiens, inuenitur: & sic distinguitur à Theologis in hominibus duplex status viæ, scilicet innocentiæ, & naturæ lapsæ, vt in tract. de Gratia in principio dictum est. Et de priori in proprio tractatu late disputauimus. Hic solùm aduertimus, quanuis ille viuendi modus breui tempore duraverit, nihilominus nomen status mereri, quia de se durabilis valde erat; imò vt perpetuò vsque ad finem seculi duraret, constitutus fuit; licet conditionem contingentem includeret, quod rationi status non repugnat; & ratione illius conditionis non impletæ, potuit homo intra breue tempus ab illo statu cadere, & status ipse à suæ stabilitate deficere; hoc enim rationi status non repugnat, quia (vt dicunt Logici) verba in definitionibus non dicunt actum, sed aptitudinem, sicut etiam in statu gratiæ, & peccati suprà declaratum est.

*Status innocentiæ de se durabilis erat.*

17. *Status naturæ lapsæ reuera status vitæ. Vide Aug. de anc. de potest. Eccles. q 76. art. 1.*

Status autem naturæ lapsæ, licet, vt talis est, formaliter (vt sic dicam) potius sit status mortis, quàm vitæ, quia pertinet ad statum peccati, corruptionis, ac seruitutis; nihilominus, quatenus in eo concessa est homini gratia viæ sufficientis ad reparandam salutem amissam, & vitam æternam consequendam, reuera est status vitæ fidelis, seu status ordinati ad vitam consequendam. Et hic status potest rursus distingui in statum legis naturæ, statum legis veteris (cuius mentionem fecit Paul. in epist. ad Hebr.) & statum Ecclesiæ Christi, & duobus primis pro nunc omissis, tertium vocamus statum vitæ Christianæ, de quo nunc tractamus. Cuius ratio in hoc consistit, quòd sit quidam modus religionis ad salutem, & vitam æternam consequendam necessarius, & per sufficientia media ordinatus: qui viuendi modus in sola Ecclesia Christi reperitur, & in fide Christi fundatur; & ideo status vitæ Christianæ nominatur. Nam quòd in illo viuendi modo inueniantur cum magna perfectione conditiones ad statum requisitæ, manifestum est. Quia inprimis in illo magna stabilitas, & firmitas inuenitur: primò quidem in communitate Ecclesiæ Christi; quia in ipsa tanquam in firmissima petra, fundata est, principaliter, & ex promissione ac potentia eius, ita stabilita est, vt portæ inferi contra eam prævalere non possint. Deinde etiam in singulis personis, hunc statum profitentibus, habet causam permanentem de se, ac stabilem. Quia fundatur inprimis in professione fidei facta in Baptismo, quæ de se obligat ad permanendum semper in tali genere vitæ ad salutem animæ pertinentis, & in vera Christi fide. Deinde fides ipsa habet firmissima fundamenta; & impetrare potest vires, & auxilia ad perse-

*Status naturæ lapsæ reuera status vitæ. In legu naturæ, statum legis veteris, & statum Ecclesiæ Christi sub diuidetur.*

*In statu vitæ Christianæ omnes conditiones ad statum requisitæ reperiuntur.*

uerandum

uerandum in Christi Ecclesia: habet ergo hic modus vitæ ex hac parte perfectam rationem status. Aliunde verò, in hoc viuendi modo, vera rectitudo, & tota perfectio ad salutem animæ necessaria inuenitur; ergo etiam ex hac parte inuenitur in Ecclesia Christi quidquid ad rationem status propriissimi, ac perfecti desiderari potest. Ex his ergo satis constat, quid sit status vitæ Christianæ: quotuplex autem ille sit, & quomodo ad statum perfectionis comparetur, in sequentibus capitibus exponetur.

## Caput II.

### *An status vitæ Christianæ in statum communis vitæ, & statum perfectionis conuenienter distinguatur.*

1. *Multiplex in Ecclesia statuum varietas.*

Svpponit hæc quæstio esse in Ecclesia Christi statuum varietatem, quæ veritas est de fide certissima. Eam tradit D. Thomas d. q. 183. art. 2. & consentiunt omnes Theologi de hac materia scribentes, quos in re inter Catholicos manifesta, referre non oportet. Solumque illi hæretici huic veritati contradicunt, qui Ecclesiasticam Hierarchiam è medio tollere cupiunt; omnemque dignitatum, & magistratuum diuersitatem execrantur; vt fuerunt Waldenses, Anabaptistæ, & noui sectarij, præsertim Puritani. Sed illorum error non vnus est, sed ex pluribus coalescit. Quia vel negant, sacramentm Ordinis, vel Ecclesiaiticam potestatem, vel statum religiosum, & perfectionis; & ita diuersis in locis impugnatur: & nos quidem tractando de sacramento Ordinis, si Deus concesserit, distinctionem graduum, & dignitatum in Ecclesiastica Hierarchia contra hæreticos defendemus; & ibi aliqua de potestate Ecclesiæ addemus: quam simul cum potestate ciuili in defensione fidei, lib. 3. & 4. defendimus. Pro statu verò religioso, & perfectionis infrà pugnabimus.

2. *Ecclesia tã materialiter, quàm formaliter accepta statuum varietatem continet.*

Nunc ergo solùm aduertimus iterum, quod sutprà dictum est, posse Christi Ecclesiam dupliciter spectari, videlicet, materialiter (vt sic dicam) id est, quatenus est quædam hominum congregatio, in qua sunt plura temporalia regna ad naturalem finem, & commoditatem ordinata: vel formaliter, id est, quatenus est quædam spiritualis, & supernaturalis respublica; & vnum mysticum corpus, fide, eiusque professione, ac sacramentis vnitum sub vno capite Christo, eiusque Vicario, ad æternam felicitatem per media congruentia tendens. Nam sub vtraque ratione varietatem statuum continet. Vt enim dixi, ad priorem pertinent status libertatis, & seruitutis humanæ; item status plebeiorum, & nobilium: item status Regum, & aliorum Principium, & Magistratuum, quamuis hi magis ad officia pertineant, ac denique status coniugatorum, & solutorum, & similes. Hæc verò distinctio ad præsens non pertinet, vt suprà dixi, quia per se non ad spiritualem salutem, vel finem, sed ad temporalem ordinatur. Solùm circa statum matrimonii animaduerti potest, licet secundùm se, & prout est contractus quidam humanus, ad ordinem temporalium statuum pertineat; nihilominus, vt est sacramentum, ad spiritualem finem referti, & ex hac parte ad Ecclesiam Christi formaliter, vt talis est, pertinere, & inter eius status numerari. Quia vero in eo nihil spirituale inuenitur, præter peculiarem firmitatem, & indissolubilitatem, quam sacramentum addit humano vinculo, & spiritualem gratiam, & auxilia, quæ coniugibus confert, vt conuenienter ad vitam æternam illo munere vtantur, ideo specialis eius consideratio ad tractatum de Sacramentis pertinet. Præsertim, quia simpliciter loquendo, in ordine ad vitam æternam non excedit communem statum vitæ Christianæ; sed quia officium eius est quasi fundamentum necessarium ad Ecclesiæ conseruationem, & perpetuitatem, & peculiaris necessitas diuini auxilij in eo inuenitur, ideo per quoddam sacramentum illi peculiariter prouisum est.

*Status matrimonij vt sacramentum est pertinet ad Ecclesiam formaliter, vt contra-ctus humanus ad Ecclesiam materialiter.*

3. *In Ecclesia status qui ad commune bonum dirigitur, in clericalem & laicum diuiditur.*

Addimus ergo, etiam in Ecclesia Christi formaliter considerata varios status inueniri; & in hoc sensu veritatem hanc vt Catholicam supponimus, ex his, quæ in ista Ecclesia visibili oculis conspicimus. Vt autem ratio, & origo huius varietatis explicetur; sciendum est, duobus modis posse distingui status in Ecclesia sic spectata, videlicet, aut in ordine ad commune bonum, ac regimen spirituale Ecclesiæ; vel in ordine ad bonum spirituale singulorum. Priori modo distinguuntur in Ecclesia, status clericorum ab statu laicorum; & ad statum laicorum pertinent omnes, qui clerici non sunt; quia reuera hoc membrum non distinguitur ab alio, nisi per negationem illius particularis conditionis, quam status clericalis supra laicalem addit. Status igitur clericalis per spiritualem consecrationem, & dedicationem personæ ad spiritualia Ecclesiæ ministeria efficienda constituitur. Vnde per sacramentum Ordinis confertur proprie, licet per primam tonsuram aliquo modo inchoetur; ideoque eius origo quoad substantiam eius, est immediate de iure diuino, licet illi quoad modum, & initium eius, aliquid per Ecclesiam additum sit. Et sub hoc statu distinguuntur varij gradus pro diuersitate ordinum vsque ad Episcopatum. Si quis autem rectè consideret, hæc diuisio magis spectat ad diuisionem ministeriorum, ac officiorum Ecclesiæ, vt Ecclesia est, quàm ad propriam distinctionem statuum, de qua nunc tractamus, vt notauit D. Thomas 2. 2. quæst. 183 art. 2. ad 3. ex Isidoro lib. 6. Etym. cap. 19. & Caiet. ibidem in 1. Comment. ad finem. Et ad 2. notat ipse D. Thomas, officia dici, & distingui secundùm actus, qui ad alios ordinantur: modos autem viuendi, qui ad status pertinent, referri ad actus, qui conueniunt homini secundùm seipsum. Quanquam, vt addit ad 3. etiam officium interdum includat rationem status, propter actus sublimitatem. Et simili modo dixit ibidem Caietanus, officio, & ministerio adiungi rationem status; nimirum, quando perfectioni actionum stabilitas seu perpetuitas coniungitur, etiamsi non constituat personam in peculiari, ac proprio viuendi modo, ad suum spiritualem profectum specialiter instituto, & certis legibus, aut vinculis firmato, quem nomine status vitæ Christianæ propriè significare solemus.

4. *In Ecclesia prout ad bonum spirituale singulorum dirigitur, varij sunt religiosi status.*

Alio ergo modo distinguuntur in Ecclesia status in ordine ad bonum spirituale singulorum in tali statu viuentium, nimirum, vt in eo vnusquisque ad æternam salutem securiùs, & perfectiùs consequendam iuuetur: itemque ad maiora opera religionis, vel charitatis præstanda, inter quæ principalem quendam locum habent misericordiæ opera; & ideo etiam ad illa perficienda huiusmodi status ordinantur. Et ad hoc genus pertinent varij status religionis; & alij modi viuendi earum personarum, quæ vel continentiam profitentur; vel pauperum obsequiis, aut aliis operibus religionis, aut misericordiæ specialiter dicatæ sunt; de quibus in progressu huius operis dicendum est: nunc enim solùm supponimus hanc statuum varietatem in Ecclesia reperiri, prout illos nunc in ea conspicimus, semperque in ea fuisse, ex historiis, certaque sanctorum Patrum traditione, certi sumus. Vnde colligimus, morem hunc ex diuina institutione, saltem

quoad essentialia fundamenta, & generales rationes talium statuum, manasse; quanuis quoad particulares determinationes, & multa alia, quæ secundaria, vel accidentalia sunt, ab hominibus, non sine Spiritus sancti inspiratione, addita fuerint. Quæ omnia, tractando de particularibus statibus, melius declarabuntur.

5. *Status religionis ex diuina institutione manasse ostenditur.*

Nunc generaliter suaderi possunt ex doctrina Pauli 1. Corinth. 12. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, Prophetas, Doctores.* Quæ quidem diuisio per se ad diuisionem ministeriorum pertinet, vt idem Apostolus declarauit ad Ephes. 4. vbi eam varietatem enumerans, addit: *Ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Veruntamen, quia huiusmodi munera ad sancta, & perfecta opera ordinantur, si eis stabilitas addatur, solent, vt dixi, sub quodam gradu status Christianæ vitæ comprehendi. De alio verò modo statuum, quia ad spiritualem perfectionem propriam instituuntur, habemus Christi verba, qui Matth. 19. de cœlibatu dixit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est, &c. Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, qui potest capere capiat.* Et infrà de via perfectionis per voluntariam paupertatem, addit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* Et Paulus 1. Corinth. 7. cap. indicans hanc statuum differentiam, ait: *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic; alius verò sic;* & infrà: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do,* &c. Quæ testimonia cum aliis, in sequentibus latiùs expendenda sunt.

6. *Sicut in Ecclesia cælesti, ita in militante plures status inueniri debent.*

Nunc solùm addimus congruentiam, quæ ex proportione militantis Christi Ecclesiæ ad triumphantem sumitur. Propter quam sæpe in Euangelio hæc Ecclesia regnum cælorum appellatur. Et ob eandem causam Paulus ad Hebræos 8. & 9. ea, quæ in hac Christi Ecclesia peraguntur, & personas eius, cælestia vocat; vt ibi optimè Chrysost. & plerique Patres interpretantur. Vnde sicut in Ecclesia cælesti sunt varij gradus ministrantium, & assistentium Angelorum; ita etiam in Ecclesia militante inueniuntur: vt contemplatur egregie Dionys. cap. 1. de Eccles. hierarch. iuncto primo capite de cælest. Hierarch. Et simili ratione, sicut in Ecclesia cælesti sunt diuersi status in perfectione essentialis beatitudinis, & magna varietas in aureolis, & aliis accidentalibus præmiis; ita in hac Ecclesia militanti esse oportuit varios status, in quibus ad varios gradus beatitudinis, magis, vel minùs perfectos homines disponantur, & multiplices honores, ac præmia mereantur. Et sicut in patria cælesti illa varietas in magnam totius cælestis Reipublicæ pulchritudinem redundat; ita Ecclesia Christi hac statuum diuersitate maxime decoratur. iuxta illud Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* & infrà: *Omnis gloria eius, filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate.* Et hanc congruentiam confirmat, & declarat optime D. Thomas d. quæst. 183. art. 2. & ibi Caiet. Et loeupletari potest ex Gregorio lib. 4. epist. 52. alias cap. 96. vbi priùs docet, quantum hæc diuersitas statuum, officiorum, & graduum ad vnitatem, concordiam, & pulchritudinem Ecclesiæ pertineat; deinde verò addit: *Quia verò vnaquæque creatura in vna, eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit.* Et simpliciter Ignat. epist. 2. ad Trallian. ordinem, & concentum Ecclesiæ ex variis gradibus consurgentem, ad instar cælestis ordinis declarat.

His ergo declaratis, facile est ad quæstionem propositam respondere, statum vitæ Christianæ optimè in statum communis vitæ, & perfectionis distingui. Quam diuisionem necessariò hìc præmittimus, vt paulatim ad scopum, quem intendimus, accedamus. Declaratur autem diuisio in hunc modum. Nam, vt ex capite præcedenti constat, status vitæ Christianæ non est, nisi ratio aliqua viuendi stabilis, ac firma, ad salutem gratiæ in hac vita, & gloriæ in futura consequendam, ordinata, & instituta. Ratio autem huiusmodi vitæ duplex est: quædam est omnibus fidelibus communis, & generalis, quia est ad salutem necessaria: alia verò esse potest specialior, quæ præter ea, quæ necessaria sunt, plura media complectitur. Et vtraque ratio viuendi in suo gradu habet debitam perfectionem, & stabilitatem; ergo rectè inde duplex status consurgit vitæ Christianæ, communis, & perfectionis. Atque hæc diuisio, fere cum illa coincidere videtur, quæ ex Hieronymo traditur in cap. *Duo sunt.* 12. quæst. 1. Vbi duo genera Christianorum distinguuntur, scilicet, eorum, qui specialiter Deo dicati sunt, qui ibi Deo deuoti dicuntur, & laicorum. Et de laicis dicitur solùm teneri ad illa, quæ omnibus Christianis communia sunt; de aliis verò, ad peculiaria, & maiora obsequia teneri, pronunciatur. Vnde priores statum vitæ Christianæ profitentur; posteriores verò aliquo modo perfectiorem. Recte ergo dicta partitio subsistit. Verum est, Hieronymum sub Deo deuotis maxime clericos comprehendere, quamuis etiam addat conuersos: qui verò dicantur conuersi, & quomodo vtrique ad statum perfectionis pertineant, postea dicetur.

7. *Status vitæ Christiana in statum communis vitæ & perfectionis distinguitur.* *Ostenditur diuisio.*

Nunc amplius quoad singula membra dicta diuisio declaratur. Nam in Christiana vita duplex perfectio consideratur; vna est essentialis, quæ consistit in vita gratiæ, & charitatis; & ad hanc perfectionem ad minimum consequendam Christiana professio ordinatur; & necessaria, ac sufficientia media proponit: ergo ex hac parte sufficiens est ad statum constituendum. Aliunde verò etiam habet permanentiam, & stabilitatem, quia per Baptismum, tanquam per professionem fidei Christianæ, constituitur: Baptismus autem obligationes perpetuas inducit; & ita subiicit hominem Ecclesiæ, vt ab illius iure amplius subtrahi non possit. Et Baptismo additur Confirmatio, quæ licet nouam obligationem non addat, veluti complet illum statum, dando vires ad conseruandum, & defendendum illum; ergo in illa vitæ ratione sufficiens perfectio, & stabilitas reperitur. Dicitur autem status vitæ communis, non quia in illo non possint homines opera supererogationis facere, & in perfectione spirituali crescere, quantum voluerint, vtique à Deo adiuti; sed quia status ad hoc non obligat, nec specialia media confert, nec in illo genere operа peculiarem stabilitatem habent. Et præterea dici potest hic status generalis, quia omnibus necessarius est; & quantum ad id, quod habet stabilitatis, & perfectionis, in omni alio includi necesse est; quia est veluti substantia, & fundamentum cæterorum omnium.

8. *Declaratur amplius dicta diuisio.* *Dicitur status vitæ communis, non quia non possit homo crescere in perfectione, sed quia status ad hoc non obligat.*

Vnde status perfectionis ab hoc distinguitur, tanquam illi aliquid melius, & perfectius addens: ideoque ab illo tanquam includens ab incluso distinguitur. Explicatur, quia in vita Christiana est fundamentum totius salutis, & ad illum est necessaria; ergo illam includi in omni alio salutari statu necessarium est: ergo status perfectionis habet se, quasi per additionem ad statum vitæ Christianæ,

9. *Status perfectionis ab statu communis vitæ tanquam includens ab incluso distinguitur.*

stianæ. Distinguuntur ergo sicut includens, & inclusum. Quòd si in statu perfectionis id præcisè consideretur, quod supra statum vitæ Christianæ addit; sic comparabitur ad illam tanquam perfectio ad perfectibile; vel tanquam determinatio ad determinabile. Differentque, quia status vitæ Christianæ, quoad perfectionem, & stabilitatem, quam requirit, est quidem necessarius: non includit autem peculiarem vtilitatem. Et sub hac ratione status perfectionis præcisè, ac per se spectatus, est vtilior, seu ad melius esse; magisque ad ipsius vitæ Christianæ obseruationem adiuuans.

10. *Status perfectionis nō est ad obseruandam difficilior.*

Dices, si status perfectionis aliquid addit communi statui vitæ Christianæ, eo ipso erit onerosior, & ad obseruandum difficilior; ergo nec securior, nec ad obseruandum vtilior esse poterit: Respondetur, negando consequentiam: nam in primis, eo ipso, quòd status perfectionis includit quidquid est boni necessarij in communi vita fidelium; & aliquid boni, & honesti addit, ex eo capite melior est, & eo titulo perfectionis dici potest. Deinde facilitas bene viuendi magna ex parte ex maioti consuetudine honestè operandi oritur: status autem perfectionis postulat, & quantum ex se est, affert frequentiorem vsum bene operandi, & superandi difficultates, quæ in officio virtutis occurrere solent; & ideo ex se ad salutem animæ faciliùs consequendam, conseruandam, & augendam multum confert. Denique in tali statu sunt plura media, quæ ad virtutem iuuant; & minores occasiones legem Dei violandi: & ideo in tali statu maior etiam est vtilitas, vel securitas. Vnde ad obiectionem negatur consequentia, quia cætera non sunt paria: & quia non semper additio obligationis, addit difficultatem, vel periculum, quando id, quod additur, præstat etiam iuuamen, & auxilium ad totum onus faciliùs sustinendum.

*Est facilior, & vtilior & securior.*

11. *Diuisio status vitæ Christianæ sufficiēs adæquata est.*

Circa huius verò diuisionis sufficientiam non-nulla superest difficultas; quia talis esse debet diuisio status vitæ Christianæ, vt omnes fideles comprehendat, quia omnes fideles statum vitæ Christianæ profitentur: At verò in illa diuisione multi omissi sunt, eorum præsertim, qui speciales status profitentur. Vnde aliis modis diuidi solet status in plura membra. Nam Augustinus de Ancon. de potest. Eccles. q. 76. art. 1. statum distinguit in quatuor membra scilicet, coniugatorum, clericorum, religiosorum, & Episcoporum. Nam primus, ait, est cum perpetua obligatione: secundus est, cùm diuini cultus administratione: tertius est, cum operum perfectione, & supererogatione: quartus verò est, cum perpetua animarum institutione, & illuminatione. Aliis autem videtur etiam, diuisionem hanc non omnes fideles comprehendere; & ideo quintum membrum addunt, scilicet, fidelium solutorum; qui nec coniugati sunt; nec ad opera diuini cultus, vel institutionis animarum, nec perfectionis sunt deputati. Cùm enim non solùm detur status obligationis, seu seruitutis, sed etiam libertatis, vt præcedenti capite dictum est: non solùm ij, qui alicui obligationi, vel muneri addicti sunt, sed etiam, qui ab ea sunt liberi, quos solutos vocamus, in suo proprio statu constitui debent. Aliter verò D. Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 2. statum in tria membra diuidit, scilicet, incipientium, proficientium, & perfectorum. & in tota illa materia nullam aliam partitionem status nobis tribuit.

*Plura membra enumerat Augustinus de Ancon.*

*D. Thomas statum in tria membra diuidit.*

12. Nihilominus dicendum est, diuisionem à nobis datam, non solùm optimam, ac necessariam esse ad declarandum statum perfectionis, vt ostensum est, sed etiam esse sufficientem. Quod facilè probatur, quia & vtrumque membrum sub diuisō comprehenditur, vt ostensum est; & ipsa membra contradictoriè, seu priuatiuè opponuntur. Vnde sub ratione propria status spiritualis (vt sic dicam) nullum medium inter illa assignari potest. Deinde probatur sufficientia, conuertendo obiectionem factam; quia nullus potest esse status hominis fidelis, qui sub altero illorum membrorum non contineatur; quia necesse est, vt fidem Catholicam, eiusque obligationem omnes profiteantur, vnde necesse est, saltem sub priori membro comprehendi. Denique status vitæ Christianæ formaliter constituitur in ordine ad perfectam salutem animæ consequendam: hæc autem perfectio esse non potest, nisi vel essentialis, vel substantialis præcisè sumpta; vel per aliquam additionem, quæ illam formaliter perficiat: ergo non solùm per hæc membra conuenienter ille status diuiditur, sed etiam adæquatè; quia solus status perfectionis per se determinat, perficit, ac eleuat statum vitæ Christianæ: & omnis status, qui aliquid altius, vel aliquid supererogationis addit illi generi vitæ communis, sub statu perfectionis comprehenditur; qui verò nihil boni illi formaliter addit, sub generali ratione status vitæ Christianæ relinquitur: ergo est illa diuisio adæquata.

*Tradita diuisio sufficiens ostenditur.*

13. *Diuisio Augustini de Ancona sub nostra continetur.*

De partitione igitur quadrimembri ab Augustino de Ancona tradita, dicendum est, sub nostra bimembri contineri, & non omnino illam exhaurire. Nam ex tribus posterioribus membris, clericorum, religiosorum, & Episcoporum, duo posteriora sub statu perfectionis continentur, vt postea videbimus. De statu verò clericorum, strictè clericatum sumendo, vt ab Episcopatu distinguitur, sicut necesse est in illa partitione sumi: de clericatu (inquam) controuersia esse solet; nunc autem ad idem membrum illud reuocamus. In omni verò opinione certum est, sub altero ex dictis contineri. Quis enim dubitet, illum esse statum vitæ Christianæ? Imò, quia in illa perfectum quendam gradum habet, sub statu perfectionis nunc illum collocamus. Quomodo autem id intelligendum sit, postea videbimus. At verò primum membrum quadrimembris diuisionis, scilicet, status coniugatorum fidelium, clarum est, ad communem statum vitæ Christianæ pertinere. Nam coniugium de se nihil addit communi statui Christianorum in ordine ad spiritualem vitam, nec perfectionem aliquam vitæ, præter eam, quæ charitati est essentialis, quam Christianus status postulat. Dico autem ex vi status, quia in personis coniugatis, potest magna perfectio sanctitatis, & operum virtutis inueniri: quanquam status ipse nec illam requirat, nec peculiare adiutorium ad illam obtinendam, vel exequendam conferat; & ideo vocari solet status imperfectus, negatiuè vtique, non contrarie, aut priuatiue; non enim priuat charitatis perfectione, sed de se illam non promouet, imò aliquo modo impedit, vt 1. Corinth. 7. Paulus indicauit.

14. *Quadrimembris diuisio Augusti de Ancon non est formalis.*

Ex quibus colligi potest, diuisionem illam quadrimembrem quoad hanc partem, seu primum membrum, & non esse formalem, & diminutam esse. Primum declaro, quia licet status coniugatorum in Ecclesia Christi necessarius sit; formaliter tamen, ac per se non contrahit statum vitæ Christianæ; nec specialem statum vitæ

Christianæ ex hac parte constituit, sed tantùm quasi materialiter; quatenus generalis status spiritualis vitæ Christianæ in conjugatis reperitur. Et ideo D. Thomas tractando de statibus Ecclesiæ, vt talis est, nullam mentionem status matrimonij fecit. Nam, vt suprà dicebam, status ille de se communis est in omni humana republica perfecta, ex ipsa rei natura, quia est necessarius ad humani generis conseruationem. Quare si in Ecclesia Christi aliquid perfectionis ei additur ratione sacramenti; per hoc solùm est consecutus vel maiorem quandam firmitatem in ratione status, vel gratiam, & auxilium maius ad difficultates, & pericula illius status fortiùs superanda. Omnibus autem pensatis, in ordine ad salutem æternam, non excedit in perfectione generalem statum vitæ Christianæ; ideoque formaliter non constituit speciale membrum sub illo generali statu.

*Matrimonium etiã vt est sacramentũ, non constituit statum, sed pertinet ad statum vitæ Christianæ.*

15. *Est etiam diminuta*

Et hinc probatur altera pars de insufficientia. Quia sub illa diuisione non comprehenduntur fideles omnes non coniugati, qui nullum perfectionis statum assumpserunt; cùm tamen à generali statu vitæ Christianæ excludi non possint. Propter quod meritò in secundo dicendi modo, quintum membrum illi priori diuisioni addebatur. Et hoc modo illa duo membra coniugatorum, & solutorum prioris membri nostræ diuisionis subdiuisionem continent; quæ sunt veluti status libertatis, & seruitutis, vtique coniugalis. Vnde sicut status coniugalis non nisi materialiter determinat illum generalem statum vitæ Christianæ, vt explicaui; ita etiam status illius libertatis à conjugali vinculo per se tantùm spectatus, non nisi materialiter contrahit statum vitæ Christianæ. Nam oppositorum eadem est ratio, ad eundem enim ordinem pertinent. Potest autem inter hæc duo membra discrimen considerari. Nam status coniugatorum magis determinatus, ac restrictus est, & quodammodo magis elongatus à statu perfectionis, quàm status solutorum, seu libertatis. Nam status matrimonij, quantum ex se, non admittit secum statum perfectionis, saltem integrum, & consummatum, *Quia mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit.* vt Paulus dixit 1. Corinth. 7. qui etiam ad virum dicit: *Alligatus es vxori, noli quærere solutionem.* At verò status libertatis, seu solutorum, est de se indifferens; ac subinde personæ solutæ, quæ in illo sunt, magis capaces sunt status perfectionis, quàm coniugati. Et ex hac parte status matrimonij videtur quodammodo minus perfectus, quia magis repugnans statui perfectionis, magisque eius opera impediens, quanuis aliunde in firmitate status, & in remedio contra concupiscentiam, aliquo modo excedat.

16. *Quid dicendum de trimembri diuisione D Thom.*

Denique de trimembri diuisione à D. Thomæ tradita in cap. 4. dicemus; maiorem enim declarationem postulat. Nunc breuiter dicimus, illam esse veluti subdiuisionem quandam status perfectionis, non tam in diuersos status, quàm in diuersos gradus eiusdem status. Qualis erit in homine diuisio inter puerum, virum, & senem: & ita illa diuisio nihil obstat sufficientiæ nostræ partitionis. Nam in illa status perfectionis ab illis tribus gradibus abstrahit, & in quocunque sufficienter saluari potest.

## Caput III.

### *Quæ sit perfectio Christiana, ad quam status perfectionis ordinatur.*

1. Cvm status perfectionis ad ipsam perfectionem dirigatur, ac tendat, vt illum exactè intelligere possimus, necessarium est prius, quid sit perfectio, ad quam tendit, diligenter inquirere. Nam sicut omnis ars habet scopum suum, quò tendat, sine cuius cognitione nec intelligi, nec acquiri potest, ita etiam (vt optimè dixit Moyses Abbas in collat. 1. Cassi. c. 2.) *Nostra professio*, id est, perfectionis status, *habet scopum proprium, ac finem suum, pro quo omnes illius status labores sustinet.* Hic autem scopus non nisi Christianæ vitæ perfectio est: de hac ergo, quid sit, inquirimus, in qua inuestigatione multa dubitari possunt.

*Perfectio sine forma simplex, an plurium collectio.*

Primum est, an perfectio sit aliqua forma simplex, vel plurium collectio? Et ratio dubitandi est, quia hæc perfectio vitæ Christianæ, de qua tractamus, est perfectio vitæ spiritualis, & supernaturalis; hæc autem spiritualis vita multas virtutes requirit. In primis, fidem. Nam per illam dicitur Christus habitare in cordibus nostris, ad Ephes. 3. & ad Galat. 3. ait idem Paulus: *Omnes filii Dei estis per fidem.* Deinde spes, de qua dicitur ad Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Et 1. Ioan. 3. *Qui habet hanc spem, sanctificat se.* Tertiò, charitas, de qua dicitur ad Galat. 3. *In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et ad Roman. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, &c. Et 1. Corinth. 12. postquam Apostolus de gratiis variis Spiritus Sancti sermonem fecit, concludit: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Vtique viam charitatis, de qua cap. 13. subiungit, sine charitate cætera nihil valere. Ibi tamen indicat solam charitatem non sufficere, sed alias etiam virtutes esse necessarias, dum adiungit: *Charitas patiens est, benigna est.*

*Rationes dubitandi pro collectione formarum.*

2. Vnde in aliis Scripturæ locis aliis etiam virtutibus perfectio tribuitur. Nam ad Eph. 6. generaliter dicit Paulus: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Et infrà: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere, & stare in diemala, & in omnibus perfecti stare.* Vbi per *armaturam Dei*, concentum omnium virtutum intelligit, quas statim enumerat. Et in particulari de patientia dicitur Iacobi 1. *Probatio fidei nostræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Ac denique 1. Cor. 14. dicitur: *Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti.* Vbi nomine *sensuum* significantur virtutes moderantes passiones sentientis appetitus, quæ maxime ad perfectionem humanam necessariæ videntur. Vnde Greg. lib. 2. Mor. c. 26. aliàs 36. tranquillitatem animi, & totam boni operis structuram, in quatuor cardinalibus virtutibus consistere dicit; quia *Illæ sunt, quæ solidum nostræ mentis ædificium sustinent.* Vnde confici potest ratio; quia perfectum est, cui nihil deest: vt Aristot. definit; ergo perfectio hæc, de qua agimus, includit omnia, quæ in homine perfecto postulantur, hæc autem sunt omnes virtutes.

*Rationes pro forma simplici.*

3. In contrarium verò est; quia Theologi communiter cum D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 1. & 3. perfectionem vitæ Christianæ in solius charitatis perfectione constituunt ex Paul. ad Coloss. 3. vbi charitatem vocat *vinculum perfectionis.* Et Roman. 13. ait. *Plenitudo legis est dilectio.* Eademque est sanctorum Patrum sententia. Ait enim Aug. lib. de nat. & grat. cap. 42. ipsam charitatem esse, *verissimam, plenissimam, perfectissimamque iustitiam.* Vtique si charitas ipsa perfecta sit. Vnde cap. 70. subiungit: *Inchoata charitas, inchoata iustitia est, prouecta charitas, prouecta iustitia est; magna charitas, magna iustitia est; perfecta charitas, perfecta iustitia est.* Et Greg. lib. 28. Mor. c. vlt. tractans verba Pau-

ba Pauli ad Coloss.3 *Super omnia autem hac charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis*, ait, vocari vinculum perfectionis; *quia omne bonum quod agitur per illam, nectereat, ligatur*; quasi dicat, ab illa suam perfectionem, & stabilitatem accipere. Sicut homil.27. in Euang. dixit: *Quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur.* Et 3.p. Pastoral. admon.10. *Charitas*, inquit, *mater est omnium, custosque virtutum.* Idemque latiùs docet Prosper lib.3. de vita contemplat. cap. 33. plenissime laudes charitatis enarrans, eique quidquid perfectionis in vita Christiana cogitari potest, tribuens; & inter alia dicit de illa: *Iuncta Deo inseparabiliter, & vnita. Affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum*, &c. Et c. 14. ad hoc propositum explicat loca Pauli 1. Cor.13. & ad Galat.5. additque, *Nihil boni deesse posse, quibus charitas inest*; quod cap. 15. prosequitur. Ac denique Bern. serm.83 in Cant. propterea dixit, *Charitatem maritare animam Verbo.* Quod optime confirmat illa sententia Pauli 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo.*

4. *Ex dictis ratio desumitur ad probandam charitatem esse perfectionem Christianam.*

Vnde sumitur ratio, quia vniuscuiusque rei perfectio est vnio eius ad suum vltimum finem: noster autem finis vltimus est Deus, qui nobis per fidem manifestatur; ergo perfectio nostra in vnione ad Deum consistit: charitas autem est, quæ nos Deo vnit: nam per illam maxime adhæremus Deo; & ita per illam vnus Spiritus cum ipso efficimur, vt Paulus dixit, & significauit Ioannes 1. Canonic. cap. 4 dicens: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et Prosper suprà dixit, charitatem esse omnium affectionum maximam; ergo maxime nos vnit Deo: nullo enim perfectiori modo illi in hac vita vniri possumus, quam per amorem. Nam ille tendit in Deum prout in se est, & homines maxime illi subiicit, eiusque voluntati conformes reddit, quæ est perfectionis summa; ergo tota vitæ Christianæ perfectio, in charitatis perfectione posita est.

Hæc quæstio similis illi esse videtur, quæ de beatitudine tractari solet, an in vna, vel pluribus operationibus consistat? & quæ de forma iustificante disputatur, an sit vna simplex forma, seu virtus, aut collectio plurium: ita enim hic inquiritur; an hæc perfectio, de qua agimus, solius charitatis sit, vel collectionis omnium virtutum. Et quia magna ex parte potest esse quæstio de modo loquendi, aduertimus, tribus modis posse perfectionem tribui soli charitati, primò essentialiter, seu substantialiter: secundò principaliter. tertiò totaliter, vt causæ vnicæ, & adæquatæ totius perfectionis.

*Aduertendum tribus modis posse attribui perfectionem charitati*

In primo sensu res est clara; quia sine dubio essentia sanctitatis, & perfectionis in sola charitate posita est. Et hoc probant testimonia, & rationes posteriori loco adductæ. Cùm autem dicitur *sola*, vel non excluditur gratia gratum faciens, quæ vinculum amicitiæ cum Deo complet, quod vinculum nomine charitatis interdum significatur, vt in lib.6. de Gratia. c.13 & lib.7. cap.9. dixi: vel sermo est de perfectione, quæ in operatione, & in proximo eius principio consistit. Sic enim absque dubio Christiana perfectio in dilectione Dei, & in charitate, vt eius principio essentialiter consistit. Tum quia illa est, quæ in hac vita vnit hominem Deo: tum etiam, quia illa est, quæ sanctificat, & purificat cor, vt dicemus: in hoc autem essentia perfectionis consistit. Et declaratur per analogiam ad beatitudinem patriæ; in qua multæ quidem operationes necessariæ sunt; sed illa, vel illæ, quæ vniunt immediate beatum cum Deo, essentiales censentur, cæteræ accidentales. Sic ergo in via illa perfectio essentialis censetur, quæ maxime vnit, & assimilat animam Deo. Nam quo aliquis magis in charitate proficit, eo fit Deo similior: vt Augustinus dixit in enarrat. Psal. 99 circa finem. Ergo essentia Christianæ perfectionis in charitate consistit.

5. *Perfectio essentialis sumpta in charitate posita est.*

6. Atque in hunc modum exponit Caiet. D. Th. in 2.2.q.184.a.1. Nam D. Thomas ibi non dicit absolute perfectionem in sola charitate consistere, sed limitationem adhibere videtur, cùm ait, *specialiter* in illa consistere. Caietanus autem exponit, id est, *essentialiter*: imò existimat ita esse legendum, & emendandos esse codices, indicans in eos irrepsisse errorem. Sed hoc neque verisimile est, cùm sæpius illa vox in illo articulo repetatur, in titulo, in argumento primo; in corpore, & in solutione ad secundum: & nulla illius vocis inueniatur varietas in antiquis & nouis, ac emendationibus editionibus. Neque etiam est necessaria mutatio illius aduerbii, quia vox, specialiter, plura complectitur, & fortasse D. Th. omnia comprehendere voluit, & ideo variis terminis vsus est, vt ponderabimus. Quanuis ergo legamus *specialiter*, potest illa specialitas in hoc poni, quòd charitatis perfectio est essentialis vitæ Christianæ, cætera verò accidentalia sunt, esto sint necessaria; & hunc sensum indicauit D. Thomas in d.art.1.ad 2. & art.3. vt Caietanus bene animaduertit.

7. *Impugnatur charitatem esse perfectionem illam ad quam status perfectionis ordinatur.*

Potest verò quis dubitare, quia in præsenti non inquirimus quamcunque perfectionem vitæ Christianæ, sed illam, ad quam status perfectionis ordinatur: at verò status perfectionis non ordinatur per se, ac specialiter ad eam perfectionem charitatis, quæ est essentialis vitæ spiritualis, & Christianæ; ergo illo modo non satis explicatur perfectio, quam nunc inuestigamus. Minor patet, quia essentialis perfectio charitatis omnibus necessaria est, & ab omnibus postulatur, dicente Christo D. Matth.5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* In hoc enim illa perfectio consistit, vt Deum ex toto corde, & proximum, sicut nos ipsos diligamus: at hoc vniuersis hominibus præcipitur, vt constat Matth.22. ergo essentialis perfectio, quæ in substantia, & necessitate charitatis consistit, non est peculiaris scopus status perfectionis, sed generalis status vitæ Christianæ.

8. *Soluitur impugnatio.*

Respondeo charitatem ipsam in sua substantia, & entitate posse habere diuersos status, à quibus abstrahit charitas secundùm suam præcisam essentiam, quæ in quolibet illorum graduum saluatur. Quanuis ergo verum sit perfectionem charitatis essentialem præcise, & abstracte spectatam non esse finem proprium status perfectionis: nihilominus verum etiam est, aliquam perfectionem intrinsecam, & pertinentem ad aliquem gradum charitatis, esse suo modo essentiam, & substantiam illius perfectionis vitæ, ad quam status perfectionis ordinatur. Explicari hoc potest exemplo essentialis beatitudinis: nam generaliter sumpta eadem essentialiter est in omnibus beatis; & nihilominus vnus beatus in ipsa essentiali beatitudine perfectior est alio: & tota illa perfectio dicitur pertinere ad essentialem beatitudinem eius, qui illam participat, per comparationem ad accidentalem beatitudinem, illam perficientem. Sic ergo licet essentialis perfectio charitatis communis sit omnibus statibus vitæ Christianæ, nihilominus speciali modo, & secundùm quandam maiorem perfectionem suam intrinsecam dicitur esse finis status perfectionis. Quod in sequentibus punctis amplius declarabitur.

9. *Perfectio principaliter*

Secundò dicimus, etiam in secundo sensu verissimum esse, perfectionem vitæ Christianæ in charitate positam esse principaliter; & consequenter sta-

ter sumpta in charitate posita est. Probatur ex D. Th. & testimonijs Scripturæ.

ter statum perfectionis ad hanc perfectionem principaliter ordinari. Hoc etiam intendit D. Thomas suprà: nam in argumento primo obiiciendo infert, quòd *perfectio Christiana vita non consistat principaliter in charitate.* Vnde soluendo argumentum, planè sentit illo modo accipiendam esse assertionem. Et in solutione ad secundum concludit: *Perfectionem charitatis esse principalissimam respectu perfectionu, quæ attenditur secundum alias virtutes.* Et conuincitur manifestè ex testimoniis Scripturæ, & Patrum posteriori loco allegatis, præsertim ex illo Pauli ad Coloss.3. *Super omnia autem charitatem habete.* Nam quod est super omnia, principalissimum profectò est omnium. Vnde est illud 1. Cor.12. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* & c.13. *Maior horum est charitas.* Propter quod de charitate dixit Aug. 11. de Trin.c.18. *Nullum esse Dei donum illo excellentius*, vtique ex his, quæ ad perficiendam virtutem proximè ordinantur. Et ser.5. de verb. Domini, de eadem charitate ait: *Quid perfectius? quid vtilius? quid firmius? quid securius?* Quæ sunt quatuor conditiones ad statum perfectionis maximè necessariæ. Et plura habet Prosper d.lib.3. de vit. contempl. & Bern. d.serm. 83. in Cant. de amore Dei loquens, ait: *Solus est ex omnibus animæ motibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere autho i; vel de simili mutuam rependere vicem.* Præterea sequitur hæc pars ex præcedenti: nam in vnaquaque re id est principalius, quod ad eius essentiam spectat: sed perfectio animæ essentialiter in charitate consistit; ergo eiusdem charitatis perfectio principaliùs etiam ad eiusdem animæ perfectionem spectat. Denique, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: sed omnia, quæ in statu perfectionis, vt talis est, inueniuntur, & requiruntur, ad perfectionem charitatis ordinantur, vt mox videbimus; ergo perfectio ipsius charitatis est, in qua principaliter perfectio vitæ Christianæ consistit. Nec rationes dubitandi priori loco positæ contra hunc sensum procedunt, vt per se clarum est.

10. Perfectio totalis secundum rationem finis, & principalis mouentis in sola charitate consistit.

Circa tertium verò, scilicet, an hæc perfectio vitæ Christianæ totaliter in charitate consistat, aliqua distinctione, seu moderatione opus est; quia non ita est charitas sufficiens, vt cætera excludantur, sed potiùs, vt illam necessariò comitentur, & illi inniti debeant, vt ad perfectionem conferant. Vnde dicendum est secundum quasdam rationes, vtique finis, & principalis mouentis, perfectionem in vnica charitate consistere: at verò formaliter, & in ratione causæ proximæ elicientis seu ministrantis, perfectionem vitæ Christianæ non tantùm perfectionem charitatis, sed etiam virtutum cæterarum includere. Quæ resolutio tam clara est quoad singulas partes, vt sola ferè distinctiori explicatione indigeat. Prima ergo pars sumitur ex D. Thom.2.2.q.23.a.3.ad 3. vbi ait charitatem esse finem aliarum virtutum; & habet fundamentum in Paulo 1.Timoth 1.dicente: *Finis præcepti charitas de corde puro.* Vbi Ambr. *Quoniam omnium maior est charitas, hanc finem esse dixit, hoc est, perfectionis consummationem.* In Quibus verbis *finem* pro termino, & coronide, ac vltimo complemento videtur accipere: estque dictum illud verissimum; sub illa tamen ratione magis se habet charitas, vt forma, & complementum perfectionis: veruntamen nos de fine proprio, propter quem cætera fiunt, loquimur. Et hic etiam est sensus Pauli: nam omnium præceptorum finis est, vt Deus, sicut par est, diligatur; & in statu perfectionis ad hunc finem perfectè diligendi Deum omnia ordinantur. Vnde exponens eadem verba Augustinus dixit in Enchir. cap. 121. *Omnia præcepta diuina referuntur ad charitatem, de qua dixit Apostolus: Finis præcepti est charitas. Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum.* Et hoc extendit Augustinus ad consilia, dicens: *Quecunque mandat Deus, ex quibus vnum est: Bonum est homini mulierem non tangere; tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum.* Et in lib.1. de doctrina Christian.c.35.addit, dilectionem Dei, & proximi esse finem omnium Scripturarum, & totius dispositionis prouidentiæ Dei circa cæteras res omnes, quibus tanquam vehiculis, & instrumentis ad perfectionem charitatis consequendam vti debemus. Et similiter in Præfat. ad Psal. 140. dixit: *Quidquid salubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel de qualibet diuina pagina sculpitur, non habet finem, nisi charitatem.* Quod latè prosequitur explicando, cur dicatur de corde puro, vt distinguatur ab omni amore, qui non est secundùm Deum.

Probatur prima pars authoritate D. Thomæ.

11. Vera charitatis effectus formaliter purificare cor.

Videtur autem mihi Paulum, addendo illa verba, describere charitatem, quasi per effectum formalem suum: nam charitas vera est, quæ cor purificat, & nisi mundet cor, vera charitas non est; cum enim charitas cor faciat Deo summè adhærere, consequenter expellit à corde omnem prauam concupiscentiam, & sic purificat illud. Vti enim dixit Aug. lib 1. de doctr. Christ. c. vlt. *Illud est cor purum, quod vacuum est omni cupiditate, & vitioso amore sui, vt nihil aliud diligatur, quàm quod diligendum sit.* Sic ergo charitas mundat cor, prauas concupiscentias formaliter expellendo. Vnde dixit egregiè Chrys. hom. 32. in 1. ad Cor. quòd *si charitas regnaret, omnia mala procul abessent, & ad nomen vsque ignoratum esse vitium*; quoniam *charitas*, vt infrà adiungit, *ab omni mala agritudine puram conseruat animam.* Ex hoc autem quasi formali effectu charitatis ampliùs etiam explicatur, quomodo perfectio charitatis sit vnicus finis status perfectionis. Quoniam, vt Moyses Abbas rectè dixit in collat.1. Cassian. c.4. *Destinatio, seu scopus nostræ perfectionis*, id est, religiosi status, *est puritas cordis*: Cùm ergo charitas hanc puritatem formaliter tribuat, & tanto sit maior, quanto charitas fuerit perfectior, rectè concluditur, perfectionem charitatis vnicum finem huius status existere. Vnde optimè d. Abbas c.7. concludit: *Omnia igitur huius gratia nobis gerenda, appetendaque sunt, vigiliæ, labores, vt per illa ab vniuersis passionibus noxijs illesum parare cor nostrum, & conseruare possimus, & ad perfectionem charitatis istius gradibus inniterndo contendere.*

12. Probatur eadem prima pars ratione.

Ratione tandem confirmatur hæc pars, quia charitas respicit immediate Deum, in quem tendit, tanquam in vltimum finem; ergo omnia opera aliarum virtutum in hunc finem refert, quia omnia in finem vltimum referenda sunt. Ergo hoc modo ipsa est finis totius perfectionis. Dices, hinc solùm probari obiectum charitatis esse finem aliarum virtutum, & bonorum actuum earum; non verò ipsam charitatem esse huiusmodi finem. Respondeo vnum ex alio sequi. Nam dilectio Dei est etiam dilectio sui, id est, charitatis ipsius Dei: & ideo sicut Deus ipse; ita & dilectio Dei est cæterorum bonorum finis. Nam propter Dei amorem assequendum oramus, mortificamur, peccata etiam venialia vitare studemus, & sic de aliis. Item, sicut Deus ipse est finis vltimus obiectiuus; ita vnio ad Deum est quasi finis vltimus formalis, seu consecutio vltimi finis. Vnde, quia hæc vnio in hac vita per charitatem fit, ideo etiam ipsa charitas est finis, ad quem cæteræ actiones omnes vtilissime referuntur. Sub hac ergo consideratione in sola charitate perfectio vitæ Christianæ posita est.

13. Probatur secunda

Atque hinc facile est alteram partem probare, nimirum perfectionem status, de quo tractamus, quoad primariam causam mouentem ad omnia perfectionis

Ipse sibi ac perfectionem quodammodo augeant, & ad vitam in sola charitate consistere.

actionis opera, & illam suo modo efficientem, in sola charitate consistere. Probatur enim ex Paul. 1.Cor.13. dicente: *Charitas patiens est, benigna est: omnia credit, omnia sustinet*, &c. In hoc enim loquendi modo omnia virtutum opera vni charitati, tanquam mouenti, & operanti tribuit. Et hoc modo etiam dixit ad Galat.5. ad salutem necessariam esse fidem, *quæ per charitatem operatur*, vtique bona, & meritoria opera, quæ à fide procedunt. Nec refert, quòd Paulus dicat fidem per charitatem operari, quasi fidei in hoc genere operandi, & mouendi, & non charitati primatum tribuendo, cùm ipsa moueat charitatem. Hoc, inquam, non obstat, quia 1. Cor.13. etiam dicit: *Charitas omnia credit*. Et ibidem ait: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum*. Igitur fides, & charitas sese inuicem mouent ad modum intellectus, & voluntatis, fides proponendo obiectum charitati, charitas verò efficaciter imperando, tam fidem, quàm omnes alias virtutes ad finem suum ordinando; & ita operibus earum, vitam, & efficaciam ad meritum, & perfectionis consummationem tribuendo. Ergo sub hac etiam consideratione sola charitas est vitæ spiritualis perfectio.

14. Mas charitas omnes virtutes dirigit in Deum ad vnionem illarum, & earum virtutum finis est.

Prouenitque hæc perfectio ex priori. Nam, quia charitas & respicit finem vltimum, vt proprium obiectum, cui hominem vnit: & consequenter ipsa est finis aliarum virtutum: ideo & omnes virtutes dirigit ad Deum, imperando propter ipsum actus illarum, & quasi Deum imitando, omnia etiam ad se conuertit. Nam propter suam conseruationem, augmentum, feruorem, puritatem, aliásque similes perfectiones, omnibus imperat. Et hinc Chrys. hom. 32. in 1.Corint. charitatem appellat *fontem donorum, viam excellentem, quæ ad omnia charismata ducit; & matrem bonorum, & regale diadema, quod sufficit ad ostendendum perfectum charitatis discipulum*. Et addit: *ipsa transmutat rerum naturam, & accedit habens omnia in manibus, quantis matre mitior, quauis regina locupletior, & quæ sunt laboriosa, leuia facit, & facilia; virtutem quidem facilem, acerbissimum autem nobis reddens vitium*. Ex qua egregia consideratione addere possumus, charitatem esse vnicam perfectionem, & formam quasi constituentem cæteras omnes virtutes in statu perfectionis, non solùm, quia illis det complementum virtutis, ac perfectionis in ordine ad vltimum finem, & vim merendi; sed etiam, quia illis dat stabilitatem, ac firmitatem, dando eis efficacitatem ad resistendum contrariis, simulque eis præbet facilitatem, & iucunditatem in operando; quod ad statum virtutis, ac perfectionis maximè necessarium est.

17. Perfectio caritatis ab scholasticis sumpta non est sola charitatis essentia. Probatur ex D. Th.

Nihilominus tamen, loquendo in tertio, & vltimo sensu suprà proposito, absolutè dicere non possumus in sola charitate totaliter consistere Christianam, vel spiritualem perfectionem; vel vnicam formalem perfectionem vitæ Christianæ esse charitatem. Ita significat D. Thomas d. q.184. art.1. in solutionibus argumentorum. Nam in 1. obiecerat verba Pauli 1.Corinth.14. *Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti*. Et respondet, *charitatem radicaliter sensus perficere*: dicens autem *radicaliter*, sentit aliam esse perfectionem, qua formaliter perficiuntur. Illam verò perfectionem sensuum refert D. Thomas ad concordiam in doctrina; quam etiam charitas efficit, iuxta illud 1.Cor.1. *Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia*. Tamen optime exponitur de sensibus, id est, iudiciis rationis, ad discernendum inter bonum, & malum, quod ad viros perfectos pertinet, quos Apostolus à paruulis distinguit: pendet autem præcipue illa perfectio ex affectu; & ideo etiam à charitate maxime prouenit. Et in 2. argum. ex verbis Paul. ad Ephes.3. *Accipite armaturam Dei*, &c. D. Thomas intulerat, perfectionem virtutis Christianæ non solùm attendi secundùm charitatem, sed etiam secundùm alias virtutes. Et in responsione id plane concedit: declarat tamen, in charitate simpliciter; in aliis autem virtutibus secundùm quid positam esse. Et rationem reddit, *Quia perfectio charitatis est principalissimum respectu perfectionis, quæ attenditur secundum alias virtutes*. Ergo aliæ etiam virtutes suo modo formaliter ad perfectionem conferunt. Et in solutione ad 3. in particulari de patientia dicit, non sufficere ad perfectionem, nisi charitate roboretur, & informetur. Non tamen negat per se addere aliquam perfectionem: vt alibi expressiùs docet. 1.2.q.66.a.4.ad 2. & 2.2.q.136.a.2.ad 1. Ait enim illam sine charitate quasi nihil esse, quanuis necessaria sit, vt homo simpliciter perfectus esse possit. Iuxta id, quod scribit Iacobus: *Vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes*. Quæ verba confirmant assertionem positam; & eandem probant rationes dubitandi in principio propositæ.

16. Declaratur quo pacto, aliæ virtutes ad perfectionem eo ferant. Et primò conferunt vt instrumenta charitatis.

Vt autem hoc meliùs intelligatur, explicandum est, quomodo aliæ virtutes, vel operationes earum ad perfectionem vitæ Christianæ conferant. Variis enim modis id potest explicari. Et in primis Moyses Abbas d.collat.1.c.7. dicit conferre instrumentaliter; sic enim inquit: *Ieunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt; quia non in illis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem*. Ex quibus vltimis verbis colligi potest loqui Moysen de illis actibus, vt antecedunt perfectionem charitatis, & munditiam cordis perfectam, & ad illam viam parant, & disponunt: sintque media vtilissima, & moraliter necessaria. Et in hoc sensu lato modo vocare illa instrumenta. Quæ quidem instrumenta in principio requiruntur ad remouenda impedimenta perfectionis, qualia sunt solicitudo rerum temporalium, & omnes affectiones inordinatæ, quarum moderatio necessaria est ad perfectionem charitatis, de qua tractamus; & sic concurrunt, vt pura media, vel dispositiones remotæ ad perfectionem. Post acquisitam verò perfectionem charitatis, aliæ etiam virtutes perfectæ necessariæ sunt per se, & propter honestatem suorum actuum. Quia verò non perfectè operantur, nisi ex motione charitatis: ideo dici possunt requiri, vt instrumenta ipsius charitatis, vel propriùs, vt facultates proximæ, quibus ipsa charitas vtitur ad perfectos illarum actus exercendos, quibus & ipsa augetur, magisque, ac magis perficitur, & interdum etiam conseruatur. *Quia probatio dilectionis exhibitio est operis*; præsertim quando illud ad salutem necessarium est: nam, qui diligit, mandata seruat, & si perfecta sit charitas, etiam consilia, & meliora opera exerceat cum promptitudine, & fœcunditate, ad quam multum conferunt cæteræ virtutes, licet charitas omnes perficiat.

17. Conferunt etiam vt accidentia perfectioni essentiali.

Vnde alio modo possunt dici virtutes conferre ad perfectionem per modum accidentium. Quia omnis perfectio alicuius rei creatæ, vel essentialis est, vel accidentalis. Si ergo in vita spirituali sola charitas ad essentialem perfectionem pertineret, vt dictum est, & cæteræ virtutes aliquam etiam perfectionem conferunt; recte concludi videtur solam accidentalem perfectionem addere posse. Et hoc etiam cõfirmat exemplum suprà adductum de beatitudine vltima vitæ futuræ. Nam in illa omnis perfectio propria beatitudinis, quæ essentialis beatitudo non est, nec pars illius, ad accidentalem beatitudinem pertinere censetur. Ergo similiter in statu viæ omnis perfectio, quæ non vnit per se animas Deo, licet necessaria sit ad perfectionẽ formę vnientis ani-

tis animum Deo, accidentalis erit. Et hoc sentire videtur D. Th. in d. a. 1. ad 2. Nam per *perfectionem simpliciter*, intelligere videtur essentialem, quæ est quasi substantia rei. Vnde consequenter perfectionem aliam vocat *secundum quid*, vtique tanquam accidentalem. Et ita etiam sentit Caietanus.

18. *Non dicitur simpliciter perfectus, nisi qui cum charitate alias virtutes possidet.*

In his autem terminis, *simpliciter* & *secundum quid*, oportet notare ex D. Thoma 1. p. q. 5. a. 1. ad 1. aliter referri ad ens, aliter ad bonum: nam ens dicitur simpliciter tale ratione sui esse substantialis; bonum autem simpliciter non dicitur, si debitis accidentibus careat, quia sine illis non est perfectum, quod nomine boni significatur. In præsenti ergo aliæ virtutes comparatæ ad charitatem in suo esse, & quasi in abstracto, sunt perfectiones secundum quid; charitas vero simpliciter; comparatæ vero ad habentem, quatenus illum bonum reddunt, & perfectum: sic omnes, & singulæ virtutes dici possunt necessariæ ad perfectionem simpliciter. Nam bonum ex integra causa, & perfectum, cui nihil deest; ideoque malum ex quocunque defectu; & imperfectum simpliciter est, cui aliquid perfectionis necessariæ deest: & è contrario ille denominabitur perfectus simpliciter, cui neque minimum quid deest, iuxta illud Iacobi 1. *Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Tamen etiam hoc modo comparatæ virtutes ad charitatem, quatenus cum illa concurrunt ad hominem simpliciter perfectum constituendum; est magnum discrimen inter illas. Nam si contingeret hominem habere charitatem sine aliqua alia virtute, esset solum imperfectus quoad aliquid accidentale; & absolute dici posset essentialiter perfectus, latiori modo, id est, iustus, & sanctus. E contrario vero, si alias virtutes habeat sine charitate, mortuus est, & nihil est, & non solum imperfectus, sed etiam malus simpliciter est (vt Scriptura loquitur) & ideo perfectio ab aliis virtutibus proueniens, comparatione charitatis, merito accidentalis, & secundum quid appellatur.

*Habis charitatem, si careat aliqua virtute, dicitur imperfectus quoad aliquid accidentale.*

19. *Obiectio.*

Obiici vero potest, quia sequitur, solam charitatem mereri augmentum essentialis beatitudinis, cæterarum autem virtutum opera solum mereri accidentalia præmia; cum tantum sint accidentia Christianæ perfectionis. Propter hoc aliqui concedunt sequelam, & approbant consequens. Nos vero consequens illud falsum esse, & maxime cauendum in proprio quodam opusculo ostendimus, & ideo cõsecutionem facile negamus, quia aliarum virtutum opera ab ipsa charitate principaliter habent, quod sint meritoria. Vnde sicut accidentia in virtute substantialis formæ attingunt substantiam; ita opera omnium virtutum ex influxu charitatis attingunt (vt sic dicam) substantiam ipsius charitatis, & ipsam in se augent; & consequenter præmium essentiale merentur. Et ideo diximus illa esse instrumenta, & media ad ipsam perfectionem, vtique essentialem consequendam, & augendam, quod possunt præstare, vel meritorie augendo ipsam charitatem habitualẽ, vel disponendo ad melius exercendos actus priores ipsius charitatis, vel auferendo impedimenta, vt dictum est, vel impetrando auxilia, vel merendo, quibus perfectius eliciantur.

*Soluitur. Non solum charitas, sed aliæ virtutes ab illa informatæ sunt meritoriæ præmii essentialis.*

20. *Proponitur difficultas sumta à fide & spe.*

Nonnulla vero difficultas in hoc superest specialiter de perfectione fidei, & spei; videntur enim hæ virtutes ad essentiam Christianæ iustitiæ pertinere: vnde cum proportione earum perfectio ad essentiam Christianæ perfectionis pertinebit. Item quia fides, & spes, Deum ipsum immediate attingũt, & illi vniunt animam: fides quoad intellectum, spes quoad affectum Dei, vt est summum hominis bonũ; ergo licet vnio charitatis ad Deum sit perfectior; nihilominus non est tota vnio, nec sola sufficiens ad perfectam vnionem cum Deo; ergo tota hæc perfectio dici debet essentialis vitæ Christiani. Et de fide quidem videtur id maxime probabile: tum, quia est principium, & fundamentum necessarium totius vnionis, & ascensionis animæ ad Deum in hoc statu viæ; tum etiam, quia perfectio huius vitæ maxime videtur in contemplatione consistere; cum in illa etiam beatitudo huius vitæ posita sit, vt communiter cum D. Thoma traditur 1. 2. quæst. 3. art. 3. At cõtemplatio essentialiter est intellectus operatio, vtique opus fidei perfectum. Vnde verba illa Christi: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, Ioan. 17. de statu præsentis vitæ à multis Patribus, & expositoribus intelligitur. Deinde spes licet non tam necessaria, sicut fides esse videatur; nihilominus pro statu viæ videtur valde essentialis. Tum quia hic est status tendentiæ in beatitudinem; nemo autem potest in illam tendere, nisi illam speret. tum etiam, quia vix posset homo amare Deum summe propter seipsum, nisi cognosceret, amaret, & speraret illum, vt summum bonum suum.

21. *Explanatur difficultas.*

Veruntamen hæc difficultas magna ex parte potest esse de modo loquendi, & similis tractari solet de beatitudine perfecta, an in vno actu, vel in pluribus cõsistat. Et de forma iustificante, an sit vna simplex forma, vel plures essentialiter includat, & præsertim tres virtutes theologales, quam in lib. 7. de Gratia. cap. 9. late tractaui, & probabilius duxi, fidẽ, & spem, licet omnino necessariæ sint ad iustificationem viæ, & possint aliquo modo dici de substantia, vel integritate illius: nihilominus tamen gratiam, vel solam, vel ad summum charitati coniunctam, esse formam essentialem iustificationis. Idem ergo cum proportione dicendum censeo in præsenti, hac obseruata differentia, quod iustificatio, quasi in receptione, & passiua (vt sic dicam) deificatione animæ posita est, & ideo forma illius maxime est gratia sanctificans. Perfectio vero consistit in operatione, vel proxima habitudine ad illam, & ideo in sola charitate, & amore Dei propter seipsum essentialiter constituitur. Nam, vt dixit Bernardus d. serm. 83. in Cantica. *Amor sibi abundat, amor cum venerit, cæteros in se traducit, & captiuat affectus. Propterea, qui amat, amat, & nihil aliud nouit Sponsus, & sponsa sunt, quam quæris aliam inter sponsos necessitudinem, & connexionem, præter amari, & amare.* Vnde infert ibi tacitè Bernhardus, etiam virtutem Religionis, & affectum ad opus eius, quod est honorare Deum, non pertinere ad essentiam perfectionis; quia in omnibus eminet amor, & sine illo nihil placet. Vnde adiungit: *Et quidem soli Deo honor, & gloria. sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint.* Quod similiter de fide, & spe dici potest. Vnde infert. *Is* (vtique amor) *per se sufficit, ipse meritum, ipse præmium, sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum*, &c. quæ eleganter, ac piè prosequitur.

*Perfectio consistit in operatione, vel proxima habitudine ad illam, ac proinde in sola charitate.*

22. *Fides & spes veluti materialiter solum ad perfectionem & quiruntur.*

Fides ergo, & spes, quamuis materialiter (vt sic dicam) ad perfectionem necessariæ sint, nihilominus essentia perfectionis in charitate sola meritò collocatur. Tum quia ipsæmet fides, & spes, nisi charitate formentur, nomen perfectionis non merentur, cùm mortuæ sint, & quasi nihil censeantur. Vnde est illud Augustini 15. de Trinit. cap. 18. *Dantur & per Spiritum sanctum alia munera, sed & sine charitate nihil prosunt.* Quod etiam repetit homil. 10. de verbis Domini, & habet fundamentum in Paulo 1. Corinth. 13. & Iacobi 1. & 1. Ioan 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Tum etiam, quia fides, & spes non sunt per se necessariæ ad perfectionem, sed solùm ratione imperfectionis, quæ in homine supponitur in statu viæ: vnde non tam propter se, quàm propter charitatem postulantur; & ideo sola charitas quasi regina, & essentia perfectionis reputatur. Quamuis negari non

posse

possit fidem, & spem multo altiori ratione, maioriq; vinculo, ac necessitate coniungi charitati, quàm reliquas virtutes, ideoque perfectionem earum non tam accidentalem esse, quàm substantialem, & ad essentialem proximè accedere, & posse aliquo modo de integritate censeri. Nam fides est fundamentum, spes autem fulcimentum charitatis dici potest. Et hoc probant rationes dubitandi propositæ. Idemque cum proportione dicendum est de beatitudine huius vitæ, & contemplatione. Nam probabilius est, beatitudinem huius vitæ, in amore consistere: vt docuit Can. lib. 9. de locis. cap. 9. & in 1.2 suo loco diximus, & in sequentibus dicemus contemplationem in amore præcipuè consistere; eumque essentialem eius perfectionem dici posse, licet sine mentis cogitatione esse non possit.

*Beatitudo & contemplatio huius vitæ in amore consistit.*

## Caput IV.

## *Qualis perfectio charitatis per statum perfectionis intendatur.*

1. Diximus perfectionem vitæ Christianæ esse ipsam, charitatis perfectionē, & addidimus non solam essentialem perfectionem eiusdem charitatis per statum perfectionis intendi, sed cum additione aliqua, seu peculiari augmento, aut excellentia, quia sola essentialis perfectio communis est, aut esse debet omnibus Christianis secundùm debitum fidei viuentibus; quia ergo in charitate vltra essentialem perfectionem multæ aliæ inueniuntur, explicare oportet, quam illarum status perfectionis exigat, vel respiciat. In quo in primis cogitari potest aliquis amor Dei infinitæ perfectionis, & comprehensionis (vt sic dicam) diligibilitatis Dei, eique adæquatus. Et de hac perfectione charitatis non est sermo, vt dixit D. Thomas d.q.84. a.2. quia est simpliciter impossibilis creaturæ: perfectio autem, de qua agimus, debet esse possibilis, & vt talis apprehendi; alioquin intendi non posset, nec vt scopus status perfectionis proponi.

*Primus non requiritur amor Dei infinitæ perfectionis, & comprehensionis.*

2. Deinde potest considerari perfectio amoris, quæ perpetuitatem, atque immutabilitatem in actuali amore sine interruptione requirat, & tantam puritatem cordis includat, vt nullam venialem culpam, nec minimum defectum, aut difficultatem in exequenda Dei voluntate secum admittat. Et de hac etiam non est sermo, vt idem Doctor sanctus adiungit; quia illa perfectio est propria Beatorum; viatoribus autem secundùm legem ordinariam, & seclusis priuilegiis est impossibilis. Hic autem tractamus de perfectione charitatis, ad quam possit in hac vita perueniri, & ideo etiam possit medio statu perfectionis intendi. Vnde Moyses Abbas in d. collat. 1. c. 4. distinguit finem ab scopo, seu destinatione status monachalis; dicitque perfectionem patriæ esse finem monachi, perfectionem autem viæ, quam in cordis puritate ponit, esse scopum, seu destinationem monachi. Veruntamen etiam scopus in præsenti rationem finis habet: nam est intentus per media illius status; & ideo etiam destinatio vocari potest, non quatenus vox illa actum, vel propositum mentis significat; sed quatenus ad significandam perfectionem intentam, quatenus ad illam tendit mentis destinatio, transfertur. Sunt ergo fines, & scopus tam quam finis extrinsecus, & intrinsecus, remotus, vel proximus, quorum proximus in hac vita acquirendus est; remotus verò sperandus in futura: illa ergo perfectio charitatis, quæ propria est patriæ, ad præsentem considerationem non spectat.

*Neque etiā requiritur actualis amoris immutabilitas, qua nullum patiatur defectum vel venialem.*

3. Præterea in charitate viæ variæ perfectiones vltra essentialem spectari possunt. Nam essentialis perfectio in hoc ponitur, quòd diligatur Deus propter seipsum ex toto corde, & animo, seu super omnia apretiatiuè. Hoc autem fieri potest per charitatem habitualem in actu primo, vel per actum secundum, q. est veluti perfectio addita habitui charitatis, & est extra essentiam eius. Deinde vtroque modo fieri potest, vel per charitatem remissam; vel per intensam; & ideo alia perfectio augens intrinsece charitatem vltra essentialem exigentiam eius, est intensio secundùm latitudinem graduum. Præterea ex parte obiecti potest esse maior, vel minor extensio; præsertim in actu charitatis. Primò, quatenus non solum Deus, sed etiam proximus per illum amatur. Secundò respectu Dei per quandam habitudinem ad effectus, vel obiecta voluntatis Dei maior, vel minor extensio in ipso Dei amore inueniri potest. Nam, qui ita amat Deum super omnia, vt tantùm includat formale, vel virtuale propositum nunquam illum grauiter offendendi, neque se ab illo auertendi propter quamcunq; causam, vel creaturam, illum amat cum maiori limitatione, & minori cordis extensione, quàm qui illum ita diligit, vt propter ipsum omnem leuissimam offensam, seu culpam vitare proponat, & adhuc vniuersaliorem Dei amorem habet, qui ex amore non tantùm implere omnia præcepta, & vitare omnia, etiam leuia peccata, sed etiam diuina consilia seruare, & media, quæ ad perfectionem conducunt assumere, in corde suo statuit. Et in hoc genere potest multa varietas cogitari; quatenus plures actus amoris fieri possunt, quibus maius, vel minus bonum diuinum extrinsecum non solùm per simplicem beneuolentiæ affectum ametur, sed per intentionem absolutam, quæ ex parte amantis ad executionem tendat, vt est amor placēdi Deo in omnibus, vel in pluribus magis, vel minus arduis, vel ad maiorem, vel minorem Dei gloriam pertinentibus. Huiusmodi enim perfectio, licet extensiua vocetur ex parte obiecti, reuera est intensiua in actu, non secundùm latitudinem graduum, hoc enim non semper est necessarium, sed secundùm individualem perfectionem, seu entitatem ipsorum actuum. Denique considerari potest alia perfectio in charitate, quæ præter intrinsecam perfectionem actus, vel habitus necessaria moraliter est ad exercendam charitatem, & per illam imperandum opera honesta propter, & delectabiliter, constanter, ac frequenter; & hæc perfectio quodammodo est extrinseca, id est, adiacens charitati. Nam ex consortio aliarum virtutum, & moderatione, & ablatione impedimentorum consurgit. Meritò ergo inuestigamus, qualis perfectio charitatis in statu, vel per statum perfectionis intendi debeat. Et vt distinctiùs res intelligatur, de singulis sigillatim dicetur.

*Plures charitatis perfectiones, & gradus.*

4. *Virum perfectio charitatis intenta ab statu perfectionis in habitibus an in actibus consistat.*

Primò ergo inquiri potest, an hæc perfectio in habitibus, vel in actibus consistat? seu an in actu primo, vel secundo? Aliquibus enim placet consistere in actu secundo perfectæ operationis. Primò, quia reuera beatitudo in actuali operatione posita est: vt ex 1.2. supponitur; ergo & perfectio huius vitæ. Probatur consequentia, quia in tali perfectione videtur beatitudo huius vitæ consistere. Secundò, quia sicut perfectio patriæ consistit in actuali consecutione, & tentione finis vltimi; ita perfectio viæ in actuali tendentia posita est: tendimus autem actualiter per actum charitatis, non per habitum; ergo in tali actu consistit perfectio. Tertiò, quia perfectio consistit in eo, quod præcipitur, vel consulitur, præcipiuntur autem, vel consuluntur non habitus, sed operationes. Ergo.

*Probatur primò consistere in actibus.*

2.

3.

5. *Vera sententia. Aliqui à contra existimant in*

Alij verò constituunt hanc perfectionem per modum habitus, non quòd in sola charitate habituali; etiam intensa, posita sit; sed in illa talem statum habente, vt promptè, & sine impedimento ex parte subiecti actus suos tam elicitos, quàm imperatos exercere

habitu consistere non absolutè, sed in disposito, vt promptè, & sine impedimento ex parte subiecti actus elicere, & imperare valeat. Probatur primò.

exercere valeat, etiamsi actum nullum eliciat. Probatur primò, quia hic est scopus status perfectionis sic dicti, quia est via ad perfectionem, seu modus viuendi aptus ad obtinendam illam. Quia non tenditur per illum statum ad vnum aliquem actum, vel continuam operationem, sed ad virtutes acquirendas, & frenandos affectus, & tollenda omnia impedimenta: ita vt homo ad eam dispositionem permanentem, & stabilem perueniat; in qua veluti connaturaliter quibusdam temporibus Deum amet, & aliis alia opera virtutis exerceat, & semper, quantum fragilitas huius vitæ patitur, minima etiam peccata euitet. Hæc ergo dispositio, & status personæ, quasi per modum habitus permanens, est perfectio vitæ Christianæ, de qua tractamus. Vnde argumentor

Secundò.

secundò, quia potest quis esse perfectus in hac vita, licèt nullum specialem actum valde perfectum elicuerit. Ergo signum est, hanc perfectionem non consistere in actu aliquo perfectissimo, sed in permanente dispositione, quam obseruantia status perfectionis cum frequentia actuum reliquunt. Antecedens patebit facilè in homine, qui constanter, ac frequenter, seu regulariter, & diu charitatis actus, & opera perfectionis exercet cum moderata intensione: nam ille peruenire poterit ad statum perfectorum, etiamsi in singulis actibus non sit multum feruens, sed cum mediocritate, & æqualitate semper operetur, vt in cap. 6. magis explicabitur.

6. Probatur tertiò.

Vnde arguitur tertiò; quia aliàs, qui feruentem actum charitatis tam in conatu, quàm in amplitudine obiecti semel eliceret, consecutus esset perfectionem charitatis, quæ hominem in hac vita in statu perfectorum constituit, etiamsi nec tales actus multiplicaret, neque haberet passiones edomitas, nec promptitudinem perfectè operandi. Respondent aliqui concedendo sequelam, dummodo talis homo illum bonum actum nunquam retractauerit. Quia tunc in eo permanet virtualiter, & apud Deum sanctior est, & maiorem gloriam obtinebit, quàm is, qui in actibus minus intensis diu se exercuit, & ideo apud Deum perfectior est, etiamsi apud homines non ita esse videatur. Sed hoc falsum est; tum, quia supponit, actus remissos non valere ad meritum augmenti gratiæ, & sanctitatis, quod falsum, & absurdum est: vt tractatu de Gratia, & latiùs in relectione secunda diximus; tum etiam, quia supponit solam intensionem habituum, vel vnius actus sufficere ad perfectionem, de qua tractamus, quod statim impugnabimus. Tum denique, quia illo modo diceretur homo perfectus per denominationem extrinsecam, seu moralem ab actu præterito, quod statim per se falsum, & contra omnem sensum apparet.

Proponitur & impugnatur prima responsio.

7. Proponitur & impugnatur secunda.

Vnde alij minus improbabiliter respondent, vnum actum non sufficere, nisi moraliter continuetur per frequentiam actuum, sine interruptione voluntaria, sed sola naturali, vel ita parua, vt pro nihilo reputetur; & in tali continuata operatione dicunt consistere perfectionem huius vitæ, quia non est capax maioris perseuerantiæ in actuali operatione. Qui modus dicendi probabilis est; nihilominus tamen simpliciter loquendo probabilius ponitur hæc perfectio in actu primo cum quadam habitudine speciali ad perfectionem, & frequentiam actuum secundorum. Quia reuera hæc denominatio hominis perfecti, realis, intrinseca, & permanens, ac durabilis est, etiam dum homo nihil operatur actu; & ideo ab intrinseca forma reali, ac permanente sumi debet: & ideo neque vnus actus, nec actuum frequentia sola potest esse forma, seu perfectio, à qua homo perfectus denominatur. Quia cessante actu, etiam per Physicam tantùm interruptionem, vt est in somno, homo habet in se perfectionem illam, à qua perfectus denominatur; sicut habet scientiam, à qua sapiens constituitur. Vnde potest Deus hominem subitò constituere perfectum sine actibus illius, sola sua efficacia, mortificando passiones eius, infundendo habitus, etiam acquisibiles per actus, & constituendo eum in ea dispositione quasi habituali, & permanente, ad quam homines perfecti per magnam exercitationem peruenire solent. Quod fecit in Beatissima Virgine à primo instanti conceptionis, auferendo fomitem, & virtutes infundendo. Et quanuis tunc Virgo aliquem voluntatis actum habuerit, vt probabilius est, tamen potuit illam perfectionem permanentem sine actu habere, si Deus vellet; & de facto non habuit illam ab actu, licet cum actu illam habuerit.

B. Virgo à primo instanti conceptionis perfectionem à Deo accepit.

8. Perfectio antecedenter & consequenter non tamen formaliter in actuali operatione consistit.

Actualis ergo perfectio per frequentiam actuum, & præcedere debet secundùm ordinariam legem, vt ad illam permanentem, ac perfectam dispositionem perueniatur; & moraliter non conseruabitur illa proxima habilitas, & promptitudo ad bene operandum sine frequentia similium actuum: & hoc modo dici potest perfectio consistere antecedenter, & consequenter in actuali operatione; non tamen formaliter. Et confirmari hoc potest ex his, quæ Basilius tradit hom. 10. in Exaëm. circa finem. Vbi ponderat priùs dictum esse Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, & postea solùm esse repetitum, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam. Quia ipse ad imaginem in ipso puncto creationis obtinuit homo, insignire autem similitudine Dei, relictum est nobis acquirendum, certa animi destinatione, & efficaci, ac operatoria actione.* Per similitudinem enim perfectionem animi intelligit, quam non dicit esse actionem, sed per actionem comparari, & sic per modum formæ permanentis inesse. Et ad hoc etiam explicandum, & confirmandum iuuare possunt, quæ de formali causa iustificationis, quòd sit habitus, & non actus, diximus lib. 7. de Gratia. cap. 8.

9. Soluuntur argumenta prioris sententiæ, & primò primum.

Nec contra hoc obstant coniecturæ in priori sententia adductæ. Ad primam negatur consequentia, & ad probationem dicitur, perfectionem huius vitæ non consistere in beatitudine sumpta in illo rigore, & proprietate, sed in statu, & dispositione personæ, quæ ad operationem illam exercendam temporibus opportunis conueniens est. Nam beatitudo huius vitæ imperfecta est, & ideo non potest esse in continua, ac perpetua operatione. Et consequenter non potest homo semper, ac continue esse beatus in illo sensu, ac proprietate; potest autem semper, ac continue perfectus esse. Nisi quis velit aliquem vocare felicem, etsi in illo puncto actu non operetur. Sicut Christus Dominus dixit Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pauperes spiritu. Beati mites*, &c. quæ non dicunt actualem operationem, sed bonam personæ dispositionem. Vel etiam sicut dixit Augustinus, homines in statu Innocentiæ quandam beatitudinem habuisse, in qua permanebant, etiam quando actu non operabantur. Et sic negandum erit ad beatitudinem imperfectam esse necessariam actualem operationem continuam, sed iuxta status capacitatem. Sed hoc ad modum loquendi pertinere videtur. Vnde simili modo dicitur ad secundum, actualem tendentiam continuam non esse necessariam ad perfectionem viæ; quia non est tali statui possibilis secundum communem legem: sufficiet ergo proxima habilitas & dispositio, quæ quidem per actualem operationem maxime perficietur; & quo frequentiùs, & per actus perfectiores illam quis exercuerit, eo erit perfectior. Ad tertium dicitur, perfectionem consuli quoad statum,

Beatitudo huius vitæ vtpote imperfecta non requirit actualem, & continuam operationem.

Soluitur secundum.

Soluitur tertium.

tum, & permanentiam, etiam si proximè consulantur actus, per quos talis perfectio, seu dispositio personæ acquirenda est.

10. Secundo dicendum est de perfectione intensionis, in qua sola perfectionem hanc, de qua tractamus, aliqui constituunt. Quia quo aliquis habet, gratiam, & charitatem intensiorem, eo simpliciter sanctior est: ergo est etiam perfectior; quia hæc perfectio in sanctitate maxime postulatur. Iuxta hunc ergo modum, tunc charitas dicetur perfecta, quando peruenit ad certum gradum intensionis excedentis communem cursum iustorum hominum, in quo gradu poterit esse maior, & minor perfectio; aliquis autem gradus, tanquam minimus in eo statu necessarius erit: quantus autem ille sit, Deus nouit.

*Ad perfectionem nulla requiritur certa tensio charitatis probatur.*

Sed hoc nobis non placet. Vnde dico, nullam certam intensionem charitatis habitualis ad hanc perfectionem esse necessariam; ac subinde nec solam intensionem etiam magnam ad hanc perfectionem sufficere, nec requiri; quanuis cæteris paribus multum ad hanc perfectionem conferat. Probatur in primis generaliter tota resolutio. Quia contingere potest, vt aliquis habeat habitus gratiæ, & charitatis valde intentos, & non habeat mortificatas passiones, nec actus heroicos, vel perfectos virtutis frequenter, vel ordinarie faciat; sæpiusque veniialiter peccet: hunc autem nemo dicet esse perfectum, vel perfectionem charitatis assecutum. E contrario verò fieri potest, vt aliquis habens charitatem minus intensam, moderatos habeat affectus; ita vt facile, & ordinarie venalia vitet peccata, & constanter virtutem operetur, ac proinde in statu perfectorum sit. Ergo hæc perfectio, à qua nimirum homines vocantur perfecti, non habitus intensionem, sed aliam conditionem, seu dispositionem personæ postulat, quæ ex aliis qualitatibus consurgit, quanuis intensio ad illam inuari possit.

11. Antecedens, quoad priorem partem facile ostenditur in multis personis reuera timoratis, quoad cauenda peccata mortalia: vnde longo tempore in gratia viuunt; & communia opera virtutis, vt eleemosynæ, orationis, ieiunij, & similia faciunt, & frequenter Sacramenta recipiunt, vel etiam quotidie celebrant; & nihilominus sine graui Dei offensione delicioseviuunt, libere loquuntur, vel otiose, vel impatienter, vel cum similibus defectibus operantur. Ac denique quoad opera supererogationis, imperfecto modo viuunt. In his ergo possunt habitus gratiæ, & charitatis esse valde intensi, vel ex diuturnitate temporis cum aliquibus bonis, ac meritoriis operibus: vel etiam, & maxime ex opere operato propter frequentem, & diuturnum vsum Sacramentorum. Et nihilominus perfectioni non student: vnde nec perfecti sunt; ergo sola gratiæ intensio non sufficit. E contrario verò alius breuiori tempore, & sine tanto vsu Sacramentorum, maiori tamen diligentia potest passiones moderari, & vitare frequentiam venialium, aliaque impedimenta virtutis, & occasionem peccatorum, ac defectuum tollere, ac subinde sine tanto augmento intensiuo charitatis ad statum perfectorum ascendere. Ergo nullus certus gradus intensionis sufficit, vel necessarius est ad hoc perfectionis genus. Ratio autem est, quia hæc perfectio in quadam conuenienti dispositione, seu habilitate proxima ad perfecte operandum iuxta Christi præcepta, & consilia posita est: hæc autem bona dispositio cum maiori, & minori charitatis intensione obtineri, & subsistere potest; quia nec ex sola intensione prouenit, & licet intensio iuuet, quod ex ea parte defuerit, facile poterit aliunde suppleri.

*Hæc perfectio posita est in quadam proxima dispositione ad perfecte operandum iuxta Christi præcepta, & consilia.*

12. Vnde colligitur fieri aliquando posse, vt aliquis, *Corollarium.* qui ad gradum perfectorum peruenerat, ab illo ca-

dat, & imperfectus simpliciter fiat, etiamsi mortaliter non peccet, & consequenter eandem gratiam sine diminutione, aut remissione retineat. Quia sine peccato mortali charitas perdi non potest, nec per venialia peccata, aut imperfecta opera remitti tur; vt nunc supponimus. At verò ad cadendum à statu perfectionis sufficere potest frequentia peccatorum venialium voluntaria, cum nimia indulgétia in propriorum affectuum, vel voluptatum persecutione citra culpam grauem, & nimiam remissionem, vel omissionem perfectorum actuum virtutis. Secundò colligitur, posse aliquem apud Deum esse sanctiorem, & nihilominus esse imperfectiorem, id est, in gradu inferiori quoad modum perfectionis existere. Et consequenter posse aliquem minus perfectum in hac vita ad perfectiorem beatitudinem in altera peruenire. Nec hoc est inconueniens quia vera sanctitas apud Deum, & ius ad æternam beatitudinem attenditur secundùm gradus charitatis, & gratiæ: perfectio autem huius vitæ attenditur secundum affectum, & dispositionem hominis ad operandum in hac vita, cum promptitudine, facilitate, ac vitæ puritate. Dices, etiam sanctitas, & beatitudo futura datur vnicuique secundum opera sua. Respondeo, esto ita sit, nihilominus possunt interdum opera conferre ad maius meritum propter multitudinem, & temporis diuturnitatem, & non esse apta ad aliam perfectionem consequendam. Et præterea illud argumentum sanctitatis, & beatitudinis prouenire potest ex applicatione meritorum Christi per Sacramenta, quæ tunc quoad illam partem, tanquam nostra reputantur: & nihilominus ad effectum acquirendi aliam perfectionem in hac vita non accommodantur, nec applicantur.

*Bene potest perfectus fieri imperfectus, quin mortaliter peccet, & charitatis intensionem minuat.*

*Bene potest quis simul esse sanctior & imperfectior alio perfecti, & ad maiorem beatitudinem peruenire.*

*Solutio obiectio.*

13. Tertiò dicendum est de alio genere perfectionis charitatis, quasi extensiuæ ex parte obiecti, quæ duplex distinguebatur; vna est ad dilectionem proximi; alia dici potest extensio ad placendum Deo, implendo voluntatem eius; de priori videri potest ad hanc perfectionem charitatis per se non pertinere, quia perfectio animæ in sola Dei vnione consistit. Sed hæc vnio sola dilectione Dei fit; ergo vnio ad proximum per dilectionem eius ad perfectionem non pertinet. Nec refert, quòd dilectio proximi sit ad salutem necessaria, & ad ipsam dilectionem Dei: nam inde solùm sequitur hanc dilectionem sequi ad essentiam perfectionis, seu comitari illam sicut etiam sequitur aliorum præceptorum obseruantiam, non tamen, quod ad illa formaliter, ac per se pertineat; sicut in beatitudine eadem visione videtur Deus, & creaturæ in ipso; & nihilominus creaturæ non pertinent per se ad obiectum beatificum, nec visio, vt ad illas terminatur, beatificat, sed tantùm vt terminatur ad Deum: vt est, vulgare dictum Augustini, de quo aliàs. Si ergo amor proximi per se ad perfectionem animæ non pertinebit.

*Extensionem charitatis ad dilectionem proximi non videri necessariam ad perfectionem Creaturæ visa in Deo non pertinent per se ad obiectum beatificum.*

14. Nihilominus absolutè dicendum est, amorem proximorum per se pertinere ad vitæ Christianę perfectionem, & ad statum perfectionis. Ita docet absolutè D. Thomas d. q. 84. a. 2. ad 3. ad latiùs a. 3. additis nonnullis limitationibus, & declarationibus, vt mox videbimus. Sumitur etiam ex Augustino in Enchirid. cap. 121. Nam priùs dicit, charitatem esse finem omnis præcepti; & postea subdit, *Charitas qua ppe ista est Dei, & proximi*, & addit probationem; *quia in his duobus præceptis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*, Matth. 20. Quem locum exponens D. Thomas d. a. 3. ait, vtrumque præceptum coniungi, quia vtrunque per se, & essentialiter pertinet ad charitatem, principaliter verò, ac per se primò, prout ad Deum, secundariò verò prout ad proximum terminatur. Ratio prioris partis est, quia vna, & eadem

*Absolutè dicendum extensionem charitatis ad dilectionem proximi per se pertinere ad perfectionem.*

charitas est, quæ ad Deum, & proximum inclinat, & ita vtraque habitudo, vel potiùs habitudo ad vtrumque obiectum, ad essentiam eius pertinet; ergo vterque amor essentialiter ad charitatem pertinet, ac subinde perfectio charitatis secundum vtrumque respectum essentialis est. Confirmari, ac declarari potest, quia ipsamet dilectio proximi est aliquo modo dilectio Dei, saltem virtualis, quatenus Deus est ratio diligendi proximum, & ideo sicut electio medii est virtualis dilectio finis; vel sicut adoratio imaginis transit in prototypon; ita dilectio proximi transit in Deum, & hac ratione per se pertinet ad perfectionem charitatis, & aliquo modo vnit hominem Deo.

15. *Dilectio proximi pertinet ad perfectionem, sed secundariò.*

Ratio verò alterius partis est, quia Deus propter se diligitur, & proximus propter Deum; ergo primariò Deus. Item amor charitatis à Deo descendit ad proximum, & circa proximum, quasi materialiter, versatur: formaliter autem semper respicit Deum; ergo perfectio charitatis per se primò est in amore Dei, in amore autem proximi ad summum per se secundò. Et hoc confirmat exemplum de obiecto beatitudinis: nam creaturæ visæ in Deo sunt secundarium obiectum beatitudinis, & non computantur inter ea, quæ accidentalia sunt, sed per se censentur connexa cum beatitudine, & visione iuxta gradum, & modum eius. Denique declarari hoc potest exemplo vitæ actiuæ, & contemplatiuæ; vtraque enim ad perfectionem, imò ad beatitudinem etiam huius vitæ necessaria censetur: simili ergo modo in vita Christiana, & spirituali perfectio vnitiua, seu contemplatiua, & actiua distingui possunt; & vtraque ad consummatam perfectionem huius vitæ necessaria est. Ex illis autem prior pertinet ad amorem Dei; posterior verò ad amorem proximi; & ideo vterque amor ad perfectionem huius vitæ necessarius, vnusquisque in gradu suo, & cum mutua connexione, & radicatione in eadem virtute charitatis Dei. Propter quam dictum est à Paulo Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* & Ioan. 1. can. cap. 3. dixit: *Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Non quia dilectio proximi, vt sic transferat de morte ad vitam, sed quoniam est certum signum spiritualis vitæ; quia est certum indicium dilectionis Dei, cum qua est per se connexa. Vnde dixit Augustinus epist. 29. *Nemo diligit proximum, nisi diligens Deum.*

16. *Extensio dilectionis Dei ad implendam eius voluntatem pertinet ad perfectionem charitatis per se primò.*

Vnde à fortiori concludimus, alteram extensionem dilectionis Dei ad implendam voluntatem eius pertinere ad perfectionem charitatis, non tantùm per se secundo, sed etiam per se primo, quia pertinet ad formalem amorem ipsius Dei, ipsumque perficit, & complet. Tum quia hoc modo amor non solùm est affectiuus, sed etiam obedientialis, vt vocant. Tum etiam, quia quidquid boni per talem amorem concupiscitur, ipsi Deo, tanquam personæ ex beneuolentia amatæ diligitur: ergo totum hoc ad perfectionem primariam charitatis, quæ est in amore Dei, pertinet. Præterea declaratur in hunc modum, quia ad statum perfectorum maximè pertinet concupiscentiæ moderatio, seu immoderatæ concupiscentiæ extinctio: hoc autem fit per amorem Dei, quatenus extenditur ad placendum illi in omnibus; ergo hæc amplitudo charitatis ad perfectionem maximè pertinet. Et hac ratione dixit Augustinus d. epist. 29. charitatem esse fortem, sicut est mors: vt dicitur Cant. 8. *Quia sicut mors animam auellit à sensibus carnis; sic charitas a concupiscentiis carnalibus.* Et idem ferè habet in Enchirid. cap. 121. dicens: *Minuetur cupiditas, charitate crescente.* vtique (vt ego intelligo) quoad hunc affectum placendi Deo in omnibus. Et secundùm eandem rationem videtur ibi exponere charitatem esse finem omnium præceptorum, & consiliorum, quia ad Dei voluntatem faciendam impleri debent. Sic etiam lib. 83. quæst. q. 36 dixit: *Charitatis venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium, nutrimentum eius est imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.* Hæc autem diminutio cupiditatis, si in se consideretur, per inferiores virtutes, quibus charitas imperat, formaliter fit; ergo ad propriam, & formalem perfectionem charitatis pertinet habere vim, & efficaciã imperandi totam illam concupiscentiæ expugnationem. Hanc autem non habet, nisi quatenus diligendo Deum, vult illi placere in omnibus, eiusque voluntatem implere.

17. *Probatur ex D. Thom.*

Atque hanc veritatem intendit D. Thomas d. q. 184. art. 2. dicens, ad perfectionem charitatis huius vitæ pertinere, vt ab hominis affectu excludat quidquid impedit, ne voluntas eius totaliter feratur in Deum. Distinguit autem ibi perfectionem excludendi omne illud, quod contrariatur charitati; vel excludendi quidquid impedit totaliter tendere in Deum per affectum: & priorem dicit esse de necessitate charitatis, ac subinde essentialem illi; posteriorem autem dicit, non esse necessitatis; quia sine illa in incipientibus, & proficientibus esse potest. Vnde tacitè innuit, esse de necessitate charitatis secundùm eum statum, quem in perfectis habere debet: ac subinde pertinere ad illam perfectionem vitæ Christianæ, ad quam status perfectionis ordinatur. At verò prior perfectio essentialis charitatis requirit extensionem affectus efficacem ad omnia præcepta Dei implenda; ergo posterior perfectio consistit in extensione amoris Dei ad omnes eius voluntates implendas, etiamsi non præcipiendo, sed consulendo illas nobis significet; seu requirit propositum faciendi quidquid quacunque via, vel ratione nobis constiterit esse magis bene placitum Deo. Ergo hæc perfectio charitatis maximè ad statum perfectionis desideratur; & qui illa magis excuerit, vel (vt ita dicam) liberalior cum Deo fuerit, eo indies perfectior euadet. Et de hoc genere dilectionis dixit Aug. in Enchir. cap. 73. non esse multitudinis fidelium, vel communium iustorum, sed *esse perfectorum filiorum Dei, quia valde magnæ, & beneficentissimæ bonitatis existit.*

18. *Quid sit intensio, & extensio in charitate.*

Solùm potest in hoc notari diuersitas in modo loquendi. Nam D. Thom. suprà ad tertium, & ibidem Caiet. hanc perfectionem dilectionis, quatenus extenditur ad contemnenda omnia temporalia, & sustinenda mala propter Deum, vel proximum, intensionem potius, quam extensionem charitatis vocant. Existimo tamen tantum esse differentiam in æquiuocatione vocis: nam interdum quæcunque excellentia amoris, qui circa eandem personam versatur, intensiua perfectio appellatur; extensiua verò, quæ ad plures personas extenditur. Et ita loquitur vterque Thomas. Nos autem solam illam perfectionẽ, quæ præcisè consistit in latitudine graduum ex maiori conatu circa actum, qui non solùm circa eandem personam, sed etiam circa illud bonũ, quod ei concupiscit, versatur, intensionẽ vocamus. Quando verò amor, licèt circa eandem personam versetur, vel maiora, vel plura bona illi vult, illã vocamus extensionem amoris in bono concupito; quę esse potest, vt dixi, sine maiore conatu potentiæ propter diuersitatem obiecti; & consequenter cum maiori perfectione saltem indiuiduali talis actus, etiamsi in intensione graduali non excedat. Nam hoc etiam modo maior perfectio amoris appretiatiui solet ab aliquibus vocari maior intensio, cum tamen reuera non consistat in maiori conatu, nec in latitudine graduali, sed in excellentiori modo amandi secundum ipsammet actus perfectionem: vt in tractatu de Gratia, & de Charitate latius explicatur.

*Sola perfectio, quæ consistit in latitudine graduum dicitur intensio.*

Tandem

19. Tandem facilè intelligitur ex dictis, quid dicendum sit de vltimo perfectionis gradu, seu statu, qui non consistit in aliquo modo intrinseco ipsiusmet habitus, vel actus charitatis, sed in consortio aliarum circunstantiarum, & in conditionibus personæ per charitatem perfectæ. Dicendum est enim, etiam hoc perfectionis genus requiri, vt charitas in vitę statu perfecto esse censeatur; vel vt homo in statu perfectorum esse absolutè, ac simpliciter dicatur, ad eum modum, quo virtutum connexio necessaria est, vt singulæ virtutes simpliciter haberi censeantur, & hoc probant omnia, quę hactenus dicta sunt. Quę perfectio spiritualis vitæ Christianæ requirit cordis puritatem, & habilitatem quandam in ipsamet charitate ad promptè operandum in tota sua materia, siue eliciendo, siue imperando, & ad cauendum non tantùm omnia contraria, sed etiam omnes defectus, qui feruorem eius impedire possunt. Hic autem charitatis gradus sine administrulo, & consortio aliarum perfectionum, quales sunt moderatio passionum, abnegatio rerum temporalium, & similes, haberi non potest; ergo hæc omnia necessaria sunt ad perfectionem simpliciter vitæ Christianæ.

*Tertia perfectio charitatem requirens etiam ad perfectionem Christianam.*

20. Possunt autem hæc omnia duobus modis considerari; vno modo, vt formaliter, & proprio ac peculiari modo hominem afficiunt; alio modo vt charitati obiiciuntur, & ex charitate amantur, ac procurantur. Priori modo non perficiunt charitatem intrinsecè, sed quasi extrinsecè, ac moraliter constituendo illam ex parte subiecti in statu habili ad perfectum vsum suæ perfectionis, & operationis, quod in rigore satis est, vt illa omnia dicantur ad statum perfectionis necessaria. Secundo autem modo spectata augent intrinsecè ipsum charitatis affectum, quasi extensiuè ex parte obiecti. Et hoc modo talis perfectio valdè vtilis, ac moraliter necessaria est in statu perfectionis. Nam (sicut Augustinus dixit) tunc vitia rectè superari, quando ex charitate vincuntur; ita contemptus temporalium, & abnegatio propriarum affectionum, ac omnis abdicatio ad spiritualem perfectionem necessaria, tunc solida sunt, quando ipsamet charitate Dei amantur, & procurantur: hæc autem extensio amoris intrinseca eius perfectio est, & ad illam, quæ in proximo præcedenti puncto explicata est, reuocatur.

## Caput V.

### *Quid sit status perfectionis, quáfve conditiones requirat; & ab ipsa perfectione quomodo distinguatur.*

1. Quæstionem hanc sub aliis terminis tractat D. Thomas 2. 2. q. 184. art. 4. vbi inquirit, vtrum quicunque est perfectus sit in statu perfectionis? & è conuerso etiam interrogare posset, an omnis, qui est in statu perfectionis, perfectus sit? in quibus quæstionibus virtute includitur altera à nobis proposita; an illa duo, perfectio, & status perfectionis, distincta sint? Imo à priori, ab hac pendet priorum resolutio; quanuis à posteriori ex priorum decisione distinctio inter illa duo manifestè comprobetur.

*Vtrum possit aliquis esse perfectus, quin sit in statu perfectionis, & etiam si perfectionis statum non profiteatur; & è contrario posse aliquem existentem in statu perfectionis, & non esse perfectum.*

Respondet ergo ad priores interrogationes D. Thomas, contingere posse aliquem esse perfectum, etiamsi perfectionis statum non profiteatur; & è contrario posse aliquem existentem in statu perfectionis, & non esse perfectum. Et vtrumque est certum, & experientia notum: omnes enim religiosi sunt in statu perfectionis, & tamen non omnes sunt perfecti; imò plures possunt non esse iusti. Et è contrario multi seculares, & coniugati possunt esse perfecti, & tamen non sunt in statu perfectionis. Et ratio prioris partis est; quia potest aliquis esse obligatus, & non implere obligationem suam; & habere aliquod munus, & non exercere illud: Sicut etiam potest quis esse in statu Matrimonij, & illud non consummare, vel officium eius non exercere. Ita ergo contingit in statu perfectionis; quia etiam supposito statu, perfectio ex libertate hominis pendet.

*Esse in statu perfectionis quam sit perfectum.*

Ratio autem alterius partis est, quia licet status sit commodus ad perfectionem acquirendam; nihilominus non est medium necessarium; & ideo potest extra statum perfectionis ad perfectionem peruenire. Dices, consiliorum obseruantia, & executio non tantum vtilis, sed etiam necessaria est ad perfectionem obtinendam, vt infrà dicetur; Ergo non potest ad perfectionem peruenire sine aliquo statu perfectionis. Respondetur, negando consequentiam. Primò, quia sine statu perfectionis potest quis opera consiliorum exercere, & per illa spontanee, & sine vlla status obligatione facta, poterit ad perfectionem peruenire. Secundò, quia ad perfectionem animi obtinendam non est necessarium omnia consilia integrè obseruare, sed aliqua interdum sufficient: vt licet aliquis virginitatem, aut continentiam integram non obseruet, cauendo illicitam continentiam, & aliquid consilii in ipsa continentia coniugali obseruando, & aliqua opera perfectionis, vt orationis, pœnitentiæ, & mortificationis voluntariè, & sine speciali obligatione exercendo, poterit ad perfectionem peruenire; idemque de consilio paupertatis, & aliis sigillatim sumptis dici potest.

1. *Impugnatio, & eius solutio.*

*Ad perfectionem non requiritur integra obseruantia omnium consiliorum.*

Hinc ergo euidenter concluditur responsio ad quæstionem propositam, nimirum perfectionis statum ab ipsa perfectione distingui. Probatur ab effectu, quia de facto illa duo inter se, ac mutuo separantur; ergo in reipsa distinguuntur. Probatur consequentia, quia separari non possunt, nisi quæ distincta in re sunt; quia idem à seipso separari non potest. Vt autem à priori magis constet, oportet explicare, quid vtrumque illorum sit. Et quoniam de perfectione ipsa quid sit, satis est dictum in præcedenti capite; de statu perfectionis addimus, comparari ad perfectionem, sicut actum primum ad secundum, seu tanquam medium ad finem. Probabitur hoc facilè rationem, seu quasi essentiam huius status explicando; sic enim describi potest: Status perfectionis est quædam vitæ professio, seu quidam viuendi modus, firmus, & stabilis ad propriam perfectionem vitæ Christianæ obtinendam, vel exercendam institutus. Quam descriptionem ex citato loco D. Thomæ sumo, vt mox explicabo.

3. *Status perfectionis à perfectione distinguitur.*

*Probatur.*

*Definitio status perfectionis.*

In illa ergo, loco generis ponitur illud, *est modus viuendi*, seu *professio vitæ*, vtique Christianæ; quia in Ecclesia varij sunt viuendi modi non solùm in ordine ad temporalem vitam, sed etiam in ordine ad spiritualem, & Christianam, cum quibus status perfectionis in hac generali ratione conuenit. Explicatur etiam illa voce conditio, & ratio huius status meliùs, quàm nomine *ministerii*, *muneris*, aut *officii*, vt denotetur hunc statum per se primò non ordinari ad aliorum vtilitatem, sed ad propriam perfectionem illius, qui talem statum profitetur, licèt consequenter possit ad aliorum iuuamen institui, quatenus iuuare alios, actus perfectionis est, per quem ipsa perfectio vel acquiritur, vel exercetur, & crescit. Et ita per hoc genus distinguitur hic status ab his, quæ in Ecclesia propriè ministeria appellantur, & à statibus formaliter distinguuntur, vt in principio diximus. Quia officium, seu ministerium propriè dicitur illud, quod in aliorum vtilitatem per se primò institutum est, & assumitur, & ideo hanc obligationem per se primò inducit. Status autem perfectionis per se ordinatur ad spirituale bonum professoris illum; consistitque in quadam norma, &

4. *Explicatur definitio.*

*Discrimen inter hunc statum, & officium, siue ministerium.*

modo viuendi ad perfectionem assequendam, vel exercendam accommodato.

5. Vnde reliquæ particulæ loco differentiæ conuenienter adhibentur. Nam, vt in simili dixit D. Thom. 2. 2. quæst. 183. art. 3. quæ ad operationes ordinantur, per eas distinguuntur, & specificantur: omnes autem status Christianæ vitæ ad opera eiusdem vitæ ordinantur, & ideo status perfectionis per habitudinem ad specialia opera vitæ Christianæ, seu spiritualis constituendus est; inter illas verò descriptionis particulas, aliquæ adduntur ad rationem status in hoc viuendi modo magis declarandam; quæ omnes intelligentur meliùs explicando conditiones ad hunc statum constituendum requisitas.

6. *Quinque conditionis ad statum perfectionis requiruntur.* *Prima vt sit viuendi modus externus.* D. Thomas ergo in illo articulo quarto duas conditiones ad hunc statum expressè requirit, & Caietanus addit tertiam, & vterque duas alias tacitè supponit; & ideo ad maiorem claritatem quinque numerare possumus. Prima conditio est, vt hic viuendi modus sit externus, & visibilis, & consequenter, vt per externam actionem, vel quasi professionem assumatur. Hanc supponit D. Thomas in principio d. art. 4. & rationem optimam reddit, quia hic status non tantùm attenditur in ordine ad Deum, qui solus intuetur cor, sed etiam in ordine ad Ecclesiam, quæ visibilis est, & de occultis non iudicat. Vnde, vt sic dicam, non est status angelicus, sed humanus; ergo opus est, vt per actiones constituatur, quæ hominibus, & visibili Ecclesiæ innotescere possint. Et confirmatur: nam diximus suprà, hanc statuum varietatem ordinariam ad communem profectum fidelium; tum ad Ecclesiæ militantis pulchritudinem, ornatumque; ergo per actionem externam constitui debet. Denique ob hanc causam alii status, vel munera Ecclesiæ per actiones externas conferuntur: vt status coniugalis per sacramentum matrimonii; clericalis per ordinationem visibilem, Episcopalis per consecrationem, & Christianitatis per Baptismum. Quocirca, si quis extra omnis status professionem externam perfectionem ipsam assequatur (vt suprà diximus fieri posse) erit apud Deum in statu perfectionis, vel potiùs assequetur gradum perfectæ charitatis, & modum operandi perfectorum; & nihilominus apud Ecclesiam statum perfectionis non habebit. Imò licèt quis voto interno, vel omnino occulto ad certum modum viuendi se obliget propter maius bonum spirituale suum, maiusque Dei obsequium, id non sufficiet ad proprium statum ecclesiasticum, de quo tractamus, licèt aliquid ad instar eius participare possit, vt infrà tractando de variis statibus perfectionis declarabimus.

7. *Secunda conditio vt aliquam obligationem habeat permanendi in tali genere vitæ.* Secunda conditio est, vt huiusmodi ratio, seu professio vitæ aliquam obligationem coniunctam habeat, vtique permanendi in tali genere vitæ. Quam conditionem D. Thomas primo loco posuit. Sequiturque hæc conditio ex generali ratione status suprà explicata. Nam ad illum stabilitas, & firmitas in aliquo viuendi modo necessaria est, vt diximus. In statu ergo perfectionis immobilitas proportionata necessaria est: non potest autem aliunde illam habere, quàm ex obligatione, quia ex natura rei illam non habet, cum à libera voluntate pendeat; ergo oportet, vt per aliquam obligationem firmetur. Probatur consequentia, quia solum propositum in futurum non potest dare statui firmitatem; tum quia potest sine culpa, vel pœna mutari: tum quia nullo iure diuino, vel humano iuuatur, quod necessarium est ad statum, vt saltem firmitatem moralem habeat: tum etiam, quia status seruitutis inter homines sine obligatione consistere non potest per solum propositum; ergo nec status perfectionis, qui suo modo est status seruitutis nobilissimæ, cùm diuino quodam modo sit; tum denique, quia necesse est, vt per solam mutationem propositi status non mutetur, aliàs nullam ferè haberet immobilitatem; quia nec naturalem, nec moralem haberet. Denique posset hoc inductione probari, sed meliùs fiet in sequentibus; vbi etiam ostendemus, si quæ sunt societates, vel congregationes sine vlla obligatione, etiamsi quandam normam viuendi habere videantur, non esse verum statum, sed quandam illius vmbram referre. Qualis verò, & quanta, & de qua re huiusmodi obligatio esse debeat, in capite decimo exponemus.

*Propositum in futurum non potest dare firmitatem statui, ex duplici capite.*

Solùm est notanda hic alia conditio, quam D. Thomas addit, & nobis erit tertia, nimirum vt talis obligatio cum aliqua solemnitate fiat. *Sicut & cæteris*, inquit, *quæ inter homines obtinent perpetuam firmitatem, quædam solemnitas adhibetur.* Hæc verò conditio valde controuersa est, præsertim quoad verum sensum eius, de quo infra longa nobis futura est disputatio. Nunc ergo solùm generatim illam admittimus, quantum ratione, à D. Thoma in citatis verbis expressa, suadetur. Nimirum, eatenus aliquam solemnitatem requiri, quatenus ad obligationem inter homines stabiliendam necessaria esse potest. Nam si obligatio est necessaria, & hæc non potest inter homines sine aliqua solemnitate subsistere, clarum est etiam aliquam solemnitatem esse necessariam. Quanta verò, vel qualis solemnitas ad talem obligationem necessaria sit, postea videbimus. Nunc solùm dicimus, saltem necessarium esse, vt talis obligatio per actum aliquem externum, & visibilem, de quo Ecclesiæ constare possit, contrahatur. Nam, cùm de ratione huius status sit, esse externum, ac proportionatum Ecclesiæ visibili, etiam obligatio ad illum debet esse externa; quod habere non potest, nisi à causa externa, & sensibili oriatur.

8. *Tertia conditio vt dicta obligatio cum aliqua solemnitate fiat.*

*Obligatio ipsa debet contrahi per actum externum.*

Quartam addimus conditionem, quæ differentiam essentialem huius status maximè declarat, & ideo in definitione data principaliter declaratur; nimirum, quòd talis status ad opera perfectionis exercenda institutus sit. Quæ conditio est euidens ex dictis: nam omnis status, seu viuendi modus, quia ad salutem æternam ordinatur, ad actiones honestas referri etiam debet, quia salus æterna per huiusmodi actiones comparatur: & ideo etiam communis status vitæ Christianæ ad salutares actiones ordinatur, & Christianos obligat. At verò status perfectionis aliquid addit illi statui communi; ergo illud ex habitudine ad operationem sumendum est, & nihil aliud esse potest, nisi quòd ad perfectionis opera exercenda institutus sit. Et hoc euidentiùs constabit ex capitibus sequentibus, in quibus generaliter explicabimus, quæ sint hæc opera perfectionis; in particulari verò in singulis statibus exponentur. Nunc solùm aduertimus sub his operibus perfectionis comprehendi etiam opera, quæ licèt ex objectis sint indifferentia, ad optimos fines, ad quos referuntur, sunt vtilia, vel commodiora, vt docere, nauigare, & similia, quia in individuo sumpta sunt honestissima opera, & possunt esse valde perfecta. Et ob eandem causam non solùm positiua opera, sed etiam priuationes voluntariæ illarum rerum, vel actionum, quæ perfectionem impediunt, sub dicta generali appellatione operum perfectorum comprehenduntur, vt silentium, abstinentia, &c. Nam hæ moraliter tanquam actiones bonæ reputantur, saltem ratione voluntatis, & ad perfectionem vel necessaria, vel valde vtilia esse solent; ideoque per votà perfectionis Deo maximè consecrantur.

9. *Quarta conditio quod talis status ad opera perfectionis exercenda constitutus sit.*

*Sub operibus perfectionis comprehenduntur priuationes voluntariarum, vel actionum, quæ impediunt perfectionem, vt silentium, abstinentia, &c.*

10. Quintam conditionem addimus ex Caietano, apud quem est tertia, videlicet, quòd huiusmodi actiones, ad quas hic status ordinatur, externæ sint.

*Quinta conditio quòd huiusmodi actiones externæ sint.*

Hanc

*Volentes obligare externa ſint.*

Hanc verò conditionem ſolum probat Caietanus ab inconuenienti, ſcilicet, quia, niſi hæc conditio addatur, ſequitur clericos in ſacris ex vi ordinationis ſuæ eſſe in ſtatu perfectionis, quia ex vi ordinationis ſuæ ad maiorem ſanctitatem interiorem, quàm laici etiam religioſi obligantur: vti docet D. Thomas in eadem quæſt. 184. art. 8. Non verò obligantur ad opera perfectionis externa, & ideo ab ſtatu perfectionis excluduntur. At certè non video, cur hi clerici ex vi ſacræ ordinationis ad maiorem ſanctitatem interiorem, non verò ad maiorem exteriorem ordinentur, ſeu obligentur. Quia illi non habent ſpecialia præcepta, quæ ad opera perfectionis interiora illos obligent, & ſi ad aliqua obligantur, reſpiciunt externam honeſtatem, quatenus ad maiorem Dei cultum etiam externum, & ad maiorem etiam morum externorum honeſtatem, ac decorem obligantur. Et præterea diſcutiendum reſtat, an conſequens illud, quod Caietanus infert, ſit inconueniens; infetius enim inquiremus, an iſti clerici ſint aliquo modo in ſtatu perfectionis.

11. *Obiectio requirit talem conditionem.*

Nihilominus tamen illa conditio vera eſt, & ex aliis ſequitur. Nam perfectio, ad quam hic ſtatus ordinatur, debet eſſe eidem ſtatui proportionata; ergo ſi de ratione huius ſtatus eſt, vt ſit externus, & viſibilis, etiam perfectio debet eſſe externa, & viſibilis: vnde propter ſolos actus merè internos non inſtituuntur in Eccleſia ſpeciales modi viuendi viſibiles, & externi, cum de actibus merè internis Eccleſiæ conſtare non poſſit; & non minus pertineat ad eccleſiaſticum ſtatum, vt de actionibus eius poſſit Eccleſiæ conſtare, quàm de ſtatu ipſo, qui ad illas ordinatur. Præterea licet perfectio hominis interior præcipue, & eſſentialiter in donis, & actibus internis poſita ſit, vt in præcedenti capite explicatum reliquimus; nihilominus ab homine abſque actibus externis, vel ſine ablatione externorum impedimentorum, non poteſt moraliter, & humano modo comparari.

12. *Obiectio.*

Dices, hinc ſequi, ſtatum perfectionis ad ſolas actiones externas poſſe ordinari; non verò ad internas; niſi quatenus ad externas neceſſariæ ſunt, vt ſunt voluntas faciendi aliquid exterius; vel interna attentio ad orationem externam. Non verò ad illas, quæ in ſola mente conſummantur; quia ſi ratio facta efficax eſt, de illis omnibus, & ſingulis procedit. Quia omnes illæ ſunt peroccultæ, & ideo de nulla illarum poteſt Eccleſiæ conſtare. Conſequens eſt aperte falſum. Ergo. Reſpondetur, negando ſequelam, quia non oportet, vt omnes actus talis ſtatus vel externi ſint, vel in externis moraliter includantur, ſeu, quòd per eos, tanquam per effectus humano modo innoteſcant, ſed ſatis eſt, vt per externas actiones, & priuationes poſſit homo diſponi ad huiuſmodi actus, vel ab externis rebus, aut operationibus, quæ illos impediunt, abſtrahi. Et ſic ſtatus perfectionis per ſe, ac principaliter ordinatur ad contemplationem, vel mentalem orationem, quam comprehendit Paulus, cum dixit 1. Cor. 7. *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* Et infrà, *vt ſit facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Et iuuat illud ad Coloſſenſ. 3. *In gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.* Et huc etiam ſpectat illud Oſeæ 2. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Hoc ergo modo ſtatus perfectionis poteſt ad internam contemplationem ordinari, non ſolum, vt ad finem, quaſi intrinſecum, & proximum, vel partialem, vel etiam principalem, ſed etiam vt materia, & vt actus neceſſarius ad perfectam obſeruantiam talis ſtatus, quia illa duo non repugnant. Nam idem actus poteſt eſſe finis proximus alicuius ſtatus, & eſſe medium ad alia bona, & perfectiones eiuſdem ſtatus. Quod maxime in actu dilectionis, & contemplationis cernitur; & ideo ſunt actus maxime conſentanei ſtatui perfectionis, quia per illos præcipue exercetur, conſeruatur, & augetur perfectio.

*Illius ſolutio.*

Inſtabis, quia iſti actus non poſſunt eſſe materia præcepti Eccleſiaſtici; ergo nec ad illos poteſt ſtatus perfectionis ordinari. Reſpondetur dato antecedenti, de quo in lib. 4. de legibus diximus, negando conſequentiam. Primò quidem, quia non oportet, vt iſtæ actiones, vt ad ſtatum perfectionis pertinere poſſunt, præcipiantur proprie, & in ſeipſis, ſed ſufficit, vt aliquæ circunſtantiæ exteriores, neceſſariæ moraliter ad huiuſmodi actus ſub hominum prouidentiam cadere poſſint. Sic enim poſſunt quædam actiones externæ impedientes internas, prohiberi, & aliæ actiones externæ proximè diſponentes ad illas internas, ordinari, & præcipi ſuo modo poſſunt: quæ omnia ſub notitiam hominum cadere poſſunt. Et huc etiam ſpectant talis habitus, & compoſitio corporis pro tali tempore, & loco, quæ ad internam attentionem, & reuerentiam conferat: in quibus ſignis quodammodo conſpici mentis occupatio, vel ſaltem per illa coniectari poteſt. Deinde, licet ipſa interna contemplatio, aut meditatio, vel alia mentalis actio per ſe, & in ſe per iuriſdictionem Eccleſiaſticam præcipi non poſſit; nihilominus poteſt eſſe materia voti, & ex vi illius poſſet in rigore per obœdientiam præcipi, vt alibi diximus. Ordinariè verò non ita præcipitur; nec expedit propter vitandum peccati periculum: nihilominus tamen poteſt per modum regulæ, vel conſilij ordinari, quod ſatis eſt, vt ſtatus perfectionis poſſit ad huiuſmodi actus modo explicato, inſtitui, & ordinari.

13. *Vrgetur argumentum & ſoluitur.*

*Actus interni quo modo cadant ſub præceptum.*

## CAPVT VI.

### *Vtrùm in Euangelica lege conſilia à præceptis diſtinguantur.*

1.

HÆc quæſtio neceſſariò præmittenda eſt, vt ſtatum perfectionis explicare valeamus; & in illa cum hæreticis nobis controuerſia eſt; quam in hoc initio expedire, & diſtinctionem illam, quæ fundamentalis eſt in hac materia, ſtabilire neceſſarium eſt. Hæretici ergo huius temporis ad euertendum religioſum ſtatum, quem ſummo odio proſequuntur, negant dari in ſtatu legis Euangelicæ conſilia diſtincta à præceptis. Ita docuit Luther. lib. de Vit. Monaſt. & Melanch. in Confeſſ. Auguſtana a. 27. & in Apolog. & in Locis communibus: & Caluinus, cuius tanta fuit audacia, & impudentia, vt in lib. 4. Inſtit. cap. 13. ſect. 2. dixerit, nulli veterum in mentem veniſſe, Chriſtum aliquid conſuluiſſe, aut aliquam voluiſſe, vt ait, emiſiſſe, cui non ſit ex neceſſitate obtemperandum. Et omnes antiqui hæretici, qui religioſum ſtatum deteſtati ſunt, in hoc etiam errore fuiſſe videntur, quos infetius tractando de religioſo ſtatu, commemorabimus, & confutabimus.

*Hæretici negant conſilia diſtingui à præceptis in ſtatu legis Euangelicæ.*

2. *Variè opinantur in hac diſtinctione negãda hæretici.*

Iſti autem hæretici variis modis in abneganda diſtinctione illa opinati ſunt. Nam quidam dicebant, eſſe præcepta omnia opera, quæ nos dicimus eſſe tantum conſilia: vt de abrenunciatione diuitiarum dixit Pelagius eſſe in præcepto, teſte Aug. epiſt. 89. & 106. Et de cœlibatu dixit Tatianus quem Encratiti, & Apoſtolici ſecuti ſunt teſte Auguſtino hæreſ. 40. & Epiphan. in 61. contrà quos infrà ſuis locis dicemus. Alii è contrario opera iſta, quæ nos conſilij vocamus, dicebant non eſſe bona, ſed vel mala, & deteſtanda, vt ſentiunt noui hæretici. Et prius Wicleph. art. 21. relato in ſeſſ. 8. Concil. Conſt. vel certè eſſe indifferentia, & ideo nec ſub præceptum, nec ſub conſilium cadere, vt ſenſiſſe fertur Vigilantius: vel ſaltem non eſſe opera meliora, vt pro-

pterea consulenda fuerint. Et videtur sensisse Iouinian. qui paria faciebat matrimonium, & virginitatem; vt constat ex libris Hieronymi contra illum, & Aug. epist. 28. & 29. & in lib. de hæresi.

5. Hinc varia fundamenta huius erroris colligi possunt, quæ hîc tractare non possumus, ne omnia confundamus. Nam postea de singulis consiliis, & præsertim de tribus illis, quæ Euangelica, seu perfectionis vocantur, sigillatim omnia demonstranda sunt, vtiq; virginitatem, v.g. esse bonam, & meliorem, & non esse præceptam. Idemq; de paupertate voluntaria, & de simili obedientia cũ proportione ostẽditur.

*Generalia huius erroris fundamenta. Primum fundamentum.*

Nunc ergo generalia tantũ fundamenta proponẽda sunt. Primũ sumitur ex aliquibus Scripturæ locis, in quibus vel omnia bona sigillatim nobis ostẽduntur præcepta, vel saltem confusè sub nomine perfectionis. Nam ad Philip. 4. ait Paulus. *Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus bonæ famæ, &c. hæc facite.* Et multa similia leguntur ad Ephes. 6. & aliis locis. At verò Christus vno verbo omnia comprehendit, præcipiens Matth. 5. *Estote perfecti sicut pater vester perfectus est*, quæ perfectio omnia comprehendit, quæ sub consiliis dari possunt; eò vel maxime, quòd enumeratis multis operibus, quæ ad consilia pertinere posse videntur, vt est non resistere malo, & percutienti in vna maxilla alteram præbere, concludit Christus: *Estote ergo perfecti.* Item Ioan. 13. ait Christus: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Et cap. 15. addit: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ergo hanc nobis præcepit; ergo nullus relinquitur consiliis locus.

4. *Secundum fundamentum.*

Vnde secundum, ac præcipuum argumentum sumunt ex eo, quòd præceptum charitatis virtute cõplectitur omnia bona opera, & eò magis, quo fuerint meliora; ergo omnia sunt sub præcepto; ergo nihil supereſt, quod sub consilio tantùm esse possit. Consequentia est clara, quia quidquid ad veram charitatem, & dilectionem Dei necessarium est, cadit sub præceptum: & è conuerso, quidquid comprehenditur sub præcepto charitatis, est necessarium ad veram, & sufficientem dilectionem Dei; ergo quidquid sub præceptum dilectionis Dei virtute cõprehenditur, est sub præcepto, & non tantùm sub consilio. Probatur autem antecedens ex ipsa forma præcepti Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Ex quibus verbis sic argumẽtari possumus. Ad dilectionem Dei spectat bene operari propter ipsum iuxta illud 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est*, &c. ergo tenetur homo ex charitate bene operari, quantum potest, alioqui non diliget Deum ex toto corde, nec ex omnibus viribus; ergo etiã tenetur operari optima, quæ potest, & meliori modo, quo potest, quia hoc totum cadit sub *omnib. viribus*, & *toto corde*; ergo nihil melioris boni reliqui esse potest, quod sub consilio, & non sub præcepto sit. Et cõfirmatur hæc illatio, ac difficultas testimonio Augustini li. 1. de doct. Christ. cap. 21. dicentis: *Cùm dixit, toto corde, tota mente, tota anima nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat.* Et clariùs D. Th. 2. 2. q. 184. art. 3. dixit: *Dilectio Dei, & proximi non cadit sub præcepto secundùm aliquam mensurã, vt patebit ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionẽ demonstrat, cum dicit, ex toto corde, totum enim, & perfectum idem sunt.*

5. *Tertium fundamentum.*

Tertiò possumus argumẽtari ratione, isto modo. Opera cõsilii dicuntur talia respectu Dei, quia Deus ea consulit: simulque dicuntur à Catholicis opera supererogationis; sed respectu Dei nulla possunt esse opera supererogationis; ergo nec possunt ita esse opera consilii, vt non sint præcepti. Maior supponitur, vt clara ex facto. Minor autem probatur ex illo Luc. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* Et ratione, quia nos non possumus soluere Deo quãtum debemus, quia debemus illi quidquid boni habemus, & ideo quidquid reddamus illi semper minus erit, quàm quod illi debemus; ergo nihil facere possumus supererogationis respectu Dei, quia supererogare est, vltra totum integrum debitum aliquid erogare. Vnde probatur prior consequentia; quia opera, quæ dicuntur consilii, quantũuis bona, vel meliora dicantur, debentur Deo propter eius infinitam bonitatem, & maiora beneficia. Et confirmatur, quia vbi interuenit Dei consilium, intercedit etiam voluntas Dei volentis, vt id fiat, quod ipse consulit; ergo intercedit etiam præceptum Dei; quia præceptum Dei non est aliud, quàm voluntas Dei homini manifestata; nec potest homo refutare consilium Dei, nec voluntati eius resistere sine ipsius offensione, & iniuria; ergo tale consilium necessariò includit præceptum: non est ergo distinguendum à præcepto. Et confirmatur secundò, quia integra lex Dei, seu Christi Euangelica consilia amplectitur, & præcepta. Vnde D. Thom. 1. 2. q. 108. art. 4. consilia ponit inter partes legis gratiæ, lex autem non complectitur, vt partes, nisi varias leges, & præcepta; ergo nulla sunt consilia in illo sensu, vt omninò à præceptis condistinguantur, sed ad summum, vt à grauioribus præceptis separentur, & nihilominus ipsa sint aliqualia præcepta, quæ obligationem inducunt leuiorem, & ideo consilia vocantur.

6. *Hæreticum est negare distinctionem inter consilia, & præcepta.*

Nihilominus distinctio consiliorum à præceptis tam certa fide nititur, & tam expressè habetur in sacra Scriptura; & traditur ab vniuersa Catholica Ecclesia, vt sine manifesta hæresi negari non potuerit. Hanc veritatem docuerunt omnes antiqui Theologi, & noui scriptores contra hæreticos diligenter illam demonstrarunt. Sed inter eos tam accuratè, & docte Cardinalis Bellarminus illam prosequitur lib. 2. de Monach. vt nihil illi addi posse videatur. Et ideo breuiter attingemus ea, quæ efficaciora videntur.

*Probatur primo.*

Primò ergo probatur ex Matth 19. vbi Christus D. consilia virginitatis, seu continentiæ sine coniugio, & abrenunciationis rerum temporalium, seu paupertatis præbet, & à præcepto abstinet. Nã de priori, cùm Iudæi intulissent, *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* ipse approbat sententiam, & quasi consequens admittens, ait: *Non omnes capiunt hoc verbum, & qui potest capere, capiat.* Et postea dicit, *esse quosdã eunuchos, qui se castrauerunt propter regnum cælorum*, vtiq; voluntarie abstinentes à coniugio, vt meliùs perfectiùs, & faciliùs regnum cælorum consequantur. De altero verò consilio ait Christus, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes*, Vbi particula, *si vis perfectus esse*, ostendit rem esse positam in libera, & licita electione, absque præcepto. Nam de necessitate iam dixerat: *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Verbum autem *Vade, & vende omnia*, &c. monstrat esse cõsilium de re simpliciter libera, & vtilissima, quanuis necessaria moraliter ex suppositione prioris voluntatis consequendi perfectionem, & non tantùm ingrediendi perfectionem, sed etiam *habendi thesaurum in cælis*; vt Christus concludit; & ita intellexerunt Christi verba Chrysostomus, Hieronymus, & omnes sancti, & expositores illius loci. Et Chrysost. homil. 21. in 1. ad Corinth. & homilia 8. de Pœnit. & Hieronym. contra Vigilant. ad finem. August. epist. 89. quæst. 4. serm. 61. de tempore. & 18. de verbis Apostoli. Quibus autem modis Caluin. & alii hæretici hoc etiam testimonium corrumpant, refert, & sufficienter refutat Bellarminus suprà; Barrad. tom. 5. Concord. lib. 5. cap. 8. & ante eos Maldonatus in citatum locum Matthæi. Item ex eodem loco solet obedientiæ consilium colligi; sed quia quoad hanc

partem

partem obscurius est illud testimonium, illud nunc omitto, quousque de voto obedientiæ differamus.

7. *Probatur secundo.*

Secundò probatur assertio ex Paulo 1. Cor. 7. vbi & veritatem expressis, & formalibus verbis tradere, & Christi sensum explicare videtur. Sic enim ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Non vtique spiritu proprio, & humano, sed diuino; & ideo ait: *Tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.* Et in fine capitis iterum dicit de vidua, seu casta muliere. *Beatior erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium. puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam.* Euidenter ergo Paulus distinguit opus præceptum à Deo, ab opere, quod Spiritus Dei consulit, & non præcipit. Et loquitur aperte de consilio spirituali, seu de re, quæ & per se Deo placet, & ad spiritualem profectum vtilissima est; vt euidenter ostendi potest ex toto discursu Pauli, & ex plurimis eius verbis. Et ex consensu omnium Patrum, tum ibi, tum in aliis locis, vbi vel virginitatem suadent, vel pro illa pugnant. Vt sunt Aug. lib. de sancta virg. præsertim à cap. 13. Basil. lib. de vera virgin. & Chrysost. in 5. tom. lib. de virginit. cap. 27. & optimè lib. 3. contra Vituperatores vitæ Monasticæ, non longè à fine. Et Ambr. in libris de virginibus, & viduis, & aliis in libris, vel homiliis de eisdem argumentis; præsertim verò Hieronymus in lib. contra Eluidium, & contra Iouinianum, & in epist. 22. ad Eustochium. Quapropter necessarium non erit futiles hæreticorum cauillationes, & tergiuersationes ad illudendum tam euidens testimonium inuentas refutare: tum, quia illos copiosè, & efficaciter conuincit Bellarminus suprà d. lib. 2. cap. 9. tum, quia per se improbabiles, & incredibiles statim apparent.

8. *Probatur tertiò.*

Tertiò confirmatur hoc amplius, & explicatur ex eodem Paulo 1. Corinth 9. vbi ab illis verbis: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, manducandi, & bibendi,* late probat sibi fuisse licitum de Euangelio viuere, *Sicut Dominus ordinauit,* vt inferiùs dicit, ac proinde potuisse spiritualem curam, ac solicitudinem Ecclesiæ sustinendo, conuenientem sustentationem à fidelibus accipere. Postea verò subdit: *sed non vsi sumus hac potestate.* Et iterum. *Ego autem nullo horum vsus sum.* Et adiungit: *Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me, bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam si euangelizauero non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit,* &c. Vbi duo distinguit Paulus, scilicet, euangelizare, & sine temporali commodo, seu corporali sustentatione ex tali munere comparato, euangelizare: & vtrumque supponit esse bonum; illud tamen prius esse necessitatis, quia de illo præceptum habebat: posterius autem fuisse voluntarium, quia non erat præceptum. Et quod fuit consilium, declarat illis verbis. *Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit.* Vbi nomine gloriæ, intelligit peculiarem laudem, & coronam, quam is meretur apud Deum, qui non solùm præcepta implet, sed aliquid boni vltra id, quod præceptum est, facere studet, vt rectè ibi exposuit Chrysostomus hom. 21. obiiciens. *Quid dicis, dic quæso? si euangelizas, non est tibi gloriatio, sed si sine sumptu posueris Euangelium: est ergo hoc illo maius.* Et respondet, *neque quam, sed aliunde aliquid habet amplius. Quoniam istud quidem est præceptum, hoc autem rectè quidem fit, sed procedit à nostro libero arbitrio. Nam, quæ fiunt quidem sua mandatum, ex ipso habent multam mercedem, quæ autem fiunt ex mandato, non tantam.* Et inferiùs ait, eum, qui fecit id tantùm, quod iussum est, habere mercedem, *sed non qualem is, qui è suo liberaliter elargitus, & præceptum superauit.* Et hunc sensum declarat ex aliis Christi verbis Luc. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus.* Vbi etiam dicitur seruus inutilis, qui tantùm facit, quod præceptum est, non quia nihil meretur, sed quia non meretur illam gratiam, & præmii cumulum, quàm is, qui vltra omnia, quæ præcepta sibi fuerant, ex peculiari Domini benevolentia, aliquid in eius obsequium facit. Quem sensum verborum Domini docte, & acute explicat Maldonatus Lucæ 17. nec minus erudite confirmat Barradas tom. 3. concordiæ, cap. 9. Ex vtroque ergo loco rectè colligitur, esse quædam opera, quæ non fiunt sine gloria, & possunt non fieri sine culpa; ideoque si fiant, digna esse præmio: non tamen supplicio, si non fiant. Vt dixit Bernardus lib. de præcepto, & dispens. cap. 19. Talia ergo sunt opera consiliorum. Nam opera præceptorum ita sunt digna præmio, vt eorum omissio digna sit supplicio.

9. *Probatur quarto.*

Vnde possumus quartò in testem huius veritatis adducere D. Petrum Actor. 5. dicentem ad Ananiam, qui de pretio agri iam Deo oblati, ac promissi fraudauerat. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* id est, nonne tuum erat, & potuisses de illo tuo arbitrio disponere, & non illud consecrare Deo? Nam ex illis verbis manifestè colligitur, offerre, seu vouere res suas Deo, non fuisse opus præcepti, sed voluntarium, ac supererogationis, quamuis ex illo orta fuerit obligatio non fraudandi aliquid de re Deo oblata. Ergo distinguit ibi Petrus opus consilii ab opere præcepti. Nam consilii est vouere, præcepti autem, votum fideliter implere. Ita intellexit locum illum ibi Chrysost. hom. 12. & sumitur ex aliis Patribus, quos adnotaui lib. 4. de voto. cap. 21. num. 8. Vnde potest hoc testimonium aliis confirmari, in quibus votum consulitur, eius autem impletio præcipitur: vt Psal. 75. *Vouete, & reddite.* Nam *primum verbum ad consilium, secundum ad imperium refertur,* vt dixit Innoc. III. in cap. magnæ. de voto.

10. *Probatur quintò.*

Quintò addere possumus testimonia Patrum, ex quibus multa iam tetigimus, expendendo Scripturæ testimonia, & alia inferiùs tractando de antiquitate, & origine status religiosi afferemus. Nam communiter Patres consilia distinguunt à præceptis, tractando de statu religioso, aut de virginitate, & paupertate. Alia etiam adducit Bellarm. d. lib. 2. cap. 11. Ex quibus notandus est locus Nazianz. Orat. 3. aliàs 1. contra Iulian. versùs finem. §. *Adhæc.* vbi opera consilii, & præcepti his verbis distinguit. *In legibus nostris alia parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti possunt; alia non necessitate constringunt, sed in arbitrio, & potestate posita sunt; ac proinde hanc rationem habent, vt qui ea custodierint, honore, & præmiis afficiantur; qui autem minus ea expleuerint, nihil periculi pertimescant.* Et Origen. lib. 10. in epist. ad Rom. cap. 15. in fine. *Idcirco præcepta donantur, vt delicta persoluamus, iuxta illud Luc. 17. Quod debuimus facere fecimus, Ea verò quæ suprà debitum facimus, non facimus ex præcepto,* Ponitque exemplum de virginitate, locumque Pauli 1. Corinth. 7. adducit. Expressiùs August. in Enchir. capit. 121. distinguit quædam, quæ mandat Deus, & alia, *quæ non iubentur, sed speciali consilio monentur.* Et serm. 61. *Aliud est consilium, aliud est præceptum.* Et exempla consiliorum ponit, *virginitatem seruare, à vino, & carnibus abstinere, omnia vendere, & pauperibus erogare.* Et subdit: *Consilium, qui libenter audierit, & fecerit, maiorem habebit gloriam, qui verò præceptum non impleuerit, nisi pœnitentiam egerit, non euadet pœnam.*

Et soluendo argumenta, alia insinuabimus.

* * *

CAPVT

## CAPVT VII.

### *Ratione veritas catholica probatur.*

*Præceptum & cõsilium de bono opere esse debet*

1. PRiusquam rationem conficiam, suppono consilium in hoc conuenire cum præcepto, quòd esse debet de opere bono. Quod est per se notum, quia malum non consulitur, sed prohibetur; vnde nec potest consilium esse de opere prohibito. Quia quod prohibetur, vel supponitur malum, vel ipsa prohibitione malum fit. Nec etiam potest opus indifferens, vt tale est, consuli; quia sic factum, vel est malum, vel inutile; de quo prudens consilium, quale est diuinum non datur: si autem sumatur, vt vtile ad bonum finem, iam sub bono opere comprehenditur. Hoc ergo supposito, ratio formatur. Quia non omnia opera bona sunt nobis præcepta, ergo aliqua esse poterunt, & re vera sunt, sub consilio. Antecedens videtur per se euidens, & inductione notissimum; non enim orare, aut facere eleemosynam, aut Missam audire, & quidquid simile est, semper est in præcepto.

*Consilium de opere non differenti dari nequit.*

*Prima ratio.*

*Confirmatur & declaratur ratio facta.*

2. Potest in primis declarari ex natura præcepti affirmatiui, de cuius ratione est, vt non obliget pro semper. Nam prior obligatio sæpe repugnantiam, & contradictionem inuolueret. Etenim, si præceptum affirmatiuum obligaret pro semper, omnia sic obligarent; vnde omnia præcepta affirmatiua simul obligarent, & pro eodem tempore, & ita seipsa impedirent, & obseruationem suam impossibilem facerent. Vnum quodque ergo obligat pro suo tempore, & consequenter fieri potest, vt pro aliquo tempore nullum obliget. Tunc ergo poterit homo facere opus bonum non præceptum. Deinde etiam possunt esse aliquæ actiones bonæ, quæ per se nunquam præcipiantur; quia nec ad Dei amorem, vel honorẽ, nec ad proprium, vel proximorum commodum, necessariæ sunt. Quod idem cum proportione seruatur in prohibitionibus, seu omissionibus, vt abstinendi à vino, vel à carnibus; vel quod Paulus dixit 1. Cor. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere*; hoc enim non inuenitur absolutè prohibitum, seu, quod idem est, negatio illa nullibi est præcepta.

*Confirmatur.*

3. Denique ratione probatur illud antecedens, quia si omnia bona opera essent præcepta, vel illud esset naturali lege sola, vel adiuncta positiua diuina, vel humana: neutrum dici potest; ergo. Probatur minor quoad priorem partem; quia non solùm non dictat naturalis ratio talem multitudinem præceptorum; verùm potiùs dictat, multa esse opera non præcepta, quæ secundùm rectam rationem fieri possunt, vt est per se euidens, & notum. Et si hæretici hoc ignorare fingunt, tanquam obcæcati dura pertinacia, relinquendi sunt, vt respondendo ad secundum eorum fundamentum dicetur. Vnde notanda est differentia inter bona, & mala opera; seu inter præcepta naturalia affirmatiua, & negatiua. Quòd lex naturalis prohibet omnia mala opera; nõ verò præcipit omnia bona; quia euitare malũ quodcunque necessarium est ad bonos mores: nam malũ ex quo cunq; defectu; facere autem definitum bonũ, non est semper necessarium. Nam licet ex priori obligatione negatiua nunquam peccandi, sequatur affirmatiua operandi bene: illa nec est simpliciter absoluta, sed conditionata, si aliquid libere operandum sit. Vel licet admittatur absoluta obligatio semper bene operandi, & vitandi otium. Nam in hoc sensu videtur dixisse Ambros. Luc. 17. vers. *Quia autem. Nec in te patitur Dominus vnius vsum esse operis; quia dum viuimus, debemus semper operari, & consequenter bene operari.* Nihilominus illa obligatio de se non est ad certum opus bonum, quod in vnoquoque tempore ex necessitate faciendum sit: sed est generalis obligatio faciendi bonum, cùm aliquid agendum sit, quæ obligatio per opera bona simpliciter non præcepta impleri potest. Ergo ex vi iuris naturalis non omnia bona opera sub præcepto cadunt.

*Non omnia bona opera sunt præcepta lege naturali.*

*Discrimen inter præcepta naturalia affirmatiua & negatiua.*

Nec minus euidens est altera pars subsumptæ propositionis de iure positiuo. Nam si sermo sit de humano, nec de facto inueniuntur tot leges Ecclesiasticæ, vel ciuiles, nec ipsi hæretici illas admittunt; nec etiam humano magistratui tanta potestas concessa est ad grauandos nimium subditos legum multitudine vltra vires eorum: vt ex tractatu de Legibus constat. Loquendo verò de iure diuino positiuo, posset quidem Deus, si summo rigore cum hominibus agere voluisset, ab eis singula bona opera præcepto positiuo exigere. Quamuis enim omnia opera non potuerint collectiue præcipi pro singulis temporibus, vel præceptis, quia præcepta dari non possunt de rebus impossibilibus; & talis obligatio esset de re simpliciter impossibili, & repugnante; nihilominus posset Deus distributiuè præcipere omnia opera, quæ in toto discursu vitæ, homo facere potest, præscribendo pro singulis vitæ temporibus, ac momentis actiones bonas in illis faciendas, & de illis imponere præcepta, determinando tempus, & modum, cæteraque circumstantias, si vellet. Quia licet sit impossibile homini per naturam hoc implere; non esset tamen impossibile per gratiam, quam Deus conferre posset, & vt supremus Dominus totum hoc onus præceptorum imponere.

*4. Lex positiua nec humana nec diuina præcipit omnia opera bona.*

Nihilominus tamen de facto certum est, Deum hoc non fecisse non solùm in lege gratiæ, in qua pauca sunt præcepta diuina positiua; verùm etiam nec in lege veteri, quæ pluribus præceptis homines onerauit, vt ex tenore eius constat. Vnde in Leuitico cap. 7. & aliàs legimus aliqua sacrificia, & oblationes fuisse spontaneas, & alia ex voto, & quasi lege, propria voluntate sibi imposita; & aliquas etiam festiuitates fuisse ex lege positiua humana. Imò licet dixerimus secundùm absolutam potentiam, & dominationem potuisse Deum id facere; nihilominus adiuncta diuina sapientia, & prudentia, sine timore affirmare possumus illum modum prouidentiæ, & regiminis esse Deo impossibilem, quia contra prudentiam, & nimis violentum, ac perniciosum hominibus fuisset.

*5. Impossibile est Deum omnia bona præcipere.*

*6. Probatur consequentia superioris rationis.*

Superest probanda consequentia principalis rationis, scilicet, si dantur bona opera non præcepta, consequenter dari opera, quæ sint sub consilio. Probatur autem, quia in primis de ratione consilii est, vt sit de opere non præcepto: nam hæc est prima conditio, in qua distinguimus consilium à præcepto, & de qua ferè est tota controuersia, & per quam maxime declarant Sancti distinctionem consilii à præcepto. Vt tradunt maxime Aug. lib. de sancta virginit. & Cyprian. de habitu virginum. Greg. lib. 15. Moral. cap. 9. & optime Hieronym. epist. 22. ad Eustochium, de virginitate: *Vbi præceptum datur, ibi necessitas est seruientis; vbi consilium, ibi offerentis arbitrium.* Et alii suprà allegati. Et ratio est, quia licet consilium (late de illo loquendo) cadere possit in obseruationem præceptorum, nam & nos illam hominibus consulimus, & tale videtur fuisse consilium Daniel. 4. *Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime*, & Deus continuis inspirationibus, & admonitionibus etiam scriptis illam consulit: nihilominus (rigorosè, ac strictè loquendo de consilio, quod de aliquibus operibus Deus specialiter tradit) & ipsum à præcepto distinguit, & illud excludit ab opere quod dicitur esse consilii. Sumitur enim exclusiuè, id est, quod tantùm consulitur, & non præcipitur. Quamuis autem hoc verum sit, nihilominus sola illa conditio negatiua non

non sufficit, vt opus bonum dicatur esse de consilio, quia potest esse opus bonum, nec præceptum, nec consilii, sed tantùm honestum, inferioris tamen ordinis. Huiusmodi est actus matrimonij, seu nubendi, de quo Paulus 1. Corinth 7. dixit: *Si accepperis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo non peccauit.* Et ne quis dicat, inde solum inferri, illud opus non esse de se malum; quod etiam habet opus indifferens, subdit inferius: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit.* At verò actus nubendi, vel ducendi vxorem, non est opus consilii, vt apud omnes constat: nec ordinariè est opus præcepti; ergo non omne opus bonum non præceptum est opus consilij.

*Non omne opus bonum non præceptum est opus consilij.*

7. Secundò ergo requiritur ad opus consilij, vt sit opus melius, quàm oppositum eius, seu quàm aliud sibi incompossibile. Vnde sicut Philosophi definiunt, perfectionem simpliciter esse illam, quæ in quolibet individuo entis est melior ipsa, quàm nõ ipsa, id est, quàm alia incompossibilis illi; & respectu illius perfectio non simpliciter, dici potest secundùm quid; ita in præsenti opus consilii est illud, quod in tali materia est melius, quàm oppositum eius, etiamsi illud etiam bonum sit: vnde comparatiuè opus consilii dici poterit bonum simpliciter, aliud verò secundùm quid. Hæc conditio traditur à D. Thoma lib 3. contr. Gent. cap. 130. & sumitur ex illa sententia Pauli: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, qui non iungit, melius facit.* Est ergo virginitas opus consilii, quia opponitur matrimonio, & est illo melior: idemque est de viduali castitate ad secundas nuptias comparata. Et ideo idem Apostolus addungit. *Mulier, si dormierit vir eius, liberata est à lege, cui vult, nubat; beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium.* Idem in abdicatione bonorum temporalium inuenitur: nam possidere illa non est malum; & si cum ordinato affectu ad commodè viuendum & faciendas eleemosynas habeatur, bona erit: nihilominus tamen omnibus illis bonis renunciare, in pios, & honestos vsus illa distribuendo, melius est: & ideo hoc est opus consilii, & non illud. Idemque in omnibus similibus considerari potest. Et ratio est facilis; quia consilium, de quo agimus, est diuinum, vel reuelatum, vel consentaneum rectæ rationi; quatenus est diuinæ rationis participatio: hoc autem consilium non potest non esse prudens, & ex vero iudicio, seu dictamine procedens; ergo opus consilii semper est tali dictamini consentaneum. At verò consilium prudens, & rectum, quod inter duo opposita fertur, semper esse debet de meliori bono; ergo de ratione operis cadentis sub consilio, est, vt sit non tantùm bonum, sed etiam melius, quàm eius oppositum.

*Opus Consilij debet esse melius quàm oppositum.*

8. Addunt præterea aliqui de ratione consilii esse, vt sit opus melius, quàm opus præcepti in eadem materia: tum, quia in illa materia solet esse opus difficilius, sicut est difficilius seruare castitatem, quàm vxorem ducere, quia hoc est secundùm inclinationem naturæ, illud *supra vsum naturæ est*, vt dixit Ambrosius lib. 1. de Virg. in principio. Tum etiam, quia consilium supponit præceptum, & illi peculiarem excellentiam addit: vt sensit Aug serm. 18. de verb. Apost. cap. 11. dicens de Virginibus: *Vsqueadeo acceperunt præceptum, vt non recusarent consilium; vt plus placerent, plus se ornauerunt.* Sed hæc conditio difficilior est, & limitatione, ac declaratione indiget. Nam consilium tribus modis comparari potest ad præceptum. Primò, vt consilij obseruatio executionem præcepti includat. Secundò, vt vnum non includat aliud, licet possint simul impleri. Tertiò, vt simul obseruari repugnet. Quando primo modo se habent, tunc vnum ad aliud comparatur, quasi pars cum toto, & ideo non est mirum, quòd totum sit melius. Vt in materia castitatis, de qua Augustinus loquitur, seruare virginitatem melius est, quàm non fornicari, licet hoc sit præceptum, & illud consilium; quia per illud consilium etiam hoc præceptum impletur, & aliquid additur, scilicet, à copula licita abstinere. At verò si & possint simul impleri, & consilium per se, ac formaliter non includat præcepti obseruationem, non erit regula certa, sed contingens, quia nulla est ratio, ob quam melius semper esse debeat opus consilii, quàm præcepti; sed interdum poterit vnum accidere, interdum aliud. Vt, v. g. simul potest filius paupertatem eligere, & parentibus grauiter egentibus subuenire, dando illis bona, quibus renunciat; in quo simul facit opus consilij, & præcepti, & tamen fortasse ex genere suo melius est implere præceptum subueniendi parentibus, quàm opus consilii abdicandi se ab omnibus: nisi in hoc considereturvoti religio, si interueniat, quod est accidentarium, & (vt ita dicam) distinctum consilium, quod fieri etiam posset de subuentione debita parentibus: Sicut è contrario consilium paupertatis potest sine voto impleri, sola venditione, & distributione bonorum cum proposito non habendi illa. Nec sufficit, quòd hoc opus difficilius videatur: tum, quia sola maior difficultas non facit opus esse melius, nisi cætera sint paria: tam etiam, quia in illo casu talis subuentio parentum eandem difficultatem includit, & additur tum ratio pietatis, tum ratio obedientiæ præcepti.

*Tribus modis consilium ad præceptum comparari potest.*

9. At verò si comparatio fiat inter consilium, & præceptum, quando in eadem materia simul impleri repugnat; tunc necesse est, vt consilium cedat præcepto. ac proinde non est facile definire, an tunc opus consilii per se spectatum sit melius, quàm opus præcepti. Vt v.g. ordinariè matrimonium non cadit sub præceptum, & ideo illi præfertur virginitas ex genere suo; quia habet de se maiorem honestatem, & vtilitatem ad Deo meliùs seruiendum. Contingere autem potest, vt in casu necessitatis grauis communis boni obligetur quis præcepto ducendi vxorem; illi ergo non erit consilium seruare virginitatem, ergo tunc respectu illius opus consilii non erit melius, quàm opus præcepti; quia quod non est bonum alicui, non potest ipsi esse melius: illi autem non est bonum seruare virginitatem, quia in eo frangeret præceptum; ergo illi non est melior virginitas, & ideo respectu illius non est opus consilii, & ita cessat comparatio inter consilium, & præceptum. Potest autem illud matrimonium comparari cum licita, & voluntaria virginitate alterius, vtrum sit melius. Et sic licet ex obiecto, & specie semper virginitas excedat, meritò dubitari potest, an in individuo matrimonium ex obligatione sumptum, tum ad implendam obligationem, tum ad subueniendum bono communi, sit melior simpliciter, quàm sit in alio Virginitas voluntaria. Quam comparationem aliqualiter attigi in tom. 2. de Relig. lib. 2. de voto. cap. 9. numero 8. & nunc illam definire non est necesse. Tum, quia vix potest aliquid certum generaliter dici, cùm comparatio pendeat ex circunstantiis, quæ facile variantur: & pro earum varietate potest actus esse magis, vel minus bonum: tum etiam, quia non censeo, hanc comparationem per se necessariam ad rationem consilii explicandam; quia de ratione consilii non est, vt opus eius sit melius in eo, cui consulitur, quàm sit opus præceptum in alio: nam hoc accidentarium est. Comparatio ergo formalis est inter opus consilii, & opus bonum ipsi oppositum, etiamsi præceptum non sit respectu eiusdẽ personæ; quòd verò alteri præcipiatur, accidẽtarium est; id-

est; ideoque per se non consideratur, nec ad rationem consilij pertinet. Igitur duæ conditiones priores ad explicandam rationem consilij sufficiunt: nam si quæ aliæ assignantur, vel sunt accidentariæ, vel in dictis continentur.

10. Ex his ergo concluditur ratio facta, seu ostenditur illatio in hunc modum: nam eo ipso, quòd dantur bona opera non præcepta, inter ea dari potest vnum melius alio; ergo eo ipso dari poterit opus consilij distinctum à præcepto. Antecedens probatur, quia sæpe bona opera non præcepta inter se ita pugnant, vt simul eligi non possint, & inter ea vnum sit melius alio; ergo opus illud melius, erit opus consilii, & consistinctum ab opere præcepti. Inductione id potest declarari, & probari in Virginitate, & matrimonio, in diuitiarum dominio, vel paupertate, in obedientiæ iugo, & libertate voluntatis. Solum est in his, & aliis obseruandum, sub operibus bonis non præceptis comprehendi non tantùm propria opera positiua, sed etiam nonnullas priuationes, quæ licet non sint actus, nec per positiuos actus semper fiant, aut conseruentur: nihilominus sunt obiecta bona; & honesta, quæ quatenus amari possunt, vel voluntarie conseruari, dicuntur sub consilium cadere. Quatenus voluntas talis obiecti, vel conseruationis eius per abstinentiam à contrariis actibus, est actus melior, quàm contraria volùtas, etiam bona, licet neutra præcepta sit. Id manifestum est in virginitate, quia nullum actum externum positiuum requirit, sed solam carentiam actuum: & in paupertate idem potest contingere, si homo nõ habeat bona, quæ relinquat, quia si illa habeat, per actum positiuum renuntiat, quod est opus consilii; postea verò paupertas per solam carentiam actus acquirendi aliquid, conseruari potest; & illamet carentia voluntaria bona est, & tanquam positiuus actus moraliter reputatur. In obedientia verò vtrunque inuenitur: nam in principio per actum positiuum præstatur, quando voluntaria est, & consilii; postea verò per actus, & per omissiones actuum exercetur, & in vtrisque eadem bonitas consilii reperitur.

*Sub operibus bonis non præceptis comprehenduntur nõ solum propria opera positiua, sed etiam priuationes.*

## CAPVT VIII.

### *Consiliorum materia, & varietas occasione cuiusdam obiectionis declaratur.*

11. *Obiectio contra supra dicta.*

CIrca dicta in superiori discursu dubitare potest aliquis, quia ex dictis sequi videtur, consilia versari in omni materia virtutis; quia in omni materia virtutis possunt esse bona opera non præcepta, & aliis secum pugnantibus meliora. Consequens autem nõ videtur communiter receptum, quia tres tãtùm materiæ consiliorum recenseri solent, scilicet, paupertas, castitas, & obedientia, vt D. Thomas in d. cap. 130. tradit; & illorum trium consiliorum sufficientiam eleganter ostendit; & ad summum, vt ibi etiam insinuat, illis addi potest materia religionis, quatenus vouere Deo aliquid, est opus consilii, & illo mediante, ac in ordine ad diuinum cultum, aliæ materiæ virtutum solent cadere sub consilium, vt eleemosyna, & ieiunium, non aurem secundùm se. Et augetur difficultas: nam etiam sequitur omne opus bonum non præceptum esse opus consilii; quia saltem respectu omissionis eius est maius bonum, prudenterque consuli potest, potius aliquid boni agere, quidquid illud sit; quàm nihil bene operari, aut omnino otiosum esse. Consequens autem videtur falsum, quia opera consiliorum specialiter dicuntur, quæ aliquam singularem excellentiam, vel vtilitatem ad perficiendum in virtute habent; ergo non omnia opera virtutis possunt dici cadere sub consilio, etiamsi vel meliora sint aliis sibi repugnantibus; vel eorum carentia, seu voluntaria omissione.

Hæc obiectio postulat, vt materiam, varietatem, seu amplitudinem consiliorũ breuiter explicemus, priusquam illi directè respondeamus. Distinguitur ergo potest consilium in generale, & particulare. Voco generale, seu vniuersale, non quia non versetur circa materiam particularem, & determinatam; id enim est impossibile, cùm actiones sint circa singularia; sed quia non datur solùm propter suam honestatem, sed etiam propter vtilitatem ad alias virtutes, præsertim ad perfectionem charitatis obtinendam; ratione cuius dici potest tale consilium vniuersale in causando, non in essendo. Particulare autem consilium voco illud, quod de aliquo opere solùm propter suam ipsius honestatem datur, & aliis minus bonis præfertur. Priora consilia ex parte materiæ tria tantùm numerantur, scilicet, paupertatis, castitatis, & obedientiæ; & de his loquitur D. Thomas in loco citato, vt ex discursu eius manifestum est. Et patet, quia singula illorum iuuant plurimum ad omnia genera virtutum, & ad liberandum animum à curis, & solicitudinibus, quæ & pericula peccandi afferunt, & Deo vacare impediunt; & omnia simul sufficienter hoc munus præstant: vt ibi D. Thomas demonstrat, & infra tractando de proprio statu religioso, dicemus.

2. *Consilium in generale & particulare distinguitur.*

*Consilia generalia ex parte materiæ tria sunt, paupertas, castitas, & obedientia.*

Dixi autem hæc tria numerari ex parte materiæ: nam ex parte modi addi potest, quod est consilium firmandi per votum talia consilia. Nam seruare virginitatem etiam sine voto, consilium est: illam autem firmare voto, nouum consilium est, & sic de cæteris. Quia vero hoc consilium vouendi per omnes materias virtutum vagari potest, & quia supra cætera consilia quasi reflectitur, & cum singulis quasi vnum efficitur: vel etiam, quia quodammodo transfert consilium in præceptum, & sub necessitate constituit, quod erat liberum, ideo inter hæc generalia non numeratur, vt distinctum, sed sub illis comprehenditur. Atque ita hæc tria consilia dici per antonomasiam solent consilia Euangelica; vel consilia perfectionis: vel denique absolutè, & simpliciter cõsilia; alia enim sunt veluti secundùm quid, aut respectiuè tantùm, vt iam explicò.

3. *Cur votum inter generalia consilia non numeratur.*

Particularia ergo consilia quamplurima recenseri possunt; & in omni materia virtutis locum habent: hoc probat sufficienter obiectio facta. Et declarari potest, quia in primis in ipsismet operibus præceptis, in quacunque virtute habet locum consilium ratione circumstantiarum. Vt ratione temporis, si opus pro certo tempore præceptum, non in eo tantùm, sed in aliis voluntariè fiat. Et sic audire sacrum extra diem festum, vel ieiunare extra obligationis tempora consilium est. Et sic etiam dilectio inimicorum, quæ absolute est præcepta, dicitur esse sub consilio, quantum ad beneficia, aut alia signa benenolentiæ inimico præstanda tempore non debito. Idem contingere potest ratione quantitatis, vt si quis præcepto eleemosynæ obligatus, maiorem faciat, quàm teneatur. Item ratione modi, si feruentius, vel propter finem altiorem, quàm teneatur, opus faciat. Quæ omnia in qualibet materia virtutis locum habent. Fundanturque in illis principiis, quòd præcepta affirmatiua solùm obligant pro certis temporibus, & quòd non obligant ad omnem meliorem modum: nam inde consequenter sequitur maiorem frequentiam, vel meliorem modum esse sub consilio per se loquendo, quia bonitatem augent, vel multiplicant. Atque his modis dari possunt consilia, etiam in actibus quoad substantiam præceptis. Circa alios verò, si qui fortasse sunt, qui nullo modo nec quoad substantiam, nec quoad speciem præcipiuntur, dari possunt consilia, quoties maius bonum non impediunt, vt in liberalitate, & eutro-

4. *Particularia consilia plura sunt, vt probat ratio supra facta. Declaratur.*

eutropelia, & similibus virtutibus fortasse contingit. De quare videri possunt, quæ in lib. 2. de legibus, cap. 7. à num. 11. diximus.

5. *Quæritur an consilia non solum in operanda virtute, sed etiam in cauendo mala, versari possint? & non solùm de vitandis malis, & eorum fugiendo.*

Denique non solùm in operanda virtute, sed etiam in cauendo mala, possunt consilia versari; non quidem quantum ad non faciendum malum, hoc enim semper est in præcepto; sed quantum ad media, quæ adhibentur ad cauendum malum. Vt cùm quis ieiunat propter comprimendam libidinem, vel abstinet à iuramento, etiam licito, vt longior fiat à periculo peierandi, vel irreuerenter iurandi; quomodo aliqui censent consilium contineri in illis verbis Matth. 5. *Non iurare omnino*, vt in propria materia tractaui. His ergo modis in omni materia virtutis possunt particularia consilia multiplicari. Quæ ideo diximus non absolutè, & simpliciter, sed respectiue, & secundùm quid de comparatione priorum consiliorum cenferi posse consilia; quia illa priora per se, & absolute consuluntur, & non præcipiuntur: cætera verò ordinariè versantur in materiis præceptorum, vel grauium, vel saltem leuium; & solùm ratione circumstantiarum sub consilium cadunt. Et ideo etiam tunc non simpliciter consuluntur, sed per comparationem & respectum ad actus, vel omissiones actuum minus bonas. Vt v.g. consulitur actus studii respectu otiositatis; vel si aliquid melius tunc operandum non sit, non tamen simpliciter, nisi in casu, in quo obedientia, vel alia virtus excellentior; v.g. charitas, illud exigat. Et sic oratio consulitur per comparationem ad actionem generatim loquendo: in particulari tamen non semper consulitur, nisi sub conditione, nisi aliud opus non magis expediat, quod per orationem impediretur. Et in eodem ferè sensu concedi potest omnem actum bonum cadere posse sub consilium, respectu entitatiæ ipsius, non tamē simpliciter, sed ex suppositione, quod aliud melius, vel saltem æquale faciendum non sit. Ex his ergo satis ostensum est, & consilia distingui à præceptis, & quomodo distinguantur; & in omni materia virtutis inueniantur. Oriebatur autem hoc loco specialis difficultas de virtute charitatis; an in eius materia sit etiam consilii locus? eam verò soluendo, argumenta in præcedenti capite posita commodiùs expediemus.

6. *Quid dicendum ad obiectionem in principio propositam.*

Ad obiectionem autem in principio propositam responsio patet ex dictis; jam enim explicatum est, qua ratione sint tantùm tria consilia generalia, & præterea sint multa alia particularia, quorum distinctio aliis verbis, & in specie contraria explicari potest. Nam quædam dici possunt consilia generalia, & communia, quia ab omnibus fidelibus, & in quocunque statu obseruari possunt: vt sunt ea, quæ in priori modo loquendi particularia vocauimus, vt ieiunare, orare, &c. tempore non debito: abstinere à vino, & carnibus; quod est exemplum Augustini serm. 61. de tempore. Alia verò, quæ vniuersalia in causando vocauimus, dici possunt specialia; quia sunt propria religiosi status. Aliter etiam explicatur illa diuisio trium consiliorum, distinguendo consilia, quæ dantur in materia quidem præceptorum; quatenus ratione temporis, modi, aut aliquarum circumstantiarum, sunt extra obligationem præcepti; & hæc non sunt tria tantùm, sed innumera. At verò sunt quædam materiæ, quæ omnino sunt extra præceptum, vt virginitas, seu abstinentia ab omni libidine, paupertas, & voluntatis propriæ renuntiatio; & hæc dicuntur consilia simpliciter, seu quasi per antonomasiam, & hæc tria tantùm numerantur. Ad confirmationem etiam in principio positam concedendum est, omne opus bonum non præceptum posse esse opus consilii, non quidem simpliciter in vniuersum loquendo, sed comparatione facta ad puram omissionem eius, vt explicatum est.

7. *Consilia multiplicantur diuidunturque. Primò in consilia Euangelica & essentialia ad statum religiosum, & in quasi accidentalia.*

Ex quibus tandem notandæ hîc sunt, & in summam redigendæ nonnullæ diuisiones consiliorum, quibus sæpe in sequentibus vtendum erit. Prima, & præcipua est iam tacta; quia quædam sunt consilia principalia, quæ per antonomasiam dicuntur Euangelica; quia primùm fuerunt à Christo tradita: dicuntur etiam essentialia ad religiosum statum, seu substantialia religionis, vt sunt illa tria, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quibus impedimenta perfectionis simpliciter auferuntur; & homo Dei obsequio simpliciter, & omnino dicatur: reliqua verò sunt quasi accidentalia; quamuis multa sint ad plenitudinem perfectionis necessaria. Alia diuisio esse potest; quia sicut præcepta, ita etiam consilia affirmatiua, & negatiua esse possunt. Nam inter illa tria principalia, consilium virginitatis negatiuum est ex parte materiæ, quia per se non consulit actum, sed potiùs abstinere ab actu. Idemque est de paupertate: nam licet ad eam sæpe requiratur actus alienandi res, iuxta illud, *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*; nihilominus propria materia talis consilii est ipsa carentia bonorum; actus verò requiritur, vt causa eius, quando diuitiæ potiùs possidebantur. At obedientiæ consilium affirmatiuum est, vt constat. Idemque in aliis consiliorum materiis facile desiderari potest. In qua diuisione obseruare oportet negatiua consilia non remouere malum morale: nam hoc necessitatis est, non consilii; sed remouere occasionem mali, vel etiam minoris boni; vel quæ delectabilia sunt corpori; & maxime, quæ implicant negotiis secularibus: vt dixit D. Thom. d. q. 186. art. 2. ad 3. At verò consilia affirmatiua semper sunt de actibus bonis, & sub aliqua ratione melioris boni, vel simpliciter, vel respectu talis personæ, vel in tali occasione; de quibus plura attingemus in libro sequenti cap. 1.

*Secundò diuidunturque consilia in negatiua, & affirmatiua.*

*Consilia negatiua non remouent semper malum morale, sed occasionem mali.*

## CAPVT IX.

### *Satisfaciendo fundamentis hæreticorum nonnulla dubia de consiliis Euangelicis explicantur.*

1. *Prima hæretcorum obiectio soluitur primò.*

SVpereſt, vt ad motiua hæreticorum respondeamus. In primo adducitur testimonium Pauli ad Philip. 4. vbi Paulus monet generaliter fideles, vt omnia sancte, pure, vere, ac synceriter faciant. Respondere autem possumus in primis per illa verba magis præcipi modum operandi, quàm operum multitudinem, aut varietatem; cum enim dicit, *Quæcunque sunt vera*, non præcipit omnibus, vt omnia veræ virtutis opera faciant; id enim impossibile fere est. Præcipit ergo, vt omnia, quæ faciunt, vere faciant, id est syncere, & sine hypocrisi. *Quæcunque boni nominis*, id est, quæcunque facitis talia sint, vt bonum nomen conciliare possint: nec enim omnia, quæ bonæ sunt famæ, facere vnusquisque potest; & sic de reliquis. Et hoc significauit Bellarminus suprà, cùm dixit, illa verba negatiuè esse intelligenda. Non quia non moneat Paulus, vt hæc faciamus; cùm concludat, *hoc agite*, sed quia præcipit fieri tali modo, vt sine fictione, seu impuritate, & fuco fiat. Et hoc etiam significauit ibi Caietanus. Additque etiam significari à Paulo, nihil ex his bonis Christianis prohiberi, etiamsi necesse non sit omnia ab omnibus fieri.

2. *Secunda & facilior solutio.*

Facilius verò dicitur Paulum ibi non exhortari tantùm ad opera præceptorum, sed generaliter ad omnia bona, & honesta, siue præcepti opera, siue consilij; ipse enim Paulus non solùm faciebat opera bona præceptorum, sed etiam optima consiliorum:

& vtraque etiam docebat; & tamen generaliter concludit, *Quæ didicisti, & cepisti, & vidisti in me, hæc facite.* Nec in omnibus illis exhortatoriis verbis est aliquod illa restringens ad præcepta, vel consilia: sunt ergo verba generalia, & indifferentia ad singula operum genera; ideo iuxta illorum capacitatem, & materiam sunt applicanda.

3. *Explicatur verba Mat. 5.*

Idem dicendum est de loco ad Ephes. 6. & similibus. Verbum autem Christi, *Estote perfecti*, de perfectione iustitiæ necessaria, & essentiali sufficienter intelligitur, & omnia, quæ ibi Christus docet, ita possunt exponi, vt præceptum contineant, saltem in animi præparatione, vt est vulgare. Quanquam etiam prior responsio possit ad totum illum Christi sermonem applicari, nimirum, vt absolutè perfectionem Christianam doceat, tradendo præcepta, & insinuando consilia, & præcipuè quæ tunc in principio Euangelicæ prædicationis erant necessaria. Et ita cùm ait, *Estote perfecti*, omnem perfectionem includit: verbum autem, *estote*, non limitatur ad rigorem præcipiendi, vel lenitatem consulendi; sed indifferenter, vt verbum exhortationis accipiatur, quoad singula cum partitione accommoda applicandum sit. Quem sensum D. Thomas ibi satis indicat, & omnes ferè expositores fatentur in his, quæ ibi Christus attigit, & legi antiquæ addidit, quædam præcepti, alia consilii contineri: ergo perfectio, ad quam hortatur, ita est accipienda, vt & necessariam, & abundantiorem complectatur, quanuis non vtramque præcipiat.

4. *Explicatur verba Ioan. 13. & 15.*

Denique de Christi præcepto Ioan. 13. & 15. idem dicendum est. Nam cùm præcipit, vt diligamus nos inuicem, sicut ipse dilexit nos, particula *sicut*, non dicit æqualitatem, sed imitationem, quemadmodum in loco Matth. 5. *Estote perfecti sicut Pater vester perfectus est*, idem manifestum est. Si ergo imitemur Christum diligendo nos inuicem in his, quæ necessaria sunt (vt vitam corporalem pro æterna vita proximi tempore necessitatis periculo mortis exponendo) tunc sufficienter illud explemus præceptum, vt 1. Ioan. 3. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Si verò imitemur ipsum plus diligendo proximum, quàm in rigore præcepti teneamur, vt periculum mortis aggrediendo propter eius spiritualem vtilitatem, vel ex nobis necessariis, illi etiam non extreme indigenti subueniendo, tunc consilii opus faciendo, Christum imitabimur. Christus ergo absolute hortans nos ad imitandum ipsum in dilectione proximi, vtramque perfectionem imitandam proponit, non tamen vtramque præcipit: vel si verbum illud, Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis*, &c. stricte accipiatur, in hoc maxime se imitandum nobis proponit, vt sicut ipse pro nobis mortuus est ex præcepto Patris, ita & nos pro fratribus animas ponamus, cùm fuerit necessarium.

5. *Soluitur secundum fundamentum.*

Secundum fundamentum hæreticorum ex præcepto charitatis Dei sumebatur, quod argumentum est frequens apud ipsos: nam ex forma illius præcepti male intellecta plures errores deducunt, nimirum, Deum præcipere nobis impossibilia; & in omnibus actionibus hominem, etiam iustum peccare, quia illud transgreditur, & similia. Sed quia explicatio illius præcepti, & verborum, quibus in Scriptura traditur, ad materiam de Gratia, Charitate, & Pœnitentia pertinet, ideo hîc breuiter dicimus,

*Explicatur præceptum Charitatis Dei sumptum ex Matth. 22.*

illud præceptum affirmatiuum esse, & particulare formaliter, vt sic dicam, id est, de particulari materia, & actu; virtute autem esse vniuersale, & negatiuum etiam præceptum inuoluere. Quatenus ergo particulare præceptum affirmatiuum est, solum obligat ad eliciendum actum proprium dilectionis Dei, qui est actus internus à voluntate elicitus, & ad modum essentialem talis amoris Dei, qui communiter dicitur, *super omnia*, & in forma præcepti explicatur per illa verba: *Ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus.* Nam, cùm dicitur, *ex toto corde*; nihil aliud præcipitur, nisi vt Deum, tanquam *vltimum finem nostrum diligamus.* Ibi enim, *cor* voluntatem significat. Vnde *ex toto corde*, idem est, quod *ex tota voluntate*; voluntas autem tota quasi adæquatè censetur tendere in vltimum finem, quia illum præfert omnibus, & omnia vult aliquo modo propter ipsum, & in ipso, & consequenter illum super cætera diligit. Sic ergo illo præcepto non obligamur diligere Deum summo conatu, vel intensione, sed summa appretiatione, vt aiunt. Item non præcipimur, vt semper in hoc actu dilectionis versemur, quia præceptum illud affirmatiuum est, & non obligat pro semper. Nec etiam præcipitur nobis, vt nunquam alium actum amoris eliciamus; vel quod perinde est, vt quoties actum amoris elicimus, Deum per actum illum formaliter, & propriè amemus; quia illud, *ex toto corde*, non excludit intensionem voluntatis ad alias res honeste amabiles, cùm illæ non repugnent amori Dei. Ideoque Paulus in citato loco ad Philippenses solùm monet, vt cogitemus *quæcunque amabilia*, vtique, vt ea diligamus. Et Christus ipse præcipit vt diligamus nos inuicem; solùm ergo prohibemur ex vi illius particulæ, vt totum cor in alio, præter Deum non figamus, vtique aliquid aliud, vt vltimum finem diligendo. Denique per illud præceptum formaliter non præcipiuntur alii actus boni aliarum virtutum, sed tantùm virtute, & remotè; & sic etiam non pro semper, sed quando ad diuinum honorem, & amorem conseruandum necessarii fuerint: & consequenter virtute etiam prohibetur quidquid huic amorem excludit, quale est omne peccatum mortale.

6. *Declaratur vlterius id præceptum charitatis.*

Hinc ergo manifestum est per hoc præceptum nõ excludi consilia, quia ex eo non sequitur, omnia bona opera in particulari, & prout in diuersis temporibus, & in magna varietate fieri possunt, esse per hoc præceptum mandata. Nec formaliter per illud præcepta sunt, vt declaratum est, & ex forma verborum patet; quia solùm de actu diligendi præceptum loquitur: nec etiam virtute; quia non omnia alia opera bona sunt necessaria ad talem Dei amorem retinendum; quia hæc virtualis inclusio supponit necessitatem in aliis operibus bonis, non facit illam. Ideo enim illa virtualiter includere dicitur, quia necessaria sunt; ergo vt sint necessaria, oportet, vt supponantur alio modo, seu in proprio genere, vel ratione suæ propriæ honestatis esse præcepta. Ergo opera bona, quæ ex se, vel aliis positiuis legibus præcepta non sunt, ex vi solius præcepti dilectionis Dei non præcipiuntur; & consequenter possunt esse sub consilio, non obstante illo præcepto dilectionis Dei. Addo præterea, quòd ea ipsa, quæ in illo præcepto virtute continentur, non vt facienda pro quolibet tempore, sed pro quo necessaria, vel determinata fuerint, continentur, vt v. g. in præcepto diligendi Deum, virtute includitur præceptum colendi ipsum, vel adorandi; aut etiam præceptum diligendi proximum, eiusque miserendi; & nihilominus ex vi dilectionis Dei, non obligamur pro semper colere Deum, vel diligere proximum, aut eleemosynam facere; sicut etiam propria, & specialia præcepta talium actuum non pro semper ad illos exercendos obligant, quia omnia sunt affirmatiua, & eadem est ratio de omnibus. Ergo etiam ex hac parte præceptum dilectionis Dei non excludit, quin multi boni actus sint sub consilio, saltem pro eo tempore, pro quo alia præcepta non obligant.

Nec

7. Explicatur varietas verborum Matt.

Nec contra hoc obstant aliæ particulæ illius præcepti, *ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus*; quia per omnes has particulas non res noua significatur; nec aliquid speciale per singulas præcipitur; imò nec aliquid additur, quod per particulam, *ex toto corde*, præceptum non fuerit: Vt rectè adnotarunt Card. Bellar. tom. 1. lib. 2. de Monachis cap. 3. & Barrad. tom. 3. lib. 8. cap. 20. & Mald. Matth. 22. & ideo illa sola in aliis Scripturæ locis ponitur: vt Psal. 118. ait Dauid, *In toto corde meo exquisiui te*; & ideo de illo dicitur Eccles. 47. *De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum.* Et idem legitur 3. Reg. 14. & ibi additur: *Custodiuit mandata mea, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* In quo significatur, dilectionem ex toto corde, etiamsi nihil addatur, esse dilectionem perfectam, quæ aliorum præceptorum obseruationem, & voluntatem placendi Deo virtute includit, ac proinde sufficere ad implendum summum dilectionis Dei præceptum. Sicut etiam conuersio ad Deum ex toto corde ad veram conuersionem sufficit, vt constat Ierem 24. Igitur per alias particulas non res noua, vel distinctus modus significatur, sed perfectio illius amoris exaggeratur, & distinctiùs explicatur.

8. Explicatur particula, *ex tota mente tua.*

Quod ergo dicitur, *ex tota mente tua*, omittitur Deuter. 6 10. & 11. quod est signum per illam particulam nihil peculiare præcipi, sed explicari, quod in priori particula implicite continebatur. Nam si mens accipiatur pro superiori animæ portione, sub illa cor, id est, voluntas includitur: si autem pro intellectu, vt à voluntate distinguitur, sic cùm voluntas intellectum sequatur, non potest quis toto corde diligere, nisi intellectus cooperetur. Vnde per illam particulam explicatur Deum verè esse diligendum, & sine fictione, & magna cum mentis applicatione ad Dei bonitatem, beneficentiam, & alias rationes diligendi ipsum considerando, vt ita pleno iudicio animus in eum feratur. Vnde 4. Reg. 20. Ezechias sic ad Deum orabat: *Memento, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Et 1. Ioan. 3. *Non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate.*

9. Explicatur particula, *ex tota anima tua.*

Item, quod additur, *ex tota anima tua*, etiam omittitur in aliis locis citatis, & 1. Reg. 7. & re vera nihil addere potest superioribus particulis: nam anima non se monet, nec fertur in Deum, nisi per intellectum, & voluntatem; ergo quod tota mente, & corde amatur, tota etiam anima amatur. Vel ad summum indicari potuit, animam etiam, vt est forma corporis, debere totam in Deum ferri, vtique etiam per appetitum, quatenus illi possibile est, iuxta illud Psal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*; vel certè, quia ita debet homo diligere Deum, vt etiam animam, id est, vitam pro illo ponat: nam anima sæpe pro vita vsurpatur; sic enim de amore proximorum propter Deum dicitur 1. Ioan. 3. *Debemus pro fratribus animas ponere.* Particula denique, *ex omnibus viribus*, in quibusdam locis omittitur: vt Deuter. 4. & 10. & Matth. 22. in aliis verò aliter proponitur. Nam Deuter. 6. dicitur, *Et ex tota fortitudine tua.* Marc. verò 12. dicitur, *ex tota virtute tua*, soluseque Lucas posuit, *ex omnibus viribus*; idem tamen significare voluit: nam per vires significare solemus virtutem operandi, & effectus, qui est præcipuus, & maximus, dicitur tota virtute fieri. Per illam ergo particulam, nihil aliud significatur, nisi Deum esse diligendum præcipuo, & magno amore. Quòd si quis per omnes vires exponere velit, vel intelligere omnia membra corporis, quatenus omnia per amorem Dei, eius obsequio accommodanda sunt, non repugno: vt Tolet. Luc. 10. innuit. Denique Deut. 4. additur alia particula, *& tota tribulatione anima tua*, quæ vel ad amorem non pertinet, sed ad contritionem, vel per illam declaratur firmitas, seu magnitudo diuini amoris, quoad æstimationem, seu appretiationem; quia nulla aduersitas, vel tribulatio illum debet impedire.

Explicatur particula, *ex omnibus viribus.*

Igitur ex forma illa præcepti; nulla probabili, vel apparenti ratione potest inferri, quòd ita obliget ad omnia virtutis opera, vt nullum sub consilio relinquat. Quia ex nulla particula illarum, nec ex omnibus simul, nec ex illa exaggeratione, *ex toto corde*, vel *tota virtute*, inferri potest hominem teneri ad faciendum semper, vel summo conatu, vel ipsum Dei amorem, vel aliud opus, quod in quocunque momento possit melius iudicari, aut ad maiorem Dei gloriam pertinere. Quia nec vllus ex Patribus ita illud præceptum intellexit, vt videre licet in Hieronymo, Chrysostomo, Hilario, Ambrosio, & aliis in citatis locis Matthæi, & Lucæ. Nec modus ille loquendi habet illam vim, aut significationem, vel in Scriptura, vel in communi loquendi modo, sed ad exaggerandum magnitudinem operis, conatus, aut desiderii, vel diligentiæ solemus dicere, toto corde hoc desiderare, vel totis viribus hoc procurasse. Sicut Genes. 31. dixit Iacob, *Scitis, quòd totis viribus seruierim Patri vestro.* Et 2. Reg. 15. de populo Israel dicitur, *Toto corde sequitur Absalon.* In præsenti ergo per illam phrasim excellentia, qua Deus, vt summum bonum, vltimusque finis diligendus est, indicata est, vt dixi. Et ideo ipsamet Scriptura declarat, illum amorem in vi præcepti rigorosi solùm exigere à nobis aliorum præceptorum obseruantiam. Vt Ioan. 14. *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Et è conuerso: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Et 1. Ioan. 5. dicitur: *Hæc est charitas, si mandata eius custodiamus.* Ergo præceptum dilectionis non obligat ad consilia seruanda, nec illorum naturam mutat, nec nouam obligationem, aut necessariam illis adiungit, vt satis declaratum est.

10. *Expenditur quarta ratione non communis hoc faciendum fundamentum hæreticorum.*

11. *Confirmatio sumpta ex Aug.*

Ad confirmationem sumptam ex testimoniis Augustini, & D. Thomæ respondeo in primis Augustinum in loco ibi citato, in lib. 1. de doctr. Christi. à ca. 22. nihil aliud intendere, nisi, quòd ex vi præcepti charitatis Dei solus Deus propter se diligendus est, ita vt in illum tota voluntatis intentio feratur vltimate, & reliqua omnia propter ipsum aliquo modo diligantur. Vnde ante verba in argumento citata sic inquit: *Hæc regula dilectionis diuinitus constituta est. Diliges proximum tuum, sicut teipsum; Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ipsa, quæ confers.* Vbi videtur illas particulas talis præcepti explicare, non tam ex parte principii diligendi, quàm ex parte obiecti, seu materiæ amoris, vt sic dicam, id est, vt diligere Deum ex toto corde, non sit toto conatu cordis ipsum diligere, sed totum cor illi consecrare, & in ipsum conferre: quod fit, eo ipso, quòd Deus, vt vltimus finis diligitur, & sic de reliquis. Et ita hæc sententia Augustini in nullo discrepat ab his, quæ diximus. Atque eundem planè sensum habent verba superiùs citata, quæ statim subiicit, inquiens: *Cùm dicitur toto corde, tota mente, tota anima, nullam vitæ nostræ partem relinqui, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt aliare velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus diligentis impetus currit.* Quæ sententia in se verissima est (quidquid sit de verborum præcepti interpretatione) & per illam solùm intenditur, quòd hoc præceptum obligat ad nò diligendum aliquid, etiam propriam vitam, mentẽ, vel animam, fruendo illa; & ita in illa sistendo, vt amor non tendat in Deum, saltem virtute, sicut Paulus aliàs monet, *Omnia in gloriam Dei facite*, vt alios ex-

libi exposuimus. Propter hoc autem non fit, vt omnia opera bona sint in præcepto, & nullum in consilio, quia semper referuntur in Deum aliquo modo; etiamsi spontaneè, & sine obligatione præcepti fiant.

12. Solet autem interdum docere Augustinus, tale esse præceptum charitatis Dei, vt non possit in hac vita perfectè impleri, quasi illo præcipiamur summo conatu, & sine vllo omnino defectu Deum semper, ac sine vlla cessatione diligere, quod in hac vita possibile non est, sed in futuram reseruatur. Ita sentit August. lib. de spirit. & liter. cap. 36. & lib. de perfect. iust. quem imitatur Bernardus serm. 20. & 50. in Cant. & D. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 6. & quæ. 184. art. 6. Veruntamen quidquid sit de literali sensu præcepti, ad quem fortasse illa subtilitas Augustini necessaria non est; in ipsa sententia, & doctrina nihil Aug. ab his, quæ diximus, discrepat. Quia in eisdem locis docent isti Patres, posse in hac vita hoc præceptum ita impleri, vt nullum peccatum, nullaue præuaricatio contra illum committatur; etiamsi non pro singulis temporibus diligatur actu Deus, vel licet non semper propter illum operemur, quantum possumus. Vnde fatentur, quod est per se euidentissimum, nihil nos peccare nunc non amando Deum illo modo, & perfectione, quo Beati ipsum diligunt. Sic enim dixit August. lib. de spirit. & lit. cap. 36. *Neque enim, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illa cognitioni plenè perfectæ videtur* (vtique visionis Dei) *iam culpæ deputandus est.* Idemque habet D. Thomas d. quæst. 184. art. 3. ad 2. Et nihilominus dicunt, non excludi illam perfectionem patriæ ab hoc præcepto, sed in illo contineri, non quidem tanquam materiam eius, sed vt finem, vt rectè expositit Caietanus, ac subinde ex vi huius præcepti debere nos habere in intentione, & affectu illam perfectionem amoris patriæ, quia ita debemus hîc amare Deum, quantum hîc possumus, vt in affectu, & spe habeamus perfectissimum amorem patriæ. Quæ doctrina in se vera est, quidquid sit de necessitate eius ad explicandum præceptum, quod alibi tractandum est. Et ex illa etiam nihil sequitur contra doctrinam datam de consiliis, nec contra libertatem operandi aliquando id, quod minus perfectum est, absque peccato; quia sic operando non desistimus ab illa intentione, & affectu diligendi Deum summa perfectione patriæ, quia executionem eius non hîc, sed in beatitudine consequi nemur, aut possumus.

*Ex vi præcepti charitatis tenemur habere in affectu, & spe perfectissimum amorem patriæ.*

13. Aliud verò testimonium D. Thomæ in illa confirmatione obiectum nouam difficultatem à nobis postulat: sequitur enim ex dictis posse in materia charitatis dari specialia consilia; consequens non videtur admittendum; ergo. Minor probatur, quia D. Thomas suprà illud negare videtur, quia est contra illam formam præcepti, *ex toto corde*, &c. Quia, qui totum dicit, omnia includit; ita vt nihil ei addi possit; & ideo omnem perfectionem comprehendit. Nam, vt Aristoteles dixit 2. Physic. *Perfectum est, cui nihil deest*; ergo nihil consulendum in tali materia relinquit. Confirmat, quia in præcepto charitatis nulla cadit mensura; ergo in sua mensura nihil consulendum relinquit. Antecedens patet, quia mensura non adhibetur in fine, sed in mediis, charitas autem est finis: nam Deum respicit proximè, vt vltimum finem; ergo non habet certam mensuram, cui per consilium aliquid addi possit.

*Vrgetur difficultas sumpta ex D. Thoma.*

14. Nihilominus tamen sequela in obiectione facta probatur, quia præceptum illud non obligat ad semper diligendum; ergo frequentiùs diligere actu Deum, erit sub consilio. Antecedens suppono tanquam certum, sequiturque ex illo fidei principio, quòd præceptum Dei non obligat ad rem simpliciter impossibilem; de quo videri possunt adnotata in lib. 1. de Legib. cap. 9. à num. 15. & quæ latiùs tractat Bellarm. lib. 4. de Iustif. ca. 11. & sequentibus. Semper autem, ac continuè, & sine intermissione Deum actu diligere in hac vita homini est impossibile; non solùm tempore somni, sed etiam in tempore vigiliæ, propter necessariam attentionem, & distractionem mentis ad cogitationes alias, & curas humanas, sine quibus hæc vita transigi non potest. Et quamuis per miraculosam, & extraordinariam gratiam, posset Deus hoc donum, vel potestatem homini conferre, præceptum tamen dilectionis Dei non supponit hoc donum, vt est per se notum: & ideo ad talem continuationem in hac vita obligare non potest. Retinet ergo naturam præcepti affirmatiui, quæ est non obligare pro semper. Hinc ergo euidens fit illatio: nam, si tempora, pro quibus præceptum illud obligat, per ipsum essent determinata, extra illa elicere actum charitatis Dei, sub consilio esset; quia verò non determinat certa tempora, ideo non obligat, nisi iuxta occasiones occurrentes prudenti arbitrio determinandas, vt necessarias; ergo extra illas exercere illos actus, ad consilium pertinet. Idem argumentum fieri potest de intensione dilectionis Dei, quia non cadit sub illud præceptum, vt dilectio sit summè intensa. Imò nec certam intensionem ex obligatione requirit. Vt de contritione dixi, tractando de Pœnitentia; & de charitate tetigi in materia Gratiæ: &, si Deus concesserit, in propria materia iterum dicam; ideoque feruentissimos actus dilectionis Dei exercere, ad consilium pertinet.

*Solutur ratio facta*

15. Simile argumentum sumitur ex actibus imperatis à charitate. Nam, potest quis ex immediato imperio charitatis renunciare sæculo, & temporalia bona relinquere, &c. qui actus externi sunt in consilio; ergo actus etiam interni, quibus imperantur, tantùm erunt in consilio: at illi actus sunt eliciti à charitate, licet sint proxime imperantes dictos externos actus; ergo proprii actus charitatis Dei sæpe cadunt sub consilio. idemque procedit, etiamsi charitas non immediate moueat ad externum actum, sed mediante alia virtute, cui imperat, seu eius actum refert in honorem Dei. Nam licet *omnia facere in gloriam Dei*, vt Paulus monet 1. Corinth. 10. secundùm quendam modum possit esse in præcepto, id est, secundùm relationem virtualem, vel aptitudinalem, & quasi intrinsecam, & essentialem actui: nihilominus, quòd in omnibus bonis operibus id faciamus per formalem actum charitatis, non est præceptum, sed consilium: vt in lib. 2. de Legib. cap. 11. dixi. & latiùs in materia de Gratia lib. 1. & in tract. de Fide. Et sumitur ex eodem D. Thoma 1. 2. q. 100 art. 10. dicente, hunc modum operandi moralem virtutem, referendo illam per actum charitatis formalem in Deum, non cadere sub præceptum, quod pro semper obliget, sed tantùm pro eo tempore, pro quo dilectio Dei obligat, ac proinde reliquis temporibus esse tantùm sub consilio. Præterea, quod diximus de charitate erga Deum, locum etiam habet in dilectione proximi, quia rarò ex præcepto obligamur ad actus internæ dilectionis circa proximum exercendos, quos tamè interdum exercere optimum consilium est, & quo fuerint intensiores, eo magis consulétur, cæteris paribus. Item ex parte obiecti possunt consilia magnæ perfectionis inueniri. Sic enim in materia diligendi inimicos multa sunt de consilio, etiamsi amor illorum absolutè sit de præcepto. Et se exponere magnis laboribus, & periculis propter salutem proximorū, ordinariè opus consilii ad charitatē pertinentis est; quandoq

*Confirmatur solutio.*

quando nec charitas, nec iustitia in rigore obligant. Denique idem habet locum in amore charitatis erga seipsum, vt ex dictis est per se clarum.

16. *Declaratur D. Thomæ in contrarium allatum.*

Ad difficultatem ergo respondeo concedendo sequelam; verbaque illa D. Thomæ sano modo esse interpretanda. Nam cùm ipse fateatur, modum charitatis non semper cadere sub præceptum, non potuit absolutè negare cadere sub consilium, cùm modus ille maioris perfectionis sit, quàm illud solum, quod proprie, & in materia legis præcipitur; ergo etiam in præcepto charitatis aliquid, quod est plus, sub consilio remanet. Sicut ergo D. Thomas cum Augustino dixit, summam perfectionem dilectionis Dei, etiam illam, quæ in hac vita haberi non potest, non excludi ab hoc præcepto, vtique, quia per modum finis, non vt materia eius, in eo continetur, vel potiùs indicatur; ita dixit: *Id, quod est plus, non cadere sub consilium*, vtique comparatione facta ad perfectionem amoris contentam in præcepto per modum finis. Nam sic quælibet minor perfectio, licet excedat rigorosam obligationem præcepti, multò magis continetur in illo per modum finis. Quia verò id, quod est finis respectu vnius, potest esse medium respectu alterius (vt rectè ibidem Caietanus notauit) ideo illud etiam plus, seu illa maior perfectio amoris huius vitæ potest esse medium ad consummatam perfectionem patriæ; & vt sic potest esse medium non necessarium, sed vtile, ac subinde non sub præcepto, sed sub consilio.

17. *Soluitur primatio superioris distinctione.*

Nec contra hoc procedunt rationes in obiectione adductæ. Ad primam enim respondetur, ex forma præcepti in rigore nihil posse colligi: quia (vt dixi) per illam particulam *ex toto*, non quælibet totalitas, vt sic dicam, nec summa perfectio amoris significatur, aut præcipitur, sed illa, quæ consistit in perfecta tendentia ad Deum, vt vltimum finem, per amorem, quo & ipse super omnia, & alia propter ipsum diligantur. Vltra hanc autem perfectionem, seu totalitatem, aliquid plus in ipsomet amore dari potest, quod sub consilium cadat, vt explicatum est. Admittendo autem, sub illa particula, *ex toto*, comprehendi summam perfectionem possibilem homini saltem in patria, cùm illa non comprehendatur, vt materia præcepti, sed vt finis præcepti, non excluditur, quin aliqua maior perfectio, quàm præcepta, vt materia, & minor quàm sperata, & proposita, vt finis, possit esse sub consilio, tanquam aptius medium ad illam consummatam perfectionem obtinendam.

18. *Soluitur secunda ratio eiusdem obiectionis. Caritas non habet mensuram quoad extensionem, & feruorem, habet tamen quoad intensionem, & determinationem.*

Ad secundam rationem, seu confirmationem, quòd finis non cadit sub mensuram, respondetur, actum charitatis patriæ, licet sit finis præceptorum, & in illo non adhibeatur mensura, seu limitatio, quoad exercitium, & feruorem eius (iuxta illud Bernardi, *Modus diligendi est fine modo diligere.*) nihilominus quoad obligationem aliquam mensuram, seu determinationem recipere; quia charitatis actus, vt in via præcipitur, est medium ad perfectionem charitatis patriæ acquirendam; & ideo necessariò dicendum est, in illo, vt sic, dari certam mensuram, vltra quam potest aliquid plus sub consilio esse, vt satis explicatum est.

19. *Respondetur ad tertium fundamentum hæreticorum.*

Ad tertium fundamentum principale pro hæreticis propositum ex ratione sumptum, negamus minorem, asserimusque, etiam respectu Dei posse dari opera supererogationis, id est, quæ superent id, quod mandatum est. Quod his verbis expresse dixit Chrysost. hom. 8. de Pœnit. *Nequaquam Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multa & ipsa superant mandata; ergo si impossibilia fuissent, minus sua sponte superassent.* Et Hieron. lib. 1. contra Iouinianum: Christus, ait, *ideo plus amat virgines, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum, maioriseque gratiæ est offerre, quod non debeas, quàm reddere, quod exigaris.* Ergo possunt virgines supra id quod debent, aliquid offerre, seu erogare. Vnde Augustin. lib. de sanct. virginit. cap. 30. *Si aliquid amplius*, vtique vltra debitum, *supererogaueritis, in redeundo, reddet vobis.* Et serm. 18. de verbis Apost. de virginibus ait: *Amando te, plus facimus, quàm præcipis.* Imò ipsemet Dominus satis clarè hoc docuit Matth. 19. Nam cùm dixisset, *seruа mandata*; & adolescens dixisset, hæc omnia seruaui, replicauit Christus esse aliquid, quod vltra mandata ad perfectionem assequendam fieri posset, videlicet vendere omnes facultates, & sequi ipsum, quod rectè notauit Augustin. epistol. 89. ad Hilarium. Nec aliud docuit idem Dominus in alio loco Luc. 17. cùm dixit, *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* Quia non dixit, nihil amplius facere poteritis, quod bonitatem aliquam præceptis addat, sed monuit, vt nihilominus se vt seruos inutiles recognoscerent: vel quia non tam suis viribus, quàm gratia Dei præcepta impleant, vel quia vtilitas illius obedientiæ in ipsos redundat, nō in Deum. Et ita dicunt multi Patres, per illa verba præcepisse Christum humilitatem, & animi submissionem: ex quo non sequitur, vt opera supererogationis negauerit.

*Explicatur verba Luc. 17.*

20. *Alius sensus eorumdem verborum.*

Imò addendum est, iuxta alium valdè probabilem sensum supra insinuatum, quemque Maldonatus docte prosequitur, ibi Christum docere voluisse, debere nos aliquid vltra præceptorum exigentiam in obsequium Dei sponte facere, vt cumulatiorem gratiam, & remunerationem à Deo consequamur. Sic enim vocat seruos inutiles, qui solùm ea faciunt, quæ præcepta sunt, vt declarat subiuncta ratio, *Quæ debuimus facere, fecimus*; id est, sola illa. Tales autem serui dicuntur inutiles, non quia non fecerint, & quasi soluerint quæ debebant, sed quia nihil sua sponte in gratuitum amorem sui Domini perfecerunt. Et ideo non concludit Christus, nunquid reddet ei condignum stipendium, seu statutam mercedem; sed *nunquid habebit gratiam seruo illi, qui fecit, quod illi imperauerat?* id est, nunquid vltra stipendium debitum reddet ei, qui solum illud, quod tenebatur, fecit; & sic respondet, *non profecto.* Docens, debere nos liberaliùs cùm Deo agere, si volumus eum erga nos largiorem etiam experiri. Ergo supponit nos ex diuino amore posse multa facere, vltra ea, quæ præcepta nobis sunt.

21. *Quæ ratione nequeamus Deo debitum quàm illi respondere possimus.*

Ad rationem autem, qua hoc impugnatur, quia plus Deo debemus, quàm illi rependere possimus; respondendum est, duplex esse debitum, aliud ex voluntatia, & congruente gratitudine, aliud ex proprio debito obedientiæ, seu necessitate, quæ rigorosum præceptum imponit. De priori debito vera est illius rationis assumptio, sed ex illa nihil concluditur; quia illudmet gratitudinis genus non semper cadit sub præceptum, & ita sub consilio relinquitur. Si autem antecedens illud de secundo genere debiti intelligatur, falsum est; quia (vt diximus) licet potuisset Deus multa vel omnia, quæ illi ex gratitudine debemus, rigoroso præcepto à nobis exigere; non tamen fecit, nec id fuisset consentaneum prouidentiæ suæ, vt explicatum est. Igitur ex eo, quòd quidquid boni habemus, à Deo accepimus; in rigore præcepti solùm ad sequentia tenemur. In primis, vt hoc ipsum recognoscamus, & humiliter fateamur, & quòd debitis temporibus pro acceptis beneficiis gratias agamus. Deinde, vt quidquid boni facimus, in ipsum, tanquam in vltimum finem, in eiusque gloriam aliquo modo referamus. Denique, vt in nulla re illum offendamus. At verò gratitudo ad Deum non obligat nos in rigore præcepti, vt virginitatem

nitatem seruemus, vel paupertatem sectemur, vel alia bona opera non præcepta faciamus: quanuis, si illa ex gratitudine ad Deum facere velimus, optimè id facere possimus; quia nunquam debitum illud exhaurite, aut ei adæquate satisfacere valemus: tunc verò etiam in ratione gratitudinis opus consilii faciemus, non præcepti.

22. *Verum cõsilium aliquam obligationem licet leuiorem inducat.*

In prima confirmatione illius tertiæ rationis petitur, an consilium aliquam obligationem, licet leuiorem, inducat. Aliqui enim Scholastici ita sentire videntur; illi nimirum, qui in hoc peccatum veniale à mortali distinguunt, quòd mortale est contra præceptum, veniale verò contra consilium: vt sunt Scot. in 2. dist. 21. quæst. 1. & Gabr. dist. 22. quæst. 1. art. 3. & in 4 d. 16. quæst. 5. art. 1. not. 1. & fauet D. Thom. 1. 2. quæst. 88. art. 1. ad 1. quatenus ait veniale peccatum non esse contra præceptum; quod etiam Alensis sensit 2. p. quæst. 106. memb. 5. vers. *Contra quintam.* ad 3. & Bonauent. in 4. dist. 42. art. 1. q. 1. Inde enim sequi videtur, peccatum veniale esse contra consilium; quia inter præceptum, & consilium non est medium; ergo si peccatum veniale non est contra præceptum, erit contra consilium.

23. *Videri peccatum veniale agere contra consilium.*

Vnde alii (vt refert Vega lib. 11. in Trid. c. 2.) dixerunt, consilia esse præcepta minima, de quibus dixit Christus Matth. 5. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Ex quibus omnibus consequenter infertur, consilium aliquo modo obligare ad sui obseruationem, saltem sub culpa veniali. Iuxta hanc ergo sententiam respondebitur ad illam confirmationem; dissentire à diuina voluntate in his, quæ consilii sunt, aliqualem culpam esse, venialem tamen: & in hoc distingui consilium à præcepto. Potestque hoc suaderi, quia velle agere contra consilium, vt v. g. velle non esse religiosum, non est bonum; ergo est malum: ergo signum est, consilium aliquam obligationem inducere. Sicut etiam in religioso velle agere contra vnam regulam, quæ in vi præcepti imposita non est, non caret aliqua culpa, licet talis regula tantum vim consilii habere possit.

24. *Consilium ex se nullã omnino obligationem inducit.*

Nihilominus dicendum est, consilium purum, & qua tale est, nullam obligationem inducere nec etiam sub veniali. Ita docuit Vega suprà, & lib. 14. c. 12. vbi reprobat modum illum distinguendi peccatum veniale à mortali. & consentiunt omnes moderni Theologi 1. 2. q 88. Hocque mihi certum videtur, & clare doceri à Patribus præcedenti capite allegatis; dicunt enim opera consiliorum esse mere spontanea, & libera; & planè sine vlla culpa posse dimitti. Imò videtur clare id docere Paulus 1. Cor. 7. dicens: *Si nupserit virgo, non peccauit; si acceperit vxorem, non peccauit; qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit*, etiamsi contra consilium agat: nemo autem de eo, qui mentitur, dicere poterit, bene facit, aut non peccat. Eademque ratio est de cæteris consiliis. Et ideo in Scriptura non reprehenduntur, qui consilia non sequuntur; solent autem, qui mentiuntur, & qui verba otiosa dicunt, aliaue peccata venialia committunt, reprehendi.

25. *Ratio à priori cur frangere consilium non sit peccatum.*

Ratio autem à priori intelligetur, respondendo ad primam illam confirmationem. Consilium enim Dei externum, seu nobis propositum immediate solùm indicat dictamen diuini intellectus iudicantis, & approbantis id, quod consulit, tanquam vtilius, & conuenientius ad vitam beatam faciliùs, & perfectiùs consequendam. Nam consilium proprie ad intellectum pertinet. & interiùs est actus eius; exteriùs verò illum actum internum immediate indicat. Vt v. g. cùm Christus dixit Matt. 19. *Si vis perfectus esse, abi, & vende*, &c. proximè significauit nobis, quid de illo medio necessario ad salutem sentiret. Vnde discrepare ab illo per intellectum, existimando illud medium non esse vtilius, ac melius, magna esset ratio iniuriæ, quam illi irrogarent, qui perperam de illis consiliis sentirent. At verò non velle sequi, & exequi consilium illud, non quia non existimatur optimũ, sed quia voluntas propter alias rationes in illud obiectum non inclinatur, nulla est, nec minima ipsius Christi offensio; quia per hoc nullo modo improbatur, nec refutatur consilium eius.

26. *Consilium non metaphoricam, sed propriè voluntatẽ Dei indicat licet ineffacem.*

Vlteriùs verò fatemur, Dei consilium etiam esse signum alicuius voluntatis eius, sed quia non est talis voluntas, quæ obligationem inducat, ideo consilium ad nullã culpam obligare. Declaratur, quia in Deo multiplex est voluntas; vna est propria, & formalis; alia dici potest metaphorica; & multi putant consilium solùm esse metaphoricam voluntatem, id est, signum ipsum. Iuxta quam sententiam facile respondebitur, Deum consulendo ita quidem se gerere, ac si vellet, vt homo tale consilium exequatur, re tamen vera Deum id sæpe, & generaliter non velle; ideoque consilium non indicare in Deo aliquam voluntatem, ratione cuius obligationem inducat. At verius fortasse est, consilium indicare aliquam propriam voluntatem Dei, hæc autem duplex esse potest in Deo; vna est absoluta, & efficax, quam explicamus per verbum præsentis, *volo*; alia est secundùm quid, vel per simplicem affectum, quam explicamus per verbum *vellem*, aut per modum desiderii. Consilium ergo de se non indicat in Deo efficacem voluntatem, sed ad summum simplicem affectum, & complacentiam in tali meliori bono, quæ voluntas de se ad inducendam obligationem non sufficit. Imò vlteriùs voluntas efficax ex parte obiecti proximi subdistinguenda est. Nam quædam est tãtùm de executione, alia tantũ de obligatione imponenda. Et prior nec ad obligationem sufficit, nec necessaria est. Nam licet Deus voluerit efficaciter me esse religiosum, nõ me ad id obligauit; & licet de se non habuerit volũtatem efficacem, vt Petrus v. g. confiteretur Christũ; nihilominus illum ad talem confessionem obligauit, quia de ipsa obligatione imponenda efficacem habuit voluntatem, & hæc est necessaria ad obligationem. Quia ergo consilium talem voluntatem nõ indicat, sed potiùs eo ipso, quòd tãtùm per modum consilii datur, indicat in Deo non esse talem voluntatem, ideo nullam obligationem inducit. Et hoc modo ponderauit Chrysostomus, & alii Patres verba Christi, *Si vis perfectus esse*, &c.

*Quæ voluntas efficax in consilio reperiatur si quæ reperiatur.*

27. *Explicatur Scoti & Gabrielis sententia.*

Vnde ad Scotum, & Gabrielem respondemus, vel refutandam esse illorum sententiam; vel certè ipsos abusos esse nomine cõsilii, cùm omnia illa media, quæ non sunt simpliciter necessaria ad vitam æternam consequendam, dicunt esse sub consilio. Sic enim vitare peccatum veniale dicunt esse sub consilio, hoc autem impropriè, & præter communem vsum dictum est. Et præterea permisso illo modo loquendi, negare non possunt, esse aliqua consilia, quę nec illo modo inducunt obligationem, seu esse aliqua media vtilia ad vitam æternam, quæ omittere nulla sit culpa. Ideoq; licet dicant peccatum veniale esse contra consilium; non tamen è contrario dicẽt, quidquid contra consilium fit esse peccatum veniale; hoc enim erroneum profectò esset. Oportebit ergo, vt duo genera consiliorum distinguant; vnum, cuius transgressio est peccatum veniale, aliud, cuius omissio sine peccato vllo omitti potest. At nos hoc tantùm posterius censemus esse proprium cõsilium, & de illo loqui Paulum, & sanctos Patres, cùm de consiliis Euangelicis loquuntur: illud autem prius magis habere de prohibitione, aut de præcepto, quã de consilio. Quod ita explicatur, quia licet peccatum veniale non auferat ius ad vitam æternam, & ea ra-

*Peccatum veniale ea-*

*Quia non ea ratione dicatur, euitare illud non esse medium necessarium ad salutem.*

ea ratione dicatur, euitare illud non esse medium necessarium, sed vtilius ad salutem; nihilominus ita impedit consecutionem salutis, vt nisi euitetur, vel postquam commissum est, plenè remittatur, nemo cum illo intrabit in regnum cœlorum; & sub hac ratione carentia peccati venialis potest dici necessaria ad salutem, quanuis necessarium non sit, vt in hac vita obtineatur: nam potest in futura comparari. At transgressio consilij nullo modo impedit beatitudinem, nec aliqua eius remissio necessaria est.

28. *Explicantur D. Thomas & alii in contrarium allati.*

Ad D. Thomam vero, & alios respondemus, ipsos non dicere veniale peccatum esse contra consilium; nec negare, quin deroget alicui præcepto, vel sit contra aliquam prohibitionem; sed quia illa est leuis, nolunt simpliciter vocare præceptum, quod pertinet magis ad modum loquendi, quàm ad rem. de quo alibi ex professo dicendum est, nam ad hunc locum non spectat. Ad probationem vero illam, quod velle non seruare consilium, est malum; respondeo posse argumentum retorqueri ex citatis verbis Pauli; quia si velle nubere non est malum, cur è nolle virginitatem seruare, non est malum. Fateor tamen talem actum ex solo obiecto bonum non esse, sed attendendum esse finem, seu motiuum talis voluntatis. Et ita etiam quando velle nubere dicitur esse bonum, intelligitur, si debito modo fiat, id est, si quis id velit propter filiorum procreationem, vel in remedium concupiscentiæ, &c. Idemque est cum proportione de volitione agendi aliquid contra regulam non obligantem ad vllam culpam, vt latiùs infrà in proprio loco dicemus. De vltima confirmatione videri possunt, quæ dixi lib. 1. de Legib. c. 14. n. 9. & 10. vbi explicaui, quomodo consilia Euangelica ad legem Christi pertinere dicantur; non vt sub præceptis contenta, sed vt illis veluti ex plena legislatoris prouidentia adiuncta, & per ipsum approbata, confirmata, & promulgata; & ex ibi dictis, quæ hîc tradita sunt confirmari possunt.

*Soluitur prima probatio.*

*Soluitur secunda & vltima.*

## Caput X.

### *Statum perfectionis non præceptorum tantùm, sed etiam consiliorum obseruantiam includere.*

1. Hæc est conclusio in omnibus his, quæ in præcedentibus capitibus dicta sunt, intenta. Ad cuius explicationem, & probationem supponenda in primis est distinctio in superioribus data, inter statum perfectionis, & ipsam charitatis perfectionem: nam charitatis perfectio est finis huiusmodi status; ipse vero status potissimè constat ex mediis ad illum finem consequendum, & hoc modo dicitur non tantùm præcepta, sed etiam consilia complecti. Vt autem hoc magis declaretur, supponenda est communis distinctio de duplici perfectione charitatis, seu Christianæ vitæ: vna perfectio dicitur essentialis, alia superaddita essentiali, ac subinde accidentalis; vel vna simpliciter necessaria ad iustitiam, & vitam spiritualem animæ, alia vtilis, seu ad melius esse. De prioti loquitur Christus, cum ad omnes dicit, *Estote perfecti*, Matth. 5. De posteriori vero dicit ad quendam; *Si vis perfectus esse*, Matthæi 19. De priore etiam intelligitur optimè Paulus ad Philip. 3. cum non de se solum, sed etiam de aliis dicit; *Quicunque perfecti sumus*, De posteriori intelligi potest idem Apostolus eodem c. 3. ad Phil. de se dicens, *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim.* Nam licèt possit hoc intelligi de perfectione patriæ; vt exponit August. serm. 15. de verbis Apost. cap. 13. tamen etiam, & fortasse melius intelligitur de perfectione viæ abundantiori. Negat autem Paulus se illam habere; non quia iam non esset in altissimo perfectionis gradu, sed quia nondum acceperat totam perfectionem, quam in hac vita consequi poterat, & sperabat.

*Perfectio charitatis duplex, alia essentialis, alia accidentalis.*

In præsenti ergo, cum de perfectione vitæ Christianæ agimus, non de sola essentiali perfectione, sed de cumulatiori loquimur: nam respectu illius, communem statum perfectionis eiusdem vitæ distinximus. Prior enim perfectio essentialis præcisè sumpta, pertinet ad communem statum Christianorum; quia licèt non omnes in tali statu existentes illam perfectionem habeant, quia multi non iuxta debitum illius status operantur; & ita spiritualiter non viuunt; nihilominus omnes sunt in statu, in quo illam perfectionem intendere, ac procurare tenentur, & habent sufficientissima media, per quæ illam consequantur.

2. *Perfectio vitæ Christianæ de qua loquimur, includit etiam perfectionem accidentalem.*

Hinc ergo in primis concludimus, Christianam perfectionem sine obseruatione consiliorum, præter præcepta non acquiri. Assertio est certa, & communis, eamque tradit D. Thomas d. q. 184. a. 3. & sumitur ex verbis Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, abi, & vende omnia, quæ habes, & veni sequere me.* Vbi obseruationem, & executionem consilii paupertatis ad perfectionem assequendam proponit, vt medium, seu viam necessariam. Et simili modo Paulus consulit virginitatem, dicens, 1. Cor. 7. *Volo vos sine solicitudine esse. Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu.* Et infrà: *Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Et inferiùs de non nubente ait; *Melius facit*, & *Beatior erit.* Eademque ratio est de consilio obedientiæ, & de aliis proportione seruata. Ratio autem est, quia perfectio Christiana requirit præceptorum obseruationem, sine qua nemo saluari potest: & vlteriùs aliquid perfectionis addit vltra id, quod simpliciter necessarium est ad salutem; ergo maximè addit consiliorum obseruationem. Tota ratio est fundata in allegatis Christi verbis Matth. 19. Nam prius dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, vbi exigit ea, quæ ad salutem sunt simpliciter necessaria; & postea addit: *Si vis perfectus esse*; ergo apertè docet, perfectionem aliquid addere supra id, quod est necessarium ad salutem, quod in antecedenti supposuimus. Consequentiam verò indicat Dominus, dum inde subinfert, per consilii cuiusdam obseruantiam perfectionem esse obtinendam.

3. *Perfectio vitæ Christianæ sine consiliorum obseruantia non acquiritur.*

*Probatur ratione.*

Potestque hoc confirmari ex verbis Christi Luc. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus*; iuxta probabilem eorum expositionem in superioribus datam. Eum enim seruum, qui ea tantum facit, quæ præcepta sunt, inutilem vocat, non quia non suo muneri satisfecerit, & suum stipendium mereatur, sed quia nullam peculiarem beneuolentiam erga Dominum ostendit, nec ampliori gratia, aut beneficio dignus est. Sic ergo in diuino obsequio ad charitatis excellentiam aliquid consilii, vltra id, quod præceptum est agere oportet. Dices, ergo non potest quis esse perfectus, sine virginitatis, aut paupertatis obseruantia, vel alia simili. Respondetur negando consequentiam; quia cum dicimus, perfectionem charitatis non acquiri sine obseruantia consiliorum, non restringimus sermonem ad illa tria principalia consilia, sed in vniuersum loquimur de consiliis, includendo etiam omnem modum meliorem seruandi præcepta, quàm præceptum in rigore requirat: & sic est euidentior assertio; quia nisi quis aliquid boni non præcepti faciat, vel saltem meliori modo, quàm præceptum est faciat, non poterit aliquam perfectionem charitatis, præter essentialem, obtinere: nec aliquid operatur,

4. *Confirmatur ex Luc. 17.*

*Impugnatio, & eius solutio.*

quo maiori gratia dignus fiat, vt in citatis verbis Christus docuit; & est per se manifestum.

5. *Declaratur & confirmatur vltiùs posita conclusio.*

Vnde tandem concludimus ad statum perfectionis necessarium esse, vt præter præcepta, consilia, eorumque obseruantiam complectatur, & requirat. Hoc intendit præcipuè D. Thomas in loco suprà allegato; & omnes Patres de hoc statu scribentes; præsertim Cassian. collat. 1. colligiturque ex verbis Christi D. & Pauli citatis, & sequitur necessariò ex præcedenti assertione, supposito fine illius status. Nam in quolibet statu prudenter instituto media esse debent fini consentanea, sed in statu perfectionis aliquid virtutis intenditur, vltra id, quod est essentiale, ac simpliciter necessarium ad charitatem; ergo aliqua media perfectiora, & vltra præcepta profiteri debet. Item obseruantia omnium præceptorum ad communem statum vitæ Christianæ pertinet, quia est necessaria ad perfectionem essentialem charitatis, quam omnes fideles tenentur intendere: sed status perfectionis aliquid addit huic communi statui, quo faciliorem reddat viam crescendi in charitate vltra id, quod simpliciter est ad salutem necessarium; ergo necesse est, vt consiliorum obseruantiam complectatur.

6. *Quæ consiliorum obseruantia ad statum perfectionis necessaria sit.*

Inquires, quorum consiliorum obseruantia, vel professio ad statum perfectionis necessaria est? Respondeo, de hoc agere D. Thomam ad q. 186. artic. 2. dum tractat de statu religionis, & ideo in libro sequenti plura in particulari dicemus. Nunc solùm negatiuam regulam statuere possumus; nimirum non omnia consilia esse necessaria ad omnes, & singulos perfectionis status. Ita docet D. Thomas suprà; & in Opuscul. 19. cap. 2. vbi id confirmat exemplo Apostolorum. Nam licet omnes statum perfectionis profiterentur, non omnes seruabant consilium non accipiendi stipendia ab Ecclesiis, quibus prædicabant, sed solus Paulus illud seruabat 1. Corinth. 9. Ratione etiam est euidens: tum, quia non omnia consilia possunt simul impleri: tum, quia non omnia sunt consona, & proportionata cuicunque statui. Nam quædam sunt consona diuitibus, quæ non pertinent ad professores paupertatis. Tum præterea, quia quædam consilia sunt proportionata incipientibus, quæ proficientibus, aut perfectis non expediunt. Et è contrario quædam postulantur à perfectis (ait D. Thomas) quæ incipientibus etiamsi perfectionis statum profiteantur, non consulantur; ne fortè se alicui periculo exponant. & sic de aliis. Vnde affirmatiua regula generalis solùm esse potest, vt eorum consiliorum obseruantia in vnoquoque statu requiratur, quæ illi proportionata sit, vt tractando de statu religionis fusiùs explicabimus.

*Non requiritur omnium consiliorum obseruantia.*

*Probatur ratione audenti.*

*Eorum consiliorum obseruantiam vnoquoque statu requiritur, quæ illi proportionata sit.*

## Caput XI.

### *An Christiana perfectio, vel eius status, principaliùs in præceptorum, quàm consiliorum obseruatione consistat, vel è conuerso.*

1. *Perfectionem principaliùs esse in præceptis ostenditur primò. Ita videtur sentire D. Th. m.*

Quæstionem hanc tractat D. Thomas 2. 2. q. 184. art. 3. & resolutio eius esse videtur, perfectionem principaliùs in præcepto, quàm in consiliis positam esse. Quæ sententia probatur primò, quia id, quod est de rei essentia, principaliùs in ea est, quàm accidentia: sed præceptorum obseruantia est de essentia perfectionis Christianæ, consiliorum autem perfectio accidentaria est; ergo illa prior est principalior. Minor, quoad priorem partem probatur, quia essentia perfectionis cõsistit in charitate, & præcipuè in amore Dei super omnia, vt c. 3. dictum est: hæc autem perfectio maximè præcipitur; nam hoc est maximum, & præcipuum mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. vt dicitur Matth. 22. Deut. 6. &c. Quoad posteriorem verò partem probatur, quia illa perfectio est accidentalis, quæ sine essentiali non potest subsistere: è contrario verò sine perfectione consiliorum esse potest perfectio essentialis charitatis; ergo hæc est accidentalis. *Probatur secundò.* Secundò argumentor, quia dilectio substantialis Dei, *secundò.* quæ est in præcepto, est principalis status perfectionis, & media necessaria ad illum finem consequendum, sunt reliqua præcepta, eorumque obseruationes; consilia verò sunt tantùm veluti instrumenta quædam, ad maiorem vtilitatem, vel facilitatem conducentia; ergo præcepta sunt absolutè principaliùs requisita. Consequentia nititur in illo axiomate, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; semper enim finis principaliùs quæritur, quàm media, vel instrumenta ad illum, & forma, quam dispositio.

2. Antecedens autem totum colligo ex verbis Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes*, &c. *& sequere me.* Vbi Christus duo postulat, vnum est tanquam via, seu dispositio; aliud, vt terminus, seu finis, aut forma; & illud prius pertinet ad consilium, scilicet, vendere omnia, &c. hoc autem posterius, scilicet, sequi Christum; ad præceptum dilectionis pertinet: nam Christus iubet, vt ipsum sequamur, vtique *non corporis gressu; sed mentis affectu*, vt dixit Ambr. lib. 5. cap. 5. in Lucam §. De vocatione publicani. Et ideo dixit etiam Hieron. Matth. 19. per illam particulam *exigi quod perfectum est.* Ergo obseruatio præceptorum, & præsertim illius, quo vera Dei dilectio exigitur, principalior est in statu perfectionis, quàm cætera omnia. Et confirmatur idem antecedens ex Augustino in Enchir. cap. 121. dicente: *Omnia præcepta diuina referuntur ad charitatem.* Ex quo infert infernùs. *Quæcunque ergo mandat Deus, ex quibus vnum est: Non mœchaberis. & quæcunque non iubentur, sed spirituali consilio monentur, ex quibus vnum est: Bonum est hominem mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum. & in hoc seculo, & in futuro.* Vbi principalia præcepta charitatis ponit tanquam finem, & alia præcepta, vt media propinquiora, & maxime necessaria; consilia verò, vt media magis remota: ergo sunt minus principaliter requisita. Denique idem confirmatur ex Cassiano, collat. 1. cap. 7. vbi Moses Abbas late docet, consilia esse veluti instrumenta ad cordis puritatem assequendam; cor autem obseruatione præceptorum principaliter purificatur. Atque his fere modis D. Thomas suam sententiam confirmat.

3. *Consiliorum obseruantiam principaliùs ad statum perfectionis requiri ostenditur. Probatur primò ex doctrina D. Thomæ.*

Nihilominus consiliorum obseruantiam, seu professionem ad statum perfectionis principalius necessariam esse, in primis suaderi potest ex quadam doctrina D. Thomæ 1. p. quæst. 5. a. 1. ad 1. & quæst. 6. art. 3. vbi ait rem creatam non esse bonam simpliciter, nec perfectam per suam essentiam, sed per accidentia, quæ essentiam perficiunt. Ex quo principio colligimus, quòd licet vita Christiana essentialiter consistat in actibus præceptorum, nihilominus in statu simpliciter bono, & perfecto constituitur per actus consiliorum. Hinc ergo videtur concludi consilia principalius requiri ad statum perfectionis, quàm præcepta. Probatur hæc vltima consequentia, quia in vnoquoque composito forma quæ illud in tali esse formaliter constituit, est in illo principalius requisita, vt in artefacto, quatenus tale est; & figura est principaliter forma, magisque intenditur: sed in statu perfectionis consilia, seu illorum obseruantia est forma constituens vitam Christianam in esse perfecto; ergo ipsa consilia sunt principalius ad perfectionem requisita, quàm præcepta. Secundò declaratur hoc amplius, quia per præcepta non man-

mandatur, nec acquiritur, nec intenditur perfectio charitatis, sed tantùm substantia charitatis, vt sic dicam: per consilia autem intenditur, & acquiritur perfectio charitatis, licet non mandetur; ergo consilia principaliùs concurrunt ad statum perfectionis, quàm præcepta. Probatur consequentia, quia illud principaliùs ad perfectionem requiritur, per quod ipsa charitas intenditur: nam per hanc intentionem eius perfectio acquiritur, & per illam, postquam acquisita est, formaliter constituitur in esse perfecto; vt prima ratio probat. Nec refert, quòd per consilia non mandetur perfectio; tum, quia illa perfectio non proponitur, vt necessaria, sed vt melior; & ideo per aliquid non præceptum optimè constituitur. Tum etiam, quia licèt illa perfectio per se, & ex natura rei non præcipiatur, nihilominus supposito statu perfectionis, tendentia ad eandem perfectionem sub obligationem cadere potest: quod satis est, vt id, quod consilia super præcepta addunt, principaliùs ad perfectionem requiratur.

4. Obiect. Dices: in præceptis, præsertim dilectionis, & proximi, contineri omnem perfectionem tam præceptorum, quàm consiliorum, & in hoc excedere ipsa consilia, quæ perfectionem præceptorum non continent, sed illam supponunt; & ideo præcepta principalius simpliciter requiri. Assumptum ostenditur, quia præcepta continent essentialem perfectionem, vt materiam, ad quam obligant, & simul continent quamcunque perfectionem superadditam, vt finem, ad quem tendendum est. Ad hoc non videtur dici congruenter; quia hoc posterius in rigore verum non est. Vt autem hoc ostendam suppono, quando aliquid non cadit sub præceptum, vt materia eius, vt dicatur contineri in illo per modum finis, necessarium esse, vt id, quod præcipitur, sit sufficiens ad consecutionem talis finis: Vnde per præcepta non mandatur aliquid, vt finis, nisi quatenus vel mandantur ea, per quæ, si fiant, talis finis comparabitur: vel prohibentur ea, quæ nisi cauentur, consecutionem talis finis impedient. Ac proinde è contrario, quidquid tale est, vt sine illo possit finis per præceptum intentus comparari, nullo modo continebitur in tali præcepto, nec vt materia, nec vt finis; & similiter quidquid per solos actus præceptos acquiri non potest, nullo modo in præceptis continetur, neque vt materia, neque vt finis. Ratio omnium est, quia tunc finis omnino excedit vim talium mediorum; ac proinde in præceptis de solis illis mediis non potest virtute per modum finis contineri. Quia ex vi talium præceptorum nemo tenetur consequi, vel intendere talem finem, efficaciam talium mediorum, ac præceptorum excedentem; quia potest esse contentus fine adæquato talibus mediis.

*Quid ad constitutionem perfectionis.*

5. Perfectio intenta ab vtraque perfectionis excedit efficaciam præceptorum.

Ita ergo se habet in præsenti perfectio intenta per statum perfectionis ad præcepta omnia præcisè sumpta, siue diuisiuè, siue collectiuè. Excedit enim vim, & efficaciam illorum; & ideo ex vi illorum, non solum non præcipitur, vt materia, quod est certum, verum etiam, nec per modum finis in eis continetur. Aut enim est sermo de maiori perfectione in via obtinenda, vel in patria: si de priori, ex vi præceptorum non tenemur illam in via consequi, vel intendere; quia non tenemur illam procurare, aut non impedire: ergo illa maior perfectio in solis præceptis non continetur, nec vt materia, nec vt finis; ac proinde ad tendendum in illam maiorem perfectionem, principalius consilia concurrunt. Si verò sit sermo de perfectione patriæ, illa subdistinguenda est: nam quædam est communis, & quasi essentialis statui beatitudinis, vt quòd charitas ibi semper, ac necessariò sit in actu cum summo conatu possibili, operanti, & cum summa rectitudine, & immutabilitate: alia perfectio est in gradu, & intensione ipsius dilectionis excellentiori. Et prior quidem continetur in præceptis per modum finis, quia tenetur homo in illam perfectionem tendere, & impedimenta eius cauere, ad quod sufficienter per sola præcepta obligatur; & ideo in illis recte dicitur illa perfectio contineri per modum finis. Altera vero nullo modo continetur in solis præceptis, quia ex vi illorum non tenemur illam amoris excellentiam etiam pro vita futura procurare, aut non impedire. At in statu perfectionis hæc maior excellentia charitatis pro statu patriæ intendenda, & procuranda est; ergo perfectio, quæ consulitur, ac subinde consilia ipsa principalius pertinent ad statum perfectionis, quàm præcepta.

6. *Distinguendum inter statum perfectionis, & ipsam perfectionem.*

Hæc difficultas non videtur esse magni momenti, multumque ad modum loquendi pertinere potest: vt autem clarius resoluatur, inter statum perfectionis, & perfectionem ipsam distinguendum est. Nam sicut illa duo inter se differunt, ita in hoc puncto aliquid speciale potest in statu considerari, quod in ipsa perfectione non inuenitur. Duo enim in statu perfectionis spectari possunt. Vnum est id, quo in suo esse quasi formaliter, vel efficienter proxime constituitur: aliud est illud, ad quod ordinatur, vel propter quod instituitur. In ipsa vero perfectione charitatis, vel sanctitatis solum spectandum occurrit id, quo charitas ipsa in statu perfectionis proxime constituitur, siue formaliter, siue efficienter; ad eum modum, quo perfectio habitus per actus fit. Nam cum ipsa charitas sit finis, non habet specialem considerationem respectu alterius, ad quem ordinatur; quanuis enim perfectio charitatis viæ ad perfectionem charitatis patriæ natura sua tendat, tota illa habitudo est proportionata intrinsecè perfectioni eiusdem charitatis viæ, illique intrinseca, & connaturalis, & ideo non variatur eius ratio, vel constitutio, siue vna, siue alia ratione consideretur.

7. *Prima conclusio. Perfectio Christiana principaliùs præceptorum quàm consiliorum obseruantiam postulat.*

Primo ergo dico, perfectionem ipsam vitæ Christianæ principalius præcepta, eorumque obseruationem, quàm consiliorum postulare. Hanc assertionem probant fundamenta D. Thomæ, qui reuera de perfectione ipsa potius, quàm de statu locutus est, vt ex litera patet. Et ratio potissima illa est, quod in vnaquaque re principalior est essentialis perfectio, quàm accidentalis. Nec contra hoc obstat alia doctrina D. Thomæ ex 1. p. adducta. Nam, vt explicaui in disp. 10. Metaph. sect. 1. n. 16. dictum illud, quod creatura est bona secundum quid, per solam essentiam, & per accidentia fit simpliciter bona, quoad vtramque partem intelligendum est, nõ comparando præcisè accidentalem, & substantialem perfectionem inter se, sed constitutum ex vtraque ad alteram præcisè sumptam comparando. Ita ergo in præsenti perfectio sola præcepta includens, vel obseruans, imperfecta dici potest, & secundum quid, comparata ad perfectionẽ, præcepta & consilia simul amplectens; quod est per se notum, cum se habeat, vt includens, & inclusum: de quo nunquam D. Thomas dubitauit. Nihilominus in hac ipsa cõsummata, aut absoluta perfectione conferendo inter se id, quod addunt consilia supra præcepta ad perfectionem, quam sola præcepta exigunt & præstant, præcipua est perfectio, quam præceptorum obseruantia confert. Non est autem hoc speculatiue aut metaphysice, vt sic dicam, accipiendum; non enim ad rem præsentem refert disputare, an in gratia, vel charitate intensiori, secundus gradus v. g. sit magis, vel minus perfectus, quàm prior, vel æqualis, & sic de cæteris: hoc enim parum refert ad rem moralem, de qua tractamus, Imo, vt c. 3. diximus, & iterum dicemus, ille excessus

in

in intensione ad perfectionem, de qua nunc est sermo, non est necessarius per se. Loquimur ergo moraliter, & sic dicimus, iustitiam, quæ in obseruatione præceptorum consistit, principaliorem esse, quàm id, quod obseruatione consiliorum ei adiungitur, vt in statu perfecto esse dicatur. Quia illa prior est, quasi substantialis, & maximè necessaria, & principaliter procuranda, & custodienda. Vnde ipsa etiam consiliorum obseruantia ad hoc ordinatur, vt statim explicabo. Nec etiam huic assertioni obstat secunda ratio dubitandi in principio posita, vt in fine capitis dicam.

8. *Secunda conclusio, status perfectionis vtraque, sed principalius præcepta, quàm consilia respicit.*

Dico secundò, statum perfectionis non tantùm ad præceptorum, vel consiliorum perfectionem, sed ad vtramque simul ordinari; inter ea verò principaliùs præcepta, quàm consilia respicere. Prior pars nota est ex dictis in capitibus proximè præcedentibus. Nam in primis hic status ideo perfectionis dicitur, quia aliquid melioris boni vltra præcepta per illum intenditur. Nec obstabit, si quis dixerit, obseruantiam, & executionem consiliorum potius supponi ad hunc statum, quàm per illum intendi: nam renuntiando propriis bonis, & propriæ voluntati, constituitur quis in statu perfectionis. Hoc, inquam, non obstat, quia vtrumque simul subsistit: tum quia quorundam consiliorum executio ad obseruanda alia consilia disponit; & ideo propter illam fieri potest: vt de virginitate ait Paulus 1. Cor. 7. *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu.* Et per paupertatem intenditur ablatio impedimentorum ad sequendum Christum, non solùm eius præcepta obseruando, sed etiam in consiliis eum imitando. Tum etiam, quia sicut habitus supponit actus, per quos fit, & nihilominus ordinatur ad similes actus exercendos; ita licèt status perfectionis exercendo, & exequendo aliqua consilia constituatur, nihilominus ad eadem consilia perpetuò, ac perfectiùs obseruanda ordinatur.

*Obseruantia vnius consilii inseruit ad alia consilia obseruanda.*

9. *Probatur statum perfectionis ordinari ad præceptorum obseruantiam.*

Quòd autem hic status ordinetur ad obseruationem præceptorum, etiam est manifestum; quia illa est magis necessaria, & fundamentum altetius. Nec potest perfecta obseruantia præceptorum ita supponi, quin semper necessarium sit illam conseruare, tueri, & suis temporibus exercere; ergo non potest status perfectionis non ordinari ad hanc perfectionem, licèt ad consilia etiam referatur. Et declaratur ex ipsa praxi, & necessitate lapsæ naturæ. Nam ad salutem maximè necessarium est, post perfectam remissionem peccatorum perseuerare in gratia, & vitare peccata mortalia; & quia hoc valde difficile est in natura lapsa, ideo modus viuendi instituitur, & quæritur, in quo & minores, & pauciores sint occasiones peccandi, seu gratiam amittendi, & ad hunc finem inter alios institutus est status perfectionis: ergo sine dubitatione ad obseruantiam etiam præceptorum inuentus est. Et hinc facilè probari potest, principaliùs ad præcepta, quàm ad consilia obseruanda ordinari. Primò, quia ordinata intentio principaliùs tendit in id, quod præcipuum, & maximè necessarium est. Secundò, quia conferendo ista duo inter se, securitatem salutis, seu perseuerantiam in gratia, & augmentum eius, principaliùs intendi debet securitas, & perseuerantia; quia est magis necessaria ad absolutam Dei amicitiam, & ad vitandam æternam damnationem. Parum enim prodenderit in gratia, pro aliquo tempore multum crescere, si in ea tandem non perseueretur.

*Probatur primò principaliùs ordinari ad consilia.*

*Probatur secundò.*

10. *Probatur tertiò.*

Tertiò hinc fit, vt status perfectionis omnia, & singula præcepta complectatur, & obseruet; quia omnia, & singula sunt necessaria. Nam, *qui in vno offendit, fit omnium reus.* Non sic autem est de consiliis: nullus enim religiosus status omnia simul consilia complecti potest; quia & nimium oneraret, & sæpius sese impedirent. Ideo licèt quædam generalia sint, omnibus statibus simpliciter perfectis sunt communia: Ex aliis verò vnusquisque status illa profitetur, quæ suo fini necessaria, vel conuenientia prudenter iudicantur: vt in discursu materiæ videbimus. Denique ipsa consilia propter præcepta custodiuntur. Quoniam vel ad facilius, & securius conseruandam gratiam inseruiunt, vel etiam ad obtinendam illam per veram pœnitentiam, si fortasse sufficiens non præcessit, eliguntur: vnde ad hoc etiam status perfectionis ordinatur.

*Probatus quartò.*

11. Verum est tamen, etiam posse homines obseruando quædam præcepta ad alia consilia seruanda iuuari, & ita præceptum alicuius obseruantiam ad aliud consilium explendum ordinare, vt v. g. ieiunium præceptum ad orationem, quæ tantum sit in consilio, melius exercendam. Sed hic ordo est quasi ab extrinseco ex parte operantis; alius tamen est per se, & ab intrinseco, quia consilia ex se, quasi circundant, & protegunt præcepta, & consiliis violatis crescunt pericula frangendi præcepta: & ideo consiliorum obseruatio propter præcepta, principaliter sumitur. Adde, statum perfectionis non solum ordinari ad illam obseruantiam præceptorum, quæ simpliciter est necessaria ad salutem, & ad statum gratiæ conseruandum, vtique vitando peccata mortalia, sed etiam ad completam præceptorum obseruationem, quæ venialia etiam excludat quoad fieri possit. Quia hic etiam gradus perfectionis magis necessarius, maiorisque obligationis est, quam consiliorum obseruatio præcisè sumpta; & per peccata venialia, homo ad mortalia committenda magis disponitur, quàm per consiliorum omissionem; ergo etiam in hac parte obseruatio præceptorum magis intenditur, quia venialium peccatorum euitatio ad integram præceptorum obseruantiam pertinet.

*Status perfectionis non tantum ordinatur ad obseruantiam præceptorum, sed etiam ad completam præceptorum obseruationem.*

12. *Tertia conclusio, status perfectionis per se per opera consiliorum per se constituitur.*

Dico tertiò: status perfectionis in suo esse, per se, ac regulariter loquendo per opera consiliorum constituitur. Vnde huiusmodi status essentia in consiliis potius, quàm in præceptis posita est. Hanc assertionem probat ex parte ratio prior dubitandi posteriori loco posita. Et probatur facilè, primò, quia status ipse perfectionis non est in præcepto, sed in consilio; nullus enim per se loquendo obligatur sub præcepto assumere, seu profiteri statum perfectionis: ergo actus, quo talis status assumitur, actus consilii est, sed per illum actum talis status constituitur, & fit; seu homo per illum actum constituitur in statu perfectionis, quod perinde est, quia ipse status in particulari, & in individuo non fit, nisi per modum accidentis, quod fit in tali subiecto, seu persona, & ideo per eundem actum dicitur status ipse fieri, per quem persona in tali statu constituitur: ille autem status consilii est, cum non sit præceptus.

*Probatur primò.*

*Probatur secundò.*

Secundò, etiamsi homo seruet omnia præcepta, & id sæpius proponat, non constituetur in statu perfectionis; necesse ergo est, vt per aliquem actum vltra præcepta additum, constituatur; ergo per actum consilii, non quidem per quemlibet, sed per eum, qui ad talem effectum accommodatus sit, qui maximè esse solet actus vouendi, vt explicabimus.

13. *Probatur tertiò.*

Accedit, quod talis actus sufficit ad talem statum constituendum sine præceptorum obseruatione. Nam sicut diximus posse aliquem esse in statu perfectionis, & non esse perfectum; ita nunc addimus, posse aliquem non seruantem præcepta efficere actum consilii, quo in statu perfectionis constituatur. Vt si quis existens in statu peccati, & cum proposito permanendi pro tunc in illo, religionem verè, & cum intentione profiteatur. Ergo signum est: statum

statum ipsum per opus consilii, & non præcepti in suo esse constitui. Denique hoc modo dicemus, tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ esse de essentia status religiosi, qui maximè est status perfectionis acquirendæ. At verò vota illa actus consiliorum sunt; ergo ad constitutionem quasi formalem, vel proximè efficientem talis status, consilia potius, quàm præcepta concurrunt. Dixi autem in assertione, *per se loquendo*, quia ex accidenti contingit, vt aliquis ex necessitate talem statum assumat: vt ex voto religionis v.g. vel ex præcepto superioris. Vt si ex præcepto Papæ quis fiat Episcopus: sed hæc accidentaria sunt, quæ in præsenti non considerantur.

*Illum adversatur D. Thom.*

Nec D. Thomas in d. a. 3. aliquid contra hoc docuit, quin potiùs in a. 4. hoc apertè confirmat, dum ait, statum perfectionis esse statum seruitutis, qui obligatione aliqua constituitur: nam illa obligatio non ex præcepto, sed sponte assumitur, & per illam quasi formaliter talis status constituitur. Sicut de religioso statu in tota quæst. 186. latè declarat. In argumento ergo 3. iuxta præcedentes assertiones locutus est. Et de illis tantùm maximè fundamenta eius procedunt. Nam consilia, licèt sint instrumenta ad perfectionem acquirendam; nihilominus ad constituendum statum perfectionis non concurrunt per suos actus tanquam instrumenta, sed tanquam forma constituens moralem effectum; vel tanquam principium formale moralem obligationem inducens. Sicut in matrimonio voluntarius consensus non instrumentum, sed forma talem statum constituens, & mutuam obligationem inducens; ad hunc enim modum se habet professio in religione, vel aliquod votum, vel promissio in quolibet statu perfectionis, vt in capite sequenti exponemus. Et ita satisfactum est rationibus dubitandi pro vtraque parte in principio positis; circa vltimam verò duo dubia occurrunt breuiter explicanda.

*Duo dubia discussa.*

*1. Primum, an in præcepto contineatur perfectio consiliorum, saltem vt finis.*

Primum dubium est, an in præceptis contineatur perfectio consiliorum, saltem, vt finis? Nam D. Thomas in d. a. 3. ita sentire videtur. Et videtur à fortiori sumi ex doctrina Augustini in toto libro de Perf. iust. & lib. de Spirit. & lit. in fine, dicentis in præcepto diligendi Deum ex toto corde, præcipi non vt materiam, sed vt finem omnem perfectionem charitatis etiam patriæ, quæ in via expleri non potest; ergo multo magis præcipitur vt finis omnis perfectio supererogationis viæ; quia hæc licèt non præcipiatur, vt materia, saltem possibilis est in statu viæ. Respondeo nihilominus, si propriè, & in rigore loquamur, perfectionem supererogationis, non solùm non præcipi, vt materiam, in quam obligatio præcepti cadat, verùm etiam nec per modum finis in præceptis contineri; quia præcepta reuera non dantur propter illum finem, nec per se illuc tendunt; & hoc satis persuadet discursus in vltima ratione dubitandi propositus. Nec Augustinus, aut D. Thomas loquuntur illo modo de perfectione supererogationis viæ; sed de perfectione patriæ, de qua etiam ille modus loquendi coarctandus est ad perfectionem necessariam, & quasi substantialem status beatifici. Nam cum illa habet connexionem perfectio charitatis viæ, quæ sub præceptum in rigore cadit: hæc enim ad illam perfectionem patriæ per se ordinatur; & ideo rectè verificari potest, quòd illa perfectio patriæ in præcepto dilectionis Dei per modum finis continetur. Et simili modo in consiliis, & perfectione supererogationis, quæ per illorum obseruantiam in via comparari potest, dici poterit contineri per modum finis abundantior, & perfectior perfectio charitatis patriæ, quia inter se habent eandem connexionem medii, & finis, seu viæ, & termini. Hæc autem connexio non ita inuenitur inter sola præcepta, & perfectionem supererogationis viæ, aut patriæ, & ideo non videtur ille modus loquendi ad illam perfectionem extendendus, nisi quis considerando fortasse omne imperfectum naturaliter appetere suam perfectionem, & charitatem remissam, quasi naturaliter, appetere suam intensionem; & in hoc sensu dicere velit, in præceptis perfectionem consiliorum per modum finis desiderabilis, & appetibilis contineri: veruntamen locutio est satis metaphorica, de qua nō contendo, dummodo sufficienter, & sine periculo deceptionis proferatur.

*Resolutio negatiua.*

*Existimatur D. Aug. & D. Thom.*

16. *Secundum dubium, an consilia sint tantùm instrumenta acquirendæ perfectionis, vel illam formaliter addant. Resolutio dubii.*

Secundum dubium est, an omnia consilia sint tantùm instrumenta acquirendæ perfectionis maioris, seu supererogationis; vel aliqua etiam sint, quasi formaliter addentia homini perfectionis cumulum, saltem ex parte. Quod dubium cum illo ferè coincidit, quod suprà tractatum est, an dentur consilia in propria materia, & actu charitatis Dei, & proximi. Vnde suppositā resolutione ibi data, dicendum hic est, consilia, quæ dantur in materiis aliarum virtutum, præsertim moralium, rectè vocari quasi instrumenta perfectionis acquirendæ: vt Moyses Abbas in d. collat. 1. copiosè declarat. Sicut etiam præcepta earundem virtutum, quæ in materiis eiusdem generis versantur, possunt dici instrumenta ad substantialem perfectionem charitatis, vel obtinendam, vel conseruandam, remouendo impedimenta: vt D. Thomas etiam in d. a. locutus est. At verò consilia, quæ in ipsismet actibus charitatis locum habent, non solùm instrumentaliter, sed quasi per se conferunt ad excellentiam perfectionis, vel formaliter in ipso actu charitatis, vel si de habituali perfectione sermo sit, per se augendo habitum saltem dispositiue. Id patet in consiliis amandi, vel feruentius, aut intensius, vel frequentius, vel perseuerantius & cum maiori continuatione, vel cum maiori extensione ad plura obsequia Deo præstanda, & maiora bona illi, vel proximis desideranda, quàm præceptum dilectionis obliget. Obseruantia enim, & executio horum consiliorum per se auget perfectionem charitatis: imò magna portio Christianæ perfectionis in eis formaliter consistit. Vnde videntur à D. Thoma, & aliis sub ipsa formali perfectione comprehendi; & solum de aliis consiliis loquuntur, quando de illis dicunt ad perfectionem acquirendam instrumentaliter deseruire.

## Caput XII.

### *Vtrùm status perfectionis per votum, vel promissionem aliquam obligationem inducentem necessariò constituendus sit.*

Hæc quæstio nobis superest ad substantiam, & quasi essentiam status perfectionis explicandam, diximus enim hunc statū sine aliqua obligatione non consistere; ex quo necessariò sequitur talem obligationē per aliquem actū inducendam, vel imponendam esse, quia non est naturalis, nec necessaria, vt est per se notum: nam homo non nascitur, imo nec per Baptismum renascitur in statu perfectionis constitutus, nec cum speciali obligatione talis status. Ergo necesse est, vt per specialem actū assumatur, vel inducatur. Vnde generatim etiam addidimus hanc obligationem non per actus præcepti, sed consilii assumi. Nunc ergo specialius exponere oportet, quisnam, vel qualis hic actus sit. De quo puncto nihil inuenio generatim dictum de statu perfectionis: nam de statu religioso omnes videntur docere, per votum, vel plura vota constitui, vel etiam per traditionem aliquā: sed de illo statu infrà dicturi sumus; nunc de statu perfectionis, qui plures sub se comprehendit, generalius tractamus. Et de illo solum dixit D. Tho-

D. Thomas d.q.174 a.4. ad hunc statum requiri obligationem: quomodo autem inducatur, vel per quem actum, non declarat. Ratio autem dubitandi est, quia status perfectionis pertinet ad statum seruitutis: vt in cap.2. tactum est, & supponit D. Thomas in d.a.4. Nam priùs sub disiunctione dicit, ad statum seruitutis, aut libertatis adipiscendum obligationem aliquam, vel absolutionem ab illa requiri, vtique cum partitione accommoda: nam ad statum seruitutis obligatio, ad statum autem libertatis absolutio requiritur; inde verò determinatè infert constituti aliquem in statu perfectionis, *quia obligat se*, &c. tacitè supponens, hunc esse statum seruitutis. At verò status seruitutis variis modis induci potest, scilicet, vel voluntate aliena, vt principis, vel captiuantis iustè, vel media promissione, donatione, venditione, aut simili contractu. Quid ergo dicendum est de hac speciali, ac nobilissima seruitute, seu obligatione status perfectionis?

*Ratio dubitandi.*

2. *Prima conclusio, obligatio status perfectionis non inducitur sine consensu eius qui talem statum assumit.* R. Dico primò, hic status non potest ab extrinseco fieri, neque obligatio eius induci, sine consensu propriæ voluntatis eius, qui talem statum assumit. Hoc significauit D. Thomas supra, cùm dixit aliquem esse in statu perfectionis, *ex hoc, quod obligat se perpetuò ad ea, quæ sunt perfectionis.* Nemo enim obligat se sine propria voluntate: nam cum obligatio ab vno alteri imponitur, vel inuito, vel independenter à consensu eius, non dicitur iste obligare se, sed ab alio obligari. *Probatur inductione.* Probatur etiam inductione, quia nemo potest in statu matrimonii, & cum eius propria obligatione constitui sine proprio consensu, seclusis nunc diuinis miraculis. Item nullus capax proprii consensus potest in statu communi, vitæ Christianæ sine tali consensu constitui; quia non potest validè baptizari inuitus: ergo à fortiori non potest status perfectionis, eiusve obligatio ab extrinseco imponi sine consensu recipientis. *Probatur ex vsu Ecclesiæ.* Potestque hoc ipsum vsu Ecclesiæ in variis statibus perfectionis ostendi: nam status religiosus sine voluntaria professione non consistit; nec status continentium sine voluntaria promissione: nec status Episcoporum sine voluntaria consecratione, & acceptatione, & sic de aliis, quæ aliquam participationem horum statuum habere possunt, vt videbimus. *Probatur ratione.* Denique ratione declaratur, quia hic status, eiusque obligatio est res consilii, & non præcepti: nemo autem potest ad ea, quæ sunt consilii, per solam alterius voluntatem sine suo consensu obligari; loquendo nimirum de potestate humana, & de diuina secundùm legem ordinariam, quidquid sit de absoluta potentia Dei, de qua suprà aliquid tetigimus, & ad præsens nihil refert.

3. *Obiectio contra præcedentem conclusionem.* Dices: Episcopus est in statu perfectionis, vt supponimus; & tamen aliquando potest aliquis ex præcepto Pontificis obligari ad illum statum assumendum. Item potest aliquando Pontifex præcipere alicui, vt religionem profiteatur, si ad vitandum publicum scandalum, vel ad commune bonum, aut pacem necessarium sit: vel propter aliam similem causam. Ergo non est in vniuersum verum rem consilii non posse per præceptum alterius sub obligatione imponi. *Prima illius solutio.* Respondeo in primis, in illis casibus vel Pontificem non imponere nouam obligationem, sed declarare, & vrgere illam; quæ in tali casu ex particularibus circunstantiis, aut necessitate orta est, vt maximè videtur probabile, quoties aliquis obligatur ad religiosam professionem faciendam: vel certè in illis casibus materiam, quæ de se, & in ordine ad propriam perfectionem personæ assumentis statum, erat tantùm materia consilii, in ordine ad alios fines occurrentes, fieri materiam præcepti, vtique propter vtilitatem, vel necessitatem aliorum; vel quia illud est medium necessarium ad satisfaciendum alteri obligationi iustitiæ, vel quid simile. Cum enim Pontifex rem de se indifferentem, etiam arduam, & periculo mortis expositam, propter grauissimam necessitatem, & excellentem finem præcipere possit, quid mirum, quòd possit etiam præcipere propter vrgentem necessitatem, vel causam, rem optimam, quæ per se tantùm est in consilio; non quidem formaliter, quatenus consilium est, id est, non solùm propter melius bonum operantis, sed vt est medium conueniens, & necessarium ad commune bonum, vel ad alium similem finem.

4. *Secunda eiusdem obiectionis solutio.* Addo verò vlteriùs etiam tunc non fieri, vel imponi ipsum statum perfectionis immediatè per solum imperium præcipientis, sed per proprium actũ, & consensum eius, qui ad talem statũ profitendum, vel assumendum obligatur. Sicut quando aliquis obligatur ad ducendam aliquam in vxorem, non fit immediatè maritus eius per imperantis præceptum, sed obligatur, vt per proprium consensum contractum matrimonii faciat. Ita ergo nemo constituitur in statu perfectionis sine proprio consensu, licèt aliquando possit ad talem consensum præstandum ex præcepto obligari. Nec existimo posse aliter fieri per potestatem humanã. sicut in matrimonio satis communiter receptum est. Est enim eadem, vel maior ratio. Quòd si obiicias, quia potest vnus homo antea liber fieri seruus alterius sine proprio consensu per humanam potestatem; ergo etiam poterit fieri religiosus, vel in simili statu seruitutis spiritualis constitui. *Obiectio illius solutio.* Respondetur in primis negando consequentiã, quia illa seruitus corporalis est pœna, quę potest violenter, & ab extrinseco fieri, & ordinatur etiam ad seruitium coactum, si necesse fuerit: status autem perfectionis, licèt dicatur seruitutis ratione obligationis, non est pœnalis, sed ad diuinum obsequium, & ad spirituale bonum profitentis illam per se ordinatur; & ideo ex natura sua postulat liberũ eius consensum: vt omittam, non satis certum esse in humana seruitute, quæ in pœnam iustam imponitur, an per eam obligetur seruus in conscientia ad permanẽdum in seruitute, & captiuitate, vel possit fugere sine peccato, licèt Dominus habeat ius ad detinendũ, & cogendũ illum, & seruus patere teneatur, quatenus per fugam pristinam libertatem recuperare non potest, quæ controuersia alterius loci, & negotii est. *Seruitus corporalis est pœna, at proinde ab extrinseco induci potest.*

5. *Secunda conclusio, actus, quo status perfectionis constituitur, ordinariè est emittendo votum aliquod apud Deum, sæpius tamen adiungi debet aliqua donatio, vel traditio, vel contractus; & aliquando potest sine proprio voto per alium modum contrahendi obligationem constitui.* Dico secundò, actus, quo status perfectionis constituitur, ordinariè fit emittendo votum aliquod apud Deum: sæpius tamen adiungi debet aliqua donatio, vel traditio, vel contractus; & aliquando potest sine proprio voto per alium modum contrahendi obligationem constitui. In hac assertione aduertere oportet non esse sermonem de specifico, & proprio statu religioso, sed generatim de statu perfectionis, qui plures modos status præter religiosum sub se complectitur, vt mox dicemus, quamuis frequentior, & quasi ordinarius modus assumendi statum perfectionis sit in religioso aliquo viuendi modo, vt in discursu materiæ videbimus. Hinc ergo probatur prima pars assertionis, quia status religiosus non fit sine aliquibus votis Deo factis; sed ille est ordinarius modus assumendi statum perfectionis: ergo saltem ex hac parte actus, quo status perfectionis constituitur, est aliquod votum emittendo. Accedit, quòd si quis modus vitæ participantis perfectionem, præter statum religiosum in Ecclesia reperitur, fit aut vouendo castitatem, aut aliud voluntarium Dei obsequium, cui homo se in perpetuum offerat, vt ex vsu ipso constat; ergo illa pars inductione, & experientia satis nota est. Ratio verò est, quia status perfectionis ad diuinum obsequium, & ad spiritualem profectum professi illum, ordinatur, *Probatur prima pars conclusionis.*

tur, adiuncta obligatione; ergo actus quo talis status potest aptissimè constitui, est ille, quo & Dei obsequium principaliter intenditur, & ipsimet Deo de tali obsequio fit obligatio: sed huiusmodi est votum, vt constat; ergo votum est actus maximè propius ad hunc statum constituendum; & ideo mirum non est, quòd ordinarius modus assumendi hunc statum, aliquid Deo vouendo, fiat.

6. *Probatur secunda pars conclusionis.*

Nihilominus altera pars assertionis probatur ratione generali, quia non solo voto, sed etiam aliis modis potest quis ad opera consilii, & perfectionis obligari; ergo non solùm per votum, sed etiam per alios actus potest quis statum aliquem perfectionis sumere, seu profiteri. Consequentia probatur, quia de ratione huius, quod ad immobilitatem attinet, solum est, quòd cum sufficienti obligatione fiat, nec obligatio alio titulo postulatur, nisi propter immobilitatem; ergo omnis actus, qui satis sit ad obligationem necessariam inducendam, erit etiam sufficiens ac constituendum hunc actum; ergo si dantur alii actus ad hoc sufficientes, præter votum, poterit aliquando hic status sine voto speciali constitui. Probatur ergo antecedens primò, quia generatim loquendo, homo non sola promissione, sed etiam aliis modis potest se obligare, vt obligatur quis ad dandam pecuniam non tantùm promittendo, sed etiam donando; & ad actionem aliquam obligatur quis, vel promittendo; vel etiam acceptando munus, cui talis actio annexa, potest quis obligari vni ad dandum alteri, licet huic, cui daturus est, nullam promissionem faciat. Tota ergo hæc varietas potuit in assumptione huius status reperiri; quia nihil repugnat, & ex hominum libera voluntate pendet.

7. *Inductione ostenditur eadem secunda pars conclusionis.*

Et inductione, ac vsu declaratur. Nam status Episcoporum status perfectionis est, vt infrà dicemus, ex omnium sententia, quia in eo obligatur quis ad opera maximæ perfectionis, & nihilominus talis obligatio in eo statu non nascitur ex voto speciali, sed ex acceptatione talis muneris secum afferentis illam obligationem, vt infra ostendemus; quia vel de facto nullum interuenit tale votum, vel si aliquod sit ex institutione Ecclesiæ, non est per se necessarium in tali statu; vnde nec est constitutiuum eius, sed erit illi annexum ex positiua institutione, vt dicemus. Item potest aliquis se offerre hospitali in perpetuum obsequium ad ministrandum illi in operibus pietatis circa pauperum curationem, nullum votum Deo emittendo, vt latè declaraui lib. 1. de Voto. cap. 14. & 16. & tamen per illam oblationem manet perpetuò obligatus ad illa opera supererogationis; ergo illo modo potest constitui in aliquali statu perfectionis sine proprio voto. Nec contra hanc posteriorem partem vrget ratio, qua priorem probauimus; quia licet status perfectionis ad opera supererogationis diuini obsequii ordinetur, nihilominus obligatio ad permanendum perpetuò in vsu, & exercitio talium operum, potest alio modo contrahi, quàm per promissionem ipsi Deo factam, qui modus poterit esse pius, & religiosus, & ad maius bonum animæ spectans, etiamsi non fiat ex voto; cur ergo non erit ad aliquem statum perfectionis sufficiens?

8. *Obiectio contra primam partem conclusionis.*

Contra priorem verò partem obiici potest, quia si solum votum, aut plura vota possunt statum perfectionis constituere, sequitur hunc statum per actum merè internum constitui, cuius oppositum cum D. Thoma docuimus. Sequela patet, quia per solum internum votum potest quis ad opera consiliorum, & perfectionis perpetuò obligari, vt ad castitatem, vel paupertatem, vel ad faciendum alia meliora bona. Nam quòd perfectum votum possit interiùs in mente consummari, extra controuersiam est: vt in d. lib. 1. de voto cap. 13. dixi. Respondetur, negando absolutè consequentiam, quia licet internum votum sufficiat ad inducendam obligationem apud Deum; quæ dici potest obligatio inuisibilis, & per se occulta hominibus; non tamen sufficit ad inducendam obligationem apud Ecclesiam, & ab hominibus cognoscibilem; nisi votum per externam promissionem consummetur. Diximus autem obligationem ad statum, de quo tractamus, necessariam, esse debere externam, & hominibus accommodatam. Quapropter per internum votum dici quis poterit esse in statu perfectionis apud Deum, non tamen apud Ecclesiam, de quo statu nunc tractamus, vt idem D. Thomas dixit.

*Illius solutio.*

9. *Impugnatur solutio.*

Sed instari potest conuertendo argumentum. Nam hinc sequitur vota externa perpetua, & de perfectioribus actibus interdum non sufficere ad statum perfectionis constituendum: vt si talia vota exteriùs fiant, omnino tamen occultè, & sine alicuius testis præsentia; quia tunc etiam non potest Ecclesiæ de huiusmodi statu constare. Ergo non constituent statum apud Ecclesiam, sed solum apud Deum. Imò licet votum coram aliquo teste, vel promissio, aut contractus inter duas tantum personas fiat, non sufficiet ad statum constituendum apud Ecclesiam, quia etiam talis actus ita occultus est, vt sufficienter probari non possit. Respondeo in primis, non esse eandem rationem de voto, vel promissione merè interna, & de exteriori occulta: nam internus actus per se, & natura sua non cadit sub Ecclesiæ cognitionem; & ideo dicitur per se occultus: externus verò per se cognosci potest ab aliis hominibus, licet in casu aliquo probationes deficiant; & ideo tunc dicitur per accidens occultus. Quæ differentia tanta est, vt ratione illius prior actus merè internus sit omnino extra directam iurisdictionem Ecclesiæ: externus verò licet per accidens occultus per se cadit sub Ecclesiasticam iurisdictionem.

*Soluitur impugnatio.*

10. *Actus prædicti promissionis, vel voti occulti per accidens, per se sufficit ad statum constituendum.*

Dico ergo, ex natura rei loquendo, actum exterioris promissionis, aut voti, etiamsi occultus sit, validum esse, & obligationem inducere etiam apud Ecclesiam, ac proinde esse per se sufficientem ad statum constituendum. Vnde si illud, quod ita factum est occulte, aliquando veniat in notitiam Ecclesiæ, poterit cogere homines ad permanendum in tali statu; non quia de nouo oriatur obligatio; sed quia innotuit Ecclesiæ, quæ à principio valida fuit. Dico autem *ex natura rei*, quia si Ecclesia præscribat peculiarem formam, aut solemnitatem faciendi talem actum, ita vt aliter factus non valeat; tunc etiam apud Deum talis actus non obligabit, & consequenter nec statum constituit; sicut nunc matrimonium clandestinum sine parocho, & testibus factum non constituit statum, nec obligationem inducit propter statutum Ecclesiæ, licet ex natura rei esset validum. An verò id fecerit Ecclesia in omnibus modis, quibus status perfectionis constitui potest: & an in hoc sit aliqua differentia inter vota simplicia, & solemnia; seu inter statum perfectionis completum, vel incompletum, in discursu materiæ videbimus.

11. *Vtrùm ad statum perfectionis requiratur actus qui obligat ad perpetuò permanendum, & ad exercendū in eo aliquid perfectionis.*

Sed interrogari vltimo potest circa hanc obligationem, & actum, qui illam inducit, quodnam obiectum habitura sit, seu cuius rei obligationem inducat. Duo enim possunt sub tali obligatione comprehendi: vnum est permanentia perpetua, & immutabilis in tali viuendi modo de se apto ad perfectionem exercendam; aliud est exercitium ipsum, vel obseruantia aliquarum rerum, vel actionum supererogationis, vt orandi, &c. Interrogari ergo potest, an vtrumque obligatio necessaria sit ad statum perfectionis. Ad quod breuiter respondeo, necessarium esse [illegible] proprium statum perfectionis, vt fiat per

*Resolutio affirmatiua.*

actum, qui vtramque partem illius obligationis comprehendat, id est, qui & ad perpetuò permanendum in tali viuendi modo; & ad obseruandum, seu exercendum in ea aliquid perfectionis obliget.

*Probatur prima pars.*

ita sumitur ex D. Thoma in loco citato. Et probatur prior pars, quia hæc obligatio postulatur propter immobilitatem, quam status requirit; ergo immediatè, ac principaliter in permanentiam talis status cadere debet: sicut ciuilis, & humana seruitus non constituitur per obligationem seruiendi, nisi illa de se perpetua sit. Nam si quis se obliget ad seruiendum pro certo tempore, vel quandiu sibi placuerit in contractu permanere; non erit in statu seruitutis, sed famulus, aut mercenarius esse dicetur.

12. *Obiectio.*

Sed obiici potest. Quia in Ecclesia sunt aliqui viuendi modi in congregatione aliqua, vel communitate, cum obligatione obediendi, vel tali, aut tali modo ea operandi, quæ ad perfectionem pertinent, quandiu ibi permanserint, & sine obligatione ad permanendum; & nihilominus illud videtur sufficiens ad statum perfectionis, quia non est status communis vitæ Christianæ, aliquid enim maius est; ergo est status perfectionis; nõ enim datur medium, vt dixi. Item illa perpetuitas non videtur esse de ratione status perfectionis. Nam status Episcopi est status perfectionis, & tamen potest facilè relinqui, & mutari quoad obligationem exercendi actiones Episcopales ad perfectionem pertinentes, licet consecratio indelebilis sit. Item aliqui viuentes in statu perfectionis possunt expelli, & illo statu priuari. Respondeo sine dubio ad proprium statum necessariam esse moralem immobilitatem, ac proinde obligationem semper manendi in tali modo, ac ratione viuendi, quantum est ex parte eius, qui talem statum assumit; alioqui non assumit statum, sed semper est, quasi in probatione, vel deliberatione de statu, an sibi conueniens sit.

*Illius solutio.*

13. *Respondetur ad primum exemplum.*

Vnde ad primum exemplum respondeo, si obligatio permanendi omnino nulla sit, sed potiùs è contrario omnino liberum sit discedere, & talem viuendi modum relinquere, non solum impunè, sed etiam sine culpa, per se loquendo talem viuendi modum, licet ad perfectionem vtilis sit, quandiu durat, simpliciter non mereri nomen status. Vnde infra dicemus, tales communitates non esse sufficientes ad statum religiosum; nec in iure sub nomine religiosorum, seu regularium comprehendi. Et ad argumentum respondetur, homines sic viuentes excedere cæteros communes fideles in actuali modo viuendi, cum maiori vitæ perfectione, non tamen in statu; sicut etiam inter ipsos coniugatos quidam perfectius viuunt, quàm alii; & ex proposito voluntatis suæ seruant continuè, & perseueranter meliorem quendam viuendi modum; & nihilominus quoad statum non excedunt eos, qui minus perfecte viuunt. Sic ergo de illis voluntariè permanentibus in talibus congregationibus iudicandum est.

14. *Respondetur ad secundum exemplum Episcopus tenetur permanere in suo munere.*

Ad secundum exemplum de Episcopis respondemus habere de se sufficientem immobilitatem: nam tenentur semper in illo munere permanere, iuxta cap. *nisi cum pridem.* de Renunt. siue illa statibus ex voto proprio, siue ex institutione diuina, vel Ecclesiastica proueniat, quod postea videbimus. Vnde Episcopus non potest suo arbitrio statum mutare. Quod autem de licentia Pontificis, propter graues causas id interdum liceat, non est contra rationẽ status, quia eius immobilitas non est naturalis, aut metaphysica, sed moralis, ad quam satis est, vt ex graui causa, & ex propria obligatione personæ proueniat; licet per causam extrinsecam, & ob rationem grauiorem mutari possit. Vnde ad vltimum similiter respondetur, ibi etiam sufficientem firmitatem, & obligationem interuenire: vt latiùs dicemus in tomo sequenti, institutum societatis interpretando.

15. *Probatur secunda pars superioris resolutionis, primo inducitur.*

Altera verò pars de obligatione ad ipsas actiones perfectionis facilè ostendi potest, aduertendo, sub actionibus comprehendi omissiones, seu priuationes morales actionum impedietium perfectionem: nam, vt sæpe dixi, eadem est vtrarumque ratio. Sic ergo fieri potest inductio. Nam status Episcopalis obligat ad pastoralis muneris actiones, status continentiæ, ad castitatem seruandam, & status religiosus ad paupertatem, & generatim ad obediendum, vel ad particulares actiones, quæ interdum promittuntur in speciali; vel ad obseruationem regulæ generatim, in gradu, & modo ab ea præscripto. Et in vniuersum omnis status, præsertim seruitutis, ad aliquam actionem obligat, vt in matrimonio, seruitute humana, & similibus videre licet. Vnde ratio à priori est. Quia status inde dicitur perfectionis, quod firmiter ad opera perfectionis ordinatur; hic autem ordo, cum moralis sit, intelligi non potest sine aliqua obligatione. Quanuis hæc maior, vel minor esse possit: nam interdũ immediatè inducitur per ipsum actum promittendi: vt cum status hic assumitur per votum speciale abstinendi à carnibus, vel quid simile; interdum mediate tantum per votum obediendi, immediate vero per præceptum prælati; & tunc variari poterit obligatio iuxta modum præcepti, seu mandati, aut regulæ.

*Probatur secundo ratione à priori.*

16. *Obligatio ad opera perfectionis, & ad permanentiam in ratione vitæ modo ex vno actu, modo ex multis contrahitur.*

Vnde obiter intelligitur, obligationem ad illa duo, quæ declarauimus, scilicet, ad opera perfectionis, & ad permanentiam, in ratione vitæ, quæ talia opera exigit, interdum contrahi ex vi vnius, & eiusdem actus, interdum ex diuersis. Nam religiosus ex absoluto voto obedientiæ obligatur ad actiones inuinctas, & ad permanendum semper in tali statu, seu seruitute; & in quocunque voto de se perpetuò idem videre licet. At in Episcopatu obligatio ad actionem nascitur ex munere semel suscepto, quandiu illud durat; quod autem permanere in illo sit ex obligatione, videtur maxime esse ex institutione, & lege Ecclesiæ; quia ex vi solius muneris non interuenit aliquod votum, vel promissio perpetua. Vnde in d. cap. *nisi cum pridem*, dicitur: *Cedere Episcopatui sine licentia, Apostolica aut horitate esse interdictum, & nexibus præceptorum impediri.* Quia vero illa lex iam est perpetuo adiuncta tali muneri, ideo obligat, eo ipso, quod munus sub tali conditione acceptatur, & ita diuersam habet radicem, licet supposita lege Ecclesiæ, eodem voluntario actu suscipiendi tale munus, vtraque obligatio contrahatur. Quæ omnia ex dicendis in sequentibus clariora fient.

## Caput XIII.

### *An status perfectionis in statum incipientium, proficientium, & perfectorum conuenienter diuidatur.*

1. EXplicata ratione, seu essentia status perfectionis, nonnullæ illius diuisiones explicandæ sunt, vt cognita statuum varietate, & explicatis breuiter cæteris, quia à proprio statu religioso distincti sunt, circa religiosum statum, qui est huius operis scopus, diutius immoremur. Incipimus autem à proposita diuisione, & quia per eam non tam variæ species totales, vt sic dicam, status perfectionis, quàm diuersi gradus eiusdem status, & quasi varia membra eiusdem corporis distinguuntur, vt dicemus, & quia illam præcipue tradidit D. Thomas in hac materia 2.2. q. 183. a. 4. Oportet autem ante omnia æquiuocationem quandã circa diuisum illius partitionis tollere, multum enim ad eius intelligentiam conferet. Nomen enim status, vt suprà tactum est, interdum significat conditionem, vel gradum perfectionis, seu termi-

*Nomen status dupliciter vsurpatur.*

terminum ad quem res, vel qualitas aliqua in suo augmento peruenit: vt distinguitur status pueritiæ, iuuentutis, & senectutis; aliquando verò significat stabilem viuendi modum in ordine ad aliquem finem. Vtroque ergo modo potest in dicta partitione sumi status perfectionis. Et priori modo pertinet diuisio ad ipsam charitatem, seu perfectionem eius; & ita illam tradidit D. Thomas 2.2.q.24.a.9. Posteriori autem modo dicitur proprie de statu seu de modo quærendi, aut exercendi perfectionem, & in hoc sensu traditur à D. Thoma in d.q.184. & in eo ad præsentem locum pertinet. Quia tamen iste status dicit habitudinem ad perfectionem charitatis, vt diximus, non potest diuisio in posteriori sensu sine priori rectè explicari. Et ideo de illo pauca præmittimus.

1. Tres gradus numerati modo charitatis, modo pertinentes, & in qua re fere conueniunt.

Solent ergo illi tres gradus, vel ipsi charitati tribui, scilicet incipienti, proficienti, & perfectæ: vel personis, & sic solent Patres eam tradere sub nominibus incipientium, proficientium, & perfectorum. Atque hos etiam gradus non solùm in charitate, sed etiam in fide, & in cognitione Christi, & in scientia diuini eloquii, & in omni virtute solent etiam Patres distinguere: vt videre licet in Gregorio lib.2. in Ezechiel.hom.15.circa verba illa cap.40. *Venit ad portam, & ascendit per gradus eius*, per quos mysticè intelligit virtutum gradus. *Quia vnaquæque virtus*, ait, *quasi quibusdam gradibus agitur: aliud namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio.* Et similia latiùs habet lib.22. Moral.cap.14. aliàs 21. & 22. vbi etiam in discursu iustificationis illos tres gradus distinguit; & in diuersis virtutibus inter se comparatis, & in eadem virtute, fidei, vel alia simili; & absolutè in augmento gratiæ, & sanctitatis. Sic etiam Bernard.lib.de vit.solit.ad fratr.de Monte Dei, parum post principium. Et illos tres gradus priùs distinguit, & postea in vnoquoque illorum alios tres similes status considerat, & copiosè, ac eleganter prosequitur. Et Hugo de Sancto Victore in serm.1. sup Eccles. in cognitione Dei, seu mentali oratione, eosdem tres gradus distinguit. Et Richard.de sancto Victore in duobus opusculis de gradibus charitatis; etiam in charitate perfecta quatuor gradus enumerat: in sensu tamen longè diuerso, quia illi potius sunt varii effectus charitatis, quàm gradus, seu status. Et ad hunc modum multi alii Patres diuisionem hanc attigerunt, & præcipue in charitate illam tradunt, quia est præcipua virtus, & forma cæterarum, & vinculum, ac substantia perfectionis.

3. Duo Augustini loca explicantur.

Præcipue verò notanda sunt duo Augustini loca; quia in eis videtur quartum membrum illi partitioni adiungere. Nam in lib.de Nat.& Grat.ca.70. de illa dixit: *Inchoata charitas, inchoata iustitia est, charitas prouecta, prouecta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est.* Circa quæ verba dubitare poterit aliquis, quomodo Augustinus quatuor status, seu gradus charitatis distinguat? Posset que apparenter responderi, per charitatem perfectam intelligere Augustinum charitatem Patriæ: nam charitatis viæ (vt in puncto sequenti dicemus) nunquam est simpliciter perfecta; & ideo videtur melius vocari magna, quando ad perfectionem gradum huius vitæ peruenit. Obstat verò, quia statim Augustinus, etiam maiorem charitatem in hac vita esse posse fatetur, & vltra illam addit perfectionem vitæ futuræ, dicens: *sed miror, si non habet, quo crescat, cum de mortali exierit vita.* Accedit, quòd tract.5. in Ioan. ante medium, de charitate ait: *vt perficiatur, nascitur; cùm fuerit nata, nutritur; cùm fuerit nutrita, roboratur; cùm fuerit roborata, perficitur.* Vbi etiam quatuor membra enumerat; & in vltimo sine dubio loquitur de perfectione vitæ huius: nam adiungit: *Cùm ad perfectionem veneris, quid dicitur. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum; optabam dissolui, & esse cum Christo.* Hoc autem dicit charitas huius vitæ, vt ibi late prosequitur.

4. Charitatis status in quatuor membra diuidi potest, sed omnia in tribus assignatis includuntur.

Indicat ergo Augustinus in verbis illis, in charitate secundùm se spectata, (vt sic dicam) supponi ante dictos tres gradus substantiam eius, vt productum per primam regenerationem, hanc enim vocat in posteriori testimonio charitatem natam: sicut in infante ante omnia supponitur substantia corporis, prout generationem præcisè terminat; & deinde incipit nutriri, & postea roborari, donec perficiatur. Et consequenter in priori testimonio *charitatem inchoatam* vocat eandem, quam in alio loco *charitatem natam* appellauit, quæ nullum augmentum adhuc accepit. Iuxta quam expositionem charitas incipiens non dicitur in ordine ad productionem, sed in ordine ad aliquod augmentū adeò paruum, vt ad robur non sufficiat. Estque probabilis modus loquendi, quamuis nihil impediat sub charitate incipientium comprehendere totum statum, quem habet charitas ab ipsa productione prima inclusiue, vt sic dicam, vsque ad certum terminū incrementi. Et ita in quocunque sensu trimembris illa diuisio sufficiens est.

5.

In modo autem distinguendi illa membra, inuenitur in Patribus nonnulla varietas, quæ in reipsa potest habere fundamentum. Nam in charitate inuenitur latitudo graduum intensionis, & quantitas extensionis ad varios actus, vel obiecta, & maior, vel minor perfectio in modo operandi; vel tendendo ad bonum, vel resistendo malis, & peccatis. Primo ergo potest illa partitio secundum varios intensionis charitatis gradus explicari: nam in qualibet qualitate, inchoata qualitas dici potest, quæ est valde remissa; perfecta, quæ est summe intensa: prouecta vero, seu proficiens dici potest, quæ mediocrem habet intensionem, vel in quocunque gradu medio inter infimum, & supremum gradum existat. Possuntque ad hunc sensum verba Augustini accommodari. Et fortasse moraliter, seu regulariter loquendo in dictis charitatis gradibus diuersitas illa secundum intensionem reperitur; quia charitas suis actibus, vel elicitis, vel imperatis augetur in quocunque perfectionis augmento; simulque eisdem actibus in intensione crescit. Nihilominus tamen non possunt illi gradus primo, & per se per maiorem, aut minorem intensionem distingui. Primò quidem, quia perfectus status charitatis non consistit in gradu intensionis, vt suprà dictum est; nec inferiores status possunt per gradus intensionis discerni. Secundo, quia intensio charitatis viæ non habet certum terminum; ergo ex illa parte non potest assignari status perfectæ charitatis per intensionem summam; ergo nec potest designari aliquis certus gradus intensionis, & augmenti, in quo ille status incipiat, & finiatur status medius, qui proficientium dicitur. Eademque ratio est de gradu remissionis, & de initio status augmenti. Tertio, quia intensio gratiæ, & charitatis potest crescere ex opere operato, vel ex multitudine actuum, ac diuturnitate vitæ; etiamsi homo semper imperfectè operetur; & in statu incipientium, & valde imperfectorum maneat.

*Non dicitur charitas prædicto modo ratione materiæ, vel minoris intensionis.*

6. *Aliqui distinguunt charitatem ratione extensionis ad varios actus.*

Secundo possunt illa membra distingui per extensionem charitatis: & sic distinguit Bonauentura tres gradus charitatis, in Opusc. de gradib.virt. cap. 1.tom.1. Primus extenditur ad solos amicos, secundus ad inimicos in necessariis, tertius ad inimicos in his, quæ supererogationis sunt. At primus gradus non meretur nomen charitatis, quia non includit omnia, quæ sunt de substantia charitatis. Vnde Christus dixit, etiam Ethnicos illam dilectionem habere. Aliter idem Bonau. in Apologia pauperum

in 1. responsione. p. 3. a. 1. Primum gradum ponit in charitate amplectente obseruantiam mandatorum: secundum, in extensione ad consilia: tertium in perfruitione (vt ait) sempiternalium iucunditatum; vtique quantum in hac vita haberi potest. Postea verò in secunda responsione p. 1. art. 1. ponit hunc tertium gradum charitatis perfectæ in desiderio moriendi pro Christo, vel pro salute animarum; quod etiam habet in primo loco citato. Et eundem insinuant Bernard. & August. suprà. Et lib. de Gratia, & lib. arbitr. cap. 17. Plutesque alios modos distinguendi hos gradus, tradunt Hugo, & Richard. de sanct. Vict. & Bernard. locis citatis, qui sunt probabiles.

7. *Prædicta diuisio non cadit etiam in charitatem extensione ex tensionis ad varios actus.*

Quod autem ad rem præsentem spectat, nos supponimus, in omnibus istis gradibus includi totam charitatis extensionem, quæ illi essentialis dici potest; vt est ex parte obiectorum ad Deum, & proximum, siue amicum, siue inimicum, & ex parte actuum ad implenda omnia præcepta; & consequenter etiam ad moriendum pro Christo, vel fide eius, vel pro iustitia, aut pro salute proximorum in casu necessitatis. Deinde credimus, intra illam extensionem posse distingui ilios tres gradus incipientis, proficientis, & perfectæ charitatis, vt statim explicabimus. Item addimus vltra totā illam amplitudinem charitatis dari perfectionem eius per extensioné ad consilia, & opera superogationis, tam erga Deum, quàm erga proximum, tam inimicū, quàm amicum. Et adhuc in charitate sic extensa, quæ respectu prioris dici potest perfecta, distinguendos esse illos tres gradus incipientium, proficientium, vtique in via perfectionis; & eorum, qui iam in illa perfecti sunt. Quomodo distinguere solent mystici Theologi tres vias, purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam.

8. *Tres charitatis status ex modo operandi magis vel minus perfecto distinguuntur.*

Tertiò ergo concludimus, tres illos status distinguendos esse ex modo operandi magis, vel minùs perfecto; vel ipsam dilectionem Dei, & proximi, vel opera virtutum, quæ ipsa charitas, vel ex necessitate, vel ex consilio, vel ad melius esse postulabat. Hic autem modus operandi esse videtur promptitudo, facilitas, & delectabilitas in operibus charitatis, siue elicitis, siue imperatis. Nam modus operandi proprius virtutis, seu ex virtute, est promptè, ac delectabiliter operari; cùm ergo charitas sit maxima virtutum, rectè gradus perfectionis eius, ex diuersitate in tali modo operandi distinguentur. Et inde poterit etiam oriri diuersitas in modo operandi magis, vel minus feruente, id est, cum maiori, vel minori conatu, & intensione; atque etiam in extensione ad actus difficiliores, vel heroicos. Atque hoc modo charitas incipiens vocabitur illa, quæ à concupiscentiis, & aliis passionibus nondum mortificatis, non solùm impeditur, nec facilè, & delectabiliter virtutem operetur, sed etiam in periculo versatur, vt à peccato aliquo superetur, & expellatur. Et hic status dicitur status pugnæ, & viæ purgatiuæ, quia in illo præcipua cura esse debet resistendi concupiscentiis, & mortificandi passiones, nutriendo simul, & fouendo charitatem ipsam, vt D. Thomas in d. art. 9. dixit. Hoc autem fieri potest, & debet, non tantùm seruando præcepta, sed etiam præueniendo (vt sic dicam) occasiones, in quibus præcepta obligant: vt ad vitanda peccata illis contraria, charitas prompta, & optimè disposita sit. Et ideo talis status licet ex vna parte imperfectus sit, ex alia in statu perfectionis etiam intenditur.

*Quanam sit charitas incipiens.*

9. *Qua sit charitas proficiens.*

Secundus autem gradus charitatis proficientis, seu prouectæ, incipit etiam ex parte subiecti, quando iam in illo passiones ita sedatæ sunt, vt pugnado contra concupiscentiam non ita solicitet animum diligentem Deum, præsertim de lapsu graui, quia iam promptè, & faciliter incumbat operationi virtutis, eiusdemque charitatis incremento. Et ideo ille status dicitur viæ illuminatiuæ; quia in eo mens magis, ac magis illuminatur in operationem virtutis. Vnde in hoc gradu fortior est charitas ad promptè, & faciliter euitanda peccata mortalia, quamuis in vitandis venialibus adhuc difficultatem patiatur. Tertius autem gradus charitatis perfectæ esse dicitur, quando iam sunt passiones ita edomitæ, & animus operationi virtutis adeo est assuetus, vt in proprio, & perfectissimo munere charitatis, quod est diligere Deum, promptè, & delectabiliter se exerceat. Et hic est status perfectionis huius vitæ; qui meritò via vnitiua esse dicitur; quia per dilectionem cum Deo vnitur; & hoc est præcipuum huius gradus studium. *Charitas perfecta explicatur.*

Et hoc ferè modo explicat distinctionem horum graduum D. Thomas in dicto art. 9. nam licet dicat, hos gradus distingui secundùm diuersa studia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum, vtique pugnandi contra peccata, crescendi in virtute, & se Deo vniendi; in idem reuera coincidit, quia ex dispositione subiecti, eiusque repugnantia nascitur necessitas prius pugnandi contra peccata, & concupiscentias, & postea exercendi cæteras virtutes, quibus animus præparetur, vt tandem in Deo quiescere, eique facile vniri valeat. In idem etiam reuoluitur, quod de his gradibus sapienter, ac deuote scribit Bernardus serm. 3. & 4. in Cant. eos per oscula pedum, manuum, & oris Christi distinguens, quod obscurius attigerat Origen hom. 1. in Cant. Eandemque ferè doctrinam habet Greg. lib. 24. Moral. cap. 7. aliàs 12. & 13. vbi habet illa verba, quæ D. Thomas refert in argum. *Sed contra.* dicti art. 4. *Tres modi sunt conuersorum; inchoatio, medietas, atque perfectio.* Quos dicto ferè modo declarat. 10. *D. Thomas & alii ita distinctionem horum graduum charitatis explicant.*

Hactenus diximus de priori sensu illius diuisionis; quoniam, vt dixi, ad secundum, huius loci proprium, explicandum, necessarium visum est. Hinc enim nascitur difficultas, quomodo possit diuisio illa ad proprium statum perfectionis applicari. Primo, quia nullus est status perfectionis, qui ad solam inchoationem perfectionis, seu ad solum primum gradum charitatis incipientium tendat, & in illo terminetur, ac sistat, quia licet ad perfectionem pertineat per illum gradum acquirere, non tamen in illo sistere, sed potius studium perfectionis est, semper vlterius progredi. Vnde idem argumentum fieri potest de secundo gradu respectu tertii; ergo non possunt gradus perfectionis secundum illa tria membra distingui. Secundo obiicit sibi D. Thomas d. a. 4. quia status perfectionis pertinet ad statum libertatis, vel seruitutis; sed ad illum statum non pertinet illa differentia trium graduum; quia status perfectionis de se ad perfectum obsequium tendit, & obligat; & quidquid minus præstatur, potius est defectus talis status, quàm eius differentia. Tertio est specialis difficultas circa distinctionem tertii membri à secundo. Quia in hac vita non potest talis perfectio acquiri, in qua sistatur; quia in hac vita semper vlterius progrediendum est. Ergo nec dari potest status perfectionis distinctus, à gradu, seu statu proficiendi. Probatur consequentia, quia summa huius vitæ perfectio in proficiendo posita est. Et eadem ferè difficultas est in assignanda differentia inter primum, & secundum gradum, seu statum. 11. *Impugnatur tradita diuisio ad proprium statum perfectionis applicatam. Primò.* *Secundò.* *Tertiò.*

Ad has difficultates soluendas, & diuisionem in hoc sensu explicandam, aduerto, duobus modis intelligi posse statū diuidi in illa tria membra; vnus est, vt tres illi status secundum quandam limitationem inferiorum graduum omnino inter se condistincti intelligātur, ad eum modum, quo species numerorū distinguuntur, quia maior numerus includit minorem, 12. *Quo modo intelligi possit tradita diuisio.*

notem, & non è conuerso. Sic ergo status incipientium dicitur ille, in quo solùm quæritur charitas inchoata, & ibi sistitur ex vi status. Proficientium autem dicitur, qui includit præcedentem, non tamen in eius s opo sistit, sed vlterius progreditur vsque ad statum prouectæ charitatis, & in eo sistit ex vi talis modi viuendi. Vltimus verò erit perfectorum status, qui vltra prædictos status, ad perfectam cum Deo vnionem instituit professores suos. Alia verò intelligentia illius diuisionis esse potest, vt membra illa solùm sint partialiter (vt sic dicam) in vno consummato, & integro statu perfectionis.

13. Iuxta priorem sensum dicunt aliqui, non esse necessarium tres illos gradus ad statum perfectionis pertinere; sed satis esse, vt in diuersis statibus vitæ Christianæ inueniantur. Vnde aliqui tribuunt statum incipientium coniugatis, quia ex vi status non habent media, quibus proficiant vltra illum gradũ; imò ex vi status subiectisunt concupiscentiis, & impedimentis. iuxta illud 1. Corinth. 7. *Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi, ego autem vobis parco.* Et quod alibi dicitur, parentes teneri filiis thesaurizare, quod sine distractione, & animi diuisione non fit. Sed hæc accommodatio non placet: tum, quia illi tres gradus, in his præsertim, qui viam perfectionis profitentur, inueniuntur, & distinguuntur à Patribus. Tum etiam, quia coniugati ex vi matrimonii non habent peculiarem statum vitæ Christianæ formaliter sumptæ, sed tantùm materialiter, vt iam explicaui. Et ideo sicut ex vi status matrimonii non sunt alligati ad sola præcepta seruanda, sed possunt multa consilia seruare, si velint: ita etiam non sunt limitati quoad perfectionem charitatis ad gradum incipientium, sed etiam gradum perfectorum possunt attingere, vt suprà etiam dixi. Ergo sine causa dicuntur ex vi coniugii in statu incipientium commorari. Tum denique, quia iuxta illam accommodationem non poterunt alii duo gradus communiter distingui, vel aliis viuendi modis attribui.

*Male accommodatur coniugatis status incipientium.*

14. Alii inter eos, qui aliquo modo statum perfectionis participant, ita illa membra distribuunt, vt gradum incipientium illis personis attribuant, quæ extra religionis statum aliquo modo speciali diuino obsequio se dedicant per votum castitatis, vel aliud simile. Gradum autem perfectionis omnibus religiosis accommodant: gradum autem perfectorum in solis Episcopis agnoscunt. Sed hæc etiam accommodatio nullo modo admittenda est. Primò quidem, quia falsum est, religiosum statum ad gradum proficientium limitari. Nam, vt infrà ostendemus, simpliciter est schola perfectionis; & in eo maximè potest charitas ad perfectum statum in hac vita possibilem peruenire. Hoc enim experientia ostendit, & docent Patres, vbicunque de illis tribus statibus charitatis loquuntur, Bernardus præsertim, & Gregorius. Et ratio idem demonstrat, quia in illo statu impedimenta omnia perueniendi ad perfectionem, maximè auferuntur, & media præcipuè illam acquirendi inueniuntur. Ergo ille status non sistit in gradu proficientium, sed maximè tendit ad gradum perfectorum. Vnde D. Thom. q. 184. a. 5. tam religiosis, quàm Episcopis statum perfectionis simpliciter attribuit. Vnde clarè sensit, statum religionis non esse tantùm statum proficientium: nam si ibi sisteret, non posset dici absolutè status perfectionis: præterquà quòd, si status perfectionis ita sumatur, non erit adæquata diuisio: vt in sequentibus declarabimus.

*Non bene accommodatur non religiosis status incipientium, perfectis religiosis, perfectum soli Episcopo.*

15. Tandem primum membrum de statu incipientium, non rectè attribuitur continentibus, aut virginibus, qui solam castitatem vouent; & secundùm exigentiam illius status vitam instituunt. Nam si sunt in statu alicuius perfectionis, cur non erunt etiam in statu proficientium? Etenim modus ille viuendi aptissimus est ad proficiendum in charitate: vt aperte sentit Paulus 1. Cor. 7. dicens de Virgine: *Cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu.* Vtique iuxta status sui exigentiam: & è conuerso, mortificatio passionum ad illius status conseruationem, & debitam obseruantiam valde necessaria est, & per illam ad statum proficientium peruenitur; nulla ergo ratione potest status ille ad gradum incipientium limitari. Imò etiam de se disponit ad gradum perfectorum attingendum; ideoque nec ab illo excludi potest. Præsertim, quia etiam in ipsa perfectione latitudo inuenitur: & licet forte talis status præcisè spectatus per se, & ex vi sua ad summam perfectionem non sufficiat; nihilominus ad aliquem gradum perfectionis, qui gradum proficientium excedat, per se potest hominem perducere.

*Statum incipientium non recte attribuit continentibus, aut virginibus.*

16. Multo ergo probabilior est posterior modus explicandi illam diuisionem, nimirum vt non sit quasi diuisio generis in species, id est, status perfectionis in varios viuendi modos, qui sint veluti species sub genere contentæ: sed sit diuisio vel accidentis in subiecta; vel subiecti in accidentia. Primam partem probant primæ duæ rationes dubitandi in principio positæ; & quæ contra alios dicendi modos obiecta sunt. Et illam docet Caietanus in q. 183. in principio, dicens, statum incipientium, & proficientium non nisi imperfectè habere rationem status, nec esse veluti species de per se, sed veluti vias ad aliud: nam ipsa nomina *incipientium*, & *proficientium*, includunt habitudinẽ ad perfectionem, tanquã ad terminum.

*Prædicta diuisio est vel accidentis in subiecta, vel subiecti in accidentia.*

17. Aliæ verò duæ partes sunt probabiles, & sub diuersis rationibus veritatem continent; status enim perfectionis est, quasi accidens quoddam illis personis inhærens, quæ talem statum profitentur. Idem autem status, idemque viuendi modus inuenitur in quibusdam incipientibus, & in aliis proficientibus, & tandem in aliis, qui iam perfectionem attigerunt. Quia non omnes, qui eandem rationem vitæ profitentur. æquales progressus in illa faciunt; vel æqualiter illam obseruant: & ideo non tantum perfectionis status generatim sumptus, sed etiam in specie, & in individuo recte diuiditur in illa tria membra ex parte personarum. Perinde enim est, ac si diceretur; in statu perfectionis quidam sunt incipientes, alii proficientes, alii perfecti. Sicque dixit D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 1. ad 3. *In religione non omnes sunt perfecti, sed quidam incipientes, quidam proficientes.* Ideoque in hac consideratione recte dicitur illa diuisio accidentis in subiecta; & sic dixit Bernardus in d. lib. de vit. solit. Hoc autem modo, sicut stella à stella differt in claritate, sic cella à cella; in conuersatione scilicet, incipientium, proficientium, & perfectorum.

*Explicatur qua ratione sit diuisio accidentis in subiecta.*

18. Aliter verò sumi potest ipse religionis status, quasi subiectum capax diuersorum modorum accidentalium. Et sic potest illa diuisio accipi, & dici subiecti in accidentia; qualis est diuisio caloris in remissum, & intensum; & charitatis in incipientem, nutritam, & perfectam, vt suprà explicatum est. Eodem enim modo status perfectionis potest considerari, vel tanquam inchoatus, vel vt iam prouectus, vel vt plenus, & perfectus; & ideo recte in illa tria membra, tanquam subiectum in accidentia distingui. Et hoc videtur D. Thomas significasse in d. q. 183. a. 4. dicens: *In omni humano studio est inuenire principium, medium, & finem; & ideo status spiritualis seruitutis, ac libertatis secundùm tria distinguitur, principium ad quod pertinet status incipientium; medium ad quod pertinet status proficientium; & finem, ad quem status perfectorum spectat.*

*Ostenditur quomodo sit diuisio subiecti in accidentia.*

19. Vnde fit, vt in vnoquoque statu perfectionis acquirendę, seu qui est via ad perfectionem possint illa tria membra distingui; quia vnusquisque status per

*In quo vnusquisque status*

*perfectionis illa tria membra considerari possunt.*

fectionis est studium quoddam habens initium, medium, & finem. Et hinc etiam addere possumus, in illa partitione numerari quasi tres partes integrãtes eundem statum perfectionis, qui sit studium acquirendæ perfectionis; & in ea ratione completum, & consummatum sit. Nam in eo esse debet peculiaris ratio inchoandi perfectionem; & inde transeundi ad studium proficiendi in perfectione; vt tandem sequatur institutio ipsius perfectionis; ita vt singulis gradibus propria exercitia, & media, atque actiones deputentur. Vnde quanuis in omnibus illis membris, ac eorum singulis, firmitas, & essentialis ratio status perfectionis inueniatur; nihilominus in solo tertio membro est tanquam in termino; in cæteris verò, tanquam in transitu, & quasi progressu ad illũ. Atque hanc doctrinam ferè totã breuiter amplexus est Bernardus in d.tr.de vit. solit. vbi cum distinxisset illos tres status, dicens: *Incipientium status potest dici animalis, proficientium rationalis, perfectorum spiritualis*; paulo pòst adiungit: *Et cùm ex his tribus hominum generibus constet omnis status religionum, quæ sicut propriis nominibus distinguuntur, ita dignoscuntur ex suorum proprietate studiorum: debent omnes filii Dei in die, qui est, semper diligenter prospicere, quid desit sibi, vnde venerint, quousque peruenerint; & in quo proficiendi statu singulis diebus, vel horis sua se æstimatio deprehendat.* Vnde necesse est, vt integrum perfectionis studium tres illos processus, seu status, quasi partes suas cõprehendat; sitque veluti quoddam totũ heterogeneum ex illis membris inter se distinctis constans. Ex quo etiam fieri potest, vt secundùm maiorem, vel minorem participationẽ actionum, & studiorũ partialium varii status perfectionis, seu religionis inter se distinguantur: vt infrà tractando de varietate religionũ copiosiùs dicemus.

20. *Soluuntur duæ rationes dubitandi initio propositæ.*

Ex his facilè est rationibus dubitandi in principio positis respondere. Nam prima, & secunda rectè probant, illa tria membra non distingui vt tres species status perfectionis totaliter diuersas; non tamen probant, intra eundem integrum statum non distingui, vt partes eius. Quia licet totus status non sistat in gradu inchoato, vel medio: nihilominus, quia nemo repentè fit summus; ideo necesse est, vt per inferiores gradus paulatim ad superiores tẽdatur. Eo vel maximè, quòd, vt dixit Bernardus suprà, in quolibet illorum graduum suus modus perfectionis inuenitur, quæ in singulis quærenda est. *Ab omnibus* (ait) *vabis* (vtique religiosis) *perfectio exigitur, licèt non vniformis, sed si incipis, incipe perfectè; si iam in profectibus es, & hoc ipsum iam perfectè age: si autem perfectionis aliquid attigisti, teipsum in temetipso metire, & dic cum Apostolo: Non quòd iam apprehenderim, aut perfectus sim, sequor autem, si forte comprehendam, in quo, & comprehensus sum; vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, & ad ea, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis in Christo Iesu*, ad Philip. 3.

21. *Soluitur tertia ratio dubitandi.*

Et hinc consequenter respondet Bernardus ad tertiam rationem dubitandi propositam, in qua petebatur, quomodo possit in hac vita distingui status proficientium à statu perfectorum, cùm in præsenti quandiu vita durat, proficiendum sit. Respondet ergo tacitè Bernardus, addendo verba Apostoli in eodem loco. *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus. In quo* (ait) *manifestè Apostolo docente, declaratur, quia perfecta eorum, quæ retro sunt, obliuio, & perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominis iusti in hac vita perfectio. Et perfectio huius perfectionis ibi erit, vbi erit brauii supernæ vocationis perfecta apprehensio.* Dico ergo, obiectionem solùm probare, statum perfectorum in hac vita non consistere in hoc, vt ad terminum augmenti peruentum sit; ita vt vltra non sit progrediendum, hoc enim potiùs perfectioni huius vitæ repugnat. Nam, vt optimè idem Bernardus epist. 253. dixit, *Inde sessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.* Et hæc est communis Patrum doctrina, vt videri potest in Aug. tract. 4. in 1. epist. Ioan & serm. 15. de Verb. Apost. & serm. 50. de Temp. & lib. de Cant. nouo cap 4. Cassian. collat. 1. præsertim cap. 7. & 13. Basil. hom. 11. Exaemer. in id, *Crescite*, &c. Greg. hom. 13. in Ezechiel. Status ergo perfectorum non distinguitur à statu proficientium in carentia augmenti, sed potiùs in maiori affectu, diligentia in facilitate proficiendi. Itemque in maiori feruore operandi altiora, & excellentiora opera apta ad maiorem profectum.

22. Denique addit D. Thomas d.q 184. a. 2. *Excedunt perfecti, quia ab illorum affectu excluditur, non solùm illud, quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud, quod affectum mentis impedit, ne totaliter feratur in Deum.* Quorum verborum sensus non est, perfectionem huius vitæ excludere omnia peccata venialia, vel omnem concupiscentiam, seu omnes eius motus inordinatos; id enim capacitatem huius vitę excedit: vt docet Aug. lib. de perfect. iustitiæ, & ex materia de Gratia suppono; sed est sensus, quòd hæc excludantur à deliberato affectu eius, qui ad statum perfectorum attigit. Et ideo ab his impedimentis faciliùs, ac frequentiùs se expediat. Et in eodem sensu accipiẽdum est, quod dixit Aug. lib. 83. quæst. q. 36. *Charitatis venenum est spiritus adipiscendorum, aut retinendorum temporalium: nutrimentum eius est imminutio cupiditatis. Perfectio nulla cupiditas.* Vtique secundum deliberatum affectum. Vnde in lib. de perfect. iustitiæ. cap. 9. exponendo plura testimonia diuinæ Scripturę, quibus ad perfectè viuendum, & sine macula prouocemur, ait: *Currentes exhortantur, vt perfectè currant.* Et statim adiungit: *Ingredi sine macula non absurde etiam ille dicitur, qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus; atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.* Vbi significat, quanuis status, seu gradus perfectorum non omnia venialia peccata excludat; ad illum nihilominus pertinere, vt multum minuantur, & quæ interdum ex fragilitate accidunt, quàm citissimè mundentur.

## Caput XIV.

### *Vtrùm status perfectionis in statum illum acquirendi, vel eandem exercendi conuenienter distinguatur; & quomodo Episcopi in statu perfectionis esse dicantur.*

1. *Vtrùm status perfectionis ad tres distinguatur in Astatum perfectionis acquirendæ & exercendæ.*

Hæc diuisio à paucis Doctoribus sub illis terminis traditur, ab omnibus autẽ supponitur, vel comprehenditur in alia, quã verbis ferè æquiualentibus tradunt, distinguendo statum perfectionis in statum religiosorum, & Episcoporum: vt est apud D. Thomam 2. 2. q. 184. a. 5. & sequentib. tamen quia hæc diuisio sub his terminis data non potest sufficiẽter intelligi, nisi antea sub prioribus terminis declaretur, (vt ex dicendis patebit) ideo quærimus, an status perfectionis conuenienter diuidatur, in statũ perfectionis acquirendæ, id est, qui sit veluti studiũ, & schola, in qua doceantur homines perfectionem addiscere, & obtinere: & in statum perfectionis exercendæ, id est, in quo obligetur quis opera perfectionis exercere; etiamsi ex vi illius status perfectionem propriam acquirere non doceatur. Et quidem in primo membro huius partitionis nihil dubitationis, aut difficultatis est. Nam in capitibus præcedentibus probatum est dari in Ecclesia statum perfectionis, aliquid addens statui communi Christianæ vitę, & omnia, quæ de illo statu diximus, maximè procedunt de statu tendente ad perfectionem inchoandã, promouendam, & consummandã; ergo omnia, quæ adduximus, probant dari in Ecclesia statum, qui sit schola perfectionis, vel (vt illum D. Thomas vocat) perfe-

*In primo membro nulla dubitat o esse potest.*

perfectionis studium. Et præsertim notum est, huiusmodi esse statum religiosum: nam in eo per observationem præceptorum, & consiliorum ad perfectionem acquirendam tenditur. Tota ergo difficultas est in altero membro, quomodo possit à priori esse distinctum.

*Tota difficultas versatur in secundo.*

2. *Ratio dubitandi.*

Et ratio dubitandi est. Primò, quia perfectio nec exerceri potest, quin priùs habeatur; nec haberi potest sine miraculo, nisi priùs acquiratur, & semel habita, & acquisita, non est otiosa, sed in eodem statu exercetur; ergo impossibile est distinguere statum exercendæ perfectionis, ab statu, in quo acquiritur. Consequentia per se nota videtur, & cum antecedente simul declaratur. Nam vel status, in quo simul exercenda est perfectio, per se supponit ipsam perfectionem; & sic erit quasi terminus eius, sicque non constituet statū distinctum: nam status perfectionis acquirendæ, et am post acquisitum suum terminum perseuerat, eiusque opera exercet. Sic enim religiosus postquam ad statum perfectorum peruenit, religiosus durat; & opera perfectionis illi statui maxime consentanea exercet, dum in assidua contemplatione, & vnione cum Deo, & in aliis actibus diuini cultus, & religionis, vel etiam in assiduis misericordiæ operibus, maxime in his, quæ ad salutem spiritualem proximorum pertinent, occupatur. Sicut enim habitus per actus acquisitos similes actus exercet; ita perfectio in aliquo statu comparata exercet actus similes illis, per quos comparata est; ideoq; tam exercitium, quàm acquisitio perfectionis ad eundē statum pertinet. Ergo si status exercendæ perfectionis per se supponat perfectionem, non potest esse distinctus ab statu acquirendæ perfectionis. Si verò status est exercendæ perfectionis, & perfectionem non præbet, nec ad illam iuuat, non erit status perfectionis, quia non erit status bene, & prudenter institutus, & consequenter non erit status perfectus, sed valde imperfectus. Probatur hæc illatio, quia status perfectionis debet iuuare habentem non solùm ad salutem, sed etiam conferre facilitatem, & aliquam maiorem securitatem obtinendi salutem: at verò status obligans ad opera heroica, & perfecta, & non iuuans ad perfectionem, nec illam per se supponens, non potest ad salutem propriam iuuare; sed potiùs constituet hominem in magno periculo perditionis, eo quod non possit moraliter suo muneri satisfacere; ergo non erit status perfectionis.

3. *Opinio est statum diuidi in statum acquirendę, & exercendæ perfectionis.*

Nihilominus assero, cōuenienter statū perfectionis diuidi in statum acquirendę, & exercendæ perfectionis: vel, quòd idem est, in statum tendentium ad perfectionem, & statum perfectorum. Sumitur hæc diuisio ex D. Th. in d. q. 184. art. 5. Vbi in arg. *Sed cōtra*, adducit Dionysium in cap. 5. de diuin. nom. qui attribuit perfectionem Episcopis tanquam perfectioribus, & in ca. 6. tribuit perfectionē monachis, vt Deo famulantibus. Quæ differentia, si attente consideretur, reuera in idem redit. Et in art. 7. idem magis declarat dicens, in genere perfectionis quosdam esse in statu perfectionis, vt agentes, nimirum, vt perfectores; alios verò vt recipientes, vtique perfectionem ipsam, quam acquirunt: ergo meritò priorum status dicitur esse solùm exequendæ perfectionis; posteriorum verò etiam acquirendæ. Et q. 185. art. 4. ad 1. docet idem Sanctus, *quod perfectio religiosorum, & Episcoporum secundum diuersa ratiōe dicitur: nam ad perfectionem religionis pertinet studium, quod quis adhibet ad propriam salutem: ad perfectionem autem status Episcopalis pertinet adhibere studium ad proximorum salutem.* Per quæ verba quasi describit D. Thomas illa duo mēbra, quæ nos appellamus, exercendæ, vel acquirēdæ perfectionis.

4. *Probatur vltimum.*

Præterea in quæst. 186. a. 1. ad 4. de statu religionis expresse dicit, *ff. principaliter institutum ad perfectionem adipiscendam per quædam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis.* Et in art. 2. in corpore ait: *Status religionis est quædam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perueniendi.* Assignat autem illam differentiam, tanquam constitutiuam status religiosi, & descriptionem illam tanquam ipsi adæquatam: & tamen supponit, præter statum religiosum, esse alium distinctum statum perfectionis, in quo dicit esse Episcopos tanquam perfectores: ergo clare supponit, & sentit priorem esse statum perfectionis acquirendæ; posteriorem verò solùm agendæ, seu exercendæ. Expressius verò, & sub propriis terminis tradit prædictam diuisionem, eamque latè declarat Gerson 3. tom. in tract. de statu perfect. Alph. 67. à lit. V. & tract. sequēti de perfect. cordis. Alphab. 68. lit. A. & B. Eandem attigere Dionys. Carthus. Opuscul. de regulis vitæ Christ. cap. 1. & Maior 4 dist. 38. qui expresse vtuntur verbis *perfectionis acquisitæ, & acquirendæ.* Quibus accedit Caiet. 2. 2. quæst. 189. art. 3. vocans, *statum perfectionis propriæ, vel alienæ*, quæ in idem redeunt, vt infrà cap. 16. iterum attingemus.

*eadem diuisio ex eodem D. Th.*

Ratione potest diuisio hæc breuiter declarari; 5.
quia vtrumque membrum illius partitionis datur reuera in Ecclesia, & in vnoquoque illorum generalis ratio status perfectionis inuenitur, & inter se habent sufficientem distinctionem, seu oppositionem, & totum diuisum adæquate complectuntur. Ergo nihil illi diuisioni deest ad bonam partitionem necessarium. Consequentia est clara, & antecedens per singulas partes probatur. Nam in primis de statu religionis satis iam probatum est, esse scholam acquirendæ perfectionis. Vnde Dionysius cap. 6 de Eccles. hierarch. p. 1. de Monachorum ordine dicit: *Sanctorum mysteriorum sanctificia ediscens à sacra eorum scientia, ad exactiss.mam perfectionem diuina ratione subuehitur.* Et addit: *Vnde sancti Præceptores nostri diuinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim Therapeutas, id est, cultores à sincero Dei famulatu, atque cultu: partim Monachos ab indiuidua, & singulari vita appellant; vt quæ illos in diuinam, Deoque gratam perfectionem promoueat.* Tradit Cassian. late collat. 1. præsertim ca. 7. & sequentib. & reliqui Patres communiter.

*Probatur diuisio ratione.*

Sed obiicit Gerson suprà, quia, si religio est sta- 6.
tus perfectionis acquirendæ, immeritò status perfectionis vocatur; aptius enim dicetur via ad perfectionem, quàm status eius: nam repugnat esse iam in statu, & esse in via. *Quia enim*, ait, *dicet religiosum esse in statu gloriæ, quia est in statu illius adipiscendæ?* Sic enim D. Thomas suprà ait, religiosum statum perfectionem, vt finem respicere, & ad quem tendit: non ergo erit status perfectionis, sed tendens ad perfectionem. Sed in primis obiectio est de solo modo loquendi. Deinde exemplum de gloria non est simile; quia gloria est finis extrinsecus, & remotus, & non acquirendus in eodem statu, sed transeundo ad alium vitæ ordinem. At verò perfectio specialis, & propria huius vitæ, est finis proprius, & quasi intrinsecus status religiosi, & intra ipsum acquirendus, & ideo merito talis status simpliciter perfectionis dicitur, quia ita est via ad perfectionem, vt etiam terminum includat. Nam (vt cap. præcedenti dicebamus) status religionis non tantùm inchoantes, & proiectos, sed etiam perfectos habere debet: & quia perfecti sunt præcipui, & maxime intenti, ab illis simpliciter denominatur. Eo vel maxime, quod hæc via simul est cum termino magis, vel minùs perfecto, iuxta maiorem, vel minorem progressum in tali via factum. Vnde in omnibus verè profitentibus talē statum aliquis est perfectionis gradus, licet non in singulis sit in gradu perfecto; esse autē potest, & debet in toto corpore. Quanuis etiam in omnibus sit quodāmodo in via; quia huius vitæ perfectio, quātacumq; sit, in hoc semper consistit, vt ad maiorem perfectio-

*Obiectio.*

*Soluitur obiectio.*

nem anhelet, vt in fine capitis præcedentis dictum est: ideoque etiam respectu perfectorum in religione existentium, semper est schola perfectionis; quamuis etiam status perfectionis sit. Et ita simul probatum est, totam rationem status perfectionis, in hoc membro inueniti.

*Probatur dari statũ perfectionis exercendæ, qualis est Episcoporũ status.*

Quòd verò etiam detur in Ecclesia alius status perfectionis exercendæ, seu communicandæ aliis, in Episcoporum statu concipimus. Nam supponimus Episcopos esse in statu perfectionis ex vi suæ dignitatis; quod in cap. sequenti ex professo tractandum, & declarandum est. At non sunt in statu perfectionis acquirendæ; ergo in illis datur status perfectionis exercendæ, non potest enim cogitari medium. Minor probatur, tum ex ipso vsu, tum ex fine, & institutione talis status, qui est ad illuminandos, & perficiendos alios: vt docet Dionys. dicto lib. cap. 5. & 6. Et sumitur ex illo Matth. 5. *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi: nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Et ideo, qui in illo statu constituitur, licet indigeat propria, & personali perfectione; non recipit ex vi status media, quibus illam acquirat, sed quibus illam exerceat circa alios. Ergo meritò dicitur esse status perfectionis exercendæ, non verò acquirendæ, & ita sufficienter probata est illorum membrorum differentia, & quasi oppositio; quia & ad diuersos fines proprios tendunt, & diuersis actionibus per se incumbunt, & longè diuersas obligationes habent; sunt ergo planè distincti. Denique inde facilè ostenditur, diuisionem esse adæquatam, quia perfectio non potest intendi, nisi vel vt agenda, vel vt recipienda, id est, vel vt aliquis eam sibi acquirat, vel vt illam aliis communicet, neque inter hæc potest cogitari medium. Nam vel illud esset per mistionem, seu participationem vtriusque extremi; & hoc non, quia ille status sub priori membro perfectionis acquirendæ comprehenditur, vt ex dictis intelligi potest, & magis ex dicendis de statu religioso constabit: vel esset per carentiam vtriusque extremi; & hoc etiam non erit medium respectu talis diuisionis, quia nullo modo continebitur sub diuiso. Sicut inter Doctorem, & discipulum non datur medium, in genere vtique studentium, seu eorum, qui literas profitentur, licet extra illud genus possit dari medium per vtriusq; muneris abnegationem; ita ergo est in præsenti. Atque ita satis probata sunt omnia, quæ proposuimus, ac subinde diuisionem optimam, ac necessariam esse.

8. *Solvitur ratio dubitandi.*

Ad rationem igitur dubitandi respondemus in primis, rectè distingui illa duo membra ex finibus per se primò intentis in illis statibus, scilicet, perfectionis propriæ, vel aliorum, & consequenter ex diuersis mediis, actionibus, quæ ad illos fines per se ordinantur. Deinde, de statu perfectionis exercendæ, dicimus posse aliquem exercere opera perfectionis, licet perfectus non sit: sicut potest castitatem alteri persuadere, qui castus non est; & pauertatem, qui non est pauper. Et ratio est, quia propria perfectio non est principium adæquatum actionum perfectarum, præsertim earum, quæ ad alios perficiendos ordinantur. Et ideo potest aliquis esse perfectior, licet non sit perfectus. Vt autem sit in statu perfectionis, satis est, quòd sit in statu perficientis, licet ipse perfectus non sit. Quia verò hic modus operandi perfectionem, nimis imperfectus, & inefficax est; & moraliter vix' potest cum fructu fieri, iuxta verbum Christi Matth. 5. *Si sal euanuerit, in quo salietur?* Ideo concedimus, statum hunc perfectionis exercendæ, vt rectè assumatur, & exerceatur, requirere personalem perfectionem in eo, qui talem statum profitetur. Vnde optimus ordo erit, quod in tali persona perfectio antecedat, tanquam dispositio ad illum statum conueniens, & maximè necessaria: vt significauit Christus Dominus, quando à Petro, priusquam Vicarium suum illum crearet, interrogauit, *Amas me?* Matth. 21. quod in omnibus ad talem statum perfectorum assumendis locum habet. Non est autem necesse, vt illa perfectio personalis in aliquo statu perfectionis acquisita sit, potest enim extra statum perfectionis comparari, & ideo licet hic status requirat perfectionem personæ, vt bonam dispositionem ad illum, non ideo ipse erit status perfectionis acquirendæ; nec per se illam præstabit, sed aliunde illam petet. Nec inde sequitur, vt in fine illius rationis inferebatur, hunc statum perfectionis non esse bene, ac prudenter institutum; quia prudens alicuius status institutio non postulat, vt ipsemet status conferat, vel doceat, aut aliter secum afferat omnem bonam dispositionem ad illum necessariam. Sicut Episcopatus requirit scientiam, non tamen illam confert. Pertinet ergo ad prudentiam assumentis, & conferentis tale munus, vt sine tali dispositione non detur, vel assumatur; non verò, quòd status ipse illam per se tribuat.

*Episcopus antequam assumatur, debet habere perfectionem in proposito, & voluntate efficaci.*

Vnde non sequitur, vt vlteriùs inferebatur, quòd talis status constituat hominem in periculo propriæ damnationis, obligando ad opera perfecta, & non dando perfectionem: sed ipse homo se constituit in periculo, si absque debita dispositione talem statum accipiat. Ne tamen videamur nimiam obligationem imponere talem statum assumentibus, addimus, licet conuenientissimum sit, & longe melius non assumere munus perficiendi alios, nisi post multam propriæ perfectionis exercitationem, & acquisitionem; nihilominus non esse simpliciter, & ex præcepto necessarium, vt in re ipsa, & in executione talis perfectio præcedat. Sed satis est, vt proposito, & voluntate de se efficaci habeatur, saltem, quoad implenda omnia, quæ ex vi talis muneris necessaria sunt, & sub obligationem cadunt, quamuis perfectissima sint. Qualia sunt, pro ouibus animam ponere, Ioan. 10. Et pro earum salute vigilare, & conuenienter illas pascere: vt 1. Petri 5. docetur. Ac denique non est extra rationem huius status, quòd in eo simul exerceatur perfectio, vel acquiratur, vel iam acquisita augeatur. Nam, vt bene notauit Gerson in priori tract. litt. V. ad finem, licet status prælatorum sit status perfectionis exercendæ, hoc tamen non obstat, quin illo met exercitio perfectionem acquirant, vel in illa crescant, quia non sunt in summo perfectionis, sed in illa semper crescere possunt, & ipsa opera, quæ exercent, quo perfectiora sunt, eo sunt ad crescendum in virtute aptiora. Sed quia hoc non est per se intentum ex vi illius status, sed quòd aliorum saluti, & perfectioni studeatur; idcirco hinc sumit suam veluti specificationem, & diuisionem ab alio statu.

9. *Status perfectionis exercendæ non constituit hominem in periculo perditionis.*

*Episcopus supponit in Episcopo perfectionẽ*

*Episcopatus munus quo salietur?*

Et ita obiter satisfactum est ad id, quod ex parte alterius membri obiiciebatur; quia in statu perfectionis acquirendæ, seu religioso, non tantùm acquiritur, sed etiam exercetur perfectio; imò tunc maxime exercetur, cùm magis est acquisita, seu magis aucta. Est enim id verissimùm; sed illud exercitium semper est ad acquisitionem propriæ perfectionis necessarium, & quia perfectio huius vitæ non habet in illa intrinsecum terminum, sed in perpetuo augmentum maximè consistit, ideo semper exercetur, vt crescat, semperque est exercitium pertinens ad statum perfectionis acquirendæ.

*Soluitur quod contra aliud diuisionis membrum obiiciebatur.*

* * *

CAPVT

## CAPVT XV.

### *Virum Episcopatus sit status perfectionis exercendæ, seu perfectorum, ac perficientium.*

1. IN præcedenti capite suppoſuimus, Epiſcopos eſſe in ſtatu perfectionis, quem exercendæ, ſeu cõmunicandæ perfectionis appellamus: nunc autem illud probare, & ampliùs explicare neceſſarium eſt. Non eſt tamen in animo omnia quæ ad munus Epiſcopale, & ad obligationes Epiſcoporum pertinent, in præſenti opere tractare; licet magna ex parte id fecerit D. Thomas in 2.2.q.185. per totam; quoniam, & ab inſtituto præſentis operis alienum eſt, & iuxta mentem, ac diſtributionem noſtram proprium locum habet in tomo 6. ad 3.p.D. Thomæ: Vbi cum ſacramento ordinis totam Eccleſiaſticam Hierarchiam (ſi Deus vires, & vitam conceſſerit) elucidare pro viribus deſideramus. Solùm ergo nunc conſideramus Epiſcopatum ſub ratione ſtatus perfectionis, quoniam ad complementum huius materiæ, & exactam cognitionem, & diſtinctionem ſtatuum, neceſſarium eſt.

2. *Epiſcopatus inter ſtatus numeretur.*

Primùm ergo dubitare quis poteſt, cur Epiſcopatus inter ſtatus numeretur, cùm ad miniſteria potiùs pertineat, quæ nos in cap. 1. & 2. ab ſtatibus diximus, & à præſenti conſideratione reiecimus. Quòd autem Epiſcopatus miniſterium ſit, conſtat ex Paulo ad Epheſ. 4. dicente, *Alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij.* Vnde 1. ad Timotheum 4. ad illum, tanquam ad Epiſcopum ſcribit: *Hæc præponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti* IESV. Et frequenter in ſuis epiſtolis ſe, & alios Apoſtolos miniſtros Chriſti vocat, quibus in miniſterio Epiſcopi ſucceſſerunt. Eſt ergo Epiſcopatus vnum ex potiſſimis Eccleſiæ miniſtériis; non eſt ergo ſtatus. Qui miniſterium ordinatur ad aliorum ſalutem, in quo habet conuenientiam cum gratia gratis data; ſtatus verò ad propriam perfectionem habentis inſtituitur, quæ non ſemper eſt coniuncta cum aliorum perfectione, ſicut nec gratia gratis data gratum facientem per ſe coniunctam habet.

3. *Secunda vera diſſoluendi.*

Accedit ſecundò, quòd Epiſcopatus non habet immobilitatem ad rationem ſtatus neceſſariam. quod in hunc modum declaro. Nam in Epiſcopatu duo poſſunt conſiderari, ſcilicet, conſecratio, & prælatio. Prior immobilis eſt, & indelebilis; illa tamen non conſtituit ſtatum perfectionis, quia non obligat ad aliqua opera perfectionis, ſed tãtùm præber quandam capacitatem, & poteſtatem ad Epiſcopales actiones exercendas, quatenus ad ſolam poteſtatem ordinis pertinent; non tamen dat paſtoralem, nec per ſe obligat ad aliqua opera cõſilii, vel perfectionis; nec per ſe habet annexum votũ caſtitatis, neq; aliud ſimile; neq; ex vi ſua obligat, quaſi ex officio ad perficiendum, vel illuminandum alios; ſed ad ſummum propter quandam perſonæ dignitatem tenebitur talis perſona maius exemplum virtutis, & honeſtatis præbere intra latitudinem præceptorum, quæ obligatio communis eſt omnibus perſonis in aliqua dignitate conſtitutis, ſeruata proportione; per ſe autẽ non ſufficit ad ſpecialem ſtatum conſtituendum, multoque minus ad ſtatum perfectionis. Altera verò pars de Epiſcopatu, quoad prælaturam ipſam, ſeu paſtorale munus, licet officium perfectionis eſſe videatur, non tamen habet immobilitatẽ ad rationem ſtatus neceſſariam. Nã (vt ſuprà dixi) immutabilitas moralis ſtatus duas obligationes requirit, vna eſt ad ipſa opera perfectionis exercenda, quãdiu perſona in tali munere, vel viuẽdi modo permanet: alia eſt ad permanendũ in tali munere, ſeu quaſi ſeruitute. Prælatus verò licet dum habet Epiſcopatũ obligetur ad actiones eius, ex vi muneris, non tamen obligatur ad permanendum ſemper in illo officio; quia nec ex natura rei; nec ex ſpeciali voto, aut pacto ad hoc obligatur. Quòd ſi fortaſſe lege poſitiua canonica, talis obligatio Epiſcopo impoſita eſt, illa eſt valde extrinſeca, & non ſufficit ad ſtatum conſtituendum; quia ipſa etiam eſt facile mutabilis, & quia etiam curatis, & aliis inferioribus prælatis tale præceptum poteſt imponi.

4. *Tertia ratio dubitandi an Epiſcopatus ſit ſtatus perfectionis.*

Tertiò, quanuis demus Epiſcopale munus habere aliquam rationem generalem ſtatus, poteſt ſpecialiter dubitari de differentia illa *perfectionis*, quomodo in ipſum conueniat. Quia ſtatus perfectionis præter præcepta debet amplecti conſilia ſaltem aliqua, obligando aliquo modo ad aliqua ſupererogationis opera: Epiſcopatus autem non obligat ad vlla conſilia ſeruanda; quia nec obligat ad caſtitatem ex vi ſua (vt ſupponimus.) Quanuis enim Epiſcopi obligentur nunc ad caſtitatem, non eſt ex peculiari titulo Epiſcopatus, ſed ex generali ratione ſacri ordinis, qui ad Epiſcopalem conſecrationem antecedit: & illa etiam obligatio non naſcitur ex ipſo ſacro ordine vt talis eſt, ſed ex Eccleſiæ inſtitutione, qua votũ caſtitatis tali ordini annexum eſt. Et præterea, ſi tale votum aliquo modo ſtatum perfectionis conſtituit, non eſt perfectionis exercendæ, ſed acquirendæ, ſaltem incompletè, quæ omnia in ſequentibus explicabuntur, & oſtendentur. Nec etiam obligat Epiſcopatus ad Euangelicam paupertatem; quia Epiſcopus & eſt capax dominii temporalium bonorum, & de facto illud habet ſine vlla repugnantia ſui ſtatus, nullumve defectum contra illum committendo. Idem que eſt de voluntaria obedientia, nam, ſi quam promittit Epiſcopus ſummo Pontifici, illa promiſſio non cadit in materiam liberam, ſed alioqui de ſe neceſſariam; quam magis confirmat: quòd non ſatis eſt ad ſtatum perfectionis. Denique idem eſt de quibuſcunque aliis operibus ſupererogationis; quia licet Epiſcopus ratione muneris ad aliqua ex præcepto teneatur, ad quæ antea non obligabatur, id non ſatis eſt ad ſtatum perfectionis: nam id commune eſt omnibus nouum munus aſſumentibus; vt patet in Parochis, Prælatis inferioribus Epiſcopis, Doctoribus cathedras regentibus: Imò etiam in Regibus, & quibuſcunque aliis gubernatoribus. Ipſi ergo licet ratione munerum ſpeciales habeant obligationes, nihilominus dici non poſſunt conſilia ſeruare, ſed præcepta, quia ſuis muneribus ſatisfaciunt. Et ideo nõ poſſunt propter eam cauſam ſtatũ perfectionis habere. Idẽ ergo erit in Epiſcopis.

*Votum caſtitatis eſt annexum ſacro ordini ex Eccleſiæ inſtitutione; nõ ex natura ipſius ordinis.*

Nihilominus omnino aſſerendum eſt, Epiſcopos ratione paſtoralis muneris eſſe in ſtatu perfectionis, non tanquam in via ad illum, ſed tanquam in termino, qui proprie dicitur ſtatus perfectorum, & perfectionis. Ita docet D. Thom. in locis citatis, & conſentit Gerſon. nec aliquis Scholaſticorum diſſentit. Probari poteſt ex antiqua traditione, & communi conſenſu Eccleſiæ. Quem poſſumus in primis colligere ex honorificis titulis, & nominibus, quibus tota antiquitas Epiſcopos condecorauit. Nam in primis olim vocabantur ſancti, vel ſanctiſſimi non propter perſonalem ſanctitatem, quæ incerta, & occulta eſt, ſed propter ſtatus perfectionem. Ita legimus frequenter in antiquis Conciliis præſertim in Epheſ in multis epiſtolis, & in Chalcedon. in principio, cùm Epiſcopi recenſentur, & in Clement. 1. §. 1. de pœnis ex hac appellatione inter alias, excellentia Epiſcopatus colligitur. *Epiſcopi*, ait, *dicuntur ſanctiſſimi, Chriſti gati ſpirituales Patres, columnæ Eccleſiæ*, &c. Hinc etiam Iuſtinianus Imperator in collat. 9. Authenticorum inſcripſit titulum 15. *De ſanctiſſimis Epiſcopis*; & in

*Certum ex communi Epiſcoporũ eſſe ſtatum perfectionis.*

*Probatur primò ex traditione & conſuetudine Eccleſiæ.*

& in pluribus eius tituli capitibus eos ita compellat, & beatos, ac Deo amabiles, & aliis similibus encomiis excellentiam illius status recognoscit. Et similia repetit in multis legibus. C. de Episcopis, & cleticis.

Maximè verò ponderanda est lex 42. *Nos semper*, vbi perfectionem Episcopalis status collatione facta ad Apostolicum, sic declarat. *Si Apostoli sacerdotium à Domino Christo Deo nostro accipientes, & omnibus bona terram implentes, suamque doctrinam omnibus tradentes, nec suæ quidem in hoc mundo concessæ vitæ, vt saluti nostræ inseruirent, pepercerunt; an non æquum est eos, qui in eorum munus succedunt, & sanctis Ecclesiis sacerdotes præsunt, puram, atque incorruptam vitam agere, & opes, ac pecunias pro nihilo ducere, vitamque suam omnem ad clementissimum Deum referre, ac dirigere.* Et infrà dicit, Episcopos liberos esse debere à filiorum cura, & omni solicitudine rerum temporalium. *Quia omne illorum studium & cogitatio in Dei cultu, & rebus Ecclesiæ versari debet.*

*Concil. Triden.* Consonat id, quod Conc. Trid. sess. 23. c. 4. & Can. 6, & 7. docet, Episcopos esse successores Apostolorum, & in hierarchico ordine esse præcipuos. Ex quo infert Simachus Papa in ep. ad Laur. Episcopum Mediol. quæ habetur 2. tom. Concil. post 6. Synodum Romanam. Episcopum etiam debere sanctitate præcellere, cùm sit honore præstantior. Et Innoc. III. in cap. *ex multa*. de voto, dixit de Episcopis, quòd *sicut dignitate præcedunt, ita religione*, id est, ex vi status præcedere debent. Vnde Greg. hom. 17. in Euang. Episcopale munus *locum sanctitatis* appellat; & grauiter reprehendit eos, qui digne illud non implent, sed *terrenis actibus implicantur.* Quod late ibi prosequitur. Meritò ergo in statu perfectionis Episcopi esse dicuntur.

7. *Probatur deinde authoritate D. Dionysii.* Præterea Dionys. cap. 5. de Ecclesiast. hierarch. Episcoporum statum sic describit: *Pontificum ordo sacratior, primus est diuina speculantium ordinum; idemque & summus, & vltimus.* Et infrà: *Est igitur Pontificalis ordo, qui consummati virtute sustultus, perficientia quæque hierarchiæ præcipuo, & proprio peragit munere*, &c. Et in cap. 6. Episcopalem statum religioso anteponit. Et Ignatius epist. 10. ad Smyrnens. inter multa alia de Episcopali dignitate ait: *Episcopo nihil maius est in Ecclesia, quia Deo consecratus pro totius mundi salute.* Quibus verbis perfectionem status Episcopalis recte describit. Idem sumi potest ex Athanasio, & aliis Episcopis Alexandrinis in epist. ad Felicem II. in tom. 1. Concil. vbi Episcopos vocant *Columnas, qui Ecclesiam sustinere, & propriis humeris portare debent.* Item ex Greg. lib. 4. epist. 31. vbi affert loca Scripturæ, in quibus Sacerdotes Angeli, & Dii appellantur. Et adducit exemplum Constantini, qui tanta veneratione dignos Episcopos censuit, vt deos appellaret. De quo titulo, seu appellatione videri possunt, quæ dixi in lib. 3. defensionis fidei. cap. 24. n. 7.

8. *Probatur tertiò ex Patribus.* Multa etiam in hanc rem tradunt Patres dignitatem Episcopalem commendantes; præsertim Ambr. lib. de dignitate Sacerdotali cap. 2. *Honor* (ait) *& sublimitas Episcopalis nulli poterit comparationibus adæquari.* Et cap. 3. ait, *Nihil esse sublimius Episcopis.* Et infrà: *Ne sit honor sublimis, & vita deformis: ne sit deifica professio, & illicita actio: ne sit religiosus amictus, & irreligiosus proiectus.* Certe deifica professio plus quam statum perfectionis indicat, cui & *religiosus amictus*, & *religiosæ actiones* respondere debent. Similia multa habet Chrysost. in lib. de Sacerd. Nam licet sæpe de Sacerdotio generatim loquatur, maxime ad Episcopos sermonem dirigit. Vnde in lib. 3. circa medium, sic ait: *Episcopum certè conuenit, & studio acri, & perpetua vitæ continentia, tanquam adamantinis armis circumspectum quoquo versum circumspicere*, &c. Et lib. 6. in principio Episcopos cum Monachis comparans ait: *Multo maiorem vitæ integritatem illis necessariam esse.* quod late prosequitur. Et in Orat. de sancto Philogon. circa medium de cura pastorali Episcopi, si debite fiat, inquit: *Nullum officium hoc Deo charius est.* Ex quibus verbis, & aliis multis similibus, quæ in Patribus inueniuntur, colligimus, eos non tantùm docere Episcopos in ordine Ecclesiastico habere præcipuum quendam locum, & superiorem potestatem, sed etiam ratione sui muneris postulare magnam spiritualem perfectionem in seipsis, vt alios possint perficere, & *esse forma gregis ex animo*, vt Petrus ab eis exigit 1. epist. cap. 5. Et ita etiam sumi potest assertio ex his, quæ Paul. in epist. ad Timoth. & Titum, in sanctitate, & moribus Episcopi requirit.

9. *Probatur primò in Episcopatu veram rationem status inuenire.* Vt verò hanc veritatem ratione probemus, simulque dubitandi rationibus satisfaciamus, priùs ostendendum est, quomodo in Episcopatu vera ratio status inueniatur; deinde verò, cur perfectionis esse dicatur. Primum probatur ex duabus conditionibus, quas in primo capite huius libri dixi esse ad statum necessarias. Vna est, vt dicat modum essendi in aliqua conditione pertinente ad rei complementum, vel dignitatem, vel commodum viuendi modum. Altera est, vt illa res habeat permanentiam, & stabilitatem. Prior autem harum conditionum satis clare inuenitur in Episcopatu, præsertim vt includit non solùm consecrationem cum potestate ordinis, sed etiam prælationem, seu Episcopale munus cum obligatione sua, & potestate iurisdictionis, prout nunc de illo loquimur. Hæc enim conditio est personæ ad magnam ipsius dignitatem, & perfectionem pertinens. Nam licet Episcopatus ad aliorum commoda per se primò institutus sit; quia verò illa commoda spiritualia sunt, & per actiones valde perfectas procurantur; non possunt in magnum spirituale bonum ipsiusmet operantis non redundare: nec hoc est à proprio fine ipsiusmet muneris alienum; ita enim ordinatur ad aliorum bonum, vt bonum ipsiusmet habentis non excludat. Nam, vt Paulus ait ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Et infra: *Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, propterea debet, quemadmodum pro populo, ita & pro semetipso offerre.* Eademque ratio est de cæteris actionibus, & spiritualibus profectibus. Præterquam quòd talis conditio ex natura sua requirit in persona magnam sanctitatem, & affert obligationem exercendi illam, & ita satisfactum est primæ rationi dubitandi. Nam licet Episcopatus sit ministerium, & sub ea ratione in præsenti non consideretur; nihilominus tale est, vt ratione suæ dignitatis, & perfectionis ad constituendum statum sufficiat, vt in puncto sequenti magis declarabitur. Maior difficultas est, quomodo in hoc munere inueniatur stabilitas, seu perpetua obligatio ad statum necessaria propter rationem dubitandi suprà positam.

*Obiter soluitur prima ratio dubitandi.*

10. *Soluitur secunda ratio dubitandi.* Ad quam iuxta opinionem aliquorum potest responderi ad rationem status satis esse, quòd obligatio exercendi perfecta opera inseparabiliter coniuncta sit cum tali munere, quamdiu in ipso aliquis permanserit. Nam hæc immobilitas, seu necessitas quasi composita, seu ex suppositione talis muneris sufficiens est ad rationem status, etiamsi perseuerantia in tali munere voluntaria sit, & per se non cadat sub speciali obligatione. Præsertim, quia non est de ratione status immobilitas absoluta, sed satis est, quòd moraliter sit difficile mobilis; & quod habeat graues causas perseuerantis durationis moraliter perpetuæ; tale autem videtur esse Episcopale munus, etiam secluſa speciali obligatione rigorosa permanendi

endi in illo; quia propter suam dignitatem, & excellentiam firmiter adhæret.

Sed nihilominus hic modus dicendi nobis non satisfacit, quia illa immobilitas obligationis conditionata, seu ex suppositione muneris valde imperfecta est; cùm ex sola libera voluntate conditio illa pendeat, vt in fine capitis decimi dictum est. Nec ex sola dignitate, & excellentia muneris nascitur sufficiens immobilitas, si nulla obligatio permanendi in tali munere adiungatur. Tum, quia sicut muneris dignitas ad permanendum in eo inuitat, ita difficultas, & arduitas deterret etiam prudentissimos homines, qui agnoscunt Episcopatum magis oneris, quàm honoris esse debere: vt notant Augustl.lib.19.de Ciuit.cap.19.Hier.epist.83. ad Ocean. & Chrysost. hom. 10. in 1.ad Timoth. Tum etiam, quia vtcumque res pendeat ex sola libera hominis voluntate, non potest dici satis firma, & permanens, ideoque dicendum est simpliciter Episcopatum habere absolutam immutabilitatem moralem; quia eo ipso, quòd semel acceptatur, secum affert perpetuam obligationem permanendi in tali munere; ita vt non possit pro arbitrio proprio relinqui. ita habetur ex iure inferiùs referendo. Difficultas verò est in explicando, vnde talis obligatio oriatur, quæ longiorem postulat disputationem, quam sequenti capite trademus.

Altera verò pars proposita de differentia constitutiua, vt sic dicam, huius status, in specie talis status perfectionis, vtique exercendæ facilè potest expediri, propriis actiones, ad quas status hic obligat, & personam perpetuò dedicat, considerando. Nam munera Episcopalia perfectissima sunt, vt illuminare, purgare, ac perficere alios. Vnusquisque autem status talis est, qualia sunt opera ad quæ ordinatur: nam ab illis quasi speciem sumit, sicut habitus, & alia, quæ ad actus ordinantur; & ideo quales sunt episcopales functiones, talis est hic status. Quod verò tertio loco contra hanc partem obiiciebatur, solùm probat statum Episcopi non esse statum perfectionis acquirendæ, non verò quòd non sit status perfectionis exercendæ. Vnde concedimus ad hunc statum constituendum non esse necessaria vota de aliquorum consiliorum obseruatione: nam de se nullum votum requirit Episcopatus, vt ostensum est. Et licet de facto habeant Episcopi votum castitatis, illud per se non est necessarium ad hunc statum constituendum: vt patet in Episcopo electo, & confirmato, & non dum in sacris ordinato. Et ex vi iuris diuini posset Episcopus consecratus esse vxorius vxoris vir, & nihilominus esset in statu perfectionis. Ratio est, quia illa consilia, eorumque obseruantia non continent formalem perfectionem, sed sunt instrumenta ad illam acquirendam, sine illis tamen potest inueniri perfectio; & ideo etiam potest sine illis status consistere, qui ex se hominem perfectum requirat; & ad opera perfecta obliget: quod pertinet ad statum perfectionis exercendæ. Sicut status regius dici potest status prudentiæ, & fortitudinis, non quia illas præbeat, nec docet, quomodo acquirendæ sint, sed quia illas de se postulat, ac supponere debet, vt tale munus conuenienter exerceatur; & simili modo munus Doctoris, seu docentis dici potest quasi status doctrinæ; non quia faciat doctum hominem, sed quòd in illo talem perfectionem supponit, ac requirit. Ad hunc ergo modum status Episcopi status perfectionis, seu viri perfecti meritò appellatur.

***

## CAPVT XVI.

### *Vtrùm Episcopale vinculum iure diuino indissolubile sit, vel vnde immutabilitatem habeat.*

IN hoc puncto variæ sunt opiniones. Prima docet Episcopos obligari ad perpetuò permanendum in munere susceptо ex iure diuino, & naturali. Ita docet Caiet. 22. q.184. art. 6. solumque id probat. Quia Episcopus ex vi suæ institutionis est causa principalis effectuum, seu actionũ ad munus suum pertinentium; sed causa principalis ex natura sua tenetur assistere suo effectui: ergo & Episcopus ex iure naturæ tenetur ad opera sui muneris, ac subinde ad opera perfectionis exercenda, qualia sunt ea, per quæ salus animarum procuratur. Eandem opinionẽ tenet Vasq.tom.3.in 3.p.disp.241.cap.1.& 3.& 5. licet ex fundamento distincto, & consequenter in sensu longe diuerso. Fundamentum ergo eius est, quia vinculũ Episcopi cum sua Ecclesia ex diuino iure est dissolubile, ac perpetuum. Ex quo principio optimè sequitur Episcopatum vi sua obligare Episcopum, vt perpetuò in suo munere permaneat; ideoque constituere illum in statu spirituali, non minus, quàm matrimonium carnale constituat personas in statu humano, seu ciuili. Illud autem fundamentum probat ex antiquis Pontificum decretis agnoscentibus hoc matrimonium spirituale inter Episcopũ, & suam Ecclesiam: vt sunt Euarist. in Epist. 2. in principio, & Calixt. I. in epist. 2. cap. 3. & iuuant alia decreta, quæ absolute prohibent, ne Episcopus Ecclesiam, quam semel acceptauit, deserat, etiam propter quietem religionis: vt declarat Liberius Papa in epist. ad omnes Episcopos, nec propter transitum ad aliam Ecclesiam, vt disponunt Iulian. I. epist. 1. Leo I. epist. 82. aliàs 88 Gelas. epist. 6. & Pelag. II. epist. 2. & Conc. Antioch. II. cap. 25. & Conc. Sardicens. cap. 1. Maxime verò fundatur prohibitio in hoc, quòd primùm vinculum est indissolubile. Nam si esset ex se dissolubile, possit Episcopus sua voluntate illud dissoluere cum ptiori Ecclesia, & aliud cum alia sua voluntate contrahere, si alia libere etiam consentiret, sicut fieri potest in omni contractu humano dissolubili.

1. *Opinio asserentium Episcopos teneri ex iure diuino ad permanendum in munere susceptо.*

Maxime verò nititur hæc sententia in Decretalibus Innocentii III. qui hoc modo videtur antiqua decreta explicare. Nam in ca. *inter corporalia*. de translat. Episc. ex eo, quòd spiritualia firmiora sunt, & difficiliùs dissoluuntur, quàm corporalia, sic infert: *Dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter Episcopum, & Eccl-siam, suo tantùm iudicio reseruauerit dissoluendum.* Quam illationem probat, quia vinculum carnalis matrimonii suo iudicio reseruauit Deus, cùm dixit, *Quos Deus conunxit, homo non separet*, Matth. 19. Ex quibus verbis duò sumuntur apparentissima argumenta. Vnum est, quia nullum vinculum, nullamve obligationem reseruauit sibi Deus quoad dissolutionem, vel dispensationẽ, nisi quæ iure ipso diuino introducta est: sed vinculum spiritualis coniugii Episcopalis sibi Deus reseruauit dispẽsandum; ergo est indissolubile iure diuino. Aliud argumentum à fortiori sumitur ex vinculo matrimonii carnalis: nã (vt supponimus) illud est indissolubile iure diuino; sed vinculum spirituale Episcopi firmius est: ergo multò magis est de iure diuino. Tertium etiam addi potest ex verbis, quæ ipse Pontifex inferiùs subiungit; cùm enim dixisset, quoties vinculum Episcopale per translationem, depositionem, vel cessionem dissoluitur authoritate Pontificis, diuina authoritate dissolui, statim subinfert: *Et ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam institutione canonica, quàm institutione diuina, soli sunt Romano Pontifici*

2. *Quo præiudicant hæ sententiæ.*

*Primum argumentum.*

*Secundum.*

*Tertium.*

*Pontifici reseruata.* Vnde sic concluditur, reseruatio diuina supponit institutionem diuinam vinculi indissolubilis; sed quilibet modus dissoluendi hoc vinculum est reseruatum Pontifici iure diuino: ergo supponit indissolubilitatem in illo vinculo ex ipso iure diuino. Quartò, hoc idem confirmat ipse Pontifex, in cap. *licet*, seu vltimo eiusdem tituli, dicens: *Sicut matrimonium homo dissoluere nequit, sic etiam spirituale fœdus coniugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, sine illius authoritate dissolui non potest, qui successor est Petri, & Vicarius Iesu Christi.* Quintò addi possunt verba eiusdem Pontificis, in cap. *nisi cùm prædem.* de renunt. vers. *Verùm si, propter laboris angustias, aut persecutionis incursus non debes deserere sponsam tuam, cui desponsando manum, apud extraneum te fuisse media copulasti.*

*Quartum.*

*Quintum.*

3. *An Episcopatus in hac sententia sit vinculum indissolubile iure diuino positiuo, an naturali.*

Quale autem sit hoc diuinùm ius, an naturale, vel positiuum, ab authore illius sententiæ, non satis declaratur; indicat tamen posse dici de iure diuino positiuo, quatenus ipsa institutio Episcopatus est iuris diuini positiui, vtique ex voluntaria Christi Domini institutione; posse verò dici esse de iure diuino naturali, quatenus supposita institutione talis muneris, vt à Christo facta est, ex natura ipsius sequitur talis obligatio. Sicut supposita institutione Baptismi ex diuino iure naturali, obligatur fidelis ad non recedendum à Baptismo, & ad illud iterum non recipiendum. Et in hoc aliqua ex parte conuenit hæc sententia cum opinione Caietani: nam etiam Caietanus dicit esse hanc immutabilitatem de iure diuino naturali, quod necesse est intelligi supposita institutione, quia sine illa nullum esset fundamentum talis iuris naturalis: vt est per se clarum. Differre autem videntur dicti authores, quia Caietanus, quantum ex eius ratione colligi potest, non fundat immobilitatem status Episcopalis in vinculo indissolubili Episcopi cum sua Ecclesia particulari, cui semel desponsatus fuit, vt Vasquez procedit: sed solùm nititur in absoluta institutione Episcopalis gradus in ordine ad Ecclesiam vniuersalem, quia est per modum causæ principalis, quæ ex natura rei suo effectui assistere tenetur. Nam ex vi huius rationis non tenetur Episcopus assistere huic loco, vel illi ex natura rei, sed vbicumque id impleat, suo muneri satisfaciet, & illa immobilitas ad immobilitatem status sufficiet; quia semper Episcopus ex vi muneris tenebitur operibus perfectionis insistere, siue huic, siue illi Ecclesiæ inseruiat. Vnde iuxta hanc sententiam magis erit contra ius diuinum naturale absoluta renunciatio Episcopi, quàm translatio; quia per translationem non omnino deserit Episcopus munus suum, seu causalitatem illam principalem, pro qua institutus est; per renunciationem verò simpliciter denegat Ecclesiæ suum influxum, & nullo modo suo effectui assistit. Et hoc videtur significasse glossa in d. cap. *nisi cùm prædem.* vers. *sponsa.* Nam cùm Innocentius in textu dicat, non debere Episcopum propter persecutiones, vel angustias suam sponsam deserere, glossa per *sponsam*, Ecclesiam militantem intelligit: nam illam quoad munus Episcopale deserit, qui absolutè renuntiat Episcopatui vt quiete viuat, aut religiosus fiat.

*In quo conueniant, & differant Caiet. & Vasq.*

4. *Displicet posita sententia, quia ius diuinum nulla ratione colligitur. Probatur primò non colligi ratione naturali,*

Hæc verò sententia neutro modo exposita mihi probatur, quia nullum sufficiens fundamentum talis iuris diuini, inuenio; quia nec ex sola ratione naturali, nec ex traditione Ecclesiastica ostendi potest. Priorem partem docuit Maior in 4. dist. 38. quæst. 7. art. 2. & Hostiens. in summa. tit. de Transl. Episc. quæst. 4. num 5. in fin. & alii infrà citandi. Et declaratur in hunc modum, quia ex natura rei nullus obligatur ad permanendum toto suæ vitæ tempore in ministerio, vel munere, quod semel voluntariè suscepit. Ergo nec Episcopus ad hoc tenetur ex iure naturali diuino. Antecedens inductione facilè ostendi potest: & consequentia probatur, quia Episcopatus est quoddam munus, seu ministerium ecclesiasticum (vt suprà ostensum est) & in eo non potest peculiare discrimen assignari. Et ratione declaratur, quia cùm à principio acceptatio fuerit voluntaria, etiam perseuerantia in illa erit voluntaria, nisi ratione alicuius promissionis, vel pacti in ipsa susceptione muneris aliquis obligetur ad perseuerãdum in illo. Tunc autem obligatio non nascitur ex iure naturali immediatè, sed mediante humana promissione, aut pacto. Talis autem promissio, vel pactum inducens huiusmodi obligationem, non magis est annexum muneri Episcopali de iure diuino naturali, quàm aliis muneribus, aut dignitatibus humanis, siue temporalibus, vt Consulis, Prætoris, vel etiam Regis: siue spiritualibus, vt in aliis Prælatis Ecclesiæ videre licet.

5. *Obiectio, & illius solutio.*

Dices, hoc verum esse considerando absolute ius naturale ante omnem institutionem, tamen supposita institutione Episcopatus, prout à Christo facta est, naturaliter sequi ius illud. Sed contrà, quia hæc ipsa institutio, quæ supponitur, ab illa sententia non fuit per se necessaria ex vi prudentiæ, vel rationis naturalis, sed fuit Christo libera; ergo ex vi rationis non potest constare, quòd talis fuerit institutio. Assumptum per se clarum videtur, quia potuit Christus ita instituere Episcopatum, vt necessarium non esset illum concedi sub tali pacto, aut promissione. Et sicut instituendo ordinem sacerdotalem, non instituit, vt nemo ordinetur sacerdos, nisi cum pacto, & promissione susciendi animarum curam siue in cõmuni, siue in particulari, in tali, vel tali parochia; ita instituendo consecrationem, seu gradum Episcopalem potuit non instituere, vt nemo consecraretur Episcopus, nisi sub pacto, vel promissione regendi aliquem Episcopatum, siue confuse, siue determinate: & consequenter potuit etiam ex vi institutionis non obligare ad suscipiendum Episcopatum cum illa obligatione, & onere, & non alio modo. Ergo ex vi rationis non potest ostendi talis institutio, & consequenter nec tale ius naturale, etiam ex supposito institutionis ostendi potest.

6. *Deinde nõ colligi tale ius ex traditione Ecclesiastica, quia renũciatio Episcopatus nõ est contra ius diuinum.*

Venio ad aliam partem de traditione, seu consuetudine Ecclesiæ, & ostendo potiùs ex illa probari non esse indissolubilem vnionem Episcopi cum Ecclesia, siue particulari, ad cuius titulum ordinatus est; siue vniuersali, quoad vsum sui muneris ex officio, & obligatione. Et in primis id ostendo à contrario ex renunciatione. Nam renunciatio Episcopatus simpliciter facta, & sine vlla translatione, non est contra diuinum ius: ergo vinculum Episcopi cum obligatione seruiendi Ecclesiæ vniuersali in aliqua eius diœcesi, etiam indeterminate, non est de iure diuino. Consequentia clara est, quia, qui renuntiat simpliciter Episcopatui, nulli Ecclesiæ postea addictus manet, nec tenetur alicui inseruire ex officio: ergo si renuntiatio illa non est contra ius diuinum, nec obligatio illi contraria erit de jure diuino. Antecedens probatur primò ex dicto cap. *nisi cum pridem.* Nam licet dicat talem renunciationem prohibitam esse sine licentia Papæ, nunquam dicit esse contra ius diuinum, sed in fine tantùm dicit, *Cedendi licentiam authoritate Apostolica tibi scias penitus interdictam.* Et rationem adiungit. *Quoniam etsi pennas habeas, quibus satagas in solitudinem aduolare, ita tamen astricta sunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum.* Vbi satis clarè docet Innocentius, non diuina, sed apostolica authoritate, & per Ecclesiastica præcepta esse liberam cessationem interdictam; & addendo, *absque permissione nostra*, satis

*Probatur primò.*

profectò

profectò significat non esse illam dispensationem in iure diuino, sed permissionem, vel licentiam, quæ multo facilius concedi potest. Quod sanè in modo, quo ibi illam concedit, satis ostendit; sic enim ait: *Quia verò in postulando cedendi licentiam institisti, tibi te duximus relinquendum; vt si propter aliquam causam vtilem, & honestam in huiusmodi proposito perseueres, de licentia nostra cedas.* Hinc ergo colligimus illam licentiam non esse dispensationem in iure diuino; alioqui non tam liberè, ac facilè concederetur propter quamcunque causam vtilem, & honestam, & eius arbitrium eidem, qui licentiam petit, relinquendo. Etenim in matrimonio tato nemo dicet posse tam facile licentiam concedi marito, vt relinquat sponsam liberam propter quamcunque causam; quam iustam vel honestam iudicauerit: Nã, quia illa licentia non datur nisi dispensando in iure diuino, ideo multo rarius, & ex grauissima causa diligenter examinata, & cognita conceditur. Ergo è contrario in nostro casu facilitas, & modus concedendi hanc licentiam ferè euidenter ostendit, illam non esse dispensationem in iure diuino.

7. Probatur secundò. Et confirmat hoc magis idem Innocent. III. in cap. *Quidam*, eodem tit. vbi statuit, eum, qui hanc licentiam petiit, & obtinuit, cogendum esse renunciare, & rationem reddit: *Quia in postulatione huiusmodi, aut Ecclesiarum commoda, quibus præsunt, aut salutem videantur propriam attendisse.* In quibus verbis considero in primis hanc licentiam licite peti, & concedi propter propriam salutem spiritualem petentis, etiamsi ratio communis boni non intercedat, dummodo (vt interpretor) aliunde possit communi bono sufficienter prouideri. Inde tamen, iudicio meo, efficaciter colligitur, licentiam illam non esse dispẽsationem in iure diuino; Alioqui propter solam priuatam vtilitatem non esset concedenda; cùm status ipse Episcopalis de se non sit tali vtilitati contrarius. Deinde considero, si vinculum Episcopi cum Ecclesia est indissolubile iure diuino, contra omnem rationem, & vltra humanam potestatem esse videri, vt aliquis contra voluntatem suam cogatur ad dissolutionem talis vinculi propter priuatam eius vtilitatẽ; solùm, quia talem licentiam postulauit, & obtinuit. Alioqui etiam in coniugio humano, si vir petiisset, & obtinuisset dispensationem matrimonii rati propter aliquam vtilitatem suam, non posset valide retrocedere, sed posset compelli ad vtendum tali licentia, quod certè incredibile est. Ergo cùm Pontifex in illo casu inuitum cogat ad cedendum Episcopatui, signũ magnum est, firmitatem, vel dissolutionẽ huius vinculi ex humano iure maxime pendere, & non esse de iure diuino. Tandem confirmatur hæc pars ex eo, quòd hæc dissolutio fit ab Ecclesia in pœnã delicti, per depositionem, vt ibidem dicit Innocentius; quæ depositio non est tantùm quoad torum (vt sic dicã) seu quoad vsum, sed etiã est quoad vinculum. Nam revera Episcopus à sua Ecclesia omnino separatur, & illa per depositionem priuatur; quod fieri nõ deberet, si vinculum esset iure diuino indissolubile; sicut non fit, nec fieri potest in vinculo carnalis matrimonii. Quod maximè vrget, quando talis depositio nõ fit in Ecclesiæ vtilitatem, vt fieri aliquando potest, sed fit in solam vindictam criminis, etiamsi Episcopus emendatus sit, & suæ Ecclesiæ æquè vtilis futurus esse credatur.

8. Probatur tertiò. Vnde argumentor vlteriùs, quia aliàs sequitur ex contraria sententia, renunciationem Episcopatus factam ex licentia obtenta sine speciali causa legitima, sed solum, quia Pontifex vult petenti condescendere, cùm possit aliter æquè bene Ecclesiæ prouidere, esse nullam. Consequens autem est falsum; ergo. Sequela patet ex principio recepto, quòd dispensatio facta in diuino iure sine causa sufficienti, non solùm illicita est, sed etiam nulla. Falsitas autem consequentis à fortiori ostendetur ex dicendis statim de translatione: & ex parte ostensa est ex verbis, & modo loquendi Innoc. III. in d. cap. *nisi cum pridem*. Et præterea ex consuetudine Ecclesiæ videtur satis nota; quia similes renunciationes facile concedi consueuerunt, vel ex leuibus, & ordinariis causis, vel interdum ex speciali fauore, beneuolentia, aut remuneratione: & nemo circa valorem illarum scrupulũ iniecit. Imò si ex eis nullum Ecclesiarum incommodum resultet, sed statim æque bene eis prouideatur, facillime possunt tales facultates honestari. *Vrgens causa esse.*

9. Probatur quarto. Et confirmatur hoc, quia non est contra diuinum ius, vt Episcopus in principio consecretur sine titulo, aut prouisione alicuius propriæ Ecclesiæ, seu Episcopatus; ergo non est contra ius diuinum, vt postquam consecratus est, & alicui Ecclesiæ dicatus, per renunciationem maneat consecratus ab omni cura alicuius Ecclesiæ liber. Consequentia patet à paritate rationis: & antecedens constat, quia nulla talis prohibitio inuenitur iure diuino lata, nimirum, vt Episcopus non consecretur sine prouisione, seu titulo specialis Episcopatus; quia tale ius diuinum nec scriptum est, neque traditum. Quin potiùs olim sæpe ita factum esse probabilissimum est; sic enim multi credunt Petrum ordinasse Linum, & Cletum in Episcopos coadiutores suos sine titulo specialis Episcopatus. Idem alii credunt de aliquibus, qui nonnunquam in antiquis Conciliis dicuntur Chorepiscopi, esse, scilicet, aliquos consecratos Episcopos sine propria ciuitate, aut Episcopatu, vt per villas, & alios minores populos totius diœcesis propriũ Episcopum iuuarent. Nec etiam potest ratio talis prohibitionis diuina assignari, cùm talis ordinatio Episcopi, nec intrinsecam indecentiam, nec aliam inordinationem habeat. Et sæpe possit esse ad iuuamen aliorum Episcoporum vtilis, vel necessaria. *Non est contra diuinum ordinari Episcopum sine titulo.* *D. Petrus Linum & Cletum in Episcopos ordinauit sine speciali Episcopatu.*

10. Probatur quinto. Denique summus Pontifex nõ minus est Episcopus, & sponsus vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ, quàm vnusquisque Episcopus sui Episcopatus; & præterea est proprius Episcopus Ecclesiæ Romanæ, & nihilominus renunciando in vniuersum suæ dignitati, & Pontificatui, & omni curæ pastorali, non agit contra ius diuinum, cùm licite, & valide id facere possit, & aliquando factum sit; nec ad illam renunciationẽ est necessaria talis causa, quæ ad dispensandum in iure diuino sufficiat; sed sufficit voluntas Pontificis renunciantis, vt infrà ostendam: ergo vinculum illud summi Pontificis cum Ecclesia non est indissolubile iure diuino; cùm ex consensu partium (vt sic dicam) dissoluatur; ergo idem à fortiori dicendum est de cæteris Episcopis, seruata proportione, vt nox explicabo. *Summus Pontifex potest renunciare Pontificatui.*

11. Probatur sextò. Tandem possumus simile argumentum sumere ex translatione Episcoporum, nam hæc fieri non potest, nisi dissoluatur vinculum cum priori Ecclesia, alioqui non fieret translatio, sed multiplicatio Episcopatuum in eadem persona: sed hæc translatio nõ est diuino iure prohibita; ergo nec dispensatio Episcopi cum sua prima Ecclesia fuit iure diuino indissolubilis. Probatur minor, primò, quia omnia decreta antiqua, quæ translationem prohibent, nunquã indicant esse prohibitionem diuinam, sed Ecclesiasticam valde antiquam. Sic enim ait, d. Conc. Antiochen. cap. 21. *Nec inde transmigret secundùm pristinum de hac re terminum constitutum.* Secundò, nunquam fundant illam prohibitionem in prioris vinculi indissolubilitate, sed in incommodis, quæ ex illa sequuntur, quia ordinarie desideratur ex auaritia, vel ambitione, & est occasio, vt Episcopus propter spem, vel solicitudinẽ ascendendi ad pinguiorem Episcopatũ, *Translatio Episcoporũ non est contra ius diuinum.*

non amet primam sponsam, quantum debet, nec debitam curam, & solicitudinem illius gerat, quæ incommoda sunt extrinseca, & licet sufficiant ad prohibitionem ordinariam Ecclesiasticam ferendã, non tamen ostendunt absolutè ius diuinum naturale, vel positiuum. Tertio, quia eadem decreta non absolutè prohibent translationem, sed ne fiat propria authoritate, ac voluntate, sed *vel necessitate, vel authoritate maiorum*; vt dixit Pelag. II. d. epist. vel, *non sine causa*, vt dixit Gelasius.

12. *In multis prouinciis consuetudo transmutandi Episcopatus introduci cœpta est.*

Quartò est non leue signum, quod sæpe contraria consuetudo in multis prouinciis Ecclesiæ introduci cœpta est: vt testatur Iul. I. suprà, & Osius in Conc. Sardicen. Non enim tam frequenter id fieret, si contra ius diuinum esse crederetur. Denique hoc maxime suadet vsus Ecclesiæ, quem nunc etiam videre conspicimus, magna enim facilitate, & frequẽtia huiusmodi translationes fiunt; & quamuis credendum sit, semper intercedere rationabilem causam, ad prudẽtem, & ordinariam gubernationem sufficientem; nihilominus est euidens, non semper, imò rarò desiderari causam publicam tantæ necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiæ, quæ ad dispensandum in iure sufficiat. Quia ordinariè in huiusmodi translationibus possent æque digne, & sufficienter Ecclesiæ vacantes sine translatione prouideri, & nihilominus propter maiorem congruentiam, vel remunerationem personarum, vel alias similes causas fiunt ascensus à minori ad maiorem Episcopatum. Quæ rationes sufficiunt quidem ad dispensandum in humano iure, non autem in diuino; ergo signum est sentire Pontifices, hoc totum esse Ecclesiasticum, non diuinum; alioqui sequeretur huiusmodi omnes prouisiones Episcopatuum per huiusmodi translationes esse non solùm iniquas, sed etiam inualidas, quod dicere absurdissimum est; esset enim hic intolerabilis error moralis in Ecclesia.

13. *Conclusio est, vinculum Episcopi cum sua Ecclesia non esse ex iure diuino naturali, vel positiuo.*

Concludo ergo, vinculum Episcopi cum sua Ecclesia, non esse iure naturali, vel diuino indissolubile, quæ fuit opinio Hostiensis, & Maioris, vt suprà retuli; & videtur communiter recepta per glossam, & Doctores in d. cap. *inter corporalia.* & cap. *nisi cum pridem.* Et idem mihi videtur sentire D. Thomas in loco paulo inferiùs citando. & Soto lib. 3. de Iust. quæst. 6. art. 1. post concl. 9. vers. *Verùm ex hoc*, quatenus ibi dicit translationes Episcopatuum propter incommoda, quæ sequuntur, prohiberi; per se tamen non esse malas; *nec cauendas esse nimium.* Idem sentiunt Thom. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 28. num. 15. & Petr. Ledesm. tract. de matrim. quæst. 53. art. 3. post concl 3 versu, *sed vt hæc.* Quatenus aiunt Episcopum electum, & confirmatum, si non sit consecratus, nec ordinatus in sacris, posse liberè resilire, & ad nuptias transire, quia non emisit votum castitatis, quo fiat inhabilis ad matrimonium; & addunt, hoc nullo iure illi prohiberi.

14. *Episcopus electus & confirmatus ante ordinationẽ sacram ua-*

Sed hoc vltimum videtur esse contra Innoc. III. in d. cap. *inter corporalia.* dicentem, *Sicut Episcopus consecratus sine licentia summi Pont ficis suam non debet Ecclesiam derelinquere, sic nec electus, & confirmatus. Cùm non debeat in dubium reuocari, quin post electionem, & confirmationem canonicam, inter personas eligentium, & electi coniugium sit spirituale contractum, cui profectò Episcopalis dignitas*, id est, consecratio, *nihil addit.* Vtique quòd vinculum augeat, licet addat specialem ordinis potestatem. Propter quod dicitur in cap. *licet.* eodem tit. per cõsecrationem Episcopi eius spirituale coniugium cum Ecclesia confirmari. Quapropter ceseo, Episcopum electum, & confirmatum ante sacram ordinationem non posse sine peccato resilire, & matrimonium contrahere sine Pontificis licentia. Et ita postea docuisse videtur Sanch. lib. 4. in Decalog. cap. 17. num. 6. Nihilominus tamen addo, si de facto cõtrahat matrimonium, esse validum propter rationem factam, & consequẽter dissolui prius vinculum; & talem personam fieri inhabilem ad Episcopatum, secundùm præsentem Ecclesiæ morem. Et hoc satis est, vt intelligamus non esse indissolubile iure naturali, aut diuino vinculum Episcopale, sicut est vinculum matrimonii carnalis. Et respondendo ad argumenta, hoc magis declarabitur. *luæ non illi tio contra- bet matri- monium.*

15. *Respondetur ad fundamẽtum Caiet.*

Ad fundamentum Caietani respondeo negando consequentiam dato antecedenti in bono sensu, supponit enim Episcopum esse causam principalem effectuum, seu functionum sui muneris, quod posset in rigore negari. Quia si sit sermo de functionibus ad potestatem ordinis pertinentibus, potiùs est causa instrumentalis, seu ministerialis. Nam sicut omnia sacramenta sunt Christi instrumenta in gratia, aliisque supernaturalibus effectibus præstandis; ita ministri sacramentorum in ipsis sacramentis efficiendis in virtute Christi, & vt instrumenta eius operantur. Vnde sicut sacerdos consecrat in persona Christi, & vt minister eius; ita & Episcopus eodem modo confirmat, vel ordinat, aut consecrat alios. Idemq; ferè est de functionibus ad iurisdictionem spectantibus, quia semper Episcopi operantur, vt Christi vicarij. Nihilominus tamen loquendo moraliter de his actionibus, præsertim, vt ad gubernationem animarum, & ad iurisdictionem pertinent, non immeritò dicuntur Episcopi causæ principales, quatenus verè sunt Principes Ecclesiæ, & proprium, ordinariam, ac superiorem iurisdictionem habent, per quã quasi principali, ac propria virtute operãtur, ad modum causarum primarum, licet à causa vniuersali, & magis superiori pendeant. Ex hoc autem antecedẽti sic concesso, non recte infertur teneri Episcopum ex iure diuino naturali ad permanendum in illo munere, nec sequitur vinculum Episcopi cum sua Ecclesia, vel cum Ecclesia vniuersali, esse immutabile quoad obligationem ministrandi in tali munere.

16. *Causa principalis non tenetur ex natura sua assistere suo effectui, vt aiet. affirmat.*

Cùm autem ad probandam illationem Caietanus assumit illud principium, quòd *causa principalis ex natura sua tenetur assistere suo effectui*, si loquatur de causa physica naturaliter agente, est nimis metaphorica, & impropria locutio, ex qua nullum argumentum ad causam, & obligationem moralem assumi potest. Nam causa naturaliter agens non est capax obligationis, sed naturalis inclinationis, ac necessitatis in modo agendi, & ideo semper assistit effectui, si materiam, & alias conditiones necessarias coniunctas habeat, non tamen est simpliciter immobilis, quia potest priuari qualitate, per quam agit, vel aliter impediri. Vnde ad summum per quandam proportionem inferri potest, Episcopum, quandiu Episcopatũ retinet, debere effectibus talis muneris assistere, non tamen rectè infertur teneri etiam ad illud munus semper retinendum. Quia non habet illud à natura, sicut causa naturalis habet suam virtutem agẽdi, sed medio voluntario consensu agendi, potestatem, quã habet, accepit; & ideo ex natura rei potiùs videtur posse per eandem voluntatem se priuare tali potestate; & consequenter obligationem assistendi talibus functionibus deponere. Sicut Rex est causa moralis principalis in suo regimine, cui tenetur assistere quandiu est Rex: non tamen tenetur iure naturali semper esse rex, sed potest regno cedere, & ita illa obligatione priuari.

17. *Confutatur idem principium alio exemplo.*

Estque aliud exemplum fortius in causa partim morali, partim physica proxima principali. Nam cõiuges sunt causa physica principalis prolis, & quatenus libere cõueniunt, sunt causæ morales, & p matrimonium quodãmodo assumũt generãdi munus, & nihilominus non tenentur semper iure naturæ ad

vsum

vsum talis potestatis, sed possunt ex mutuo consensu perpetuò abstinere. Quòd si non possunt separari quoad vinculum, nec vnus potest negare alteri debitum ipso inuito, id non prouenit ex ratione causæ principalis, sed ex speciali ratione talis vinculi, & pacti, in quo nō omnino æquiparatur illi vinculum Episcopi cum Ecclesia, vt iam tactum est: & respondendo ad aliam sententiam magis explicabitur. Quòd si quis vrgeat, quia cōsecratio Episcopi est indelebilis, ratione cuius non potest à se abdicare potestatem ordinis, quam per illam accepit; respondemus, nihil id referre, quia illa potestas per se sola non obligat ad vsum eius ordinarium, vt indicauit Pontifex in d. cap. *inter corporalia*: nam in hoc sensu dixit, consecrationem Episcopi nihil addere vinculo eius. Et id probat, quia *Episcopali præditus dignitate*, id est, character, *potest nullius Ecclesiæ esse Episcopus*, & consequenter non habere obligationem talis muneris. Et eodem modo D. Thomas d. quæst. 85. art. 4. ad 3. dixit, non esse inconueniens, quòd talis potestas in aliquo Episcopo sit otiosa. Præsertim, quia non erit omnino otiosa, cùm possit quis ea vti ad aliquos Episcopos iuuandos ex consensu eorum.

18. Ad primum ergo fundamentum sententiæ Vasquez negatur assumptum, nimirum, vinculum Episcopi iure diuino naturali, seu ex vi iuæ institutionis, vtà Christo facta est, esse indissolubile. Et ad primā probationem in contrarium, sumptam ex decretis antiquis prohibentibus, ne Episcopi suas Ecclesias deserant, iam responsum est, nunquam fuisse illam prohibitionem absolutam, sed cum illo addito, *sine debito ordine*, vel, *sine sedis Apostolicæ licentia*. Vnde non fundatur illa prohibitio in naturali illius vinculi indissolubilitate, sed potiùs illa prohibitio induxit eam indissolubilitatem, quam nunc tale vinculum habet; vnde cùm infertur, quòd si tale vinculum natura sua esset dissolubile, posset per voluntatē Episcopi dissolui: responderi posset, negando sequelam de facto; quia prohibitio Ecclesiastica voluratem Episcopi impediuit, & sub Pontificis arbitrio in negotio illam constituit. Vnde potest etiam responderi concedendo sequelam attenta sola rei natura, & sublata Ecclesiastica lege prohibente. Aduertere autem oportet præcipue in hoc posteriori membro, in assumptione muneris Episcopalis, pactum quoddam interuenire inter Episcopū, & suam Ecclesiam; seu inter electum, & eligentes, vt significauit Innoc. III. in d. cap. *Inter corporalia*. §. *Sic autem*, ibi: *Inter personas electi & eligentium*. Quocirca ex vi talis pacti tenebitur Episcopus non recedere à munere suscepto, saltem sine consensu alterius partis, nimirum, Ecclesiæ suæ, seu eligentium. Quia æquitas contractus postulat; vt sicut Ecclesia non potest Episcopum semel acceptum sua voluntate inuitum à se repellere; ita neque Episcopus possit illam inuitam deserere. Et ita supposito pacto, illa obligatio naturalis est, quanuis medio libero consensu vtriusque partis orta: & ita posset ex eodem mutuo consensu dissolui; nisi Ecclesiastica prohibitio interuenisset.

19. Vnde patet responsio ad antiqua decreta, in quibus hæc vnio Episcopi cum sua Ecclesia coniugium spirituale vocatur; & per quandam similitudinem ad matrimonium carnale declaratur. Nam ratione pacti prædicti, vinculum illud coniugium vocatur; & comparatio illa cum matrimonio non est per propriam similitudinem, seu conuenientiam vniuocam, sed per quandam proportionalitatem; & ideo necessarium non est, vt in omnibus proprietatibus æqualitatem, aut similitudinem teneat. Nam in primis matrimonium carnale per solum consensum vtriusque coniugis fit ratum: coniugium autem spirituale Episcopi non est ratum per solam electionem ab ipso electo acceptatam, sed per confirmationem Pontificis fit ratum, vt dicitur in d. cap. *inter corporalia*, & d. cap. *licèt*. Deinde matrimonium carnale consummatur per vsum contrahentium; per quem vinculum ipsum multo fit indissolubilius, vt ex propria materia suppono. At verò spirituale coniugium quanuis consummari consecratione dicatur in d. cap. *licet*. nihilominus nihil ei per consecrationem additur; vtique, quoad firmitatem vinculi; vt ex d. cap. *inter corporalia*, habetur. Præterea matrimonium consummatum per potestatem Pontificis dissolui non potest, vt suppono, coniugium autem spirituale etiam consummatum dissoluitur authoritate Papæ, vt vsu constat. Rursus in matrimonio carnali fieri non potest per dispensationem Papæ, vt vnus duas vxores simul habeat: in coniugio autem spirituali fieri potest, & vnus Episcopus duas Ecclesias sponsas habeat, & sæpe fit. Ergo quanuis vinculum Episcopi cum sua Ecclesia vocetur coniugium spirituale, non est propterea necessarium, vt habeant similitudinem in naturali vinculi indissolubilitate.

Ad verba autem Innocentii dicentis, *Deum sibi reseruasse huius vinculi Episcopalis dissolutionem*, respondeo hæc verba explicanda esse per illa, quæ inferiùs subdit. *Non enim humana, sed potiùs diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cùm per translationem, depositionem, aut cessationem, authoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Iesu Christi) Episcopus ab Ecclesia remouetur.* Igitur eo modo, quo dissoluitur illud vinculum authoritate diuina, eodem modo vinculum factum est indissolubile authoritate diuina, id est, authoritate diuinitus data Vicario suo. Et eodem modo sibi Deus reseruauit illius vinculi solutionem, vtique per Vicarium suum: nam sicut Deus soluit per suum Vicarium, ita per eundem reseruauit. Et in eodem sensu *illa tria sunt reseruata Romano Pontifici, non tam constitutione canonica, quàm authoritate diuina*; quia ipsa constitutio canonica in authoritate diuina fundata est. 20. *Explicantur verba Innocentii in contrarium allata.*

Declaratur ampliùs hæc mens Pontificis. Nam licet Episcopatus sit ex immediata institutione diuina, nihilominus determinatio quoad modum regiminis, & iurisdictionis, & alias conditiones talis prælationis, non est ex immediata Christi institutione, sed Vicario suo illam commisit: vt de diuisione diœcesum est clarum, & de iurisdictione magis, vel minus restricta, alibi diximus, & dicemus latius in 6. tom. ad 3. p. Sic ergo in præsenti, licet Christus instituerit, vt Episcopi essent ordinarii Principes, Pastores, & Doctores suarum Ecclesiarum, determinationem illius prælationis quoad perpetuitatem, vel immobilitatem eius, suo Vicario commisit, & ab eius voluntate, & arbitrio prudenti, ac rationabili pendere voluit. Pontifices autem decreuerunt, vt talis cura esset perpetua, ita vt deseri non posset sine Pontificis licentia; & ideo facta hac determinatione, dissolutio manet reseruata Pontifici, non tam constitutione canonica, quàm diuina. Tum quia illa determinatio ab institutione diuina suam vim, & efficaciam habet: tum maxime, quia facta determinatione, qui acceptat Episcopatum sub ea cōditione & modo, confirmationem eius recipit, vt sine licentia confirmantis illum deserere non possit, & sub eadem conditione obligationem acceptat: & ideo ex vi pacti, ac subinde ex naturali obligatione, non potest suo arbitrio retrocedere. Hinc ergo sufficienter solutum est primum argumentum, quod ex illo textu sumebatur. Nam reseruatio illa dicitur ex institutione diuina mediate, non proxime, vt declaratum est. 21. *Declaratur vlterius Pontificis mens. Episcopatus institutio est ex institutione diuina; determinatio verò quoad modum regiminis, & iurisdictionis est ex iure Ecclesiastico. Episcopum deserere Episcopatum reseruatur Papæ, ex institutione diuina mediatè, nō immediatè.*

Ad secundum fundamentum sumptum ex simi- 22.

litudine ad matrimonium carnale, iam responsum est, non esse necessarium, quòd exemplum sit in omnibus simile, sed satis esse, vt sit proportionale. Matrimonium enim, vt est contractus, est quodammodo naturale, & iuxta exigentiam naturæ habet quandam indissolubilitatem naturalem: cõiugium autem spirituale est additum ex institutione diuina, quæ in particulari determinatur per constitutionem canonicam, & ideo magis determinata est ex natura rei indissolubilitas matrimonii, quàm Episcopatus. Quanuis etiam illa indissolubilitas matrimonii rati non sit tanta, quin per Pontificem possit dissolui; & tunc etiam non ab homine, sed à Deo dissoluitur; quia eius authoritate fit dispensatio.

*Soluitur secundum fundamẽtum.*

23. *Tertium fundamẽtum enervatur.*

Ad tertium sumptum ex posterioribus verbis allegati textus dicentis, *non tam constitutione canonica, quam constitutione diuina*, reseruatam esse Deo dissolutionem Episcopalis vinculi, iam etiam responsum est, reseruationem dici esse ex institutione diuina, quia in illa radicatur; non quia immediate ab illa fit, & eodem modo posse indissolubilitatem vinculi non absolute, sed cum illa conditione, vt non fiat sine authoritate Pontificis, esse radicaliter ex institutione diuina, vel non sine interuentione pacti sub conditione, media authoritate diuina, per Pontificem determinati. Et ita etiam non obstant alii duo textus; imò hoc confirmant, quia caput *licet*, expresse addit modum, quo spirituale coniugium indissolubile fit, scilicet, *sine authoritate Vicarij Christi*, quia contractum est per modum cuiusdam fœderis, sub tali onere, & conditione. Et ideo in cap. *nisi cùm pridem* fundamentum huius obligationis dicitur esse *fides data in contractione talis vinculi*. Non est ergo immediatè de iure diuino, sed mediante data fide cum onere, & obligatione, seu conditione authoritate Pontificum præscripta.

24. *Secunda opinio aut immobilitatem Episcopatus oriri ex voto quo Episcopus se obligat ad perpetuam curam suæ Ecclesiæ.*

Orta hinc videtur alia opinio, dicens hanc immobilitatem Episcopatus cum obligatione non deserendi illum sua sponte, oriri ex peculiari voto, quo Episcopus se obligat ad perpetuam pastoralem curam talis Ecclesiæ. Hæc fuit sententia D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 4. 5. & 8. & clariùs quæst. 185. art. 4. & quæst. 189. art. 7. & Opusc. 18 Et sentit hoc votum esse solemne; & in eo fundari, quòd Episcopus non possit Episcopatum deserere, nec ad alium se transferre sine dispensatione Pontificis. Quam sententiam secuti sunt Carthusian. Opuscul. de regimine Episcoporum art. 3. Soto lib. 10 de Iust. quæst. 2. art. 4. & Waldens. in tom. 3. doctrinalis fidei, lib. 3. tit. 2. cap. 17. Et hoc putant necessarium ad veritatem status Episcopalis; quia existimant, non posse statum perfectionis sine voto solenni consistere. Et ratione huius voti indicat etiam D. Thomas in institutione Episcopi interuenire professionem solennem, per quam Episcopus in statu perfectionis constituitur. Cùm autem D. Thomas fateatur, hoc votum esse dispensabile per Papam, & id neget de votis solennibus religiosorum; necesse est, vt non eodem modo de vtriusque solennitate senserit: ac proinde solennitatem huius voti Episcopalis esse tantùm quasi extrinsecam, & accidentalem, ac iure humano introductam. Et ideo in præcedenti puncto dixi, D. Thomam in ea opinione fuisse, vt vinculum Episcopi cum sua Ecclesia non sit iure diuino indissolubile.

25. *Reiicitur dicta opinio.*

Veruntamen, si hæc sententia intelligatur de proprio voto, quod in promissione Deo facta consistit, nõ est probanda, quia nullum fundamentum habet; & cùm votum de se sit actus voluntarius, & consilij, non potest sine fundamento cogente affirmari, aut credi necessarium. Et ita sensit Caietanus super D. Thomam in citatis locis Et declaratur, ac probatur; quia in primis consecrationi Episcopi, vt sic, nullum peculiare votum ex iure diuino, vel humano annexum est. Nam de voto castitatis iam dixi solum esse consecrationi Episcopi coniunctum, quatenus illa cõsecratio supponit sacrum Ordinem, cui annexum est tale votum, vel obligatio castitatis, non iure diuino, sed Ecclesiastico, vt libro sequenti dicemus. Potuisset autem Ecclesia illud coniungere ordinationi Episcopi, & non sacerdotii, id tamen non fecit, ideoque nunc non est alia obligatio castitatis in Episcopo, quam in sacerdote; licet forte ex circunstãtia personæ, in Episcopo sit maior, vt videbimus infrà. De voto item paupertatis, & obedientiæ res est manifesta. Idemq; de quocunque voto aliquid faciendi ex vi consecrationis; nullum enim tale potest cum fundamento cogitari, nec in eo, qui absolute renunciauit Episcopatui, aliquid eiusmodi reperitur: vt ex d. cap. *inter corporalia*, colligitur. Et tamen in illo manet quidquid consecrationi Episcopali annexum est. Idemque est de illo, qui sine titulo alicuius Ecclesiæ Episcopus consecratur. Nam cùm illi non imponatur pastoralis cura, non potest votum illius emittere.

*Consecrationi Episcopi nullũ votum annexum est.*

26. *Nullũ votum fit ab Episcopo electo & confirmato acceptante Episcopatum.*

Deinde nec tale votum fit ab Episcopo electo, & confirmato, acceptante, & suscipiente pastoralem curam. Quia vel illud votum est de præstandis, ac exequendis actionibus sui muneris, vel de perseuerando in illo munere: neutrum dici potest. Ergo. Probatur prior pars; tum quia vel illud votum cadit in solas actiones, ad quas Episcopus tenetur ex præcepto charitatis, vel iustitiæ ratione officii: & sic non est verisimile imponi tale votum ex obligatione, cũ prior obligatio sufficiat. Nec peccatum Episcopi omittentis actiones debitas ratione officii habet specialem malitiam sacrilegii contra votum, sed solam, quam habet ex transgressione officii, vel præcepti. Vel illud votum esse creditur de aliquibus operibus supererogationis, quæ aliàs non sunt in præcepto, & tale votum esset nimis onerosum, & propria sponte ratò, vel nunquam fit: nec credo posse Episcopũ per Ecclesiam cogi ad illud emittendum. Imò indefinite factum, esset indiscretum: & constat de nullo particulari actu fieri. Nam si Episcopus in sua institutione aliqua in particulari promittit, vel iurat, illa non sunt vota specialia Deo facta, sed vel humanæ promissiones, vel iuramenta, quibus priores obligationes magis confirmantur: vt videre licet, in cap. *ego* N. de iur. iuran. & in forma iuramenti, quæ in Pontificali Romano habetur.

27. *Non fit votum ab Episcopo perseuerandi in suo munere.*

Altera verò pars de voto perseuerandi in munere, probatur primò ex d. cap. *Nisi cùm pridem*, in fine, vbi dicitur, Episcopum esse ligatum nexibus præceptorum, ne volare possit ad religionem sine licentia Papæ: & non dicitur esse ligatum voto. Secundo, ex eodem cap. 8. *Verùm si*. vbi illa obligatio perseuerandi in fide data fundari dicitur; fides autem data fuit non per votum proprium Deo factum, & speciale, sed per pactum ipsum inclusum in acceptatione talis muneris cum tali onere, & obligatione lege Ecclesiastica præscripta. Tertiò, quia hæc obligatio sufficit, & ideo vltra illam, non est, cur cogatur Episcopus ad superaddendam voti obligationem; neque ipse sua spontanea voluntate tale votum facere intẽdit; nec vult se amplius obligare, quàm iure diuino, vel Ecclesiastico teneatur. Quartò, quia quãdo cum aliquo dispensatur, vt renuntiet, vel trãseat ad alium Episcopatum, non censetur fieri dispẽsatio in aliquo voto; alioqui talis dispensatio sine sufficienti causa facta, esset nulla; quod est incredibile, vt iam ostensum est. Nam si impleatur illa conditio, vt renuntiatio, vel translatio non fiat sine licentia Romani Põtificis, actus sine vllo scrupulo recipitur, vt validus communi vsu Ecclesiæ; quidquid sit de honestate illius, vel culpa, ob defectum rationabilis causæ.

*In suo munere.*

Vnde

18. Immobilitas status Episcopi vnde oriatur.

Vnde ad præcipuam difficultatem, propter quam hæc omnia diximus, respondemus ad immutabilitatem status Episcopi sufficere moralem obligationem permanendi in illo munere ortam ex pacto inito cum Ecclesia, incluso in ipsa acceptatione Episcopatus cum conditionibus præscriptis, vel ex mutuo consensu contrahentium; vel ex iure pontificio. Imò existimo ad rationem status sufficere pactũ de se perpetuum, à quo recedere quis nõ possit sine cõsensu alterius contrahentis. Ideoque licet à Pontificibus non esset addita illa conditio quòd Episcopus non posset deserere suam Ecclesiam sine sua licentia, satis esset ad rationem status, quòd non posset illam dimittere sine consensu ipsius Ecclesiæ, seu eligentium. Quia (vt c. 1. dixi) hæc immobilitas necessaria ad statum, non est metaphysica, sed moralis, & ideo per solum pactum sufficienter firmari potest, etiamsi tarò posset aliquãdo per easdem causas dissolui. Hæc autem firmitas multũ aucta est in Episcopatu per cõditionem additam per Ecclesiastica decreta: ideoq; illa satis, superque est ad rationem status. Vnde cùm in hac vltima replica dicitur, statum perfectionis non posse constitui sine proprio voto, siue solenni, siue non solenni, negatur assumptum, quia votum non est causa adæquata status, nec id vlla ratione probatur. An verò, quando status firmatur voto, illud esse solenne oporteat, postea videbimus, priùs enim oportet explicare, quid illa solennitas supra votum addat.

Immobilitas requisita ad statum non est metaphysica, sed moralis.

19. Explicatur D. Thom

Ad D. Thomam autem respondet Caiet. illum non fuisse locutum de proprio voto, sed lato modo vocasse votum pactum illud, quo se obligat Episcopus ad tale munus. Nam quia tale pactum voluntarium est, & religiosum, id est, ad cultum Dei spectãs, & postquam factum est, de se perpetuò obligat, ideo quandam analogiam habet cum voto, & lato modo solet ita nuncupari. Quomodo in Baptismo dicuntur fideles votũ facere professionis Christianam fidẽ, & se subiiciendi Ecclesiæ, cùm tamen proprium votum non sit, vt alibi diximus. Et in eodem sensu vocatur quodammodo professio, quã facit Episcopus, cum instituitur: non quia illa cum proprio voto ad Deum fiat, nec quia sit eiusdem rationis cum professione religiosa, de qua postea dicturi sumus; sed generali appellatione, qua dicitur aliquis profiteri militiam, vel seruitutem, aut subiectionem, cùm se adscribit tali muneri, & promittit vel vsum eius, vel fidelitatem, aut quid simile. Qui modus professionis, si aliàs sit de se perpetuus, ad statum sufficit, & consequenter ad illam satis est illa solennitas, quæ moraliter modo ad publicã, ac perpetuam obligationem, vel per leges postulatur, vel ex natura rei sufficiens est, si humanæ leges nihil speciale disponant.

30. Tertia ex dictis solutio dubitandi.

Et per hæc satisfactum est secundæ rationi dubitandi in principio positæ. Concedimus enim Episcopum non constitui in statu propriæ perfectionis ex vi solius consecrationis; imò nec consecrationem esse necessariam, vt Episcopus censeatur in tali statu constitutus. Quia si sit electus, & confirmatus, iam est in statu, iuxta decisionem Innocentii III. in d. cap. *inter corporalia*. Et consequenter ille status erit perfectionis, iuxta dicenda in puncto sequenti. Imò ait Innocentius, consecrationem nihil addere illi statui; quod suprà de vinculi immobilitate declarauí. Nam respectu operationum perfectarum aliquid addit, cùm plura, & satis magna, & perfectà possit facere Episcopus consecratus; quæ sine consecratione per seipsum perficere non potest: & ideo fortasse tunc dicitur esse, quasi in statu consummato in dicto cap. *licet*.

31. Tertia sententia.

Deinde ad alteram partem de prælatura, iam ostensum est, quomodo habeat immobilitatem ad statum sufficientem. Nec obstat, quòd illa immobilitas ex iure Canonico pendeat, quia etiam fundatur in pacto quasi intrinseco illi muneri, & pius Canonicum quasi completur, quod fere in omni statu inuenitur. Addo denique cùm hic status intrinsecè pendeat ex confirmatione Papæ, etiam modo stabilitatis suæ pendere quasi intrinsecè ex modo, quo Papa illum confirmat; quia ipse est præcipuum caput in terris cuiuscunq; Ecclesiæ tam vniuersalis, quàm particularis; & ideo eius consensus in tali vinculo constituendo principaliter postulatur; & ab illo maxime pendet eius firmitas. Per ius autem Canonicũ declaratum est, Romanum Pontificem non aliter habere ratum tale vinculum, nisi sub ea conditione, vt sine suo consensu dissolui non possit; & ideo nihil obstat, imò iuuat, quòd hæc firmitas ex iure Canonico pendeat.

cũ de parte eiusdẽ rationis dubitandi.

## CAPVT XVII.

### *Vtrùm Prælati seculares Episcopis inferiores, vel etiam Parochi, sint in statu perfectionis.*

Hæc quæstio tacta est in rationibus dubitandi in præcedenti capite propositis: & D. Th. in d. q. 84. illam tractat; quia est ad plenam cognitionem status perfectionis necessaria. Obseruandum enim in primis est, in ea considerari hos Prælatos præcise ratione muneris, secluso voto castitatis, quod habent, vt clerici in sacris ordinati, de quo statu infrà dicendum est. Vnde consequenter supponimus hos non esse in statu perfectionis acquirendæ; quod à fortiori probant, quæ de Episcopis diximus; ideoque agimus de statu perfectionis exercendæ. Deinde supponimus, ex vi solius ordinationis, non esse hos prælatos in statu perfectionis exercendæ; quod etiam ex his, quæ de Episcopis diximus, suaderi potest. Item de omnibus clericis infra ordinem sacerdotis constitutis, est id manifestum; quia ex vi solius ordinationis non obligantur, nec deputantur ad opera perfectionis. Et licet ratione status clericalis, vel specialem aliquam obligationem habere possint ex præcepto Ecclesiæ, vt ad recitandas horas, vel etiam maiorem vitæ honestatem, ac decentiam requirant; nihilominus hæc omnia non attingunt proprium aliquem perfectionis gradum, sed pertinẽt ad communem vitam præceptorum. Nam etiam in laicis pro diuersitate statuum possunt plures, vel pauciores obligationes reperiri. Quapropter status talium clericorum non excedit communem statum vitæ Christianæ; licet intra latitudinem illius digniorem gradum obtineat.

*Aliqua sunt ad quæstionem supponenda.*

*Certum est clericos infra ordinẽ sacerdotis non esse in statu perfectionis.*

2. An simplices sacerdotes in statu perfectionis sint? Probatur pars affirmatiua.

De simplicibus autem sacerdotibus nonnullum dubium esse potest, an ex vi sacerdotalis characteris possint dici in statu perfectionis constituti. Non enim desunt, qui ita sentiant: Vt videre licet in Antonin. 3. p. in Prolog. §. 4. & 5. & August. de Ancon. lib. de Potest. Eccles. quæ. 76. art. 1. Et suaderi potest, quia ex vi sui ordinis habent proprium vitæ institutum immutabile, & ad excellentissima opera, quæ magnam sanctitatem, & perfectionem requirunt, ordinatum. Nimirum ad consecrandum corpus, & sanguinem Domini, & ad offerendũ Deo diuinissimum sacrificium, & vt sacerdos sit mediator inter Deum, & populũ, nomine totius Ecclesiæ pro fidelibus intercedendo. Quæ omnia adeò sunt excellentia, vt si comparetur consecratio Episcopi ad ordinationem sacerdotis, in eo præcise, quod vnaquæq; per se cõfert, altior videatur sacerdotis ordinatio, quàm Episcopi consecratio. Ergo sacerdos ex vi sui ordinis constituitur in statu perfectionis exercendæ. Et cõfirmatur: nã ratione sui ordinis tenetur ad maiorẽ

vitæ puritatem, quàm omnes inferiores; & ideo eius peccatum cæteris patibus grauius est: Vt sentiunt Gregor. in Pastoral. & Ambros. & Chrysost. in lib. de sacerdotali dignitate.

3. *Pars negatiua ostenditur.*

Contrarium nihilominus sentiunt D. Thomas, & Caiet. Gerson, & alii statim citandi. Imò etiam Antoninus, & Ancona limitant suam sententiam, dicentes, presbyteros lato modo, & non proprio, esse in statu perfectionis. Potestque suaderi D. Thomæ sententia, quia clerici etiam sacerdotes ex vi suæ ordinationis non obligantur ad perficiendos alios, nec ad propriam perfectionem acquirendam, nec ad opera supererogationis, præscindendo nūc à voto castitatis. Et quanuis teneantur digne ministrare, in rigore satisfaciunt huic obligationi, seruādo præcepta, & in gratia ministrando. Quam obligationem habet etiam populus Christianus suo modo quatenus tenetur communicare, & digne ad tantum sacramētum accedere. Quòd verò hæc obligatio sit maior in sacerdote, solùm constituere videtur differentiam secundùm magis, & minus, intra latitudinem generalis status vitæ Christianæ, quæ præceptorum obseruatione contenta est, & habet ordinem, vel gradus iuxta varias personarum cōditiones, & dignitates, etiamsi statum perfectionis non profiteantur, nec ad illum ascenderint.

4. *Resolutio quæstionis sit sacerdotes saltem inchoatiuè esse in statu perfectionis.*

Et vterque modus dicendi potest facile defendi; quia dissensio videtur esse magis de modo loquēdi, quàm de re. Nihilominus tamen negare nō possum, quin sacerdotes habeant aliquo modo statum perfectionis saltem inchoatum: tum, quia habent sacrū ministerium valde excellens, ratione cuius ad magnam honestatem, & virtutem obligantur: vt docet Patres scribentes de sacerdotio; præsertim Chrys. & Ambrosius. Vnde D. Thom. q. 184. a. 8. faretur maiorem sanctitatem requiri in sacerdote propter excellentiam ministerii, quàm in non sacerdote. Et Caiet. in eadem q. a. 4. dicit ex hypothesi, quòd si obligatio ad maiorem perfectionem sufficeret ad statum perfectionis, sacerdos ex vi sui ordinis esset in statu perfectionis. Ego autem suprà ostendi, sacerdotem nō minus obligari ad exteriorem, quàm ad interiorem virtutem, & certè in Pontificali Romano, Isidoro, & aliis, etiam externa munera perfectionis tribuuntur sacerdoti; vt inferius in hoc capite videbimus. Quapropter censeo sacerdotes ex vi sui ordinis habere statum altiorē, & sanctiorem, qui ab eis nonnulla perfectionis opera requirit; ratione cuius obligationis meritò dici possunt esse aliquo modo, saltem inchoatiuè, in statu perfectionis.

5. *Opinio affirmans prælatos inferiores Episcopis esse in statu perfectionis.*

Nostra verò quæstio propria est de prælatis, vel pastoribus animarum inferioribus Episcopis; an ex vi prælationis, seu muneris sui simpliciter sint in statu perfectionis? In quo puncto indistinctè de omnibus, parochos etiam includendo, partem affirmantem docuit Gerson in d. tract. de statu perfectionis. Alphab. 67. Iit. V. & sequētibus in 3. p. Sequitur Hēriq. quodli. 12. q. 28. & 29. & Maior 4. dist. 38. q. 7. Fūdamentum huius sententiæ est, quia isti omnes ex vi sui muneris obligantur ad opera valde perfecta, nimirum, ad curandum de salute aliorum, eos illuminando, & perficiendo, & ad animam pro illis ponēdā, si oportuerit. Confirmatur quia discipuli Christi, quos specialiter elegit, & misit binos ante faciem suam, Luc. 10. fuerūt in aliquo statu perfectionis supra communem plebem; sed illis succedūt parochi, & isti inferiores prælati, vt docet Clemens epist. 1. ergo isti etiam illum statum perfectionis participant: sūntque in secundo gradu post Episcopos, sicut illi discipuli post Apostolos in secundo ordine fuerunt, teste Hieronymo epist. 127. ad Fabiolam. marg. 6.

6. Contrariam sententiam tradit D. Thomas in d. q. 148. a. 6. Eiusque fundamentum est, quia hi prælati non consecrantur voto ad hæc munera exercenda, nec ad permanendū in illis; & ideo dici non possunt esse in statu perfectionis, etiamsi dici possint habere officium, vel ministerium ad perfectionem pertinēs. Et hanc opinionem docet ibi Caietanus, licet fateatur, diuersitatem fere esse de modo loquendi; quod certe magna ex parte ita est. Vt ergo verborum contentionem, quoad fieri possit euitemus, & rem ipsam explicemus, distinguamus illas duas voces, *status* & *perfectionis*; & de singulis videamus, quomodo possint his pastoribus animarum attribui; & inde constabit, an coniunctum, scilicet, *status perfectionis*, in eis reperiatur.

*Contraria sententia est D. Thomæ.*

7. *An prælati inferiores Episcopo habeant immutabilitatem, & obligentur ad permanēdum in suo munere.*

Et primū circa statū quæri potest, an isti habeant in suis muneribus immutabilitatem sufficientē ad statum. Et vt quæstio clariùs de re sit, interrogatio est, an isti inferiores pastores teneantur, & in rigore obligentur ad permanendum in suo munere. Nā si obligantur, habebunt in eo munere immobilitatem ad statum sufficientē; secus verò etit, si liberū eis est ministerium illud deserere. In hoc ergo puncto D. Th. suprà videtur negare absolute istos inferiores animarum pastores obligari ad perseuerandum perpetuò in suo munere. Idem habet in d. q 184. a. 6. & q. 198. a. 7. ad 1. Qui fundatur præcipuè, quia isti pastores non se obligant voto, sicut Episcopi: Sed si intelligatur de proprio voto, iam ostensum est etiam Episcopos nō obligari voto, si verò sumatur late pro pacto, vel promissione mutua, & onerosa facta cum Ecclesia, vel prælato eius, vnde constat hos pastores non habere obligationem proportionatam suo muneri: respondet Caietanus non habere illam de iure diuino, sicut habent Episcopi: nec de humano, quia scriptum non est. Sed de hoc posteriori iure infrà dicetur. De priori verò iam ostensum est, etiam Episcopos non habere illam obligationem absolute de iure diuino. Si autem Episcopi dicantur illam habere medio pacto, quia naturale ius obligat ad pacta seruanda: idem cum proportione dicetur de his inferioribus, quia etiā de illis dicetur, ex pacto obligari; nec oppositum probat Caietanus, vt videbimus.

*Pars negatiua Probatur 1.*

*Reiicitur tamen prior ratio.*

8. *Probatur 2.*

Aliter videtur D. Thomas probare non esse in his pastoribus obligationem retinendi curam animarum, quia possunt libere eam deserere, vt ad statum religionis transeant. Id enim liberè sine licētia Papæ, vel Episcopi facere possunt; iuxta decretum Conc. Tolet. IV. c. 49. aliàs 50. vbi sic dicitur. *Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasterium largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* habetur in cap vnico 19. q. 1. & in q. 2. cap. 2. de his, qui sub Episcop. curam habent animarum. Idem statuit Vrbanus Papa I. dicens: *Si quis horum, qui in Ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, & seculariter viuit, afflatus spiritu sancto in aliquo monasterio, vel regulari canonia saluare se voluerit, quia lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt à lege publica constringatur.* Et infrà: *Quisquis ergo hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo contradicente, eat liber nostra auctoritate.* Propter quæ iura idem docet D. Thomas d. q. 184. a. 6. & q. 189. a. 7.

*Conc. Tol.*

*Vrbanus Papa.*

9. *Impugnatur ratio tradita.*

At verò ex hoc signo non colligitur, istos prælatos, vel parochos non habere obligationem permanendi in suo munere sufficientem ad statum, sed ad summum probat, nō esse illam obligationem omninō absolutam, sed includere conditionem nō repugnantē statui maioris perfectionis. Probatur à simili. Nam religiosus professus in vna religione potest secundùm ius commune trāsire ad arctiorem religionē, ca. *sanè*, & ca. *licet*, de regularibus; quod nō obstat, quominus antea esset in statu perfectionis, licet minus

ius stricto, vel perfecto. Et ratio est, quia immutabilitas status perfectionis per se solùm opponitur retrocessioni, iuxta verba Christi Domini, quæ ipse D. Thomas allegat, Luc. 9. *Qui mittit manum suam ad aratrum, & respicit retrò, non est aptus regno Dei.* Et ideo non excludit ascensum ad vlteriorem gradum intra latitudinem status perfectionis. Hæc autem ratio non minus procedit in Curato respectu religiosi status, quàm in statu religioso inferiori respectu altioris: ergo non obstante hac licentia transeundi ad religionem, poterit munus prælatorum inferiorum esse sufficienter immobile ad statum.

10. *Solutio obiectionis Caietani.*

Instat verò Caietanus; quia si Curati essent in statu perfectionis, essent in altiori statu, quàm religiosi, quia essent in illo, vt perfectores; & non tantùm vt perficiendi, & consequenter non possent ad statum religionis transire. Sed hoc non obstat, quia licet essent in statu perfectorum, essent in illo in gradu imperfecto; & moraliter est melius, & securius esse in statu perfectionis acquirendæ. Eo vel maximè quòd totum hoc pendet ex iure Ecclesiæ; quæ censuit ad commune bonum animarum expedire, vt in Episcopis non fiat mutatio tam facilè, sicut in parochis, quia facilè potest per Episcoporum prouidentiam suppleri; quod non ita erat in Episcopis.

11. *Probatur eadem assumpta.*

Aliud denique signum huius mutabilitatis repugnantis statui, affert D. Thomas quia isti pastores inferiores possunt renuntiare suis officiis, seu beneficiis, ac dignitatibus sine licentia: in quo differunt ab Episcopis. Vnde colligit, eos non habere obligationem perpetuam, quam Episcopi habent; quia in obligatione de se perpetua solus Papa potest dispensare. Ergo non habent inferiores immobilitatem ad statum necessariam: nam hæc non est sine obligatione de se perpetua. Veruntamen etiam hæc ratio non caret difficultate, duobus enim modis potest intelligi, hos prælatos posse cedere suis muneribus, vel officiis. Primo, quia sola sua voluntate sine dependentia ab aliquo superiore, & sine violatione alicuius iuris possunt id facere; quia nulla obligatione, vel diuina, vel ex lege humana tenentur. Secundò, quòd possint id facere consentiente, vel dispensante superiore, & non aliter. Priori modo intellexit rationem illam Caietanus. Ait enim, nec iure diuino, nec humano obligari hos ministros Ecclesiæ in suis muneribus perseuerare; quia non inuenitur tale ius scriptum.

12. *Impugnatur probatio.*

Sed quoad hanc partem contrarium videtur certum. Nam in cap. *admonet.* de renuntiatione, Alexander III. cuidam Episcopo mandat, vt non permittat suis clericis dimittere Ecclesias, quas habent, *Ipso inconsulto*, id est, *invito*, vt ibi significat glossa, & exponit Panorm. & sumitur ex aliis iuribus, in quibus talis renunciatio sine licentia Episcopi prohibetur: Vt patet ex cap. *si quis verò.* cum tribus sequentibus. & cap. *Episcopus, de loco.* 7. quæst. 1. vbi clerici prohibentur deserere suas Ecclesias, vel transire ad alias sine suorum Episcoporum licentia; & si faciant, reuocari posse, & si pertinaces sint, grauiter puniendos esse decernitur. Et est communis sententia Canonistarum, quos latè refert Fiammin. lib. 7. de resignation. benef. q. 1. à principio. Eamdemque sententiam supponit D. Thomas d. q. 184. a. 6. dicens, posse Archidiaconum, vel Curatum relinquere suam Ecclesiam de licentia sui Episcopi, vbi licentiam, tanquam necessariam postulat. Non esset autem necessaria, nisi præcederet obligatio saltem Canonici iuris.

13. *Reiicitur Caietani responsio.*

Respondet autem Caietanus hanc licentiam non requiri propter prohibitionem, vel, quia Curatus sit obligatus ad perpetuam curam animarum, *sed propter obligationem fidelitatis, quam debet Episcopo, eo quòd officialis eius est. Nam hoc*, ait, *quilibet officialis debet domino suo.* Sed in primis contrarium colligitur ex dictis iuribus: & deinde sine iure positiuo nulla esse posset talis obligatio fidelitatis propria, & rigorosa, id est, quæ sub graui culpa esset, & grauiter ab Ecclesia puniri posset. Vtrumque declaro. Quia vel illa obligatio, quam fidelitatis Caietanus appellat, est merè naturalis, id est, absque interuentu alicuius pacti, vel dispositionis legis humanæ, sed intrinsecè orta ex ipso officio; ratione cuius dicitur officialis debere hoc domino suo; nisi à superiori domino vocetur, vt Caietanus ait, etiam si speciale pactum de hoc non intercedat, nec lex vlla id disponat. Et hæc obligatio vel est nulla, vel ad summum esse potest ex quadam honestate, vel decentia; non verò ex rigorosa, &, vt ita dicam, legali obligatione. Nullus enim famulus, operarius, aut minister, vel officialis alterius tenetur in suscepto ministerio, vel alterius seruitio permanere, si de illa re pactum inter eos in ipsa conuentione non præcessit. Nam secluso pacto, sicut dominus liber manet ad dimittendum famulum, vel officialem; ita & officialis ad relinquendum dominum; quia hoc postulat mutua æqualitas, si aliter inter eos conuentum non sit: nec potest dari naturale fundamentum maioris obligationis.

14. *Confirmatur vterius eadem responsio.*

Igitur ex natura rei solùm cogitari potest quidam vrbanitatis titulus, ne quis insalutato domino, vel prælato recedere videatur. At verò talis obligationis transgressio, vel omissio per se non sufficit ad grauem culpam, vel pœnam, secluso iure positiuo speciali. Et ad summum obligat ad petendam licentiam; non verò ad expectandum consensum. In his autem Curatis, vel prælatis inferioribus obligatio est rigorosa, & non est tantùm ad petendam licentiam, sed etiam ad consensum superioris expectandum, vt ex citatis iuribus, & Doctoribus constat. Imò Episcopus non potest illam licentiam dare sine graui causa, vt eadem iura disponunt. Et specialiter Pius V. in motu proprio 58. in Bullario, & incipit, *Quanta Ecclesia Dei*, &c. Denique vbi non est promissio, non est propria obligatio fidelitatis; ergo secluso promissione, seu pacto, non potest talis obligatio naturalis affirmari: præsertim, cùm idem Caietanus neget teneri Curatos ad permanendum in suo munere ex iure diuino naturali. Quòd si quis dicat ibi interuenire pactum, & promissionem, in qua talis obligatio fundetur. Instamus in primis ad hominem contra Caietanum; quia tunc nulla erit in hoc differentia inter Episcopos, & inferiores pastores. Deinde interrogabimus, vnde sit annexum illud pactum tali muneri; non enim ex solo iure diuino naturali; quia posset Ecclesia statuere alium modum conferendi hæc officia, vel beneficia, vel recipiendi hos ministros sine tanto onere; nec id esset intrinsecè malum: ergo fundamentum talis obligationis semper reducitur ad ius positiuum, quo explicatum est, talia ministeria cum tali onere, vel sub tali conditione conferri.

15. *Non requiritur votum ad status immutabilitatem.*

Quapropter licet D. Thomas hanc obligationem ex pacto, vel Ecclesiastica lege agnoscere videatur, quatenus ait, quòd sine licentia superioris tale officium dimitti non potest; nihilominus negat sufficere ad statum; quia illa obligatio non est talis, vt solùs summus Pontifex in ea possit dispensare, & apertè declarat vim rationis in hoc ponere, quod isti prælati non se obligant voto perpetuo ad retinendum tale munus, in hoc enim ponit differentiam inter ipsos, & Episcopos, propter quam dicit, hos esse in statu perfectionis, & non inferiores. At contra hoc est, quia suprà ostendimus tale votum non esse simpliciter necessarium ad statum: nec Episcopos habere illud distinctum à pacto incluso in conditione,

sub qua Episcopatum acceptant. Vnde sumitur argumentum, quia in Episcopis sufficit obligatio in tali pacto, vel in Ecclesiæ constitutione fundata. Ergo sufficiet etiam in inferioribus: nam illi etiam sub simili conditione, & tacito pacto tale munus acceptant.

16. *Non requiritur quod solus papa possit dispensare.* Neque obstabit, quòd in Episcopis necessaria sit licentia Papæ; in aliis Episcoporum sufficiat. Quia hoc potest inde prouenire, quod Episcopus non habet alium superiorem proximum; inferiores autem habent Episcopos superiores. Vnde quando prælatus non Episcopus ex priuilegio soli Papæ subiectus est, non potest sine licentia Papæ suo muneri cedere. iuxta capitulum vltimum, de Renunciatione. Et ipse Papa, quia superiorem in terris non habet, per se potest renuntiare Papatui sine alterius hominis consensu. iuxta c. 1. de Renunciat. in 6. ibi: *liberè valet*, &c. vbi glossa, & Doctores id notant. Ergo sicut in Episcopis non est contra rationem status, quod de licentia Papæ possint Episcopatum relinquere; ita nec in inferioribus prælatis obstabit, quod ex licentia Episcopi renuntiare valeant.

17. *Non obstat, quod difficilius dispensetur cum Episcopis.* Et eadem ratione non obstat, quod hæc licentia difficilius Episcopis, quam cæteris concedatur, nec quod Episcopi non possint transire ad statum religiosum sine licentia obtenta: inferiores verò possunt. Tum, quia hæc omnia ex positiuo iure pendent; & quod statuit in Episcopis, posset etiam in aliis ordinare, si communi bono ita esset necessarium. Et è contrario posset etiam iure Ecclesiastico statui, vt Episcopus ad religionem sua sponte, & sine speciali licentia transire posset: nam hoc non est contra vllum diuinum ius; sicut in speciali casu id concessum videtur in cap. *per tuas*. de voto. Tum etiam, quia illa differentia solùm est secundum magis, & minus: vnde solum potest ex illa inferri, statum Episcoporum esse firmiorem, & nobiliorem: non verò, quod in reliquis non sit etiam immobilitas ad statum sufficiens. Et ratio à priori est; quia quod pacto, & iure communi stabilitum est, de se est moraliter satis firmum, & stabile, etiamsi per dispensationem superioris mutari possit. Nam id, quod per solam dispensationem alterari potest, & pendet à voluntate alterius, moraliter censetur esse subdito per se impossibile; ideoque contraria immobilitas ad statum sufficit. Præsertim, quando ad talem mutationem magna causa de iure postulatur: vt in præsenti casu secundum iura necessarium est. Denique non inuenitur maior firmitas in ipso summo Pontifice; imò illi non est necessaria alicuius hominis licentia, vel consensus, vt possit abdicare à se papatum; & nihilominus ratione illius non minus est in statu, quam cæteri Episcopi; quia satis esse censetur, quod habeat de se perpetuitatem, & quod illam mutationem facere non possit, nisi ex grauissimis causis, ergo cum proportione similis stabilitas in aliis sufficiet.

*Ad status immutabilitatem sufficit, quod ille de se habeat perpetuitatem, & quod quamutationem facere nequeat, nisi ex grauissimis causis.*

Quod ergo spectat ad nomen, & rationem status, attenta iuris dispositione, satis probabili ratione defendi posset, esse in his prælatis inferioribus, seu in munere, ac obligatione vniuscuiusque illorum, sufficientiam ad statum, seu stabilem viuendi modum constituendum. Idque maxime locum habet in primis in Abbatibus, vel similibus prælatis; quibus licet non sint Episcopi quoad consecrationem, in reliquis habent iurisdictionem Episcopalem, & immediatè subsunt Papæ; & ex vi sui muneris ita sunt perpetuò Ecclesiis suis addicti, vt sine licentia Papæ illis cedere non possint: nam isti parum ab Episcopis in stabilitate differunt. Idemque fere est de quibusdam prælatis religionum perpetuis ex institutione sua; illi enim vltra statum religiosum, quem ex vi professionis habent; ratione muneris dici possunt esse in statu non solum acquirendi perfectionem, sed etiam perficiendi alios, ac subinde esse in statu perfectionis exercendæ. Similes vero prælati, vel regulares, vel si qui sunt seculares, qui ad certum tempus triennii, vel sexennii huiusmodi curam habent, non poterunt ea ratione dici in statu, sed in officio, vel dignitate quadam. Denique inferiores pastores, & Curati, licet ex vi iuris (vt dicebam) videantur immutabilitatem habere; nihilominus con siderato communi vsu, quo receptum est, vt facilimè mutentur; & consequenter, vt talia beneficia non assumant animo permanendi in illis perpetuò; sed vel ad alia pinguiora ascendendi, vel renuntiandi cum aliquo emolumento, vel simplici pensione sine obligatione animarum: hoc, inquam, vsu consideratо satis probabilis modus loquendi est, quod isti non statum assumere, sed ministerium, officium, vel dignitatem Ecclesiasticam, pro illo tempore habere dicantur.

*Inferiores pastores & curati considerato communi vsu non tam statum, quàm munus assumunt.*

Iam verò sequitur alterum membrum, an ex parte obiecti, seu materiæ sit in his muneribus sufficiens ratio, ob quam isti prælati in statu perfectionis esse, vel certe officium perfectionis exercere dicantur. Est autem sermo non de perfectione acquirenda; nam constat hos prælatos ex vi sui muneris non profiteri consiliorum obseruantiam, nec alia media, quæ ad perfectionem acquirendam per se conducunt; quia eorum munera per se non ad propriam perfectionem, sed aliorum profectum ordinantur: vt ex dictis de Episcopis à fortiori constat. Igitur sermo est de perfectione exercenda. In quo puncto negari non potest, quin isti pastores multum participent de perfectionis obligatione, & exercitio ex vi sui muneris; siue vocetur status, siue officium. Et hoc maxime intendunt rationes primæ opinionis. Et abstrahendo à nomine *status*, id fatetur ex parte D. Thomas in d. q. 184. a. 6. ad 3. vbi de his inferioribus prælatis ait: *Magu habere officium ad perfectionem pertinens, quam statum perfectionis*; quod quidem si intelligatur ratione nominis status, vel officii, erit facilè in his, qui temporalem tantum administrationem habent; in aliis vero, qui habent illam ex se perpetuam, habet difficultatem iam tractatam.

19. *An ex parte obiecti detur ratio cur prælati inferiores sint in statu vel officio perfectionis exercenda.*

At verò D. Thomas (vt etiam Caietanus interpretatur (id videtur intelligere etiam ratione modi exercendi illa opera, quæ ad perfectionem pertinent: Vnde inter hos inferiores, & Episcopos differentiam constituit. *Quia pastorale officium & obligatio ponendi animam pro ouibus ad Episcopos principaliter pertinet; ad inferiores solùm secundariò, & ministerialiter, quantum eis ab Episcopo committitur.* Et Caietanus addit. *Quod Episcopi assumunt curam animarum, vt agentia principalia; Curati verò assumunt curam animarum, vt officiales principalium agentium.* Vnde infert, eos non teneri naturali obligatione ad non deserendam curam animarum. *Quia officiales*, ait, *in virtute principalis agentis operantur, vt instrumenta, & sicut aliena aguntur virtute, ita alienam exequuntur obligationem.* Vnde in solut. ad 2. eiusdem art. dicit D. Thomas, & defendit Caietanus, inferiores prælatos cómparari ad Episcopos, *sicut baliui, vel præpositi ad regem.*

20. *Quam differentiam constituat D. Thomas inter Episcopos & Prælatos inferiores in exercendis operibus perfectionis.*

Hanc verò doctrinam latè impugnant Henr. Gerson, & Maior suprà. Ne autem propter defendendum modum loquendi (in quo, vt dixi, magna ex parte hæc quæstio de perfectione huius status versatur) aliqua falsa in aliis materiis, & rebus grauioribus asserantur; suppono primo Episcopos altiori, & perfectiori modo habere pastoralem curam, quàm parochos. Patet, quia Episcopatus à communi officio, vel potestate sacerdotis iure diuino distinguitur. Differt autem, tanquam in altiori gradu, & ordine consti-

21. *Episcopi perfectiori modo habent pastoralem curam quam parochi. Probatur.*

constitutus, vel quoad potestatem ordinis, vt est certum, vel quoad potestatem iurisdictionis; vt illi existimant, qui putant iurisdictionem Episcoporum esse de iure diuino. Sed quia hoc forte verum non est, probabilius dicitur, excellentiam Episcoporũ in iurisdictione esse de iure ordinario Ecclesiastico iuri diuino valde consentaneo. In hoc ergo sensu verum est, Episcopos principaliùs habere curam pastoralem, quàm parochos. Quia illi sunt quasi principes Ecclesiarum, & habent vniuersaliorem curam, & magis independentem, quàm parochi. Nihilominus tamen addendum est, inferiores prælatos etiam esse ordinarios pastores, & exercere illam curam, non vt instrumenta Episcoporum, vel officiales, seu quasi vicarios eorum, sed vt causas proximas sua propria, & in suo ordine principali virtute operantes.

Declaratur, distinguendo in his inferioribus pastoribus tres gradus: vnus est quorundam prælatorum carentium Episcopali consecratione, & consequenter inferiorum Episcopis in potestate ordinis: & nihilominus æqualium illis in potestate iurisdictionis, cum exemptione ab ordinariis Episcopis, & independentia ab illis, & cum immediata subiectione, & dependentia solius Apostolicæ sedis. Et de his clarum est exercere pastoralem curam, vt causas principales. Quia non minori virtute operantur, quàm Episcopi in omnibus illis effectibus, & actibus hierarchicis, qui à charactere, seu consecratione Episcopali non pendent: vt sunt illuminatio, purgatio, & perfectio subditorum, &c. & eandem obligationem habent cum æquali etiam dependentia à Papa. Secundus gradus istorum prælatorum est, Archidiaconorum, vel similium, qui iurisdictionem quidem Episcopalem ordinariam participant, non tamen totam, nec cum exemptione, seu recursu immediato ad summum Pontificem. Et de his etiam manifestum videtur, exercere pastoralem curam, vt causas principales: tum quia ex vi sui muneris habent illam curam, quàm exercent; & non potest Episcopus illam auferre: tum etiam, quia possunt iurisdictionem suam delegare, quod est signum ordinariæ iurisdictionis, quæ in suo ordine principalis est. Tum præterea, quia subordinatio, quam retinent ad Episcopum, non est contra principalem curam in suo ordine; quia etiam Episcopi iurisdictio, aliquo modo est subordinata Archiepiscopali. Nam in naturalibus etiam causa proxima principalis est, etiamsi ab vniuersaliori pendeat; vt euidentiùs ex sequenti puncto, & à fortiori constabit.

In tertio igitur, gradu cõstituuntur parochi particularium Ecclesiarum, qui proprie non comprehenduntur nomine prælatorum, iuxta communem vsum iuris, & modum loquendi Doctorum. Nam prælati propriè dicuntur, qui iurisdictionem ordinariam, etiam in externo foro ecclesiastico habent; isti autem parochi non habent ordinariam iurisdictionem externam, & ideo proprie prælati non dicuntur. Nihilominus tamen sunt proprii pastores, sicut in iure vocantur, vel cõprehenduntur sub nomine proprii sacerdotis, in cap. *omnis vtriusque sexus*, de pœnit. & remiss. Quapropter iuxta materiæ capacitatem non possunt dici officiales Episcoporum; sicut est Vicarius eius, vel officialis, vulgariter dictus, Prouisor; sed sunt proprie pastores in suo gradu, & à mercenariis distinguuntur; quos etiam Christus Ioann. 8. propriis pastoribus opponit. Vnde non sunt etiam proprie instrumentales causæ respectu Episcoporum; sed sunt causæ proximæ principales, iuxta materię capacitatem. Nam licet respectu Christi D. sint causæ instrumentales, & ministri eius, hoc modo etiam Episcopi, & ipse summus Pontifex sunt causæ instrumentales. Tamen sicut Episcopi dicuntur causæ principales moraliter, quia habent proprium ius, & potestatem quasi propriam, & intrinsecam ad suum munus exercendum; ita & parochi in suo ordine sunt Domini suorum beneficiorum, & propriam potestatem, ac officium exercent, & propriam obligationem adimplent, & non tantum alienam exequuntur.

Nec refert, quod parochi sint quasi coadiutores: nam etiam Episcopi sunt cooperatores Pontificis, & in partem solicitudinis vocati, non in plenitudinem potestatis: vt dixit Vigilius Papa epist. 1. cap. vlt. & refertur in cap. *qui se scit.* 2. q. 6. vbi etiam habet illam sententiam, *Qui se scit aliis esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum.* Quam in simili casu docuit Iulius I. epist. 1. in fine. & Leo epist. 82. aliàs 84. cap. 7. per quam insinuant, quod licet Episcopi sint veri pastores principales in suo ordine, nihilominus subsunt superiori pastori: ita inferiores pastores sunt in suo gradu proprii pastores, licet Episcopis subordinati sint.

24. *Bene possunt parochi dici veri pastores, licet sint coadiutores & subordinati Episcopis. Probatur.*

Potest hoc confirmari ex Concil. Trid. Sess. 23. cap. 1. de Reform. vbi cum vellet præcepta de residentia Episcoporum, & parochorum tradere, generaliter de pastoribus loquens, hoc iacit fundamentum: *Diuino præcepto mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, &c. pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam gerere, & in cætera munera pastoralia incumbere.* ex quo fundamento infert obligationem Episcoporum ad residendum; & postea subinfert: *Eandem omnino de Curatis inferioribus, & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod Eccl. siasticum curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit.* In quo contextu manifeste sentit Concilium parochos cõprehendi sub propriis pastoribus, quibus per se, & ex officio conuenit animarum cura; quos etiam à mercenariis distinguit: ergo sentit, non esse tantum officiales Episcoporum, quasi ministros vices ipsorum gerentes; & instrumenta aliena virtute operantia, seu alienam obligationem exequentia, sed esse proprios pastores, quibus per se à principe pastorum, seu domino totius gregis ouium cura demandata est. Ex quo addit Gerson, statum, seu munus parochorum esse de iure diuino, & de Christi institutione, ita, vt non possit à Pontifice tolli ab Ecclesia: sicut non potest auferri status Episcoporum; quia etiam parochi ad integrum ordinem hierarchicum à Christo institutum pertinent. Estque hoc probabile, tum ex antiquissima traditione; tum quia ad bonum regimen Ecclesiæ, & salutem animarum est necessaria hæc parochiarum distinctio, & propriorum parochorum institutio: sed quia hoc incertum est, in proprium opus de Ordine, & Ecclesiastica hierarchia, id reseruamus. Nunc enim nobis sufficit, quod de facto munus hoc parochorum, tanquam pastorale cum propria potestate, & iure, seu quasi dominio sit institutum: siue institutio sit absolutè de iure diuino, siue per Ecclesiasticum completa sit.

25. *Confirmatur vlterius ex Concilio Trid.*

*Munus pastorum est de iure diuino.*

His ergo positis, tanquam in re ipsa certis, colligunt prædicti authores, omnes inferiores pastores habere statum, vel proprium munus, & obligationem exercendi actiones vitæ perfectæ, ac subinde esse in statu perfectionis exercendæ. Quod videtur suaderi satis probabiliter ex verbis allegatis Concilii Tridentini: nam illæ actiones pastorales, quas numerat, magnam perfectionem in pastore requirunt; præsertim, *pascere gregem verbo, & exemplo in omni bonorum operum genere, sacrificium, & sacramenta digne offerre, & ministrare, & corporalibus, ac spiritualibus operibus misericordiæ incumbere.* Ergo status, qui ad hæc,

26. *Omnes inferiores pastores habere statum siue munus exercendi actiones vitæ perfectæ asserunt prædicti authores. Probatur ex Concil. Trid.*

hæc, & similia pastoralia opera obligat, ex parte materiæ status est perfectionis exercendæ. Probatur consequentia, tum quia status, qui obligat ad actiones perfectas, & ad frequentem earum vsum, status perfectionis est: sed talis est status horum parochorum: ergo. Tum etiam, quia status ex natura sua supponens, & requirens in persona sufficientem virtutem ad opera ex genere suo perfecta, & vitandi contraria, meritò dici potest status perfectionis; talis autem est hic status, vt ex verbis Concilii colligitur. Et confirmari optimè potest ex his, quæ de his muneribus, & ministris eorum tradit Basilius in regul. moral. regula 70. præsertim c. 10. 11. 13. 16. 19. & sequent. & regula 80. c. 11. & sequentib. vbi de prædicatoribus verbi Dei loquitur, à fortiori autem hos comprehendit, quibus ex officio munus hoc conuenit.

*res prælatos etiam parochos esse aliquo modo in statu perfectionis exercendæ.*

27. *Confirmatur vterius ex Pontificali Rom.* Vnde confirmari hoc potest secundo: nam in Pontificali, inter alia munera, hæc duo tribuuntur Sacerdoti, scilicet, *præesse*, & *prædicare*, & subditur inferius, hos designatos esse in septuaginta discipulis à Christo electis, quos binos ante se misit: *Vt doceret*, ait, *verbo simul, & facto, ministros Ecclesiæ suæ fide, & opere, debere esse perfectos.* Tribuuntur autem sacerdotibus illa munera, non quia ex vi solius ordinationis, ius gubernandi, seu exercendi pastoralem curam, & prædicandi accipiant: sed quia ad illos fines inter alios ordinantur, & quasi proximè disponuntur. Et sic etiam dixit Isidor. lib. 2. de diuin. offic. c. 7. *Sacerdotibus, sicut Episcopis à Spiritu sancto mysteriorum Dei commissa est: præsunt enim Ecclesiæ Christi; & in confectione diuinæ corporis, & sanguinis consortes cum Episcopis sunt; similiter, & in doctrina populorum, & in officio prædicationis.*

28. *Non infringit superiorem resolutionem esse Episcopos in altiori gradu perfectionis.* Nec obstabit, quod Episcopi sint in altiori gradu perfectionis, quam isti inferiores prælati, vel Curati. Quia sicut in statibus acquirendæ perfectionis, vnus esse potest perfectior alio, vt postea videbimus; ita etiam sub communi statu perfectionis exercendæ, potest esse varietas, & inæqualitas in gradu perfectionis. Sic ergo dubitandum non est, quin Episcopi sint in altiori gradu perfectionis, quàm inferiores prælati; quia quo vniuersaliorem, & principaliorem habent curam, eo ad illuminandum excellentius, magisque perficiendos alios, verbo, & exemplo obligantur. Vnde peculiari etiam potestate ordinis, ex officio possunt alios confirmare, presbyteros ordinare, Episcopos consecrare, & per potestatem iurisdictionem altiorem, & vniuersaliorem prouidentiam diœcesis suæ habere tenentur; & simul congregati in Conciliis, etiam in vniuersalem aliquem influxum, saltem suffragium ferendo habere possunt. Ideoque excellentiorem virtutis, & perfectionis statum munus illud postulat. Hoc autem non obstat, quo minus etiam inferiores prælati, in statu perfectionis sint, quatenus ad multa opera eiusdem rationis destinantur; licet non eodem modo nec in tam excellenti gradu. Imò etiam sub ipsis Episcopis inuenitur varietas, & inæqualitas. Nam inferiores prælati, qui participant iurisdictionem Episcopalem, ad plura, & perfectiora opera obligantur; & ideo proximi sunt Episcopis in statu perfectionis: & qui inter eos sunt exempti, videntur etiam ad maiorem perfectionem obligari, vel in eis supponi debere; quia quo superiori modo, magisque independenti operantur, eo perfectiores, & aptiores ad tale regimen supponuntur. Deniq; in infimo gradu erũt Curati, quia magis limitatam habent sphæram, & actionem: nihilominus tamen aliqua ex parte illum statum participant, quatenus ex officio eisdem operibus perfectionis magna ex parte incumbunt.

29. *Probabile est inferiores prælatos aliquo modo in statu perfectionis exercendæ.* Ex his ergo, quæ de immutabilitate horum prælatorum inferiorum in suo munere, & de perfectione operum eorundem munerum dicta sunt, videtur probabiliter colligi, hos prælatos, seu pastores animarum esse aliquo modo in statu perfectionis exercendæ, non acquirendæ, seu in statu perficientium, non perficiendorum, maximè, si cum munere huiusmodi sacerdotalis ordo coniungatur. Nam sicut Innoc. III. dixit, coniugium Episcopi cum sua Ecclesia consecratione consummari, si institutio, seu collatio, aut electio, & confirmatio in tali prælatione aut beneficio antecedat; ordinariè verò solet precedere ordinatio sacerdotalis. Et ideo diximus suprà, per illam quasi inchoari statum perfectionis simplicium sacerdotum: nunc verò addimus, addita pastorali cura completi quodammodo in suo gradu aliqualem statum perfectionis huiusmodi prælatorum. In quo aliquid considerari potest pertinens ad perfectionem vitæ contemplatiuæ, & aliquid vitæ actiuæ; & primum habere ex vi sacræ ordinationis; secundum autem ex vi prælationis. Nam ratione ministerii consecrandi, & offerendi corpus Christi, quod per sacerdotalem ordinationem accipiunt, ad altiorem rerum diuinarum considerationem, maioremque animi puritatem obligantur; ratione verò prælationis tenentur saluti proximorum procurandæ incumbere. Et quia ex vi ordinationis, & susceptionis talis muneris ad vtraque opera perpetuò dicantur, non incongruè dicuntur esse in statu perfectionis dicto modo; licet in gradu inferiori, vel infimo illius ordinis, vt explicatum est. Et sanè quamuis D. Thomas, Caietanus, & alii, in modo loquendi differant; in re non discrepant. Nam idemmet D. Thomas Matth. 5. in vltimis verbis distinguens statũ perfectionis viæ in tria membra, vnum vocat ordinis, alium prælationis, & tertiũ religionis, significans non solùm prælatos omnes, sed etiam clericos esse in statu perfectionis. Vnde aliqui conciliant illas sententias dicentes, hos prælatos non simpliciter, sed tantùm secundùm quid esse in statu perfectionis, quod facilè potest admitti, nec de vocibus contendendũ est; & res ipsa in sequenti cap. 18. explicabitur.

## CAPVT XVIII.

### *Vtrùm status Episcoporum perfectior sit quàm status religiosorum.*

1. *Comparatio non fit inter personas, sed inter status.* HÆc comparatio odiosa videri potest, & ideo vitanda; vt tetigit Waldens. lib. 3. tom. 3. de sacramental. t. t. 9. cap. 8. Veruntamen facilè tollitur inuidia, si & prudenter, ac modestè tractetur, simulque consideretur, non fieri comparationem inter personas, vel merita earum, sed inter status, eorumque conditiones, seu qualitates. Vel, vt dixit D. Thomas d. q. 184. a. 8. *Comparatio fit ex genere operum, non ex charitate operantis*, sicut Christus Luc. 7. vitam contemplatiuam actiuæ prætulit, dicens: *Maria optimam partem elegit.* Sic ergo comparatio non est odiosa, sæpeque in discursu huius materiæ occurret. Fortasse tamen videbitur hoc loco præpostera dicta comparatio; quia nisi sint extrema cognita, non potest inter ea comparatio fieri: hactenus autem nondum explicuimus religiosum statum; quomodo ergo possumus illum cum alio statu comparare. Veruntamẽ ad comparationem faciendam sufficit nobis generalis diuisio superius data de statu perfectionis exercendæ, vel acquirendæ. Nam hæc membra secundum generales rationes suas satis explicata sunt; & secundum illas tantum status prælatorũ, & religiosorum, quasi ex genere suo comparamus. In hac autem comparatione duo possunt inquiri; vnum est, quia status istorum sit perfectior, comparando maximum, & perfectissimum statum vnius ordinis ad maximum alterius. Aliud est, singulos status vnius generis cum singulis alterius conferendo: ex his autem comparationibus, prior in præsenti capite definitur; quia re-

ducitur

ducitur ad comparationem status Episcopalis cum religioso: de altera verò in cap. 19. dicemus.

2. Cùm tres sint partes, in quarum quamlibet tendit religiosus, scilicet perfectionem acquirendam, exercendam, & proximis impertiendam, prima pars clara est, quia comparatio ex genere fit secundum suprema capita vtriusque extremi; in statu autem perfectorum, seu perfectionis exercendæ, Episcopatus est summus; ergo si ille excedit omnem statum perfectionis acquirendæ, profecto ille status prælatorum ex genere suo perfectior est. Prior igitur pars probatur in primis ex Conciliis, Pontificibus, & aliis Patribus c. 13. allegatis, qui non solum dicunt Episcopos esse in statu perfectorum, sed etiam esse in sublimitate, cui nullus alius status potest adæquari. Deinde probatur ex operum excellentia, ad quæ ex vi illius status perpetuò obligantur, & consecrantur prælati. Nam talia opera sine magna perfectione pro dignitate exerceri non possunt; & ex natura sua perfectiora sunt, & magis ardua, quàm ea, ad quæ religiosi ex vi sui status consecrantur; ergo status Episcopi excedit absolutè totum ordinem status religiosi. Consequentia est clara, quia status perfectionis, quasi specificatur ab actibus, ad quos principaliter ordinatur. Vnde ex habitudine ad perfectiores actus, status iudicandus est perfectior; præsertim, si modus habitudinis sit etiam perfectior, vt est in Episcopo; quia est in illo, vt in perfecto, & perfectore, & non vt in perficiendo.

3. Propositio autem assumpta ex muneribus Episcoporum stabilitur: nam in primis habent omnes excellentias, quas habent inferiores Prælati; & deinde habent illas vniuersaliori, & altiori modo; & præterea habent alias omnino proprias, & valde perfectas; quæ omnia breuiter declarantur. Nam in primis habet Episcopus commune cum aliis inferioribus docere, prædicare, & illuminare alios verbo: imò hoc munus quasi per antonomasiam solet tribui Episcopis; quia & maiori authoritate illis conuenit, & ipsos etiam inferiores pastores sibi subordinatos illuminare debent, docere, & dirigere. Propter quod Concil. Trid. sess. 25. c. 11. de Reformat. dicit; *Prædicare esse proprium Episcoporum munus*, iuxta præceptum Christi datum Apostolis Marci vlt. *Prædicate Euangelium*: nam in eo munere Episcopi Apostolis succedunt. Et in Pontificali Romano, sub titulo de Consecratione Episcopi, inter munera Episcopi ponitur *interpretari*, vtique Scripturam, *quando verbum Dei fidelibus proponit*, seu prædicat, hoc enim multo magis ad Episcopale munus pertinet, quàm ad inferiores ministros. Vnde in septima Synodo post actionem septimam c. 2. dicitur: *Substantia summi sacerdotum nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est, vera Scripturarum diuinarum disciplina.* Et refertur in c. *omnes*, 38. d. Et Origen. homil. 6. in Leuiticum. *Hæc duo*, inquit, *sunt Pontificis opera, vt à Deo discat legendo diuinas Scripturas, & sæpiùs meditando, vt populum doceat.*

4. Secundò pertinet maximè ad Episcopum omnes exemplo illuminare; quia *non potest abscondi ciuitas supra montem posita*; & quia *bonus pastor ante oues vadit, & oues illum sequuntur.* Vnde Conc. Tolet. XI. cap. 2. *Quantum quis*, inquit, *præcelsi culminis obtinet locum, tanto necesse est præcedat cæteros gratia meritorum, vt in eo, quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens semper in ore gladium veritatis, & in opere efficientiam luminis.* Quæ verba pio, & erudito scholio illustrat ibi insignis eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus D. Garcia à Loaysa; in quo ex Scripturis, & Patribus multa ad hoc confirmandum congerit. Tertio desideratur maximè in Episcopo charitas tum in Deum, qui est principalis ouium Dominus, vt significauit Christus Ioan. 21. cùm ter interrogauit Petrum, an se diligeret, priusquam illi oues suas commendaret: tum in subditos, quos & tolerare, & benignè suscipere, ac patienter ferre; eorumque necessitatibus subuenire, & inseruire debet, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 9. *Omnium me seruum feci, vt plures lucri facerem.* Et infra, *Factus sum infirmus infirmis, vt infirmos lucri facerem; omnibus omnia factus, vt omnes facerem saluos.* Ac denique peculiari modo ex vi sui muneris tenetur ita diligere oues, vt animam pro eis ponat, si oportuerit, vt Ioan. 10. Christus docuit. Vnde necessaria illi maximè est patientia, quæ opus perfectum habet; quia non tantum misericordiam, sed iustitiam etiam, & interdum fortiter, & seuerè seruare oportet: vnde necesse est, vt ab improbis multa patiatur. Propter has ergo, & similes causas, thronus Episcopalis, locus maximæ perfectionis est.

Plures verò difficultates circa hanc comparationem occurrunt. 5. *Prima contra præcedentem ultimam obiectio.* Prima est, quia licitum, imò, & consultius est id appetere, & procurare, quod perfectius est; & consequenter etiam licet illud vouere: sed appetere Episcopatum, vel non est bonum; vel certè non est consulendum, & ideo non est conueniens materia voti, quod esse potest de quolibet meliori bono; ergo non est Episcopatus status maximè perfectus, nec statui religioso præferendus, cum religiosum statum & consulere, & appetere, & vouere optimum sit. Et confirmari hoc potest, quia votum non ingrediendi religionem, per se est nullum, tanquam repugnans maiori bono; votum autem non acceptandi Episcopatum, per se bonum est, & validum: ergo signum est meliorem esse statum religiosum, quam Episcopalem. *Votum non ingrediendi religionem, per se est nullum.*

Secundo obiicitur, quia saltem latitudine religiosi status datur aliquis perfectior statu Episcoporum. Nam in primis in omni statu religioso completo, & proprio emittuntur tria substantialia vota de tribus præcipuis consiliis, quæ Episcopi ex vi sui status præcisè spectati, non emittunt. Et præterea religiosi multa opera obseruantiæ regularis profitentur. Et vltra hæc omnia, nonnulli ex vi sui instituti, & status incumbunt illis operibus, quæ in Episcopo summæ perfectionis esse videntur; vt sunt meditatio, & contemplatio rerum diuinarum: prædicatio verbi Dei; & pro animarum salute, cura, & solicitudo, ex voto, & obedientia suscepta, non solùm cum magnis, & arduis laboribus; sed etiam vitam multis periculis pro Christi ouibus exponendo: ergo talis religiosus status totam perfectionem Episcopalis status complectitur, & addit religiosæ vitæ perfectionem, & abnegationem temporalium rerum, & bonorum, quam status Episcopalis per se non includit: ergo superat illum instar totius, quod parte maius est. Et confirmari hoc potest saltem de prælatis religiosis: nam illi cum religioso statu coniungunt Episcopalem, quantum ad munus spectat, absque consecratione, quæ ad statum perfectionis parum addere videtur; ergo pensatis omnibus sunt in statu perfectiori, quàm seculares Episcopi. Quod argumentum magis vrget in Prælatis perpetuis, & præsertim, si principalem, vel supremum locum habeant, vt Generales, vel etiam Prouinciales. 6. *Secunda obiectio.* *Confirmatur.*

Tertio obiicitur, quia si status Episcopalis esset religioso perfectior, qui haberet votum religionis impleret illud, acceptando Episcopatum, quia votum satis implet, qui in melius illud commutat, iuxta cap. *pernenit.* de iur. iurand. Consequens autem est contra caput *per tuas.* de voto: vbi habenti votum Religionis, qui illud non impleuerat, & Episcopatum acceperat, consulit Pontifex, *vt si conscientiam suam sanare desiderat, Episcopatum relinquat, & votum suum impleat.* Ergo signum est, censuisse Pontificē statum religionis 7. *Tertia obiectio.*

gionis non esse perfectiorem. Probatur consequentia simul cum maiori; quia, qui vouit ingredi religionem laxiorem, satis implet votum, ingrediendo strictiorem; ergo, qui vouit statum interiorem perfectionis, etiam adimplebit votum assumendo perfectiorem: ergo è contrario si votum religionis non impletur per Episcopatus professionem, signum est, statum Episcopi non esse perfectiorem. Et confirmatur, quia si status Episcopi est perfectior, non erit licitum illo relicto descendere ad statum religiosum, etiam de licentia Papæ: nec Papa poterit licitè dare talem licentiam, sine alia extrinseca causa, vel necessitate, quia si Episcopatus est perfectior status, ex solo intuitu perfectionis religiosæ, non potest iusta causa talis mutationis oriri: dispensatio autem sine iusta causa concessa, non est licita; consequens autem est falsum, & contra vsum Ecclesiæ, imò contra commune prudentum consilium, qui non tantùm putant huiusmodi transitum posse licitè fieri de licentia Papæ, sed etiam, vt melius consulunt, etiamsi nulla alia causa intercedat, præter desiderium propriæ perfectionis, dummodo Ecclesiæ vocanti per huiusmodi transitū possit æquè bene prouideri.

8. *Enervatur prima obiectio. Episcopatum appetere per se non cadit sub consilium.* Circa primam obiectionem occurrebat disputatio, an appetere Episcopatum, vel illum procurare, licitum sit? Sed illum in opus de ordine omittimus; quoniam ad difficultatem in illo argumento tactam, satis est supponere, appetere Episcopatum non esse ex melioribus bonis, nec per se cadere sub consilium; sed ad summum in casu necessitatis, in quo etiam matrimonium consuli potest. Verumtamen ad vim argumenti eneruandam, in primis obiicimus, quòd, si esset argumentum validum, non solum probaret comparatiuè statum Episcopalem non esse statum perfectiorem, sed etiam absolute, non esse statum perfectionis. Quia omnis status perfectionis videtur esse ex melioribus bonis, & ideo ex se materiam esse consilii, & appetitus honestissimi, & voti, quod de meliori bono esse debet.

9. *Tres differentiæ inter statum religiosum & Episcopalem numerantur. Prima. Secunda,* Vtergo difficultati satisfaciamus, oportet aduertere, quod supra traditum est, status Episcopi, & religiosi esse diuersarum rationum. Nam religiosus status per se est perfectionis acquirendæ, & communicandæ; quamuis consequenter sit etiam status augendæ perfectionis in seipso; quia hoc augmentum ex vsu perfectorum operum sequitur. Et hinc oritur alia differentia inter hos duos status, quod Episcopalis supponit perfectionem in eo, qui ad illum assumitur, religiosus autem minimè. Vnde Concil. Trid. Sess. 6. cap. 1. de Reform. statuit: *vt ad Ecclesiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita atque omnis ætas à puerilibus exordiis vsque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundum venerabiles Patrum sanctiones assumantur.* Quæ ferè verba ex Zosimo Papa epist. 1. in principio, & Hormisda. epist. 3. cap. 1. & Cœlestin. epist. 2. cap. 1. & aliis decretis, quæ à Gratiano dist. 61. referuntur, sumpta sunt. At verò è contrario ad statum religiosum imperfecti, & peccatores nuper ad Deum conuersi recipiuntur, quia, vt perficiantur, assumuntur.

10. *Tertia differentia,* Tertia differentia est, quod status religiosus per se requirit ablationem impedimentorum perfectionis acquirendæ; & ideo per vota consiliorum perfectionis constituitur: status autem Episcopalis ex se *Quarta differentia.* hæc non requirit. Vnde potest quarta differentia assignari, quod Episcopalis status magnam dignitatem includit, ad quam per se consequitur magnus honor, superior potestas, & minor subiectio, & abundantia diuitiarum, seu rerum temporalium. Vnde fit, vt magnam perfectionem requirat talis status in eo, qui ad illum ascendit, vt nō solum his rebus non impediatur, sed etiam illis omnibus ad excellentiora virtutum opera præstanda vtatur: status autē religiosus è contrario requirit paupertatem, subiectionem, & abnegationem temporalium bonorum.

11. *Prima responsio ad primam obiectionem.* Hinc ergo ad primam obiectionem respondemus primò, quod licet status Episcopalis sit perfectior cæteris, nihilominus propter illa, quæ habet adiuncta, est in illius appetitu periculum præsumptionis, vel ambitionis, vel auaritiæ, aut cupiditatis diuitiarum; & ideo appetitum eiusmodi moraliter, ac per se loquendo non esse laudabilem, vel consulendum; & ob eandem rationem non est materia voti; quia licet Episcopatus secundum se magnum bonum sit, *Status Episcopalis non est materia voti propter adiuncta pericula.* appetere tamen, vel procurare illum, non est ex melioribus bonis propter pericula: non potest autem vouerī, nisi quod potest tanquam melius desiderari. Secus verò est in statu religioso, nam licet sit minus perfectus, simpliciter est melius bonum, quàm omne aliud illi incompossibile; & aliunde non habet de se illa pericula; imò aufert impedimenta perfectionis, & incentiua illorum vitiorum, quæ perfectionem impediunt; & ideo & appeti, & vouerī, & consuli potest.

12. *Secunda eiusdem obiectionis responsio. Status religiosus nobilitate cedit, melior tamen est statu Episcoporum.* Secundo dicimus, quod licet status Episcopi in se sit altior, & perfectior tanquam obligans ad perfectiora opera; & requirens in persona plures, & maiores virtutes: nihilominus status religiosus est vtilior, & aptior ad perfectionem acquirendam, conseruandam, & augendam, moraliter loquendo, omnibusque pensatis. Et ideo magis potest procurari status religionis, quàm Episcopalis, & aptior est materia voti. Nihilominus tamen non est per se, & intrinsecè malum vouere acceptare Episcopatum, si ab illis temporalibus commodis præscindatur; multo magis, si contrariis incommodis coniunctum sit, vt erat in primitiua Ecclesia; & nunc in Iaponia, China, & aliis similibus locis esse potest. Loquor de voto acceptandi, quia tunc iudicium de dignitate personæ superiori relinquitur; & ita tollitur periculum præsumptionis: alia vero pericula ex dicta conditione Episcopatus, ablata supponuntur. Vnde procurare Episcopatum, etiam dictis conditionibus suppositis, vix probari potest, ne dum consuli, vel vouerī, quia tale desiderium supponit iudicium de propria sufficientia, & dignitate, quæ existimatio de seipsa periculosa est. Nihilominus tamen in casu *Acceptare Episcopatum, aliquando potest esse meritorium.* aliquo potest hoc honestari, vt si magna sit necessitas Ecclesiæ, & tanta incommoditas Episcopatus, vel ob aëris inclementiam, vel ob alia pericula mortis, vel ob regionis distantiam, vt vix inueniretur aliquis ad tale ministerium aptus, qui Episcopatum acceptare vellet. Tunc enim se offerre, opus esse posset perfectionis, & materia voti; sed de hoc latiùs in materia de Ordine.

13. *Respondetur ad confirmationem primam obiectionis.* Ad confirmationem illius primi argumenti ex dictis facile respondetur, concedendo antecedens, nimirum, votum non ingrediendi religionem, regulariter, ac per se loquendo, esse inualidum: votum autem non acceptandi Episcopatum, per se validum esse, si debito modo fiat, vt recte docet D. Thomas 2.2.q.186.a.2.ad 3. Negatur autem consequentia, nimirum, minus perfectū esse Episcopalem statum; solùm enim sequitur esse minus securum, aut pluribus periculis expositum. Vnde, qui vouet non acceptare Episcopatum, semper habet subiunctam conditionem, nisi præcipiatur ab habente potestatem, & ideo solùm vouet non procurare illū, nec propria sponte, & quasi nixus suo iudicio de propria sufficiētia, illud accipere: nec propter temporalia cōmoda, sed propter solam obedientiam, vel necessitatem charitatis illud susc ipere. Et ita per huiusmodi votum non fit

gitur

gitur Episcopatus, vt status minùs perfectus, sed fugitur modus minùs perfectus ascendendi ad illum. Et ita quoad hoc, tale votum est de meliori bono, & non claudit ianuam maiori bono; quia semper patebit ingressus ad Episcopatum, si superior præcipiat. In statu autem religionis cessant hæ rationes, vel pericula, & non solùm status ipse perfectionis est, sed etiam modus obtinendi illum, ipsum appetendo, petendo, & procurando, est optimus: ideoque tam votum non assumendi, quàm non petendi, aut procurandi illum, per se illicitum, & inualidum est, nisi in aliquo casu ex circunstantiis personæ, & aliarum rerum, propter vitandum aliquem excessum, aut imprudentem modum procurandi talem statum, votum honestetur.

14. *Responsio ad quæstionem obiectionem.* Secunda obiectio est specialis de aliquib. statibus religiosis, & ideo exacta illius declaratio, ex inferiùs tractandis pender. Nunc ergo breuiter respondetur, negando consequentiam; quia licet status religiosus interdũ exerceat actiones pertinentes ad statum perfectionis communicandæ, seu exercendæ circa alios, solùm ministerialiter, & per quãdam delegationem à supremis prælatis illam participant; & ideo talis status non attingit excellentiam status Episcopalis, ad quem illæ actiones principaliter, & quasi proprio iure spectant. Vnde obligatio exercẽditales actiones, & procurandi salutem animarum, & perdendi pro illis animam, si oportuerit, longè maior, & altior est in Episcopo, quàm in quocunque simplici religioso, cuiuscunque sit instituti. Et ideo etiam ex ea parte status eius perfectior est. Præterea ipsi Episcopi iure suo, & seclusis priuilegiis sunt pastores, & perfectores ipsorum religiosorum, cuiuscunque ordinis sint; & ideo ex vi muneris maior perfectio in Episcopo desideratur. Denique multæ grauissimæ, & perfectissimæ actiones pertinentes ad perficiendos alios, sunt propriæ Episcoporum, vel ratione consecrationis, vel ratione iurisdictionis: vt fideles confirmare, sacerdotes consecrare, in veritatibus fidei definiendis habere suffragium, & ad vniuersale regimen Ecclesiæ, quando oportuerit, vocari per eum, ad quem pertinet Concilia congregare, quæ omnia, & similia totum ordinem status religiosi excedunt.

15. *Confirmatur ex dictis de actione religionis.* Vnde ad confirmationem concedimus, Prælatos religiosorum, ratione muneris habere peculiare perfectionis munus. Quod si temporale sit, magis nomen officii, quàm status meretur; si verò sit perpetuum, potest fortasse speciali ratione stat⁹ perfectionis vocari, & ad statum perficientium pertinere, iuxta ea dicta in præcedenti capite. Nihilominus tamen respondetur, illos prælatos simpliciter esse inferiores Episcopis in perfectionis statu; quia illa veluti duplex ratio status perfectionis, quæ in talibus prælatis religiosis considerari potest, in statu Episcopali vniuersaliori, altioríque modo continetur, vt patebit facilè considerando, & applicando ea, quæ in principio huius responsionis, & in probationibus assertionis dicta sunt. Tertia obiectio postulat grauem quæstionem, in sequenti capite tractandam.

*Tertia obiectionis solutio cum sequenti cap. connexio.*

## CAPVT XIX.

### *An status Episcopalis adeò perfectus sit, vt in eo votum religionis impleatur. & exponitur cap.* Per tuas. *de voto.*

16. TErtia obiectio in præcedenti capite proposita nonnullas petit difficultates, quarum resolutio ad præcedentis resolutionis exactam notitiam, necessaria est. Est autem præcipuum dubium, an ille, qui vouit ingredi religionem, & ante votum expletum ad Episcopatum vocatur, possit licitè, & sine transgressione voti Episcopatum accipere, quasi votum in melius commutando, vel per fortius vinculum illud extinguendo; ita vt consequenter ad votum implendum non ampliùs teneatur. videtur enim hoc sequi ex resolutione data, quòd status Episcopalis est perfectior religioso. Et tamen oppositum in illo textu definiti videtur Primus modus respondendi est, non frangi votum illud acceptando Episcopatum, sed extingui, & consequenter nihil in eo peccari; nec relinqui obligationem postea renunciandi Episcopatui, & implendi votum, per se loquendo. Ita sentiunt Abbas, Antonin. & Henric. in d. cap. *per tuas*. vbi etiam non repugnant Hostiens. & Ioan. Andr. & sequitur Henriq. lib. 10. de sacramento Ordin. cap. 32. in fine. licèt addat, *contrarium esse tutius, & communiter receptum, & ideo in praxi seruandum.* Constantiùs id tradit vterque Emanuel, Sá, verbo Episcopus. num. 2. & Rodriguez in Sum. tom. 2. cap. 6. num. 6. referens, hoc fuisse iudicium plurium Doctorum in Salmaticensi Academia, additque D. Thomam, & Caiet. sed immeritò.

*Prima sententia affirmans votum ingrediendi religionem non frangi per acceptationem Episcopatus.*

17. *Fundamẽtum est quod votum non frangitur quando in melius mutatur.* Fundamentum huius sententiæ est, argumentum secundum superiùs factum, quòd in eo casu non frangitur votum, sed in melius commutatur, & consequenter melius impletur, iuxta cap. *Scripturæ*. de voto. cap. *peruenit*. de iureiurando. Et confirmatur, quia vinculum maius extinguit minus, vt vinculum carnalis matrimonii soluit vinculum voti simplicis religionis; ergo multo magis soluet illud vinculum spiritualis matrimonii; cum hoc tamen discrimine, quòd illa prior solutio fit cũ peccato, hæc verò posterior sine peccato fit; quia cum maioti vinculo maior etiam perfectio coniungitur. Et simili modo votum solenne in religione laxiori extinguit vinculum simplicis vоti præcedentis ingrediendi religionem strictiorem, iuxta cap. penultim. de Regular. in 6. Ergo multo magis in præsenti. Tandem confirmatur, quia religiosus professus licitè transit ad Episcopatum, vt patet cap. vnico 18. q. 1. & est per se notum; ergo à fortiori nondum professus, & habens simplex votum religionis licite transit immediatè ad Episcopatum; quia minus ligatus est vinculo religionis, quàm professus religiosus.

*Confirmatur primò.*

*Confirmatur secundò.*

18. *Secunda & verissima sententia affirmat, eum qui vouit religionem peccare accedendo Episcopatui, & teneri dimittere.* Secunda sententia, quam verissimam censeo, affirmat in primis, votum religionis, quod præcessit Episcopatus acceptationem, non extingui, nec impleri per ascensum ad Episcopatum. Et consequenter affirmat, peccare illum, qui habens votum religionis ante illud impletum statum Episcopatus assumit sua voluntate; & sine speciali dispensatione. Vnde affirmat tertiò, eum, qui sic accepit Episcopatũ cum voto religionis nondum impleto, teneri ad renunciandum Episcopatui, vt votum religionis impleat; quanuis illo impleto possit iterum acceptare Episcopatum, si ad illum eligatur. Hanc sententiam insinuauit satis D. Thomas 2. 2. q. 189. a. 3. ad 1. vt infrà expendemus; & ita intelligit, & sequitur ibi Caietanus. Et idem tenent ex Theologis Richar. in 4. dist. 38. a. 5. q. 1. ad 3. & Maior q. 6. & Abulens. q. 94. in c. 30. Numer. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 16. q. 2. & ca. 22. q. vlt. & optime Sanch. lib. 4. in Decalog. cap. 17. Ex Canonistis etiam Abbas Antiquus, & Cardinalis ibi. & magis inclinat Ioan. Andr. & Hostiens. & hic clariùs in summa titulo de Voto. § *Et vtrum à voto*. num. 14. Ex Summistis Sylvest. Verbo *Votum*. 3. q. 9. & Verb. *Religio* 2. q. 20. Angel. *Votum*. 2. q. 12. *Votum*. 3. q. 15. Corduba in summa Hispana. q. 153. Nouissimè Miranda in Manual. Prælat. regul. tom. 1. quæ. 20. art. 9. & alij, quos prædicti referunt.

19. *Probatur.* Probatur primò ex dicto cap. *per tuas*, cuius decisio satis clara, & expressa videtur, licet per varios

primò ex cap. per tuas. Reiicitur primus illius cap. sensus.

intellectus ab authoribus contrariæ sententiæ eludatur. Vnus est, ibi Pontificem solùm consulere, quod esset melius, non verò quod fuisset necessarium. Ità indicat Cardinalis ibi, & sequuntur Henriquez, & Emanuel, suprà. Fundantur, quia Innocentius III. dicit: *Nos autem tuæ discretioni consulimus.* Sed repugnant huic expositioni sequentia verba: vt *si tuam sanare desideras conscientiam.* Ergo supponit Pontifex illum Episcopum habuisse conscientiam læsam, & consulit remedium necessarium ad illam sanandam. Non ergo vtitur verbo *consulendi* eo modo, quo consilium à præcepto distinguitur, sed eo modo, quo vocamus consilia illa responsa, quæ interrogantibus de obligatione in conscientia, dare solemus. In qua significatione etiam consilium distinguitur à præcepto; non tamen, quia non sit de re, quæ sit sub præcepto; sed quia obligatio nō imponitur à consulente, sed tantum declaratur. Vnde Pontifex, quia in eo responso non se habebat, vt præcipiens, sed vt docens obligationem, quæ in conscientia inerat, vtitur verbo consulendi.

Consulens non imponit obligationem, sed declarat.

5. Probatur ex D. Thom. sensus illius cap. per tuas.

Et ita intellexit illum textum D. Thomas in d. solut. ad 1. In qua prius tractat decisionem Alexandri Papæ in cap. *consulendus.* 17. q. 2. Nam interrogatus de presbytero beneficiato, qui in infirmitate constitutus religionem promiserat, & postea non impleuerat. Respondet Pontifex, non esse priuandum beneficio. Exponitque D. Thomas, id intelligendum esse in foro exteriori Ecclesiæ: nam cum ille presbyter votum tantum simplex fecisset, non poterat ad relinquendum beneficium de iure compelli. Et adiungit sanctus Doctor: *Tamen in foro conscientiæ fuisse illi consulendum, quod omnibus dimissis, religionem intraret.* In quibus verbis euidenter vtitur verbo *consulendi*, in significatione à nobis declarata: nam ille presbyter sine dubio tenebatur rigoroso præcepto diuino ad votum implendum. Et statim veluti à simili confirmat D. Thomas dictum suum ex d. cap. *per tuas.* & in eodem sensu illud exponit, dicens: *Consulitur Episcopo Caropolitano, qui post votum religionis Episcopatum assumpserat voto non impleto, vt si suam saluare conscientiam desideraret, regimen Ecclesiæ resignaret, & redderet Altissimo vota sua*; ita legit D. Thomas textum illum Et in eius verbis pondero verbum *consulitur:* nam in eadem significatione illo vtitur, in qua parum antea illo vsus fuerat. Pondero etiam verbum *saluandi conscientiam*, quo explicatur consilium de re necessaria ad salutem. Denique pondero in textu, & in sancto Doctore illa verba vltima, *& redderet Altissimo vota sua*: Nam si Episcopus ille non peccasset, sed implesuisset votum assumendo Episcopatum, & in melius votum commutando, iam non haberet votum, quod Deo redderet; quia iam altiori modo illud impleuerat: ergo cùm Pontifex consulat illi, vt reddat votum, supponit illum adhuc fuisse obligatum: & cum reddere votum, non sit opus consilii, sed præcepti, consilium Pontificis non fuit de opere consilii, sed de re necessaria ad salutem.

6. Reiicitur secundus aliquorum sensus ad caput illud per tuas.

Secundo respondent aliqui, in illo casu fuisse aliquid speciale, quia ille Episcopus non vnum tantùm, sed duo vota emiserat; vnum religionis; quod ibi dicitur, *solenniter emissum*: non quia fuerit solenne propriè, cum tantùm fuerit promissio de futuro; sed quia coram testibus, & cùm alia externa solemnitate forte factum fuerat. Aliud votum fuit de implendo priori voto post duos menses à reditu ab Apostolica sede, quod votum vocatur in textu *Promissio facta in manibus Prælati eiusdem Ecclesiæ.* Vnde inferunt aliqui per hanc promissionem fuisse speciale ius acquisitum eidem Ecclesiæ. Ideoque licet ille Episcopus recipiendo Episcopatum ante ingressum religionis non violauerit prius votum, sed illud impleuerit; secundam verò promissionem non impleuisse, & Ecclesiam illam iure acquisito defraudasse: & ideo Pontificem illi dictum consilium dedisse. ità Emanuel suprà, nullum alium authorem huius intellectus referens. Nec ego illum inuenio; nec videtur mihi probabilis. Nam in primis Pontifex in plurali dicit, *redde Altissimo vota*: ergo neutrum erat impletum. Deinde non dicit, vt impleat promissionem homini factam; nec vt reddat ius Ecclesiæ acquisitum, sed solum, vt vota reddat Altissimo. Nullam ergo rationem habuit Innocentius iuris acquisiti Ecclesiæ. Præterea non dicitur promisisse aliquid Prælato, sed in manibus prælati Deo promisisse.

7. Impugnatur vltimus.

Adde, quod nihil noui tunc promisit, neque vlli personæ, nec per secundum votum vllam rem nouam promisit; sed tantum tempus ad prioris voti obligationem implendam determinauit. Ergo, si postea assumendo statum Episcopi primum votum impleuit, nihil de secundo restabat implendum. Nam transgressio facta propter dilationem maiorem, iam transiit, & infecta esse non potest: & ratione illius tantum manet obligatio ad pœnitentiam agendam: tantum ergo potuit obligatio relinqui ad substantiam operis; ergo si hæc impleta est per ascensum ad melius, nihil superest reddendum. Denique licet secunda promissio specialiter facta esset tali Ecclesiæ, & Prælato eius, qui speciale ius acquisiisset exigendi promissum; nihilominus illud ius fuisset extinctum per ascensum ad Episcopatum, si per hunc fuisset votum religionis impletum. Sicut votum simplex ingrediendi certam religionem, etiamsi habeat specialem promissionem humanam eidem religioni factam, extinguitur ingrediendo arctiorem religionem; quod etiam sine peccato fieri potest: nam si post factam professionem in vna religione est licitus transitus ad arctiorem de iure communi, multo magis post simplicem promissionem. Ratio autem est, quia talis promissio semper habet innatam conditionem, vt non impediat maius bonum. Ita ergo si transitus ad Episcopatum est perfectior, quàm ad aliam quamcunque religionem (vt illa sententia supponit) per illum extincta fuisset omnis illa prior obligatio tam voti, quam promissionis factæ prælato, etiamsi vtraque præcessisset, quia eadē ratio militat, eademque conditio in tali voto inclusa fuisset.

*Votum ingrediendi certam religionem etiam cum promissione eidem facta, extinguitur ingrediendi arctiorem.*

8. Tertius ad caput per tuas, intellectus.

Tertio respondent alii, Episcopum illum specialiter peccasse, quia fuit in mora culpabili implendi votum intra tempus per secundam promissionem definitum. Vnde electio de illo facta fuit nulla (vt ait ibi Hostiensis in priori expositione) vel saltem erat irritanda (vt aiunt Antonin. Henric. & alii ibi.) Quia Episcopus eligitur ad sacrorum administrationem, quæ gratiam requirit: & ideo si eligatur existens in peccato mortali, vel nulla, vel cassanda est electio. Addit verò Panormit. hoc procedere, supponendo illum Episcopum peccasse ex ambitione, vel cupiditate honoris, acceptando Episcopatum, vel procurando electionem, & ideo debuisse illi renunciare: nam si bona intentione accepisset, satis illi fuisset pœnitentiam agere de priori mora. Alii verò non inuenientes in illo facto sufficientem causam, quæ ad renunciandum Episcopatui illum Episcopū necessitaret, respondent, vel propter conscientiam erroneam ad id fuisse inductum; quia non poterat aliter illam deponere, vel propter auferendum scandalum, quod aliter vitari non potuisset.

9. Impugnatur.

At hæc omnia, & frustrà, & sine fundamento maiori ex parte sunt excogitata: ideoque vim Pontificis responsi non euacuant; vnum enim tantum ex illo textu euidenter colligitur, nimirum, illum electum grauiter peccasse contra votum per nimiam dilationem, priusquam eligeretur: vt euidenter probant illa

bant illa verba: *Cumque termino ipso transactionon curasset, quod voueras adimplere, tandem existens voti transgressor reus factus fuisti*, &c. Veruntamen inde non colligitur necessariò fuisse in statu lethalis peccati, quando fuit electus, quia poterat iam de peccato doluisse, saltem quando electioni consensit: vel certè post illam, antequam Pontificem consuleret. Imò ipsa consultatio videtur profectò fuisse sufficiens signum pœnitentiæ iam actæ, & desiderii, ac propositi adimplendi quidquid ex vi præteriti voti teneretur. Quo posito nulla erat necessitas renunciandi Episcopatui ad conscientiam sanandam, si iam prius votum per commutationem in melius fuisset impletum. Imò licet demus, illum permansisse in peccato mortali, quod prius commiserat, non tenebatur in conscientia renunciare, sed pœnitentiam agere: nam per illam sufficienter suæ conscientiæ consuluisset Quia falsum omnino est, electionem ad Episcopatum esse nullam propter mortale peccatum electi, imò nec est verum esse irritandam; quia nulla talis pœna inuenitur in iure lata in vniuersum: & quando in aliquo casu lata supponatur, non obligat electum in conscientia ad resignandum, sed per sententiam iudicis priuari poterit. Atque ita in rigore falsa esset conditionalis responsio Pontificis: *Si tuam sanare conscient am desideras, renuncia*, quia posset per solam pœnitentiam sanari sufficienter; & consequenter non haberet vota, quæ Deo redderet: quia renuendo Episcopatum, & facta sufficienti pœnitentia prioris transgressionis, sufficienter vota sua impleuisset.

10. Quod verò addit Panormitanus, impertinens est; tum, quia diuinat, vel temere iudicat, illum Episcopum mala intentione electioni suæ consensisse: cùm nihil de hoc in textu legatur; nec ipse ob hanc causam consuluerit Pontificem, sed propter dubium ex voto excitatum. Nec etiam Pontifex illum arguit de tali culpa, sed de transgressione prioris voti. Tum etiam, quia licet talis intentio præcesserit, mutando illam, & agendo de illa pœnitentiam, adhibitum fuisset remedium, & consequenter non fuisset renunciatio ad sanandam conscientiam necessaria. Neque verisimilius est quod alii addunt de conscientia erronea, quia etiam gratis, & sine fundamento fingitur: nam ex textu solùm colligi potest illum consuluisse Pontificem, narrando simpliciter factum, quia dubitabat, quid ratione voti, & prioris transgressionis eius agere teneretur: non verò insinuatur, ipsum iam credidisse, quod esset ad renunciandum, & votum implendum obligatus. Et præterea licet supponatur hoc credidisse; si in hoc erraret, non debuisset in errore confirmari, sed de veritate doceri; ita enim tollitur conscientia erronea, non errorem fouendo. Nec Pontifex rectè egisset, si fouendo conscientiam erroneam, & quodammodo decipiendo. Nec illa fuisset causa sufficiens ad dandam licentiam renunciandi Episcopatui, cum credibile non sit, conscientiam erroneam non potuisse per declarationem, & approbationem Pontificis auferri. Et eisdem ferè modis improbatur altera fictio scandali; quia & gratis præsumitur, vel asseritur, & ad summũ potest præsumi de priori transgressione, & mora, quod per pœnitentiã auferri potuisset: & vt ex perseuerantia in Episcopatu sine ingressu religionis scandalum non sequeretur, pontificia responsio, & approbatio sufficientissima fuisset.

11. Est igitur illud pontificium responsum simpliciter, & ad litteram (vt sic dicam) secundum planum contextum intelligendum. Et ita ex illo apertè probantur omnia, quę in nostra sententia proposuimus. Nam in primis ex illo habemus, votũ religionis ante Episcopatum factum, nõ impleri per assumptionem ad Episcopatum: nam si votum impleretur, extingueretur eius obligatio, & consequenter etiam in illo Episcopo fuisset extincta, & votum impletum; quia non est minor ratio in illo, quàm in aliis; consequens autem est contra responsum Pontificis, quo declarat, illum mansisse obligatum ad reddendum Domino vota sua. Ergo votum religionis, & eius obligatio, mansit in tali Episcopo. Et hinc infertur, quod secundo loco proposuimus, peccasse illum assumendo Episcopatum ante impletum votum religionis. Quod quidem non affirmatur expresè in illo textu: optimè autem sequitur ex eius decisione: nam si necessarium fuit illi Episcopo resignare regimen Ecclesiæ, & religionẽ ingredi ad sanandam conscientiam; ergo erat læsa, & onerata conscientia ex contrario facto. Item, qui absolutè tenetur implere votum, peccat faciendo aliquid, quo se reddit moraliter impotentem ad votum implendum. Sed, qui assumit Episcopatum, redditur impotens ad ingressum religionis, iuxta cap. *nisi cum pridem*. de renunciat. ergo habens votum religionis, peccat contra votum, acceptando Episcopatum ante votum impletum.

12. Dices; de licentia Pontificis fieri potest liber, & habilis ad proficiendam religionem, & ita non fit simpliciter impotens: nam postea potest petere licentiam à Pontifice, & si dederit, satisfaciet voto; si vero non dederit, excusabitur, quia iam fecit, quod in ipso erat. Respondeo, hoc non obstare, quominus prius graviter peccauerit. quia sumendo Episcopatum, se priuauit absoluta libertate ingrediendi religionem, eamque Pontificis voluntati subiecit, quod fuit contra prioris voti obligationem, quia per illud suam voluntatẽ, & absolutam libertatem obligauerat ingressui religionis. Replicabis, posse huiusmodi Episcopum sine renunciatione Episcopatus assumere habitum, & profiteri religionem, non animo deserendi suam Ecclesiam, sed cum ea contractum vinculum conseruando; hoc enim nec per se impossibile, nec malum est, cum idem simul esse possit religiosus, & Episcopus; nec est iure aliquo prohibitum. Nam in dicto cap. *nisi cum pridem*, solum prohibetur Episcopo renunciatio Episcopatus, vel desertio gregis, vt ad religionem transeat. Quod vero Episcopus non fiat religiosus manens Episcopus, ibi non prohibetur, nec alibi inuenitur prohibitum. *Obiectio, & eius solutio.*

13. Responderi potest in primis hoc esse prohibitum in Concilio Constantinop. prout refert Innoc. III. in cap. *post translationem* de renunc. Nam, qui descendit ab Episcopali dignitate ad monachatum, non potest Episcopus iterum fieri, iuxta illud Concilium. ergo multo minus potest in eodem Episcopatu manere. Citat autem Innocentius decretum illud ex Concilio Constantinopolitano primo: nam dicit esse vnum ex quatuor principalibus, quos Ecclesia vt quatuor Euangelia veneratur; illud vero est Constantinopolitanum I. vt constat ex Gregorio lib. 1. Regis Epist. 24. & cap. *sicut* dist. 25. Nunc autem in actis illius Concilii hoc decretum non inuenitur. Vnde glossa ibi solum allegat cap. *hoc nequaquam*. 7. q. 1. in quo quidem canone dicta prohibitio habetur. Gratianus tamen illũ refert ex Concilio Cõstantinopolitano sub Ioanne Papa VIII. qui plusquam quingentis annis post Synodum primam Constantinopolitanam sedit. Et in tomis Conciliorum nullum extat Concilium Constantinopolitanum sub Ioanne VIII. celebratum, sed sub Adriano II. eius prædecessore celebrata fertur VIII. Synodus generalis, quæ fuit Constantinop. IV. contra Photium eiusdem ciuitatis Patriarcham Schismaticum congregata. Veruntamen etiam in Concilio illo decretum illud nunc non inuenitur. *Quo iure prohibeatur Episcopum fieri religiosum non dimittendo Episcopatum.*

14. At vero in decreto Gregoriano notatur circa illud

caput, inueniri Synodum illam Constantinop. sub Ioanne VIII. in Vaticano Græcè scriptam; ex qua ita ibi decretum Latinè transfertur. *Quamuis hucusque nonnulli Antistites ad monachorum habitum descendentes conati sint in Antistitum fastigio manere, cumq; id facerent, ea res neglecta est: sanctat amen, & Oecumenica hac Synodus hanc quoque negligentiam corrigens, atque inordinatam hanc actionem ad leges, quæ de Ecclesiastico statu sunt, reuocans, statuit, vt si quis Episcopus, siue quis alius Antistitū dignitatem obtinens ad vitam monasticam descendere, & propriæ locum implere voluerit, hic Antistes dignitatem amplius non retineat. Monachorum enim institutæ ad obedientiæ, & disciplinæ rationem pertinent, minimè verò ad magisterii, vel præfecturæ, atque eorum sunt, qui non alios pascere, sed pasci profitentur.* Et postea fertur generale decretum, *vt nullus Antistes ad vitam Monachorum transeat*; & adiicitur pœna: *Vt qui contrarium fecerit, amplius dignitatem non re upe iet.* Circa quod decretum, quoad hanc vltimam partem multa dicit Innoc. III. d. cap. *post translationem.* Et disputant interpretes, in vtroque loco, quæ nostro instituto non deseruiunt. Solum ergo ex priori parte colligi videtur ibi, principaliter vetitum fuisse ne quis Episcopus religionem denuo profiteatur, retinere volens Episcopatum, quem antea habebat. Et ad hoc pondero, tum verba, per quæ consuetudo aliquorum Episcoporum refertur, qui profitentes Monachatum, conabantur in antiquo fastigio manere: tum etiam verba, quibus talis consuetudo prohibetur, scilicet, *Antistitu dignitatem amplius non retineat.* Tum denique rationem prohibitionis ibi reddiram, quæ in conditionibus, quasi oppositis vtriusque status fundatur; quam rationem his verbis Gratianus refert. *Monachorum enim vita subiectionis habet verbum, & discipulatus non docendi, vel præsidendi, vel docendi alios.*

*Episcopus intendens religionem, non renunciato prius Episcopatu, illum amittit.*

15. Quamobrem iura omnia nouiora supponunt non posse Episcopum religionis habitum sumere, & illum profiteri, nisi prius Episcopatui renunciet; quia & prohibitum est, & ex natura rei non decet, & aliquam repugnantiam inuoluit. Primo quidem ratione nouitiatus, quem ante professionem peragere, & in probatione humiliter versati necesse est: hoc autem Episcopum non decet, & cum obligatione residendi repugnat. Dicit tamen Hostiensis ibi, in eo casu posse professionem statim fieri. Quod fortasse secundum ius antiquum, verum erat ex consensu partium: nunc autem ius Concilii Tridentini seruandum est, nec ille casus inuenitur exceptus, etiamsi renunciatio Episcopatus præcedat. Deinde retinere Episcopatum profitendo religionem, quodammodo repugnant: tum ratione traditionis, nam Episcopus seipsum sponsæ suæ tradit; ergo durante illo vinculo, non potest se tradere religioni. Tum etiam ratione obedientiæ; quia irrationabile esset promittere denuo obedientiam ei, cui ratione prioris status, in quo vouens vult permanere, obedire non potest. Tum denique ratione paupertatis, quia per votum paupertatis fit abrenunciatio bonorum omnium, & liberæ administrationis eorum, quod repugnat habenti, & retinenti Episcopatum. Quapropter licet hæc duo vota suo modo manere possint, quoad vinculum in Episcopo, qui ante Episcopatum illa solemniter emiserat, vt postea videbimus, non tamen recte de nouo fiunt ab eo, qui est Episcopus, & Episcopatum retinere vult. His igitur rationibus non potest Episcopus de nouo profiteri religionem, nisi præuia Episcopatus resignatione. Et quia talis resignatio fieri non potest sine licentia Pontificis, ideo, qui statum Episcopalem immediatè accipit, se reddit moraliter inhabilem ad statum religiosum: ideoque si religionis votum prius habebat, mortaliter peccat, acceptando Episcopatum; priusquam votum impleat.

*Ratio, cur non liceat Episcopo profiteri religionem nec dimittendo Episcopatum.*

16. Atque hinc sequitur, quod vltimo loco asseruimus, eum, qui accipit Episcopatum habens votum religionis non impletum, in conscientia teneri renunciare Episcopatui, vt votum religionis impleat. ita definitur in illo textu. Ratio autem est, quia in illo manet integrum votum religionis, vt patet ex prima parte assertionis, qua dictum est, non extingui tale votum per ascensum ad Episcopatum: at votum obligat, quandiu integrum manet, quia hic est veluti formalis effectus eius; ergo obligat ad media necessaria, vt impleatur, seu ad tollenda impedimenta executionis eius. At vero renunciatio Episcopatus in tali persona est medium necessarium ad votum implendum, seu ablatio impedimenti omnino repugnantis, vt ostensum est. Ergo obligat tale votum ad talem renunciationem.

*Ratio cur vouens Religionem teneatur dimittere Episcopatum.*

17. Sed ne videamur sola authoritate illius textus niti, oportet rationem reddere, cur per ascensum ad Episcopatum votum illud non extinguatur. Nec satis est dicere, ideo non extingui, quia non impletur, nec formaliter, vt per se notum est, nec eminenter, vt sic dicam; quia instabitur interrogando, cur non impleatur eminenter, cum status Episcopatus sit perfectior? In qua interrogatione ad difficultatem in secunda obiectione propositam, cuius occasione hæc omnia dicta sunt, reuocamur. Vnde reddendo hanc rationem, simul dictæ obiectioni, & fundamentis prioris sententiæ satisfaciemus.

18. Dico ergo per ascensum ad Episcopatum nō impleri votum religionis etiam eminenter; quia votū religionis impletum aliquid perfectionis addit Episcopali statui, quod status Episcopalis secum non affert; & simul cum illo esse potest, vt patet in Episcopo religioso: nam verus religiosus manet, & ratione illius status ad multa opera consilii, & perfectionis tenetur, ad quæ secularis Episcopus non obligatur. Ad hanc autem specialem perfectionem religiosam susciendam obligat votum religionis; & ideo, qui tale votum emisit, tenetur prius religionem profiteri, quàm Episcopatum accipiat, ne perpetuo illa perfectione careat, cum Episcopatus illam non conferat. Et ob eandem causam, qui ante tale votum impletum Episcopus fit, debet postea cedere, vt religiosus fiat. Nam per hoc, & votum implet, nec fit incapax perfectionis status Episcopalis; quia potest postea ad illum ascendere, si eligatur.

*Probatur idem vltetius.*

*Per ascensum ad Episcopatum non impletur votum religionis.*

19. Sed contra priorem partem instatur, quia vt votum impleatur virtualiter, seu eminenter, per commutationem in rem meliorem, non oportet, vt minor materia in maiori claudatur, sed satis est, vt vel omnibus pensatis, materia, in quam votum commutatur, sit melior, quàm quæ promissa fuerat, vel, vt posterius sit maius vinculum, quàm fuerit prioris voti. Exemplum prioris membri est: si quis votum ieiunii in votum copiosæ eleemosynæ commutet, quæ moraliter Deo gratior censeatur, etiamsi eleemosyna in se, nec formaliter, nec eminenter ieiunium contineat. Alterius autem membri exemplum est suprà positum in eo, qui professionē facit in religione laxiori, cum haberet votum simplex strictioris religionis. Secundò instat Panormitanus contra vltimum dictum; quia licet is, qui renunciat Episcopatui, si fiat religiosus ex obligatione voti, possit eligi iterum in Episcopum, fortassis non eligetur, & ita se exponit periculo carendi statu perfectiori propter minus perfectum: ergo non potest fieri, vt ex voto ad hoc obligetur.

*Prima obiectio in contrarium.*

*Commutatio voti quomodo fiat in meliorem materiam.*

*Secunda obiectio*

20. Ad priorem replicam potest in primis responderi, in votis per se perpetuis non posse fieri commutationem in aliud sub titulo melioris rei, seu maioris

*Prima ad obiectionē responsio.*

tis perfectionis, nisi quando res illæ inter se ita comparantur, vt maior includat minorem. Nam alioqui omnis dispensatio, & commutatio talium votorum Papæ reseruata est, vt docuit D. Thom. d.q.184.a.6. & ibi notat Caietanus, & in sequentibus latiùs dicemus. Et hoc modo limitandum censeo quod Caietanus ait d.q.189.a.5. §. *ad obiectionem*. nimirum, tunc per assumptionem perfectioris status impleri votum de statu minus perfecto, quando sunt eiusdem ordinis, seu generis; & ideo ita se habent, vt in maiori claudatur minus, sicut duæ religiones inter se comparantur. At verò in præsenti religio, & Episcopatus sunt diuersarum rationum, & Episcopatus non includit essentialem perfectionem religionis, vt declaratum est; & ideo non admittitur talis commutatio sine licentia, seu dispensatione Pontificis.

Deinde à priori rationem reddendo, quæ & interrogationi satisfaciat, & resolutionem confirmet, aduertimus ex superius dictis, perfectionem status religiosi & Episcopalis esse diuersarum rationum. Nam, vt Maior suprà dicit, Episcopatus est status perfectionis acquisitæ; religio verò est status perfectionis acquirendæ Caietanus autem vocat statum religiosum *perfectionis propriæ*, id est, ipsius religiosi, Episcopatum autem dicit esse perfectionis alienæ; nam per se primò est ad bonum, & perfectionem aliorum, propriam supponendo. Et hinc est, vt status Episcopalis non sit per se materia voti absoluti, quod Maior vocat *categoricum votum*, quia in ordine ad vouentem, & ad salutem eius, non est per se expetibile, nec melius, vt in priori argumento declaratum est, quod secus est de statu religioso. Et inde à fortiori sequitur, vt votum religionis non sit commutabile in statum Episcopi propria tantum voluntate, & consequenter, & à fortiori fit, vt per assumptionem Episcopatus votũ religionis non impleatur.

Vnde ad aliam replicam Panormitani respondeo, concedendo, facilè fieri posse, vt qui semel Episcopatum resignat, vt religionis votum impleat, iterum non eligatur, & huic periculo se exponere renunciando Episcopatui. Dico tamen hoc nihil obstare, quominus renunciare possit, & debeat; quia hoc nihil obstat maiori perfectioni, & securitati propriæ personæ sic renunciantis Episcopatui, vt religionis statum sumat. Quia in religionis statu faciliùs, & securius poterat propriam perfectionem acquirere, & in dies in illa magis crescere; & quanuis non faciat excellentiora opera Episcopatus, euitabit tamen pericula Episcopatus, & aliis multis operibus sanctis aliorum operum excellentiorum defectum compensare poterit. Et ita omnibus pensatis, si altero statu carendum est, melius illi est ad propriam salutem, Episcopatu, quàm religione carere: ideoque nullum est inconueniens quod illi periculo carendi Episcopatu propter religionem se exponat. Et declaratur à simili; nam qui vouit non ambire, nec procurare Episcopatum, nec ablatum acceptare, nisi ab eo, qui potestatem habet, sub præcepto obligatur, exponitur morali periculo satis euidenti non ascendendi ad Episcopatum: & nihilominus votum illud optimum est, & obligat; ergo propter simile periculum non excusatur quis ab implendo religionis voto, & consequenter, necà renunciando Episcopatui, quando necessarium id est ad implendum votum, cuius obligatione prius tenebatur. Adde, si contingat, istum, qui sic renunciauit, non eligi iterum ex iusta causa, vel saltem sine detrimento talis Ecclesiæ, id non modo non esse incommodum, verum etiam secundum Deum esse optabile, & melius tali personæ; si verò ipsum non eligi, in aliquod incommodum Ecclesiæ cedat, illud ipsi non imputari, qui non sit minus dignum reddit Episcopatu, vel aliorum, ad quos, vel præsentatio pertinet, spectabit tale incommodum Ecclesiæ vitare.

Ex his ergo satis patet responsum ad fundamentum contrariæ sententiæ. Negamus enim, statum Episcopi esse ita meliorem, vt in illud possit votum religionis commutari, seu virtualiter impleri, ratione iam tradita. Nec iura cita obstant: nam cap. *scriptura*, loquitur de commutatione voti temporalis in perpetuum: caput autem *peruenit*, de eo absolutè loquitur, qui promissum in melius commutat. Iam verò ostensum est, quomodo hæc commutatio non sit simpliciter in melius, vel respectu ipsius vouentis, vel respectu diuini obsequii. Ad confirmationem fundatam in maiori vinculo, respondeo in primis non sufficere maius vinculum, nisi etiam intercedat maior perfectio propria ipsius vouentis. Vnde in primo exemplo de matrimonio, non est verum extingui votum religionis per matrimonii vinculum, sed impediri. Vnde si solum intercedat vinculum matrimonii rati, priusquam consummetur, implendum est votum religionis: vt per vinculum professionis solemnis prius vinculum matrimonii rati dissoluatur. Si verò tale matrimonium fuerit consummatum, votum quidem manet, non obligat tamen ad executionem viuente coniuge, quia tale matrimonium dissolui non potest, etiam de licentia Papæ, in quo superat vinculum spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam: obligabit tamen, si coniux moriatur. In alio verò exemplo de professione facta in religione laxiori post votum simplex ingrediendi religionem strictiorem, vinculum professionis maius est; & status per illud assumptus est simpliciter perfectionis acquirendæ: & ideo saltem ex dispositione iuris extinguit prius votum religionis strictioris. An verò hoc sit tantum de iure positiuo, vel etiã ex natura rei, dicetur infrà lib. 4 tractando de voto simplici religionis. Ad secundam confirmationem optimè respondet Maior suprà, negando consequentiam, quia religiosus iam professus, licet fiat Episcopus, manet religiosus 16.q.1.cap.3.18.quæst.cap.vnico. Vnde ita ascendit ad statum perfectiorem, vt inferiori non priuetur. At verò, si ante professionem fiat Episcopus, priuabitur statu religioso, cõtra prius votum, nisi relicto Episcopatu religionem ingrediatur, & votum impleat; ideoque non est similis ratio.

*Soluuntur iura in contrarium allata.*

*Confirmatio fundata in maiori vinculo infirmatur.*

*Matrimonium non extinguit votum religionis, sed impedit.*

*Professio facta in religione laxiori extinguit votum ingrediendi strictiorem, saltem ex iuris dispositione.*

## CAPVT XX.

### *Nonnulla dubia circa capitulum* Pertuas, *explicantur.*

1. *Primum dubium, an Episcopus qui non erat religionem resignare possit Episcopatum sine licentia Pontificis.*

CIrca datam resolutionem nonnulla dubia occurrunt. Primum est, an in eo casu sit necessaria licentia Pontificis ad resignandum Episcopatui: vel ipso iure data censeatur per illum textum? Caietanus hoc posterius opinatur: & illum sequitur Tabiena verb. *Episcopus*. q.7.n.8. Contrarium verò tenet Azor, & Sancius, & mihi videtur probabilius. Est autem in casu illius textus incertum, an ille presbyter fuisset iam Episcopus electus, & confirmatus, & consecratus; vel tantùm electus. Nam ibi solum dicitur, *Vocatus fuisti ad regimen Ecclesiæ Gebennensis*. Potuit autem esse per electionem vocatus, & nondum esse confirmatus. Quòd si ita casum interpretemur, nulla fuit illi necessaria licentia ad relinquendum Ecclesiæ regimen, & consequenter sequitur, Pontificem nullam licentiam illi dedisse, sed tantùm obligationem, quam habebat, declarasse: vel etiam noluisse electionem eius confirmare. Et hunc sensum probabilem reputat Hostiensis, Ioan. Andr. & alii. Quo sensu admisso, manifestum est, nullam licentiam ibi esse datam aliis ad renunciandum Episcopatui in tali casu, si in illo iam confirmati sint.

*Pars negatiua tenenda.*

Veruntamen non est minus probabile, illum fuisse iam Episcopum confirmatum, & forte etiam consecratum; hoc enim indicatur in verbis illis: *Consulimus, vt regimen resignes Ecclesiæ memoratæ.* Nam in rigore indicant habuisse iam susceptum, & pacificum regimen, quod sine confirmatione non accipitur, nec sine consecratione multo tempore retineri solet. Nec oportet id exponere de renunciatione iuris ad regimen acquisitum per electionem, nondum tamen possessum; quia hæc expositio non est sine aliqua verborum improprietate, quæ necessaria non est.

2. *Probatur.* Veruntamen etiam hoc sensu admisso, assero non posse nunc Episcopum confirmatum, qui ante Episcopatum habuit votum religionis, resignare Episcopatui, sine licentia Papæ, vt votum adimpleat. Ratio est, quia non obstante voto, electio, collatio, seu confirmatio Episcopatus fuit valida, & per eam contractum est spirituale vinculum inter Episcopum, & Ecclesiam; quod vinculum ex natura rei, seu iure diuino, vel saltem de iure canonico indissolubile est sine licentia Papæ. iuxta cap. *inter corporalia.* de Translation. Episcop. Vnde ante d. cap. *per tuas*, in simili casu tenebatur quilibet Episcopus ad votum implendum, quantum in ipso esset: & quia non poterat sine licentia Papæ propter superadditum Episcopatum, tenebatur illam petere, vt etiam Caietanus fatetur. At verò ius illud cap. *inter corporalia*, non est derogatum pro illo casu, in quo votum religionis antecedit; nullibi enim talis derogatio inuenitur. Et in d. cap. *per tuas*, licet idem Innocent. III. respondendo illi Episcopo, simul obligationem ipsius illi explicauerit, & licentiam dederit eidem ad exequendam obligationem; non tamen condidit ius generale, quo talem dederit licentiam omnibus Episcopis, qui vel tunc haberent simile votum, vel in posterum habere illud contingeret, vt inconsulto Pontifice possent liberè renunciare ad votum implendum.

3. *Confirmatur triplici ratione cap. per tuas, nullum ius generale condi.* Primò, quia nullum est verbum in textu, quo tale nouum ius conditum, vel talis generalis licentia ipso iure concessa significetur: nec ex licentia vni data in particulari facto, potest inferri, omnibus esse concessam, vt est per se clarum. Quia declaratio obligationis est quid iuris, & ideo est vniuersalis pro omnibus: licentia verò est quid facti, & potest esse conueniens in vno casu, & non in alio. Vnde sumitur secunda ratio, quia licentia illa non est concedenda, nisi causa cognita, & spectata non tantùm obligatione personæ, sed multo magis Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate; ergo non poterat conuenienter, ipso iure generaliter dari. Tertiò, quia alias esset melioris conditionis Episcopus, qui ante acceptum Episcopatum, votum religionis habuit, & acceptando Episcopatum peccauit, quàm qui iam Episcopus tale votum emisit: nam iste non posset implere votum sine licentia, ille vero posset, vel cum licentia, vel sine illa Episcopatui renunciare, quod nec rationabile videtur, nec verisimile.

4. *Secundum dubium, an Episcopus qui post votum susceptum Episcopatum cum licentiam petit, teneatur explicare votum. Sancius existimat non teneri.* Tunc autem succedit aliud dubium, quando Episcopus habens talem obligationem voti religionis ante Episcopatum susceptum, postea licentiam à Pontifice petit ad resignandum Episcopatum, vt possit religionem ingredi, an teneatur votum explicare, vel sufficiat simpliciter licentiam petere, quia cupit religionem ingredi. quod dubium attigit Sancius supra, & breuiter respondet sibi probabilius videri, non esse necessarium explicare votum. Primò, quia non est cogendus peccatum suum explicare: si autem diceret, se habere votum factum ante receptum Episcopatum, consequenter fateretur, cum transgressione voti ad Episcopatum ascendisse. Secundo, quia nunquam promisit se votum manifestaturum. Tertio, quia religiosus, qui votum emisit de materia prælato subiecta, cum petit licentiam faciēdi quod promisit, non est necesse, vt votum aperiat, sed satis est vt simpliciter petat licentiam ieiunandi, vel quid simile, quod si prælatus illam dare noluerit, votum manebit irritum, etiamsi non sit prælato manifestatum, vt dixerat in eodem lib. 4. cap. 25. & nos etiam diximus lib. 6. de voto. cap. 7. Ergo idem cum proportione habebit locum in Episcopo in casu prædicto. Quæ illatio videtur in hoc fundari, quod Papa potest irritare hoc votum; & ad irritationem non est necessaria eiusdem voti manifestatio, quod maiori examinatione indiget.

5. *Votum ingrediendi religionem ante Episcopatum emissum non sit per se irritabile à Papa.* Vt ergo veritatem explicemus, aduertere oportet, hoc votum, de quo tractamus, non esse per se irritabile à summo Pontifice; quia factum est ante subiectionem & obligationem Episcopatus: vnde fuit omnino absolutum, sine inclusa conditione pendente à superioris consensu, vt in simili diximus lib. 6. de voto. cap. 6. in fine. & copiosiùs tractat idem Sancius d. lib. 4. cap. 25. n. 5. & cap. 31. n. 2. & sequentibus. Hinc ergo fit, vt Pontifex non possit tale votum auferre directè, & in se, nisi per dispensationem, & consequenter ex legitima causa. Dico autem, *directè, & in se*; quia indirectè, & ex parte materiæ, poterit impedire voti executionem, quæ solet dici indirecta voti irritatio, vel potius suspensio, vt in dictis locis de voto, notatum est. Hinc ergo fit, prædictam sententiam nō posse procedere de priori modo auferendi votum: tum quia irritabile non est illo modo, vt dixi: tum etiam, quia licet irritari posset, non posset in se, & directè irritari, nisi votum ipsum Pontifici explicaretur: vt in eisdem locis de voto, dixi, & ipse Sancius cum communi sententia consentit. Vnde à fortiori necessarium erit voti narrationem Pontifici facere, vt dispenset: tum, quia non potest Pontifex circa incognitum voluntariè operari: tum etiam, quia non potest aliter procedere cum causæ cognitione: vtrumque autem ad dispensationem necessarium est, scilicet, voluntariè, & ex causa operari; ergo prædicta sententia ad summum procedere potest de indirecta irritatione voti, & in hoc etiam sensu non caret illa sententia difficultate.

6. *An specialis causa requiratur ad dispensandum cum Episcopo in vō ingrediendi religionem ante Episcopatum emissō. Si vinculum contractum inter Episcopum, & Ecclesiam est de iure diuino, non requiritur alia causa præter obligationem Episcopatus.* Prius autem, quàm illam proponam, interrogare oportet, vtrum ad priorem modum auferendi hoc votum ab Episcopo sit necessaria causa specialis? Interrogo autem de speciali causa; quia cum illud votum auferri non possit sine dispensatione, clarum est, esse necessariam causam, etiam ad valorem dispensationis, quia est in voto, & ius diuinum attingit. Dubium ergo est, an causa illa sufficiat, quæ ex ipso vinculo Episcopali resultat, scilicet, vt possit Papa illud votum per dispensationem tollere, solum, quia non vult vinculum contractum inter Episcopum, & Ecclesiam dissoluere. Et quidem si hoc vinculum est perpetuum iure diuino, plane videtur sufficientissima causa ad dispensandum in voto simplici, ne in vinculo alio iuris diuini, quod fortius esse videtur, dissolutio fiat. Nam maior est hæc dispensatio, quàm prior: sufficiens autem causa dandi vnam dispensationem est, vt alia maior dispensatio euitetur. Potestque hoc confirmari: nam si Papa dispenset cum Episcopo non habente votum religionis, vt possit religionem ingredi, nulla alia existente causa ad dispensandum in vinculo Episcopali, præter spiritualem profectum, quem renuncians cupit, & sperat ex religionis statu, talis dispensatio iuxta illam sententiam censetur illicita, imò, & nulla; quia est contra ius diuinum, sine causa sufficiente, cum commune bonum priuato sit præferendum:

dum: ergo licet votum religionis præcesserit, sola ipsius oblitantia non est sufficiens ratio dispensandi in vinculo Episcopali, quia præferretur minus bonum, scilicet, priuatum, maiori bono, scilicet, ipsius Ecclesiæ. Ergo è contrario perpetuitas illius vinculi est sufficiens ratio dispensandi in tali voto.

7. Vinculum inter Episcopum & Ecclesiam ob iuram Ecclesiasticum, ac proinde requirens aliam specialem causam.

At verò supponendo, vt nos credimus, vinculum Episcopale habere indissolubilitatem tantùm de iure Ecclesiastico, non videtur illa sufficiens causa: sed alia maior necessaria erit, nimirum, vt interfit Ecclesiæ, ne tali pastore priuetur, qui est illi tam vtilis, vt sine detrimento Ecclesiæ mutari non possit. Probatur contraria ratione, quia vinculum Episcopi cum Ecclesia sua, tantùm est indissolubile iure Ecclesiastico; ergo dispensatio in illa indissolubilitate tantùm est in iure positiuo humano: at dispensatio in voto religionis est maior, quàm illa; ergo potiùs vitanda est dispensatio in voto, quàm in alio vinculo, si alioqui necessitas Ecclesiæ non intercedat. Et confirmatur, retorquendo contrariam cõfirmationem: nam in illo casu, in quo Episcopus petit licentiam renunciandi, vt ingrediatur religionem, non est ex voto, quia suppono illud non habere, sed ex deuotione, & propter maiorem spiritualem fructum personæ suæ sine detrimento Ecclesiæ; quia potest aliquis æquè dignus, & vtilis prouideri, vt supponimus. In eo (inquam) casu dispensatio, seu licentia data à Papa, in primis valida est, ita vt renunciatio, & professio religionis, & prouisio alterius Episcopi inde subsecutæ, validè fiant, & teneant (quidquid aliqui moderni contradicant,) quia si aliqua dispensatio ibi interuenit, tantùm est in iure humano, & dispensatio in iure humano etiam sine causa data, valida est. Addo verò etiam esse licitam illam licentiam, vel dispensationem; quia fit intuitu maioris boni spiritualis talis personæ, sine detrimento Ecclesiæ, quia facilè poterit prouideri de alio sponso æquè vtili, vt supponitur. ergo nulla ratio malitiæ, vel abusus potestatis ibi interuenit. Ergo à fortiori, quãdo ex parte personæ Episcopi præcedit votum religionis, non potest Papa dispensando, tale votum auferre, nisi aliqua specialis necessitas Ecclesiæ id postulet: & è contrario illa non interueniente, tenebitur Pontifex, si de tali voto illi constet, Episcopo licentiam dare, vt votum impleat.

Licentia concessa Episcopo, vt ex deuotione impleat votum religionis, licet & tenet.

Dispensatio in iure humano etiam sine causa data, est valida.

8. Probatur pars sententiæ, & impugnatur contraria opinio.

Hæc ergo pars videtur mihi probabilior: nam hæ rationes valde efficaces mihi videntur; contrariæ autem, falso nituntur fundamento, scilicet, quòd vinculum Episcopi cum Ecclesia sit iure diuino indissolubile. Absolutè namque non ita est, vt suprà ostendi, & quãuis ex suppositione pacti obligatio illa sit aliquo modo de iure naturali, non tamen est absolute perpetua, sed quasi sub conditione, vtique, nisi ex consensu partium, seu Pontificis tale pactum dissoluatur. Quando autem Pontifex dat licentiam renũciandi, eo ipso pactum dissoluitur, & cessat obligatio; illud autem pactum, & indissolubilitas eius, iure Ecclesiastico introducta est, cui satisfacit Pontifex, quando dat talem licentiam sine Ecclesiæ dãno, vt obligatio priùs Deo facta impleatur. Et hoc videtur mihi optime colligi posse ex dicto cap. *per tuas.* Nam ibi consultus Põtifex facillimo negotio cõcessit licentiam resignandi regimen, vt votum implere-tur; nec est cur præsumamus, id fuisse propter crimen aliquod, vel indignitatem illius Episcopi: tum, quia non est præsumendum malum, nisi probetur: tum etiam, quia si quid peccauerat, ille Episcopus transgrediendo votum, iam vestigia recta quærebat: & ideo ipsemet Pontifex subdit, *quòd si iterum eligeretur, acceptare posset*; iudicabat ergo illum esse dignum, & sufficienté illi regimini. Tamen, quia non iudicauit, illum fuisse necessarium ad tale regimẽ; vel quia credidit potuisse sine detrimento Ecclesiæ profiteri religionem, & iterum eligi, statim licentiam resignandi concessit. Ergo è contrario ad dispensandum in tali voto, credidit esse aliquam specialem causam necessariam.

Ex quo infero à contrario, in tali casu, seu existente tali voto, non posse iuste Pontificem negare licentiam renunciandi Episcopatui, sine speciali causa iusta, quæ vel Ecclesiæ vtilitatem concernat, vel aliàs ad dispẽsandum in voto sufficiat. Probatur, quia Pontifex non potest sine iusta causa dispensare in tali voto, vt ostensum est, nec etiam potest executioni voti impedimentum ponere, sine aliqua ratione, iure, vel vtilitate Ecclesiæ id exigente. Dices: Pontifex, negando licentiam, nec dispensat in voto, nec ponit impedimentum, sed solùm non aufert, quod aliter culpa sua posuit. Non videtur autem obligari Pontifex ad auferendum impedimentum, neque talem personam habilem ad votum implendum reddere. Respondeo, quanuis Pontifex formaliter (vt sic dicam), seu scienter non posuerit impedimentum impletioni illius voti; nihilominus materialiter (vt sic dicam) cooperatum esse illi rei, quæ impedit, ne votum adimpleri possit, vtique talem personam voto adstrictam in Episcopum confirmãdo. Vnde si postea notitiam voti habeat, & possit impedimentum tollere, dando licentiam, vt impleatur, secũdùm rectam rationem non potest talem licentiam sine iusta causa negare: eo vel maxime, quòd ipse est dispẽsator bonorum Dei; & ideo tenetur fideliter, & prudẽter agere, vt ea, quæ Deo sunt promissa, sine diminutione, & sine impedimento reddantur. Non dispẽsaret autẽ prudenter, & fideliter, si nõ tolleret impedimẽtum adimplendi votum; quia iuste potest; ergo tunc etiam debet id facere. Deniq; Papa non potest tunc directe, & per se tale votum irritare, sed ad summum indirecte ex parte materiæ, vt constat; quia est votũ factum ante vinculum Episcopale: at verò talis indirecta irritatio in huiusmodi votis non habet locum, nisi quatenus iuri, vel obsequio superioris, aut Ecclesiæ præiudicant, vt communiter traditur in materia de irritatione votorum; & in locis etatis videri potest. ergo necesse est, vt talis modus irritationis fiat causa cognita, vt possit iudicium de tali præiudicio ferri, sine quo fieri non debet, nec potest.

9. Tenetur Papa concedere licentiam ingrediendi Religionem Episcopo qui ante Episcopatum illam ingredi vouit.

Obiectio in contrarium & illius solutio.

Atque hinc tandem concludo, teneri Episcopum in casu, quem tractamus, cùm petit licentiam renunciandi ad ingrediendam religionem, obligationem, quam ex voto habet, Pontifici proponere, quoniam aliàs, si Pontifex licentiam neget, non manebit in conscientia tutus, & quietus, non implendi votum. Dico autem, *si Pontifex licentiam neget*, quia si cõcedat illam, & ipse illa vtatur, & votum impleat, cessat omne dubium. Vnde si priùs licentiam petat simpliciter sine voti narratione, animo implendi votũ, si concedatur, vel instandi ampliùs, & cum maiori explicatione, si negetur, nihil peccabit, quia potest illo modo suæ famæ cõsulere, tentando, an illud medium sufficiat; nec illa mora, quæ ob eam causam intercedere potest, ad culpã sufficiet, cùm non sit certa, & causam habeat iustam. Solũ ergo dicimus necessarium esse votum manifestare Pontifici, vt possit cũ sufficienti causæ cognitione, vel dispensare in voto, vel licentiam renunciandi negare; ità vt Episcopus in conscientia securus, & quietus perpetuò maneat. Vt hoc suadeam, aduerto differentiam inter votum religionis emissum ab Episcopo, post Episcopatũ adeptum, vel antea: nã votum subsecutum post Episcopatũ in obiecto suo includit conditionẽ, siue explicitã, siue ex vi iuris implicitam, *si Papa licentiam renunciandi dederit*. Votum autẽ antecedens non fuit vllo modo conditionatum, sed omnino absolutũ; postea

10. Conclusio secundi dubii est tenere Episcopũ explicare votum nisi aliter licentiam obtineat.

verò ex accidenti, & ex culpa vouentis, necessitas illius conditionis suborta, & adiuncta est: vt ex dictis satis pater, & ex dicendis amplius patebit.

11. *Votum Episcopi de ingrediendâ religione emissum post Episcopatum non est necessario explicandum cùm petitur licentia.*

Hinc ergo differentia oritur inter illa duo vota; quia in priori voto, cùm petitur licentia à Pontifice, non est necessarium aperire illud votum esse emissum, sed sufficit licentiam petere: nam in illo voto efficaciter procedit æquiparatio cum irritatione indirecta voti à religioso emissi. Et ratio eius est, quia illud votum cùm sit conditionatum, ante conditionem impletam non obligat, nisi ad procurandum, vt impleatur conditio: huic autem obligationi fit satis petendo simpliciter à Pontifice licentiam renunciandi; ergo. Probatur minor, quia votum ex parte materiæ solam illam conditionem includit, *si licentia fuerit concessa*; & sufficiens medium, vt illa impleatur ex parte Episcopi, est petitio eiusdem licentiæ, proponendo causas, quibus iustificari possit, ad quas vel nullo modo pertinet votum post Episcoparum emissum, quia est valde extrinsecum, & potius supponit licentiam posse iuste concedi, quàm conferat ad iustitiam eius. Et licet aliquid forte iuuare possit, vel mouere Pontificem ad dandam licentiam, ipse non tenetur ex ipsa rei natura ad faciendum, quantum potest ad inclinandam Pontificis voluntatem; nec id per votum promisit, vt constat; & de votis religiosorum dici solet, de quibus quoad hoc, est eadem ratio.

12. *An si Episcopus licentia semel negetur, illam iterum teneatur petere.*

Vnde statim dubium suboritur, quod de religiosis etiam tractatur, an in eo casu, si Episcopo licentia semel negetur, illam iterum petere teneatur? Et ratio dubitandi est; quia per negationem talis licentiæ, non extinguitur votum, quia non irritatur directe, & in se, cùm non fuerit notum Papæ, vt supponitur; ergo vinculum eius semper manet, licet eius executio maneat suspensa; ergo obligabit iterum, atque iterum ad petendam licentiam. Et ita videbatur dicendum, iuxta generalem doctrinam de irritatione votorum. Illa tamen supposita, (quia non est huius loci) in particulari considerandum hîc occurrit, talem esse hanc licentiam renunciandi Episcopatui, vt sine iusta causa, licite concedi non possit, vt iura supra citata docent; quia non est mera licentia, sed habet admistam dispensationem, in quo differt à licentia, quam frequentiùs solet religiosus petere, vt aliquod votum impleat, vt ieiunandi, recitandi, eleemosynam faciendi, vel quid simile, quod ex solo arbitrio prælati pendet. Si ergo post semel negatam licentiam, non sit facta mutatio, quæ augeat iustam causam concedendi licentiam, nulla est obligatio iterum petendi illam, quia præsumendum est iuste fuisse negatam. Vnde cùm non sit aucta iustitia causæ, non est, cur iterum licentia petatur: si autem noua causa iustificans licentiam occurrat, & aliunde votum in sua vi permaneat, quia & factum fuit sine temporis determinatione, & in cæteris conditionibus ex parte personæ est capacitas ad implendum illud; tunc obligare poterit votum ad licentiam iterum petendam, siue ab eodem Pontifice, siue à successore; & hoc ratio facta, & generalis doctrina persuadet.

*Non tenetur nisi augeatur causa concedendi licentiam.*

13. *Longè alia ratio est in voto ante Episcopatum emisso, atque adeo explicandum est.*

At verò, quando votum antecedit assumptionem ad Episcopatum, longe alia ratio militat, ob quam votum Pontifici narrandum sit; quia illud votum non fuit conditionatum, sed absolutum, & ideo etiam absolutam obligationem à principio induxit ad religiosum statum sumendum. Ergo, quanuis fuerit ex culpa, vel ex ignorantia personæ impedita eius executio, & facta dependens à licentia Pontificis, vouens tenetur, quantum in se est, facere, vt votum impleat, ac subinde maiorem adhibere diligentiam, quàm si à principio cum illa conditione vouisset: ergo tenetur obligationem suam specialem explicare; in nulla enim alia re potest maiorem diligentiam adhibere. Secundò, & efficacius, quia quando votum præcessit, non potest Pontifex negare licentiam, nisi ex iusta causa specialiter pertinente ad commodum Ecclesiæ, vt explicaui. Non potest autem Pontifex sub hac consideratione licentiam negare, vel concedere, nisi de obligatione voti antecedentis certior sit factus; ergo necessarium est illi votum explicare. Probatur minor, quia cognitio voti præcedentis, multum referre potest ad ferendum prudens iudicium; expediat, nec ne licentiam concedere, vel negare. Quod secus est, quando votum subsequitur, quia tunc liberum est Pontifici negare licentiam sine alia causa speciali, solùm, quia non vult dissoluere vinculum spirituale Episcopi cum Ecclesia, semel rite, & recte contractum. At verò, quando votum præcessit, licet vinculum fuerit ratum, non tamen fuit recte contractum, sed cum læsione voti; & ex ea parte cum Dei iniuria; & ideo cognitio præcedentis voti, multum refert ad ferendum prudens iudicium, an licentia neganda, vel concedenda sit. Est ergo narratio illius facienda Pontifici.

14. *Respondetur ad rationes in contrarium. Ad primam negandum esse inconueniens cogi Episcopum voti transgressionem aperire.*

Nec contra hoc obstant rationes in contrarium factæ. Ad primam enim respondeo, nullum esse inconueniens, quòd Episcopus cogatur voti sui transgressionem aperire, vt remedium suæ cõscientiæ inueniat: sicut in casu cap. 1. *per tuas*, ille Episcopus fecit. Quia vel ex propria culpa, vel ignorantia se in illo statu constituit, quod commune est, & frequens in cæteris delictis, quæ vel reseruationem, vel censuram, vel aliam similem obligationem dependentem à iurisdictione Pontificis annexam habent. Verum est tamen in aliis casibus regulariter non esse necessarium declarare personam, licet narretur delictum, vt dispensatio vel absolutio in foro conscientiæ obtineatur. In præsenti verò non habet locum, quia necesse est explicare locum, seu Ecclesiam, & Episcopatum resignandum: & ita non potest occultari persona; quia renunciatio nõ potest non esse publica, & in exteriori foro, & cum cognitione causæ, quæ ex circumstantiis particularibus personæ, & Ecclesiæ pendet, & ideo necessarium est etiam propriam personam manifestare. Solum ergo tentari prius potest remedium suprà insinuatum petendi prius licentiam simpliciter sine declaratione voti, vt si concedatur licentia, sine declaratione proprii delicti obtineatur. Quòd si hoc remedium non successerit, & licentia negata fuerit, vt illa firma, & rata maneat, & conscientia tuta, necessarium erit, iterum explicato voto licentiam postulare.

15. *Ad secundam quid dicendum.*

Ad secundam respondetur, illam rationem habere locum in voto, quod à principio fuit conditionatum; non tamen in voto, quod à principio fuit absolutum, & vi sua obligat ad omnem diligentiam conuenientem, & moraliter necessariam, vt adimpletio voti iuste negetur, seu impediatur. Ad tertiam similiter respondetur, non rectè fieri æquiparationem cum irritatione votorum à religiosis emissorum: nam illa sunt à principio conditionata, & facta in statu subiectionis; & prælatus potest pro suo arbitrio negare licentiam sine speciali causa iustificante. Nec in religiosis sunt alia vota facta ante statum subiectionis, quæ irritari possint, quia omnia extinguuntur per solemnem professionem. Solùm in votis societatis potest esse aliqua exceptio, de qua in proprio loco infrà dicemus. Et per hanc resolutionem plenè satisfactum est omnibus, quæ in vltima obiectione præcedentis capitis, proposuimus.

*Ad tertiam respondendum, diuersam esse rationem in voto à religiosis emisso.*

* * *

CAPVT

## CAPVT XXI.

### Vtrùm status inferiorum Prælatorum, vel Parochorum sit perfectior religioso statu.

1. Pro affirmativa probatur.

DE hac comparatione dissensio, & contentio est non parua inter authores suprà citatos. Nã Henricus, & Maior, & Gerson, etiam hos inferiores prælatos, vel etiam parochos censent esse in altiori statu perfectionis, quàm religiosos simplices. Fundantur ferè in his, quæ de istorum prælatorum statu in cap. 15. dicta sunt. Nam omnia, quæ probant illos esse in statu perfectionis, consequenter probant esse in perfectiori statu, quàm sint simplices religiosi. quam consequentiam etiam Caietanus probat. Ait enim in 2.2.q.184.art.6.§. *Ad obiectum contra secundam rationem*, &c. *Quòd si essent in statu perfectionis Curati, essent in perfectiori statu, quàm religiosi, quoniam essent in statu perfectionis, vt perfectores.* Vnde in virtute sic argumentatur: Status perfectionis, vt est ad perficiendos alios, quem nos statum perfectionis exercendæ appellamus, est perfectior religioso statu; sed curati sunt in statu perfectionis exercendæ, seu ad perficiendos alios: ergo eorum status est perfectior statu religioso. Confirmatur, ac declaratur, quia pastor animarum, quicumque sit, ex vi sui muneris talis esse debet, vt possit alios purgare, & verbo, & exemplo illuminare. Ité, vt possit apud Deum pro populo intercedere, & venerandũ sacrificium digne pro omnib. offerre. Vnde debet esse sufficiens, non tantùm sibi, sed etiã aliis. Denique, cuiuscumq; pastoris animarũ munus magna indiget virtute, & fortitudine ad difficultates occurrentes sine lapsu superandas; ergo excellentiorem virtutem requirit, quàm status religiosus.

Quantitas syllogismi posse negari.

Responderi autem potest, negando simpliciter consequentiam, quia ex vi præmissarum solùm sequitur statũ inferiorum prælatorum esse excellentiorem in suo genere: vnde non sequitur, esse perfectiorẽ simpliciter, sed solùm secundùm quid. Nã id, quod est sub nobiliori genere, ratione differentiæ potest esse simpliciter minùs perfectum. Et ita status parochi licet participet statũ ex genere suo perfectiorẽ, potest simpliciter esse minus perfectus, quã religiosus status, quia diminute participat excellentiam illius status, & alioqui in multis ab statu religioso exceditur.

2. Pro tuta argumentum.

Sed contra hoc instatur, quia Paulus 1. ad Timot. 3. & ad Titum 1. describens excellentem sanctitatẽ, quam Episcopalis status postulat, sub Episcopo cæteros Ecclesiæ pastores comprehendit: vt communiter interpretes intelligũt: quia Paulus post Episcopos, omissis presbyteris, statim ad Decanos transitũ facit, presbyteros sub Episcopis complectens. Ergo omnes etiam inferiores prælati sunt in statu simpliciter perfectiori, quàm simplices religiosi. Vnde Bernard. serm. de tribus ordinibus, de Prælatis, etiam nõ Episcopis loquens, ait, necessarium esse prælatis perfectam charitatem de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Et adiungit: *Puritatem cordis in eo Prælatus habet, vt prodesse desideret, non præesse: vt scilicet, proprium commodum, vel honorem seculi, seu aliud quippiam suum in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem. Sed cum intentio sit pura, necessaria quoque est irreprehensibilis conuersatio, vt forma factus gregis, incipiat facere, & docere*, &c. Et infrà: *Mihi, & omnibus pariter veritas clamat, quoniam oportet irreprehensibilem esse eum, qui præst.* Et infrà: *Quoniam ea, quæ arguit in discipulis, oportet vitare magistrum; ob hoc qualis est in conuersatione, talis sit necesse est etiam in occulta cogitatione*, &c. In quibus verbis magnam, & excellentem perfectionem Bernardus ab omnibus prælatis requirit; & ad omnes accommodat, quæ Paulus de Episcopis scripta post sese reliquit; sentiens postulari in illis, non tantùm, quia tales prælati, id est Episcopi, sed absolute, quia prælati, & pastores animarum sunt. Vnde August. epist. 148. ad Valer. exaggerans prælationis statum, & pericula eius, & excellentem sanctitatem, quam postulat; non de solo Episcopo, sed etiam de presbytero loquitur, dicens: *Nihil esse in hac vita, & maximè in hoc tempore difficilius, laboriosius, aut per culosius, Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet.*

3. Opposita sententia proponitur.

Confirmatur primò.

Nihilominus contrariam sententiam tenent Caietanus suprà, & communiter Thomistæ; in eamq; magis inclinat D. Thomas 2.2. quæst. 184. art. 6. & 8. Nam licet subobscure, & multis adhibitis distinctionibus loquatur: tandem omnibus pensatis, videtur statum religiosorum præferre. Primò, quia religiosus status est quasi quoddam holocaustum, in quo persona se, suaque omnia, & totam vitam, ac volũtatem suam Deo consecrat: Curatus autem, nec ita perpetuò se obligat; neque se totum, & omnia sua Deo consecrat, sed tantùm limitatam, & inferiorem curam animarum susçipit, pro arbitrio suo illam administraturus, quandiu voluerit.

Secundò.

Secundò, quia religiosus ex vi sui status, profitetur perfectũ viuendi modum; & tendere semper tenetur ad perfectionẽ, exercendo magna charitatis, religionis, & obedientiæ, & aliarum virtutum opera. At verò parochus, etiamsi ex vi muneris, postulet vitam irreprehensibilem, & exemplarem, non tamen excedit communem, & moralem bene viuendi modum, qui in obseruatione præceptorum consistit.

4. Tertiò.

Tertiò, quia in statu ordinario pastoris animarũ difficilius est cauere peccatorum pericula, quàm in religioso, & alioqui opera ipsa bona ex vi talis status exercenda, non sunt nimis grauia, seu difficilia; neque maiorem vitæ partem occupant, & habent adiuncta plura humana commoda, quibus illa difficultas subleuatur: in statu verò religioso multo maior est difficultas, tam in excellentia, & perfectione operum, quàm in illorum continuatione quasi perpetua, sine vsu fere propriæ libertatis, saltem in animi præparatione, quam status obligatio requirit. Quòd si in cauendis peccandi occasionibus maior est in tali statu facilitas, hoc ipsum in eius commendationem redundat; quia securitas boni, & immunitas mali, magna pars est felicitatis; & ideo etiam multùm auget status perfectionem. Quartò denique, quia pastores animarum, vt in statu perfectionis constituantur, statum religiosorum assumunt; Religiosi verò è contrario, vt perfectionem magis profiteantur, pastoralem curam fugiunt: ergo signum est, statum religiosum, pensatis omnibus, perfectiorem esse.

5. Conclusio est statum Religionis absolutè perfectiorẽ esse statu prælationis infra Episcopalem, & æquiualentem illi, quantum secundùm quid sit impe fectior.

In hac comparatione vix potest absoluta resolutio certa ratione definiri; quia videtur hi status mutuò se habere, sicut excedens, & excessum. Nihilominus tamen, omnibus pensatis, posterior sententia præferenda videtur. Dico igitur, statum religionis absolute loquendo, perfectiorem esse statu prælationis intra Episcopalem, vel æquiualentem illi: secundùm quid autem, seu ex quadam hypothesi, seu conditione, quæ moraliter vix adimpletur; statum horum prælatorum vel parochorum posse censeri perfectiorem. Declaratur: nam isti duo status comparari possunt duobus modis, vel in ordine ad nos, vel secundum se. Priori modo, sensus quæstionis erit; quis illorum statuum sit ab homine eligibilior, tanquam aptior, & vtilior ad vitæ puritatem sectandam, & proficiendum in virtute, & obsequio diuino, & tandem vitam æternam consequendã. Et in hoc sensu non est dubium, quin status religio-

*Non est dubium statũ religionis in ordine ad nos esse eligibiliorẽ quàm statũ horum prælatorum.*

religiosus melior, & perfectior, ac vtilior sit. Hæc probant, quæ pro secunda sententia proposuimus. Et declarari possunt; quia status religiosus absolutè sub consilio: non sic autem status habendi animarum curam; licet ex obiecto malum non sit; nihilominus per se non consulitur, & multis circumstantiis indiget, vt honestetur. Vnde status religionis, quo magis voluntarie suscipitur, eo melius, & prudentius fit; cura verò animarum, quo magis coacte, & ex superioris inductione, vel obedientia suscipitur, eo securiùs accipitur. Quod quidem de Episcopatu docent communiter sancti, vt videre licet in Augustino 19. de Ciuitate cap. 19. Gregor. in Pastoral. p. 1. cap. 8. Hieronym. epist. 83. ad Ocean. Chrysostom. in libris de Sacerdot. Cum proportione autem ad cæteros applicari potest, iuxta mentem Pauli suprà explicatam; & ita de omnibus loquitur sanctus Augustinus dict. epist. 148. Quapropter à fortiori potest hæc pars confirmari ex his, quæ de Episcopatu diximus; nimirum, licèt sit perfectior status, nihilominus per se loquendo non esse materiam; nec per illum impleri votum religionis; nec desiderãdum, aut procurandum esse. Ergo multo magis aliæ prælationes inferiores, secundùm hãc rationem, & comparationem cedunt statui religionis. Vnde cũ ius canonicum transitum ad religionem Episcopis prohibeat; inferioribus pastoribus permittit, & consulit, quia meliorem vitam sequi cupiunt, vt ait Concilium Toler. IV. cap. 49 c. *Clerici* quæst. 1. Vnde Greg. lib. 10. epist 39. quosdam monachos non solùm hortatur, vt quendam huiusmodi clericum monasterium ingredi cupientem recipiant; sed etiam ait: *Quibus valetis adhortationibus, pastorali admonitione succendite, vt feruor huius desiderij in eo non tepescat.* Et addit notanda verba: *Vt qui à turbulento curarum secularium tumultu se segregans, quietis desiderij portum monasterium appetit, rursum in Ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari.* Et Gregorium imitatur Anselm. epist. 10. ad Goffridum, vbi censet hos seculares clericos, non minus in procellis, & tẽpestatibus mundi versari, quàm laicos, & ideo non esse à portu religionis abstrahẽdos, si ad illum à Domino vocentur. Ex his autem omnibus solùm concluditur, statum religionis esse statum propriæ perfectionis acquirendæ; quod non habet de se status prælationis, aut curæ animarum. Deinde etiam concluditur, prælationis munus, seu statum minus securum esse; religionis vero esse statum maioris securitatis in ordine ad spiritualem salutem, quod nemo negabit. Denique comparatio hæc in sensu isto est magis practica, & moralis, confert enim ad prudentem electionem inter status Ecclesiasticos faciendam, & moraliter etiam loquendo, magis habet locum in inferioribus prælationibus, & maximè in propria animarum cura; quia ista munera, & faciliùs procurantur, & frequentiùs in humanam electionem veniunt.

*6. Si status Religionis & prælatorum inferiorum cõsiderentur secundum se, perfectior est status prælatorum.*

Posteriori modo, sensus prædictæ comparationis erit, an status Parochorum secundùm se spectatus, maius Dei obsequium contineat, & perfectiora opera ex suo genere requirat, ideoque de se perfectior sit, quàm status religionis. Et in hoc sensu speculatiuè (vt sic rem explicem) concedi potest, statum pastoralem esse perfectiorem simplici statu religioso. Et in hoc sensu procedunt motiua prioris sententiæ. Et fauet D. Thomas, Matth. 5. in vltimis ferè verbis: vbi distinguendo perfectionem vitæ, in perfectionem meriti, vel status; & enumerans plures perfectiones meriti vitæ, vnam dicit esse *perfectionem excellentiæ vitæ*; & addit: *Ad hanc tenentur clerici super laicos.* Ergo inter clericos maximè debent illam profiteri omnes, qui sunt animarum pastores, seu prælati; quos paulo inferiùs dicit habere statum perfectionis, vt suprà notaui. Dixi autem, hunc excessum speculatiue potius considerari, quàm practice inueniri; quia licet verum sit, obligationem illius status magnam requirere perfectionem; & opera eius, si debito modo fiant, quando occasio eorum occurrit; vel in præparatione animi habeantur, quando deest occasio, esse magni meriti apud Deum, & fortasse maioris, quàm sint ordinaria opera simplicis religiosi. Nihilominus practicè loquendo, illa conditio difficillime, raroq; impletur; quia in eo statu, impedimenta perfectionis non sunt ablata, sicut sunt in religioso. Et ideo dixi, hunc excessum esse secundùm quid; quia solùm ex quadam hypothesi, quæ rarò impletur, consideratur.

*7. Status Episcoporum cur simplici ei sit perfectior.*

Quòd si obiicias, idem dici esse de statu Episcopi. Respondeo, ex parte quidem id verum esse; quia tamen status Episcopalis in multitudine, & excellentia operum, & eminentia dignitatis in eo superat, quòd plures occasiones exercendi heroicos virtutum actus, secum affert, & minuit frequentiores peccandi occasiones: ideo status Episcopi simpliciter dicitur perfectior, inferiores verò tantùm secundùm quid, ordinariè, ac regulariter loquendo.

*8. Dignitas sacerdotij magnam sanctitatẽ postulat, quàm status religiosi Laici consurgit.*

Accedit tandem, quòd status religiosus per se non excludit aliqua ex his, quæ in inferioribus prælatis perfectionem requirunt: vt est v.g. sacerdotium. De quo D. Thomas d. art. 8. fatetur, dignitatem sacerdotis esse maiorem, maioremque postulare sanctitatem, quàm statum simplicis religiosi laici, seu conuersi. Hæc verò dignitas de se communis est religiosis: Vnde qui illam habent, ex ea parte æquales sunt secularibus prælatis, à quibus in munere excedũtur. Nihilominus tamen etiam potest status religiosus multum de perfectione illius muneris participare. Nam, quia religiosus status est proficiendi in perfectione charitatis, tam Dei, quàm proximi; ideo de se non sistit in profectu proprio, sed etiam confert virtutem ad perficiendos, & illuminandos alios; & ex vi charitatis opus inclinat. Ergo status religiosus in sua latitudine hoc genus perfectionis amplectitur. Et quanuis Prælati semper in hoc superent, quòd magis ex officio, maiorique obligatione iustitiæ, ad talia opera præstanda teneantur: nihilominus potest hoc in religioso compensari; tum ex obligatione voti paupertatis, aut obedientiæ: tum ex maiori feruore charitatis, & puriori intentione, quam ex vi status habere potest, & debet, nulla temporalia lucra, vel honores per huiusmodi ministeria quærendo. Eritque in religioso statu tanto maior perfectio, ex hoc capite, seu exercitio procurandi proximorum salutem, quanto illud fuerit ex vi professionis talis status magis intentum. Ergo omnibus pensatis, status religiosus ex genere operis perfectior est, quàm quilibet status clericalis infra Episcopatum; quanuis in particulari, imperfectus aliquis status religiosus, vt v.g. militaris, statu parochorum, vel alio simili inferior esse possit.

# INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

*De religiosi status essentia, origine, & votis, ac de aliis, quæ ad illum spectant.*


CAP. I. VTRVM *status religiosus sit status perfectionis acquirendæ: declarantur fines, & media huius status.*

II. *Vtrùm tria consilia, paupertatis, castitatis, obedientiæ, & illa sola sint de substantia religiosi status, vel aliis etiam modis constitui possit.*

III. *Vtrùm voti obligatio perpetua ad statum religiosum necessaria sit, & quotuplex esse debeat.*

IV. *Vtrùm ad status religiosi substantiam præter tria vota essentialia, necessaria sit promissio, vel traditio personæ talem statum assumentis facta alicui homini, vel hominum communitati propter Deum.*

V. *Vtrùm ad constituendum statum religiosum vota debeant esse solemnia.*

VI. *Vtrùm solemnitas substantialis voti religiosi castitatis, in benedictione aliqua, vel consecratione, aut alio externo ritu sit.*

VII. *Vtrùm solemnitas voti castitatis consistat in donatione, seu traditione sui ipsius, quam religiosus Deo & religioni facit.*

VIII. *Superior opinio ex iure impugnatur, & solemnitatem voti castitatis de iure humano esse, ostenditur.*

IX. *Ratione ostenditur traditionem religiosam ex solo iure naturali non irritare subsequens matrimonium.*

X. *De solemnitate voti castitatis, eiusque origine vera sententia.*

XI. *Nonnulla corollaria ex præcedenti resolutione inferuntur, quibus & res ipsa magis exponitur, & aliqua dubia explicantur*

XII. *Qualis sit, & vnde originem habuerit solemnitas voti paupertatis.*

XIII. *Qualis sit, & vnde originem traxerit solemnitas voti obedientiæ, & aliorum, si quæ alia vota solemnia sunt.*

XIV. *Vtrùm solemnitas propria trium votorum essentialium, sit etiam de substantia, & essentia religiosi status.*

XV. *Vtrùm Ecclesiæ approbatio, ad statum verum religionis constituendum necessaria sit.*

XVI. *Dubia quædam expediuntur, quibus doctrina cap. superioris declaratur.*

XVII. *Vtrùm potestas ordinaria approbandi religionem cum plenitudine, & excellentia, in solo Summo Pontifice resideat; & quomodo ab Episcopis participetur.*

XVIII. *Vtrùm potestas iurisdictionis ad statum religiosum, vel in illo simpliciter necessaria sit.*


LIBER

# LIBER SECVNDVS.

## DE RELIGIOSI STATVS ESSENTIA, ORIGINE & votis, quibus constituitur; ac de aliis quæ ad illum spectant.

DIximvs de statu perfectionis, illumque in statum perfectionis exercendæ, vel acquirendæ distinximus: & de statu perfectionis exercendæ, quæ huic operi opportuna visa sunt, sufficienter explicauimus. Superest igitur, vt de altero membro ex professo, & copiosiùs disputemus. Nam, vt in principio dixi, in hoc opere de statu religioso proprio, & perfecto, præcipuè dicere intendimus. Est autem religiosus status idem cum statu perfectionis acquirendæ, vt mox explicabimus. Huius ergo status, quem in Ecclesia esse, tanquam notum supponimus, essentiam, & originem in hoc libro explicare intendimus. Quia verò in vsu vocis huius potest esse quædam analogia, & in re ipsa inuenitur varietas: nam quidam est status religionis proprius, completus, atque perfectus; alii verò esse possunt imperfecti, & secundum quandam participationem: ideo in discursu huius libri vtrumque modum status perfectionis acquirendæ distinguemus, & explicabimus. Et quia talis status per votum aliquod Deo emissum constituitur; ideo simul in hoc libro, de votis, quibus status religiosus integrè, vel imperfectè constituitur, dicendum erit generatim: nam in particulari de singulis postea dicturi sumus.

### CAPVT I.

*Vtrùm status religiosus sit status perfectionis acquirendæ, seu, an hæ duæ voces eandem rem significent; vbi fines, & media huius status declarantur.*

1. *Status religiosus strictè acceptus tria vota requirit, non ita latè sumptus.*

PRincipio supponendum est, iuxta communem Ecclesiæ vsum, statum religiosum, quasi per antonomasiam, & in stricta significatione appellari perfectum Monachorum, seu regularium statum, qui se Deo totaliter consecrant, & tradunt, tria vota de tribus principalibus consiliis, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, emittendo. Nihilominus tamen latiori, seu generaliori quodam significato, status religionis sub se comprehendit alios viuendi modus, in quibus homines voluntariè se offerunt diuino cultui, & obsequio, ad aliquam consiliorum obseruationem se obligando. Et sic comprehendit non tantum proprios, & completos religiosos, sed etiam continentes, qui per solum votum castitatis se Deo specialiter obligant; vel quoscumque alios, qui non integrè, sed ex parte vota religiosorum emittunt. Sic enim iuris Canonici interpretes in rubric. de Regular. docent: nomen *religiosi*, vel regularis, strictè sumptum, significare eum, qui tria substantialia vota in religione approbata professus est, latè verò comprehendere omnes, qui per aliquod votum, & specialem viuendi modum Dei seruitio consecrantur. Et hoc modo Hieronymus in cap. *duo sunt*, 1. 2. quæst. 1. duo genera Christianorum distinguens, in priori ponit *clericos*, & *Deo deuotos*; in posteriori communem laicorum populum: vnde sub priori membro videtur non solum comprehendere propriissimos religiosos; sed omnes etiam illos, qui quolibet speciali vinculo Dei obsequio consecrantur: & consequenter illud prius membrum videtur in duo subdistinguere. Vt quidam dicantur diuino obsequio per ordinationem Ecclesiasticam consecrati, scilicet, Clerici, qui non tam ad propriam perfectionem, quàm ad sacrum ministerium dedicantur; alii verò dicantur diuino obsequio per propriam deuotionem addicti, ac subinde Deo deuoti; vtpote per aliquam promissionem illi oblati, & obligati. Et hi sub ampla significatione nominis religiosi comprehenduntur. Et simili modo dici potest status religiosus latè sumptus abstrahere à completo, vel incompleto statu religionis.

*D. Hieron. duo genera Christianorum distinguit.*

In hac ergo significatione, dicimus statum perfectionis acquirendæ, & statum religionis eundem esse. Quod ita declaratur; quia in fine, & mediis conueniunt, solisque nominibus differunt, quæ à diuersis respectibus eiusdem status desumpta sunt. Finis enim intrinsecus, & omnino proximus status perfectionis, est ipsa perfectio charitatis huius vitæ, per obseruationem non præceptorum tantum, sed etiam consiliorum obtinenda; extrinsecus verò finis est perfectio charitatis patriæ. Eosdem autem fines respicit status religiosus: vt docet D. Thom. quæst. 186. art. 1. ad 3. & 4. & ex dictis in superioribus capitibus manifestum est. Nam cum Christus dixit adolescenti, *Vade, & vende*, &c. Matth. 19. statum religiosum promulgare incepit: vt Patres docent, & infrà videbimus; & tamen finem eius designat, dicens: *Si vis perfectus esse*, &c. ergo propria charitatis perfectio est finis intrinsecus status religiosi. In hoc ergo conuenit, vel potius idem est cum statu perfectionis. Et ita docuit Moyses Abbas apud Cassian. collat. 1. cap. 4. & 5. Basil. serm. 1. & 2. de Institutionibus Monach. qui habentur ante regulas, fusiùs disputat. Chrysost. lib. 3. contra Vituper. vitæ Monast. August. epist. 89. q. 4. & alii passim: sub perfectione autem charitatis non solius Dei, sed etiam proximi amorem comprehendimus; iuxta dicta in superiori libro cap. 4. Et ideo non repugnat statui religioso; imo est illi maximè consentaneum, non tantum ad Dei cultum, sed etiam ad proximi salutem, & ad opera misericordiæ exercenda ordinari: Vt constat ex plurium religionum institutis, præsertim vero Societatis nostræ, de qua in Bullis Pontificiis Pauli III. & Iulii III. dicitur, ad hunc potissimum finem institutam, vt salutem animarum intendat. Nec hic finis ab scopo propriæ perfectionis est alienus; quia procurando aliorum salutem, maximè perficitur, qui tali muneri incumbit: nam per illud diuinam gloriam potissimùm quærere debet; ita vt ipsa misericordia erga proximum via sit ad maiorem vnionem cum Deo, vt in prædictis Bullis dicitur.

*Christianorum distinguit.*

2. *Status perfectionis acquirendæ & status religionis idem sunt. Quinam sit finis intrinsecus status religiosi, & quinam extrinsecus eius.*

*Est maximè consentaneum statui religioso etiam ordinari ad proximi salutem, & ad opera misericordiæ.*

Deinde

Deinde huic fini vitæ præsentis respondet cum proportione finis remotus perfectionis charitatis patriæ: nam licèt illa perfectio absolutè sumpta sit finis totius vitæ Christianæ, tamen cum peculiari excellentia, & augmento per statum religiosum intenditur. Et hanc gloriæ abundantiam significauit Dominus Matth. 19 dicens, *Vade, & vende omnia*, &c. *& habebis thesaurum in cœlis.* Vbi Chrysost. hom. 64. *Vt alliciatur*, inquit, *ingentem ei futuram mercedem ostendit.* Et ad illam magis declarandam adiecit Christus promissionem illam, *Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos*, &c. Nam licet hæc dignitas ad gloriam accidentalem pertineat, induit nihilominus singularem excellentiam gloriæ, & vnionis cum Deo per charitatem; censeturque illa promissio facta omnibus, qui voluntariam paupertatem profitentur: vt August. Beda, & alii Patres exponunt. Huiusmodi autem sunt omnes religiosi; & è conuerso omnes, qui statum paupertatis voluntariæ assumunt, aliquem gradum status religiosi participant.

3. Status religionis status perfectionis est ratione Dei cultus & gloriæ.

Denique finis vltimus, etiam suo modo peculiaris, & proprius religiosi status est peculiaris Dei cultus, & gloria. Nam licet hic etiam esse debeat finis omnium fidelium proprio, ac speciali modo ad Dei cultum perfectiùs exercendum, & ad vitam, & actiones ad diuinam gloriam ordinandam status religionis instituitur. Vnde Chrysost. in libro de comparatione Regis, & monachi, religiosum vocat eum, qui *Totam vitam suam Dei cultui mancipauit, & se totum Deo dedit; & propietate, ac Dei cultu cum dæmonibus bellum gerit.* Et Basil. in d. reg. 7. ex fusiùs disputatis in fine, religiosum institutum, ait, *Propositum finem habere gloriam Dei.* Et in regul. breuior. in 157. ait, propriam religiosi affectionem, seu intentionem esse debere, *vehementem cupiditatem placendi Deo, eamque insatiabilem, stabilem, & constantem.* Omnibus ergo modis idem est finis status perfectionis acquirendæ, & religiosi.

4. Omnia media ad finem obtinendum ad statum perfectionis pertinentia.

Atque eodem modo de mediis ad hunc finem obtinendum iudicandum est: nam eadem sunt statui perfectionis acquirendæ, & statui religionis accommodata; omnia enim illa vltra præceptorum obseruantiam sub consiliorum professione comprehenduntur, quia nulla possunt esse alia ad perfectionem charitatis obtinendam magis accommodata; vt in præcedenti libro cap. 10. & 11. ostendimus. Ergo cùm eadem charitatis perfectio sit finis religiosi status, per consiliorum obseruantiam proeuranda est. Atque ita docuit D. Thomas d. quæst. 86. art. 2. & sequent. Vbi ex eo colligit necessitatem seruandi consilia in statu religionis, quòd ille, *est quædam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perueniendi.* Atque hinc etiam colligit, non pertinere ad religiosum statum, vt quilibet religiosus ad omnia consilia teneatur, quia diuersis exercitiis potest perfectio acquiri; sicut diuersis medicinis acquiritur sanitas. Qui autem operatur propter aliquem finem, non applicat omnia media possibilia, sed quæ prudenter eligit, vt magis proportionata. Quam regulam nos suprà de statu perfectionis acquirendæ statuimus, & ita conuenientia, vel potiùs identitas vtriusque status magis cernitur.

Non omnes tenentur ad omnia consilia.

5. Declarari autem hoc amplius potest in præsenti, vtendo distinctione ibi data de consiliis, in ea, quæ sunt veluti vniuersalia instrumenta acquirendæ perfectionis; quæ etiam consilia substantialia religionis, & per antonomasiam, consilia Euangelica, vel consilia simpliciter vocari solent: & ea, quæ sunt particularia; & in omni materia virtutis locum habent. De prioribus absolute dicendum est, omnia illa consilia necessaria esse ad perfectionem status religiosi, quia sunt substantia eius, vt capite sequenti ostendemus. De cæteris verò, cùm non pertineant ad perfectionem essentialem, dicendum est, non omnia requiri ad perfectionem vniuscuiusque status religiosi. Tum, quia non omne, quod est vtile, est necessarium, cùm aliud æquè vtile sufficere possit: tum etiam, quia non omne, quod secundùm se spectatum videtur melius vel vtilius, est vnicuique statui religioso proportionatum: & ideo non omnia talia consilia in omnibus, & singulis statibus religiosis requiruntur, vt perfecti sint: tum præterea, quia nimia coacernatio consiliorum esse posset impedimento perfectioni acquirendæ; imò sæpe esset impossibilis, quia multa sunt consilia, quæ simul obseruari, aut exerceri non possunt. Tum denique, quia non omnes status religiosi, qui substantialiter, & essentialiter perfecti sunt, absolutè, & simpliciter æquè perfecti sunt; vt est constans apud omnes, & infrà tractando de religionibus in particulari, ostendemus. Hæc autem inæqualitas prouenit ex varietate in horum consiliorum obseruatione. Ergo non solùm non est opus, vt vnaquæque religio omnia consilia complectatur; verùm etiam necessarium est, vt omnis religio optima ex his consiliis eligat, & profiteatur. Imò in ipsismet substantialibus consiliis potest varietas, & maior, & minor obseruantia inueniri, & cum absoluta perfectione essentiali status religiosi consistere; vt infrà videbimus. Denique hinc à contrario optimè argumentatur D. Thomas Opusc. 19. cap. 2. quia si oporteret, vnumquemque statum religiosum omnia consilia amplecti, sequeretur confusio religionum: non haberent enim, in quo distinguerentur, si omnes omnia consilia obseruarent; quia non nisi in variis obseruantiis, quæ sub hæc consilia cadunt, distingui possunt.

*Non est opus vt vnaquæque religio omnia consilia complectatur.*

*Vnde proueniat religionum diuersitas.*

6. Sine aliquibus consiliis non potest consistere religio, quemadmodum nec substantia sine omnibus accidentibus.

At verò licet non omnia talia consilia particularia sint in omni statu religioso necessaria, nihilominus sine illis omnibus, nulla potest religio consistere. Nam sicut substantia creata non potest sine omnibus accidentibus consistere; etiamsi nulla substantia omnia postulet accidentia, nec illa simul recipere possit; ita etiam religiosus status, non potest in sola substantia sine omnibus accidentibus consistere. Et ratio est, tum quia hæc particularia consilia ad obseruationem principalium consiliorum moraliter necessaria sunt, vt abstinentia, modestia, clausura ad castitatem, & sic de cæteris. Tum etiam, quia sunt proportionata media ad perfectionem singularum virtutum, sine quibus perfectio charitatis obtineri non potest. In quo tandem obseruandum est, quod licet finis communis omni statui religioso sit perfectio charitatis, nihilominus vnusquisque status religiosus habet suum peculiarem finem, & scopum, in quo, & per quem illam perfectionem charitatis acquirere intendit, vt contemplando, aut salutem proximi procurando, vel vtrumque exercendo, vel alia opera religionis, aut misericordiæ præstando. Iuxta hos ergo particulares fines, vnusquisque religiosus status indiget aliquorum particularium consiliorum obseruatione suo fini proportionata. Nam tria principalia consilia ad omnia sunt vtilia; imò necessaria ad statum religiosum simpliciter perfectum; non tamen sufficiunt ad peculiares fines singulorum statuum. Particularia autem consilia, quamuis non omnia sint necessaria ad illum communem finem, aliqua necessaria sunt ad particulares fines cum perfectione quærendos; alia verò ad alios: & ideo licet non omnia consilia singulis religiosis statibus, neque eadem omnibus conueniant, nihilominus vnicuique aliqua suo fini proportionata, necessaria sunt.

7. Sed quæret aliquis, an è contrario aliqua consilia particularia repugnent religioso statui generatim sumpto. Et videtur dicendum, posse aliqua consilia repugnare tali statui, præsertim perfecto in suo genere: vel propter defectum, & imperfectionem, vel propter excessum, & nimiam perfectionem. Prior pars declaratur in quibusdam actibus virtutum, qui supponunt statum imperfectum, & statui religioso repugnantem. Ex qua suppositione tale opus esse potest sub consilio respectu talis personæ; non verò respectu religiosi. Sicut enim Theologi distinguunt perfectionem simpliciter à perfectione secundùm quid, quia illa est melior in quolibet, hæc verò minime; quia imperfectionem aliquam supponit. Ita inter consilia distinguere possumus quædam, quæ absolute sunt de meliori bono, vt virginitas; alia verò, quæ tantùm ex suppositione status imperfecti in illo sunt meliora, vt in muliere coniugata aliquis decens ornatus, qui marito placeat, potest esse in consilio, qui tamen virginitatem profitenti repugnet. Consilium etiam faciendi copiosas eleemosynas, in diuitem optime cadit; non verò in religiosum: quia consilium illud supponit imperfectum statum habendi dominium diuitiarum.

*Dubium.*

8. Exemplum alterius partis sumi potest ex D. Thoma d.q.186.ar.2.vbi duo consiliorum genera distinguere videtur; quædam, quæ supponunt perfectionem charitatis, & ad illam consequuntur: vt maledicenti benedicere absque necessitate. *nam illud*, ait, *ex superabundantia charitatis prouenit*; alia verò sunt, quæ sunt media, & instrumenta perfectionis acquirendæ. Et de his posterioribus videtur clarum per se non repugnare religioso statui, vt sic, quamuis non omnia singulis statibus conueniant, vt dictum est. De prioribus autem sequi videtur repugnare statui acquirendæ perfectionis; quia repugnat esse medium ad acquirendam perfectionem, quod illam, & abundantiam eius supponit. Possumusque exemplum adhibere in statu Episcopi: nam aliqua erunt consilia illi statui accommodata, quæ religioso statui repugnabunt, vt habere liberam administrationem, vel (vt aliqui volunt) etiam dominium temporalium bonorum; & si quid aliud est huiusmodi.

9. Hic dicendi modus probabilis est, & rectè explicatus mihi non displicet, nihilominus tamen, absolute de consiliis loquendo, nullum esse videtur, quod statui religioso in sua generalitate sumto repugnet. Quia, per se loquendo, religiosus in omni materia virtutis quoscunque actus perfectionis exercere potest; & de illis præcipue dantur consilia, quæ simpliciter, & absolute hoc nomen merentur. Quod dico propter actiones illas, quæ solùm in casu, vel ex suppositione alicuius occasionis, vel imperfectionis consuluntur: vt est in exemplo illo de ornatu mulieris coniugatæ. Nam licet formaliter sumptum (vt sic dicam) ab statu virginitatis sit alienum, nihilominus cum proportione sumptum eminentiùs in professis virginitatem locum habet, quia ornari debent modo suo statui accommodato; ita vt sponso suo Christo maxime placeant. Dixi autem, *per se loquendo*, quia ex defectu materiæ interdum non poterit religiosus aliquorum consiliorum opera exequi: vt est in illo exemplo de copiosa eleemosyna, vel de operibus liberalitatis, aut magnificentiæ, quæ diuitibus possunt de consilio conuenire. Et nihilominus religiosus non est omnino incapax talium operum, quia sine dominio diuitiarum possunt exerceri ab habente liberam administrationem talium bonorum, vt v.g. ab Episcopo religioso, & suo modo à Prælato religionis intra suam sphæram; & à priuato religioso de licentia Prælati. Et præterea in affectu potest, & debet religiosus esse paratus ad huiusmodi opera quantum sibi fuerint possibilia: & hoc satis est, vt sit talium consiliorum capax. Et hic modus potest facilè omnibus consiliis prioris generis accommodari.

*Nullum est consilium, quod statui religioso generatim sumpto repugnet.*

*Eleemosyna potest fieri à religioso.*

10. De aliis verò consiliis, quæ perfectionem charitatis supponere videntur, dicendum est, non reiici ab statu religioso simpliciter, seu quoad omnia; sed dicuntur non requiri in illo, tanquam spectantia ad media perfectionis acquirendæ, sed potiùs, tanquam fructus perfectionis acquisitæ: qui fructus ad perfectionem etiam augendam conferunt: tamen, quia gradum aliquem perfectionis, & abundantiam charitatis supponunt, ideo inter media perfectionis acquirendæ non numerantur. Vnde idem D. Thomas in loco allegato dixit, quòd licet religiosus non teneatur ad implendum hæc consilia, quæ ad perfectionem charitatis consequuntur; tenetur saltem ad ea implenda tendere, vtique ad perfectionem tendendo: vt in exemplo posito de benedicendo maledicenti se, clarum est, ad religiosum statum maximè pertinere: nam præcipue consulitur perfectionem professis, & à perfectis seruari debet. Vnde Paul. 1. Corinth. 4. *Maledicimur, & benedicimus.* Status autem religionis licet sit perfectionis acquirendæ; tamen (vt in superiori libro diximus) hic status licet ad perfectionem acquirendam tendat, non excludit perfectionem acquisitam, vel exercitium eius; imò in illo statu sunt gradus incipientium, proficientium, & perfectorum: & ideo hæc etiam consilia ad religiosos pertinent; ad incipientes in desiderio, ad perfectos verò etiam in opere tanto meliori, quanto profectus in perfectione maior fuerit. 10.

11. De consiliis autem, quæ statum Episcopi supponere videntur, dicendum est in primis non repugnare statui religioso: nam ab Episcopo religioso impleri possunt: vnde si à religioso non Episcopo non possunt executioni mandari, non est quia repugnent eius statui; sed quia deest materia, vel quia non sunt de operibus tali statui perfectionis accommodatis. Vix autem (vt opinor) talia consilia inuenientur, quæ non possint modo religioni accommodato intra eundem statum impleri. Addo etiam statum religiosum perfectè obseruatum ita disponere affectum hominis, vt eum facilè, & paratum reddat ad huiusmodi consilia exequenda, si occasio tulerit. 11.

12. Relinquitur ergo ex dictis; statum religionis, & statum perfectionis acquirendæ solis nominibus differre, si cum proportione comparentur. Nam idem status dicitur perfectionis ex proximo fine intrinseco, ad quem tendit, vt ex natura, & conditione illius status in superioribus explicata, & ex nomine ipso manifestum est. Idem verò status vocatur religiosus ex habitudine ad finem vltimum, ac principalem, in quem tendit, qui est Deus ipse, cuius cultus in tali statu principaliter intenditur; cuique homines specialiter, & omnino in eo consecrantur, & inde per antonomasiam religiosi dicuntur. Vnde Dionys. c.6. Eccles. hierarch. ait, *Religiosos vocatos esse therapeutas, id est, cultores, à syncero Dei famulatu, atque cultu.* Idem que aduertit D. Thom. d. q. 186. art. 1. & d. Opusc. 19. in principio. Et latiùs notauimus in lib. 1. de Relig. cap. 1. & 2. Cur autem dixerimus hos status esse eundem, si cum proportione comparentur, ex dicendis in capite sequenti constabit. 12.

*Vnde dicatur status religiosus.*

* *
*

CAPVT

## CAPVT II.

### *Vtrùm tria consilia, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, & illa sola sint de substantia seu essentia religiosi status; vel aliis etiam modis constitui possit.*

1. Ratio dubitandi proponitur.

RAtio dubitandi esse potest, quia status perfectionis acquirendæ, & status religionis idem sunt, vt præcedenti capite dictum est: sed status perfectionis non tantùm tribus votis, sed etiam duobus, vel vno tantùm constitui potest; ergo etiam status religionis. Consequentia est clara ex maiori; quia si duo illa non re, sed nominibus differãt, quidquid ad vnum constituendum sufficit, ad alterum satis erit: & sicut omnis status religiosus est acquirendæ perfectionis; ita etiam è contrario omnis status acquirendæ perfectionis erit status religionis. Probatur ergo minor principalis argumenti: nam status continentiæ, in quo virgo aliqua per solum votum castitatis Deo dicatur, status est perfectionis acquirendæ; quia & est status, cùm sit quidam viuendi modus satis firmus, & stabilis ratione voti, & est supra communem statum vitæ Christianæ; ergo est status perfectionis, quia inter illos status non datur medium. Vnde Paulus 1. Corinth. 7. de huiusmodi statu loquens illum commendat, tanquam perfectionis viam: quia *qui sine vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*; & *mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu.* Atque simile argumentum fieri potest de statu clericorum non ratione ordinis, sed ratione perpetuæ continentiæ, quam habet connexam, ratione cuius ad perfectiorem vitæ modum, quàm communis status vitæ Christianæ postulet, obligantur: ergo illo titulo statum perfectionis acquirendæ profitentur. Idemque argumentum fieri potest de voto paupertatis, & multo magis de vtroque simul, si sola fiant, idemque est de voto obedientiæ, vel per se spectato, vel cum alio coniuncto.

Probatur status religionis perfectionis esse idem cum statu perfectionis acquirendæ.

Probatur votum castitatis, vel vota tria esse sufficiens ad constituendum statum religionis perfectionis.

2. Probatur non sufficere vtrumque votum castitatis ad constituendum statum religionis perfectionis. Primò.

Aliunde autem argumentari possumus, quòd illa tria consilia ad statum religiosum constituendum sola non sufficiant. Primò quidem, quia licet status illorum consiliorum seruentur, & in proposito habeantur, si votum non intercedat, non sufficiunt ad constituendum religiosum statum; quia talis modus viuendi sine voto non potest esse stabilis: actus autem vouendi, est actus consilii distinctus ab illis tribus; ergo. Dicetur fortasse illa tria consilia ex parte materiæ designari, & per notam exclusiuam alias materias excludi; non verò modum obseruandi illa consilia, & ita non excludi votum, sed potius tacite includi. Sed instatur, quia licet quis emittat vota illorum trium consiliorum exteriùs, & in facie Ecclesiæ, si nihil aliud faciat, nec aliam regularem obseruantiam profiteatur, non erit in aliquo religioso statu; ergo nec simpliciter religiosus reputabitur in Ecclesia, nec priuilegiis religiosorum fruetur. Ergo signum est, illa tria non satis esse ad essentiam, vel substantiam religiosi status constituendam. Secundò, quia præter illa tria videtur necessarium ad perfectionem acquirendam multa consilia ad aliarum virtutum materias pertinentia obseruare, etiam cum stabilitate. Nimirum orationis studium, & frequentiam, & aliquid supererogationis in materia abstinentiæ, clausuræ, & similibus. Tertio, quia vnusquisque religiosus status in particulari sumptus habet proprium scopum, & finem, ad cuius consecutionem non sufficiunt illa tria generalia consilia, sed alia magis particularia necessaria sunt: vt Monialibus rigorosa clausura, quam etiam aliqui regulares viri obseruant; & nonnullæ religiones propria quædam vota emittunt sibi essentialia: vt innuit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de Regularibus ibi: *Ac si quæ alia sunt alicuius regulæ, vel ordinis peculiaria vota, ad eorum respectiue essentiam pertinentia.* Ergo illa tria consilia, si sola, & nuda sumantur, ad summum sufficient ad genus religiosi status abstracte sumpti constituendum; non tamen, vt in re ipsa status religiosus cum solis illis consistere valeat.

Secundò.

Tertiò.

Dico primò ad religiosum statum simpliciter, seu perfectum, acproprie dictum necessaria sunt & essentialia illa tria consilia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. ita docet D. Thom. d. quæst. 186. art. 2. & 3. & 3. contr. gent. cap. 130 & Opuscul. 19. in principio. & consentiunt omnes Theologi, sumiturque ex Patribus statim citandis. Ratione item generali ostendi potest, retorquendo primam rationem dubitandi; quia status religiosus est schola, seu studium perfectionis acquirendæ: sed integra perfectionis via, & consummata illa tria consilia in primis proponere debet obseruanda; ergo eadem sunt necessaria in statu perfecto religionis. Probatur subsumpta propositio. Primò, de Paupertate ex verbis Christi D. Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes.* Ex quo loco omnes sancti colligunt consilium paupertatis, vt superiori libro cap. 6. notaui. Et hic ponderare possumus, quòd sicut in illis prioribus verbis, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; significauit Christus præceptorum obseruantiam esse necessariam ad salutem: ita in posterioribus, *Si vis perfectus esse, vade, & vende* &c. necessitatem paupertatis ad perfectionem obtinendam indicauit. Vnde Gregor. Nazianz. Orat. 16. dixit, *Christum hu verbis perfectionem paupertate definiuisse.*

3. Primus assertio. Ad statum religiosum, seu perfectionem prò dictum tria vota sunt necessaria.

4. Distinctio inter perfectionem, & statum perfectionis.

Non oportet autem vtramque partem verborum de æquali necessitate intelligere, sed iuxta materiæ proportionem. Distinguere autem possumus inter perfectionem, & statum perfectionis: nam ad perfectionem acquirendam est quidem vtilissimum, & moraliter necessarium diuitiis abstinere; non est tamen simpliciter necessarium. Nam diues bene vtendo diuitiis, & alia opera perfectionis faciendo, potest ad perfectionis gradum peruenire. At verò ad statum perfectionis integrum est paupertas simpliciter necessaria; quia sine ablatione impedimentorum non potest status religionis consistere: perfectionis autem impedimenta magna ex parte per paupertatem tolluntur. Et ideo idem Dominus, quanuis propter se huiusmodi ablatione impedimentorum non indigeret, pauperem vitam professus est; quia non solùm ipsius perfectionis, sed etiam viæ ad illam, seu status perfectionis exemplum nobis tribuere voluit: vt late declarauimus in 2. tom. 3. p. disp. 28. sect. 2.

Probatur necessariam esse paupertatem.

5.

Vnde etiam Apostoli eandem professi sunt, vt constat Matth. 19. & illos imitati sunt sancti Patres, & fundatores Religionum: vt infrà tractando in particulari de Votis monasticis, seu religiosis, ostendemus. Interim videri possunt Basil. serm. 1. & 2 de Instit. Monach. & in Regul. breui. in 92. & 93. Hier. epist. 1. ad Heliodor. circa principium, & 22. ad Eustochium versùs finem. Gregor. Nazianz. orat. 16. August. in sua Regula, quam ad sanctimoniales repetit in epist. 109. & in duobus serm. de commun. vit. Cleri. sunt 49. & 50. de diuersis in 1. p. & optimè lib. 17. de Ciuit. cap. 4. versùs finem. Benedictus in sua regula. & Gregor. 4. Dialog. cap. 35. Ratio autem huius partis est, quia paupertas tollit concupiscentiam diuitiarum, & solicitudinem illas acquirendi, quæ non solùm suffocant sementem, & profectum spiritualem maximè impediunt, sed etiam

iam innumera peccandi pericula secum afferunt. de qua re inferiùs in speciali libro de religiosa paupertate latiùs dicendum est.

6. *Ostenditur necessarium esse consilium castitatis.*

Secundò probatur subsumpta propositio de consilio castitatis; de quo atque eius voto inferiùs etiam in proprio libro disputandum est. Et ideo nunc satis sit supponere fundamentum in superiori lib. cap. 6. iactum, & approbatum, quòd virginitas, & castitas sit in consilio tradito, & exaggerato à Christo Domino Matth. 19. & à Paulo 1. Corinth. 7. & à Patribus ibi allegatis, & perpetuo vsu, ac consensu Ecclesiæ. Hoc enim supposito facile est ostendere necessitatem huius consilii ad statum perfectum religionis. Distinguendo hîc etiam illa duo, nimirum, perfectionem ipsam, & statum perfectionis, & gradum necessitatis. Ad vtrumque enim est necessaria continentia, non solùm ab illicita copula, sed etiam à licita, & coniugali: vt Paulus suprà ostendit, dicens: *Qui sine vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo, cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore, & spiritu; quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* vbi virtute sic argumentatur; Perfectio maxime consistit in vnione ad Deum, & solicitudine illi placendi; sed status coniugalis diuidit cor, & solicitudines mundi secum affert: ergo de se multum impedit spiritualem profectum, ac perfectionem; ergo continentia tollens hæc impedimenta moraliter necessaria est ad perfectionem acquirendam.

7. Ex quo vlteriùs concludere possumus esse ad statum perfectum religionis simpliciter necessariam; quia de ratione huius status est, vt sit vita expedita, & facilis ad perfectionem acquirendam, & consequenter, vt excludat omnia, quæ notabiliter impedire possunt perfectionis acquisitionem, vel illam difficilem reddere: sed ad hoc magna ex parte necessaria est virginitas, vel saltem continentia, & cœlibatus, quando amissa est virginitas, & iam reparari non potest; ergo sine continentiæ consilio non potest status perfectus religionis consistere. *Paupertas professio moraliter loquendo non potest consistere sine continentia & cœlibatu.* Accedit, quòd vera paupertatis professio, vix potest moraliter loquendo, sine continentia, & cœlibatu consistere; quia coniugium, quantum in ipso est, secum affert solicitudinem acquirendi diuitias: tum quia necessariæ sunt ad familiam, & onera matrimonii sustentanda: tum etiam, quia parentes debent filiis thesaurizare; ergo eo ipso, quòd paupertas est ad statum perfectionis necessaria, etiam castitas necessaria erit. Sicut etiam è contrario ad castitatem seruandam multum confert paupertas. nam hæc duo consilia mutuò se iuuant.

8. *Probatur de consilio obedientiæ.* Tertiò idem probatur de consilio obedientiæ voluntarie susceptæ, vt distinguatur ab obedientia necessaria, quæ diuinis, & humanis præceptis debetur: nam hæc non est proprie, & strictè sub consilio, cùm sit sub præcepto. Et præterea supponendum est sermonem esse de obedientia, quæ Christo principaliter offertur, & proximè homini, tanquam vicem eius gerenti, in ordine ad spirituale animæ bonum, nimirum, vt hominem suæ obedientiæ commissum in via salutis dirigat, & adiuuet. De quo dixit Basil. in Const. cap. 23. circa finem. *Nihil est aliud Antistes, qui modò diligenter munus exequitur, cui præpositus sit* (pietati videlicet) *quàm is, qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum, & hominem.* Hoc ergo genus obedientiæ assumere, ac profiteri, & voto Deo offerre, bonum, & optimum esse, infrà in speciali libro de religiosa obedientia ostendemus: vbi etiam esse vtilissimam ad perfectionem obtinendam probabimus. Nunc verò sufficit ratio illa, quam Basilius ibidem indicat, dicens: *Illud firmissimè tenendum est, rem esse difficillimam seipsum cognoscere, & curare, propterea, quòd naturaliter seipsum quisque amat, & quilibet, quia naturaliter in seipsum propensus est, in veritatis iudicio fallitur. At verò ab alio cognosci, curarique facile est, cùm ei, qui alios regit, ad veritatem diuernendam nihil quam obstet suipsius amor.* Ergo ex hac parte seuerior multo est ad perfectionem obedientiæ via; tollit enim periculum propriæ voluntatis, & affectionis; estque de se valde vtilis ad perfectionem. Præterquam quòd etiam Deo gratior est, tum propter maiorem abnegationem, & humilitatem propriam, tum etiam propter maiorem subiectionem propriæ voluntatis ad diuinam.

Et hinc optimè concluditur ad statum religionis perfectum necessarium esse hoc sequi consilium absolutè loquendo; quia huiusmodi status debet esse via moraliter secura, & expedita ad tendendum in perfectionem: & ad hunc finem est moraliter necessarium habere aliquè eiusdem viæ ducem, & rectorem; quia nemo existimare se debet sufficienter ad iudicandum de his, quæ sibi ad perfectionem expediunt, & ad eligendum inter illa, propter rationem à Basilio tactam. Et præterea, quia status perfectionis postulat, vt homo paratus sit in omnibus eligere, quod melius sit: hoc autem proprio arbitrio, & voluntate facere difficillimum, & multo difficilius stabilitatem in hoc tenere per solam propriam voluntatem, ergo necessarium est, certam aliquam regulam, & rationem operandi in hoc sibi præfigere: quæ non potest esse, nisi per obedientiam. Nam per propriam prudentiam id facere, res est magni periculi, & perpetuæ solicitudinis. Vnde addit aliam rationē D. Thomas q. 186. a. 7. & 3. contr. Gent. cap. 130. & in Opusc. 19. c. 1. Quia sicut ad amputandam solicitudinem circa temporalia bona, datur votum paupertatis; ita ad amputandam solicitudinem hominis circa seipsum, datur obedientiæ votum, propter quod homo dispositionem suorum actuum superiori committit. Denique aut consideramus hunc religionis statum in aliqua communitate, & sociali vita, & sic per se euidens est, necessariam esse obedientiam ad talem statum: quia sicut corpus sine capite viuere non potest, ita nec communitas, sine gubernatore; nec gubernator proderit sine obedientia: est ergo in tali statu euidenter necessaria. Si autem religionis status in vita solitaria spectetur; sic potest nonnulla difficultas emergere: sed de illo procedunt etiam rationes factæ. Quomodo autem in solitudine possit esse verus status religionis, postea videbimus.

9.

10. *Probatur de tribus simul.* Ex his ergo satis probata est assertio quoad singula, ex tribus dictis consiliis. Quòd autem simul omnia necessaria sint, facile ex dictis concludi potest. Primò, quia de ratione perfecti status religiosi est, vt quis propter Deum renunciet omnibus rebus, bonisque creatis, quæ perfectum Dei amorem impedire possunt: hæc autē bona, vel sunt externa, vel sunt interna, ad corpus pertinentia, vel pertinent ad animam, & propriam voluntatem: ergo omnibus illis renunciandum est in statu perfecto religionis. At verò ad hanc integram renunciationem necessaria sunt illa tria consilia: nam per paupertatem externa bona, per castitatem proprium corpus, per obedientiam propria volunras abnegatur. Ergo hæc tria ad talem statum necessaria sunt. Et confirmari potest hæc ratio; quia sicut ad virtutem non satis est vitare malum, sed necessarium est bonum operari; ita ad statum perfectionis non satis est fugere pericula, vel impedimenta tollere proficiendi

ficiendi in perfectione charitatis: sed etiam necesse est, totam vitam suam ad Deo seruiendum in operibus perfectionis ipsi offerre; vt recte dixit D. Thomas Opusc. 18 de statu perfectionis c. 15. & est per se notum: sed tria illa sunt necessaria, vt vtrumque fiat. Nam per paupertatem, & castitatem præcipue tolluntur impedimenta, & per illa non tam aliquid agendum, quàm aliquid omittẽdum propter Deum, promittitur; per obedientiam verò voluntatem suam, proinde se totum consecrat homo Deo in perfectum obsequium eius. Ergo sine his tribus cõsiliis non poterat perfectus religionis status constitui.

11. Secundò dicẽdum est, hæc tria consilia per se sufficere ad substantiam status religiosi constituendam. Hæc assertio est D. Thomæ in d. q. 186. a. 7. & aliis locis supra citatis. Et tribus rationibus illam demonstrat. Prima est, quia illa tria consilia seu vota sufficiunt ad remouendum omnia, quæ seruorem charitatis impediunt. Nam hæc maxime sunt tria, scilicet, concupiscentia externorum bonorum, & sensibilium delectationum; & inordinatio voluntatis humanæ, quorum primum per paupertatem, secundum per castitatem, tertium per obedientiam remouetur.

12. Sed instabit aliquis, quia impedimentum secundum non satis per castitatem tollitur. Nam castitas solùm reprimit delectationes venereas; quæ licet inter sensibiles maximæ sint; non tamen sunt solæ. nam etiam dantur delectationes gustus, quarum appetitus, & inordinatus vsus spiritualem profectum, & exercitium perfectionis non parum impediunt. Ergo quoad hanc partem nõ sufficit sola castitas, sed oportet addere aliquod consilium abstinentiæ, vel afflictionis corporis. Accedit, quòd D. Bernard. in serm. de tribus ordinib. Ecclesiæ, agens de statu religioso, tria eius consilia sic enumerat. *Tribus compactus est lignis, vt qui perfectè eo vti voluerint, non labatur in itinere pes eorum. Hæc autem sunt pœna corporis, paupertas substantiæ mundialis, & humilitas obedientiæ.* Quorum necessitatem, & connexionem, ac sufficientiam elegãter ostendit, dicens: *Nam & per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum; & qui volunt d u tes fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli; & quem à Deo seiunxerit inobedientia, sine dubio per obedientiam recto tramite ad eum redit. Hæc itaque sibi inuicem esse compacta necesse est: nam nec pœna corporis inter diuitias stabilis, nec obedientia sine pœna facilè potest esse discreta; & paupertas in voluntate, & voluntas propria nullius potest esse momenti. At verò hu ritè compositis, vide, si non tria maris huius pericula euasisti, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ.*

13. Atenim hæc Bernardi verba, vel difficultatem non expediunt, vel nouam inducunt, & augent. Nã ipse omittit castitatis professionem; & nihilominus illa tria, quæ numerat, ad perfectionem ex hac parte tollendi impedimenta sufficere docet. Ergo vel putauit castitatem non esse necessariam, quod constat esse falsum, & incredibile, vel sub pœna corporis castitatem præcipue includit, quod verissimum est. Ita ergo nos è contrario dicimus, sub castitate comprehendi omnem illam corporis afflictionem, quæ ad reprimendas delectationes venereas, & concupiscentias immoderatas fuerit necessaria. Et hoc etiam insinuauit D. Thomas, cùm dixit, per castitatem excludi concupiscentiam sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes carnis. Nam licet materia voti castitatis non sit corporis afflictio, seu pœna, nec abstinentia ab omnibus corporeis delectationibus, sed à libidinosis tantùm; nihilominus professio castitatis, & virginalis pudicitiæ secum quodammodo trahit aliarum sensibilium delectationum moderationem, vel etiam abnegationem, tanquam statui virginitatis conuenientem, ac moraliter necessariam. Vnde iuxta distinctionem repetitam inter perfectionem, & statum perfectionis, dici potest in præsenti, quòd licet votum obligans ad castitatem, non obliget ad alias corporis afflictiones; nihilominus vorum illud, eo ipso, quòd hominem constituit in statu continentiæ, constituere ipsum in statu postulante omnium corporearum delectationum mortificationem, & consequenter corporis afflictionem. Et ideo Bernard. vnum sub alio comprehendit, vtique, quia in statu connexa sunt; & ideo quoad hanc partem ad status religiosi perfectionem, & integritatem professio virginitatis, seu castitatis sufficit, quia hæc omnem aliam corporis temperantiam postulat: vt copiosè docet Hieronymus epist. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis.

*Vtrùm castitas requirit vt moraliter necessariam, omnem aliam corporis temperantiam, & delectationum sensibilium moderationem, præter libidinis castigationem.*

14. Secunda ratio D. Thomæ est, qui illa etiam tria consilia ad excludendam animi inquietudinem, & nimiam solicitudinem secularem, quæ perfectionis progressum impedire maxime solent, sufficiunt. Triplex enim esse solet hæc solicitudo, videlicet, de acquisitione, & administratione externorum bonorum; de cura familiæ, coniugis, & filiorum; & de propriarum actionum dispositione, & electione. Ex quibus prima anxietas per paupertatem, secunda per castitatem, tertia per obedientiam auferetur: ergo etiam ex hac parte tria illa consilia ad statum perfectum religionis sufficiunt. Tertia verò ratio D. Thomæ est, quia religiosus status maximè postulat, vt homo in eo se, & omnia sua totaliter offerat Deo; hoc autem sufficienter per illa tria consilia fit: nam per paupertatem bona omnia externa, per castitatem proprium corpus, per obedientiam propriam animam religiosi offerunt Deo. In his autem omnia bona continentur.

*Solicitudo bonorum temporalium est triplex.*

15. Circa has verò rationes difficultas statim occurrit præcedenti similis; quia in priori non videntur omnes animi solicitudines perfectionem impedientes sufficienter numeratæ. Nam honoris, & famæ appetitus, & dignitatum ambitio maxime solent animum hominis solicitum, & inquietum tenere; & ab spiritualibus profectibus illum abstrahere. Hæc autem solicitudo per dicta tria vota non sufficienter auferetur: vt facile ostendi potest; quia hæc cupiditas, & solicitudo longe diuersa est à præcedentibus, & cum obseruatione paupertatis, castitatis, & obedientiæ stat nimia honoris, & dignitatis solicitudo. Et eodem modo contra alteram rationem instatur; quia hæc sunt distincta bonorũ genera: quæ per illa tria Deo non offerũtur: vt explicãdo materias trium votorum, in sequentibus ostendetur. Ad hanc verò difficultatem eodem modo respondendum est, quo primæ satisfecimus. Nam licet per illa tria vota, vel consilia formaliter (vt sic dicam) non amputentur honoris, & famæ, vel dignitatum appetitus, & solicitudo; nihilominus virtute, & quasi in radice, quantum ex vi status abscinditur. Tum ratione paupertatis, quia illius professio est status abiectionis, & humilitatis: tum ratione obedientiæ; nam qui propriam voluntatem, vel actionem non habere profitetur, curam, & solicitudinem propriarum actionum, vel munerum sibi arrogare non potest; & consequenter nec dignitatem ambire, nec humanos honores procurare, si conuenienter suo statui operetur. Atque hoc modo per illa tria vota, etiam hæc bona honoris, dignitatis, & similia Deo sufficienter offeruntur, saltem virtualiter, & ex parte status, ac modi viuendi.

*Honoris, & famæ appetitus virtualiter per tria vota Deo offeruntur.*

16. Ex his autem colligere possumus, quomodo hæc tria consilia ad substãtiam religiosi ac perfecti status

*Sub tribus*

*Votis virtualiter continentur omnia alia consilia conducentia ad perfectionem status religiosi.*

sufficere dicantur; cùm multa alia, & quodammodo omnia ad perfectionem assequendam necessaria sint. Quia sicut in rebus creatis, non quidquid ad operandum, vel finem consequendum necessarium est, ad rei essentiam, vel substantiam pertinet; sed satis est, vt in substantia ipsa sit aliquomodo virtute contentum, & ab ea dimanans; vel ei annexum, vel additum sit ad perfectionem eius consummandam: ita etiam in statu religionis, illa tria dicuntur substantiam religiosi status continere; quia sunt prima, ac principalia eius fundamenta, ad quæ cætera omnia reducuntur, quæ ad finem illius status consequendum, conuenientia esse possunt. Nam in illis virtute continentur omnia, quæ vel ad remouenda impedimenta, vel ad perfectam oblationem sui, & suarum rerum Deo faciendam opportuna esse possunt. Atque hac ratione quanuis religiosus status nõ omnia consilia simpliciter, ac coniunctim exequenda complectatur; nihilo minus aliquo modo, saltem diuisim, & in animi præparatione, omnia, quæ ad finem talis status necessaria, vel opportuna iudicentur, complectitur. Et ita sub paupertate comprehenduntur omnia consilia, quæ vel ad qualitatem cibi, ac vestitus vilis, vel ad vsum necessarium aliarum rerum, vel ad modum quærendi hæc omnia, mendicando, aut laborando, vel ad alterius arbitrium illam recipiendo, pertinent. Ad castitatem autem, vt dixi, spectant corporis afflictiones, abstinentiæ, & similia consilia; imò etiam vigilias, & orationes videtur Paulus virginitati annectere. Maxime vero sub obedientia comprehenduntur omnia pietatis, religionis, & charitatis officia: & quidquid ad finem perfectionis in tali statu consequendum conferre potest. Nam, quia hoc in ipso vsu, & executione definitum non est; sed prudenti iudicio regulariter præscribendum, ideo iuxta perfectionis regulam, superioris arbitrio hoc relinquitur: & ita obedientiæ consilium omnia consilia vnicuique statui opportuna in quadam animi præparatione complectitur.

17. *Tertia assertio.*

Dico tertiò: qui tantùm vnum, vel alterum ex his principalibus consiliis, vel omnia incomplete, & imperfecte profitetur; quanuis simpliciter statum religionis non assumat, nihilominus statum religiosum aliquo modo participat, & in lata significatione, seu analogia quadam status ille dici potest religiosus. Hanc assertionem indicauit D. Thom. 2 2. q. 184. a. 4. & clariùs in Opusc. 19. c. 1. vbi priùs dicit perfectam religionem triplici voto consecrari; & postea subdit, esse aliquos modos viuendi, quibus aliquod eorum deficit. *In quibus*, ait, *perfecta religio non inuenitur*. indicans inueniri imperfectam. Eandem distinctionem clariùs tradit Henr. in d. quodl. 12. quæ. 29. præsertim in solut. ad 5. Eandemque supponunt authores suprà citati, quãdo communiter distinguunt latam, & propriam, seu rigorosam religiosi appellationem; ille enim dicendi modus per hanc assertionem, & distinctionem declaratur. Confirmati etiam hoc potest ex doctrina glossæ in Clement. 1. de Religios. domib. verb. *Obedientiam*. Et in Clem. *Cùm ex eo*. de sent. excom. ver. Tertio. quam sequitur Nauar. in Commentar. 1. de Regul. n. 23. Nimirum posse esse aliquem viuendi modum ad perfectionem pertinentem & approbatum, qui non satis sit ad statum proprie religiosum.

*Agitur de statu religioso imperfecto.*

18.

Et tunc optime applicatur prima ratio in principio capitis posita, quia omnis modus viuendi spiritualiter ordinatus ad perfectionem charitatis acquirendam; si alioqui habeat immutabilitatem, seu firmitatem ad statum sufficientem, aliquo modo dici potest, & debet status perfectionis, vt probat ratio facta. Quia excedit communem statum vitæ Christianæ, quoniam aliquid vltrà essentialem perfectionem charitatis obseruat, & per semitam consiliorum tendit, licet non omnino exacte, & complete illam amplectatur. Ergo cum eadem proportione talis viuendi modus dici poterit religiosus status. Nam in re est eadem ratio, eademque proportio. Et in nominis impositione idem etiam fundamentum reperitur; quia omnis status & ad maiorem cum Deo vnionem ordinatur: & peculiari modo hominem Deo obligat, vel religat. Quapropter sicut status perfectionis, ita etiam religiosus status amplè sumptus distinguendus est in statum integrum, ac perfectum, & statum imperfectum, seu in statum completũ, & incompletum. Iuxta quam distinctionem aliqui conuersi religionum solent sub religiosis comprehendi; licet tria vota non emittant. Et aliquæ fœminæ, quæ Beatæ vulgo appellantur, obseruantes continentiæ statum, votum illius emittentes, vel solùm, vel cum aliis simplicibus, nomine religiosorum interdum veniunt, & aliqualem statum religiosum habere cẽsentur, licet statũ perfectum religionis non habeant. Idemque est de quibusdam, qui Eremitæ, vulgo *Ermitaños*, appellantur. Et multi sunt alii similes viuẽdi modi in Ecclesia; quos in discursu huius operis explicabimus. Nam, quia solus ille status est simpliciter religiosus, qui habet omnia, quæ ad illum requiruntur, & hæc sunt multa, vt videbimus: ideo imperfectus status multiplex esse potest, prout magis, vel minus conditionem perfecti status participauerit; & ideo explicando singulas conditiones proprii status religiosi, cæteros adnotabimus. Vnde etiam constat, in quo analogia illius diuisionis posita sit: nam solus completus status religiosus est simpliciter talis: alii verò secundùm quid.

*De conuersis religionum.*

*De illis, quæ vulgo Beatæ appellantur.*

*De Eremitis, vulgo Ermitanos.*

19. *Soluuntur argumenta contraria.*

Ad primam ergo rationem dubitandi patet responsio ex proxime dictis. Ad secũdam autem principalem rationem bene ibi responsum est, vt ex dicendis in sequenti capite, magis constabit. Ad primã verò replicam fatemur, etiam in statu, in quo tria vota simplicia sine omnibus aliis requisitis emittuntur, talem viuendi modum non esse simpliciter statum religiosum, sed tantùm secundùm quid, quia licet ad statum religiosum tria consilia ex parte votorum sufficiant, requiruntur aliæ conditiones, vt in sequẽtibus dicemus. Ad secundam verò replicam per ea, quæ in fine secundæ assertionis dicta sunt, satisfactũ est: nam satis est, quòd in prædictis tribus consiliis reliqua necessaria virtute contineantur. Ad tertiam replicam dicimus, hîc esse sermonem de statu religioso generice sumpto; quomodo autem ad varias religiones contrahatur, & an inter illas sit specifica diuersitas, & in aliqua re essentialis, vel tantùm sit distinctio numerica, & quasi accidentalis, postea videbimus.

## Caput III.

### *Vtrùm voti obligatio perpetua ad statum religiosum necessaria sit, & quotuplex esse debeat.*

1. *Ad statum religiosum requiruntur perfectio & firmitas ipsius.*

Supponimus ex dictis in superiori libro, non omnem viuendi modum habere rationem status, nisi peculiari aliquo vinculo moralem; ac sufficientem immutabilitatem habeat. Vnde ad statum religiosum duo requiruntur, scilicet, perfectio, seu religiositas, vt sic dicam, in modo viuendi, & firmitas, seu immutabilitas in talis vitæ professione. Et priorem quidem conditionem in superiori capite declarauimus; nunc altera tractanda est. De qua non rectè sensit Henricus quodl. 12. quæst. 29. ad 5. dicens, ad statum perfectionis sufficere propositum permanẽdi in tali modo viuendi, qui ad perfectionẽ ducat; etiamsi alia obligatione, aut voto firmatũ nõ sit. Quod quidem in vniuersum dixerat de communi

mutatione status in solutione ad primum. Et posteà idem in particulari repetit de statu religionis, & de statu virginitatis in solutione ad 4. Nullam vero nouam probationem, seu confirmationem addit.

Nos autem oppositum diximus de statu in communi, & de statu perfectionis, & de statu prælatorum: & ideo consequenter, & à fortiori supponimus idem de statu religiosorum; qui non solum verus status est, sed etiam valde perfectus; & ideo etiam in ipsa ratione status maiorem postulat firmitatem. Tum quia est de re valde difficili, & de se non necessaria, sed voluntaria; propter quod, nisi aliquo morali vinculo firmata sit, facile fluctuabit; ideoque non poterit veram rationem status participare. Tum etiam, quia licet castitas, & paupertas possint aliquo modo per solum propositum voluntatis sine aliqua obligatione seruari; nihilominus obedientia in materia non præcepta, sed voluntaria sine aliquo præcedenti vinculo exerceri non potest. Quia obedientia supponit potestatem præcipiendi directiuam, vel etiam coactiuam: hæc autem esse non potest circa materiam alias liberam ab obligatione præcepti; nisi præcedat voluntaria subiectio, exclusa seruitute coacta, de qua nunc non agimus. Ergo status religiosus, cum sit status voluntariæ obedientiæ, non potest per solum propositum constitui. Nam, si non præcedat aliqua subiectio, erit potius propositum sequendi consilium alterius, quàm parendi præcepto eius; vt autem præcedat subiectio, aliquod vinculum, seu obligationem aliquam præcedere necesse est. de qua re in capite sequenti, & in lib. de obedientia, iterum, atque iterũ sermo redibit.

Secundo supponimus hanc obligationem primo, & per se cadere debere in tria illa principalia consilia statui religioso essentialia, de quibus in præcedẽti capite actum est: & debere esse indefinitã, ac subinde de se perpetuam pro toto vitæ tempore. ita docent omnes Theologi infrà citandi: & ex dictis in libro præcedenti de statu in genere, & ex præcedenti assertione aperte sequitur. Quoad priorem quidem partem, quia non potest status aliquis sine his, quæ illi essentialia sunt, subsistere; ergo obligatio, quæ aliquem statum firmum reddit, principaliter in ea, quæ ad substantiam eius pertinent, cadere debet: huiusmodi autem sunt illa tria consilia; ergo in illis maxime requiruntur immobilitas, & firmitas, quæ sine voluntaria obligatione intelligi non potest.

Quoad alteram vero partem confectio ostenditur; quia diximus ad rationem status non satis esse habere munus, vel viuendi modum ad opera perfectionis obligantem; sed etiam esse necessariam obligationem permanendi semper in tali munere, vel viuendi modo, moraliter saltem, ac per se loquendo. ergo à fortiori est hoc necessarium ad statum religiosum, qui in suo genere valde perfectus est; & ratione sui finis hanc perpetuitatem maxime postulat. Nam finis huius status est perfectio charitatis obtinendæ in hac vita, & in futura: sed ad hunc finem consequendum necessaria est permanentia perpetua in tali statu, vsque ad finem vitæ; ergo obligatio de se perpetua ad permanendum in tali genere vitæ est de ratione huiusmodi status: & sic potest optima pars hæc confirmari ex illis verbis Christi Luc. nono, *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Nam licet ibi non sit sermo de statu religioso in speciali, nihilominus ex ipsa generali sententia Christi sumitur optima dictæ perpetuitatis ratio. Nam in vniuersum Christi vocatio ad sequendum, siue per fidem, & amorem, siue per viam consiliorum, & perfectionis, talis conditionis est, vt non permittat retro respicere, neque ab ea diuertere, & retrocedere. Ergo sicut status vitæ christianæ de se postulat perpetuitatem; ita etiam status vitæ religiosæ, seruata proportione, & ideo diximus in libro superiori, illum viuendi modum, quo durante, promittitur obedientia, vel aliquid simile; ita tamen, vt permanentia, seu perseuerantia in tali modo viuendi semper voluntaria sit, & ab omni obligatione libera, ad statum proprium religiosum non pertinere, sicut nec temporalis famulatus, vel merè voluntarius, ad statum seruitutis sufficit.

Tertiò consequenter addendum est, de ratione, ac essentia status religiosi esse, vt per vota Deo facta confirmetur, vt stabilitatem conuenientem habeat. ita docet D. Thom. 2.2. q.88. art. 11. latiusque q.186. art. 6. vbi Caietanus, & alii, & Soto lib. 3. de Iust. q. 5. a. 1. & sequentib. Palud. in 4 dist 38. q. 1. & ibi cæteri Scholastici frequentiùs: & Aluar. Pelag. lib. 2. de Planct. Ecclesiæ. cap. 56. Et consentiunt iuris expositores in cap. *cùm ad monasterium.* de statu Monach. Ex quo textu probari hæc assertio potest: & ex toto titulo de Regular. præsertim ex cap. *viduam.* cap. *significatum.* & cap. *porrectum.* cum similibus, quibus optimè probatur de facto non assumi in Ecclesia huiusmodi statum religiosum sine votis, quæ in religiosa professione fieri solent; quanuis non dicatur expresse illa vota esse de substantia religiosi status. Inde tamen magnum sumitur argumentum, quod huiusmodi vinculum voti per se, & quasi ex natura rei ad huiusmodi statum constituendum, sit necessarium. Ratione autem id magis comprobatur, quia hic status aliquo vinculo, quod obligationem perpetuam inducat, firmari debet, vt ostensum est. Hoc autem vinculum non potest esse extrinsecum, id est, ab extrinseca potestate proueniens, quale est præceptum, quia hic status, & fundamenta principalia eius, quæ sunt paupertas, castitas, & obedientia, talia sunt; vt nec ex natura rei cadant sub obligationem præcepti, nec à Deo imperata sint, nec ab Ecclesia præcipi possint, nisi voluntaria obligatio hominis antecedat; ergo debet esse vinculum ab intrinseco proueniens per voluntarium consensum eius, qui talem statum assumit; quod non est, nisi vinculum voti.

5. *De essentia huius status est, vt per vota confirmetur.*

Dices, argumentum recte probare statum hunc constitui non posse sine promissione, seu pacto voluntario hominis talem statum assumentis, inde tamen non sequi, necessarium esse votum, quia posset fieri per solam promissionem, vel traditionem humanam. Potest enim aliquis alicui homini obedientiam perpetuam promittere, non promittendo illam Deo: quæ promissio inducet de se obligationem perpetuam, quæ ad constituendum statum sufficiat, vt suprà de statu Episcopali dicebamus. Potest etiam materia talis obedientiæ ad castitatem, & paupertatem extendi; quia potest quis promittere alicui obedire, etiamsi castitatem seruare, vel omnia relinquere præcipiat; ergo promissio humana facta homini sufficit ad constituendum aliquem in statu paupertatis, castitatis, & obedientiæ, ac subinde in statu religioso absque proprio voto facto Deo. Nam, vt latè declaraui in 2. tom. de Virtut. Relig. lib. 1. de Voto. cap. 16. etiam de re honesta, & pia potest fieri promissio homini, & non Deo, quæ re vera non erit votum. Ita ergo potest quis promittere obedientiam homini, etiam in ordine ad castitatem, & paupertatem seruandam, si ipse præciperet, nullum votum Deo faciendo. Quod etiam potest intelligi per modum traditionis, vel pacti humani: Vt si in aliqua communitate humana congregata ad bene, & perfecte viuendum in paupertate, & castitate, fiat promissio obediendi prælato, & præcipienti secundum illam regulã, castitatem, & paupertatem. Tunc

6. *Obiectio.*

enim illa promissio erit, vel tantum humana, quia supponitur soli homini fieri, vel non fieri per modum simplicis promissionis sed onerosæ, seu pacti mutui. Hæc autem obligatio (vt suprà de Episcopo dixi) sufficit ad statum, quia illa promissio sufficientem inducit immutabilitatem, ac perpetuam obligationem. Deinde illa obligatio est ad omnia consilia substantialia perfectionis; ergo constituet etiam integrum statum acquirendæ perfectionis, qui est idem cum perfecto statu religionis.

7. *Votum, & promissio humana de re pia distinguuntur, & separantur inter se.*

Respondeo in primis concedendo, votum, & promissionem humanam, etiam in his materiis ad pietatem, & salutem animæ pertinentibus in rigore distincta esse, & sæpe coniungi, vt infrà videbimus, & frequenter etiam separari; ita vt fiat votum Deo de obedientia homini præstanda, nulla facta promissione ipsi homini; sicut fit votum Deo præstandi eleemosynam pauperi, licet ipsi pauperi nulla promissio fiat. Nihilominus tamen è contrario in hac materia pertinente ad salutem animæ, moraliter non contingit, promissionem fieri homini, & non Deo; quia per talem obedientiam principaliter intenditur vnio cum Deo per charitatem perfectam: ergo non debet fieri homini propter commodum, vel honorem illius, sed potius propter bonum promittentis, & ad maius Dei obsequium; ergo principaliter debet fieri Deo, homini vero in cultum, & honorem eius. Deinde si modus ille promissionis, & pacti, qui re vera possibilis est, fieri aliquando supponatur ex absoluta potestate liberæ voluntatis, per illum dici poterit homo constitui in aliquo statu honestæ seruitutis suo modo vtili ad honeste viuendum cum aliquo perfectionis augmento per consiliorum obseruantiam, & ad summum in aliquo statu perfectionis secundum quid. Simpliciter tamen non merebitur nomen religiosi status.

8. *Promissio, quæ hunc statum firmat, debet fieri Deo.*

Primo quidem, quia solus ille status nomen religionis meretur, qui & communi Ecclesiæ vsu receptus, & probatus est, & omnia habet, quæ ad talem statum Ecclesia requirit: vt in discursu sequentium capitum videbimus. Secundo, quia ipsum nomen religionis demonstrat, solum illum statum talem esse, qui Deo primo, ac per se consecratur, quod non habet, nisi ille status, in quo per vota Deo facta, homo ipsi consecratur. Et ideo religiosus dicitur mundo mortuus, & Deo viuus. cap. *placuit*. 2. 16. q. 1. Tertio, quia sola promissio humana, si priuata sit, & per mutuum consensum promittentis, & promissarii dissolui possit, imperfecta est, & ad proprium statum religiosum, & Ecclesiasticum non sufficit, nisi iure aliquo, & authoritate publica firmetur: hoc autem modo non confirmatur promissio obedientiæ, vel castitatis, nisi per proprium votum Deo principaliter conficeretur. Vnde dixit Henricus suprà, quod *Virginitas non honoratur, nisi, quia est sub voto; quia aliter non habet alicuius statum perfectionis, neque corpus sanctificaret, nisi ex tali proposito aliquo modo Deo dicatæ esset.* Et eadem ratio est de reliquis.

*Virginitas non honoratur nisi per votum.*

9. Quarto declarat hoc egregie D. Thomas in Opusc. 18. de Perfect. vit. spirit. cap. 15. dicens, perfectionis esse non solum aliquod opus perfectum facere, sed etiam opus perfectum vouere; quia de vtroque consilium datur. Vnde, qui opus perfectum ex voto facit, ad duplicem perfectionem attingit. Perfectio autem, quæ est in voto, conditionem mutat in statum libertatis, vel seruitutis, vtique in ordine ad Deum. Vnde infrà concludit. *Qui totam viam suam voto Deo obligauit, vt in operibus perfectionis ei deseruiat, iam simpliciter conditionem ad statum perfectionis assumpsit.* Vbi hanc ponit, quasi essentialem formam, & modum necessarium ad talem statum constituendum, seu assumendum: loquitur autem de statu perfectionis acquirendæ, integro, ac simpliciter tali, cuiusmodi est religiosus status; omnis ergo alius modus facere quidem poterit religiosum secundum quid; non vero rigorosè, ac simpliciter.

Tandem vero instabit aliquis; quia saltem pro- 10.
bat obiectio facta per vnum tantum obedientiæ votum posse statum religiosum perfectum constitui; quia per illud potest homo sufficienter obligari ad paupertatem, & castitatem, mediante obedientia Deo promissa: & consequenter etiam per illud consecratur oratio, & studium, & omnis actio, vel omissio, quæ ex obedientia fit. Vnde aliquæ religiones per solum obedientiæ votum religiosam faciunt professionem solent. Respondeo nihilominus, certum esse ad statum simpliciter religiosum constituendum, non sufficere vnum obedientiæ votum, sed tria ad minus requiri, ita docent citati Theologi, & reliqui Doctores omnes, & sufficienter probatur ex vsu Ecclesiæ, & ex iure. Nam voti obedientiæ necessitas per se nota est ex dictis; quia generalis obligatio parendi prælato necessaria est in hoc statu, & tam vniuersalis est, vt non possit sub alio particulari voto comprehendi. Alia verò vota, propria, & immediata clarè supponuntur ab Innoc. III. in dicto cap. *cum ad monasterium*. in illis verbis: *Ne æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare quia abdicatio proprietatis; sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex p̄ſit licentiam indulgere.* De quibus verbis longa futura nobis est in sequentibus disputatio. Nunc ex illis solum colligimus religiosam professionem per se, & immediate obligare ad paupertatem, & castitatem independenter à præcepto prælati ex voto obedientiæ. Et ex eodem capite: & ex capite vnico de Voto. in 6. etiam colligimus, illa duo vota habere speciales effectus circa personam religiosam, quos votum solum obedientiæ facere non posset.

*Per solam obedientiam constitui non potest hic status.*

Tandem possumus ratione argumentari, quia il- 11.
la duo consilia castitatis, & paupertatis per se spectata sunt maximè necessaria ad statum religiosum: ergo ad integram perfectionem illius status pertinet, vt per propria vota immediatè, ac per se recipiant stabilitatem, & immutabilitatem; ita vt nec prælatus in eis possit mutationem facere, nec ab eius voluntate eorum obseruantia pendeat. Nec vsus alicuius perfectæ religionis potest in contrarium allegari; quia licet fortasse interdum in professione alicuius religionis perfectæ, solum fiat expressa mentio obedientiæ secundum regulam, sub illis verbis implicite vota castitatis, & paupertatis intelliguntur; quia ita in regula eiusdem religionis continentur. Et in hoc sensu accipiuntur illa verba ex communi intelligentia, & consuetudine eiusdem religionis.

Nec in hoc rectè fit æquiparatio inter hæc duo 12.
consilia castitatis, & paupertatis, & alias particulares actiones, quas sine speciali obligatione proprio- rum votorum ex obedientia religiosi obseruent. Nam cætera opera sunt particularia, & mutabilia, interdum enim quædam expediunt, interdum alia; & raro expedit sub rigorosa obligatione imponi. At vero consilia castitatis, & paupertatis sunt valde generalia, & eorum immutabilis obligatio, quæ per propria, & specialia vota inducitur, per se necessaria est. Nec denique obstat, quod vsus paupertatis ex licentia prælati pendet; quia prælatus dando licentiam vtendi hac, vel illa re, nullam mutationem in voto paupertatis, vel in eius obligatione facit; sed tantum ex parte materiæ, quasi adimplet conditionem necessariam, vt talis vsus bonorum temporalium non sit contrarius voto paupertatis, nec sub illo comprehendatur. Dixi autem in assertione, ad

*Non est eadem ratio de aliis consiliis seruandis.*

minus

minus tria illa vota requiri; quia hæc ſunt eſſentialia ipſi ſtatui religioſo, vt ſic. An verò in aliquibus religionibus aliquod aliud votum ſit de ſubſtantia talis religionis, in tomo ſequenti, tractando de Religionibus in particulari, melius dicetur. Statim verò inquirendum occurrebat, qualia eſſe oporteat talia vota, ſcilicet, an ſolennia ſint neceſſaria, vel ſimplicia ſufficiant? Prius autem neceſſarium eſt exponere, quomodo votum ſolenne à ſimplici diſtinguatur. Ad hoc autem explicandum examinare prius oportet, an præter dicta vota, traditio aliqua, vel promiſſio humana ad ſtatũ religioſum neceſſaria ſit?

## Caput IV.

### *Vtrùm ad ſtatum religioſi ſubſtantiam, præter tria vota eſſentialia, neceſſaria ſit promiſſio, vel traditio perſonæ talem ſtatum aſſumentis facta alicui homini, vel hominum communitati propter Deum.*

1. Status religionis quomodo conſtituatur, vel in vita ſolitaria, vel communitate religioſa.

SVppono, ſtatum religioſum duobus modis conſtitui poſſe per ſe loquendo, & ipſa rei natura conſiderata; vnus modus eſt in communitate religioſa: alius eſt in vita ſolitaria, ſeu in particulari viuendi modo. Prior modus ſatis notus eſt in Eccleſia; imò ſecundum præſentem eius conſuetudinem, ſtatus religionis non eſt, niſi cœnobiticus, id eſt, in aliqua Eccleſiaſtica congregatione, ſeu communitate; in qua ſub vno capite, & ſub aliqua probata regula viam perfectionis religioſi profitentur. Imò hanc fuiſſe primam religionis formam à Chriſto datam, & ſuo exemplo inductam, ſentit Baſilius de Conſtitut. Monaſt. c. 19. dicens de Cœnobitis. *Hi verò imitatores ſunt Saluatoris noſtri, eiuſq; vitæ, quam in terris duxit. Quemadmodum enim ille coacto Apoſtolorum choro communia cuncta, ſeque ipſum communem Apoſtolis præbuit; ita hi quoque Antiſtiti ſuo obtemperantes genus viuendi Apoſtolorum imitantur, ac Domini.* Vbi de hoc religionis inſtituto in vita communi multa præclara ſcribit, dicens: *Maximam partem eorum, qui ſe colendæ pietati dederunt, in ſocietate cum aliis degui ſſe.* Et in cap. 20. 22. & 23. illius ſtatus firmitatem & rectum obedientiæ ordinem deſcribit, & commendat. Et ex antiquis decretis eſt hoc manifeſtum 16. q. 1. per multa capita; & vbicunque de Monachis in monaſterio degentibus ſermo eſt. Et nouiora iura, quæ de hoc ſtatu, & de approbatione ad illum neceſſaria loquuntur, in hoc ſenſu videntur de Religione loqui; vt per vocem illam, aliquam communitatem hunc profitentem ſignificent: Vt videre licet in cap. vltimo, de Religioſis domibus, & in capite vnico. eodem titulo, in ſexto. Et ita frequentius loquitur de religione D. Thomas in 2. 2. q. 186. præſertim art. 2. 5. & ſequentib.

2. Status religionis priuatæ quomodo ſolitaria vita dari poſſit.

Alter modus religioſi ſtatus in priuata, vel ſolitaria vita parum quidem vſitatus nunc eſt in Eccleſia: nihilominus ex natura rei eſſe poſſibilem probari facilè poteſt; quia nulla in eo poteſt repugnantia oſtendi, vt paulo poſt declarabitur. Prius enim ex antiquo vſu Eccleſiæ id conuinci poteſt. Olim enim virgines priuatam in ſuis domibus vitam agentes, in manibus Epiſcopi profitebantur, & ſacrum velum recipiebant. Sic enim ſanctam Domitillam de manu Clementis ſacrum velamen virginitatis accepiſſe referunt hiſtoriæ, vt eſt apud Surium tom. 3. in 12. diæ Maij, & Baron. tom. 1. anno 98. n. 6. At verò illud velamen ſignum erat religioſi ſtatus; & ante monaſteria, ſeu communitates virginum, in vſu fuit tunc autem huiuſmodi virgines ſacræ, in domibus priuatis, vel parentum, vel aliis honeſtis locis habitabant: vt clarè ſupponit Concilium Elibert. c. 27. vbi has virgines, tanquam religioſas Deo dicatas appellat. Et de eiſdem loquens Concilium Carthag. III. cap. 33 præcipit, vt virgines ſacræ, *ſi parentibus à quibus cuſtodiebantur, priuatæ fuerint, Epiſcopi prouidentia, vel presbyteri, ſi Epiſcopus abſens fuerit, in monaſterio virginum, vel grauioribus fœminis commendentur.* Vbi obſeruare licet, quod quanuis eo tempore iam eſſent monaſteria virginum in vſu, nihilominus non cogebantur virgines ſacræ in monaſteriis viuere, ſi commodè poterant in priuatis domibus cuſtodire. Dices, hæc poſſe intelligi de fœminis virginitatem ſolam vouentibus. At non poteſt hoc vniuerſim ſuſtineri; quia virgines ſacræ, & Deo dicatæ in primitiua Eccleſia, non dicebantur, niſi quæ ſacrum velamen recipiebant; quod viduis, & corruptis non concedebatur, etiamſi votum caſtitatis emitterent: vt conſtat ex Gelaſ. epiſt. 1. & ex Leone epiſt 87. & Auguſt. lib. de bono coniug. cap. 26. Et infrà ſuo loco latius dicemus. Erant ergo veræ religioſæ, & ideo ſpecialiter conſecrari dicebantur. Præterquam quod veriſimile non eſt, toto eo tempore, quo non potuerunt monaſteria virginum ædificari, aut fœminarum conuentus fieri; nullas fuiſſe in Eccleſia fœminas propriè, ac verè religioſas.

3.

Simile argumentum fieri poteſt de viris, qui in principio Eccleſiæ religioſum ſtatum aſſumpſerunt. Prius enim incepiſſe priuatim, ſeu ſingulatim ſe Deo dicare, quàm in cœnobio, ſeu vita communi, veriſimile eſt. Et in primis de Apoſtolis fieri potuit, vt ſequendo Chriſtum, ſub trium votorum obligatione ab ipſo accepta, & recepta, religioſi fierent. Nam, quod multi hoc idem fecerint, & inde Collegium Apoſtolicum reſultauerit, reſpectu ſingulorum quaſi accidentarium eſſe potuit: nam primus, qui hoc fecit, ſtatim verè religioſus fuit, & idem fuiſſet, etiamſi alii ſtatum illum non aſſumerent. Certius id oſtenditur in antiquis monachis ſolitariam vitam agentibus, iuxta nomen ſuum. Nam Monachus idem, quod ſolus ſignificat, teſte Hier. ep. 13. & idem habetur in c. *placuit.* 1. & 2. d. q. 1. & D. Baſil. in ſuis Monaſticis conſtit. à principio vſque ad c. 18. huiuſmodi ſolitarios monachos inſtruit. Vnde in c. 19. ſic incipit: *Ac de iis quidem, qui ſingulariter, ac ſeorſim à cæteris ad pietatem ſe exercent; deque ſolitariam vitam complexis ſuperiùs dilucidè, quantum potuimus, diſputauimus.* Et infrà ſubiungit. *Verùm, quoniam maximam partem, quæ ſe colendæ pietati dediderunt, ii in ſocietate cum aliis degunt*, &c. In quibus verbis vtrumque membrum diſtinctionis à nobis propoſitæ expreſſit. Verum eſt tamen, in prioribus etiam capitibus multa dicere, quæ ad religioſos in communitate viuentes ſpectant. Vnde in cap. 8. 9. & 10. & aliis, expreſsè loquitur de his, qui in monaſteriis viuunt, & in eis vitam ſolitariam, & contemplatiuam profitentur. Et in regula 6. ex fuſiùs diſputatis, ait, vitam religioſam ſeparatam eſſe debere à conſuetudine & cohabitatione ſecularium: ſtatim verò in ſeptima ſupponit, talem vitam, aut omnino ſolitariam, aut ex ſocietate fratrum eiuſdem propoſiti eſſe poſſe; & inquirit, quæ illarum potior, aut eligibilior ſit: & quanuis cœnobiticam præferat, non negat tamen alteram perfectam, ac verè religioſam eſſe poſſe. Imò in epiſt. ad Chilonem, anachoreticam vitam valde commendat. Et idem proſequitur in Opuſc. de laudibus vitæ ſolitariæ. & in epiſt. 1. ad Gregorium, & in 79. ad Euſtachium.

4. Anachoretæ verum ſtatum religioſum habent.

Nec dubitandum eſt, quin iſti Anachoretæ verum ſtatum religioſum habere potuerint. Sicut nunc poſſet Pontifex alicuius vota priuatim ſibi facta, tanquam ſubſtantialia religionis admittere, & olim etiam faciebant Epiſcopi, vt infrà videbimus. Ratio verò eſt, quia neque ex ratione ſtatus, vt ſic, nec ex ratione ſtatus perfectionis neceſſaria eſt illa conditio

ditio vitæ communis: nec status religiosus ex sua specifica ratione aliquid habet, vnde illam necessariò requirat; ergo nulla ratione necessaria est. Maior quoad vtramque partem probatur; quia status, vt sic, solum dicit immobilitatem quandam in conditione libertatis, aut seruitutis: addit vero status perfectionis, quod sit in ordine ad actus perfectionis exercendos. Sed conditio seruitutis potest esse propria alicuius personæ priuatam vitam agentis, & in illa potest habere stabilitatem, & ordinem ad actum perfectionis; ergo. Atque eadem proportione probanda est minor propositio; quia status religionis non addit supra statum perfectionis, nisi, quod sit in ordine ad perfectionem acquirendam: & quod sit veluti schola perfectionis. Sed potest quis priuatam vitam agens, perfectioni acquirendæ insistere, & certam vitæ rationem firmam, & stabilem assumere, in qua per obseruantiam trium consiliorum ad perfectionem tendat; & ad hunc finem sub alicuius potestate sit firmiter constitutus. Ergo nihil illi deerit, quominus verè, ac propriè sit in statu religionis. Denique extra communem, seu cœnobiticam vitam potest integra virginitas perfectè Deo consecrari, nihil habendo proprium, nec proprietarium vsum cum dependentia ab alterius licentia. Vnde potest etiam obedientiæ votum interuenire, Episcopo, v. g. vel alteri potestatem habenti factum, & ab eo publicè, ac solenniter, si necesse fuerit, acceptatum. Ergo sine vita communi potest status verus religionis constitui. Quomodo autem semper interuenire debeat Ecclesiæ approbatio, infrà videbimus.

5. *Prima assertio.*

*Religiosus dominium sui in Deum transfert.*

Hac ergo distinctione suppositâ. Dico primo. Per vota religiosa ita homo traditur Deo, vt speciali modo dominium sui in Deum transferat; id autem non fit, nisi quando talia vota nomine Dei per Ecclesiam acceptantur. Prior pars huius assertionis sumitur ex communi modo loquendi Patrum, præsertim D. Thomæ 2.2.q.184.a.4. & 5. & q 186.a.1. vbi dicit religiosum per antonomasiam dici, qui se totaliter mancipat diuino seruitio. Expressius id docet in 4. dist.38.q.1.a.2. quæst.3. & quodlib.3.a.18. eumque imitantur alii Scholastici, quos capitibus sequentibus referemus. Deinde sumitur hæc pars ex Gregorio, quem sæpiùs in hac materia D. Thomas allegat. in homil. 20. in Ezechiel. vers. finem. Vbi indicat, professionem religiosam esse holocaustum quoddam, in quo religiosus nihil sibi reseruat, sed *sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam perceperat, omnipotenti Deo immolat.* Nam, vt antea dixerat, *Cum aliquis omne, quod habet; omne, quod viuit; omne, quod sapit, omnipotenti Deo vouit, holocaustum est.* Vnde alii Patres de hoc statu loquentes sæpe docent, verum religiosum ita se Deo tradere, vt nullum ius in seipsum retineat. Sic enim dixit Basilius serm.1. de institut. Monach. *Vbi quis sponte sua ipse professus, hic Deo custodire seipsum debet, veluti eorum aliquid, quæ donata sunt Deo.* vbi alia multa dicit, quibus hoc significat. Vnde ad Monachum lapsum in epist.1. sic scribit: *Vide, ne fortè dum vis, quæ quibusdam pactus es custodire, transgredare pacta à te inita cum Deo, quæ professus es coram multis testibus.* Et in regulis fusius explicatis in 14. declarat, pactum illud esse traditionis cuiusdam, & ideo *sacrilegum furtum committi si res sic Deo dicata subtrahatur.* Et Chrysost. epist. ad Theodor. Monach. circa medium: *Si militiæ, inquit, vincula non tenerent, quis tibi desertionis crimen obiceret? Nunc autem nihil in te penitus tui iuris est, quippe qui tanto imperatori militare cœpisti.* Et Cassian. lib. 2. de Instit. Renunc. cap. 3. *Religiosum*, ait, *ne sui quidem ipsius dominium, vel potestatem habere.* Et similia ferè habet Sanctus Benedictus in sua regula ca. quinquagesimo octauo. Ratio autem huius partis in generali reddi potest, quia status religionis est status seruitutis: vt D. Thomas docuit, & in superiori libro explicauimus. hoc autem intelligendum est de seruitute Dei, vt ipsum nomen religiosi præ se fert, & notauimus ex Dionysio cap.6. de Ecclesiast. Hierarch. At seruitus non fit per solam promissionem, sed traditionem, & dominii translationem requirit. Ergo cum proportione in hoc etiam statu necessaria est. Et probando alteram partem, hæc magis confirmabitur.

6. *Vota nomine Dei per Ecclesiam acceptari debent, vt fiat hæc traditio.*

Altera ergo pars, nimirum, hanc traditionem non fieri, nisi interueniente acceptatione Dei per Ecclesiam, probari potest in primis ex vsu Ecclesiæ, quem infra tractando de professione religiosa, latissimè ostendemus. Deinde probari potest illa ratione generali tacta à D. Thoma q. 184.a. 4. quia status religiosus, de quo tractamus, est status Ecclesiasticus; ergo per traditionem validam in foro Ecclesiæ fieri debet: non potest autem traditio esse valida in foro Ecclesiæ, nisi per ipsam Ecclesiam acceptetur. Ergo. Vnde confirmatur: nam hac ratione approbatio Ecclesiæ necessaria est, vt infra videbimus. Denique traditio non habet valorē, nec efficaciam ad transferendum dominium in alterum, nisi ab eo acceptetur; ergo etiam in præsenti traditione necessaria est acceptatio Dei. At Deus non acceptat immediatè per seipsum aliquam donationem sibi factam; ergo necesse est, vt per Ecclesiam, seu ministrum ab ea deputatum hæc acceptatio fiat, & consequenter, ratione illius necessarium est, traditionem hanc in manibus alicuius hominis fieri. Primum antecedens in humanis donationibus receptissimum est. Ex l. *necambigi.* C. de donat. cum similibus, quæ latè congerit Sancius lib.1. de Matrim. disp. 6. à principio. Prima item consequentia est clara; quia necessitas acceptationis ex natura rei prouenit, quia donatio est quidam contractus, qui sine donantis, & donatarii consensu non perficitur.

7. *Differentia, inter promissionem & traditionem Deo factam.*

Minorem autem probant aliqui; quia Deus per seipsum non posset acceptare sine sui mutatione. Sed hoc reiecimus in l. b. 4. de Voto. cap. 2. Vbi ostendimus, Deum per seipsum vota acceptare, quæ in promissione consistunt, quod hic negamus de traditione, vel oblatione, resoluendo dubium, quod in illo tractatu lib.1. cap.14. in fine indecisum reliquimus. Probanda est ergo illa minor ex differentia inter promissionem, & traditionem, seu donationem Deo factam. Nam promissio ipsi Deo immediatè fieri potest, & illi placere, si sit de re sibi grata: & hoc satis est, vt habeat suum effectum, qui tantum est obligare promittentem ad faciendum quod promisit. Neque inde acquirit Deus aliquod speciale ius, vel dominium, quasi intrinsecum; sed promittens manet obligatus ad seruandum promissum. Et quanuis Deus possit illum cogere, non habet illam potestatem de nouo acquisitam, sed intrinsecam, & connaturalem, solumque ex parte materiæ, seu hominis facta est mutatio per obligationem, quam homo promittendo acquisiuit; ratione cuius sub illa potestate diuina constitutus est. At verò traditio, vel donatio, licet possit immediatè fieri intuitu Dei, non tamen acceptatur ab ipso, nec est illi grata, nisi fiat alicui homini, à quo acceptari, vel repudiari possit, & qui ius acquirat in rem traditam ad vtendum illa, vel illi imperandum, cutamque gerendi eius.

8. Huius autem ratio est, quia Deus secundum ordinariam prouidentiam suam non suscipit peculiarem curam gubernandi priuatam personam immediatè per seipsum, nec indiget his rebus sensibilibus, vt eis immediatè, & sine interuentu causarum secundarum vratur; & ideo donatio sic facta Deo, vel esset

esset vana, & otiosa, vel quasi tentans Deum, ab illo immediatum regimen exigendo; & propterea illi non placet, nec ab ipso immediate acceptatur. Potestque hoc exemplis declarari. Nam si quis secum deliberet, ac definite velit à se abdicare dominium vineæ, v. g. & immediate illam Deo donare, si illam voluntatem manifestet Ecclesiæ, id est, ministris eius, qui sunt administratores bonorum Dei, & illi eam acceptent, & sub sua cura, & regimine illam recipiant; nullius momenti erit donatio, & sine iniustitia poterit à priori domino voluntas illa retractari. Imò etiam sine peccato, nisi constet voluisse se obligare in futurum. Nam tunc habebit prior voluntas vim promissionis factæ Deo, de qua certò constare oportet, vt ad illam implendam aliquis cogatur. Donatio autem propria, & traditio externorum bonorum, quæ aliquid vltra promissionem addat, respectu Dei intelligi non potest, nisi per Dei ministros acciperetur. Ergo idem est in traditione proprii corporis, personæ, aut voluntatis. Et hæc veritas ex dicendis in capitibus sequentibus de votorum solennitate: & in lib. 8. de Professione religiosa, magis declarabitur, & confirmabitur. Et ibi etiam plures illam docentes referemus; & respondebimus Scoto, qui contrarium videtur docere in 4. dist. 34. quæst. vnica.

9. Secunda pars. Dico secundò, ad proprium vinculum religiosi status, quando in communitate religiosa assumitur, præter tria vota suprà dicta immediate Deo facta, quibus religiosus ipsi obligatur, necessaria est peculiaris obligatio humana per modum pacti reciproci, quo & ipse religioni se donat, & obligatur religioni; & religio eius traditionem acceptat, eique vicissim obligatur ad illum tanquam membrum suum alendum, conseruandum, & iuxta suum institutum gubernandum. Hanc assertionem indicant multi Theologi disputantes de voto solenni religionis, & substantiam eius in traditione constituentes; sed ex illis quidam illam cum voto ipso confundunt; alii dicunt esse solennitatem voti: non declarant autem, an inducat peculiarem obligationem humanam, id est, inter homines; neque an reciproca sit. Solum inuenio Nauarrum, in cons. 26. de regular. in principio, expressè declarantem hanc reciprocam obligationem. Et sequitur Sancius lib. 7. de Matrim. disput. 25. n. 12. Idemque sentiunt Canonistæ in cap. *ad Apostolicam.* de Regular. ex quo textu potest hoc genus contractus, & mutuæ obligationis colligi: quatenus Innocentius III. ibidem dicit probationis annum in fauorem religiosi, & religionis introductum esse, vt vterque iuri suo consulat, & an obligari sibi sit expediens, experiatur. Potest hoc etiam ex vsu Ecclesiæ; & modo profitendi in his religionibus confirmari. Sed hoc infrà in lib. 4. ex professo tractandum est.

10. Ratio vltra ipsum, & obligatum mutuo obligare. Ratio denique propria huius status est, quia in eo religiosus sit membrum vnius corporis mystici, quod est ipsa religio: id autem fieri non potest, nisi per mutuam vnitionem inter totum, & partem; illa verò vnitio, cum moralis sit, per mutuam obligationem fit; & quia est actualis, ac realis, & (vt ita rem explicem) præsentanea vnio, ideo per traditionem actualem, & acceptationem illi proportionatam fieri debet. Vnde obiter etiam notari potest, in hoc statu euidentius ostendi causam, ob quam non potest religiosus in illo statu constitui, nisi sit aliquis, qui Dei nomine eius vota, obligationemque acceptet; quia in illo statu ita se homo tradit Deo, vt non nisi obligatione reciproca, & sibi proportionata ex parte alterius extremi obligari velit. Non potest autem esse obligatio vltro, citroque humana, & hominibus proportionata, nisi aliquis obligetur religioso nomine, seu vice Dei, sicut ipse Deo se obligat respectu talis hominis, vel mystici corporis humani; ergo necessarium est, vt præter religiosum se tradentem, intercedat alter, qui traditionem acceptet nomine Dei, & totius religionis, simulque illam acceptando, religionem ipsam obliget religioso. Totum ergo hoc est de substantia talis status.

11. Tertia pars. Dico tertiò. Status religiosus priuatim, & sine vnione ad aliquam religiosam communitatem assumptus, non potest quidem fieri sine habitudine ad aliquem hominem, cui vouens se obliget, & potestatem in seipsum tribuat. Nihilominus tamen potest interdum hoc fieri per speciale pactum cum tali persona nomine Dei acceptatum, ex quo reciproca obligatio oriatur. Interdum verò ex sola rei natura talem statum considerando, constitui potest sine speciali promissione, vel obligatione proximè, vel directè homini facta per sola vota oblata Deo, & modo speciali ab homine acceptata. Prima, & secunda pars huius assertionis faciles sunt ex dictis. Nam prima fundatur in necessitate voti obedientiæ, vt in cap. 2. & 3. dicere cœpimus: nam sine obedientia voluntaria ad hominem loco Dei voluntariè assumptum ad proprium regimen, non potest status obedientiæ constitui, siue in vita communi, siue in priuata. Ergo non potest homo obligari ad obediendum, nisi ex vi talis obligationis teneatur alicui homini obedire; ergo necessarium est, vt ex vi talis obligationis redundet in alterum potestas præcipiendi, & obligandi ipsum religiosum statum assumentem; quia superioris potestas, & inferioris subiectio, seu obligatio correlatiua sunt: vnde non potest vna, sine alia subsistere. Ergo necesse est, vt ipse vouens tribuat alteri talem potestatem, obligando se illi, quia in voluntaria obedientia non datur alia origo talis potestatis, nisi voluntas hominis statum illum assumentis.

12. Dices, imò hanc potestatem residere in tali superiore per iurisdictionem Ecclesiasticam, quam habet, vel à iure ordinario, vt Episcopus, vel ex donatione Papæ. Hæc verò responsio petit quæstionem specialem de hac iurisdictione, an sit per se necessaria ad statum religiosum, quam circa finem huius libri tractabimus. Nunc vero suppono non esse necessariam talem iurisdictionem specialem ex natura rei, quia ipsa obligatio ex votis orta sufficit, vt ibi ostendam. Et præterea, quando intercedit iurisdictio, non potest cadere in aliquam personam, nisi præcedat voluntaria subiectio tali personæ, vel prælato data; & ita semper procedit ratio facta.

13. Secunda pars ex dictis facilis est, quia materia est accommodata humanæ promissioni, vel pacto mutuo, & in liberrate voluntatis est illud facere. Declaratur, quia votum obedientiæ necessariò fieri debet de parendo mandatis alicuius hominis; ergo licet hoc votum fiat Deo, cum illo fieri potest promissio ipsi homini cum speciali, & propria obligatione parendi illi, etiam conferendo illi ius, vt ex iustitia possit alterum obligare, vt suis iussis obtemperet. Totum enim hoc cadit sub potestatem liberæ voluntatis, & non est contra rationem status religiosi imò illum aliquo modo perficit, magisque confirmat. Nam licet hæc promissio fiat homini, fit propter Deum, eiusque intuitu, & in ordine ad maiorem Dei cultum; ideoque non est extra rationem religiosi status. Poteritque hæc obligatio esse mutua; si alter, cui obedientia promittitur, non solum illam acceptet, sed etiam se obliget ad habendam peculiarem curam, & administrationem talis personæ: & præsertim, si illa obligatio perpetua fuerit, vel quandiu vita duraverit, vel simpliciter ratione muneris: vt si obedientia promittatur Episcopo, non vt

est

est Petrus, vel Paulus, sed vt est Prælatus talis diœcesis; & obligatio cum proportione reciproca sit, quantum esse potuerit.

14. *Ex sola rei natura, promissio facta homini non ipsi necessaria ad hunc statum priuatim assumptum.* Hinc verò probatur vltima pars, nimirum, in huiusmodi statu priuato hanc humanam obligationem non esse necessariam, neque de substantia talis status religiosi, sed absque illa posse subsistere, loquendo ex sola rei natura, & secluso omni Ecclesiastico iure. Quia sicut est in libertate voluntatis cum voto obedientiæ Deo facto coniungere promissionem factam homini; ita est etiam in eius libertate purum votum facere, sine tali promissione; & tamen illud obedientiæ votum cum reliquis sufficiet ex natura rei ad constituendum talem hominem in statu perfecto religionis; ergo illa promissio non est necessaria, nec ad substantiam talis status. Consequentia euidens est, & maior similiter, quoad vltimam partem nota est. Quia potest quis vouere Deo aliquid agendum circa proximum pura obligatione voti, nihil homini promittendo, nec vllam obligationem ei præstando. Vt si quis voueat Deo iniuriam remittere malefactori suo, vel dotare pauperem, vel seruire in hospitali, nullum ius ipsi hospitali tribuendo; & in similibus: vt notaui lib. 1. de voto. cap. 16. n. 13. Sic ergo in præsenti, qui vult religiosum statum priuatum sumere, promittit Deo obedire, suo confessori nullam specialem promissionem faciendo. Ergo potest sufficienter per illa tria substantialia vota in illo statu constitui sine interuentu alicuius humanæ promissionis.

15. Et declaratur amplius: nam potest quis vouere obedientiam non huic determinatæ personæ, vt est Petrus, vel Paulus, nec Prælato ratione muneris perpetui, sed simplici confessori, quem ipse elegerit: imò etiam potest non ita promittere, vt teneatur semper in eius obedientia permanere, quem semel elegerit, sed retinere libertatem mutandi confessorem, eligendo alium, quanuis semper voto obligetur ad obediendum ei, quem elegerit, & pro confessore habuerit, quod satis est ad illius voti perpetuitatem, & immobilitatem. Ergo signum est, cum tali voto obedientiæ non coniungi specialem promissionem, vel obligationem ad personam confessoris. Tandem ex parte personæ confessoris, seu talis superioris idem potest declarari; quia non est necessarium, vt ex parte illius aliqua specialis promissio, vel obligatio fiat personæ sibi obedientiam promittenti: ergo nec è contrario, &c. Probatur consequentia, tum à paritate rationis: tum etiam, quia quando ex parte vouentis additur specialis promissio respectu Prælati, solet obligatio esse reciproca, vt declaratum est; & videtur æquitati conforme, regulariter loquendo. Antecedens verò probatur, quia talis confessor, aut superior pro suo arbitrio potest liberè acceptare munus confessoris cum illa potestate præcipiendi, quandiu in eo munere permanserit, non se obligando, ad permanendum in illo. Et quanuis tali acceptatione supposita, teneatur curam illam debito modo administrare: non tamen ex speciali promissione, sed tantùm ex ipsa lege naturali, quantum iustitia, & recta ratio dictauerit, nullam peculiarem obligationem sibi ex vi alicuius promissionis, vel contractus imponendo.

16. Dices; licet hic discursus probet hæc tria vota posse hoc modo fieri, non tamen probare, illa sufficere ad statum religiosum constituendum: alias posset subsistere sine vlla traditione propriæ personæ talem statum assumentis, & sine translatione peculiaris dominii in Deum supra ipsam, quod videtur alienum à sanctis Patribus, & ab illius status perfectione. Item sequeretur, nunc esse posse veros religiosos cum solis tribus votis illo modo factis; quod etiam repugnat iuri, & communi consuetudini, quàm nunc seruat Ecclesia. Respondetur in primis, hactenus solùm dictum esse ex natura rei, & ex parte votorum, vel promissionum, aut pactorum, posse illa tria vota sufficere ad constituendum religiosum statum, spectato solo iure diuino, ac naturali. & hoc sufficienter probat discursus factus. An verò talia vota simplicia sufficiant, vel solennia requirantur: item an sit necessaria Ecclesiæ approbatio; vel ex eius ordinatione possit aliquid esse necessarium ad substantiam talis status, quod ex sola rei natura, vel de iure diuino necessarium non sit; nondum est disputatum, sed in discursu huius libri declarandum est. Et ideo ad difficultatem positam nunc breuiter concedimus antecedens, quia non infirmat discursum factum vt declaraui. Posset etiam vtraq; sequela negari, quia possunt illa tria vota sine alia promissione, vel pacto humano ita fieri, vt traditionem aliquam contineant. Et nunc possunt aliæ conditiones ex institutione Ecclesiæ requiri, vt postea videbimus.

## CAPVT V.

### *Vtrùm ad constituendum statum religiosum vota debeant esse solemnia.*

1. HOc est præcipuum punctum huius materiæ, ad quod exactè explicandum, necessarium est diligenter inquirere, & explicare, quid solenne votum simplici addat, quomodoque ab illo differat: quam propterea quæstionem, in tractatu de voto, lib. 1. cap. 14. in hunc locum reseruauimus. Attigit quæstionem propositam D. Thom. 2 2. q. 84 a. 4. & generatim docet, solennitatem aliquam voti, non solum ad statum religionis, sed etiam absolutè ad statum perfectionis constituendum necessariam esse. Quæ verò, & qualis debeat esse illa solennitas, non satis explicat: & ideo circa illius loci intelligentiam, & circa rem ipsam variæ sunt opiniones, quas postea tractabimus. Prius enim supponenda est distinctio voti in simplex, & solenne; quæ sumitur ex cap. *ursus*, & cap. *meminimus*. qui clerici, vel vouentes, & ex cap. vnico de voto in sexto. & ex cap. penultimo de Regularib. in sexto; tradunt D. Thomas 2. 2. q. 189. a. 5. & alii communiter. Et indicatur à Basilio in regulis fusi. disp. reg. 14. dicente: *Apostatam in Deum peccare, quem professionis siue testem adhibuerit, cuique solenni se voto obligarit.* Vbi licet vnum tantum membrum exprimat, tacitè innuit aliud: nam votum solenne à non solenni distinguitur; & hoc rectè vocatum est simplex, quia simplicitas vbique, & in præsenti etiam negationem dicit, vt mox explicabimus. Et ante Basilium rem ipsam, id est, votum cum solennitate factum explicauit Dionys. cap. 10. de Ecclesiast. Hierarch. vbi modum solenniter vouendi religiosorum describit. An verò Patres isti loquantur de voto solenni in significatione nunc vsitata, incertum est. Et Medin. lib. 4. de sacror. homin. contin. contendit illa verba, prout nunc sunt in vsu, non esse antiqua. Sed hoc postea expendemus, tractando de origine religiosi status.

*Votum simplex, & solenne diffinguuntur.*

2. Secundo supponendum est, votum simplex, & solenne in communi, ac essentiali ratione voti conuenire. In hoc fundamento multi Doctores inferiùs citandi consentiunt; illudque in tractatu de voto, lib. 1. cap. 14. indicauimus. Et probatur breuiter; quia nisi illa duo vota in aliqua communi, & essentiali ratione voti conuenirent, non vniuocè, sed æquiuocè, vel ad summum analogicè vota dicerentur. Consequens autem est falsum, & contra communem sensum Doctorum, imò, & iurium, ac Pontificum de hac materia loquentium; & contra omnem rationem, quia omne votum siue simplex sit, siue solenne, inducit obligationem religionis ex vi pro-

*Conuenit in communi, & essentiali ratione voti.*

promissionis Deo factæ. Hæc autem conuenientia non est in sola voce, sed in re ipsa; neque vlla ratio analogiæ in ea reperitur. Vnde omnia, quæ de honestate, vel obligatione voti in Scriptura loquuntur, tam votis solennibus, quam simplicibus conueniunt. Quale est illud Eccles. 5. *Si quid vouisti Domino, ne moreris reddere*, & similia. Et confirmatur, nam transgressio voti simplicis, & solennis, in genere malitiæ essentialiter conueniunt. Adeo, vt multi Theologi probabiliter doceant, non esse necessariam circumstantiam illam in confessione explicare: & qui contrarium docent, saltem supponunt, illa duo peccata in eodem genere malitiæ conuenire. Ergo necessario dicendum est è conuerso, votum solenne, & simplex conuenire in essentiali ratione voti, siue illa genetica sit, siue specifica, quod postea videbimus.

Ex quo possumus tertio supponere, votum solenne differre à simplici, tanquam addens, & includens aliquid, quod votum simplex non includit; ita, vt votum simplex ideo tale sit, & appelletur, quia præcisè includit essentialem rationem voti, absque peculiari aliqua solennitate, quam solenne addit vltra essentialem rationem voti. & consequenter quasi primariò comparetur, & opponatur voto solenni, quia caret illa solennitate, quam solenne votum, vltra communem rationem voti, in tali materia includit. Tota ergo difficultas superest in explicando, quid sit ista solennitas, quæ proprium religiosum votum solenne constituit; quod in sequentibus capitibus paulatim inquirendum est. Nunc solum illud addimus, quod ex dictis sequitur, quidquid illa solennitas sit, non posse esse differentiam essentialem alicuius speciei voti, id est, contrahentem essentialiter votum castitatis, obedientiæ, vel aliud simile: sed esse aliquid extra essentiam talis voti, vt votum est talis materiæ, licet sit de ratione voti solennis, vt solenne est: sicut figura sphærica est de ratione globi, vt globus est, licet non sit de ratione intrinseca talis quantitatis, vel materiæ talis globi. Hoc probaui latè in d. libro, & cap. de voto. Et summa rationum est, quia votum simplex castitatis, v. g. est quædam species vltima voti, vt est per se clarum; quia potest in re ipsa, & in individuo subsistere sine maiori contractione, vel determinatione; ergo illud votum non est amplius contrahibile essentialiter. At verò in solenni voto castitatis inuenitur totum id, quod positiuum est, & essentiale in voto simplici castitatis; ergo id quod addit votum solenne castitatis supra votum simplex eiusdem materiæ, non est differentia essentialiter contrahens votum, vel nouam eius speciem constituens, sed erit aliquid accidentaliter proficiens votum, vt scilicet formaliter constituat votum in ratione solennis; & sub hac ratione, & quasi compositione, de illius essentia dici possit. Quæ omnia in sequentibus clariora, & certiora fient.

Quarto, vt specialem voti solennitatem, quam inquirimus, explicare possimus, alia vulgaris distinctio voti solennis præmittenda est. Aliquando enim votum appellatur solenne lato quodam, & vulgari modo; aliquando verò, proprio, & stricto: & prius votum dicitur accidentaliter solenne, id est, accidentali, & quasi extrinseca solennitate ornatum; quomodo etiam inter Gentiles, quædam vota solennia dicebantur, quia verbis conceptis, & solenni ritu fiebant: vt referunt Alexand. ab Alexandro, & Tiraquel. lib. 2. Geniali. cap. 11. & lib. 3. cap. 22. Posterius autem dicetur subsstantialiter solenne, tanquam substantiali quadam solennitate constitutum; de qua substantiali solennitate, quid sit, tota controuersia versatur, vt postea videbimus. Et hanc distinctionem insinuat D. Thom. 2.2.q.88. art.7. ad 3. vbi solum votum substantialem solennitatem habens vocat solenne, quod vbique obseruat: aliud autem vocat publicum. Item tradunt dictam diuisionem plures ex Theologis in 4. dist. 38. Durand q. 1 & 2. n. 7. & 8. Palud. q. 2. Scot. q. 1. supplem. Gabriel. q. 1. a. 2. Altisiod. lib. 4. sum. tract. 9. cap. 7. q. 4. ad 3. Abulens. in 3. cap. Numer. q. 46. Aluarus Pelag. libro de Planctu Eccles. cap. 46. Cordub. lib. 1. q. 1 æst. Theolog q. 24. Petr. Soto de Instit. Sacerd. tract. de Matrim. sect 5. Nauarr. cons. 18. de Regular. Aug. de Anchona lib. 1. de Potest. Eccles. q. 70. art. 1. ad 2. Et videri potest Medina. de Sacror. homin. continentia lib. 4. controu. 7. cap. 22. & sequentibus. Et sumitur etiam ex iuris Interpretibus, in cap. penult. de voto, vbi specialiter Innocent. Hostiens. & Panorm. & in cap. vnico. de voto. in 6. vbi Ioannes Andreas, Gemin. & alii. Ancharanus in cap. *meminimus*, qui clerici, vel vouentes. Anton. de Butr. in cap. *rursus*: eodem titulo. Potestque diuisio ex illis iuribus colligi, & ex aliis, quæ infrà referemus.

5. Ad huius autem diuisionis explicationem supponere oportet, cum votum fieri possit, vel sola mente, vel simul voce, aut alio externo signo, actuque visibili (vt in tractatu de voto diximus) ad vtrumque votum solenne necessarium esse, vt non solum mentale, sed etiam externũ, & visibile sit. Tum, quia nullum potest simplicius votum esse, quàm purè mentale; ergo, vt votum sit aliquo modo solenne, debet saltem addere aliquam externam manifestationem. Tum etiam, quia votum non dicitur solenne, nisi in ordine ad Ecclesiam, cui debet de tali voto constare. Et ideo in iure nullum votum solenne appellatur, quod externum non sit; quia interdum per se, & natura sua occultum est hominibus. Deinde non satis est, votum esse externum, vt sit solenne, sed oportet etiam esse aliquo modo publicum. Vnde Magist. in 4. dist. 38. proprium votum, quod *si gulare* ipse appellat, in priuatum, & solenne distinguit; & definit, priuatum esse, quod in abscondito fit; solenne verò, quod in conspectu Ecclesiæ factum est. Vbi sub priuato voto, non tantum purè mentale (quod dici potest per se occultum hominibus) sed etiam externum in angulo, & sine vllius hominis præsentia factum (quod per accidens occultum dici potest) comprehendit, & è conuerso omnia vota humano modo publica, vel aliis nota, solennia vocat.

*Votum solenne debet esse externum, & aliquo modo publicum.*

6. Aliter distinxit votum Hugo de Sanct. Victor. lib. 2. de Sacram. p. 12. & serm. 53. de Instit. Monast. dicens: Votorum aliud esse occultum, & coram Deo tantum; aliud manifestum etiam coram homine. Vbi sub priori membro votum tam per se, quàm per accidens occultum comprehendit. Nam sub altero complectitur omne votum coram homine factum; non tamen vocat illud solenne, sicut Magister, sed tantum manifestum; res tamen ipsa, & sententia ab vtroque intenta eadem est. Nam constat, non fuisse Magistrum locutum de voto solenni stricte, & rigorosè sumpto; quia non omne votum publicum est hoc modo solenne, vt est per se notum. Sumit ipse ergo votum solenne pro quocunque voto externo publicè facto. Veruntamen non omne votum publicum dici potest solenne, loquendo iuxta communem vsum scholasticum, vel aliquo modo in iure fundatum. Nec è conuerso omne votum solenne oportet, vt sit proprie, & rigorose publicum; quia non dicitur proprie publicum, quod tantum coram vno sit, cum hoc notorium, nec probabile humano modo sit; & nihilominus votum sic factum substantialiter potest esse solenne: vt rectè dixit Scot. in 4 dist. 38. quem Durand. Argent. & alii imitantur, & ex dicendis patebit.

7. Hinc ergo concludimus posse esse votum substantialiter solenne, licet externa, & accidentali solennitate careat. Declaratur in primis exemplo matrimonii: nam matrimonium clandestinum ante Concilium Tridentinum poterat dici solenne substantialiter, id est, ratum, & essentialiter validum, quanuis non esset solenne in foro Ecclesiæ, vtique quoad solennitatem accidentalem, etiam iure debitam. Propter quam rationem, etiam nunc matrimonium factum coram parocho & testibus sine prævijs denunciationibus, & per fraudem, & violentiam aliquam factam parocho, vocatur clandestinũ, & non solenne, quanuis ratum, & substantialiter validum sit. Ita ergo esse potest in voto solenni professionis religiosæ: nam tale votum, vt validum sit, & substantialiter solenne, requirit quidem, vt duo interstint, vnus promittens, seu offerens seipsum, & alius acceptans nomine Ecclesiæ, seu Dei, ad hoc potestatem habens legitimam: vt constat ex vsu Ecclesiæ, & ex cap. *cum ad monasterium.* de statu Monachi, & cap. *porrectam.* de Regularibus. Si autem illi duo interueniant, etiamsi absque alia externa solennitate, & sine maiori publicitate fiat, erit professio valida, & consequenter votum substantialiter solenne, vbi alia externa cæremonia non fuerit ex dispositione iuris humani ad valorem voti necessaria. Et nihilominus tale votum non erit solenne solennitate externa requisita secundum antiquissimum Ecclesiæ morem, in modo externo emittendi talia vota, & consecrandi aliquem ad diuinum cultum per statum religiosum. De hac enim maxime loqui videtur Basilius loco suprà citato; eamque describit Dionysius loco item allegato, vt infrà explicabimus.

*Quid sit votum substantialiter solenne.*

*Duo requiruntur ad validitatem, & solennitatem substantialem voti.*

8. Constat ergo posse esse aliquod votum religionis solenne substantialiter, etiamsi externam, seu, quod perinde est, accidentalem solennitatem non habeat. Idemque ostendere possumus in voto solenni Clericorum: nam si quis ita occulte ordinetur in sacris, vt nullus interfit præter ordinandum, & ordinantem, & iste nullam cæremoniam externam adhibeat, præter substantialem formam, & materiam, sicut verè manet ordinatus, ita verè emittit votum solenne castitatis secundum substantiam, licet extrinseca, & accidentali solennitate careat.

9. E contrario verò potest etiam dari votum exterius solenne, id est, cum certo ritu, & cæremoniis externis factum, & non habens substantialem solennitatem. Declaratur, supponendo ex cap. vnico. de voto. in 6. votum castitatis non esse solenne substantialiter, nisi vel dirimat matrimonium, vel saltem irritet contrahendum. Iam ergo potest dari votum cum certa solennitate, & ritu externo factum, quod nullum talem effectum moralem habeat: ergo potest dari votum solenne accidentaliter, quod non sit substantialiter solenne. Consequentia est clara ex suppositione facta; & antecedens probatur in primis de possibili in voto castitatis clericorum in sactis: nam cum illud votum non sit annexum ordini sacro ex natura rei, nec ex diuino iure, sed Ecclesiastico, potuisset Ecclesia coniungere tali ordini solam promissionem castitatis, non inhabilitando personam ad subsequens matrimonium ratum, vt per se notum videtur; & tunc haberet eandem externam solennitatẽ, quam nunc habet, quia esset annexum eidem ordini cum eadem solennitate tradito; & nihilominus non esset substantialiter solenne. Idem argumentum fieri potest de votis annexis statui religionis: nam facta cum tota externa cæremonia, & solennitate, qua nunc fiunt, possent non habere effectus morales irritandi matrimonia, per quos substantialem solennitatem explicamus; & sine illis, vel aliquo eorum subsistere non potest, vt in sequentibus ostendemus. Et de facto votum castitatis Scholarium Societatis, cum eadem externa solennitate factum, prius non irritabat subsequens matrimonium, & postea vim illam à sede Apostolica accepit: quanuis illa etiam vis in illo non fuerit sufficiens, vt sit substantialiter solenne, propter conditionem, quam includit, & intentionem, sub qua fit, vt infrà dicemus. Declarari etiam hoc potest ex quadam Bulla Sixti IV. in approbatione tertii Ordinis Sancti Francisci, quæ habetur in Speculo Minorum, mihi folio 99. in qua supponitur, in illo viuendi modo solita fuisse fieri tria vota *solenniter*, id est, cum externa solennitate, in manibus superioris, coram toto Collegio; & de illis nihilominus dubitabatur, an essent *solennia*, vtique substantialiter. Deinde verò concedit Pontifex, quòd in posterum, vt solennia habeantur, nimirum, propriè, & substantialiter; ergo ante potuerunt esse accidentaliter solennia sine solennitate substantiali. Et ratio clara est, quia votum simplex fieri potest cum aliqua extrinseca cæremonia, & certis verbis conceptis, & in manu alicuius, & coram multis testibus, & cum aliqua benedictione; vt ex se videtur clarum, quia nulla est in hoc repugnantia, & ex voluntate hominum pendet. Et sumitur ex cap. *per tuas.* de voto. Vbi de quodam dato chirographo dicitur, *Solenniter fuisse votum in quadam Ecclesia & in præsentia Prælati*: cùm tamen illud votum solùm simplex esse potuerit, vt ex materia eius constat; vnde notat ibi Panormitanus solùm fuisse solenne solennitate accidentali. Idemque sumitur ex d. cap. vnico. de voto. in 6. vbi Bonifacius docet, solum votum castitatis ordini sacro, aut religiosæ professioni annexum esse solenne; nullum verò aliud, etiamsi coram Prælato, & quibusuis testibus, & cæremoniis fiat: quia nullum aliud impedit valorem matrimonii postea contracti.

*Potest dari votum accidentalem tantùm habens solennitatem.*

*Votum castitatis Scholarium Societatis cùm eadem externa solennitate factum, prius non irritabat subsequens matrimonium.*

*Solum votum castitatis ordini sacro, & religiosæ professioni annexum est solenne: ac proinde impedit matrimonium postea contractum.*

10. Ex quibus in primis concluditur, duas inueniri in votis solennitates inter se mutuò separabiles, ac proinde distinctas. quas etiam indicauit D. Thomas in dicta quæst. 88. art. 7. ad 3. vbi priorem solennitatem vocat humanam, eamque consistere significat in externo apparatu, & multitudine testium, vt in corpore, exemplo solennitatis nuptiarum, & nouæ militiæ declarat: alteram verò spiritualem, & diuinam appellat, quam in benedictione, vel consecratione aliqua consistere, in eodem corpore declarat. Veruntamen non semper prior ita est humana, vt in sola externa, vel ciuili pompa, aut publico concursu consistat; sed potest etiam sacras cæremonias, orationes, & benedictiones includere; & ad votum substantialiter solenne non sufficere, vt iuribus, exemplis, & ratione declaratum est. Et quando ita fit, etiam dici poterit spiritualis, & diuina, quia ad spiritualem actionem includit, & non sine interuentu diuinæ virtutis, & potestatis introducta est. Altera verò solennitas, quam nos substantialem vocamus, non semper requirit aliquam consecrationem, aut benedictionem, vt patet, tum in votis solennibus per professionem tacitam emissis, in qua nulla talis benedictio intercedit: tum etiã, quia hic modus profitendi, seu faciendi votum solenne, non est de iure diuino, sed ex institutione Ecclesiæ vt per se satis est notum, & in sequentibus latius ostendetur. Vnde potest ab Ecclesia sine talibus cæremoniis ordinari, vel admitti etiam in expressa professione: & de facto etiam posita illa institutione, non est ita necessaria, vt si omittatur, professio non sit valida, & vota verè solennia, vt infrà videbimus. Ad abstrahendum ergo ab opinionibus, & æquiuocationem tollendam, nos priorem solennitatem vocamus accidentalem, quanuis humana

*In votis dantur duæ solennitates inter se mutuò separabiles, & distincta humana scilicet, & spiritualis.*

*Potius vocanda hæ duæ solennitates,*

mana etiam dici possit; non solum, quia non immediate à Deo, sed ab hominibus inducta est; hoc enim habet altera solennitas, vt infrà videbimus: sed quia & tota est externa, & visibilis, & ad hominum eruditionem, vel satisfactionem, vt sic dicam, ordinatur. Posteriorem autem vocamus substantialem, quia in ea consistit substantia; & essentia voti solennis per antonomasiam sic dicti, vt tale est, id est, quantum ad id, quod addit supra omne votum simplex, quomodocunque factum sit quod additum per virtutem, & efficaciam ad efficiendos aliquos effectus morales, nunc indicamus: nam postea latiùs exponendum est, an illamet virtus sit ipsa solennitas substantialis? Nihilominus tamen etiam hæc solennitas dici potest spiritualis, etiamsi absque spirituali consecratione fiat. Tum, quia virtus illa, & efficacia inuisibilis, & spiritualis est, & à potestate diuinitus Ecclesiæ concessa descendit: tum, quia ad spirituale bonum hominis, & perfectiorem Dei cultum ordinatur.

11. Non repugnant inter se solennitates, sed ipsæ in eodem voto coniungi possunt.

Addendum verò est, has solennitates non ita esse inter se distinctas, vt sint repugnantes, possunt enim in eodem voto coniungi, vt est per se notum, tam in voto clericorum in sacris, quàm in votis professionis religiosæ debito modo factæ. Et ratio est, quia nulla repugnantiæ ratio inter illas solennitates cogitari potest. Imò dici possunt habere inter se magnam conuenientiam, tanquam substantia, & accidens; quæ licet distincta sint, nihilominus substantia optimè accidenti coniungitur, & ab illo ornatur. Estque optimum exemplum eiusdem moralis ordinis in Baptismo, in quo & solennitas substantialis, & cæremonialis, seu accidentalis rectè distinguuntur; & interdum adhibetur prima sine secunda ob necessitatem, & aliquando additur secunda priori, quando sine posteriori facta supponitur. Ordinariè verò, & optimo iure Baptismus cum vtraque solennitate fit. Et quid simile in matrimonio considerari facilè potest. Sic ergo præter votum simplex, tantum accidentaliter solenne, & votum solenne, quod fieri potest cum sola solennitate substantiali, datur votum vtroque modo solenne: imò hic esse debet ordinarius, & conueniens modus vouendi solenniter; vt tam sacra, & supernaturalis actio conuenienti modo fiat. Quamuis autem illæ solennitates in eodem voto coniungantur, semper inter se distinctæ manent: nam quæ per se, & ex suis rationibus distincta sunt, non confunduntur, licet inter se vniantur, vt in substantia & accidentibus patet, & in exemplis de Baptismo, & Matrimonio, & in omnibus solennibus contractibus id videre licet. Fiunt enim cum multo apparatu, aut verborum, aut Scripturarum, aut testium: substantia verò contractus in mutuo consensu dandi, & accipiendi consistit, reliqua verò ornamenta, & quasi accidentia contractus existunt.

12. Aduertendum.

Sed in hoc etiam ad omnem æquiuocationem tollendam, obseruare oportet, in solenni voto (id quod in aliis cõtractibus solennibus commune est) duplices esse posse externas conditiones contractus, vel voti solennis. Quædam sunt requisitæ, vt debito modo fiant, non tamen sunt ita necessariæ, quin votum, vel contractus valeat, etiamsi illæ circunstantiæ omittantur, vt est in matrimonio, quod tali tempore, vel loco fiat, vel quod denunciationes præcedant; & in professione religiosa, quod fiat coram multis testibus, & cum habitus benedictione, vel aliquibus orationibus. Et huiusmodi solennitas est proprissime, & omnimodè accidentalis. Aliæ verò esse possunt conditiones, seu circunstantiæ, quæ licet sint externæ, nihilominus sint ad valorem voti, vel contractus necessariæ, ita vt si omittantur, actus sit inualidus, sicut nunc est in votis religionis, quod annus nouitiatus præcesserit, certa ætas, & quod fiat in manibus Prælati in religione approbata; & si quæ sunt similes, vt infrà videbimus: & quales in matrimonio nunc sunt parochi, & testium præsentia. Et huiusmodi circunstantiæ solent dici de forma, & de substantia rei moralis, seu contractus, quia sine illis non fit validè; & ita etiam vocari possunt de substantia voti solennis, quod in bono sensu permitti potest, nec est de modo loquendi contendendum.

13. Aliqua extrinseca conditiones, & circunstantiæ requiruntur vt votum sit validum, & substantialiter solenne & tamen sunt distincta à voto, & eius solennitate.

Nihilominus tamen in rigore, tantum sunt accidentia, seu conditiones necessariæ, vt substantialis solennitas voti, vel vt votum ipsum solenne validè fiat: vt in exemplo matrimonii, parochus, & testes non sunt de substantia eius, sed sola materia, & forma, seu consensus sufficienter expressus tradendi, & acceptandi mutuo corpora; illæ vero conditiones, sine quibus talis consensus non erit verus, nec efficax. Sicut in naturalibus propinquitas est conditio necessaria ad agendum, non tamen principium per se actionis: & dispositiones accidentales sunt necessariæ ad introductionem substantialis formæ, non vero sunt partes eius, vel de rei substantia; ita ergo in voto solenni substantialiter extrinsecæ conditiones vel circunstantiæ pertinentes ad extrinsecam solennitatem actus, etiamsi tales sint, vt sine illis votum non esset validum, vel substantialiter solenne; nihilominus distinctæ sunt ab ipso voto, quod in promissione efficaci consistit, & à solennitate substantiali, ratione cuius matrimonium irritat, vel aliũ similem effectum habet. Quod declaratur, quia huiusmodi conditiones nõ solum in votis substantialiter solennibus, sed etiã in simplicibus possunt interdum esse necessariæ ex Ecclesiæ institutione. Potest enim Ecclesia huiusmodi conditiones interdũ præscribere in votis simplicibus priuatis; vt dixi in lib. 1. de voto. cap. 8. Ergo idem potest facere in votis simplicibus per se publicis, seu includentibus contractũ aliquem, vel requirentibus acceptationem ex parte religionis alicuius; vt in aliquibus votis Societatis videre licet, & in sequentibus latiùs explicabitur. Nulla est enim maior repugnantia quoad hoc in his votis, quam in matrimonio, vel quam in voto simpliciter, & substantialiter solenni; quia illæ conditiones omnes, etiamsi concurrant, non excedunt accidentalem solennitatem voti, si aliud non addatur, & ideo possunt etiam in simplicibus votis, tanquam necessariæ ad eorum valorem aliquando postulari.

14. Votum accidentaliter solenne, dicitur secundum quid solenne.

Ex quibus satis declarata manet distinctio suprà data de duplici voto solenni accidentaliter videlicet, & substantialiter. Nam illud dicitur accidentaliter solenne, quod solam accidentalem solennitatem habet; substantialiter verò, ac simpliciter solenne dicitur, quod substantiali solennitate affectum est; siue habeat aliam solennitatem integram, siue absque illa fiat, dummodo non desint illæ conditiones, & circunstantiæ, quæ secundum ius Ecclesiasticum ad valorem talis voti necessariæ fuerint. Vnde quod ad vsum nominis *voti solennis*, pertinet, quamuis secundum Latinæ vocis proprietatem, & antiquitatem, solennitas voti externum ritum, & apparatum, quo interdum fit, præcipuè requirat; ideoque votum solum accidentaliter solenne, posset simpliciter solenne appellari: nihilominus loquendo theologice, tale votum non dicitur solenne, nisi secundum quid; & simpliciter est simplex; quia reuera vinculum solius simplicis promissionis Deo factæ, inducit, & alium moralem effectum non habet. Quod enim quidam aiunt, inducere maiorem obligationem, quia cum maiori scandalo violatur, & accidentarium est, & non semper verificatur, quia, si occultè violetur, non pariet scandalum.

15. *Votum substantialiter solenne dicitur solenne simpliciter.*

E contrario autem votum habens solennitatem substantialem, simpliciter solenne dicendum est, etiamsi occultè fiat, vt Theologi suprà citati docent: & indicat D. Thomas d. quæst. 88. art. 7. ad 3. Quia res à sua substantia, & essentia simpliciter talis denominatur; & quia tale votum habet vim, & efficaciam peculiarem ad proprios effectus morales, & spirituales ad cultum Dei pertinentes, vt explicabimus. Et hoc modo loquuntur communiter iura de voto solenni, vt videre licet in d. cap. vnico. de voto. in 6. & in cap. penult. de Regul. & in Extrauag. Ioann. XXII. de voto. Vnde obiter satis reiecta est opinio cuiusdam Rodulphi, qui confundebat votum solenne cum publico; & solum in hoc à simplici illud distinguebat, quod per se magis notum, seu probabile est Ecclesiæ, & cum maiori scandalo violatur, quæ & accidentaria, & insufficientia sunt, vt ex dictis satis constat. Et ideo illa opinio ab omnibus Theologis in 4. dist. 38. reiicitur, & parui penditur; & contra illam videri possunt Antonin. 1 p. sum. tract. 2. a. 5. Aug. de Ancona de Potest. Eccles. q. 70. a. 1. ad 2. Hostiens. in sum. titul. qui clerici, vel vouentes.

16. *Primum assertum. Ad statum religionis constituendum est moraliter necessariũ vt vota sint solemnia saltem accidentaliter.*

His igitur notatis circa explicationem voti solennis, ad quæstionem propositam duo breuiter asseram. Vnum est, necessarium moraliter esse, vt vota, quibus status religionis constituitur, cum aliqua solennitate extrinseca fiant, ac subinde solennia sint, saltem accidentaliter, & secundum quid. hoc docere voluit D. Thomas 2. 2. q. 184. a. 4. & 5. cum dixit, ad statum perfectionis requiri obligationem perpetuam aliqua solennitate formatam; nec amplius potest ex illo loco colligi, cum neque ratio eius amplius probet, neque ibi de statu religionis in particulari, sed de statu perfectionis in genere loquatur, vt in superiori capite notaui. Quid verò in aliis locis D. Thomas senserit, postea videbimus. Eadem assertio facile potest inductione probari; quia & à principio in suscipiendo Monachatu ita obseruatum est; vt ex Dionysio, & Basilio suprà probauimus. Et iuxta Concilium Toletanum X. in professione monachorum scriptura postulabatur. cap. *Omnes.* 27. q. 1. Denique ita nunc in omnibus religionibus idem obseruatur: quanuis enim non omnes easdem cæremonias in sua professione obseruent, omnes aliquem ritum externum, & solennitatem adhibent. Et congruentia optima est, quia & ad satisfactionem Ecclesiæ oportet, quod actus sit publicus, & notorius; & ad ædificationem, & rectum ordinem spectat, vt cum forma certa, & decenti, ac sacro ritu, tam insignis vitæ mutatio, & tam perfecti status assumptio fiat.

17. *Absolutè, & simpliciter non est necessaria solennitas accidentalis.*

Dixi autem, *moraliter hoc esse necessarium*, quia in rigore non est necessarium ad valorem actus; nisi aliud, vel communi, vel priuato religionis iure declaratum sit: & ita non est illa necessitas absoluta, & simpliciter, sed ad melius esse; vt omnia decenter, & ordinatè fiant. Vnde in casu aliquo potest ille status constitui sine hac externa solennitate; quod maxime potest contingere in professione tacita, vel in casu, quando ad vitandum scandalum, vel infamiam, oportet secretò profiteri. Quanquam in vtroque casu, ac semper supponi debeant aliquæ circunstantiæ, quasi solennizantes actus, vt est legitima ætas, probatio, seu nouitiatus sufficiens, & delatio certi habitus; vel exercitium talium actionum professorum in professione tacita; vel inexpressa traditio in manu legitimi prælati facta, etiamsi priuatim, & occultè, ac sine aliis ordinariis cæremoniis fiat. Contra hanc vero assertionem, & ferè contra omnia dicta circa prædictam diuisionem militare videntur, quæ de solennitate voti tractat Vasquez 1. 2. disp. 165. cap. 8. sed illius sententiam in capite sequenti expendemus.

18. *Secundum assertum. Vota substantialiter solemnia sunt conuenientissima, non tamen simpliciter necessaria, seu essentialia ad statum religiosum constituendum.*

Secundum assertum est, vota substantialiter solennia, licet conuenientia, & congruentissima sint ad statum religiosum assumendum, & ideo ordinarie ita fiant: nihilominus non esse simpliciter necessaria, seu essentialia ad illum statum constituendum. Prior pars huius assertionis probatione non indiget. Posterior vero nunc solum suadetur, quia illam tantam votorum solennitatem ad illum statum constituendum, nec iure diuino positiuo, nec humano, nec etiam ratione efficaci, vel satis probabili, persuaderi potest, esse necessariam. Et ideo non est gratis asserendum, nec admittendum, cum potius contraria pars sit consentanea, & antiquissimo, & nouissimo vsui Ecclesiæ, & ratione satis efficaci ostendi possit. Quæ omnia maiori confirmatione indigent; non tamen possumus illam commodè prosequi, nisi prius propriissimam voti solennis rationem, & differentiam eius ab omni voto simplici, quancunque participationem solennitatis habente, diligentius explicemus: ideoque in hoc prius immorabimur, & postea ad probationem prædictæ assertionis reuertemur. Vota autem solennia multiplicia sunt, præsertim, castitatis, paupertatis, & obedientiæ: & fortasse alia nonnulla esse possunt, in quibus solennitas non est eiusdem rationis, quanuis cum proportione quadam inueniatur. Et ideo licet hæc quæstio de voto solenni generatim, & in communi ab authoribus disputetur, visum mihi est prius illam in particulari tractare de voto castitatis, quia in eo res est magis controuersa; & difficultas clarius potest in illo percipi, ac definiri; & inde facilius poterit ad cætera vota solennia resolutio accommodari.

## CAPVT VI.

### *Vtrùm solemnitas substantialis voti religiosi Castitatis, in benedictione aliqua, vel consecratione, aut alio externo ritu posita sit.*

1. *Suppononda. Primò duplex est votum castitatis solenne.*

SVppono duplex esse votum solenne castitatis ordinis sacri, ac religiosi status, iuxta caput vnicum. de voto in 6. & in præsenti solum tractari de voto annexo professioni religiosæ, quod religiosum, in titulo capitis vocamus, quanquam de altero obiter aliquid attingemus; & latius de illo dicemus inferius, lib. 9. generatim de voto castitatis tractantes.

*Secundò votum religiosum castitatis habet duplicem effectum moralem.*

Suppono secundo, votum religiosum castitatis duplicem moralem effectum habere: vnus est maxime proprius, quia dirimit præcedens matrimonium ratum, non consummatum: alius est, quia impedit, & annullat matrimonium postea contractum, quem effectum habet etiam votum castitatis clericorum in sacris, non autem votum simplex castitatis: nam licet impediat matrimonium, ne licite contrahatur, non tamen irritat illud, regulariter loquendo: quod addo propter vota quædam simplicia Societatis Iesv, de quibus suo loco dicemus. Hæc omnia in sequentibus sunt probanda, & late tractanda: nunc autem illa supponimus, quia necessaria sunt ad solennitatem substantialem voti castitatis religiosæ explicandam. Nam licet votum non sit solenne, quia hos effectus habet, cum ipsi effectus posteriores sint ipso voto solenni; & potius, quia solenne est, ideo illos effectus habeat: nihilominus virtus efficiendi tales effectus, vel illud, quidquid est, vnde tale votum vim dirimendi habet, & efficaciter impediendi matrimonium, est voti illius solennitas: nec aliter potest à nobis melius dignosci, aut declarari. Quid ergo illud sit, & in quo consistat, in præsenti inquirimus. Et quia variæ sunt opiniones, quæ longam

gam examinationem requirant. ideo per diuersa capitula singulas expendemus, de illisque iudicium feremus.

Prima ergo sententia ponit hanc solemnitatem in quadam consecratione spiritali, benedictione, vel alio simili sacro ritu. hæc videtur fuisse sententia D. Thomæ 2.2.q.88.a.7. vbi sic ait. *Solemnitas voti attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertinet, id est secundum aliquam benedictionem, vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione cuiuslibet regulæ.* Et id magis explicans in art. 9. ait: *Solemnitas voti in quadam spirituali benedictione, & consecratione consistit.* Ex quo in art. 11. colligit, hoc votum esse indispensabile; quia res semel Deo consecrata, quandiu permanet in suo esse, non potest non esse consecrata: vnde satis declarare videtur, consecrationem ipsam esse quasi formalem causam solennizantem votum. Fundamentum D. Thomæ est, quia vnicuique rei adhibenda est solennitas proportionata, vt in militia, & matrimonio ipse exemplificat: & idem est in testamentis, contractibus, & similibus. Sed votum est promissio Deo facta; ergo eius solennitas in aliqua spirituali, & diuina benedictione, vel consecratione consistere debet. Vnde in solutione ad primum, & tertium, vocat D. Thomas hanc consecrationem, seu benedictionem, spiritualem, & diuinam; quia Deus est principalis author eius, licet per ministerium hominis fiat. Et hac ratione dicit, votum solenne fortiorem obligationem apud Deum habere, quam simplex, & peccatum contra illud, grauius esse. Potestque hæc sententia confirmari ex antiquo vsu similia vota emittendi cum solenni benedictione, & consecratione: vt de Monachis refert Dionysius cap. 6. & vlt. de Eccles. hierarch. & de sacris Virginibus. Ambrosius ad Virginem lapsam. cap. 5. vbi professionis, & consecrationis meminit. & plura refert Gratianus 20. quæst. 1. & 27. quæst. 1. denique Medina d. lib. 4. de sacror. homin. continent. controuers. 7. c. 35. Pro hac sententia refert Francum quendam Abbatem Affligiensem. Sed ille in verbis, quæ ipse refert, solum dicebat, benedictionem habitus monachalis, quæ in vsu est multarum religionum, non esse contemnendam, nec habitum huiusmodi semel susceptum posse liberè in habitum clericalem commutari; quod longe diuersum est.

2. Prima sententia ponit solemnitatem in quadam consecratione, vel benedictione.

3. Hæc verò sententia intellecta prout verba sonant, & à nobis relata est, ab iis Theologis ferè omnibus displicuit. Præsertim Scoto in 4. dist. 38. quæst. vnica. Durando quæst. 2. Et ex Thomistis illam refellit Caiet. d. art. 7. Palud. in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 4 in fine. Et refertur etiam Heruæus quodlib. 12. quæst. 21 Et latè sententiam hanc impugnat Medina suprà cap. 35. & 36. & Sancius lib. 7. de Matrim. disput. 25. num. 1. & mihi etiam improbanda videtur. Dicendum ergo est, votum non fieri substantialiter solenne, ratione alicuius sacræ benedictionis, vel consecrationis. Probatur primò, quia id, sine quo votum potest esse solenne, non est substantialis solennitas eius; nec ad illam essentialiter pertinet: vt est per se notum; quia sine substantiali, seu essentiali forma, aut proprietate non potest substare. Vnde licet non omne id, sine quo non potest res subsistere, sit essentiale, vel substantiale, quia potest esse conditio necessaria: nam vltra essentialia, seu substantialia, multa possunt esse necessaria, vt res subsistat: nihilominus è contrario, omne id, sine quo potest res subsistere, de substantia, vel essentialibus non est, quia primum fundamentum rei est totum id, quod ad substantiam eius pertinet. At votum potest esse solenne substantialiter absque vlla consecratione, aut benedictione: ergo solennitas substantialis in tali consecratione non consistit. Consequentia est euidens; & minor probatur primò in professione tacita, quæ sine vlla consecratione, aut sacra cæremonia fit, & habet annexum votum solenne castitatis.

*Probatur in professione tacita.*

Dicetur, ipsam gestationem habitus professorum esse quandam virtualem consecrationem personæ, quatenus præcedit ipsius habitus benedictio, sed hoc nihil iuuat, quia etiam necessarium non est, vt habitus sit benedictus, vt est per se notum: vel etiamsi sit, fieri potest, vt sit communis nouitiis, tam in externa forma, quam in benedictione. Et tunc delatus talis habitus non magis consecrabit personam post annum probationis, quàm antea: imò nec per se sufficiet ad tacitam professionem, vt infrà videbimus. Præterquam, quod ridiculum est dicere, consecrari personam, eo quod habitum benedictum ferat: tum, quia benedictio habitus est valde extrinseca persona; tum quia habitus non facit monachum, sed est aliquale signum professionis eius. Aliter verò probatur minor principalis rationis; quia etiam expressa professio, & votum solenne fit in multis religionibus sine spirituali benedictione, & consecratione: vt in Societate, & in Religione sancti Dominici, in qua (vt Caietanus notauit) prius fit professio cum votis solennibus, & postea benedicuntur vestes, ac proinde benedictio, quæ ibi interuenit, votum solenne supponit; non ergo illud solennizat. Et Medina addit, multas Religiones esse nunc in Ecclesia, vt mendicantes omnes, & nonnullas monachales, quæ talem benedictionem non agnouerint, & nihilominus earum vota æquè solennia sunt in sua substantia, ac aliarum religionum.

4. *Instantia soluitur.*

*Probatur etiam in professione expressa.*

Secundo principaliter argumentari possumus; quia fieri potest, vt stante eadem consecratione, & benedictione votum non sit solenne; ergo signum est substantialem solennitatem talis voti non consistere in consecratione. Consequentia est euidens; quia repugnat, formam adesse, & eo modo, quo potest, inesse, seu informare, & effectum suum non conferre; ergo si consecratio est ipsa solennitas voti, & illa adest, & personam verè consecrat, non potest votum non esse solenne; quia (iuxta illam sententiam) solum est solenne votum, quod habet coniunctam consecrationem; vel potius, quod est tali consecrationi annexum. Ergo è contrario si stat votum esse annexum consecrationi verè consecranti personam, & non esse solenne, non fit solenne per talem consecrationem. Probatur ergo antecedens in primis in voto solenni sacerdotum; quia (vt recte ait Caietanus) potuisset Ecclesia instituere, vt sacerdotes vouerent castitatem, & non manerent inhabiles ad matrimonium: nam hæc duo distincta sunt; & qui potuit vtrumque simul introducere, potuisset etiam vnum sine altero ordinare. Tunc autem eadem esset consecratio, & benedictio personæ, & consequenter votum esset annexum eidem consecrationi; & nihilominus non esset solenne. Ergo solennitas non consistit formaliter, & per se in illa consecratione.

5. *Probatur secundò.*

Deinde probatur idem in voto religiosæ castitatis; quia in societate Iesu fiunt vota Scholasticorum, & Coadiutorum cum publica solennitate satis sacra, scilicet, in manibus prælati habentis in manibus sacram Eucharistiam, & nihilominus vota sunt simplicia, & in principio nullo modo reddebant personam inhabilem ad matrimonium. Idemque esse potuisset, etiamsi solennis benedictio adiungeretur, si intentio, & institutio eadem esset. Item nihil repugnaret approbari à summo Pontifice statum viuendi religiosum, in quo homines perpe-

6. *Confirmatur in voto castitatis, quod à principio omittebant scholastici in societate Iesu.*

tuò se cultui diuino consecrarent; & professio cum tribus votis essentialibus, & sacra benedictione fieret: & nihilominus personæ vouentes ad matrimonium inhabiles non fierent, ac subinde vota essent tantum simplicia; ergo sacra benedictio non dat per se substantialem solennitatem solenni voto religiosæ castitatis. Consequentia est clara ex dictis, & antecedens videtur per se notum; quia nulla ratio repugnantiæ reddi potest, & quia videmus approbasse Ecclesiam quamplures religiosos viuendi modos, habentes varios modos obligandi ad castitatem; cur ergo non posset illum adiungere? cùm in eo nulla maior repugnantia inueniatur. Denique ratio à priori est, quia nulla consecratio, aut benedictio humana potest per se reddere personam inhabilem ad matrimonium: nam si sacerdotalis ordinatio, aut Episcopalis consecratio hoc per se non præstat, quomodo aliæ inferiores consecrationes per se id conferent? At verò etiam solum votum castitatis per se non reddit personam inhabilem ad matrimonium, vt nunc supponimus; & infrà in lib. 9. probabimus; ergo nec tale votum potest fieri solenne per adiectionem sacræ benedictionis, vel ex eo, quod alicui consecrationi annexum sit.

*Ratio à priori est, quia nulla consecratio humana potest per se reddere personam inhabilem ad matrimonium. Similiter nec votum castitatis solùm per se.*

7. *Instantia solnitur.*

Respondeti potest ex D. Thoma d. q. 88. a. 11. consecrationem religiosam per se reddere inhabilem personam ad matrimonium; quia consecratio reddit inhabilem rem consecratam, ad alios repugnantes vsus. Vt sumitur ex Leuitici vltimo: vsus autem matrimonii repugnat consecrationi personæ religiosæ, & ideo adiuncto voto reddit illam inhabilem ad matrimonium vi sua, & sine alio iure talem inhabilitatem inducente. Sed hoc reuera probabile non est. Primo quidem, quia, vt dicebam, altior est consecratio personæ sacerdotalis, vel Pontificalis; & tamen illa vi sua non reddit personam inhabilem ad matrimonium, vt est certum ex Paulo 1. ad Timoth. 3. & Titum 1. & ex vsu Ecclesiæ antiquo: & in lib. 9. ostendetur latiùs. Dices, id esse verum de consecratione solà per se sumpta: secus verò adiuncto voto castitatis, quod per illam statim solennizatur. Sed hoc etiam est manifestè falsum: nam si Ecclesia nullum votum castitatis adiunxisset ordinationi sacræ; & sacerdos faceret votum castitatis, sua ordinatione non fieret inhabilis ad matrimonium; imò si vxorem duceret, licet male faceret, matrimonium esset validum: ergo inhabilitas illa non prouenit per se ex consecratione, adiuncto voto. Idem obiici potest de voto continentiæ religiosæ; quia secluso Ecclesiæ statuto inhabilitante talem personam, etiamsi emittat votum castitatis in manu Prælati cum intentione se obligandi ad continentiam; & ad abstinendum à vinculo coniugali, quantum potest; & à Prælato benedicatur, & suo modo consecretur, seu dicetur diuino obsequio, non ideo persona fiet inhabilis ad matrimonium; quia nec voluntas priuata vouentis habet per se potestatem ad inducendum hunc effectum: nec benedictio per se similem potestatem habet; nec ad hunc finem confertur: & ideo nec vtraque simul potest talem inhabilitatem inducere; nisi alia positiua institutio intercedat.

8. *Secunda responsio, ac sententia.*

Aliter responderi posset ad omnia dicta, consecrationem per se solennizare votum, etiamsi tale votum personam vouentem non reddat inhabilem ad subsequens matrimonium. Nam hoc non esse de ratione voti solennis, sed potius posse votum esse solenne, & non irritare matrimonium postea contractum, sentiunt Medin. suprà cap. 24. & Vasq. 1. 2. disp. 165. cap. 8. num. 11. vbi declarat, vim illam inhabilitandi personam ad matrimonium, non esse ad votum solenne necessariam; sed esse effectum quendam iure humano annexum solenni voto: *Sine quo tamen*, inquit, *votum verè solenne manere posset.* Vnde solennitatem voti in hoc solum constituit, quod sub certa regula approbata, iuxta ritum, & cæremonias in eadem regula constitutas, publicè nuncupatur, cum traditione perpetua ex parte vouentis, & acceptantis.

*In quo consistat vis, quæ voti solennitatem.*

Probat hanc sententiam primò ex cap. vnico. de voto in 6. vbi interrogatio proponitur. Quod votum dici debeat solenne, & ad matrimonium dirimendum efficax? & expendit, duo distincta ibi proponi; ac proinde solennitatem voti non esse efficacem ad matrimonium dirimendum. Et confirmat, quia si efficacia esset ipsa solennitas, respondere debuisset Pontifex, illud votum esse solenne, quod est efficax ad matrimonium dirimendum; seu quod inhabilem reddit vouentem ad matrimonium contrahendum. Non sic autem respondet, sed ait: *Illud solum votum debere dici solenne, quantum ad matrimonium post contractum dirimendum, quod solennizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem factam in religione. Ac si diceret* (ait Vazquez) *illud esse solenne, quod sub certo quodam, & præscripto modo nuncupatum est; modum enim illi vicem habet solennitatis.* Confirmat secundo, & declarat hoc amplius; quia interroganti, quod nam votum inhabilitet ad matrimonium, simplex, an solenne? respondendum erit, solenne. si verò rursus interroget, quodnam sit solenne? profecto, si solennitas esset inhabilitas, respondendum esset, illud votum esse solenne, quod inhabilitat ad matrimonium. At hæc responsio friuola esset, vt est per se clarum; quia vltimum responsum cum prima interrogatione coincideret; ergo respondendum est, illud votum esse solenne, quod certa quadam, & præscripta forma effectum est: hæc igitur est solennitas voti, non inhabilitandi vis. Tandem id tacitè confirmat, quia sequeretur, antiquitus, quando in Ecclesia religiosi vouendo castitatem, non fiebant inhabiles ad matrimonium, vota illorum non fuisse solennia, quod non videtur admittendum.

9.

Iuxta hanc ergo doctrinam posset supradicta sententia exponi, vt per consecrationem, seu benedictionem spiritualem personæ vouentis, nihil aliud intelligat, quam ipsum actum, quo aliquis solenniter diuino cultui, & obsequio dicatur: nam reuera illa dicitur quædam hominis consecratio, & sanctificatio, maximè cum voto firmatur. Et consequenter votum annexum tali consecrationi, per illam solennizari, siue inhabilitet personam ad matrimonium, siue nō inhabiliter. E contrario; nullum esse votum solenne sine aliqua consecratione, id est, dedicatione ad diuinum obsequium, sub aliqua forma præscripta, & solenni: nam per professionem tacitam etiam fit talis dedicatio perpetua, & in ea necessaria est aliqua externa forma præscripta, licet illa non in benedictione verbali vel cæremoniali, vt sic rem declarem, sed in alio publico actu, vel vsu religioso consistat. Quod autem talis consecratio, & vera solennitas voti sine inhabilitate ad matrimonium inueniri possit, iuxta sententiam hanc nullum inconueniens reputatur.

10.

Hæc sententia inprimis mihi est singularis. Vazquez enim nullum eius authorem refert; & omnes Doctores in duobus sequentibus capitibus referendi pro comperto supponunt, omne votum castitatis, quod non irritat matrimonium contractum, vel contrahendum, quomodocunque fiat, esse simplex, licet solennitatem externam, & accidentalem habere possit: & è conuerso omne votum propriè, & theo-

11. *Prædicta sententia singularis est.*

theologicè solenne, irritare matrimonium, vel præcedens non consummatum, vel saltem subsequens: & consequenter omne castitatis votum, quod huiusmodi effectum efficere non potest, esse simplex; quia omne votum castitatis, aut simplex est, aut solenne. Vnde etiam Caietanus art. 7. dixit potuisse per Ecclesiam fieri, vt votum castitatis annexum ordini sacro, simplex esset, & non solenne; vtique si non inhabilitasset personam ad matrimonium, sed tantùm naturalem obligationem voti castitatis induceret: hoc autem locum non haberet, si solennitas substantialis voti, in modo tantùm emittendi tale votum, vt sacræ ordinationi annexum, consisteret. Idemque de voto annexo professioni religiosæ dici potest: nam potuisset Ecclesia non dare tali voto efficaciam inhabilitandi personam ad matrimonium, vel irritandi illud, vt infrà videbimus. Et tunc licet in exteriori ritu, eodem modo fieret, non esset solenne in ea proprietate, in qua nunc loquimur.

12. Quòd si nomen hoc voti solennis in alia significatione accipiatur, erit de nomine contentio, & in æquiuoco laborauimus; non distinguendo inter solennitatem merè externam, quam nos accidentalē appellamus; & quasi internam, quam substantialem vocamus: quia illa est, quæ adæquate distinguit votum solenne à simplici, vt de his votis nunc tractamus. Nam omnis extrinseca solennitas potest in simplici voto inueniri. Vt sumitur ex cap. *per tuas.* de voto. vbi votum ingrediendi religionem dicitur solenniter emissum. Vbi addit Innocentius, votum illud dici solenniter factum, quia in præsentia Abbatis, & multorum emissum fuerat; non tamen fuisse solenne, eo modo, quo votum continentiæ religiosæ solenne dicitur. Et idem sentit Abbas adiungens, forte interuenisse publicum instrumentum, cum præsentia Abbatis, quod ciuilem (vt sic dicam) solennitatem auget. Additque Innocentius, etiam alia vota peregrinationis, vel terræ sanctæ, si cum extero ritu solenni fiant, posse dici solennia, *sicut*, ait, *solenne dicitur propter solennitatem vulgi.* Ita ergo in præsenti dicimus, etiam votum absolutum continentiæ, ordinis, vel religionis, si ita fiat, vt non inhabilitet personam ad matrimonium, posse dici solenne solennitate vulgi, non tamen propria theologica solennitate, de qua tractamus.

13. Quod verum esse censeo, etiamsi loquamur de aliqua solennitate externa ex institutione Ecclesiæ necessaria ad valorem voti. Idem enim posset Ecclesia ordinare in votis simplicibus, saltem grauioribus, ac perpetuis; vtique, vt non essent valida, nisi coram testibus, vel prælato, vel aliqua simili circunstantia: & nihilominùs votum sic factum non transcenderet gradum voti simplicis, prout nunc illud adæquatè contra solenne distinguimus, etiamsi vulgari, vel ciuili modo posset dici solenne, sicut testamentum, aut alienatio, vel contractus rite facta, dicuntur solennia: vbi vox *solennia*, nihil aliud significat, quàm esse valida, & debito modo facta; hìc autem plus ad votum solenne requirimus, nimirum, quòd sit validum, non solùm ad obligandum, sed etiam ad inhabilitandum personam. Ac denique, ne de voce contendamus, supponimus, nos ita loqui cum communi Doctorum, de solenni voto. Vnde consequenter dicimus, solennitatem, in modo nuncupandi votum, nisi talis sit, vt votum sic factum non solùm sit validum ad obligandum ad continentiam perpetuam, sed etiam ad irritandum matrimonium, non esse sufficientem ad constituendum votum solenne proprie, sed tantùm vulgari modo.

Hac ergo supposita vocis significatione, quod ad rem attinet, addimus, votum castitatis, etiamsi peculiari ritu externo, & solenni ab Ecclesia ordinato, & ad valorem voti requisito fiat, non posse ex vi talis solennitatis, habere vim inhabilitandi personam, nisi in ipsa institutione Ecclesiæ, id specialiter expressum, & additum sit: ideoque non posse esse solenne substantialiter, ex vi talis ritus, siue nomine consecrationis, aut benedictionis, aut solennitatis externæ, siue quocunque alio nomine appelletur. Et hoc in sequentibus capitibus magis explicabitur, & confirmabitur. Neque contra hanc doctrinam induci potest caput vnicum de Voto. in 6. quin potiùs illam confirmat. Fatemur enim ibi supponi, posse votum habere aliquam solennitatem sine efficacia dirimēdi matrimonium; quod etiam probat d. cap. *per tuas.* & communis modus loquendi: sed illa solennitas præcisè sumpta accidentalis est, & vulgaris; & ideo in interrogatione proposita in illo capite, additur; quòd votum debeat esse solenne, & ad dirimendum matrimonium efficax. Vbi secunda particula determinat, & declarat priorem; & ita distinguuntur, tanquam quid generale, & determinatum, vt interrogatio ad votum substantialiter solenne definiatur. Et ideo nihil obstant illa verba, quo minus efficacia voti ad inhabilitandam personam solennitatem eius substantialiter compleat; licet ordinarie requirat, vel supponat aliam vulgarem solennitatem, vt in capite præcedenti diximus.

15. *Soluuntur argumenta in contrarium allata.*

Vnde ad primam confirmationem, & alteram ponderationem Pontificii responsi, dicimus, non potuisse Pontificem conuenienter respondere, illud votum esse solenne cum efficacia ad dirimendum matrimonium, quod inhabilitare potest personam: nam hoc esset, idem per idem æquiualentibus verbis repetere, & nullam lucem, sua responsione quæsito afferre. Optimè igitur respondet, declarando, cui voto efficacitas illa conueniat, & sic ait, solùm in voto solennizato per susceptionem sacri ordinis, vel per professionem religionis approbatæ inueniri. Vbi significat quidem, in voto habente efficaciam illam, supponi aliquam solennizationem externam: declarat autem non cuicunque solennitati similis, sed illis duabus, quas exprimit, inditam esse illam efficaciam, quæ talia vota faciat speciali modo, & quasi per antonomasiam solennia. Vnde cùm subdit: *Reliqua verò vota, &c.* plane indicat alia omnia vota castitatis, quæcunque hunc effectum non habent, esse simplicia; etiamsi secundùm quid, & vulgari modo solenniter fieri possint. Et hoc etiam indicant illa exclusiua verba: *Declaramus, solum illud votum debere dici solenne, quantum ad matrimonium post contractum dirimendum*; id est, simpliciter, ac propria, & canonica solennitate. Vnde altera explicatio in argumento subiuncta, planè destruit textum; quia Pontifex non dicit, votum esse solenne, quia sit modo præscripto: nam hoc etiam votis simplicibus conuenire potest; sed dicit, votum solennizatum cum tali proprietate, solum esse, quod tali, vel tali modo sit.

16. *Respondetur ad secundam confirmationem.*

Ad secundam confirmationem dicimus, interrogāti, quod votum irritet matrimonium, simplex; an solēne? recte responderi, solēne; quod inhabilitat ad matrimonium: quòd si rursus ille interroget, quodnam sit solenne votum? vere quidem posset responderi, esse illud quod irritat matrimonium. At verò supposita priori interrogatione, nō esset accommodata responsio respectu interrogantis, quia in eadem ignorantia relinqueretur; ideoq; tunc melius respōdebitur, eo modo, quo respōdet Pontifex, esse illud, quod sacro ordini, vel professioni religionis approbatæ annexum est. Si autem absolute aliquis inciperet interrogando, quod sit votum solenne? Optimè respondebitur ei, esse illud, quod vim habet irritādi

matrimonium: nam per effectum satis aptè solennitas illa explicatur. Si autem vlteriùs interrogetur, quod votum illum effectum habeat? tunc optimè, & conuenienter dabitur Bonifacii responsum. Vnde nunquam oportet respondere, votum solenne esse, quod præscripto ritu, & forma fit; imò hæc responsioni suppositа est: nam interrogatio intelligenda est de voto solenni, proprio, & speciali modo: & illa responsio est de voto generali, & vulgari modo, solenni appellato. Circa illud autem Pontificium responsum obiter notari oportet, datum esse de voto continentiæ solenni, prout nunc est in Ecclesia, & non prout esse posset. Nam absolute posset per Ecclesiam fieri, vt vota annexa ordini sacro, & professioni religiosæ, essent simplicia; & vt alia vota non sic annexa, essent solennia: vt partim dictum est, & partim in sequentibus ostendemus. Ad vltimam confirmationem concedo, si quando fuit in Ecclesia votum castitatis annexum religioni, & non inhabilitans personam ad matrimonium, non fuisse solenne, vt distinguitur à simplici, sed absolute fuisse simplex. An verò aliquando fuerit talis vsus in Ecclesia: & è contrario, an omne votum habens nunc illum effectum sit solenne; in sequentibus, & præsertim tomo sequenti, tractando de instituto Societatis dicetur.

*Aduertendū circa responsionem Bonifacij.*

*Vltimæ cōfirmationi satisfit.*

17. *Opinio Vasquez est aliena à quæstione proposita, & à mente, & doctrina D. Thomæ.*

Ex quibus manifestum est, illam sententiam non posse accommodari ad primam opinionem in principio positam: quia illa non loquitur de solennitate tantùm externa, & vulgari, sed de illa, quæ vim confert dirimendi matrimonium. Et præcipuè aliena est illa declaratio à mente D. Thomæ, qui apertè loquitur de solennitate, cui adeò repugnet matrimonium, vt nec de absoluta potestate Pontificis, aut valere, aut licere possit. Sic ergo negatum à nobis est, talem solennitatem posse ex sola consecratione, aut benedictione prouenire. Vnde ad fundamentum illius opinionis respondemus, solùm procedere de solennitate extrinseca pertinente, vel ad ornatum actus, vel ad summum ad actus valorem in sua intrinseca specie, & obligatione: & de hac solennitate procedunt exempla inducta, & ratio, seu proportio ab eis sumpta. Et sic fatemur, aliquam consecrationem, aut benedictionem esse solennitatem proportionatam; vt emissio talis voti decenter, & ornate fiat: non tamen inde fit, vel esse necessariam ad valorem, vel sufficere ad prædictam efficaciam actus, nisi per aliquam legem id instituatur, multoque minus esse per se, & natura sua sufficientem ad dādam actui substantialem solennitatem, quæ in efficacitate ad inhabilitandam personam consummatur. Nec aliud probat antiquus vsus talis consecrationis, aut benedictionis.

18. *Satisfit sententiæ D. Thomæ.*

Sed quid ad D. Thomam? Medin. d. lib. 4. Controu. 7. cap. 35. & 36. omnino contendit, D. Thomā, illam opinionem, vt sonat, docuisse; & in ea re falsam sententiam tenuisse, vel approbasse. Idque, inter alia, suadere conatur ex veterum Thomistarum expositione: qui vt votum solenne castitatis esse indispensabile defenderent, per eam benedictionem, nescio quid monacho indelebiliter imprimi docuerunt, vt ille ait. Nihilominus Soto lib. 7. de Iust. q. 2. art. 5. & in 4. dist. 38. q. 2. art. 1. exponit D. Thomam, vt non intellexerit, benedictionem solennem, quæ externo ritu, & cæremoniis, ac orationibus fit, dare voto formaliter, aut efficienter substantialem solennitatem, vel efficaciam ad inhabilitandum personam vouentem ad matrimonium; sed per illam, tanquam per quoddam signum, solennitatem voti explicasse, quia cum illa induci solet. Et hanc expositionem sequuntur multi moderni Thomistæ, & Sancius supra; & mihi etiam non videtur credibile, existimasse D. Thomam externam benedictionem per se posse, aut aliquid imprimere vouenti, aut dictos morales effectus infallibiliter, & ex se habere; quia talis assertio valde absurda est, & nullo fundamento nixa, vt probant suprà adducta. Veruntamen etiam difficilè intelligitur, quomodo illa benedictio sit certum signum solennitatis voti substantialis; cùm & sine tali benedictione possit dari votum proprie solenne, & super emittentem vota tantùm simplicia possit cadere talis benedictio. Probabile ergo est, quod suprà dicebam D. Thomam per consecrationem, & benedictionem nihil aliud intellexisse, quàm ipsammet traditionem, qua professus religionem, seipsum religioni tradit; & docuisse hanc esse voti solennitatem, & sic coincidit illa opinio cū alia capite sequenti tractanda. Et tacite sic etiam exponit D. Thomam Petrus Soto lect. 5. de Matrim. ad finem.

*Videtur D. Thomas per consecrationem intellexisse traditionē religiosi status ipsi religioni.*

## CAPVT VII.

### *Vtrùm solemnitas voti castitatis consistat in donatione, seu traditione sui ipsius, quam religiosus Deo, & religioni facit.*

1. *Traditio religiosi facta religioni distinguitur re ipsa à voto castitatis, quod est promissio facta Deo.*

SVpponit hæc quæstio, in professione religiosa duo interuenire: vnum est donatio quædam, quam religioni religiosus de seipso facit, quando illum statum assumit, eamque Prælatus nomine religionis acceptat; de qua infrà tractando de professione status religiosi, latiùs dicendum est: aliud est votum castitatis, quod in se non est donatio, sed promissio soli Deo facta: vt ex primo libro de Voto suppono, præsertim in cap. 14. Vnde ista duo distincta sunt, non tantùm ratione (vt quidam cogitasse videntur) sed reipsa, tum quia donatio sui, quam religioni religiosus facit, nec est materia voti castitatis, neque habet pro obiecto & materia corpus proprium in ordine ad castitatem seruandam, sed in ordine ad obsequium, & subiectionem religionis: tum etiam, quia illa donatio, seu traditio, non est differentia contrahens votum, vel vnum aliquid cum illo componens secundùm rationem: vt in d. cap. 14. ostendi. Tum denique, quia duo illa mutuò sunt separabilia, posset enim illa donatio sola fieri sine voto castitatis; vt fit ab aliquibus donatis, seu conuersis, & olim fiebat voluntate parentum de filiis paruulis: vt infrà tractando de ingressu religionis videbimus. Et è contrario votum castitatis fieri potest etiam in manibus alicuius prælati, & cum solennitate externa, sine alia donatione vouentis: vt olim fortasse à sacris virginibus fiebat; & licet tunc forte non inhabilitaret personam ad matrimonium; posset tamen Ecclesia id instituere, vt ex dicendis patebit. Sunt ergo illa duo in re distincta: nunc verò in professione religiosa simul fiunt, & quasi coniunguntur moraliter ad vnam professionem religiosam quasi artificiosè componendam. Hac ergo veritate suppositа, meritò inuestigamus, an donatio illa voto castitatis adiuncta, sit illa solennitas, ratione cuius votum illud vim habet inhabilitandi personam ad matrimonium.

*In professione religiosa tertio venit tradatio sui ipsius.*

2. *Secunda opinio in hac materia affirmat solennitatem voti castitatis fuisse in ea traditione.*

Secunda principalis opinio in hac materia est, solennitatem voti castitatis formaliter consistere in dicta traditione. ita docent graues Theologi. D. Thomas in 4. dist. 38 q. 1. art. 2. quæstione 3. in corpore, & ad 2. & art. 3. q 3. Idem habet quodlib. 3. art. 18. & quodlib. 10. art. 11. ad 1. Probabileque est in 2. 2. idem dicere voluisse, cùm consecrationi speciali solennitatem tribuit, nomine consecrationis dictam traditionem intelligendo; quia per illam consecratur homo diuino obsequio, vt in fine præcedentis capitis dixi. Sub nomine verò traditionis idem

docuerunt Bonau.d.dist.38.art.2. q.1. Durand. q.1. Richard.art.7.q.2. Argentin.a.3.ad 1.Mairon q. vnic. cap particula 4. Et ex Thomistis Capreol. dist.33.a. 1. conclus.2.& 3.& a 3.ad 1.Scoti contra 2 concl. & ibi Dez.a.3.notab.4.Arag.2.2.q.88.a.7.& Soto dist.38. quæ 2.art 1.& 2.& lib.7.de iustitia.q.2.a.5.col.6. Et idem sentit Petrus Soto d.lect. 5. de Matrim.ad finem; quanuis nonnulla dicat, quæ obscuriorem eius mentem reddunt, vt in discursu videbimus. Clarius loquitur Turrecr. in cap. *presbyteris.* dist. 27. & in cap. *sicut bonum* 27.q.1.a.2. Et ex scriptoribus nostræ Societatis, sequuntur hanc sententiam Valentia 3.tom.disp.6.q.6.punct.5.& in 4.tomo. disp.10. de Matrim.q.5.punct.3. Henriq.lib.12. de Matrim. cap.5.n.3 & 4. qui alios refert; & plures Sancius infra citandus. Est autem in modo loquendi aliqua diuersitas inter hos authores: nam quidam asserunt, ipsam sui traditionem, quam religiosus facit religioni, esse essentialiter ipsum votum solenne castitatis, quod nobis non placet, vt in lib.1.de voto capite 14. & paulo etiam ante diximus, & in sequentibus iterũ dicemus. Alii ergo distinguendo illa duo, prout nos illa distinximus, dicunt ab ipsa traditione habere votum vim inhabilitandi personam ad matrimonium; & ideo illam esse veluti moralem formam solennizantem eiusmodi votum. Et in hoc sensu dicunt, votum solenne castitatis includere promissionem, cum traditione, & translatione dominii in Deum mediante homine, seu in hominem vice Dei. Et ita loquitur D. Thom. d. quæst. 3. art. 18.

3. *Fundamentum primum huius opinionis.*

Primum, & præcipuum huius sententiæ fundamentum est; quia res vni tradita, non potest alteri validè donari; ergo religiosus donatus Deo per votum habens traditionem annexam, non potest valide se tradere alteri homini in coniugem; ergo ex vi talis voti dictæ traditioni coniuncti, talis persona fit ad matrimonium validum contrahendum inhabilis: sed in hoc consistit substantialis solennitas voti castitatis; vel certè illud est infallibile signum talis voti, vt dictum est. Ergo votum castitatis religiosæ ex vi prædictæ donationis solennizatur, & reddit personam inhabilem ad statum matrimonii. Probatur hæc vltima consequentia; quia traditio proprii corporis, quæ in matrimonio fit; repugnat formaliter, ac directe cum prædicta traditione religiosa.

4. *Declaratur & confirmatur.*

Secundò declaratur amplius hæc ratio, quia possibilis est status religiosus, in quo talis fiat traditio proprii corporis ad cœlibatum seruandum in Dei honorem, vt sit incompossibilis cum traditione matrimonii; ergo talis est illa, quæ nunc fit in professione religiosa cum voto castitatis; ergo inde habet tale votum, vt sit solenne. Antecedens probatur, quia in tali genere traditionis nulla est repugnantia: nam homo potest se tradere Deo in eius obsequium, prout voluerit; & Deus per ministros suos potest talem traditionem acceptare; & ita peculiare dominium in corpus talis hominis acquirere, præter generale, & connaturale dominium omnium, quod ex vi creationis habet. Sicut aliarum rerum temporalium, quæ ad cultum Ecclesiæ donantur, acquirit Deus speciale dominium, ratione cuius non potest donator de illis amplius disponere, vel alteri eas donare; quia per donationem Deo factam, se tali potestate, & priori dominio priuauit: ita ergo potest fieri in dominio proprii corporis. Sicut potest etiam vnus homo alteri se in seruitutem tradere, per quam donationem ab alio acceptatam, sui dominium, & propriam libertatem amittit; ita vt nec possit se a seruitute eximere, nec alteri donare: cur ergo non poterit homo simili modo se Deo tradere. Probatur ergo prima consequentia, quia per religiosam professionem homo perfectissimè tradit se Deo in obsequium eius, quantum potest; & ideo possessio illa quædam mors mystica, seu ciuilis reputatur. Sicut de monacha dixit Eugenius Papa in cap. *placuit commun.16.* quæst.1. *Mundo mortuus est, Deo autem viuit.* Ergo in eo statu facit homo maximam sui abnegationem, & abdicationem proprij dominij, ciusque translationem in Deum, quam facere potest.

5. *Declaratur status propositæ difficultatis.* *Duobus modis intelligi potest quòd talis traditio inhabiliter ad matrimonium: Sed natura sua, ac proinde iure diuino naturali; vel ex institutione Ecclesiæ.* *De primo modo est tota controuersia.*

Hanc sententiam impugnant Scotus, Paludanus, Palacios, & multi alii in 4.dist.38. & ex modernis Medina, Sancius, Vasquez, & alij; non tamen omnia, quæ obiiciunt, efficacia sunt. Et ideo ad exacte inuestigandam huiusmodi sententiæ veritatem, vel probabilitatem, suppono, duobus modis posse intelligi traditionem illam inhabilitare personam ad matrimonium; vel ex natura sua, ac proinde iure diuino naturali, vel ex institutione Ecclesiæ. Et licet vtroque modo asseratur, de priori est tota controuersia, nam in illo maxime loquuntur citati authores, contra quem sensum argumentatur in primis Scotus supra; quia etiam per votum simplex castitatis, homo tradit corpus suum Deo, quantum ad effectum voti, qui est abstinere ab vsu carnali; vel saltem in arbitrio hominis est hoc modo, & intentione vouere castitatem, si velit. Nam, cur non? Pendet enim hoc ex eius libertate; ergo etiam tale votum erit solenne, & irritabit matrimonium subsequens, quod dici non potest. Ergo nec de voto facto cum traditione facta per hominem id dici potest. Probatur prima consequentia, quia nõ minus transfert aliquis à se, quod immediate dat Deo, quàm quod mediante homine illi donat. Nam si quis dicat Deum noluisse aliquid sibi donari immediate, nec acceptare illud, nisi per hominem, ostendat (inquit Scotus) hanc voluntatem Dei in Scriptura; quia nimirum sola ratione ostendi non potest. Quia sicut homo potest habere animum promittendi Deo immediate; ita & donandi. Nam quòd inter homines non sit donatio, nec translatio dominii per solum internum actum voluntatis; ideo est, quia est occultus alteri homini, qui debet donationem acceptare, vt consummetur. At verò Deus optime nouit internos actus voluntatis, & sicut acceptat promissionem pure mentalem, ita potest acceptare donationem ipsi immediate factam; ergo non potest cum fundamento dici, promissionem acceptare, non verò traditionem.

6. *Instantia soluitur.*

Dicunt autem aliqui, donationem proprii corporis esse rem grauiorem, quàm promissionē castitatis, & ideo licet Deus accepter promissionem; noluisse per seipsum acceptare traditionem, quæ multo maiorem deliberationem requirit. Hoc autem non satisfacit, quia etiam votum castitatis est res grauissima, & magnam deliberationem postulat: & similiter votum intrandi religionem, grauissimum est, & virtute quodammodo includit traditionem religiosam, ad quam obligat: & nihilominus Deus per seipsum illud acceptat; ergo etiam acceptabit traditionem proprii corporis ad cœlibatum seruandum, si solo animo interno fiat. Iam ergo probatur secunda consequentia, vel concluditur aliter argumentum, quia traditio interna proprii corporis ad seruandam continentiam soli Deo facta non irritat matrimonium subsequens; nec priuat hominem potestate tradendi suum corpus coniugi ad actum cœlibatui contrarium: ergo nec traditio facta exteriùs in manibus prælati habet illum effectum ab intrinseco ex ipso iure naturæ. Dices, nunc esse ab Ecclesia præscriptam formam se tradendi Deo, iuxta quam requiritur acceptatio in religione approbata, & ideo internam traditionem nullam esse.

Sed

Sed contra hoc est, quia saltem ex sola rei natura, & stando in iure diuino, homo potest seipsum tradere Deo efficaciter, sua voluntate; ita vt se ad matrimonium ritè contrahendum. inhabilem, & impotentem redderet, quod incredibile est.

7. *Confirmatur.* Vnde hanc rationem ita defendit, & amplificat Medina suprà cap. 22. 25. & sequentibus, vt dicat, votum simplex castitatis non solùm posse cum traditione fieri, sed etiam sine illa perpetuum esse non posse: imò indicat, neque verum votum esse posse, nec inducere obligationem. Ita enim argumentatur contra prædictam sententiam; quia si votum castitatis non includit traditionem, ex vi illius Deus non habet specialem potestatem, vel ius in corpus vouentis; ergo nec vouens tenetur speciali obligatione ad abstinendum à coniugio. Vnde vlteriùs distinguit duplex, vel etiam triplex votum castitatis: vnum, quod traditionem, licet occultam, vel priuatam continet: aliud, quod nuda est promissio, quod, vt ait principio cap. 27. non nisi imperfectissima ratione est votum: & inferiùs absolute profert, non esse votum, licet votum pro illorum professione supponat. Ac tandem in hoc distinguit promissionem à voto castitatis; quòd promissio est de edendo voto castitatis, & ideo non perficit spirituale matrimonium cum Deo: votum autem est de castitate ipsa seruanda. Vnde etiam ait, promissionem castitatis perficere tantùm quasi sponsalia de futuro cum Deo: votum autem castitatis perficere matrimonium, quia continet internam professionem, per quam vouens corpus suum Deo tradit. Ex quo tandem concludit cap. 28. non omne votum etiam simplex esse promissionem: nam votum castitatis simplex, non est promissio, sed traditio. Vnde à fortiori idem docet de voto solenni, quia oppositæ differentiæ non possunt formaliter eidem conuenire: traditio autem, & promissio oppositas habent differentias. Ergo. Et hanc doctrinam videtur sumpsisse Medina magna ex parte ex glossa 27. quæst. 1. in principio. vers. *Quod vouentes.* & cap. 1. vers. *sub testimonio.* Et illa etiam vtuntur Azor. d. lib. 2. cap. 6. q. 6. 7. & 8. & Sanctus d. disput. 25. num. 4. 5. & 6.

*Medina duplex, vel triplex votum castitatis distinguit, & similiter promissionem ab ipso voto.*

8. *Impugnatur Medinæ impugnatio.* Nihilominus hæc impugnatio prædictæ sententiæ parum efficax mihi videtur, & prout à Medina vrgetur, multa falsa, & absurda continet. Nam in primis perinde est dicere, dari aliquod votum, quod non sit promissio, ac dicere dari hominem, qui animal non sit: nam sicut animal est genus hominis, ita promissio est genus voti, vt in lib. 1. de Voto c. 13. & 14. ex Scriptura, Patribus, & ratione probatum est. Et de voto castitatis in particulari probatur, quia nullum est votum castitatis, quod non obliget ex fidelitate Deo debita ad seruandam castitatem in futurum, sed talis obligatio non nascitur, nisi ex promissione Deo facta, vt dicto loco probatum est, & statim ampliùs declarabitur; ergo nullum est votum castitatis, quod non sit promissio. Quod non solùm de simplici, sed etiam de solenni voto castitatis verum est, etiam iuxta prædictam sententiam rectè explicatam; quia essentialiter est promissio, licet illi traditio coniungatur: vt iam dixi hic, & in lib. 1. de Voto. & insequentibus ampliùs confirmabitur.

*Promissio essentialiter vt genus includitur in omni voto.*

*Nulla datur promissio Deo facta, quæ non sit votum.* E contrario etiam nulla est promissio castitatis Deo facta, quæ non sit votum; quia illa est voti definitio. Nec instantia de promissione vouendi castitatem, est ad rem, quia etiam illa est verissimum, & proprissimum votum. Sicut est verum votum promissio ingrediendi religionem; quia est promissio facta Deo, & obligat ex fidelitate Deo debita. Non tamen est votum castitatis; quia non cadit immediatè in illam, sed in statum religionis, & consequenter in ipsum votum castitatis. Vnde est quasi reflexum votum, quod obligat ad vouendam castitatem; non verò ad castitatem ipsam, quandiu non vouetur. Sicut votum religionis obligat ad vouendam obedientiam, non tamen ad obedientiam ipsam seruandam. Promissio ergo vouendi castitatem sicut non est votum castitatis, ita nec est promissio castitatis: & è contrario, sicut est promissio vouendi, ita etiam est votum vouendi. Vnde non differt à voto castitatis in genere voti, sed in proxima voti materia.

9. *Potest dari votum simplex castitatis, quod sit pura promissio, & nullam habeat traditionem.* Deinde non videtur dubium, quin possit dari votum simplex castitatis, quod sit pura promissio, & nullam traditionem habeat adiunctam. Probatur ex dictis; quia idem actus non potest esse promissio, & traditio, vt idem author fatetur: & in cap. 14. de voto. late probani. Neque etiam illi duo actus promittendi, & tradendi rem promissam, sunt per se, aut necessariò coniuncti, sed separari possunt pro arbitrio libertatis. Sæpe enim donamus, quod nunquam promisimus; & promittimus, quod vel nunquam, vel saltem non statim tradimus. Quin potiùs repugnat circa eandem omnino rem, & secundùm idem versari simul promissionem, & traditionem: nam promissio respicit futurum, traditio de præsenti fit. Quòd si interdum fit de præsenti donatio alicuius rei cum promissione aliqua, tunc non promittitur res iam donata, id enim repugnat; sed promittitur vel fructus talis rei, vel conseruatio donationis factæ, vel quid simile. Ergo potest dari pura promissio castitatis, quæ nec sit traditio, nec habeat illam coniunctam. Probatur prior pars, tum ex illo principio, quòd promissio & traditio non sunt idem actus: tum quia castitas non consistat quasi in habitu, vel re aliqua permanenti, sed in carentia actuum futurorum voluntaria. Et ideo non donatur castitas ipsa, cùm fit votum; sed promittitur eius obseruatio. Altera item pars illarionis probatur, quia dato, & non concesso, quòd subiectum, vel principium castitatis, id est, corpus, vel voluntas possit donari, cùm castitas ipsa promittitur, semper id pendebit ex libertate voluntatis. Ergo potest homo promittere castitatem, nullam sui donationem faciendo.

*Promissio sui non sunt actus necessariò coniuncti, sed possunt separari pro arbitrio libertatis.*

*Castitas nō consistit quasi in habitu, vel re permanenti, sed in carentia actuum voluntaria, ac proinde non donatur castitas ipsa, cùm fit votum, sed promittitur eius obseruatio.*

Denique addo contra Scotum, votum simplex castitatis soli Deo factum non posse habere traditionem adiunctam proprii corporis; quæ soli Deo immediatè fiat. ita etiam docuit Soto, & illum secutus est Sancius cum aliis, quos refert. rationem autem conuincentem reddere difficile est. Probatur autem primò inductione; quia licet homo ita promittat Deo res suas ad cultum eius, vt simul habeat voluntatem, & animum deliberatum tradendi illas Deo statim, & ex tunc; nihilominus, quandiu illa non præbet Ecclesiæ, vel pauperibus, vel in alia opera pia illa expendit, non abdicat à se dominium talium rerum; alias manerent illa bona sub solo dominio Dei, quod est absurdum: tùm quia al às posset quilibet sciens factum illius hominis, illa bona, tanquam nullius hominis existentia occupare sine iniustitia contra priorem dominum: tum etiam, quia alias licet prior dominus nullum votum proprium, seu promissionem fecisset Deo; eo ipso, quòd haberet voluntatem donandi talia bona Deo, maneret obligatus ex iustitia ad non retinendum talia bona, neque posset alteri ea sine iniustitia contra Deum donare; nec valida esset talis secunda donatio, imò nec iam posset suo arbitrio ad hoc, vel illud opus pium applicare illa, si à principio non eadem interna voluntate, qua Deo donauit illa bona, ius illud sibi non resetuauit. Quia postquam in Dei dominium transierunt, nulla priuata persona est dispensator illorū; sed Papa, vel Episcopus, qui est vicarius Dei.

10. *Additur contra Scotum.*

Dei. Tenetur ergo homo ille tradere bona illa pastoribus Ecclesiæ, vt suo arbitrio ea in Dei cultum expendant: quæ omnia videntur incredibilia, & absurda.

11. Notandum circa materiam donationem Deo faciendam.

Item, si quis habeat voluntatem tradendi Deo alicui huius laborem, vel peregrinando, vel in templi ædificationem operas suas præstando, non adhibendo promissionem, aut votum proprium, sed tantùm per modum donationis illas operas, tanquam fructus arboris Deo tradendo, non committet iniustitiæ peccatum, etiamsi illas non faciat; ergo signum est, non transtulisse in Deum dominium talium actionum, nec ius æquivalens dominio. Imò quamvis illas omittat, nihil peccabit, si reuera non promisit; quia illa voluntas non est, nisi propositum de se efficax id faciendi; & quidquid aliud voluntas conatur, vanum est, si non prodeat in actum promittendi, seu vouendi Deo, vel donandi alicui hominiptopter Deum, vel vice ipsius. Vnde in Scriptura non legimus alium modum, quo se homo Deo obliget, nisi vouendo, seu promittendo; quod idem est, vt ostendi d. lib. 1. de Voto. cap. 13. Neque etiam legimus aliud genus pacti inter Deum, & homines immediate, nisi vel mediante præcepto, & promissione ex parte Dei: vt Genes. 12. & 17. & sæpe in lege veteri, vel mediante voto, & promissione ex parte hominis: vt de Iacob Genes. 28. & similibus. Ergo alius modus pacti per modum traditionis, aut internæ donationis factæ Deo, fictus est, & sine fundamento. Quod ergo in bonis externis explicatum est, etiam de proprio corpore est intelligendum: nam licet homo habeat internam voluntatem tradendi corpus Deo in speciale obsequium eius, non est verisimile vel amittere aliquod dominium in corpus suum; quod in Deum transferat, vel nouam obligationem sibi imponere, præsertim seruandi castitatem, si illam non vouit: idemque est de voluntate se donandi Deo ad illi obediendum; & similibus. Nam huiusmodi voluntas solùm est bonum propositum, quod per se obligationem non inducit: vt in lib. 1. de Voto. probatum est.

Non datur pactum si quando Deo nisi mediante voto, seu promissione.

12. Differentia inter promissionem, & donationem.

Ratio verò reddi potest: primò ex differentia inter promissionem, & donationem: nam promissio est quasi lex particularis, quam homo sibi imponit, & ideo potest fieri immediatè ipsi Deo; quia suum effectum habet immediate in ipso vouente, quem specialiter obligat ad cultum Dei, cuius obligationis homo est capax, & Deus talem etiam promissionem acceptat, quoniam ad cultum eius pertinet, & hominem sic obligari bonum est. At verò donatio per se, & immediate non obligat donantem, nec in illo habet effectum suum proprium, sed in donatario, in quem transfert dominium rei donatæ; & inde fit, vt donans illo priuetur, & consequenter obligetur ad nou agendum contra donationem factam. Hinc ergo prouenit, vt homo non possit Deo donare aliquid immediate in seipso: vel quia Deus in se non est capax priuati, imperfectique dominii quale homo habet, qui non potest perfectius dominium dare, quàm habeat. Vel quia (vt rectè notauit Sancius) dominium ordinatur ad vsum, & gubernationem rei, alias frustrà esset. Deus autem non suscipit in se peculiarem vsum, & gubenationem alicuius rei per modum causæ proximæ, & particularis; sed vult, vt bona particularia per causas secundas gubernentur, & administrentur, etiamsi in cultum eius donentur. Ideoque non acceptat, nec vsurpat dominium particulare alicuius rei per seipsum, sed si quid donatur rei, vel in cultum eius, vult dari ministris suis, vt ab eis nomine eius acceptetur, & administretur: & aliàs facta donatio est vana, & irrita, vtpote ab ordinaria prouidentia Dei aliena. Quod aliquo modo significatum est, in verbis illis Psal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*, &c. Et tandem concludit: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Insinuat enim Deus, his modis se velle coli, non per donationes ipsi immediate, & in seipso factas.

Donatio facta Deo immediatè nulla est, & irrita.

13. In hoc ergo rectè procedit prior sententia differentiam constituens inter votum simplex, & solenne castitatis; quia votum simplex est sola promissio non coniuncta traditioni. Votum autem solenne castitatis semper habet aliquam traditionem coniunctam; quæ non ipsi Deo immediatè, sed per ministros suos fit; & per illos etiam acceptatur: ideoque res sic Deo tradita sub illorum cura, & gubernatione manet. Vnde non ita Deo traditur, quin etiam donetur homini ministro Dei, eique nouum aliquod ius in rem donatam acquiratur, sicut videre licet in omnibus oblationibus temporalium bonorum, quæ in Dei cultum offeruntur. Talis ergo traditio est, quæ coniungitur voto castitatis, vt solenne fiat. Atque ita inuenitur non solùm in voto castitatis religiosæ, sed etiam sacri ordinis. Nam, qui ordinatur in sacris, seipsum speciali modo tradit in manus Episcopi ad diuinum cultum, & qui profitetur statum religiosum, se tradit religioni, cum qua init pactum reciprocum, & ideo acceptatio religionis necessaria est, iuxta caput, *ad Apostolicam.* de Regular. Votum ergo castitatis huic traditioni coniunctum ab illa solennizari dicitur, iuxta illam sententiam.

*Votum solenne habet aliquam traditionem adiunctam.*

14. Secundò ergo efficaciter probatur contra prædictam sententiam; quia potest dari votum castitatis coniunctum traditioni, factæ in obsequium Dei, & per hominem nomine Dei acceptatæ, & non esse solenne, sed manere simplex, vel quantum est ex natura rei, vel etiam de facto; ergo traditio non est per se sufficiens ad solennizandum votum. Consequentia clara est ex superiùs dictis. Et antecedens probatur primò in voto solenni ordinis: nam licet de facto sit solenne, potuisset esse simplex, si Ecclesia ordinasset: vt supra diximus. Veruntamen hoc exemplum parum vrget; quia de voto clericorum etiam D. Thomas, & alii fatentur esse solenne quasi per accidens; quia castitas non est per se coniuncta ordinationi sacræ, sicut statui religioso, sed ex Ecclesiæ institutione: & ideo impedimentum illius voti non esse ex vi traditionis, sed ex institutione Ecclesiæ: & ratio est, quia illa traditio non est ita perfecta, nec eiusdem ordinis cum illa, quæ in professione religiosa fit.

*Traditio non est per se sufficiens ad faciendum solenne votum castitatis.*

15. Probatur ergo aliter primum antecedens; quia in Religione Societatis Iesu post biennium fit votum castitatis cum reliquis, simul cum traditione, qua vouens se tradit religioni per Ecclesiam approbatæ, & acceptatur à superiore, in cuius manibus publice, & cum sacris cæremoniis fit. Et nihilominus illud est votum simplex, vt ex instituto Societatis, eiusque approbatione per Bullas Pontificias constat; imo ante Gregorium XIII. votum illud adeò erat simplex, vt subsequens matrimonium non irritaret. Et quanuis postea Gregorius XIII. in Bulla, *Ascendente Domino*, illud impedimentum introduxerit, & personam sic vouentem inhabilem ad matrimonium reddiderit, durante voto; nihilominus declarauit etiam nunc esse simplex. & non solenne. ergo votum non solennizatur per traditionem religiosam.

*Ostenditur in voto castitatis c. missi post biennium in Societate Iesu.*

16. Hæc difficultas in iure nouo fundata creditur, & ideo antiqui Theologi illi non respondent: ex modernis verò aliqui institutum Societatis non satis per se spe-

*Hæc difficultas fundatur*

datus in vtra nouo.

perfectum habentes sinistrè constitutionem Pontificis interpretati sunt, cum quibus agemus in sequenti tomo lib 3. à principio, Societatis institutum declarando, & defendendo. Alii verò eiusdem instituti defensores, vt antiquam opinionem Theologorum, quam expendimus, cum dicta institutione Societatis concordent, duplicem traditionem religiosam distinguunt, vnam perfectissimam, & ex omni parte consummatam, aliam minùs perfectam, & (vt ita dicam) aliqua ex parte claudicantem: & priorem, aiunt, ex se, & ab intrinseco, reddere personam inhabilem ad matrimonium, & ita solennizare votum castitatis; non verò posteriorem: & huius posterioris modi dicũt esse traditionem illam Societatis. Vnde ad argumentum negant consequentiam; quia traditio, quæ fit à religiosis Societatis non professis, est alterius rationis à traditione, quæ fit à professis tam eiusdem Societatis, quàm aliarum religionum approbatarum. Nam in professione solenni fit traditio perfecta, & simpliciter perpetua ex vtraque parte, quia & religiosus ita se tradit, vt se perpetuò priuet dominio sui corporis, & religio etiam illam acceptat, vt irreuocabilem; & ita se obligat religioso, vt non possit illum dimittere quoad vinculum, nec professionem, seu traditionem semel factam dissoluere. Traditio verò illa quæ à scholaribus, vel coadiutoribus Societatis fit, licet ex parte religiosi sit perpetua, & ideo cum tribus votis sufficiat ad statum religiosum constituendum; nihilominus ex parte religionis non est ita perpetua, quia ex certis causis potest religiosum liberum dimittere, & repudiare donationem sibi à religioso factam. Et hinc fit, vt hæc traditio non ita solennizet votum sibi annexum, sicut prior. Hanc distinctionem refert Sanctius supra num. 11. & tradit Vasquez d. disput. 165. cap. 8. respõsum prædictum approbando. Et idem sentit Valentia tom. 4. disput. 10. quæst. 1. punct 3 & late, ac docte Basil. in lib. variat. disput. quæst. 3. c. 5. & est sententia satis probabilis.

Aliqui probabiliter duplicem traditionem distinguunt.

17. Impugnatur predicta distinctio.

Nihilominus iudicio meo vim argumenti facti nõ eneruat. In duobus enim comparari potest quoad perfectionem traditio, seu donatio religiosa, quæ in Societate fit post biennium, ad illam, quæ fit in absoluta, & solenni professione. Primò, in substantia (vt sic dicam) traditionis, id est, intensione, vel magnitudine obligationis, aut in extensione materiæ, & amplitudine rei donatæ, ac denique in abdicatione dominii proprii corporis, & voluntatis. Secundò comparari possunt in perpetuitate, & irreuocabilitate talis donationis, ac proinde in incapacitate recuperandi vnquam libertatẽ, & dominium sui alteri donatum. In priori comparatione falsum est dicere, illam donationem, quæ in Societate fit cũ votis simplicibus, minus perfectam esse, quàm quæ fit in quacunque professione religiosa: Nam scholaris, vel coadiutor Societatis, cùm tria vota emittit, vere se Societati donat, abdicando dominium suæ voluntatis, & corporis in ordine ad omnia obsequia Dei, & religionis, secundùm suam regulam. Vnde in ipsamet religione Societatis in hoc non est inæqualitas perfectionis inter hos religiosos, & alios solenniter professos. Cùm ergo professi Societatis non minus perfecte se tradant religioni suæ, quàm cæteri professi monachi religionibus suis; fit consequenter, vt dicti religiosi Societatis non professi quoad hanc partem, non minus perfecte se tradant; quàm cæteri omnes religiosi, siue quoad abdicationem dominii in seipsos, siue in extensione materiæ, seu rei donatæ. Quippe qui (vt ait Gregorius XIII. in d. constitut.) *per ea vota se actu religioni tradunt, seque diuino seruitio in ea dicant.* Vtique plene, & integre iuxta suam regulam.

De traditione religiosa, quæ fit in Societate laxa.

Neque contra hoc obstat, quòd isti religiosi Societatis per vota simplicia non fiunt incapaces dominii temporalium bonorum: tum quia non agimus de traditione quoad externa bona fortunæ, sed de donatione propriæ personæ, quoad omnes vsus sui corporis regulæ consentaneos: tum etiam, quia incapacitas dominii temporalium bonorum in professis solenniter, non prouenit ex sola illa donatione sui, sed adiuncta ordinatione Ecclesiæ, vt infrà ostendam; & ideo stante æqualitate in donatione sui potest ex ea parte in illo effectu esse inæqualitas. Denique in magnitudine, seu intensione (vt sic dicam) obligationis etiam est æqualitas. Nam si sit sermo de obligatione ad religionem ipsam, cùm hæc oriatur ex translatione dominii in ipsam; sicut donatio in sua substantia æqualis est; ita & obligatio, quæ ex illa nascitur. Si verò sit sermo de obligatione, quæ nascitur ex voto castitatis, etiam illa non est minor, quia, teste Cælestino III. in cap. *rursus.* qui clerici, vel vouent. votum simplex non minus obligat apud Deum, quàm solenne. Maxime, quia etiam iuxta dictam sententiam, præcisa traditione, & nudam promissionem Deo factam considerando, non intelligitur differentia inter vtrumque votum; & ideo prudenter addidit Cælestinus illam particulam, *apud Deum.*

18. Incapacitas dominij temporalium bonorum non prouenit ex sola traditione sui, sed adiuncta ordinatione Ecclesiæ.

Votũ simplex non minus obligat apud Deum, quã solenne.

Præterea in comparatione illarum traditionum, quoad durationem, seu perpetuitatem ex parte personarum se tradentium etiam est æqualitas; quia vouentes simpliciter in Societate, etiam ex parte sua se in perpetuum tradunt Societati; nec possunt vnquam, vel in illo casu donationem de se factam reuocare, aut sine apostasiæ labe propria voluntate recedere. Ratione cuius perpetuitatis, illa traditio, & perpetuitas votorum; quæ, illa durante, existit, ad verum, proprium, ac perfectum statum religiosum constituendum sufficit: vt Gregor. XIII. definiuit, & infrà dicemus. Solùm ergo ex parte acceptationis talis donationis, quæ à prælato fit nomine religionis, est inæqualitas: quia in Societate superior acceptat illam donationẽ, quantum ad translationem dominii in religionem, & quantum ad obligationem personæ se donantis; non tamen, quantum ad obligationem retinendi immutabiliter illud dominium; sed potiùs reseruat religioni, & eius prælatis potestatem repudiandi dominium illud, in quo à professione solenni differt. Hanc que inæqualitatem Societatis, Bullæ, & Constitutiones ostendunt; & non aliam, quod attinet ad prædictam traditionem.

19.

At verò hæc differentia non satis est ad factum argumentum soluendum. Quod ita ostendo. Nam ex hac differentia solùm sequitur, per hanc donationem Societatis cum voto castitatis non fieri personam inhabilem ad matrimonium perpetuò, & irreuocabiliter; sicut fiunt alii religiosi solenniter professi. Quia, si illa donatio rescindatur, & consequẽter vota tollantur, & persona in pristinam libertatem transeat, tolletur illa inhabilitas, sicut nũc etiam fit. Nihilominus tamen in hoc debet seruari æquiparatio: quòd si traditio professorum vtrinque irreuocabilis, ab intrinseco; & iure diuino, ac naturali reddit personam inhabilem ad matrimonium irreuocabiliter, etiam illa traditio Societatis reddet ab intrinseco personam inhabilem ad matrimonium, quandiu non reuocatur, licet per rescissionem prioris contractus possit auferri. Consequens autem est falsum; ergo etiam illa sententia falsa est. Probatur sequela, quia ideo dicitur professio natura sua, & diuino iure facere religiosum impotentem ad ritè contrahendum matrimonium; quia cùm iam non sit suus, sed eius, cui se donauit, non potest alteri validè donare seipsum: at verò, si hoc ita est,

eadem

eadem ratione sequitur, simplicem religiosum Societatis, quandiu religiosus manet, & donatio sui, quam semel fecit, non rescinditur, non posse valide alteri se donare, ac subinde pro illo tempore non minus ab intrinseco esse inhabilē ad matrimonium, quàm in perpetuum religiosus solenniter professus.

1. Impotentia ad donandum valide alicui rem prius alteri donatam, non prouenit ex eo, quòd prior donatio irreuocabilis sit, sed ex eo quòd nemo potest donare, quod non est suum, eo tempore in quo donationem facit. Vnde si quis donauit agrum Petro, & tradidit illum, non potest illum Paulo donare, etiamsi prior donatio facta Petro, reuocabilis per eius voluntatem sit, si eundem agrum donatori restituere velit: quia dum non reuocatur, dominium, vel potestatem in agrum non habet. Cùm ergo ostensum sit, religiosum simplicem Societatis non minus se donare religioni quoad abdicationem dominij in seipsum, & translationem eius in religionem, quàm religiosum solenniter professum, profectò tam est impotens ad se tradendum alteri, quandiu in illo statu permanet, quàm semper sit solenniter professus in statu suo: si ergo in hoc talis impotentia sequitur ab intrinseco ex vi prioris traditionis, etiam in illo sequetur, durāte statu. Quòd autem hoc consequens falsum sit, cōstat ex progressu Societatis: nam in principio tales religiosi non fiebant inhabiles ad matrimonium, etiam durante statu, & postea per constitutionem Gregorij facti sunt inhabiles durante statu & tamen nec traditio, nec vita, nec modus à religione institutus ad assumendum talem statum, immutata sunt; ergo signum est illam inhabilitatem non prouenire ab intrinseco ex traditione, sed ex lege Ecclesiæ; ergo nec in donatione omnino irreuocabili, quam æreri religiosi faciunt id prouenit ab intrinseco ex traditione, sed aliquid amplius ex parte Ecclesiæ necessarium est. Atque hoc argumentum inductum ab exemplo cum paritate rationis, videtur mihi satis efficax, hec video, quid possit conuenienter responderi.

## Caput VIII.

### *Superior opinio ex iure impugnatur, & solemnitatem voti castitatis de iure humano esse ostenditur.*

1. Tertiò principaliter argumentari possumus cōtra dictam sententiam, quia ex ea sequitur solennitatem voti castitatis religiosæ non esse de iure tantùm Ecclesiastico, sed de diuino iure. Consequēs falsum est, ergo. Minor patet ex Bonifacio Papa c. vnico de voto in 6. dicente, *voti solennitatem s. la Ecclesia constitutione inuentam esse.* quæ verba retulit Gregorius XIII. in dicta constitutione, *Ascendente Domino.* Et non solùm probauit, verùm etiam pro fundamento suæ decisionis, & reprobationis doctrinæ, quam ibi damnat, illam sumit. Vnde constat, non vt priuatum Doctorem, sed vt Pontificem, & Ecclesiæ Magistrum ex cathedra loquentem illam docuisse veritatem. De qua re plura in sequentibus, & præcipue in proprio tractatu de Societatis instituto lib. 3. dicemus. Probatur ergo sequela principalis argumenti, quia status religionis, vt includit traditionem tribus votis essentialibus firmatam, de iure diuino est, saltem in lege noua ex Christi institutione, vt in sequenti libro ostendemus. Sed illa traditio sic facta ex natura rei & de iure naturali inducit impedimentum irritans, & inhabilitat ad matrimonium contrahendum iuxta illam sententiam; & totum id est de iure diuino: estque necessarium, & sufficit ad voti solennitatem substantialem. Ergo ex illa sententia apertè sequitur, solennitatem voti castitatis non esse de solo Ecclesiastico iure.

2. *Multi ex auctoribus concedunt sequelam.*

Ad hanc rationem multi ex his, qui illam sententiam in prædicto sensu defendunt, concedunt illum modum traditionis religiosæ per translationem dominii ipsius religiosi in religionem esse ex diuina Christi institutione, & consequenter etiam fatentur illam efficaciam voti solennis castitatis religiosæ ad subsequens matrimonium dirimendum esse de iure naturali; ac denique substantialem talis voti solennitatem esse etiam de iure diuino. Et ad Pōtifices respondent, locutos esse de solennitate requisita, vt talis traditio rite, & valide fiat, sicut nunc matrimonium, quoad substantiam, & indissolubile vinculum; & quoad efficaciam irritandi secundas nuptias, durantibus primis, est de iure diuino; nihilominus solennitas nunc requisita, vt matrimonium valide fiat, est de iure Ecclesiastico, vtique, quod coram parocho, & testibus fiat. Ita explicant illam Bonifacii decisionem plures Doctores, præsertim Theologi moderni, & Thomistæ, quos refert Sancius suprà num. 16. & Henric. dict. lib. 12. aliàs 2. de Matrim. cap 5. vbi plures, qui contrarium docent, in eundem sensum trahere conatur. Et Gouarruuias etiam illam sequitur interpretationem in 4. Decretal. 2 p. cap. 7. §. 4. num. 8. & citat. Palud. in 4. dist. 38. quæst. 2. §. *Septima diuisio.* sed ibi expresse ait. *In voto solenni esse duo, scilicet, materiam, id est, essentiam voti, & solennitatem, tanquam formam: & in voto solenni religionis materiam esse de iure diuino, & naturali, quia ipsemet vouens obligat se. sed solennitatem esse ab Ecclesia.* Et sequitur ibi supplementum Gabr. quæst. 1. art. 2. in fin. & vterque per materiam, seu voti essentiam apertè intelligit solam promissionem, quæ à voluntate pendet, cuius obligatio est de iure diuino, *& nemo*, inquiunt, *potest illam impedire.* Vnde omnem aliam voti solennitatem ab Ecclesia esse sentiunt: vt expressiùs declarat Palud. quæst. 4. art. 4. concl. 11. & supplem. quæst. 1. art. 2. concl. 4. citans Gersonem in Regul. Moral.

3. *Veritatis interpretatio.*

Vera ergo, & communis iurisperitorum intelligentia est, Pontificem in d. cap. vnico, loqui de solennitate substantiali voti, id est, de virtute, & efficacia, quam habet ad irritandum subsequens matrimonium. Vnde glossa ibi notab. 1. ex eo, quod dicitur in illo capite, solennitatem voti inductam esse constitutione Ecclesiæ, colligit, non votum ipsum, sed constitutionem Ecclesiæ esse, quæ dirimit matrimonium. Vbi eodem modo textum illum intelligunt Ioan. Andr. Dominic. Archidiac. Anchar. Francus, & alij. Et videtur, posse conuinci ex ipso contextu. In quo in primis consideranda est quæstio proposita his verbis. *Quod votum debeat dici solenne, ac ad matrimonium dirimendum efficax?* Vbi aperte propohitur quæstio de illo voto solenni, quod ratione suæ solennitatis vim habet dirimendi subsequens matrimonium. Ad respondendum autem huic quæstioni, Pontifex pro fundamento sumit, *quod voti solennitas ex sola Ecclesia constitutione est inuenta.* Ergo loquitur in his verbis de illa solennitate, ratione cuius votum habet dirimere matrimonium, ac proinde supponit ipsam vim dirimendi matrimonium, quam tale votum habet, ex sola institutione Ecclesiæ profectam esse. Probatur hæc consequentia primò, quia, vt conueniens sit responsio, & fundamentum eius, termini debent vniuoce, & in eadem accipi significatione in responsione, in qua in interrogatione positi fuerunt.

4. *Secundò confirmatur.*

Secundò, quia si in illo fundamento esset sermo de sola solennitate exteriori necessaria ex constitutione Ecclesiæ ad valorē actus, esset ineptissimum ad responsionem inferendam, quam Pontifex colligit. Tum, quia illa solennitas necessaria ad valorē actus, etiam votis simplicibus potest adhiberi; possent enim

Ecclesia statuere, vt votum simplex castitatis, & religionis non sit validum; nisi in tali ætate, vel coram testibus factum: ergo quòd talis solennitas sit ex cõstitutione Ecclesiæ, impertinens est, vt inde colligatur, quodnam votum sit solenne ad dirimendum matrimonium. Tum etiam, quia è contrario potest esse votum solenne quoad traditionem personæ in Dei obsequium; & consequenter (iuxta illam sentẽtiam) habens vim dirimendi matrimonium sine vlla alia solennitate requisita ex institutione Ecclesiæ ad valorem actus. Vt olim virgines vouebant in manibus Episcopi, & se tradebant illi in Dei obsequium cum solennitate aliqua accidentali, non specialiter determinata ab Ecclesia ad valorem actus. Ergo ex illo fundamento sic intellecto non posset rectè colligi sola duo vota ordinis, & religionis esse solennia, quoad vim dirimendi matrimonium.

5. Tertiò. Tertiò specialiter id confirmatur, quia Pontifex in illis verbis indifferenter loquitur de voto solenni ordinis, & religionis, & vniuersaliter de omni voto habente solennitatem impeditiuam matrimonij, (vt sic dicam.) At verò votum connexum ordini nullam requirit solennitatem extrinsecam inuentam ab Ecclesia, vt dirimat matrimonium. Nam si quis ordinetur subdiaconus cum sola solennitate substantiali sacri ordinis, quæ non est ex constitutione Ecclesiæ, sed diuina, erit inhabilis ad matrimonium, & habebit votum solenne sine alia solennitate inuenta ab Ecclesia, præter constitutionem, qua voluit, talẽ clericum esse inhabilẽ ad matrimonium, vel mediante voto, vel ex efficacia talis legis: vt sumitur ex Concil. Trid. sess. 24. c. 9. Ergo respectu talis voti, & solennitatis eius impertinens esset illud fundamentum, quòd solennitas extrinseca necessaria ad valorem actus est ex sola constitutione Ecclesiæ, cùm votum ordinis possit esse validum, sicut solenne sine tali extrinseca solennitate. Dicet fortasse aliquis, sola constitutione Ecclesiæ inductum esse, vt tale votum sit annexum ordini sacro, & hanc esse in illo voto solennitatem solo iure Ecclesiastico inuentam. Sed contrà: quia neque hoc satis est, vt votum annexum ordini irritet matrimonium subsequens: nam, vt suprà dictum est, potuisset Ecclesia illi coniungere simplex votum, seu simplicem obligationẽ seruandi castitatem, non inhabilitando personam. Ergo necesse est, vt solennitas per Ecclesiam inducta sit ipsamet inhabilitatio personæ, seu efficacia data voto ad illam inducendam. Ergo de hac solennitate loquitur Pontifex quoad votum; ergo cùm generatim, & indifferenter loquitur, de eadem loquitur in omni voto quod illam habet.

6. Probatur quartò. Quartò id apertè colligitur ex verbis decisionis, seu conclusionis ex tali fundamento illatæ: *Præsentiùs duximus declarandum oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solenne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem*, &c. Hæc enim decisio, & illatio ex priori fundamento in hoc necessariò fundari debet, quòd Ecclesia per suam constitutionem tantùm illis duobus votis illam vim dirimendi matrimonium subsequens contulit: ergo de solennitate, quantum ad hunc effectum, locutus fuerat antea Papa, cùm in suo fundamento sumsit solennitatem voti ex sola constitutione Ecclesiæ introductam esse Probatur consequentia tum ex vnicatione terminorum, quæ in toto discursu seruãda est: tum etiam, quia præter illa vota, possent alia reputari, & affirmari solennia, quoad vim dirimendi matrimonium, si alioqui haberent aliquam solennitatem requisitam ex constitutione Ecclesiæ ad valorem voti. Et è cõtrario nullum esse posset votum solenne, quoad irritandum matrimonium subsequẽs, nisi haberet aliquam solennitatem extrinsecam requisitam ad valorẽ voti, quod falsum esse, iam ostensum est. Est ergo hæc in virtute Pontificis argumẽtatio: illa tantum vota sunt solennia, quibus Ecclesia contulit solennitatem: id est, vim irritandi matrimonium; sed solis illis duobus votis Ecclesia vim illam contulit; ergo illa duo tantùm sunt solennia, quoad matrimonium subsequens dirimendum.

7. Probatur quinto. Greg. XIII. testis. Quintò, ac principaliter hæc intelligentia, & resolutio ex alia decisione Gregorii XIII. tam apertè comprobatur, vt iam omnis alia expositio improbabilis, & reprobata, ac prohibita esse videatur: Cùm enim Greg. XIII. in Bulla, *Quanto fructuosius*, anno 1582. in confirmationem Instituti Societatis edita inter alia declarasset, *eos, qui absque professione solenni per tria vota simplicia Societati incorporantur, verè, & propriè religiosos esse, & tales esse ab omnibus iudicandos, & appellandos*; præcipiendo, *ne quisquam hoc in dubium reuocare auderet.* Nihilominus postea non defuit, qui & contrarium docere, & declarationem Pontificis vel perperam interpretari, vel temerario ausu despicere, & damnare ausus fuerit. Hanc autem erroneam temeritatem volens corripere, & damnare idem Pontifex, in alia Bulla, *Ascendente Domino*, anno 1584. edita ad coarguendum illorum errorem, verba Bonifacij præmittit, dicens: *Non considerantes voti solennitatem sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse; triaque huiusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, vt substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu religionis verè constituì, quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio emancipant.* In his ergo verbis apertè loquitur Gregor. de solennitate substantiali, quæ rigorosum, & propriissimum votum constituit, illudque ab omni simplici distinguit; & illam solennitatem dicit esse ex sola constitutione Ecclesiæ. Ac de eadem tacitè Bonifacium interpretatus, illumque in modo procedendi, & decidendi imitatur. Nam ad damnandos Theologos impugnantes Institutum Societatis, & contra prius suum decretum contumaces, pro fundamento sumit, *solennitatem voti sola institutione Ecclesiæ inuentam esse.* Ergo necesse est, vt in dicto sensu de solennitate voti loquatur; quia illi Theologi de illa solennitate voti loquebantur, & quia vota scholarium, aut Coadiutorum Societatis illa carebant, ideo dicebant, non cõstituere verum religionis statum. Ergo, vt Pontifex firmum fundamentum iaciat, necesse est, vt de eadem solennitate voti loquatur, cum dicit, esse ab Ecclesia inuentam.

8. Deinde illi aduersarii non negabant solemnitatem illam, quæ consistit in modo profitendi, vel cõtrahendi cum religione, cum extrinsecis conditionibus, vel solennitatibus necessariis ad solennitatẽ actus, esse ab Ecclesia inuentam, quia de hoc nullus dubitauit vnquam. Imò D. Thomas (cuius doctrinã sequi illi Theologi profitebantur) in 4. dist. 38. q. 1. a. 2. in corpore, dicens, votum solennizari per traditionem factam in manu prælati religionis approbatæ, addit, *seruatis aliis circumstantiis, quæ secundum iura determinantur.* Cùm ergo ait Gregorius illos Theologos non considerasse, solennitatem voti esse ex sola Ecclesiæ constitutione, non loquitur de hac solẽnitate, quæ in dictis circunstantiis consistit. Ergo è conuerso fundamentum Pontificis est, solennitatem essentialem voti esse ex sola Ecclesiæ constitutione. Præterea ex hoc fundamento infert Pontifex, vota simplicia Societatis posse esse substantialia religionis, & verum religionis statum constituere, etiamsi careant illa peculiari solennitate, quam vota professorum habent. Ergo necesse est, vt de hac ipsa peculiari solennitate loquatur, cũ dicit, esse ex Ecclesiæ cõ-

sit constitutione; simul etiam docens, sicut Ecclesia instituit verum religionis statum cum illa solennitate votorum, ita etiam posse sine illa admittere vota simplicia, vt substantialia, & sufficientia ad religiosum statum constituendum.

9. Denique hinc etiam argumentum suprà factum roboratur: nam Gregorius de his Societatis votis agnoscit esse substantialia religionis vota, & à sede Apostolica admitti; ac legitimo modo, & cum circūstantiis approbatis Ecclesiastica constitutione emitti in religione approbata, post legitimam ætatem, & probationem, &c. & cum vera traditione fieri, & ideo constituere religiosos, *non secus, ac ipsos tum Societatis, tum aliquorum regularium ordinum professos*, vt infrà dicetur: ergo nihil, quod ad ius diuinum pertinet, in his votis desiderari potest, vt solennia sint. Ergo solennitas, quæ illis deest, & votis professorum inest, non est diuini, sed humani iuris, nec est traditio, sed aliquid aliud, quod per constitutionem Ecclesiæ additum est.

10. *Quid desit simplicibus Societatis vota, vt sint solenn.*

Dices, quid ergo deest tunc his votis Societatis, quominus solennia sint, cùm illis addiderit Gregorius vim dirimendi matrimonium subsequens? nam hoc satis est, vt votum sit solenne, vt patet in voto sacrorum ordinum? Responderi potest, ad solenne votum religionis non satis esse, quòd subsequens matrimonium irritare valeat, sed etiam præcedens non consummatum. Sed hoc in primis controuersum est, an scilicet, hæc vota Societatis hanc habeant efficaciam, de quo infrà dicturi sumus. Et deinde licet illam non habeant, simpliciter erunt solennia, sicut votum clericorum. Respondeo igitur, illis deesse, quòd non inhabilitant personam simpliciter, ac perpetuò sed solùm quandiu durant. Non habent autem durationē absolutè perpetuam, quia non sunt annexa professioni perpetuæ ex vtraq; parte, sed traditioni dissolubili per repudiationem acceptantis; & ideo non habent vim ad solennizandū votum sufficientem. At verò sicut est ex peculiari institutione Ecclesiæ, quòd hæc vota talis sint conditionis dissolubilis; ita etiam in aliis religionibus ex iure positiuo Ecclesiæ habet professio indissolubilitatem ex parte acceptantis. Nam ex naturâ rei posset religio cedere iuri suo, & professum à seruitute religiosa, quam se voluntarie donando, contraxerat, & ab obedientia, quam promiserat, liberum dimittere, saltem ipso religioso consentiente. Quia ex natura rei contractus dissolui potest per voluntatem contrahentium; & vnusquisque cedere potest promissioni, vel donationi sibi factæ; nec potest seipsum reddere inhabilem ad cedendum iuri suo per solam suam voluntatem; quia semper potest illam mutare, dummodo fiat sine iniuria alterius. Quòd ergo nunc religio vniens sibi religiosum per professionem solennem non possit amplius vinculum dissoluere, etiam consentiente religioso, non est de iure naturali, nec ex diuino positiuo, quod ostendi possit: est ergo iuris Ecclesiastici, vt sumi potest ex c. vlt. de Regular. Quidquid ergo solēnitatis in votis professorum reperitur, quod votis Societatis simplicibus desit, iure Ecclesiastico inuentum est, & traditioni, ac votis superadditum.

## Caput IX.

### *Ratione ostenditur traditionem religiosam ex solo iure naturali non irritare subsequens matrimonium.*

1. *Primum assertum de tota disputatione.*

Vltimò, ne solis exemplis, vel authoritate niti videamur; ratione sententia illa improbanda est. Duo autem dicit principaliter: vnum est, traditionem illam, quæ religioni in Dei obsequium fit, de iure diuino esse necessariam ad statum religiosum constituendum, quamuis modus faciendi illam, per Ecclesiam determinetur: alterum est, traditionem illam semel factam ex ipso iure naturæ reddere personam inhabilem ad matrimonium validè contrahendum. Et de primo quidem nunc non multum contendimus: in bono enim sensu concedere possumus esse de iure diuino, vt status religionis per traditionem propriæ personę talem statum assumentis, factam in manu alicuius, qui illam acceptet, & per illam peculiare ius in personam religiosam acquirat, constituatur, siue illa traditio sit simpliciter necessaria ad statum religiosum, & de illius essentia, siue pertineat ad quandam veluti speciem eius, seu peculiarem modum cōstituendi illum statum. Quia fortasse potest etiam sine illa per sola tria vota alio modo constitui; & fortè aliquando vsitatum ita fuit, licet nunc non sit in vsu. de qua re infra, tractando de origine huius status, & de modo illum profitendi tractandum erit. Iuxta hunc autem posteriorem dicendi modum, qui satis probabilis est, non potest traditio illa ita de iure diuino reputari, vt ius diuinū statuerit, vel instituerit statum religiosum illo modo determinate faciendum, sed vel illo, vel alio sufficiet. Atque ita illa traditio non vt existens (vt sic dicā) sed vt possibilis erit de iure diuino, vel (quod in idem redit) potius potestas instituendi talem traditionem, & acceptandi illam erit de iure diuino, quàm ipsa traditio, seu actualis eius institutio: sicut aliàs de excommunicatione, & aliis censuris, & de sacramentalibus diximus. Quia verò ad præsens non refert, damus absolute, huiusmodi traditionem, quoad substantiam esse de iure diuino; quamuis modo ab Ecclesia præscripto fieri debeat.

2. *Probatur traditionē non irritare matrimonium solo iure diuino.*

Addimusque circa secundum punctum, etiam traditionem legitimè factam, & à iure diuino manātem non irritare matrimonium subsecutum, ex vi solius iuris diuini. Probatur primò; quia si traditio illa spiritualis de se, & ab intrinseco repugnat cum traditione carnalis vinculi matrimonii, etiamsi fiat absque speciali voto castitatis, irritabit matrimonium subsequens. Consequens est falsum; ergo. Probatur sequela, quia si illa traditio intrinsece pugnat cum matrimonio, & irritat illud, ideo est, quia per illam abdicat persona sui dominium à se, & transfert in alium; ideoque iam non potest alteri se donare. At verò per solam donationem fit illa abdicatio, & translatio dominii, etiamsi votum castitatis non addatur; ergo etiam sic facta irritabit matrimonium. Consequens autem falsum est; ergo, &c. Maior nota est ex fundamento contrariæ sententiæ. Minor autem etiam est in iure manifesta, & vsu etiam est nota; quia quotidie fiunt translationes dominiorum per puras donationes, sine additione alicuius promissionis, vel voti, aut iuramenti. Et ratio est, quia voluntas absoluta donandi in habente potestatem sine alio adminiculo est sufficiens ad transferendum dominium, præsertim, si in actum externum traditionis cum acceptatione donatarii prodeat. Ergo sicut aliarum rerum donationes ita fiunt, potest fieri donatio, & traditio propriæ personæ. Item in seruitute ciuili, seu carnali, ita fieri potest; ergo etiam religiosa, seu spiritualis seruitus potest eodem modo contrahi: Et ideo diximus in superiori libro, ad rationem status perfectionis ex natura rei non esse necessarium votum, sed donationem, vel pactum aliquod sufficere: vt in statu Episcopi videre licet. Ergo idem est de traditione, quam nunc consideramus.

*Translatio dominiorū fit per puras donationes, sine additione alicuius promissionis, voti, vel iuramenti.*

3. Minor autem prioris syllogismi, seu falsitas consequentis satis certa esse videtur; quia de facto nulla traditio sui sine voto castitatis, vel lege Ecclesiæ, irritat matrimonium. Hoc patet ex traditione perso-

næ, quæ susciпiendo sacrum ordinem fit: item in conuersis, seu oblatis, qui se offerunt hospitali, vel religioni in perpetuam quasi seruitutem spiritualem; nam vere dominium sui à se abdicant, & in hospitale, vel religionem transferunt: & tamen non fiunt inhabiles ad matrimonium. Item pueri, qui olim donabantur à parentibus religioni, vere constituebantur sub potestate, & dominio religionis, vt infrà suo loco videbimus: & nihilominus peruenientes ad ætatem adultam non erant inhabiles ad matrimonium, vt ex vsu illorum temporum infrà etiam monstrabimus. Adde, quòd licet nunc fieret traditio religiosa cum voto castitatis sine aliis substantialibus votis religionis, nec votum illud esset solenne, nec persona esset inhabilis ad matrimonium: ergo multo minus potest fieri persona inhabilis ad id per solam traditionem. Illatio per se nota est, & antecedens probatur; quia talis traditio cum solo vno voto castitatis non esset professio religiosa, nec constitueret statum religiosum, quia desunt aliqua substantialia, ergo votum illud non esset solenne; quia nec esset coniunctum ordini sacro, nec professioni religionis. Et ita sumitur ex cap. *ex parte tua.* de conuersion. coniug. quanuis Innocentius ibi numer. 1. quem multi sequuntur, non recte in hac parte opinetur; meliusque sentiunt Panorm. in d. c. *ex parte tua.* in fine, quem cum aliis sequitur Sanctius suprà n. 21. Et idem sumitur ex Syluestro relig. 3. n. 18. vbi idem dicit de professione, seu traditione facta cum solo voto obedientiæ, *excludendo alia*: nam votum obedientiæ, si fiat secundùm regulam approbatam, virtute includit alia vota; vt vsus aliquarum insignium religionum ostendit. Et sumitur ex d. cap. *Ex parte tua.* in fine, ibi: *Nisi se voto adstrinxerit ad obseruationem regularem.* Vtique de præsenti, non de futuro, vel, vt glossa ibi dicit: *voto, id est, professione* quæ & traditionem, & votum prædictam includit: hoc autem non habet locum in solo voto castitatis, quia neque formaliter, neque virtualiter cætera includit.

*Quid de traditione cum solo voto castitatis? nec votum illud esset solenne, nec persona esset inhabilis ad matrimonium.*

4. *Instantia soluitur.*

Dicet fortasse aliquis, quando fit traditio sola, vel cum solo voto castitatis, vel non esse eiusdem rationis cum donatione sui, quam facit religiosus adiunctis tribus votis; vel si talis fiat ex intentione voentis, non esse validam, quia sine fitmitate trium vototum non acceptatur ab Ecclesia, quia non fit (sicut fieri debet) in religione ab Ecclesia approbata. Sed ne vtum horum vim argumenti facti euacuat: nam in primis illa traditio, licet non sit eiusdem rationis moralis, vel potiùs non habeat eandem vim ad effectum constituendi verum religiosum statum; quia vel non fit in religione ab Ecclesia approbata, vel non habet omnia vota substantialia coniuncta: nihilominus in sua intrinseca ratione, & substantia potest esse eiusdem rationis; vtraque enim est donatio habens eandem materiam, scilicet, propriam personam, & potest fieri tam integra, & plena ex intentione donantis ad omnia obsequia Dei, & religionis, vno modo, sicut alio; & eodem modo potest à religione acceptari. Deinde licet Ecclesia non approbet illam traditionem in ratione professionis religiosæ propter defectum vototum; nihilominus non reprobat, nec irritat illam, sed suæ naturæ illam relinquit. Nulla enim lex canonica profertur, in qua talis oblatio sui nuda (vt sic dicam) id est; non firmata, & ornata per tria vota ab Ecclesia irritetur, vel prohibeatur. Ergo cùm de se sit bona, & ad Dei obsequium fiat, & in salutem spiritualem personæ sic tradentis redundet, non est, cur inualida iudicetur.

5. *Prælati re-*

Responderi potest, esse inualidam, quia non est, qui acceptet nomine Dei, quod esset necessarium; quia hæc oblatio non fit homini in eius commodũ, sed fit in honorem Dei. Sed contrà, quia multæ religiones habent à Pontifice potestatem acceptandi conuersos sic se offerentes; non vt religiosos, sed vt Deo deuotos. Item ex natura rei videtur esse hæc potestas in ordinariis prælatis, si Pontifex illam non limitet, quod non fecit quoad hanc partem; & in religione similiter inuenitur talis potestas: quia cum illa fit contractus, & in illius vtilitatem cedit, licet principaliter fiat in honorem Dei. Denique licet daremus, nunquam esse validam ex defectu alicuius conditionis ab Ecclesia præscriptæ, ac requisitæ, vt valide fieret: nihilominus de se potest esse valida, etiamsi absque votis fiat, & Ecclesia posset non exigere talem conditionem, vt necessariam ad valorem eius; & nihilominus sic facta non faceret personam inhabilem ad matrimonium ex intrinseca natura sua, sine adminiculo Ecclesiasticæ constitutionis, vt ostensum est: ac proinde recte sequitur, neque nunc fieri illum effectum ex sola rei natura, vt etiam probatum est.

*ligiosum habent potestatem accipiendi conuersos.*

Potestque amplius hoc declarari, ac confirmari; 6.
quia talis traditio per se, & vt distincta, & præcisa à voto castitatis, non obligat ad castitatem seruandã; ergo nec per se potest ab intrinseco valorem matrimonij impedire. Antecedens probatur primò à posteriori; quia aliàs religiosus peccando contra castitatem, præter malitiam contra temperantiam, duas haberet malitias, vnam contra religionem, quia est contra votum, & aliam contra iustitiam, quia est cõtra donationem religioni factam: sicut coniux habẽs votum castitatis adulterium committens, præter intemperantiam, & sacrilegium, contra iustitiam peccat in alterum coniugem, cui iam suum corpus tradidit. Consequens autem est falsum; ergo & illud vnde sequitur. Minor probari potest ex communi consensu Doctorum, quos late refert Sanctius lib. 7. de Matrim. disp. 27. à n. 19. disputãdo de obligatione aperiendi in confessione circunstantiam voti simplicis, vel solẽnis Ordinis sacri, aut professionis, ex quibus quamplures docent sufficere explicare circumstantiam voti absolute, non explicando solennitatẽ, nec modum solẽnitatis; nec an votum fuerit bis, vel ter emissum. Et licet alii dicant, aliquas ex his circũstantiis esse aperiendas, non fundantur in eo, quòd addant plures species malitiarum, sed vel in hoc, quòd notabiliter aggrauant, vel pauci in hoc, quòd votum simplex, & solenne differant specie, quod est falsum, vt infrà ostendemus. Et quod ad præsens attinet, non ideo dicunt, multiplicari malitias in fornicatione religiosi professi, sed vnam tantùm ponũt, licet alterius rationis esse fingant. Nullus ergo est, q senserit plures esse malitias in fornicatione religiosi, præter eam, quæ est contra temperantiam, seu castitatem, & aliam contra votum, seu professionem. Est ergo vna tantùm malitia sacrilegii in tali actu. Et ratio non est alia, n si, quia traditio per se non obligat ad seruandam castitatem, sed solum votum.

*Sequitur ex predicta sententia, in peccato religiosi præter malitiam contra temperantiam, dari duas malitias, vnam contra religionem, & aliam contra iustitiam;*

*Duplex: nã vnam malitia est in peccato religiosi contra castitatem.*

Oppositum autem ex illa sententia sequi, facile 7.
probatur, quia traditio religiosi, & promissio castitatis, sunt actus inter se moraliter, ac realiter distincti; & inducunt obligationem pertinẽtem ad diuersas virtutes; votum enim inducit obligationem religionis, ac fidelitatis ad Deum, traditio iustitiæ ad religionẽ, cui se donauit. Vel, vt alii volũt, erit etiam sacrilegii species diuersi, quatenus est cõtra specialẽ honorẽ Dei, vel cõtra nouum ius dominii illi acquisitum, simile illi sacrilegio, quod inuenitur in furto rei sacræ, vel in violatione tẽpli: & ita erit in illo actu non tantùm duplex, sed etiam triplex malitia præter luxuriam; quæ omnia in moralibus absurda sunt. Ratio autem cur illa traditio non obliget specialiter ad ca-

ad castitatem, reddi potest, quia obiectum, seu materia illius traditionis, est ipsamet persona donantis, non in ordine ad non fornicandum, vel abstinendum ab vsu copulæ carnalis; quia licet iste possit esse finis illius traditionis, non tamen est eius materia. Vnde sicut finis legis non cadit sub obligationem legis; ita nec ille finis talis donationis cadit sub obligationem ex ipsa donatione intrinsecè ortam. Alioqui ex illa traditione oriretur specialis obligatio ad vitanda singula peccata; quia sub finem illius traditionis comprehenditur: nam ad cætera peccata vitanda ordinatur. Vnde tandem facilè probatur consequentia principalis argumenti, quia si fornicatio non est contraria intrinsecæ obligationi illius traditionis: ergo vsus matrimonii per honestam carnalem copulam multo minus erit illi contrarius. Ergo nec vinculum matrimonii est contrarium illi traditioni; ergo ex sola rei natura non irritatur ab illa, vel ab obligatione, quæ ex illa nascitur.

*Finis legis non cadit sub obligationem legis.*

8. Vltimò explicatur vis huius rationis, & assertio intenta ampliùs roboratur exemplo seruitutis contractæ per donationem, aut venditionem, vel similem contractum ipsius serui. Nam per illum contractum se priuat dominio suiipsius, & se donat alteri, & nihilominus inuito domino potest se validè tradere alteri coniugi per matrimonium; nec prior traditio inhabilitat personam ad secundam. ergo proportionali ratione dicendum est de religiosa seruitute ex tali traditione orta, non reddere ab intrinseco personam inhabilem ad se tradendum alteri per matrimonium. Antecedens supponimus, vt certum ex cap. 1. de Coniug. seruorum, & aliis. Consequentia verò probatur, quia in primis disparitas rationis non facile redditur. Deinde, quia æquiparatio potest suaderi sufficienter, quia licet dominus acquirat ius in seruum, quoad opera eius, ita vt possit illo vti in omnem corporalem vsum prudentem, & sibi vtilem, & fortasse per matrimonium aliquo modo impediatur ab huiusmodi ministerio, cum aliqua domini incommoditate, vel minori vtilitate: nihilominus ius, & libertas matrimonii tanta est, tamque naturalis, vt nō potuerit quispiam vel coacte, vel etiam sua priuata voluntate tali potestate priuari, etiamsi in pœnam iustam, vel per venditionem paretis, vel per suam voluntatem seruus effectus sit. Vnde, quia seruitus, nec à iure, nec ab authoritate Reipublicæ eō illo rigore introducta est, nec fortasse introduci potuit; ideō non obstante priori traditione seruituris, habilitas ad contrahendum matrimonium retenta est. Similiter ergo modo, quando aliquis se tradit in seruitutem religiosam, non statim ex vi sui priuati consensus in illam traditionē, se reddit inhabilem, & impotentem ad se trahendum in matrimonium; nisi accedat Ecclesiæ authoritas, quæ illam inhabilitatem introducat; quia per illam traditionem non se obligat ex iustitia ad se abstinendum ab omni vsu corporis sui, qui aliquo modo possit impedire obsequium religionis exactissimum, & cum commoditate maximæ religionis. Et ideo cum illa traditione non repugnat formaliter, & ex natura rei vinculū matrimonii.

*Confirmatur exemplo seruitutis. Traditio seruitutis non inhabilitat seruum ad matrimonium non tali dimittendum.*

9. Confirmatur vltimò. Et confirmatur; quia coniugatus postquam contraxit matrimonium, potest profiteri religionem de licentia alterius coniugis, cum aliis de iure requisitis, & tunc non dissoluitur vinculum matrimonii per traditionem religioni factam; ergo signū est, non habere inter se formalem, & intrinsecam repugnantiam: sunt enim hæ traditiones, seu vincula diuersarum rationum, & ad distinctos fines ordinū; non tamen sunt formaliter repugnantia, nec ad fines contrarios tendunt: & ideo sine adminiculo iuris, vnum non impedit, & irritat aliud, eo vel maximè, quod potestas matrimonium ineundi tam est naturalis, & ad commune bonum totius naturæ data, vt licet possit homo sola voluntate sua se obligare Deo, ad non vtendū illa, non tamen videatur posse se priuare illa omnino, & inhabilem se ad matrimonium reddere sola sua priuata authoritate, nisi authoritas publica intercedat. Quia ius matrimonij ineundi magis videtur publicum totius naturæ ius, quàm indiuiduj; quia ad conseruationem speciei ordinatur. Et ideo licet possit homo pro suo arbitrio non vti illo iure, & potestate; non tamen se omninò illa potestate priuat, sine adminiculo publicæ potestatis. Imò videtur fuisse necessaria potestas supernaturalis data Ecclesiæ; quia nec naturalis potestas humana potuit introducere seruitutem, quæ libertatem, & potestatem ad contrahendum vinculum matrimonii auferret: vt D. Thomas, & Theologi sentiunt in 4. dist. 36. Nec etiam in lege veteri videtur fuisse talis potestas etiam in ordine ad spiritualem seruitutem, vt in libro sequenti videbimus.

*Vt introducatur inhabilitas ad matrimonium contrahendū, requiritur publica auctoritas & non sufficit priuata.*

Hinc tandem aliqui graues, & antiqui authores, licet dixerint, votum castitatis, fieri solenne per traditionem, quam habet adiunctam, nihilominus addiderunt, illam traditionem non dirimere matrimonium subsequens ex vi iuris naturalis, seu diuini, sed Ecclesiastici; ac subinde non solennizate votum ex natura sua, sed virtute constitutionis Ecclesiæ. ita sentit Altisiod. lib. 3. sum. tract. 28. cap. 2. quæst. 3. §. *Quod votum solenne.* Et idem tradunt Ioan. Andr. Anchar. Dominic. & Archidiac. in cap. vnico de Voto. in 6. & Card. in Clemen. vnic. de consanguinit. q. 24. Hæc tamen sententia parum differt à nostra, & communi, quam in cap. sequenti trademus: immeritò tamen tribuit irritationem matrimonii traditioni potius, quàm voto, cùm iura aliter loquantur, vt in sequenti capite ampliùs explicabimus. Fundamenta verò prioris sententiæ non indigent peculiari respōsione: nam primum expeditum, & impugnatum est exemplo seruitutis; quod ostendit, non omnem traditionem vnius rei, vel personæ ad aliquos vsus, impedire traditionem eiusdem personę ad vsus alterius rationis, & ordinis; quia possunt non habere formalem oppositionem contradicentem, vt contingit in seruitute, & matrimonio: & idem est in præsenti, sola natura rei spectata. Ad alteram rationem respondemus, concedendo esse possibilem talem traditionem, sed non absque adminiculo voti authoritate Ecclesiæ solennizati, vt mox explicabimus.

10 *Quorundā opinio parum approbanda.*

## CAPVT X.

### *De solemnitate voti castitatis religiosæ, eiusque origine vera sententia.*

11 ALiorum opinionibus repudiatis, supereſt, vt tertiam, quæ communior est, & quæ nobis omnino vera videtur, proponamus. Et in primis dicimus, votum castitatis religiosæ esse solenne præter vim irritandi præcedēs matrimonium ratum, de quā lib. 9. nihil aliud addere, quàm esse votum, non solùm prohibens, sed etiam irritans matrimonium subsequens, ac subinde solennitatem voti substantialē, de qua nūc agimus, nihil aliud esse, quàm moralem efficaciam voti castitatis ad habilitādam perpetuò personam, ne validum matrimonium contrahere valeat, ita docent authores omnes in sequenti corollario allegati. & sumitur ex cap. Vnic. de voto. in 6. & ex cap. *Cursus.* qui cler. vel vouent. & ex multis Decretis 27. q. 1. Et sequitur ex impugnatione aliarum opinionum; quia sine efficacia ad irritandum perpetuo subsequens matrimonium, votum castitatis non est solenne: sed votum simplex castitatis habere potest omnia alia, quæ habet solenne, præter hanc efficaciam, scilicet, quamcunque externam solennitatem, seu ritum emittendi votum, &

*Quid sit substantialis solennitas voti castitatis. Vera sententia.*

adiunctam traditionem, & quicquid aliud cogitetur. Ergo primaria differentia inter votum simplex, & solenne, in dicta efficacitate posita est; ergo illa est voti solennitas substantialis, quia sine illa non erit solenne, & cum illa non potest non esse solenne.

2. Tribuimus autem hanc efficacitatem voto castitatis potiùs, quàm traditioni religiosæ, prout est actio, & donatio à promissione distincta. Tum quia ita loquuntur iura, & Doctores communiter: tum quia prima prohibitio contrahendi matrimonium, non est à traditione, vt probatum est; sed est à voto castitatis: irritatio autem adiungi solet prohibitioni; lex enim, quæ prohibet, eadem irritare solet, quãdo maiore rigore & efficacioribus verbis fertur. Vnde si lex de se tantùm prohibens, fiat irritans; quodammodo solennizari dici potest: & hic modus loquendi in his votis introductus est. Tum præterea, quia in sacra clericorum ordinatione, non ordinatio, sed votum censetur inhabilitate personam, vel immediate lex ipsa canonica, si fortasse ab aliquo malitiosè votum non emittatur. Ergo idem censendum est de Voto castitatis: nam d. cap. vnicum. eodem modo de vtroque loquitur. Et in hoc est maior ratio; quia nunquam inhabilitas inducitur, nisi mediante voto. Vnde si quis proficiendo religionem, haberet animum vere se tradendi religioni, non verò vouendi, nec se obligandi ad castitatem, non fieret inhabilis ad matrimonium, etiamsi ponamus traditionem sic factam fuisse acceptatam, & validã. E contrario verò, etiamsi traditio non præcedat, nec adiungatur, per solum votum castitatis emissum in manu Episcopi, & per illum acceptatum, posset Ecclesia inhabilitare personam ad matrimonium, & forte aliquando fecit, vt infrà videbimus. Ergo votum ipsum sub tali lege factum, est quod irritat: quãuis de hoc non est multum contendendum: quia ad modum loquendi pertinere videtur.

*Cur efficacia inhabilitandi potius tribuatur voto castitatis, quam traditioni.*

*Quid? si quis non habeat animum vouendi.*

3. Vltimò verò circa hanc assertionem obseruare oportet, votum ipsum solenne considerari posse, vel in fieri, vel in facto esse: & in fieri esse actum ipsum promittendi sufficienter exteriùs expressum, & acceptatũ sub tali instituto, seu constitutione Ecclesiæ: at verò in facto esse, seu permanenter esse vinculum, quo vouens ligatus, seu obligatus manet. Sicut matrimonium in fieri est ipse consensus, verbis, vel signis expressus, & acceptatus. & in facto esse, est vinculum inter coniuges permanens. Et similiter irritatio matrimonii potest esse, vel actualis, quæ solùm fit, quando matrimonium irritum attentatur: vel permanens per modum habitus, & sic est inhabilitas inducta in personam ad valide contrahendum. Votum ergo solenne propriè sumptum pro ipso actu vouendi, rectè dicitur esse solenne per efficaciam, quam à lege recipit ad inhabilitandam personam, quasi effectiue, inducendo in illam talem inhabilitatem. Et hoc modo de Voto solẽni loquimur: & in eodem sensu de illo dicunt Theologi, inhabilitatem hanc non esse voti solennitatem, sed effectũ. & propterea nos, non de inhabilitate, sed de virtute inducendi inhabilitatem locuti sumus. Si autem loquamur de voto in facto esse, id est, de vinculo peractum vouendi inducto, sic dici potest, votum ipsum formaliter inhabilitare personam ad matrimonium; quia ex tali actu vouendi tale relinquitur vinculum in persona, vt non solùm liget, & obliget ad non contrahẽdum, sed etiam inhabilem ad talem contractũ reddat. Et sic inhabilitas ipsa potest dici esse ipsa solẽnitas voti in eo sensu accepti, id est, vinculi ex toto relicti. At verò irritatio, quæ fit, cùm tale matrimonium attentatur, fit effectiue moraliter ab actu vouẽdi, quãuis remote; proximè verò, & formaliter (vt sic dicam) prouenit à tali vinculo, & ligamine personæ: atque hoc etiam modo actualis irritatio matrimonii, non est solennitas voti, vt habitualiter permanentis, sed est effectus eius, vt constat.

*Votum solenne potest considerari vel in fieri, vel in facto esse.*

Similis distinctio animaduerti potest in traditione, quæ in professione religiosa interuenit: nam potest etiam in fieri, & in facto esse considerari; & prior modo est actus ille, quo aliquis se religioni donat: posteriori autem modo est ipsa seruitus permanens, quæ in tali persona, respectu religionis manet. Vnde dicunt aliqui, traditionem priori modo sumptam esse ipsummet votum solemne; & consequenter posteriori modo acceptam; esse effectum voti solemnis. quia traditio in facto esse est effectus actualis traditionis, vt per se patet: ergo traditio prior ipsa sumpta erit ipsum votum solenne. Sed illud prius falsum est. nam votum solenne castitatis & donatio sui, quam religiosus facit religioni, actus sunt distincti (vt dixi) & ideo traditio in facto esse non est effectus voti solennis, præsertim castitatis; quia tale votum nullum dominium transfert in religionem, sed solum ita obligat personam Deo, vt irritet contrarium factum, quoad matrimonii vinculum. Et ideo ipsa traditio non potest dici formaliter solenne votum, sed esse cum illo: vt loquitur D. Thomas quodlib 3. art. 18. Vel etiam dici potest, illud cum traditione professionem religiosam quasi componere; & ideo in tali professione formaliter includi, vt infra suo loco latiùs dicemus.

4. *Traditio etiam sumpta potest vel in fieri, vel in facto esse.*

*Votum solenne castitatis, & traditio sub actus sunt distincti.*

Dicendum est secundò (& sequitur ex dictis) solennitatem voti castitatis solo iure Ecclesiastico esse institutam. Hoc latè in superioribus authoritate Pontificum probatum est, & virtute asseritur ab omnibus, qui dicunt professionem religiosam à solo iure Ecclesiastico habere vim irritandi matrimonium perpetuò. Nam ostensum est votum solenne, & simplex tantum in hac virtute differre: nam in omnibus aliis rebus conuenire possunt, in obligatione ad Deum, in adiuncta traditione, in ritu, & forma exteriùs vouendi, & si quid aliud excogitari potest. Vim autem illam esse tãtùm à iure Ecclesiastico, docent ex Theologis Alrisiod. lib. 3 sum. tract. 28. cap. 2. q. 3. Scot. 4. dist. 38. q. vnic. Palud. q. 4. a. 2. & supplement. Gabr. a. 3. vt suprà citaui, & Richard. etiam ibi, a. 7. q. 2. ad 3. dicit, votum solenne irritare subsequẽs matrimonium. *Quia iura non tantùm prohibent tales personas contrahere, sed etiam decernunt, & constituunt eas illegitimas ad contrahendum.* Vnde ne sibi sit contrarius, cùm dicit in corpore eiusdem quæstionis, votum solenne irritare subsequens matrimonium ratione traditionis, exponendus est, solùm intellexisse traditionem esse fundamentum congruentissimum, quod Ecclesiam ad illud impedimentum instituendũ induxit: quod facile credi potest, & forte multi ex authoribus capite præcedenti allegatis in eodẽ sensu locuti sunt. Præterea docent idem Caiet. 2. 2. q. 88. art. 7. Idem tenet Henriq. quodlib. 5. q. 28. & 38. Gerson. tract. de Matrim. 1. p. Alphab. 25. lit. I. Abul. Num. 30. q. 59. Aluar. Pelag. lib. 1. de Planct. Eccles. cap. 26.

5. *Assertio secunda.*

Ex iuris peritis autem tetigit hanc sententiam Gloss. 27. q. 1. in principio quæstionis. vers. *Quod vouentes.* & cap. 1. vers *sub testimonio.* Sed non perstat in sententia; nunc enim negat, nunc verò affirmat. Sic etiam glossa in c. *rursus.* qui clerici, vel vouentes, vers. *Apud Deum.* priùs hanc sententiam docet; postea verò in extremum errorem inclinat, dicens cum Hugone, omne votum castitatis, quantumuis simplex, irritare ex natura sua matrimonium subsequẽs, quod & falsum, & erroneum est, vt suo loco infrà dicemus. Apertiùs hoc docet glossa in c. vnico. de voto in 6. in notat. 1. post casus propositionem, & Hostiens. in sum. lib. 4. tit. qui clerici, vel vouent. n. 4. idem, & cum

6.

enim eo Abbas, & multi alii in d. c. *rursus*. Item Ioan. Andr. Dominic. & alii in d. c. Vnico, quos cum multis aliis refert Sancius d. lib. 7. disp. 26. n. 2. vbi etiam summitas allegat. Et ex modernis latè illam tuetur Medin. d. lib. 4. de Cont. Sacerd. controuers. 7. cap. 22. 31. & sequentib. Hugol. de Sacram. tit. de Matrim. c. 19. n. 5. Azor tom. 1. lib. 12. c. 6. q. 1. 2. & 3. Plat. de bono stat. religiosi c. 21. in fin. Basilius Ponce in lib. de Var. quæst. 3. Scholast. cap. 4. & 5. Alex. Pezant. in addit. ad 3. p. q. 53. disp. 1. Lessius lib. 2. cap. 40. dubit. 19. num. 141. & Garcia de Benef. 7. part. cap. 10. à n. 52. plures alios referens. Denique Bellarm. lib. 2. de Mon. c. 32. ad 2. probabilem putat hanc sententiam, licet illam oppositæ non præferat, quia rem ex professo non disputat.

7. *Probatur veritas.* Ratione denique probatur ex dictis, quia in quocunque voto castitatis irritante matrimonium subsequens, præter constitutionem Ecclesiæ, tria tantùm spectari possunt, scilicet, vel traditio, vel promissio perpetuò seruandi castitatem ab illo momento: vel consecratio, sub qua omnem externam benedictionem, aut cæremoniam, aut testium multitudinem (si exigatur) aut quamcunque aliam similem solennitatem comprehendimus. Sed nihil illorum per se, & ex natura sua irritat matrimonium subsequens: nam de traditione, & consecratione, seu exteriori forma profitēdi, iam id ostensum est. Idemque est de promissione, vt certum supponimus, quia tota vis talis promissionis in voto simplici castitatis inuenitur; & tamen per se non reddit personam ad matrimonium inhabilem, vt supponimus, & infrà lib. 9. ostendemus. Neque etiam id faciunt ex iure diuino positiuo (vt sensit Almai. tract. de Potest. Eccles. cap. 15.) quia tale ius diuinum nec scriptum est canonicè, nec aliqua Patrum, & Ecclesiæ traditione ostendi potest. Relinquitur ergo, vt ex solo iure Ecclesiastico id proueniat.

8. Idem autem dicendum est de omnibus illis, etiamsi simul concurrant, & vniantur. Primò, quia sicut in singulis illis partibus nihil inuenitur, quod ex se dirimat subsequens matrimonium, ita neque in aggregato illarum reperitur; vt eisdem argumentis, & discursibus probari potest; & propria ratione, quia illa tria simul sumpta non inducunt aliquem effectum repugnantem per se valori matrimonii. Nec est, vnde in illo aggregato resultet maior virtus ad maiorem, vel nouum effectum moralem efficiendum, cum tantum se habeant, vt plures circunstantiæ morales, quæ malitiam actus augere possunt, non verò illum irritare. Secundo, quia potest fieri per Ecclesiæ constitutionem, vt concurrentibus illis tribus, persona non maneat inhabilis ad subsequens matrimonium, & valorem eius. Sicut iam magna ex parte fecit; & posset id facere, addendo quamcunque externam solennitatem, aut benedictionis, & traditionis ac voti perpetuitatem; nulla enim repugnantia in hoc ostendi potest. Imò ita fuisse olim vsitatum in Ecclesia, multi viri docti existimant, & videtur posse colligi ex multis Conciliorum, & Patrum decretis, quæ Gratianus dist. 27. & 27. q. 1. refert. Sed de illa consuetudine dicturi sumus inferius. Denique, quia votum castitatis religiosæ, quatenus tale est, non inducit suam obligationem, nec vllum effectum, nisi professio valida sit. Vt rectè docet Paludanus, & supplementum Gabrielis supra; quia est veluti annexum tali statui, & traditioni, quæ in illo fit. Et ideo dixi, *quatenus tale*, quia si professus habeat intentionem se obligandi ad castitatem; etiamsi contingat, professionem non esse validam: tunc non subsistente professione, obligabit votum illud, vt omnino priuatum & simplex; non vt votum castitatis religiosæ, quod annexum est professioni validæ. At professio, & virtus, ac efficacia eius pendet ex acceptatione Ecclesiæ: nam acceptare personā religiosam hoc vel illo modo, vel in ordine ad hos, vel illos morales effectus, pendet ex institutione Ecclesiæ. Ergo hæc etiam inhabilitas tota resoluitur in Ecclesiæ institutionem. *proinde non reddit personam inhabilem ad matrimonium.*

Contra hanc assertionem tenent authores allegati, qui solennitatem ponunt in traditione, quæ ex natura sua irritat matrimonium subsequens. Ex quibus Soto in lib. 7. de Iust. q. 2. a. vlt. contra illam arguit. Primo, quia sequitur posse Papam, dispensare in voto solenni castitatis, quod magnum reputat inconueniens. Secundo, quia alias votum solenne religionis irritaret præcedens matrimonium ratum, non consummatum ex sola constitutione Ecclesiæ, & non ex natura rei, ac iure diuino. Consequens est falsum; quia Ecclesia non habet potestatem dissoluendi vinculum matrimonii rati, quod ab ipso Deo institutum est. Tertio, quia non potest Ecclesia reddere inhabilem personam ad matrimonium per solam legem vel præceptum suum. Nam licet Pontifex prohibeat alicui, ne vxorem ducat, si contrahat, licet peccet, matrimonium tenebit. Ergo non potest intelligi, quòd sola Ecclesiæ constitutio illum effectum inducat: ergo neque quod illam voto castitatis tribuat. Quarto, quia alias posset Ecclesia facere, vt religiosi professi non essent inhabiles ad matrimonium, quod est absurdum. 9. *Argumenta in contrarium.*

Sed hæc patum cogunt. Ad primum enim concedimus sequelam: nam consequens est verissimum; quod in sequentibus circa professionem religiosam, & circa singula vota solennia ipsius ostendendum est. Imò inde argumentum retorquemus, quia Ecclesia potest dispensare in voto solenni, vel tollendo omnino votum, vel saltem tollendo eius solennitatem; ergo signum est, solennitatem istam non esse de iure diuino. Quod argumentum ad hominem fortasse efficax est; an verò absolute concludat, suo loco dicemus. Ad secundum etiam concedimus sequelam; & negamus consequens esse falsum. Ad probationem autem dicimus, licet matrimonium sit ex institutione diuina; nihilominus, quandiu non est cōsummatum, esse dispensabile per Ecclesiam, quatenus in re ipsa media voluntate humana contrahitur. Et præsertim potest medio statu religioso dissolui, propter maius animæ bonum; quia status religiosus etiam est ex diuina institutione, licet modus eius ex humana Ecclesiæ traditione pendeat, quæ potest talem conditionem, seu virtutem tali statui conferre; quod postea in particulari tractandum est. Ad tertium respondemus, primam propositionem esse falsissimam: nam Ecclesia sola sua lege facit inhabilem ad matrimonium clericum in sacris, licet ipse votum castitatis emittere nolit, vt sine controuersia omnes Theologi docent, & sumitur ex Concil. Trident. sess. 24. c. 9. Probatio etiam nullius est momenti: nam licet non omnis lex prohibens sit irritans, nihilominus potest Ecclesia irritare aliquos actus quos prohibet, & id facit, quando sufficienter in lege sua declarat: vt in lib. 6. de Legibus dictum est. 10. *Solutio argumentorum Papa potest dispensare in voto solenni castitatis.* *Quid si clericum sacris votum castitatis nolit emittere.*

Ad quartum concedimus sequelam. Ad maiorem vero declarationem consequentis aduertimus, duobus modis posse intelligi Ecclesiam facere, vt verus religiosus non sit inhabilis ad matrimonium. Primo antecedenter, vt sic dicam, id est, in ipsamet institutione status religiosi, ordinando, vt sine tali inhabilitate constituatur. Secundo, consequenter, id est, faciendo habilem ad matrimonium eum, qui iam per statum religionis, quem assumpserat, factus fuerat inhabilis. Priori modo concedimus posse Ecclesiam instituere statum verum religionis, qui non habeat hanc proprietatem inhabilitandi ad 11. *Ecclesia duobus modis potest facere verum religiosum habilem ad matrimonium.*

matrimonium personam illum assumentem. Imò hanc fuisse primitiuæ Ecclesiæ consuetudinem, multi existimant, quod postea accuratius inuestigabimus. Et Gregor. XIII. in priori bulla suprà citata, qua institutum Societatis confirmat; sine hoc effectu, vel impedimento matrimonium irritante, verum statum religiosum in illa esse institutum, quoad aliquas personas declarauit: vnde idem facere posset Ecclesia in quacunque religione, & in omnibus illis. Quia verò ad Ecclesiæ pulchritudinem, & perfectionem spectat, vt in ea sit ille status cum omnibus gradibus, & ornamentis perfectionis; ideo nunquam Ecclesia ita vtetur illa potestate (quæ ad ædificationem, & non ad destructionem data est) vt in nulla religione illum modum religiosi status permittat. Sicut etiam potest ab omnibus clericis illud genus solennitatis, & inhabilitatis auferre: nunquam verò faciet, quoniam honestati, & sanctitati Ecclesiastici status non conuenit, & ideo Spiritus sanctus, à quo Ecclesia regitur, non permittet.

12. Circa posteriorem autem modum faciendi habilem ad matrimonium eum, qui per præcedentem professionem religiosam inhabilis factus fuerat, dicimus, hunc modum difficiliorem esse. Sicut difficilius est latam legem, aut votum factum tollere, quam illud prius non facere, omnis enim mutatio periculosa est, & non fit sine incommodo aliquo, nisi manifestè sit à malo ad bonum, vel à minori bono ad maius; nihilominus tamen ille modus non est impossibilis, quia saltem per dispensationem fieri potest, vt dictum est, & interdum factum esse legimus, non solùm cum persona priuata sed etiam cum tota aliqua communitate: vt cùm aliquibus religionibus militaribus. Et sine dubio Pontifex idem facere nunc posset cum militibus sancti Ioannis, non solum ordinando, vt qui in posterum religionem professi fuerint, & valide, & licitè vxores ducere possint, sed etiam iam professis idem concedendo, si iusta, & vniuersalis causa subsit. An verò talis dispensatio, vel mutatio facta sine causa valeat, postea diligentius tractabitur. Nunc breuiter dico, quoad obligationem ex proprio voto profectam tollendam, non fore validam, vt in materia de voto dixi: quoad obligationem autem inhabilitatis valituram esse, etiamsi indebitè fiat: quia quoad illam partem est dispensatio in solo iure Ecclesiastico, vel eius mutatio quæ valida est, etiamsi absque rationabili causa fiat, vt in materia de legibus dictum est.

## CAPVT XI.

### *Nonnulla corollaria ex præcedenti resolutione inferuntur, quibus & res ipsa magis exponitur, & nonnulla dubia explicantur.*

1. *Primum corollarium. Votum potest fieri ex solenni simplex, per extrinsecam mutationem solam.*

EX dictis in præcedenti capite infertur primò, idem votum in se immutatum manens, fieri posse ex solenni simplex, & ex simplici solenne, indepenenter à voluntate vouentis. Probatur ex proxime dictis: nam votum castitatis militum sancti Ioannis, nunc est solenne; & si Pontifex nunc ferret legem, vt talis professio, siue iam facta, siue in posterum facienda non irritaret matrimonium subsequens, votum illud desineret esse solenne; quia non redderet personam ad matrimonium inhabilem; sine qua conditione, seu virtute, nullum est votum continentiæ propriè solenne, vt dictum est. Et ratio est, quia hæc solennitas pendet ex lege Ecclesiæ, quæ lex licet quoad inducendum inhabilitatem, supponat voluntatem, vel assumendi sacrum ordinem, vel viuendi in tali religioso instituto ab Ecclesia approbato; nihilominus in sua duratione, vel in ablatione legis, & effectus eius non pendet ex voluntate, vel intentione vouentis. Et ideo solennitas voti, seu virtus ad inhabilitandam personam, præcipue est in lege. Et licet dicatur, esse in voto moraliter modo, reuera non addit illi nisi denominationem extrinsecam; & ideo sine mutatione intrinseca voti, vel vouentis, per ablationem legis auferri potest.

2. *Votum potest fieri ex simplici solenne. Notandum circa votum Societatis IESV.*

Et eadem ratione fieri potest votum ex simplici solenne, sine noua voluntate, aut intentione vouentis. Quod explicare possumus in votis simplicibus Societatis: nam à principio ex duplici capite fuerunt simplicia. Vnum est, quia non reddebant personam inhabilem ad matrimonium. Aliud est, quia non erant annexa traditioni omnino perpetuæ, & indissolubili ex vtraque parte, religionis, videlicet, & religiosi, sed tantùm ex parte religiosi, manente potestate in religione ad dissoluendum vinculum, & dimittendi religiosum ex iustis causis. Quoad priorem autem partem diminuta est, (vt ita dicam) simplicitas voti castitatis talis instituti; quia iam illud votum reddit personam inhabilem ad matrimonium, quandiu votum permanet; per Bullam Gregor. XIII. *Ascendente Domino* quæ statim, ac lata est, habuit effectum non solum in his, qui post illam votum illud castitatis emiserunt, sed etiam in illis, qui absque illo impedimento religiosi erant: vt ex tenore ipsius Bullæ manifestum est, & in proprio tractatu in sequenti tomo ostendemus. Quoad alteram verò partem posset etiam nunc illa conditio compleri per legem Pontificis auferentis à Societate potestatem dimittendi eos, qui post biennii probationem, vota in ea legitime emisissent, si Apostolicæ sedi ita expedire videretur. Non est enim dubium, quin hanc habeat potestatem; quia vota illa ex parte materiæ & ex genere suo perpetua sunt; & similiter ex parte religiosi, vt perpetua emittuntur: & traditio, cui annectuntur, ex parte eiusdem irreuocabilis est; ergo Pontifex potest illam facere irreuocabilem ex parte religionis, tanquam supremus eius pastor & legislator. Ergo tunc in illo voto castitatis compleretur ratio voti solennis: nam haberet omnes conditiones necessarias, quas tale votum solenne postulat. Sicut è contrario, si nunc Papa mutaret in hac parte iura aliarum religionum, & statueret, vt omnes possent religiosos, etiam antea professos, propter crimina incorrigibilia liberos dimittere à vinculo professionis, & ab omnibus votis, vota prius solennia desinerent esse solennia; quia extunc non essent absolute perpetua, sed sub illa conditione, nisi iuste dimittantur; vel quandiu in eo statu retenti fuerint. Et hoc corollarium docte attigit Basilius in d. q. cap. 5. in fin.

3. *Obiectio contra hanc resolutionem.*

Sed obiici potest contra resolutionem hanc, quia votum solenne magis obligat, quàm simplex: vt docet D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 7. ad 1. & in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quæstiunc. 3. ad 1. Sed omnis voti obligatio pendet ex intentione vouentis. Ergo impossibile est, votum fieri ex simplici solenne sine noua intentione, & voluntate vouentis; ac proinde fieri non potest per extrinsecam mutationem solam. Et eadem ratione, nec è conuerso potest sine consensu vouentis votum solenne fieri simplex; quia oppositorum eadem est ratio. Et augetur difficultas, quia vota, quæ in Societate fiunt à Coadiutoribus formatis, & à fortiori post integram probationem, ideo non sunt solennia, sed simplicia; quia ex intentione vouentium, & acceptantium fiunt, vt simplicia, & non vt solennia. Hæc enim ratio redditur in declarationibus nostrarum constitutionum 3. p. cap. 4. litera A. his ferè verbis: *Non sunt solennia, sed simplicia, licet multi adsint, quando emittuntur: quandoquidem intentio emittentis, & admittentis iuxta traditam à sede Apostolica facultatem, hæc est, vt nequis emittantur, nec admittan-*

mittantur, vt solennia. Quæ ratio videtur approbari à Gregorio XIII. in d. Bulla, *Ascendente Domino*, dicente: *Tum ex constitutionum præscripto, tum ex votentis, & admittentis intentione, esse simplicia.* Et præterea etiam in emissione talium votorum ex præscripto earundem constitutionum adduntur illa verba: *Omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones.* Ergo solennitas, vel simplicitas voti multum pendet ex explicita, vel implicita intentione vouentis; & consequenter illa non adhibita, seu mutata, non potest talis mutatio fieri.

4. Respondet ad obiectionem.

Ad obiectionem respondeo, obligationem voti in tantum pendere ex voluntate vel intentione vouentis, in quantum in eius libertate est emittere, vel non emittere votum, quia votum non potest obligare, nisi sit; non erit autem, nisi voluntas velit. Tamen posito voto, quod illa obligatio maior, vel minor sit, non pendet ex nouo consensu vouentis, sed oriri potest ex aliis circunstantiis, vel extrinsecis præceptis. Et sic recte intelligitur, quod dicit Pontifex in cap. *rursus.* qui cler. vel vouent, votum simplex, & solenne æquè obligare apud Deum, vtique quoad obligationem, quæ præcisè oritur ex voluntate emittendi votum, & ex promissione voluntariè facta: nam si ex parte voluntatis, & promissionis est æqualitas, obligatio voti inde orta æqualis est, quantum est ex vi voti siue publice, siue occulte, siue solenue, siue simplex fiat. Nihilominus tamen ex circunstantiis poterit crescere, vel minui obligatio independenter à noua voluntate vouentis: vt v.g votum solenne propter circunstantiam personæ, vel magis sacræ, vel in digniori statu constitutæ, & similium, poterit magis obligare; & voti transgressio in tali persona erit maior, etiamsi vouens nolit: quia posito voto, illud augmentum naturaliter consequitur ex aliis circunstantiis. Et illud augmentum interdum erit intra eandem speciem, vt Caiet. d. art. 7. dixit: aliquando esse potest scandali, vt dixit Magist. in 4 dist. 38. nonnunquam vero erit alterius speciei particularis, ortæ ex violatione voti, vt solenne est. Vt qui peccat contrahens matrimonium, post votum solenne castitatis, grauiùs peccat, quàm post simplex; quia grauius peccatum est facere actum irritum, quàm tantum prohibitum. Ita ergo votum solenne dicitur magis obligare ex circunstantia personæ, vel alterius legis ponentis impedimentum; & ideo potest crescere obligatio addita lege extrinseca solennizante votum. Ex hac igitur parte non repugnat votum transferri ex solenni in simplex, & è contrario, sine nouo consensu, vel alia extrinseca mutatione vouentis.

Qui peccat contrahens matrimonium post votum solenne castitatis, grauius peccat, quàm post simplex.

Votum solenne dicitur magis obligare ex circunstantia personæ, vel alterius legis impedimentum.

5. Ad confirmationem respondeo, aliud esse loqui de voto in fieri, seu de ipsa emissione voti; aliud vero de voto iam facto. Cum ergo fit votum, fit simplex, vel solenne, iuxta intentionem vouentis: & hoc tantùm ex allegatis verbis vel Pontificis, vel declarationum Societatis colligitur. Non est autem existimandum esse necessarium ad votum solenne, vel simplex emittendum, vt cum emittitur, fiat cum intentione formali, & (vt ita dicam,) in actu signato simplicitatis, vel solennitatis voti: sed virtualis intentio sufficit, qualis in illis verbis continetur; omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones. Non enim omnes, qui vouent, sciunt discernere, an simplicia, vel solennia vota emittant: & qui id norunt, non semper de illis votorum proprietatibus cogitant, quando vouent, vel profitentur; vel quouis modo religioni alicui incorporantur. At vero virtualiter, & quasi in actu exercito vouens, qui tantum intendit promittere Deo, eo ipso habet intentionem virtualem votum simplex emittendi. Si autem vult obligari Deo in tali religione, iuxta regulam, vel institutum eius, eo ipso intendit facere votum simplex, vel solenne, prout regula, vel instituti ratio postulauerit. Sic ergo in Societate dicuntur vota Coadiutorum ex ipia intentione vouentis, & acceptantis, esse simplicia; quia ex vi instituti non fiunt, vt absolutè perpetua, nec cum vinculo ex vtraque parte dissolubili. Nam Prælatus ita illa acceptat, vt reseruet sibi potestatem dimittendi liberum religiosum; si aliquando instituti ratio id postulauerit, & vouens illi conditione se voluntariè subiicit, cum vouet. At verò, licet votum in principio ea intentione factum sit, & ideo fuerit simplex; nihilominus potest in solenne postea mutari independenter à noua voluntate, seu intentione vouentis. Quia supposito priori voto in tali statu religioso, in quo non erat inductum impedimentum irritans matrimonium subsequens, potest Pontifex propter bonum talis religionis, & statum eius illud inducere, sine nouo consensu singulorum: præsertim consentiente &, postulante ipsa religione. Et similiter posset Pontifex potestatem illam dimittendi à religione auferre, si expedire iudicaret. Nec ad id esset necessarius consensus ex parte religiosorum; cum id non adderet eis obligationem, quæ iam ex parte illorum erat perpetua, & potius in eorum fauorem redundaret.

6. Secundò principaliter sequitur ex dictis, votum simplex, & solenne non differre specie, sed tantum in morali quadam proprietate; quæ accidentalis, & extrinseca respectu substantiæ voti existimari debet. Contrarium huius illationis sensit D. Thomas in 4. d. 38. q. 1. a. 2 quæstiunc. 2. Veruntamen assertio posita communiter recepta est; tenuit illam Caietan. 2. 2. q. 88. a. 7. in fin. Et sequitur Petr. Ledesm. de matrimonio. q. 53. a. 2. dub. vnico. ad 4. Garcia de Benef. 7. p. cap. 10. num. 56. & omnes, qui solennitatem voti à constitutione Ecclesiæ oriri docent. Idemque, licet diuerso modo, docet Medin. suprà cap. 38. Consentit Azor d lib. 12. cap. 6. quæst 8. quanuis in principio Caietano contradicat, & cum Medina sentiat. Illi enim distinguunt duplex votum simplex, vnum de futuro, & aliud de præsenti; quæ dicunt specie differre: quia primum est tantum promissio; secundum verò traditionem includit, quæ differt specie à promissione. Rursus verò votum de præsenti distinguunt in simplex, & solenne; & sic concedunt non differre specie. Et in hac parte sententiam hanc videtur approbare Sanchez lib. 7. disp. 25. num. 4. 5. & 6. nam ibi tria infert Corollaria, quæ illam doctrinam continent, & tandem in fine approbat. Sed clariùs illam expressit eodem lib. 7. disp. 27. num. 18. & 27. & sequitur etiam Vasquez tom. 2. in 3. p. disput. 124. cap. 5. num. 96.

*Secundum corollarium. Votum simplex, & solenne non differunt specie.*

7. Contraria verò sententia mihi semper displicuit, vt sæpe in superioribus tetigi. Tum, quia loquendo de voto castitatis, impossibile est in eo distinguere vota simplicia specie diuersa; quia omne votum simplex est pura promissio, vnde si sit eiusdem materiæ, semper erit eiusdem speciei: nam vtrumque est de futuro, quoad implementum eius, & vtrunque est de præsenti, quoad obligationem, quam inducit. Tum etiam, quia nullum votum quatenus est votum, est essentialiter traditio, sed illam coniunctam habere potest: vt in superioribus dixi, ex traditis in lib. 1. de voto. cap 14. Quod autem votum castitatis habeat, vel non habeat coniunctam traditionem, non facit distinctionem specificam, cum traditio extrinsecè adiungatur, & ad summum esse possit, vel materia, vel effectus eius, vt in superioribus explicaui. Vnde non rectè Soto d. lib. 7. q. 1. a. 5. ad 1. quem aliqui moderni sequuntur, ex eo, quòd

*Nullum votum quatale, est essentialiter traditio.*

tradi-

traditio, & promissio specie differunt, inferunt votum solenne, & simplex differre specie. Nulla enim est illatio; cum traditio nec sit votum, nec differentia voti solennis. Ideoque melius Valentia tom. 3. disp. 6. q. 6. puncto 5. §. *Vltimo.* nobiscum in hac parte sentiens, dicit, quòd etiamsi solennitas voti in consecratione, vel traditione ponatur: nihilominus votum solenne non differt specie à simplici, sed tantum per respectum ad subiectum; quia solenne fit à persona, quæ simul consecratur, aut se tradit, quasi in seruum; simplex autem fit à persona, sine tali conditione adiuncta.

8. Quia verò ille respectus potest etiam voto castitatis inesse, & non esse solenne, vt suprà declaratum est; ideo etiam differentia accidentalis inter votum simplex, & solenne, illo modo non satis explicatur.

*Fundamentum corollarii.* Fundamentum ergo nostri corollarii est; quia votum simplex, & solenne castitatis, intrinsecè est tantum promissio, cuius naturam non immutat constitutio inducens vim irritandi matrimonium subsequens. Item ostensum est, idem numero votum posse fieri ex simplici solenne, & è contrario, sine mutatione ex parte actus voluntatis vouentis; ergo euidens signum est, illa vota non differre specie. Ex quo etiam facilè intelligitur, qualis sit diuisio voti in simplex, & solenne, non est enim generis in species; erit ergo solum subiecti in accidentia. Quomodo etiam simplex votum castitatis distingui potest in solenne, aliquo modo exteriori, & tali solennitate carens; & in votum castitatis statui religioso annexum, & non annexum. Et cum proportione diuidi potest votum solenne, vt in 4. Corollario dicemus.

9. *Tertium corollarium Declaratio Pontificiæ sententiæ, in cap. tursus. Qui Clerici, vel vouentes.* Tertiò, infertur ex dictis maior declaratio illius Pontificiæ sententiæ, in citato cap. *tursus.* qui cler. vel vouent quatenus ait, votum simplex paris obligationis esse apud Deum, ac solenne. Quam D. Thomas explicat de æqualitate in obligatione sub mortali; non verò in aliis: vt 2. 2. d. q 88. art. 7. ad 1. & quodl. 10. art. 11. quod verum quidem est; amplius verò declarari potest, quia comparatio (vt iam dicere cœpi) est de voto simplici, & solenni præcisè, vt vota sunt: nam ex adiunctis potest crescere obligatio in voto solenni. Hoc autem augmentum potest esse duplex, scilicet, extensiuum, & intensiuum: extensiuum voco, quod fit per additionem obligationis diuersæ virtutis, seu speciei; & sic maior est obligatio voti solennis castitatis ad non contrahendum matrimonium, quam voti simplicis, quia hoc tantùm obligat ex vi religionis, illud autem ex vi religionis, & iustitiæ: quia peculiarem iniuriam facit alteri coniugi, irritum matrimonium cum illo contrahendo; quam non facit, qui tantum habet votum simplex. Et similiter fieri potest, vt violans votum solenne paupertatis, peculiare nocumentum inferat suæ religioni, vel alteri, contrà iustitiam, vel charitatem; & ideo magis obligetur ad cauendum actum voto contrarium, vtique extensiuè, id est, pluribus titulis. Intensiuum autem augmentum appello, quod fit intrà latitudinem eiusdem virtutis; & sic etiam ob plures circunstantias occurrentes, suppositâ solennitate voti, potest ex vi religionis eius obligatio esse maior, vt explicaui. His autem modis, si attentè res consideretur, etiam potest vnius voti simplicis obligatio esse maior, quàm alterius in eadem materia castitatis. Vt si votum simplex habeat adiunctam traditionem, & vnionem ad statum religiosum, vel illi sit addita vis irritandi matrimonium subsequens. Et ideo absolutè vera, & formalis est sententia Pontificis, quod votum simplex æqualis est obligationis, ac solenne, vtique per se, & cæteris existentibus paribus, vt esse possunt; ita enim omnis comparatio intelligi debet, vt recte fiat. Alioqui nec vota simplicia castitatis poterunt dici æqualis obligationis; quia ex adiunctis poterit in vna persona magis obligare, quam in alia: imò in vna poterit magis obligare votum simplex, quàm solenne in alia propter varias circunstantias.

*Obligatio in voto maior potest esse duplex, scilicet extensiua, & intensiua.*

Quartò possumus ex dictis inferre, qualiter inter se conueniant, vel distinguantur votum solenne castitatis sacri ordinis & religionis. Conueniunt enim in hoc, quod vtrumque est absolutum, & perfectum de tota materia castitatis, vt per se notum est. Conueniunt etiam, quia vtrumque habet quandam specialem perpetuitatem, præter eam, quæ voto simplici castitatis inest: quatenus vtrumque est annexum cuidam statui, & traditioni ab intrinseco immutabili; & inde indissolubili moraliter, nimirum vel statui clericali, qui ex vi characteris indelebilis perpetuitatem habet: & statui religioso, qui etiam per propriam professionem absolutè immutabilis est. Quanuis hæc immutabilitas religiosi status sit moralis, ex contractu, & institutione Ecclesiæ; in ordine verò, sit quasi physica ex vi characteris, & ex Christi institutione. Denique conueniunt illa vota, quod vtrumque habet solennitatem substantialem ex institutione positiua Ecclesiæ: nam de voto Clericorum id certum est, & sine controuersia receptum; de solennitate autem voti religiosi idem nos ostendimus. 10.

*Quartum corollarium. Qualiter inter se conueniant, & distinguantur votum solenne castitatis, sacri ordinis, & religionis. In quibus conueniat. Immutabilitas religiosi status est moralis.*

Differunt autem in multis. Et primò D. Thomas 2. 2. q 88. a 11. assignat discrimen, quod votum clerici per accidens est annexum ordini; votum verò castitatis per se est annexum statui religioso, quia est de essentia eius: vnde illud est annexum ordini solum ex constitutione Ecclesiæ, hoc ex ipso iure. Sed in hoc distinguendum est inter votum castitatis absolute sumptum, & votum solenne castitatis, vt solenne. Nam loquendo de voto castitatis absolutè, & secundùm se, optimum est assignatum discrimen: nam status clerici in quocunque gradu, & ordine, stando in iure naturali, & diuino sine vllo voto castitatis subsistere potest, vt est certum: status autem religiosus, vt est completus perfectionis status, sine voto castitatis subsistere minime potest, vt suprà probatum est. Ergo aliter est annexum hoc votum religioni, quàm Ordini, vtique ordini ex accidenti, religioni ex intrinseca natura, & per se. At verò loquendo de voto, vt solenni, vel vt dirimente matrimonium, neutrum adhæret per se illis statibus, sed ex mera Ecclesiæ institutione, vt de voto clericorum omnes admittunt: & de voto religionis iam dictum est, & in capite 12. ex professo probabitur. Alia differentia certa est; quòd votum clericorum irritat matrimonium subsequens, non tamen irritat contractum: votum autem solenne religiosæ castitatis vtrumque præstat. Prior pars extra dubitationem est, vt videbimus, tractando de illo voto. Posterior item definita est in Concil. Trident. sess. 24. canon. 6. Et infrà, disputando de religiosa professione, illum eius effectum, ipsiusque antiquitatem, & originem inuestigaturi sumus. Non desunt tamen aliqui luriseruti limitationem in hoc adhibentes, dicendo, dari aliquod votum solenne religionis, quod prius matrimonium ratum non dirimat; licet subsequens impediat, & irritet, sed illa limitatio probabilis non est; nec in iure, nec in vsu Ecclesiæ habet fundamentum: non quia non potuerit Ecclesia id constituere in voto solenni religioso, sicut fecit in voto clericorum, vel in voto simplici castitatis in religione Societatis emisso, vt infrà probabimus, sed quia id factum non legimus, vt infrà suo loco dicemus, & ex proximè dicendis constabit. 11.

*In quibus differunt. Alia differentia præcipuè notanda.*

Alias differentias assignat Palud. in 4. dist. 38. q. 2. 12.

Vna

Differentia à Bonauentura à Paludano rejicitur.

Vna est, quod votum Ordinis est præsumptum, religionis autem verum. Sed hæc differentia in rigore non est vera, quia etiam votum clerici est verum, vt infrà dicam: & licet possit fieri cum deceptione, & esse tantum præsumptum, idem potest accidere in voto professionis. Si autem votum Ordinis dicatur præsumptum, quia non fit verbis expressis, sicut votum professionis; sic differentia & est valde accidentaria, & in tacita professione non inuenitur. Alia differentia est, quod ordinis votum ita est illi annexum, vt si ordinatio sit irrita, nulla oriatur voti obligatio: si autem professio sit nulla, relinquatur obligatio voti castitatis, saltem simplicis. Sed hoc posterius, licet in iure antiquo habeat aliquod fundamentum, in cap. *ex parte.* cap. *placet*, & aliis, de conuers. coniug. Iam verò per Concilium Trident. sess. 25. cap. 15. de Regular. sublatum est. Et in vtroque voto res pendet ex particulari intentione personæ, vt postea videbimus.

13. Votum solennis castitatis ordinis ecclesiastici non reputatur solenne in Germania, Gallia, Hispania.

Tandem obiter colligitur ratio sufficientiæ illius diuisionis voti solennis castitatis, in ordinis, & religionis: quæ tanquam adæquata traditur in d. cap. vnico. de voto. in 6. Datur enim illa diuisio, vt sufficiens de facto; non tamen de possibili. Nam etiam votum castitatis annexum traditioni perpetuæ propriæ personæ factæ hospitali sine professione religiosa, potuisset ab Ecclesia solennizari quoad prædictum effectum; & similiter votum etiam virginis sacræ in manibus Episcopi factum sine voto paupertatis. Et aliis modis possent talia vota solennia multiplicari. De facto vero non ita est, teste Bonifacio in d. cap. vnico. vbi ad definiendum, quæ vota sint solennia, quoad matrimonium subsequens dirimendum, præmisit solennitatem voti esse ex sola Ecclesiæ constitutione; vt inde inferret, esse tantum illa duo, quia Ecclesia illis tantum duobus eam solennitatem, & quasi eminentiam concessit. Et inde falsa esse conuincitur sententia Innocentii, in cap. *ex parte.* 2. de conuers. coniug. dicentis dari aliquod votum solenne continentiæ, & non professionis; quod non dirimit matrimonium antea contractum; sed irritat subsecutum. Et illum sequitur Alex. de Neuo in cap. *ursus.* qui cler. vel vouent. n. 21. Qui fundatur in cap. vltimo. qui clerici, vel vouentes. Hæc, inquam, sententia falsitatis conuincitur, ex citato cap. vltimo, quia alias vota solennia castitatis non essent tantum duo, sed tria: quia illud solenne votum nec esset sacri ordinis, nec professionis, contra decisionem Bonifacii. Nec votum, de quo agitur in cap. *infirmante*, fuit eiusmodi, sed fuit annexum professioni validæ; quia conditiones illi additæ, quæ ibi referuntur, contra substantiam professionis non fuerunt, vt inf. à, tractando de professione, & de paupertate religiosa, latius dicemus. Vltima differentia inter illa duo vota assignari solet; quod votum solenne ordinis dispensabile est: non autem votum professionis religiosæ. Nos vero hanc differentiam non agnoscimus; quia licet prior pars vera, & indubitata sit, posterior est falsa; indiget vero peculiari tractatione, quam in lib. 1. circa professionem religiosam, & in sequentibus circa singula vota solennia trademus.

## CAPVT XII.

### *Qualis sit, & vnde originem habuerit solennitas voti paupertatis.*

1. EX dictis de voto solenni castitatis non erit difficile solennitatem aliorum votorum applicando doctrinam datam, explicare. Et in primis dicendum est de voto paupertatis, quod, vt suprà diximus, vnum est ex essentialibus status religiosi: & simplex etiã esse potest, ac solenne, vt omnes Theologi tanquam notum supponunt. Est autem simplex, quando Deo fit pura promissio, seruandi paupertatem; abdicando à se dominium omnium bonorum temporalium, & nunquam illis, vt propriis, vtendo. Hæc enim duo ad materiam huius voti spectant: & quando de illis sola promissio Deo fit, & est votum, quia est promissio facta Deo; & est simplex, quia tali promissioni nihil additur, quod vel specialem obligationem inducat, vel aliquem peculiarem moralem effectum adiungat. Nam, quod hoc modo fieri possit manifestum est; cum in voluntatis libertate id positum sit. Et similiter fieri potest occulte, vel publice, & sine externa solennitate, vel cum illa, & nihilominus esse simplex, si solennitas illa tantum accidentalis sit, sicut de voto castitatis diximus. *Quando votum paupertatis simplex censetur.*

Dices, in tali voto non posse fieri promissionem sine traditione; quia necesse est, vt qui paupertatem vouet, statim priuet se bonis suis, quod sine traditione illorum non fit. Respondeo necessarium esse, vt illa bonorum spoliatio, aut votum tempore præcedat, aut sequatur; quia simul non potest humano modo fieri. Igitur, quando præcedit, non est actus voti, nec ex obligatione fit, sed voluntariè; vnde dici potest moralis quædam præparatio ad votum faciendum. Quando autem subsequitur votum, est quidem effectus, & initium obseruationis eius; non est autem pars eius, aut proprietas, vel aliquid simile, quod simplicitati eius repugnet. Imò id commune esse potest omni voto simplici, quod statim obligare incipit. Quod autem illa voti paupertatis executio non possit (moraliter loquendo) simul cum ipsa promissione fieri, ostenditur; quia talis promissio non priuat hominem per se, & ipso facto, dominio rerum suarum, quia ex sola rei natura hanc vim non habet, vt est manifestum in promissione simili facta homini. Necessaria ergo est noua voluntas, & noua actio donandi, & alterius acceptatio: quæ omnia, moraliter loquendo, simul fieri non possunt. Vnde tale votum tantum est pura promissio obligans in futurum: erit ergo votum simplex; sed de his latius inferius dicemus tractando de voto simplici paupertatis. 2. *Instantia soluitur.* *Quædam conditio notanda in voto simplici paupertatis.*

Quod autem etiam possit esse solenne, non minus certum est apud Theologos, & licet non sit tam expressum in iure, sicut de voto castitatis; nihilominus ex æquiparatione vtriusque voti, quam facit Innocent. III. in cap. *cum ad monasterium.* de statu Monach. in fin. recte colligitur, vtrumque esse solenne, cum in religiosa professione emittitur. Et hoc etiam sufficienter confirmat vniuersalis Ecclesiæ sensus, & traditio. Vt autem eius solennitatem explicemus, addere possumus, hoc votum non solennizari, nisi per professionem factam in aliqua religione ab Ecclesia approbata; in quo differt à voto castitatis. Quanquam Medin. lib. 5. de Contin. cap. 10. & seq. etiam votum paupertatis esse annexum Ordini sacro affirmet; quod ex antiquitate ostendere nititur. Sed est falsa, & improbabilis sententia; quia neque Episcopatui tale votum annexum est, vt recte docet D. Thomas 2. 2. q. 185. art. 6. Ergo multo minus clericorum ordinationi. Et ratio, qua D. Thomas vtitur, generalis est, quia clerici, cum ordinantur, nec per legem Ecclesiasticam ad paupertatem obligantur, quia nulla talis lex extat; nec etiam propria voluntate tale votum emittunt, vt per se notum est. Imò licet aliquis eorum illud voluntarie emitteret, non esset solenne; quia non statim priuaret vouentem dominio rerum suarum: nec redderet incapacem hæreditatis; vel ad nouum dominium temporalium rerum acquirendum: nec plus, quàm si extra ordinationem factum esset, vouentem obliga- 3. *Votum paupertatis potest esse solenne.* *Improbatur Medinæ sententia affirmans votum paupertatis esse annexum ordini sacro.*

obligaret. Est ergo sententia illa improbabilis. Nec argumenta, quæ ab vsu antiquo Medina sumit, aliquid probant. Tum, quia si aliquando fuit talis vsus in Ecclesia, à multis retro temporibus mutatus est, vt ex toto iure Canonico constat: & ex Aug. serm. 52. ad fratr. in Eremo. & Concil. Aquisgran. cap. 112. cap. *nolo* 12. q. 1. Tum etiam, quia licet fortasse olim clerici in communi viuentes, votum paupertatis emittererent; non tamen omnes ex vi ordinationis suæ ad id cogebantur. Tum denique, quia nec in illis, qui tale votum emittebant, ostendi potest, illud fuisse solenne. Imò contrarium fortè probabilius est. Sicut etiam in initio Euangelicæ prædicationis omnes fideles paupertatem vouebant, vt sumitur ex Actor. 4. & 5. non ideo credendum est, votum illud aut fuisse solenne, aut necessarium. Ideoque mos ille breuissimo tempore in fidelium communi vita durauit.

4. *Votum paupertatis non solennizatur, nisi in statu religioso.*

Nunc igitur certum sit, votum paupertatis, licet à clericis, & laicis emitti possit, cum sit voluntarium, non tamen solennizari, nisi in statu religioso ab Ecclesia approbato, in quo rigorosa professio fiat. Probatur, quia tale votum non fit nisi in statu perfectionis; ergo non fit, nisi in statu religioso, quia non fit in statu Episcoporum: & si contingat fieri votum paupertatis in aliquo viuendi modo ad perfectionem aliqualem ordinato, nunquam habebit proprios aliquos morales effectus, ratione quorum solenne proprie censeatur. Et ideo add. di necessarium esse, vt in religione approbata fiat, quia extra illam non est vera professio; nec verus religionis status, iuxta caput vltimum. de Relig. Domib. & cap. vnico. eod. tit. in 6. Et præterea adiunxi, necessarium esse, vt cum rigorosa professione religiosa fiat: voco enim rigorosam illam, quæ fit cum vinculo ex vtraque parte (religionis vtique, & religiosi) indissolubili per traditionem vnius, & acceptationem alterius irreuocabilem: vt excludam alium modum vnionis, seu incorporationis, vel professionis, quæ fieri potest, & olim fieri solebat, & nunc in Societate ab aliquibus eius membris fit, cum perfecta traditione irreuocabili ex parte religiosi, & non ex parte religionis. Nam votum paupertatis in ea factum pro illis membris non est solenne, quia non habet firmitatem ad votum solenne necessariam, nec inducit effectus suos simpliciter, & absolutè perpetuos ex parte religionis, quod non minus est necessarium ad voti solennitatem in paupertate, quàm in castitate: nam est eadem ratio, nec probabile discrimen assignari potest, & ex dicendis amplius ostendetur.

5. *In quo conueniant, & discenuenient votum simplex, & solenne paupertatis.*

Declarandum ergo supereſt, quid votum solenne paupertatis simplici addat, & quo iure, & inde constabit, quomodo ab illo differat. Oportet autem prius supponere, hæc duo vota in primis conuenire in ratione essentiali voti, alioqui votum solenne paupertatis non nisi æquiuocè votum diceretur. Deinde suppono conuenire in materia, licet cum aliquo discrimine: nam votum simplex potest esse particulare tantùm ex parte materiæ, id est, de quibusdam bonis temporalibus, & non de omnibus; vt si quis vouerit, non habere proprium, nisi vsque ad certam quantitatem, vel non habere bona immobilia, &c. Votum autem solenne paupertatis esse debet integrum, non habendi aliquid tanquam proprium, siue quoad dominium, siue quoad vsum fructum: vel etiam quoad vsum alicuius rei, vt propriæ, ita sumitur ex d. c. *cum ad Monasterium*. cum omnibus Doctoribus ibi: ex D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7. & reliquis Theologis in 4. dist. 38. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 1. Soto lib. 7. de Iust. q. 5. a. 2. & videri potest Panor. in 4. 1. p. Concil. in 88. Et ratio est, quia status religionis vndique consummatus, & perfectus integram paupertatem postulat, vt suprà dictum est, & authores citati docent.

Nihilominus tamen per hoc non satis discernitur hoc solenne votum à simplici; quia etiam votum simplex potest esse de tota materia paupertatis, esto non sit hoc necessarium. Sicut etiam votum simplex in hac materia potest esse omninò occultum, aut mentale: solenne autem debet esse externum, & publicum: tamen, quia etiam simplex potest esse huiusmodi, inde non satis discernuntur: & simili modo votum solenne paupertatis, non fit, nisi, cum religiosus se tradit religioni, quod in voto simplici non est necessarium. Tamen, quia etiam potest dari votum simplex paupertatis, quod non fiat nisi coniunctum cum traditione religiosa, vt in votis Societatis inuenitur, & fortasse olim in Ecclesia vsitatum est, vt postea dicetur: ideo etiam adæquata, vel sufficiens differentia inter votum simplex, & solenne paupertatis inde sumi non potest. Quærenda est ergo talis differentia, quæ ita conueniat omni voto solenni paupertatis, vt nunquam voto simplici conueniat, aut conuenire possit. 6.

Dicimus ergo primo, hæc vota à posteriori, & in effectibus distingui, ad instar similium votorum castitatis. Nam votum solenne paupertatis non solum obligat ad non habenda bona temporalia, vt propria, sed etiam reddit personam perpetuo incapacem proprietatis, & dominii; & consequenter eam reddit inhabilem ad quancunque hæreditatem adeundam: ac subinde simul, ac tale votum fit, sua vi, & ipso facto concludit dominium eorum bonorum, quæ antea possidebantur: quos effectus non habet votum simplex eiusdem materiæ, etiamsi ex parte vouentis adæquatum sit. Itaque sicut votum solenne castitatis religiosæ, & dirimit præcedens matrimonium ratum non consummatum, & irritat subsequens; ita votum solenne paupertatis excludit præcedens dominium, si quod erat, & omnem acquisitionem impedit. Et consequenter, quia nemo potest donare, vel alienare validè propria authoritate, & voluntate, nisi res proprias, quarum est Dominus; ideo tale votum omnes similes contractus consequenter irritat. 7. *In quo distinguantur votum simplex, & solenne paupertatis. Solennitas excludit omne dominium præcedens, & omnem acquisitionem impedit. In hoc esse eius consistit solennitas huius voti.*

Hæc omnia certa sunt, & colliguntur ex d. cap. *cum ad monasterium*, & cap. *non dicatur*. 12. q. 1. & cap. *quia ingredientibus*. 19. q. 3. quod est Greg. lib. 7. epist. 7. & citat legem Iustiniani, in Authentica *Ingressi*. & Authentica *Nunc autem*. C. de sacros. Eccles. & infrà in proprio libro de hoc voto, hoc ex professo, & specialius tractabitur. Consultò vero addidi inhabilitatem huiusmodi debere esse perpetuam, vtique absolute, & moraliter ex vi status; quoniam potest dari aliquod votum paupertatis simplex habens illos effectus, quandiu durat tale votum: & de facto in Societate inuenitur, vt suppono. Quia tamen non inducit illam incapacitatem absolutè perpetuam, sed dependenter ex voluntate Prælatorum religionis, qui possunt vinculum dissoluere, & personam liberam ab illa obligatione, & capacem relinquere, ideo tale votum non est solenne; & ideo è contrario, vt ille effectus sit adæquate solius voti solennis, oportet, vt in dicto sensu accipiatur, & perpetuus sit. Et sic ab effectu recte distinguitur votum solenne ab omni voto simplici paupertatis, quia votum simplex nunquam potest illum effectum inducere. Atque ita per eundem effectum potest huiusmodi solenne votum describi. 8. *Hæc inhabilitas debet esse perpetua.*

Secundò dicimus, solennitatem substantialem huius voti in hoc consistere, quod habet vim, & efficaciam ad huiusmodi effectum in personam vouentis inducendum; quam vim non habet ex solo iure naturali, vel diuino; vel quatenus votum est, nec 9. *Secundum assertum. Solennitas in voto*

necetiam illam habet ab illa traditione, cui coniungitur, sed ab Ecclesiæ institutione. Quæ omnia eodem modo explicanda in præsenti sunt, quo supra in voto castitatis sunt declarata, & probata. Prima ergo pars clara est; tum quia hoc votum non est solenne, quia prædictos effectus habet, sed quia potens est ad illos inducendos: tum etiam quia votum simplex paupertatis potest habere omnem extrinsecam solennitatem, vel conditiones alias præter istã; ergo hæc est propria ratio, quæ votum solenne ab illo distinguit. Secunda item pars est clara, quia etiam votum hoc, quatenus votum est, tantum est promissio: at vero promissio ex solo iure naturę non habet illos effectus, vt est per se notum. Circa alias vero duas partes est controuersia: nam qui dicunt, religiosum professum ex natura rei, fieri inhabilem ad matrimonium ex vi traditionis sine alio Ecclesiastico iure, de voto solenni paupertatis idem sentire videntur. Nam licet pauci id in particulari de singulis votis explicent, tamen, cum de voto solenni generaliter, & vt tale est, ita doceant, de omnibus, & singulis idem sentiunt: vt specialiter videri potest in Soto in 4. dist. 38. q. 2. a. 2. & in 7. lib. de Iust. q. 2. a. 5. Est ergo eorum opinio, huius voti solennitatem consistere in traditione, quæ vel est de essentia eius; vel illud formaliter solennizat (vt sic dicam) quia non ex constitutione Ecclesiæ, sed ex se, & ex iure diuino naturali habet illa traditio excludere omne dominium à persona, & reddere illam inhabilem ad illud acquirendum. Fundantur, quia ex vi traditionis fit homo tanquam mancipium, & se, ac omnia sua transfert in Deum, & religionem; ergo cum illa traditione repugnat omnis proprietas, seu dominium, vel præsens, vel futurum in tali persona; & consequenter omnes etiam actiones, quæ à dominio proficiscuntur, & illud necessario supponunt in tali persona, ex natura rei irritæ sunt. Et confirmatur primo exemplo seruij; nam eo ipso quod in alterius dominium transit, omnia eius bona, & iura sunt domini, & ipse incapax fit ad aliquid acquirendum, vel vt proprium possidendum. Vnde intelligitur, seruitutem inducere inhabilitatem ad dominium, licet ad matrimonium eam non inferat. Sic ergo religiosus fiet inhabilis ad dominium per professionem ex natura rei; etiam si de matrimonio id non concedatur. Nam Gregor. lib. 4. epist. 44. in fine dixit: *Seruus, qui sit rel giosus, licet ab humano seruitio liber recedat, in diuino obsequio districtiorem appetit seruitutem.* Et refertur in cap. *multos.* dist. 54. Innocent. vero III. in cap. *cum olim.* 2. de priuilegiis, saltem dicit, seruum, & monachum in eo esse pares, quod neuter alicuius rei dominium habeat.

10. Et declaratur amplius: nam si quis donaret alteri omnia bona sua, non tantum præsentia, sed etiam futura; ita vt quidquid ad ipsum vllo tempore peruenire posset, ipso facto in alium transferretur, fieret inhabilis ad aliquid sibi acquirendum ex vi talis donationis, sine vllius iuris positiui adminiculo, sufficeretque vt humanum ius tali donationi non resisteret: sed ita se habet religiosus in professione sua respectu religionis; ergo contrahit dictam inhabilitatem ex vi professionis suæ. Atque hanc partem confirmant iura dicentia, professionem esse quandam mortem ciuilem, & religiosum mundo esse mortuum; vt ait Eugenius Papa in cap. *placuit.* 2. 16. q. 1. Vnde Arsenius (vt in eius vita refertur) accepto testamento cuiusdam consanguinei, qui ipsum hæredem instituerat, illud rumpere voluit, dicens: *Ego prius mortuus sum, quam ille, cur ergo me instituit hæredem.*

11. Nihilominus, quod de voto castitatis diximus, idem de hoc voto dicendum credimus; quod etiam sentiunt Doctores supra citati de voto solenni generaliter loquentes. Et specialiter de hoc voto tradunt Azor. d. lib. 12. cap. 6. q. 5. Vasq. 1. 2. disput. 65. cap. 6. Sancius lib. 7. disp. 25. Basil. Pon. d. q. 3. Lessi. lib. 2. cap. 41. dubit. 8. n. 71. & Garcia de Benef. 7. part. cap. 10. num. 64. & alii. Fundamentum præcipuum est, quia hæc inhabilitas acquirendi dominium alicuius rei, duobus modis potest contrahi. Primo reddendo voluntatem hominis inefficacem ad contrahendum vel acceptandum alicuius rei dominium. Secundo, per donationem, vt ita dicam, anticipatam. Vt si quis renunciet hæreditati in fauorem alterius, vel donet alteri in præsenti, quidquid in futurum sibi donatum, vel aliter obtentum fuerit. Prior modus non est possibilis sine adminiculo legis, quia semper homo mutare potest; & posterior voluntas semper est efficax ad mutandum præcedentem, quæ non habuit donationis effectum: vnde non sufficit promissio; quia illa non transfert rem in alterum, nec impedire per se potest efficaciam contrariæ voluntatis sequentis, etiam si forte sit peccaminosa sit. Et hac ratione matrimonium de præsenti cum vna, licet fiat contra sponsalia de futuro alteri iurata, validum est; & similiter licet prius aliquis renunciet hæreditati, etiam cum iuramento, si postea illam acceptet, vere acquirit illam, licet peccet; si solum per modum promissionis illam renunciationem fecit. Sic ergo votum paupertatis, quantumuis solenne, quatenus promissio est, non potest ex sola rei natura talem inhabilitatem inducere, propter rationem factam.

12. Posterior autem modus aliquo modo possibilis est in aliis contractibus; tamen in præsenti applicari non potest, etiam ratione traditionis, quæ huic voto coniungitur. Primo, quia illa traditio per se, & intrinsece, ac ex vi status religiosi, ad summum requirit, vt religiosus suam personam omnino tradat religioni, & obsequio eius: cum hac autem donatione non est ex sola rei natura necessario coniuncta renunciatio dominii, seu proprietatis omnium bonorum temporalium, imo nec obligatio non habendi illa, nisi votum paupertatis illi traditioni coniungeretur: ergo multo minus sequitur talis incapacitas ex sola rei natura, ex traditione, vel professione religiosa. Secundo explicatur amplius, & vrgetur hæc ratio; quia non est de ratione talis traditionis, vt simul cum persona bona, & iura talis personę tam præsentia, quam futura in monasterium, vel corpus religionis transeant. Nam in religionibus, quæ vel sunt incapaces talium bonorum, etiam in communitate, vt sunt sancti Francisci sacra religio, & domus professorum Societatis: vel ius succedẽdi in bonis suorum religiosorum, vel ad eos pertinentibus non acquirunt, qualis est Societas IESV: in his, inquam, nulla bona, vel iura temporalia transeunt ad religionem ex vi traditionum suarum personarum, quas illis faciunt, qui eas profitentur, vel eis incorporantur; ergo non est hoc de ratione talis traditionis. Ergo in his saltem religionibus non inducitur incapacitas acquirendi bona, vel succedendi in illis ex vi traditionis.

13. In aliis autem religionibus, in quibus religio succedit in bonis, & iuribus religiosi, in primis hoc ipsum oritur ex institutione humana, & non ex intrinseca natura traditionis religiosæ; vt ex aliarum exemplo constat: & quia in eisdem posset illa institutio mutari, manente eadem traditione religiosa, quoad personam. Et deinde non obstante illo iure religionis, spectata sola rei natura, posset religiosus professus esse simpliciter capax dominij saltem ex consensu religionis. Nam tunc nulla fieret iniuria religioni, nec acquisitio dominij esset contra prio-

*secundum assertum.*

*Inhabilitas ad quirendi dominium alicuius rei, duobus modis potest contrahi.*

*Societas IESV non habet ius succedendi in bonis suorum religiosorum.*

rem donationem, seu translationem iurium religioni factam. At vero incapacitas, quæ nunc inducitur per votum solenne, multo maior est; vt constat ex d. cap. *Cum ad monasterium*. Ergo non oritur ex sola traditione, etiam cum illa conditione; est ergo ab Ecclesiastico iure. Et confirmatur hoc, ac declaratur, qa religiosus eiectus omnino à religione in perpetuum, iuxta probabilem sententiam, iam non acquirit religioni; quia dimittendo eum, quoad hanc partem cessit iuri suo: & nihilominus non acquirit sibi dominium, neque potest de bonis acquisitis testari. Sed illi solet Camera Apostolica succedere, vt infra videbimus. Ergo signum est, illam incapacitatem non fundari in iure religionis, sed in positiuo iure inhabilitante personam, & acquisitionē irritante.

*Religiosus professus à religione in perpetuum eiectus, non potest testari de bonis acquisitis: illi succedit Camera Apostolica, non vero religio.*

14. Tertio, fere omnes rationes supra factæ de voto castitatis in præsenti applicari possunt. Tertia ergo sit, quia illa traditio sine voto non prohibet habere proprium; ergo multo minus potest irritare acquisitionem dominii, vel illud expellere. Consequentia clara est, & antecedens etiam videtur per se manifestum; quia si quis religioni oblatus non faceret votum non habendi proprium, non peccaret contra paupertatem, aliquid accipiendo; esto peccare posset contra iustitiam, aliquid vsurpando de bonis religionis. Vt si forte se tradendo religioni, bona etiam omnia, & iura sua in eam transferret, vt ab ipsa sustentaretur; tunc enim peccaret quidem postea contra iustitiam aliquid sibi acquirendo. Nihilominus tamen non maneret omnino inhabilis ad aliquid sibi acquirendum. Tum, quia id facere posset, & valide, & iuste de licentia religionis: tum etiam, quia possent ex mutuo consensu pactum dissoluere. Tum denique, quia illa impotentia acquirendi sibi, tunc non oriretur ex vera paupertate, sed ex iure alteri acquisito. Accedit, quod illud pactum non est necessarium ad statum religiosum, & sine illo esse potest solenne votum paupertatis, vt iam ostensum est.

15. Quarto, hîc etiam poterit applicari altera ratio; quia in Societate post biennium fit votum paupertatis cum vera, & perfecta traditione sui: & nihilominus persona non fit incapax acquirendi, & retinendi dominium bonorum, & ideo votum illud paupertatis tantum est simplex. ergo traditio religiosa non sufficit ad solennizandum hoc votum nec ad reddendam personam incapacem dominii: pendet ergo ex institutione speciali, cum Ecclesiæ approbatione. Quo exemplo est etiam considerandum, quod lic[illegible] societas, quoad collegia & domos probationis, fit [illegible] redditiuum, & bonorū immobilium: nihilom[illegible], qui se tradunt Societati, & in illa vota emittunt, nullum ius ad sua bona in religionem transferunt, ex vi incorporationis cum illa; ergo quod in aliis religionibus id fiat, non est ex sola natura rei, sed est ex positiuo iure. Cuius etiam signū est, quia in Coadiutoribus formatis Societatis, idem votum est simplex, & per illud, vel traditionem, cui adiungitur, nullum ius ad bona, vel hæreditates voluentis acquiritur religioni, & nihilominus tales religiosi fiunt incapaces dominii temporalium bonorum. Cuius ratio non est, nisi, quia ita est institutum, & probatum ab Ecclesia: ergo signum est huiusmodi effectum ab institutione pendere.

*Societas nullum ius acquisit ad bona suorum religiosorum.*

16. Ad fundamentum contrariæ sententiæ facilis est ex dictis responsio, negando primam illationem; quia traditio religiosa per se, & quantum postulat natura talis status, solum fit ad Dei famulatū, & obsequium religionis: ideoque ad illam non pertinet paupertas, nec translatio bonorum, aut iurium personæ professi in religione. Sed ad complendum statum religiosum præter traditionem, adiungitur paupertas, quæ non est ex natura rei determinata, sed in diuersis religionibus, variis modis seruatur. Nam cum illa non sit perfectio, sed instrumentum ad perfectionem, iuxta finem intentum in vnoquoque statu religioso; modus ille præscribitur per specialem institutionem: vt recte docuit D. Thomas 2.2.q.188. a.7. & 3. contra gent. c.133. Eodem ergo modo ex vi paupertatis religiosæ, nec transferuntur bona, & iura omnia in religionem, sed iuxta specialem institutionem: nec illud sufficit ad incapacitatem dominii; nisi de hoc etiam fiat peculiaris institutio iuxta Authentic. *ingressi.* de sacros. Eccles. receptam in c. *quia ingredientibus.* 19.q.3. In qua institutione potest etiam esse magna varietas. Nam renunciatio omnium bonorum, quæ actu possidentur, fieri potest, vel quoad solum vsum proprietarium, seu pro solo proprio arbitrio; non vero quoad renunciationem totius proprii dominii. Item posset fieri quoad renunciationem omnium, quæ actu possidentur, non inducendo inhabilitatem in futurum: vel etiam è contrario posset induci incapacitas ad acquirendū aliquid, retento dominio aliquorū bonorum, sine proprietario vsu. In his enim non est repugnantia, licet non omnia sint in vsu. Ex hac autem varietate intelligitur non esse in hoc aliquid ex natura rei determinatum, sed ex Ecclesiæ constitutione pendere.

Ad primam confirmationem respondemus, in 17.
primis illam incapacitatem, quam humana, & ciuilis seruitus inducit, non esse ex natura rei, sed ex iure humano ciuili, vel gentium; quia illa seruitus non est naturalis, sed ab hominibus introducta, vel in remedium, ne occiderentur capti in iusto bello, vel in pœnam, vel per alium humanum contractum: & ita potuisset introduci, vt aliquis fieret seruus in perpetuum quoad omnes operas suas, vel lucra omnium laborum suorum; & nihilominus, vt aliis modis posset aliquid sibi acquirere, vel hæres fieri, & hæredem instituere. Ergo ex hac parte potest argumentum, & æquiparatio retorqueri. Deinde posset negari similitudo, & illatio; quia seruus non est omnino incapax dominii: nam fortasse captus in bello iusto, non perdit statim bona omnia, quæ antea possidebat; nec illa transeunt ipso facto in dominium capientis personam, nisi bona simul iuste accipiat. Et post seruitutem potest dominium aliquod acquirere; vel ex promissione, seu concessione Domini, vel in aliis casibus; de quibus videri possunt Moderni de Iustitia scribentes. Et ideo ex hac parte etiam deficit illatio: & vera etiam in hoc est sententia Gregorii, rigidiorem esse in hac parte religiosam paupertatem. Ad aliam vero similitudinem ibi inductam, iam dictum est, non recte accommodari ad religiosam traditionem, quia nec per se fundatur in illo donationis genere, neque similis donatio sufficit ad propriam dominii incapacitatem inducendam. Iura denique dicentia, religiosum esse mortuum mundo, loquuntur, vel de obligatione, & affectu, quem religiosus habere debet; de quo maxime locutus fuisse videtur Arsenius ibi citatus: vel si intelligatur illa mors quoad effectus, quos professio religiosa irritat; loquuntur illa iura supposito statu, vt per Ecclesiam instituto, & consummatus est: vnde mors illa ciuilis dicitur, tanquam humano iure inducta.

*Seruus non est omnino incapax dominii.*

*Soluuntur fundamenta contrariæ opinionis. Ad traditionem religiosam nō pertinet paupertas.*

## CAPVT XIII.

### *Qualis sit, & vnde originem traxerit solennitas voti obedientiæ, & aliorum, si quæ alia vota solennia sunt.*

1. TErtium votum religioni essentiale est, votum obedientiæ, vt supra vidimus. Est autem sermo de voto obediendi homini: nam licet fieri posset votum obediendi Deo per seipsum præcipienti, illud nec ad religionis statum pertinet, nec ordinarie consulen-

sulendum est: vt in lib. 2. de Voto c. 3. & 5. attigimus.

De materia votorum.

Est ergo sermo de voto obediendi homini vicem Dei tenenti. Addendumque est, oportere, vt sit votum obediendi in materia non tantum per se necessaria, seu quæ alias sit sub præcepto absque voto, sed etiam in materia consilii, & supererogationis, quæ proprie ad perfectionem pertinet. Supponimusque contra hæreticos materiam huius voti, non solum honestam esse, sed etiam de meliori bono, & sub consiliis Christi contineri; quod suprà circa statum religionis ostendimus. Denique supponimus, votum obedientiæ honeste fieri posse, & extra professionem religiosam, & in illa, ac proinde & simplex esse posse, & solenne. Simplex est omne illud, quod extra professionem religiosam fit; de quo postea in lib. 6. aliqua dicemus. Solenne autem est solum illud, quod fit in professione religiosa communiter in Ecclesia vsitata, & quasi per antonomasiam sic dicta. Quod addo; ad excludendum votum obedientiæ, quod fit à religiosis societatis nõ professis: nam licet coniungatur traditioni religiosæ, simplex est, & non solenne; saltem ex eo capite, quod illa traditio non est absolute perpetua, quia non inducit vinculum indissolubile ex parte vtriusque extremi: vt in cæteris votis explicatum est. Et sic intellecta dicta suppositio, quoad partem affirmantem hoc votum in professione religiosa esse solenne, indubitata est apud omnes, & ex discursu huius capitis manifesta fiet.

Votum simplex obedientiæ non facit professionem.

2. Primus sententiæ assertor.

Quoad aliam vero partem exclusiuam, aliqui censent, etiam ordinationi sacri adiungi votum solenne obedientiæ, cuius sententiæ videtur esse Medina lib. 5. de Contin. c. 10. & 11. & c. 13. Cuius sententiam referens Vazquez tract. de Reddit. c. 1. §. 1. dub. 3. dicit omnes id fateri, quia cum clerici ordinantur, ab eis exigitur, vt promittant obedientiam Prælato suo. Sed in primis non infertur inde illam promissionem esse votum, quia illa promissio nõ videtur fieri Deo, sed homini; verba enim, quibus fit, hæc sunt in Pontificali Romano: *Promittis obedientiam Prælato tuo?* Et respondet ordinandus, *Promitto.* Tantum ergo videtur illa esse quædam humana promissio, cui postea iuramentum adiungitur, quod distinctam obligationem à voto inducit. Deinde esto esset votum, non est, cur vocetur solenne, nisi accidentaliter, quia publice, & cum ritu determinato fit; quia inde non habet vllum effectum moralem, præter obligationem, quam promissio, vel simplex votum inducit.

3. Obedientiæ in materia supererogationis non datur votum solenne.

Ac denique probabile est, non esse promissionem obedientiæ in materia obedientiæ supererogationis, vt sic dicam, sed tantum in materia necessaria; vel quam Prælatus facere potest necessariam ex vi præcepti, etiamsi promissio specialis non interueniret. Additur tamen ad maiorem firmitatem, & ad melius explicandum voluntarium cõsensum in nouam subiectionem, quam clericus Prælato suo offert, & de nouo assumit. Si ergo illa clericorum promissione omissa, votum solenne obedientiæ tantum in professione religionis fit. Vnde propositum dubium nascitur, quidnam solennitas illa sit; & consequenter, vnde sit? Ratio autem dubitandi peculiaris nobis est, quia nos hanc substantialem votorum solennitatem per aliquos peculiares effectus morales explicamus; quia sine illis nihil in voto solenni inuenimus, quod simplici conuenire non possit. At hoc votum obedientiæ nullum peculiarem effectum habere videtur, præter obligationem obediendi Prælato, quam votum simplex æqualiter inducit; vt in societate videre licet. Ergo tale votum nullam solennitatem peculiarem habet, cum non habeat vllum solennitatis effectum.

4. Ad hanc difficultatem moderni authores, quos hîc, & in superioribus allegaui, nihil respondent, neque huic voto peculiarem effectum moralem attribuunt. Respondeti autem potest, votum hoc peculiarem effectum habere, quem votum simplex obedientiæ facere non potest, nimirum, quia ita subiicit voluntatem vouentis Prælato, vt sine illius consensu inefficax sit ad omnem ciuilem, vel naturalem obligationem, per contractum, vel quemcunque alium modum contrahendam. Hanc esse conditionem religiosi professi, tradunt Innoc. in c. *olim.* 2. de Priu. Abbas in c. *ex rescripto.* de Iureiur. not. 3. & ibi Felin. qui alios refert. & Host. lib. 3. sum. tit. de Fideiuss. §. *pro qua.* v. *& quia.* Et Iason. in l. *si id, quod.* n. 1. ff. de condict. indebit. v *& quia.* Nauar. lib. 1. Cons. tit. de Pactis cons. vlt. n. 4. & 5. Qui authores etiam sentiunt, hunc effectum prouenire ex voto obedientiæ. Fundantur enim in hoc, quod regularis renunciat voluntati sue, ita vt nec velle, nec nolle habere dicatur, in c. 2. de testam. in 6. c. vlt. de sepult. in 6. c. *quorundam.* & c. *si religiosus.* de Elect. in 6. Hæc autem renunciatio, & abdicatio propriæ voluntatis per votum obedientiæ fit, iuxta verba Augustini in regula Monacharum, alias epist. 109. quæ referuntur in c. *Non dicatis.* 12. q. 1. *Nostræ congregationis fratres, non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis in ipsa ordinis susceptione renuntiauerunt, & se promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperiis, Christo, & pro Christo subdiderunt.* Est ergo ille effectus à voto obedientiæ.

*Aliqui opinantur in hoc consistere, quod votum obedientiæ ita subiicit voluntatem prælato, vt sine illius consensu ineffic ex sit ad omnẽ ciuilem, vel naturalem obligationem quocunque mõdo contrahendam.*

5. At vero simplex votum obedientiæ talem effectum non habet ex vi solius obligationis suæ naturalis, quia solum inducit simplicem obligationem promissionis parendi prælato, quæ non est sufficiens ad irritandam voluntatem se obligandi alteri in materia non contraria priori voto, aut suæ regulæ, vel iure acquisito religioni, seu prælato eius; quia vbi non est naturalis repugnantia, non est, cur vnum ex sola rei natura aliud destruat. Adde, quod votum obedientiæ per se non obligat ad nullam promissionem faciendam de re honesta; & alias nec per regulam, nec à Prælato prohibitam. Sicut de voto dixi lib. 3. de Voto. c. 5. Nam est eadem ratio. Ergo ex hac etiam parte talis obligatio valida est. Imo quamuis vouere, vel promittere, esset à prælato prohibitum, nihilominus factum ipsum non esset per se irritum, nisi hoc antecedenter fieret; quod an possit ab ordinario prælato religioso fieri, incertum est; iuxta dicta in citato lib. 3. c. 3. & infrà tractabitur. Ergo ille effectus, de quo agimus, prouenit ab aliqua solennitate tali voto addita, vel potius virtus, & efficacitas ipsi voto adiuncta est solennitas eius, seruata proportione ad ea, quæ de aliis votis diximus.

6. In hoc autem modo explicandi huius voti solennitatem, difficultas occurrit; quia fundamentum, quod sumitur, non est certum, nec sufficienti iure, aut ratione fundatum. Nam in primis Panorm. i. p. Consil. in 104. (si est eius, vertitur enim in dubium) referens prædictam opinionem, illam reprobat, quoad illam partem de obligatione naturali, dicens, posse religiosum obligari naturaliter, quia æquiparatur seruo; iuxta doctrinam Innoc. in d. cap. *cum olim.* quam probat Bart. in l. 1. cum aliis. ff. de stipulat. seruorum. Et seruus potest naturaliter obligari sine licentia Domini, iuxta leg. *naturaliter.* & l. *si id, quod.* ff. de condicti. indeb. vbi Bart. id notat. Veruntamen nec hoc fundamentum satis firmum apparet, quia non est necesse, illam æquip[illegible]onem, in omnibus obseruari. Tum, quia, vt sup[illegible] Gregor. lib. 4. epist. 44. constat, strictior est seruitus religiosa, quam pœnalis, seu temporalis. Vnde in hac parte illa potest esse rigorosior, quia iura hoc concedunt seruo, non autem religioso. Tum etiam, quia multa licent seruo sine licentia Domini, quæ non licent

licent religioso sine licentia Prælati, & è conuerso. Nihilominus Nauar. Comment. 2. de Reg. n. 42. in hanc sententiam inclinans, dictam rationem Panormit. confirmat; quia nulla lex magis videtur resistere obligationi monachi promittentis, quam serui, vtique, quantum est ex parte voluntatis vtriusque, & supposita materia capaci, id est, honesta, & neutri in particulari prohibita. Deinde, quoad obligationem naturalem addit optimam confirmationem, quia religiosus per votum naturaliter obligatur Deo; ergo non omnino caret voluntate ad se obligandum; ergo etiam obligatur, promissione facta proximo de re sibi libera, & honesta, vt esse potest; imo etiam de meliori bono, & consilii opere: vt est seruare secretum, offerre sacrificium pro amico, rem mutuo acceptam reddere, vel soluere, & similia.

7. Addo præterea, nullum esse ius positiuum, quod huic obligationi resistat, seu illam irritet; ergo ex natura rei non irritatur per solum obedientiæ votum, vt iam ostensum est: ergo non est, cur religiosus dicatur inhabilis ad contrahendum, vel imponendum sibi huiusmodi obligationem propter obedientiæ votum. Maior probatur, quia illa generalia iura, quæ allegantur, dicentia religiosum non habere velle, nec nolle, & similia, non docent, religiosum non posse quidpiam licite aut valide velle promittere sine consensu Prælati, sed contra illius voluntatem, vel independenter ab illa: vt late dixi in d. lib. de Voto. c. 5. n. 7. Vnde iura citata solum requirunt positiuum consensum Prælati; quando materia circa quã religiosus aliquid promittit, acceptat, vel disponit ex natura sua, vel ex instituto, ac regula religionis, vel ex obligatione aliorum votorum, licentiam Prælati postulat: vt patebit attente legenti d. cap. 2. de Testamentis in 6. & cap. vlt. de sepult. eodem libro. Et specialiter notari potest d. cap. *Si religiosus.* de Elect. in 6. ibi: *Consensus sic præstitus* (vtique sine licentia Prælati) *non teneat.* Et infra: *ipso facto viribus vacuatur omnino.* Nam his verbis aperte indicatur irritationem fieri per illam legem, & antea non fuisse ex vi solius voti obedientiæ. Item, cum irritatio specialiter ibi adiungatur, satis significatur, non esse vniuersalem. Tandem addit Nauarrus alias congruentias valde probabiles; quia irritatio tam vniuersalis, nec necessaria est, nec decet statum religiosum. Nam sine naturali obligatione vix potest humanus conuictus consistere; & ideo vix reperietur religiosus, qui si rem aliquam promittat, quam sine licentia prælati honeste facere possit, non se sentiat ad implendum promissum obligatum: imo si necessaria ei fuerit licentia ad opus præstandum, & sub illa conditione expressa, vel tacita promisit, licentiam petere tenebitur; & illa concessa tenebitur implere promissionem: nam si negetur, ipso facto ruet obligatio.

8. *In quo consistat solennitas huius voti.* Veruntamen licet hæc posterior sententia, quoad hanc partem vera sit; nihilominus non obstat, quominus per illum effectum solennitas voti obedientiæ explicari possit, qui consistit in eo quod vouens se non possit firmiter obligare absque consensu prælati, vt ex dictis constat. Primo quidem, quia licet demus religiosum posse naturaliter obligari, saltem non potest obligari ciuiliter: nam in hoc omnes cõueniunt, & ex iuribus dictis, & exemplo serui confirmari potest, & latius inferius circa professionem religiosam tractandum erit: hic autem effectus moralis est, & à voto obedientiæ ducit originem, & non ratione solius promissionis; ergo ratione solennitatis. Deinde licet religiosus possit valde naturaliter obligari; non tamen firmiter, neq; irreuocabiliter, quia potest à prælato eius obligatio irritari: sicut de votis religiosorum docuit D. Thomas, & nos cum illo, in d. lib. 3. c. 5. & latius in lib. 6. c. 7. Quam doctrinam merito extendit Nauarrus supra, ad promissionem, & obligationem naturalem religiosi factam homini, & sane merito. Nam si tanta est potestas Prælati religionis in voluntates subditorum, vt etiam obligationem Deo factam, pro suo arbitrio possit auferre, profecto eandem, vel maiorem habet ad irritandum omnem aliam obligationem, quam quouis modo religiosus sua voluntate cõtraxit. Probatur illatio, quia omnis irritatio ex eodem genere potestatis, & dominationis nascitur: tum quia etiam naturalis obligatio homini facta, est obligatio in conscientia, & potest esse occasio peccandi, vel impedimentum perfectionis: & ideo conuenientes fuit, totam illam sub Prælati potestate constitui.

*Prælatus potest irritare subditorum vota & promissiones.*

Hæc autem potestas specialis Prælatorum, & subordinatio ex parte subditorum, seu impotentia ad se obligandum firmiter, seu independenter à voluntate superiorum, ex voto obedientiæ oritur, & in religione fit cum peculiari modo, & efficacia: ac proinde per hunc effectum recte voti huius solennitas declaratur. Probatur hæc vltima consequentia, quia simplex obedientiæ promissio per se non inducit tantam subiectionem, & dependentiam in vouente, nec dat tantam potestatem illi, cui obedientia promittitur; sed huic dat tantum potestatem præcipiendi, & illi imponit obligationem obediendi in his, quæ præceperit, intra latitudinem materiæ talis voti, seu promissionis. At vero potestas irritandi omnem obligationem subditi, longe maior est, & non est per se tantum connexa cum potestate præcipiendi: ergo non sequitur ex vi voti simplicis obedientiæ: ergo pertinet ad peculiarem proprietatem, à qua votum illud talem efficaciam habet; & consequenter in illa consistit talis voti solennitas.

9. *Votum sim plex obedientiæ non inducit tantam subiectionem, & dependentiam in vouente.*

Sed adhuc superest difficultas in hoc modo explicandi solennitatem huius voti per hunc effectum. Nam in primis, quod religiosus non possit se ciuiliter obligare alteri, vel non prouenit ex voto obedientiæ, sed ex eo, quod in religioso non inuenitur materia talis obligationis: vel quatenus oriri potest ex voto obedientiæ, non est ratione alicuius peculiaris proprietatis, vel solẽnitatis eius, sed ex mera obligatione talis voti. Explicatur, & probatur; quia omnis obligatio ciuilis, aut est realis, aut personalis. Prior versatur circa bona externa, & temporalia; & ideo impotentia illa se obligandi realiter, in religioso prouenit ex voto paupertatis, quia non habet bona, ad quæ præstanda se obligare ciuiliter possit. Posterior autem obligatio cadit in ipsam personam religiosi, & actiones eius: & quia per votum obedientiæ illas cõstituit in volũtate superioris; ideo non potest illas alteri obligare; quia cum illæ obligationes sint repugnantes, prior efficacior est, & alteri resistit; non ex peculiari solennitate voti, sed ex pura obligatione, quam, vt votum est, induxit. Et ita hunc effectum declarant Innocentius, & alii, in dicto capite *cum olim.* 2. de Priuileg. & in cap. *in præsentia.* de Probation. & Bart. in l. *si communis seruus.* ff. de stipulat. seruor. Panorm. in Conf. 88. p. 1.

10. *Difficultas circa positam solennitatem obedientiæ.*

Deinde, quod naturalis obligatio non sit omnino firma, sed à Prælato irritari possit, iuxta duos irritationis modos, ex diuersis causis prouenire potest. Vna est enim irritatio indirecta, quæ fit ex parte materiæ: & hæc in obligatione reali prouenit ex voto paupertatis; in personali autem prouenit ex voto obedientiæ: & ad hoc sufficit simplex obedientiæ votum, ratione cuius possit prælatus illam materiã prohibere, vt cum D. Thoma, & communi dixi in d. lib. 6. de Voto cap. 7. n. 1. Alia est irritatio directa, quæ fit reuocando, & quasi infringendo voluntatẽ eius, qui se obligauit. Et hoc etiam modo possunt superiores Religionum, subditorum vota irritare: vt in d. cap. 7. ostendi.

11. *Irritatio duplex est, directa, & indirecta.*

ostendi. Et eadem ratione possunt omnem aliam naturalem obligationem tollere, vt dictum est. Non videtur autem hæc potestas fundari in voto obedientiæ secundum se spectato, ac subinde non potest votum inde solennizari. Consequentia videtur clara, & antecedens probatur; quia illa potestas irritandi vota & obligationes subditorum, prouenit ex potestate dominatiua, quam Prælatus habet in religiosos sibi subditos. Illam autem potestatem non habet ex voto, quia per votum non fit donatio, sed promissio; ergo ex viillius non acquiritur dominiũ, seu dominatiua potestas. Sicut seruitus non inducitur per promissionem, sed per realem traditionem, veluſtam captionem personæ. Ita ergo in præsenti, si prælatus religionis talem potestatem dominatiuam habet in voluntates subditorum, vt verè habeat, non illam accepit per votum obedientiæ, sed per traditionem, quam religiosus facit, vt suprà dictum est. At votum non solennizatur formaliter per traditionem vt in aliis dictum est; & de hoc videatur eadem ratio, quia traditio, & votum tantum concomitanter se habent: & efficacia dandi talem potestatem, non est in ipso voto, sed in traditione.

12. Ad hoc autem respõderi potest, votum obedientiæ non distingui à traditione sui, quam religiosus facit religioni: tum, quia per traditionem fit præcipua abnegatio propriæ voluntatis, quæ fit etiam per votum obedientiæ; iuxta illud Gregorii lib. 6. in prim. reg. cap. 2. *Per altas virtutes nostr. a Deo impendimus, per obedientiam nosmetipsos exhibemus.* Et illud lib. 35. Moral. in Iob. cap. 12. *Per obedientiam propria voluntas mactatur.* Tum etiam, quia non oportet plura vincula multiplicare; alias religiosus inobediens dupliciter peccaret, & contra iustitiam ratione traditionis, sicut peccat seruus non parendo domino, & contra religionem ratione voti, quod non videtur admittendum: vt Soto insinuat lib. 7. de iustitia q. 2. a. 3. ad 1. in fine. Nihilominus hæc responsio falso nititur fundamento: nam supponimus in professione religiosa, præter traditionem, verum, ac formale votum obedientiæ fieri; quod infrà ostendemus. Votum autẽ, cum essentialiter sit promissio, non potest esse traditio, nec illam essentialiter includere, licet cum illa fiat, vt suprà lib. 1. & in 2. tom. de Virtut. religionis. lib. 1. cap. 14. probatum est. Et rationes ibi factæ æquè in voto obedientiæ procedunt. Nec superfluè additur votum obedientiæ traditioni religiosæ, etiamsi ex vi traditionis religiosus iam non sit sui iuris, & illi, cui se tradit, parere teneatur. Nam in primis traditio facta religioni specialius consecratur Deo per obedientiæ votum: nam cum traditio immediatè fiat homini propter Deum, & ad obsequium Dei, per votum quasi eleuatur, vt sit quasi spirituale holocaustum ipsi Deo oblatum. Deinde traditio firmatur per votum: nam addit illi specialẽ obligationem fidelitatis Deo debitæ; quam traditio per se non induxit. Nec est inconueniens admittere duas malitias in actu contrario obedientiæ Prælati, vnam contra hominem, & aliam contra Deum: nam id sentit D. Thomas 2.2. q. 88. a. 3. ad 1. dicens, votum obediendi prælatis supponere promissionem humanã ad Deum, vel traditionem factam prælato, & supra illam cadere votum. Ac subinde concedit ibi duas obligationes diuersarum rationum. Vnde fit in transgressione contraria esse duas malitias; vt ibi Caietanus animaduertit, & Soto admittit in eodem articulo sufficienter locutus est; solùm enim negat, peccando contra obedientiam prælati, peccari simul contra virtutem specialem temperantiæ, v. g. vel aliam similem, quod alterius considerationis est, quam infrà disputando de peccatis religiosorum tractaturi sumus.

13. Suppositа ergo distinctione inter traditionem religiosi, & votum obedientiæ, videtur consequi ex dictis, in hoc voto admitti posse illorum Doctorum sententiam, qui dixerunt, votum solennizari per traditionem, tanquam per formam illi moraliter coniunctam. Nam omnis impotentia, quæ in voluntate religiosi inuenitur ad firmiter se obligandum, nascitur ex traditione sui in potestatem prælati, sub quo, tanquam pupillus sub tutore constituitur. Et quia hæc traditio licet per votum formaliter non fiat, per illud perficitur, & roboratur: ideo tale votum, quia supra talem traditionem cadit, per illam solennizari dicitur. Vnde inferunt aliqui, solennitatem huius voti esse de iure naturali, & diuino; quia si traditionem consideremus, ad illam ex natura rei, ac proinde ex iure diuino, ac naturali sequitur impotentia illa voluntatis religiosæ ad firmiter se obligandum. Deinde, si votum spectemus, habet hanc proprietatem specialem, quod cadit in ipsam traditionem, quam religiosus facit prælato; & ideo iure diuino obligatur ad implendam illam, & quasi virtute continet illam, & ab illa solennizatur; & ita virtute illius ex natura rei reddit voluntatem vouentis inefficacem ad se obligandum firmã obligatione, id est, non reuocabili, seu irritabili à prælato, & ita specialius, quàm cæteri videtur sentire Aragon. 2.2. quæst. 88. a. 8. dub. 1.

*Aliqui dicunt votum obedientiæ per traditionem solennizari.*

14. Ego verò ad hanc rem explicandam, in primis dico, traditionem religiosam etiam voto obedientiæ firmatam, non habere ex solo iure naturæ, & sine adminiculo iuris canonici, vim ita subiiciendi voluntatem religiosi voluntati prælati, vt reddatur impotens ad validè, & firmiter se obligandum sine consensu prælati. hanc assertionem indicat Richard. in 4. dist. 38. art. 4. quæst. 1. Ait enim religiosum nullum votum validum posse emittere sine licentia prælati; quia per Ecclesiam illi est prohibitum. In quo licet falsum asserat, omne votum religiosi esse inualidum simpliciter: nihilominus in quantum illam assertionem reducit ad ius positiuum Ecclesiæ, satis indicat, etiam quamcunque infirmitatem (vt sic dicam) illius voti, in ius positiuum Ecclesiæ reducendam esse. Et eodem modo induci possunt pro hac sententia Angel. verb. *votum.* 2. num. 2. Rosel. verbo *votum.* num. 14. Sumitur etiam ex Iurisperitis asserentibus, religiosum non posse voto se obligare: nam in hoc præcipue fundantur, quòd ius illis resistit, vt videri potest in Panormitano, & aliis in principio capitis allegatis. Et licet etiam dicant, non posse vouere, quia non habent velle, aut nolle, id solum confirmant ex legibus canonicis, vt Panormitanus in cap. vlt. de Voto. num. 3. & alii suprà allegati. Denique idem docui in d. lib. 6. de Voto cap. 7. Et quoad obligationem ciuilem videtur per se clara; quia ipsamet ciuilis obligatio quoad institutionem, & substantiam suam (vt sic dicam) est de iure humano: vnde incapacitas illius eiusdem est iuris. De naturali autem obligatione suaderi potest, quia traditio religiosa cum voto obedientiæ non irritat vota; vel alias naturales obligationes religiosorum ipso facto ex iure naturæ. Ergo nec faciunt illa directe irritabilia ex natura sua. Antecedens probatur, quia iuxta veram sententiam traditam lib. 3. de Voto. cap. 5. nunc talia vota sunt valida, & obligant, donec irritentur; ergo non irritantur ipso facto iure naturæ. Nec in hoc à nobis dissentiunt, qui putant talia vota à principio esse inualida: nam ipsi etiam hoc referunt in humanam institutionem, vt dixi. Consequentia verò probatur, quia licet aliud sit irritare, quàm infirmare ipso facto obligationem, non est tamen maior ratio ad vnum, quàm ad aliud asserendum. Primò, quia non habet vnum maio-

*Assertio prima Traditio religiosa etiam voto obedientiæ firmata, non habet ex solo iure naturæ absque adminiculo iuris canonici, vim prædictam.*

rem connexionem intrinsecam cum professione religiosa, quàm aliud.

15. Secundo, quia vtrumque prouenire debet ex potestate, quasi dominatiua, quam ex natura rei acquirit Prælatus religionis supra ipsam voluntatem religiosi, & actus eius. Vnde si homo sua priuata voluntate potest alteri illam subiicere, & donare, vt quidquid ipse postea velit facere, vel promittere, possit alius irritare, ea ratione poterit illam alteri tradere, vt quidquid obligationis sibi imponere intentet, sine Prælati obligatione, sit irritum, & inane. Et consequenter dicendum esset, talem esse traditionem religiosam; quia re vera erit magis perfecta, & religiosus intendit illam facere perfectam, quantum ex natura rei potest. Multo ergo verisimilius videtur, neutro modo fieri posse, vt homo ratione vtens se priuet potestate se obligandi firmiter ad ea, quæ iuste, & honeste facere potest, solo suo arbitrio, & authoritate se priuando dominio suæ voluntatis, quoad hanc partem, & illud in aliud transferendo: quando ergo religiose fit, sine adminiculo, & fauore legis Ecclesiasticæ non fit. Antecedens non potest euidenter probari, (quantum ego assequor) est autem per se verisimillimum; quia res est grauissima, & valde præternaturalis, & exposita mul is litibus, & fraudibus, nisi authoritate publica roboretur. Et ita videmus, nec in ciuilibus, nec in Ecclesiasticis introductum, inuenire tale genus dependentiæ vnius voluntatis personæ iam vtentis ratione ab alia sine Reipublicæ, vel Ecclesiæ authoritate: vt constat in ciuilibus de voluntate minoris filii respectu parentis; vel pupilli respectu tutoris: & in spiritualibus in abrenunciatione voluntatis, de qua tractamus; semper enim ab authoritate Ecclesiæ, ciusque approbatione pendet.

16. Dices, vbi sunt Ecclesiastica iura, in quibus hic effectus fundetur, seu instituatur? Item, si hic effectus non sequitur ex natura rei ex efficacia voluntatis propriæ personæ se alteri tradentis, non videtur summum Pontificem illum introducere posse, seu instituere: quod si Pontifex non potest, non est in Ecclesia talis potestas, vt per se patet. Antecedens liquet, quia Pontifex non habet potestatem irritandi fidelium vota, (vt suppono;) ergo per solam potestatem iurisdictionis non potest talem irritationem introducere, infirmando vota religiosorum, vel eorum voluntatem, quoad hanc partem inhabilitando. Denique retorquemus argumentum suprà factum; quia si Ecclesiæ institutione factum est, vt professio religiosa hunc habeat effectum, etiam potuisset instituere, vt voluntas religiosi non esset capax illius obligationis naturalis, etiam irritabilis, sed vt ipso facto esset irrita: vnde ergo constat, hoc potius, quam illud instituisse. Cum igitur hoc ostendi non possit, neutrum illi est tribuendum, cum probabilius credamus non omnes obligationes religiosorum ipso facto irritasse.

17. Ad satisfaciendum primæ interrogationi, aliqui allegant cap. *Monacho* 20. quæst. 4. sed illud caput parum probat: vt notaui in lib. 3 de Voto. cap. 5. Alii præcipue fundant hunc effectum in illa regula Canonum, quod *Religiosus non habet velle, nec nolle*: vtique in quo à Prælato non pendeat, vt subiungitur, & tacite exponitur in d. cap. *Si vel gioso.* & indicatur in d. cap. *non dicatis.* Alii vtuntur æquiparatione serui, qui licet possit naturaliter obligari, non tamen ita firmiter, quin possit dominus eius obligationem irritare. Hoc tamen non est certum, si tamen verum est, satis est commoda æquiparatio. Addi etiam potest, modum, & effectum religiosæ professionis nunquam fuisse in Ecclesia sine aliqua eius approbatione, & confirmatione: per quam etiam huic modo contrahendi inter religiosum, & religionem, vel prælatum, dat robur, & authoritatem, sine qua efficax non fuisset; & ita hoc Ecclesiasticum ius, seu institutio eiusdem Ecclesiæ traditione sufficienter ostenditur.

*Vide iura ciuil.a.*

Ad secundum respondemus, negando consequentiam: nam etiam Pontifex non potest irritare matrimonium factum; & tamen antecedenter potest conditiones tradere, sine quibus matrimonium irritum sit. Idemque inuenietur in professione religiosa, & in aliquibus votis simplicibus. Ratio vero est, quia difficilius dissoluitur vinculum semel factum, & validum, quam impeditur, ne fiat. Item, quia irritatio voti iam facti non est actus propriæ iurisdictionis, sed dominii, seu iuris paterni. At vero modum contrahendi determinare, & gradum etiam obligationis, vel acquisitionis dominii præscribere, est actus iurisdictionis, & superioris potestatis, quæ in hoc particulari effectu, non est, cur Ecclesiæ denegetur. 18.

Vnde ad tertium fatemur habere Pontificem potestatem approbandi institutum religiosum, in quo ex vi professionis impediantur voluntates religiosorum, vt valide se obligare, aut vouere possint; sintque talia vota non solum infirma, sed etiam irrita. Nihilominus tamen non credimus id fecisse; quia canones id non declarant, & suauius explicantur, ac sufficienter de irritabilitate obligationis potius, quam de irritatione. Item, quia communis vsus, & consensus religionum ita explicat hunc effectum. Item, quia illa irritatio esset nimia, & (vt sic dicam) inhumana subiectio, statui religioso minime necessaria, imo neque conueniens: altera vero moderatior est, & illi statui conuenientissima. Vnde potest argumentum illud retorqueri. Nam si hic effectus est quasi naturalis, ex vi traditionis fieret in summo gradu, seu quantum possibilis est; quia causæ naturales agunt, quantum possunt, & quia voluntates priuatarum personarum, in hoc non discernunt, sed se tradunt, quantum possunt simpliciter, & absolute, si hoc non pendet ab institutione, & approbatione Ecclesiæ. Vnde, quia hic effectus ab institutione, & approbatione Ecclesiæ fit, habet locum discretio: & ideo non cum summo rigore, sed cum conuenienti moderatione hanc efficacitatem instituit, & professioni religiosæ tribuit. 19.

Dico secundo. Ecclesia nunquam tribuit hanc vim vel soli voto obedientiæ separatim à traditione facto, nec soli traditioni per se sumptæ, sed vt confirmatæ per votum obedientiæ, & principaliter propter illud. Ideoque dicta solennitas per Ecclesiam introducta, & efficacia subiiciendi voluntatem religioni in tali gradu, & tali modo posita, ipsi voto obedientiæ principaliter attributa est. hæc tota assertio est conformis authoribus allegatis. Et prima, & secunda pars eius videntur notæ ipso vsu, & traditione Ecclesiæ; quia Ecclesia nunquam hoc instituit, aut probauit, nisi in statu religioso: hic autem status non subsistit sine obedientiæ voto, vt suprà ostensum est; nec etiam constituitur ille status sine traditione, nec fortasse potest sine illa subsistere, saltem in completo gradu perfectionis. Et si forte aliquando extitit sine tali traditione, non constabat votis solennibus, sicut nunc constat, vt postea dicemus. Ergo votum obedientiæ non habet illam efficaciam, nec solennitatem, nisi traditionem religiosam supponat, & super illam cadat: nec è conuerso traditioni per se spectatæ tanta perfectio, vel efficacitas data est. Vnde pars assertionis vltima, in qua huius puncti resolutio consistit, facilè suadetur; quia hic effectus proprius est rel giosæ profesionis, in qua traditio est quasi materiale, votum autem est veluti 20.

*Assertio secunda. Dicta vis, & solennitas nunquam fuit ab Ecclesia aliqui obedientiæ, aut soli traditioni per se sumptæ, sed principaliter voto.*

veluti formale, quod non solùm firmat obligationē parendi religioni, sed etiam illam complet, & maximè Deo consecrat, ideoque illi principaliter tribuitur abnegatio voluntatis: vt ex Augustino, & Gregorio iam retulimus; & sumitur etiam ex Basilio, in regul. fusi. disputat. reg. 6. & 8. & idem tradunt omnes Patres de statu religioso scribentes, vel regulas eius tradentes. Ergo meritò dicta efficacitas voto obedientiæ tribuitur; & illa eius solennitas constituitur.

Vnatantùm superest difficultas; quia inuenitur votum obedientiæ traditioni religiosæ coniunctum, & eandem habens efficacitatem ita subordinandi voluntatem vouentis prælato, vt sine illius consensu non possit firmiter obligari; & nihilominus non est votum solenne obedientiæ: ergo istius voti solennitas non in illa proprietate consistit. Antecedens ex voto obedientiæ scholarium, & Coadiutorum Societatis sesti verificatur, vt nunc suppono. Consequentia verò nota videtur; quia non potest forma inesse alicui, quin illum formaliter denominet. Ergo illa est proprietas, & solennitas voti obedientiæ, omne votum illam habens erit solenne. & è contrario si aliquod votum obedientiæ illam proprietatē habens, non est solenne, signum clarum est, non esse illam voti huius solennitatem. Hæc autem difficultas iam in superioribus est in similibus expedita; concludit enim, totam solennitatem huius voti non consistere in sola proprietate iam dicta nudè, & præcisè sumpta; sed includere, vel supponere traditionem absolutè perpetuam cum vinculo, & obligatione irreuocabili ex vtraque parte, vtique religiosi, & religionis, ita vt illa proprietas vel sit talis forma, quæ non det voto illam denominationem solennis, nisi perpetuum sit; necipsa sit solennitas, nisi in ordine ad illud. Sicut curuitas non est similitas, nec dat illam denominationem, nisi tali materiæ, scilicet, naso: & effigies monetæ non dat illam denominationem, nec valorem, nisi tali materiæ, v.g. argento. Vel certè, vt solennitas huius voti non sit tota huius voti solennitas, sed consummet, seu integret illam simul cum absoluta voti perpetuitate. Vel denique, quia quando supponitur traditio vtrinque irreuocabilis, votum etiam habet efficaciam ad introducendam incapacitatem perpetuam: votum autem simplex Societatis non inducit illam absolutè perpetuam, & ideo nō est moraliter ita efficax, ideoq; non est solenne: sicut in aliis declaratum est. Vbi etiam est ostensum, quomodo talis perpetuitas ex vsu canonum, & communi modo sentiendi ad substantialem solennitatem voti necessaria sit.

Hic verò restabat quæstio, an præter hæc vota sint alia solennia propria, & peculiari solennitate substantiali: In quo habemus generalem doctrinam D. Thomæ 2.2. quæst. 88. art. 7 ad 2 & 3. dicentis, non omnia vota esse apta, vt solennizentur: nam temporalia vota, & particularia, quæ sunt de particularibus actibus, vt votum peregrinationis, vel similia, non solennizantur, sed illa tantùm, quæ perpetua sunt, & quodammodo vniuersalia; quia per illa totaliter se homo subiicit diuino obsequio. Et rationem reddit, quia solennitas non solet adhiberi, nisi mutationi, seu assumptioni status, vel simili mutationi stabili, ac perpetuæ. quæ doctrina intelligenda est de solennitate substantiali, vt ipse indicat in solutione ad 3. Nam accidentalis, & externa aliis etiam contractibus, & votis etiam simplicibus adhiberi potest, & interdum ita fit, vt in superioribus tactum est. Iuxta verò communem, & antiquam Ecclesiæ morem, & ordinarium ius, sola illa tria vota solennizari consueuerunt. Et ita dixit Durand. in 4. dist. 38. quæ. 1. num. 8. vota solennia tantùm esse circa illas tres materias, nempe castitatis, paupertatis, & obedientiæ; & ita loquuntur alij antiqui, sed intelligendi sunt de facto, & pro suis temporibus, non de possibili. Sicut etiam (quod notandum est) solum votum castitatis clericorum in sacris solet separatum ab aliis solennizari; quia eius solennitas minor quodammodo, magisque accidentaria censetur. At verò reliqua tria vota religionis, non tantùm sola ipsa solennizari consueuerunt, sed etiam non solennizantur, nisi simul; nec potest vnum sine aliis solennizari secundùm ordinarium ius, quia nullum illorum solennizatur, nisi in professione religiosa: professio autem religiosa sine tribus votis valida esse non potest. Et hoc est nouum, & optimum signum, quòd tota hæc solennitas sit ex Ecclesiæ institutione: nam sine dubitatione potuisset vnum illorum votorum, præsertim castitatis sine aliis solennizari; non solùm in sacri ordinis susceptione, sed etiam in aliis viuendi modis suo modo perpetuis, & stabilibus, si Ecclesia ita instituere, & approbare voluisset. Quid enim impedit? aut quæ repugnantia in ea re cogitari potest? Certe nulla. Et fortasse aliquando ita vsitatū fuit, vt postea videbimus. Simili ergo modo, licet tātùm illa tria vota vsque ad nostra tempora solennizari cōsueuerint, quia illa sola ad religiosum statum constituendū sufficiunt; nihilominus nō repugnat, alia solennizari. Et in religione Patrum Sancti Francisci de Paula, Minimorum appellata, additur in professione quartum votum perpetuæ abstinentiæ quadragesimalis quod solene esse indicatur, cùm quartum votum appellatur. Et ita illud appellāt Palacios in 4. dist. 38. disp. 2. & Azor d. lib. 12. c. 6. q. vlt. Hoc autem posito, in quo eius solennitas consistat, illius institutī professores meliùs explicabūt. In professione item solenni, quæ in societate fit, quartum votū speciale obedientiæ ad summum Pontificem in Missionibus acceptandis, & obeundis additur: quod votū tam in constitutionibus Societatis, quàm in Bullis Pontificiis solenne appellatur. In quo autē eius solēnitas cōsistat, illud institutū explicādo tractabimus.

*Tria vota religionis simul debēt solennizari in professione.*

*Præter tria alia etiam vota possūt solēnizari.*

## CAPVT XIV.

### *Vtrùm solemnitas propria trium votorum essentialium, sit etiam de substantia & essentia religiosi status.*

HAnc quæstionem simplici assertione superiùs in ca. 6. huius libri ad finem definiuimus; quia verò illam radicitus explicare, & probare, non intellecta trium votorum solennitate, nō poteramus, ideo circa illius declarationem, in præcedentibus capitibus, & ipsis nondum explicatis, cum aliqua fortasse præmatura anticipatione, necessitate coacti, immorati sumus: ideoque ad illam examinandam, & probandam, nunc reuerti necesse est. Nam vsque ad tempora nostra, & Gregorii XIII. Pontificis Maximi, multorum opinio fuit, sine illis tribus votis solennibus, propriè, & substantialiter statum religiosum subsistere non posse ac subinde illam solennitatem esse de essentia religiosi status; sub essentia nunc comprehendendo quidquid ad illius status constitutionem simpliciter necessarium est. Soletque hæc opinio tribui D. Thomæ 2.2. quæst. 184. art. 5. qui locus nō cogit, vt iam vidimus: citatur etiam in q. 189. a. 2. ad 1. vbi ait, *duplex esse votum religionis, vnum solenne, quod hominem facit monachum, vel religiosum; aliud simplex, quo nō sit aliquis monachus, vel religiosus, sed solùm obligatur ad religionis ingressum.* Qui etiam locus non omnino cogit; quia non loquitur D. Thomas de omni voto simplici, sed de illo, quo de futuro promittitur religionis ingressus, de quo clarum est, non posse religiosum constituere; sicut votum castitatis nō facit castū: nec etiam dicit, votū solenne esse necessarium

*Vsque ad tempora nostra fuit multorum opinio, sine votis solennibus non posse consistere religiosum statum.*

ad religiosum constituendum; sed solùm dicit, per vota solennia fieri hominem religiosum: vnde non sequitur, aliter fieri non posse. In hoc autem videtur fauere D. Thom. quòd tantùm illa duo membra distinguit, & ita non agnoscit tertium genus votorum, quæ solennia non sint; nec tantùm simplex de futuro statu, sed simplicia constituentia religiosum. Dici tamen potest, D. Thomam illa omisisse, quia suo tempore non erant in vsu; & quæstionem de possibili non disputabat. Allegari etiam solet in eadem 2.2. q. 188. art. 7. in corpore, & ad 2. quatenus ait, solennitatem adhibendam esse voto, quo totaliter homo consecratur; sed non constat, an de substantiali, vel externa, & accidentali solennitate loquatur: nec etiam dicit illam esse necessariam, sed de facto adhiberi, quod fieri potest, quia decet, vel, quia melius est, licet non sit necessarium. Fitque hic sensus verisimilis, quia ibi indifferenter loquitur de voto continentiæ clericorum, & aliis; cùm tamen constet, non fuisse necessarium, vt votum clericorum fuerit solenne illo rigoroso modo, sicut sæpe in superioribus diximus. Itaque in hac re non habemus D. Thomam nobis aduersantem.

*Explicatur D. Thomas & dicendū esse eum de facto, nō de possibili.*

2. Illam verò sententiam videtur supponere Caietanus 2.2. q. 188. art. 1. dum ait, nomine religionis, seu religiosi status præcipue dicti, significari statum personarum tria vota solennia profitentium; & licet addat verba illa, *propriè dicti*, intelligit de proprietate, quæ in vera rei existentia fundatur: nam alios modos viuendi cum illis tribus votis negat esse status religiosos, quia vota illa simplicia sunt. Apertiùs, & constantiùs docuit hanc sententiam Soto lib. 7. de Iust. q. 1. a. 1. & 3. eandemque moderni frequentiùs secuti sunt. Idemque communiter sentire videntur Summistæ verbo *Religio*, & *Religiosus*. cùm propriam religionem dicunt esse communitatem approbatam, in qua fit vera professio cum tribus votis solennibus, vel substantialibus, quod in idem redire videtur; quia iuxta definitionem Bonifacii, vota in tali professione facta solennia sunt. Et sic etiam docuit expresse Nauar. Comment. 1. de Regular. n. 18 24. & 25. agens de voto paupertatis, & addit idem esse de voto castitatis. Vnde pro eadem sententia possunt allegari Innoc. Hostiens. Panorm. & alii in rubric. de Regular. & Felin. in cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ* de Constit. 1. & in cap. *tuanos* de Iur. jur. vide Anchar. in cap. 1. de Regulis jur. in 6. §. *Quod si*. in fin. Et in cap *præsens clericus*. 20. q 3 & Rebuff. in Practic. tit. de Regul. ad prælationis nominationem. §. 1. verb. *Religiosi*. & Iul. l. *inter publica*. 17. ff. de verborum significat.

3. Fundamentum primum huius sententiæ esse potest, idem ferè, quod à prædictis authoribus insinuatur; quia status religionis non constituitur, nisi per tria vota substantialia in professione religiosa facta, sed talia vota sunt solennia: ergo ille status non constituitur, nisi per vota solennia. Maior sumitur ex iuribus dicentibus, habitus non facit monachum, sed professio. cap. *ex parte*. & cap. *porrectum*. de Regular. cap *Religioso*. § *quanuis*. de sent. excomm. in 6. cap. *Beneficium*. de Regulis iur. in 6. & Clemen. 1. de Relig. domib. quæ iura requirunt professionem in religione approbata, vt aliquis verus religiosus constituatur. Et licet non exprimant tria vota, constat, in professione includi. Quòd autem illa vota solennia sint, sumitur ex declaratione Bonifacii, in d. cap. Vnico. de Voto. in 6. vbi votum factum in religiosa professione dicit esse solenne. Secundò confirmatur hoc ratione, quia status religiosus esse debet omnino stabilis, ac immutabilis: sola autem vota solennia possunt hanc stabilitatem statui tribuere; ergo. Probatur minor: tum quia sola vota solennia sunt indispensabilia: tum etiam, quia illa sola sunt omnino absoluta, ita vt nullam conditionem includant, sub qua deficere possint. Tertiò addi potest, effectus votorum solennium videri omnino necessarios ad religiosum statum; ergo & ipsa vota solennia: nam si effectus est necessarius, etiam causa, præsertim si sit adæquata; vt videntur esse solennia vota respectu talium effectuum in subiecta materia. Antecedens ergo probatur, quia matrimonium repugnat statui religionis; quia & repugnat castitati, & abstractioni, & separationi à secularibus curis, quam status religiosus requirit. Idemque cum proportione de paupertate dici potest.

Nihilominus à sententia proposita recedendum non est. Dicimus itaque verum religiosum statum sine votis solennibus, cum simplicibus constitui posse; ac proinde solennitatem votorum non esse de essentia religiosi status. hanc sententiam sequuntur hoc tempore communiter Doctores de hac materia scribentes, vt videre licet in Scriptoribus Societatis, scilicet, Azor. Sancio, Valentia, Plato, & Vasquez. locis suprà citatis: & Lessio lib 2. de Iustitia. c. 41. dub. 1. num. 8. & dub. 8 num. 69 & multis aliis. Et ex sacra Augustiniana familia satis eruditè Basilius Legion. in quæst. sæpe citata. Nec antiqui contradicunt, vt postea ostendam. Imò Caietan. 2.2. quæst. 88. art. 7. in prima opinione, circa finem; & clarius in secunda, in principio, dicit posse Ecclesiam approbare religionem cum professione per traditionem, & vota simplicia. Quin etiam D. Thom. 22 q 186. ab art. 2. vsque ad sextum solùm requirit ad statum religiosum, quòd sit votis firmatum, nulla facta mentione solennitatis. Atq; eodem modo in Opus. 18. de perf. vitæ spirit. c. 11. & 15. ad statum religiosum tantùm requirit oblationem integram sui, & mutationem vitæ voto firmatam. Et in probatione ac discursu totius capitis, in generali voti ratione, abstrahendo à solennitate, fundatur.

4. *Vera sententia. Religiosus status sine votis solennibus, cum simplicibus constitui potest.*

Probatur autem primò assertio nostra; quia status religionis est ex diuina institutione, saltem legis gratiæ, vt libro sequenti monstrabimus. Sed solennitas votorum non est de iure diuino; sed de Ecclesiastico, vt iam ostensum est; ergo solennitas votorum non est de essentia status religiosi. Probatur consequentia, quia si hæc solennitas est iuris humani, poterit per illud ipsum auferri; & adhuc manebit integra institutio diuina; ergo ex vi eius solius poterit status religiosus subsistere, alioqui esset diuina institutio insufficiens. Potestque aliter formari argumentum, quamuis eodem reuoluatur. Nam, qui instituit rem aliquam moralem, instituit saltem omnia, quæ sunt de essentia eius; aliàs simpliciter non institueret talem rem, quia res sine sua essentia esse non potest. Ergo si Christus Dominus instituit statum religiosum, instituit quidquid est de essentia eius; ac subinde quidquid est de sola Ecclesiæ institutione, ad essentiam talis status non pertinet: at solennitas non est de institutione Christi, sed solius Ecclesiæ; ergo non est de essentia talis status. Sic de Sacramentis argumentari solemus: nam quia omnia sunt de immediata Christi institutione, quidquid per solam institutionem Ecclesiæ eis additum est, ad eorum essentiam non pertinet.

5. *Probatur assertio primo.*

Dices, potuisse Christum statum religiosum instituere, quasi generatim, & abstractè, determinationem autem eius Ecclesiæ committere: & tunc talis determinatio non minus essentialis erit tali statui, quàm sint reliqua, quæ generatim sunt de diuina institutione. Sicut sacramentalia generatim sunt de iure diuino; determinatio verò sit per Ecclesiam. Et nihilominus, id quod Ecclesia definiuit vt necessarium ad primam Tonsuram, vel ad benedictionem Chrismatis, aut olei, de essentia est talis sacramentalis.

6. *Instantia contra 1. additam resolutionem.*

talis. Respondeo, duobus modis intelligi posse, statum religiosum tantùm generatim esse de iure diuino. Primò, vt Christus solùm in genere, & quasi in confuso ordinauerit, vt in Ecclesia status religionis institueretur; totam verò eius institutionem, tam quoad essentiam, quàm quoad modum eius, Apostolis, & vicariis suis commiserit. Secundo modo intelligi potest, Christum instituisse hunc statum in particulari quoad essentiam, & substantiam eius, sine qua esse non possit: commisisse autem Ecclesiæ modum, & circumstantias eius; dedisseque illi facultatem definiendi, ac præcipiendi non solùm modum pertinentem ad decentiam, vel solennitatem merè accidentalem contractus, sed etiam ad præscribendum aliquem modum cum tanta necessitate, vt sine illo non possit substantia ipsius status, eiusue obligatio valide fieri. qui modus (vt in superioribus dixi) etiam pertinet ad solennitatem accidentalem, tametsi dici soleat aliquo modo substantialis, quia sine illo res ipsa non subsistit. Vterque igitur ex his modis probabilis est, in vtroque verò habet vim ratio facta, & concludit, quod intendimus.

Nam si priori modo institutio huius status intelligatur, manifestè sequitur posse Ecclesiam instituere statum religionis cum solis votis simplicibus, sicut instituit cum solennibus. Probatur; quia hoc ex solare natura non repugnat statui religioso. Aut enim repugnaret ex sola ratione status, vel ex particulari status religiosi, vt talis est; neutrum dici potest. Ergo. Probatur minor, quia iam suprà ostensum est statum humanum non postulare physicam, aut omnino immutabilem firmitatem, seu stabilitatem, sed satis esse, quòd habeat de se perpetuitatem, & necessitatem moralem permanendi in tali viuendi modo. Et hoc etiam ostendimus sufficere ad statũ perfectionis, si aliquo modo status ipse obliget ad opera perfectionis, vel ad illam tendat, & obliget ad media, quæ ad illam conducant. Et idem est de statu perfectionis acquirendæ, qui est status religionis. Nam etiam repugnat ex iure diuino positiuo; quia in illo modo institutionis, de quo loquimur, iam supponitur Christum non in particulari, sed tantùm in generali hunc statum instituisse, & statim circa secundum modum institutionis, id magis confirmabitur. Ergo ex nullo capite repugnat Ecclesiam instituere statum religiosum cum solis votis simplicibus, sicut instituit cum solennibus. Probatur consequentia, quia Ecclesia potest suam institutionem mutare, vel addere, vel minuere, prout expedire iudicauerit, vt est per se notum. Vnde cùm solennitas votorum ab ipsa addita, & inuenta sit, potuisset vel nunquam illam introducere, vel introductam auferre, vel vtrumque modum status religiosi acceptare, eo quòd hæc varietas pluribus prodesse posset, cũ perfectioni non obstet, & ad decorem Ecclesiæ pertineat, de qua scriptum est ps. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Idem discursus in alio modo institutionis fieri potest. Nam si Christus in particulari instituit statum religiosum, quoad totam essentiam eius in illa institutione non requisiuit, vt vota essent solennia; ergo solennitas absolute non est de essentia talis status. Antecedens probatur argumento facto, quia solennitas substantialis voti non est de iure diuino, sed de sola constitutione Ecclesiæ, vt ostensum est; ergo non est de institutione Christi: ergo non potest esse requisita in votis religionis ex vi institutionis Christi dicto modo factæ: ergo multo minùs potest esse essentialis. Et potest hoc confirmari, quia nec ex historia Euangelica, nec ex aliis vestigiis antiquitatis, vel Apostolicæ traditionis colligi potest talis institutio Christi in particulari; ergo cùm non sit etiam de iure naturali, vt ostensum est, recte concluditur, fuisse inuentum Ecclesiæ, ac subinde sine tali solennitate potuisse non addere, nec postulare in votis religiosis talem solennitatem.

Quo argumento vsus est Greg. VIII. statim citandus, quando contra eos, qui falsò existimabant, religiosos Societatis non emittentes vota solennia, in vero religioso statu constituendos non fuisse, dixit: *Non considerantes voti solennitatem sola constitutione Ecclesiæ esse inuentam.* Nam hinc tacitè infert, quòd sicut potuit Ecclesia approbare religionem cum votis solennibus, ita etiam sine illis. Quæ ratio multo magis procedit de quacunque solennitate accidentali, etiamsi ab Ecclesia posita sit, vt necessaria ad valorem actus: nam potuit vel illam nunquam addere, vel additam tollere, vel in quibusdam religionibus illam exigere, & non in aliis. Nam hæc varietas non repugnat, nec patit confusionem, sed ornat Ecclesiam. Et eo ipso, quòd talis solennitas necessaria sit ex sola institutione Ecclesiæ, ablata necessitate ex eiusdem Ecclesiæ volũtate, actus est validus, & subsistet cũ his solùm, quæ ex natura rei, vel institutione Christi ad illum fuerint necessaria, vt est per se notũ. 9.

Secundò principaliter probatur assertio, applicando simul rationem factam ad antiquum, & modernum Ecclesiæ vsum; & argumentor in hunc modum. Voti religiosi solennitas in duobus consistit. Vnum est, vt traditioni, seu oblationi personæ religiosæ, omnino absolutæ, & ex vtraque parte, scilicet, religionis, & religiosi immutabili, coniunctum sit. Alterum est, vt habeat vim inhabilitandi personam ad effectus morales suprà declaratos; hæc enim duo coniunctim necessaria sunt, & alterum sine altero non sufficit, vt in superioribus declaratum est, & in votis Scholatium, & Coadiutorũ Societatis est manifestum. Sed neutra ex illis conditionibus est de essentia status religiosi; ergo nec solẽnitas ipsa. Consequentia est clara. & maior probata supponitur. Probatur ergo minor, per singula membra discurrendo. Et primò, quòd ille modus perpetui vinculi vtrinq; indissolubilis, essentialis non sit, probatur ratione; quia non est necessarius ex ipsa rei natura, nec ex Christi institutione; ergo nullo modo. Consequentia clara est, quia præter illa iura solùm relinquitur ius Ecclesiæ, quod variari potest: & ideo ex vi illius non potest illa conditio ad statum religiosum essentialis esse, sed ad summum ex suppositione talis iuris; quòd ad essentialem rationem non sufficit; quia mutato illo iure sine tali conditione, poterit status religiosus subsistere, vt ex prædictis manifestum est. 10. *Probatur assertio secundò.*

Probatur ergo prior pars antecedentis de iure naturæ, quia si professio illius status, vt contractus quidam inter religionem, & religiosum consideratur, sicut per consensum voluntarium vtriusque partis factus est; ita potest ex natura rei per contrarium vtriusq; partis consensum dissolui, si aliquod ius positiuum, diuinum, vel humanum illi nõ obstet, quia ex solo iure naturæ nihil est; quod obstet, præsertim, si rationabilis causa intercedat. Si autem vinculum illud consideretur, vt est fundamentum status de se perpetui; sic quidem necessaria videtur ex natura rei obligatio perpetua ex parte religiosi se tradentis religioni; non verò ita est necessaria ex parte religionis acceptantis, quia, quòd donans seipsum religioni, possit reuocare donationem, & est directè contra veritatem, & perpetuitatem donationis; & est contra veram sui abnegationem, & renunciationem sæculi. Non est autem tam necessarium, vt ex parte religionis sit acceptatio omnino irreuocabilis. 11.

Ratio autem est, quia ex parte donatarii, non est contra ius naturæ acceptare donationem sub ea cõditione, vt possit eam relinquere, aut manumittere, si velit. 12.

velit. Vt in seruitute ciuili, vera seruitus est ex parte serui; etiamsi liberum sit domino seruum manumittere, & libertate donare. Ita ergo esse poterit in seruitute religiosa; quia non est iniqua conditio, vt religiosus se tradat, & obliget religioni irreuocabiliter ex parte sua, & quòd religio acceptet traditionē non se obligando absolute ad retinendum religiosum, sed quandiu expedire iudicauerit. Tum, quia contractus est voluntarius ex vtraque parte, & ita vtraque pars adhibere potest conditiones sibi conuenientes, vel necessarias. Tum etiam, quia multo maius est beneficium, quod religio religioso confert, acceptādo traditionem eius, quàm sit commodum, inde sibi prouenies, vel quàm sit obsequium, quod profitens religioni confert. Et alioqui bonum religionis est commune; ideoq; non est contra naturalē iustitiam, quòd religiosus absolute se tradat ppetuò, & se priuando libertare reuocandi donationem; & quòd religio nō absolute, sed cū aliqua limitatione, seu conditione acceptet perpetuò, & irreuocabiliter; sed cum limitatione, & exceptione casuum, in quib. ad commune bonum religionis expediat secundùm regulam prudētiæ religiosum libertum dimittere. Et hoc satis est, vt votum tali professioni annexum non sit solenne ex defectu perpetuitatis, vt sæpè dictū est.

*Non est iniqua conditio quòd religio non se obliget ab solutè.*

13. Nec etiam talis modus contrahendi est contra rationem status religiosi, sola natura rei spectata; quia considerando generalem rationem status, ibi est sufficiens stabilitas, seu perpetuitas; quia ex parte religiosi est absoluta, & ex parte religionis est mortalis, & quanta bono communi in tali modo viuendi expedit; ergo illa sufficit; Præsertim cū status personę magis requirat perpetuitatem ex parte eius, quàm ex parte alterius, vt in seruitute ciuili videre licet. Vnde considerando vlteriùs particularem rationem status religiosi, quatenus perfectionis est, vel ad perfectionem tendit, illa conditio, seu libertas, quæ in religione manet non impedit perfectionem, sed potiùs iuuare potest, & hominem ad perfectionem asse quendam solicitiorem reddere, ne sua culpa, à religione expellatur. Igitur considerando purum ius naturæ, non est illa conditio voti solennis ad statum religiosum necessaria.

*Solemnitas non postulatur ex rei natura ad essentiam religionis.*

14. Quòd autem nec ex diuino iure positiuo necessaria sit, in primis negatiue (vt sic dicam) ostenditur; quia nec per Scripturam, nec per traditionē probari potest tale ius diuinum positiuum: & sine fundamento authoritatis, non est, cur credatur, cùm ratione probari non possit. Positiue autem probatur ab aliquibus doctis modernis, pars illa, quia status religiosus verus, & perfectus fuit in vsu Ecclesiæ à temporibus Apostolorum, vt in sequenti libro ostendemus. Sed in illis primis seculis prope Apostolorum tempora religiosi professi ita recipiebantur à religione, vt propter iustam causam posset illos dimittere, non solùm separando illos quoad communem societatem, & cohabitationem, quod etiam nunc fit in religionibus, in quibus fit professio per vota solennia; sed etiam relaxando vinculum, & liberos ab omni obligatione traditionis, & votorum, eos dimittendo: ergo contraria institutio non est de iure diuino. Consequentia euidens est. Et minor probatur ex consuetudine antiquiorum religionum, in quibus religiosus status ad meliorem formam redactus est à sanctissimis Patriarchis religionum.

*Non postulatur ex iure diuino positiuo.*

15. Primus est D. Basilius, apud quem multa vestigia huius antiquitatis inueniuntur. Nam in Constitut. Monastic. cap. 22. eleganter docet, vinculum religiosi professi cum religione esse arctissimum, & ex parte religiosi perpetuum: & in cap. 34. addit, pactum illud adeò obligare religiosum, vt nunquam eiliceat prius monasterium, cui semel se coniunxit titulo transeundi ad aliud simile, deserere: & nihilominus in fine eiusdem capitis ait, *Tunc autem tantummodo reprehensione vacare fratris segregatio debet, quādocunque ea Antistitis indicio, alicuius occultæ, quam ipse sciat, vtilitatis causa, fiat.* Erat ergo tunc in potestate Prælati monachum dimittere, seu à sua Societate segregare. Veruntamen hic locus posset exponi non de segregatione per transitum ad statum non religiosum, sed vel per transitum ad aliud monasterium, vel de separatione quoad habitationem, & conuictum, non verò quoad vinculum: vel potiùs loquitur Basilius de segregatione non perpetua, nec extra Prælati obedientiam; sed de egressu monasterii alicuius mandati implendi causa. Sic enim idem Basilius in Reg. fusiùs disputatis, cùm in 14. 15. & 36. valde exaggeret culpā segregationis per discessum à monasterio post professionem, quam etiam solenne votum appellat, addit in Reg. 36. circa finem: *Cæterum si tenendi causa mandati Dominici alius aliò distrahatur, talis distractio neutiquam pro segregatione habenda est, sed assignati potiùs vnicuique muneris administratio existimanda.*

*Olim dimittebantur religiosi professi.*

Nihilominus tamen parum antea in eadem regula 36. huic sententiæ fauet, dicens: *Qui ad relinquendam cæterorum fratrum Societatem à propria animi leuitate impellitur, is curare suam imbecillitatem debet. Alioqui si medicinam noluerit admittere, ipse exclusus à nemine admittatur.* Vbi de exclusione cum priuatione religiosi status, & libertate ab omnibus eius vinculis loqui videtur; alioqui non tam facilè, & cum tanto onere exclusionem præciperet. Et simili ferè modo loquitur in Asceticis, dicens in epistola ad Canonicos in fin. *Qui nec* (id est, post trinam admonitionem) *noxam emendauerit, oportere eum à reliquo corpore præcidi,* &c. Et infrà: *Oportere* (ait) *illius, veluti membri ab reliquo corpore dejecti, vicem dolere.* Idemque grauissime repetit in regulis breuioribus, in 57. 61. 102. & 155. & ex fusiùs disputatis in 28. 29. & 47. & in Animaduer. aduersùs Canonicos num. 8. Quibus in locis non declarat quidem S. Basilius, qualis esset illa separatio, seu diuisio, siue putridi membri abscisio, id est, an esset solùm per ejectionem quoad actualem Societatem, & vnionem, vel etiam quoad totalem vinculi, & vnionis relaxationem, tamen, cùm tam facilè fieret, & propter causas interdum non admodum graues, verisimile profectò fit, fuisse posterioris generis; ac subinde vinculum professionis non fuisse eo tempore ex parte religionis omnino absolutum, & irreuocabile. 16.

Secundò; de tempore, ac institutione D. Augustini, videtur idem colligi ex Regula ipsius; vbi de illo, qui post varias admonitiones corrigi negligit, ait: *Etiam si ipse non abscesserit, de vestra Societate proiiciatur.* Sed modum non explicat, (vt de Basilio dixi:) videtur autem posse colligi ex sermone 1. eiusdem Patris de Communi vita Cleri, qui est 49. de diuersis. Ibi enim tractans de paupertate, quam cum suis clericis in suo monasterio profitebatur ex voto, sic ait in cap. 2. *Nulli licet in Societate nostra habere aliquid proprium.* Et clariùs in cap 4. *Qui Societatem communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, & à professione sancta cadit.* Vnde paulo antea refert, quod secum statuerat dicens: *Nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet permanere; vt si vellet discedere à proposito, rectè illi tollerem clericatum, quia deseruit sanctæ Societatis promissum, cœptumque consortium.* Vbi apertè loquitur de discedentibus post promissam Societatem, id est, post vota, & professionem, quæ tunc fiebat, & nihilominus subdit, *Ecce in conspectu Dei, & vestro mutaui consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non* 17.

*sufficit*

*sufficit Deus, & Ecclesia sua, maneant, vbi volunt, & vbi possunt, non illis auferetur clericatus. Nolo habere hypocritas. Malum esse quis nescit? Malum est cadere à proposito, sed peius est, simulare propositum.* Permittit ergo illos discedere, & extra monasterium viuere, & habere proprium, vt ostendunt illa verba: *Qui volunt habere alterutrum, vt ostendunt illa verba: Qui volunt habere aliquid proprium.* Vnde infrà inducit aliquos excusantes, & dicentes: *Quid mali fecimus? Non potest tecum tolerare istam vitam. Extra Episcopatum vult manere, & de proprio viuere, ideo non debet perdere clericatum.* Ipse verò respondet: *Malum esse profiteri sanctum, nec implere, iuxta illud, Vouete, & reddite*, &c. Et nihilominus infrà subdit: *Si ab hoc proposito ceciderit, & extra manens clericus fuerit, dimidius & ipse cecidit. Quid ad me? non eum iudico; si foris seruat sanctitatem, dimidius cecidit.* Et tandem infrà sic ait: *Qui mecum manere vult, non debet habere aliquid proprium. Qui hoc non vult, habeat libertatem, & videat vtrùm habere possit felicitatis aternitatem.*

Ex hoc loco tale conficitur argumentum: Illi clerici cum Augustino in communi vouentes, erant vere religiosi, & nihilominus ita permittebantur discedere, vt essent clerici sæculares, & possent habere proprium; ergo dimittebantur liberi à voto paupertatis & consequenter à professione religiosa. Sed obiici potest, quia isti clerici non solùm post discessum à monasterio, sed etiam in illo erant habentes proprium, vel licite cum licentia Prælati, vtique, eiusdem Augustini: vel illicite, & occulte, & cum hypocrisi: vt constat ex longo discursu Augustini in serm. 1. de eadem materia, aliàs 50. de diuersis. Vbi priùs multos habentes proprium ad tempus excusat, quia & cum licentia retinebant, & non habebant vsum talium bonorum; nec de illis disponebant, nisi ad Augustini arbitrium. In fine verò addit: *Qui habere voluerit proprium, & de proprio viuere, & contra nostra ista præcepta facere, parum est, vt dicam, non manebit mecum, sed nec clericus erit.* Vbi videtur reuerti ad consilium, quod antea mutauerat, degradando huiusmodi clericos: veruntamen non ita est, sed distinguit duo genera eorum, qui volebant habere proprium. Nam, quidam aperte id profitebantur, & ideo discessum postulabant, quibus Augustinus id permittit sine degradatione, vel vlla pœna, sed tantùm periculi sui eos admonet. Alij verò erant, qui occulte proprium habebant, & nihilominus in monasterio manebant, & de communibus bonis viuere volebant; & his Augustinus, si id sciret, & eiectionem, & degradationem minatur. De prioribus loquitur in illis verbis: *Scio me dixisse, quòd si nollent mecum suscipere socialem vitam*, &c. *non illis tollerem clericatum, sed seorsum manerent, seorsum viuerent, quomodo nossent, Deo viuerent. Et tamen ante oculos posui, quantum mali sit à proposito cadere.* De aliis verò addit: *Modò, quia placuit illis, Deo proprio, sociali hac vita, quisquis cum hypocrisi vixerit; quisquis inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, vt inde faciat testamentum, sed delebo illum de tabula clericorum.* Igitur ex illa historia solùm colligitur, illos clericos non potuisse licite, & occulte habere proprium, quamuis de facto potuissent habere proprium; quia per votum incapaces illius non fiebant. Erat illi, qui dimittebantur, vel recedebant, potestant postea habere proprium, etiamsi à voto paupertatis non absolueretur.

19. Sed contra hoc instatur primò, quia licet daremus ex illa licentia habendi proprium non satis colligi potuisse Prælatum monasterij relaxare votum paupertatis discedenti: nihilominus ex alio capite inde colligitur, votum illud paupertatis non fuisse solemne; quia non habebat efficaciam faciendi personam proprij incapacem, quam esse necessariam ad solemnitatem illius voti suprà ostendimus. Deinde magna est differentia inter clericos discedentes, vel intus cum hypocrisi manentes. Nam priores non solùm valide, sed etiam licite poterant proprium habere; & ideo non dicit de illis Augustinus, quòd essent in statu damnationis, sed, quòd essent in periculo; de aliis verò ait, esse mortuos: hoc enim significat in primo sermone, cùm dicit: *Si foris seruat sanctitatem, dimidius cecidit; si verò intus habuerit simulationem, totus cecidit.* Et in serm. 2. *Malui habere cæcos, vt claudos, quàm plangere mortuos: qui enim hypocrita est, mortuus est.* Ergo qui recedebat à monasterio dimissus, à voto paupertatis omnino liberabatur, aliàs non potuisset licite proprium habere, nec rebus suis, tanquam propriis vti. Vnde fit etiam verisimilius, illos hypocritas, licet dicantur, voluisse habere proprium, reuera non potuisse habere illud, non solùm licite sed etiam validè quoad verum dominium, licet de facto haberent aliqua, tanquam propria. Idque non quia essent incapaces dominii simpliciter, & absolute, & ex vi status; contrarium enim rectè probatur in illo secundo sermone, ex multis exemplis, quæ in illo referuntur, & infrà ponderabimus; sed quia vsurpabant bona, quæ ad monasteria pertinebant, tanquam propria, & aliunde ex communi viuere volebant; quod erat contra iustitiam.

Alius verò supereſt scrupulus circa clericos illos; 20.
quia non videntur fuisse veri religiosi, nec statum permanentem, & ex parte ipsorum perpetuum habuisse; quia poterant à monasterio discedere, si voluissent. Vnde tantùm videntur paupertatem voluisse, quandiu ibi manerent: permanere autem in arbitrio suo fuisse. Sicut nunc volunt paupertatem quidam clerici regulares, qui verè religiosi non sunt. Quòd si hoc ita est, nullum ex illo facto, ad rem, de qua agimus, argumentum sumi potest. Assumptum patet ex ipsa relatione Augustini. Nam in primo sermone cap. 4. dicit: *Certè ego statueram nullum ordinare clericum, nisi, qui mecum vellet manere.* Vbi supponit, hoc fuisse in vniuscuiusque arbitrio positum; quamuis ipse nollet eos ordinare, qui discederent. Item inferiùs introducit aliquos pro clerico interpellantes, & dicentes, *Quid mali fecit? Non potest tolerare istam vitam, extra Episcopatum vult manere; non debet ideo perdere clericatum.* Non ergo peccabat clericus discedendo. Et confirmatur. Nam si peccaret, exeundo, esset apostata, & in statu peccati extra religionem permanendo. Quomodo ergo potuisset Augustinus subiungere: *Si foris seruat sanctitatem, dimidius cecidit.* Non enim potest apostata in eo statu voluntarie permanens sanctitatem seruare. Quomodo etiam Augustinus diceret, eum constitui in periculo, & non potiùs in statu damnationis. Denique in sermone 2. hypocritas permanentes in monasterio, & ibi habentes proprium, mortuos vocat; aliosverò recedentes, solùm claudos, vel cæcos, viuentes tamen: vnde significat, non grauiter peccasse recedendo.

Sed nihilominus ex hac parte, etiam satis validum est argumentum. Nam apertè Augustinus tradit eiusmodi clericos recedentes à monasterio, & volentes extra illud habere proprium, male egisse; quia *Malum est à proposito recedere*; & ideo statuisse illos priuare clericatu, *quia deseremt sanctæ Societatis promissum.* Promiserant ergo in illa Societate manere. Vnde subdit, *eum, qui Societatem vitæ iam susceptam deserebat, à voto suo, & à professione sancta cecidisse.* Et infrà subiungit: *Ego scio, quantum mali sit profiteri sanctum aliquid, nec implere: Vouete, & reddite*, &c. Et infrà dicit, sic recedentem, licet clericus maneat, cadere ex parte, vtique deserendo professionem. Certum ergo videtur, clericos illos non solùm habuisse votum paupertatis,

pertatis, sed etiam votum, vel promissionem permanendi in illa congregatione, cui se tradiderant: vel saltem fide data, se perpetuò coniunxerant; ergo nō est dubium, quin isti ex professione tenerentur perpetuò manere in monasterio, ac proinde essent veri religiosi, & consequenter apostatæ, si inuito Prælato discederent. At verò illi, de quibus Augustinus loquitur, nō videtur apostatasse aperte, nec inuito Augustino discessisse; sed per importunas petitiones licentiam exeundi obtinuisse, eamque Augustinum ad vitandum maius malum concessisse. Hoc enim indicat in sermone primo, in illis verbis: *Maneant vbi volunt, & vbi possunt, non illis aufero cl. ri atum; nolo habere hypocritas: malum est cadere a proposito, sed malus est simulare propositum.* Et infrà: *Quantum sit periculi, anteo ulos eius possi, fac at quod vult*; & paulo inferiùs: *N. lo habeat neces tatem simulandi.* Et ferè similia habetur in secundo sermone. Ex quibus colligitur, votum, vel promissionem ibi perseuerandi non fuisse omnino absolutam, sed dependentem à voluntate Prælati: tamen, quia illa licentia erat quasi extorta, & sine causa legitima, & consequenter contra prius propositum; ideo Augustinus exitum illum, etiam sub illo colore factum, non approbat; quia verò poterat habere aliquam sufficientem causam, illum etiam non damnat, sed exeuntes admonet sui periculi, quamuis conscientiæ ipsorum illos committat. Quē Augustini locum tam fusè pōderare volui, quoniam ad declarandam aliquam partem Instituti Societatis, & nouitatis oppositionem ab illo remouendam, magnum lumen afferre potest.

22. Tertiò de temporibus sancti Benedicti argumentum sumi potest ex ipsius regula. Nam in c. 28 & 29. iubet præscindi à religione aliquos incorrigibiles: quod de absoluta separatione quoad vinculum ibi Turre cremata intelligit; & in cap. 58. alias 58. p ostentium vestes custodiri præcipit, vt si abire postea velint, illis induti discedant: quamuis ibidem dicatur, post professionem nō manere libertatem à monasterio discedendi, nec à iugo regulæ se eximendi. Denique inuat, quod Gregor. 2. Dialog. cap. 25. refert, monachum quendam importunis precibus à sancto Benedicto, *vt relaxaretur*, postulasse. Et post plures admonitiones in petitione sua perseuerando, tandem à sancto Patre tædio affecto iussum esse discedere. Quo in loco sine dubio sermo est de monacho iam professo, vt ex proprietate nominis, & ex discursu historiæ manifestum apparet. Deinde, ponderandum est verbum, *iussit*: non enim dicit tantùm permisit, aut licentiam dedit, sed iussit, quasi in pœnam inconstantiæ ipsius, cum eiciens, & ad exeundum cogens. Denique energiam habet verbum, *relaxandi*, quod in proprietate sua vinculi solutionem significat. Nec mirandum est, quod sanctissimus Benedictus monachum propter solam importunam petitionem eius, liberū mitteret: nam credibile est, vel instinctu Dei id fecisse, præsciens diuina, & mirabili visione à via fuisse reuocandum, vt postea quietus, & stabilis perpetuò maneret; vel iudicasse prudenter, illum non fuisse monasterio aptum, quod satis esse credidit, vt illum à sua congregatione dimitteret, illius correctionem, & emendationem diuinæ prouidentiæ committens.

*D. Benedictus prudēter liberum à vetis monachum dimisit, propter solam importunam eius petitionē.*

23. Sed licet hæc omnia probabiliter suadeant professionem tunc fuisse cum acceptatione includente aliquam conditionem, qualis nunc fit in scholarib. Societatis, cùm post biennium incorporentur; ac subinde vota in illis temporibus non fuisse solennia, quoad hanc partem. Nihilominus non omnino cōcinunt; quia ferè omnia quæ ex D. Basilio adducūtur, commodè intelligi possunt de dimissione pœnali, per separationem actualem (vt sic dicam) à cōmercio religionis, absque irritatione vinculi religiosi, & vororum. Et multa etiam ex regulis Benedicti adducta eiusdem sensum patiuntur: & alia possunt intelligi de sola permissione eundi, non de absolutione. Nam in d. cap. 58. inbet sanctus Benedictus, vt *quando dantur seculares vestes volenti post professionem abire, non tamen ei tradatur sua professionis testimonium, quod in die professionis suo nomini consignatum in altari posuerat.* Quo significatur, professionem illam non fuisse relaxatam, quoad vinculum, sed tantùm, quoad separationem actualem per discessum. Ac subinde illum discessum non fuisse sine Apostasia, nec fuisse concessum, vt licitum, sed permissum, vel ad maius malum vitandum, vel quia Prælati tunc non habebant, aut existimabant, se non habere tantam potestatem in subditos, vt illos cogere possent; vel certe licet possent, nolebant coactione vti, quia vel non sperabant fructum ex coacta detentione, vel maiorem perturbationem, & dispendium monasterii timebant.

24. Ex locis etiam Augustini, plures admittunt interpretationem de separatione actuali. Solus ille locus ex sermone de communi vita clericorum, violenter videtur sic exponi. Ideoque non est improbabile, tunc, & in illo Augustini monasterio professionem religiosam non fuisse tam firmam, & absolutam, sicut nunc est solennis professio. Nihilominus tamen tam absolutam acceptionem non esse necessariam ad verum religiosum statum, euidentius conuincitur ex particulari instituto Societatis Iesu, quoad religiosos, qui nondum solennem professionem emiserunt: illi enim ex parte sua perpetuò obligantur; Societas verò illos admittit, retinet tamen potestatem illos liberos dimittendi ex iustis causis, iuxta suas constitutiones per Pontifices approbatas; qui vsus reputatur nouus comparatione facta ad tempora Gregorii IX. qui videtur clariùs illam facultatem religionibus abstulisse in cap. vlt. de Regul. Re tamen vera, potiùs est reductio ad morē antiquum, si verā sunt, quæ proximè diximus. Et nihilominus Gregor. XIII. declarauit eos, qui dicto modo se tradunt Societati, tria vota emittendo, esse verè, ac proprie religiosos, vt mox videbimus; ergo illa conditio indissolubilis vinculi ex vtraque parte, non est de essentia veri, ac proprii status religiosi.

*Ad religiosum statum non est necessaria absoluta acceptio expartè religionis.*

25. Deinde, quòd efficacitas moralis voti solennis ad moralem effectus supra tractatos, inducendos, non fit de essentia religiosi status; probatur discurrendo per singula, & applicando ad illam discursum proxime factum in præcedenti conditione. Nam in voto castitatis non est necessaria illa condirio ex natura rei, seu de iure naturali; nec est de iure diuino positiuo: ergo non est essentialis. Consequentia est clara; quia conditio pendens ex iure positiuo non est essentialis, vt iam probatum est, quia variari potest; & in hoc ipso voto varietatem in diuersis temporibus habuit, vt infrà probabitur. Et hoc etiam ad probationem vtriusque partis sufficiebat; quia ius naturæ, & diuinum non recipiunt mutationem, seu varietatem per Ecclesiam: sed in hac conditione fuit, & est varietas; ergo non est de iure diuino naturali, vel positiuo. Vlterius verò prior pars de iure naturali sufficienter probatur ex dictis in cap. 8. & 9. Nam ibi ostensum est, traditionem religiosam ex sola rei natura non inhabilitare personam ad matrimonium, nec etiam votum illi adiunctum habere hanc vim; ergo nullo modo habet illud votum talem vim ex solo naturali iure.

*Præcedens discursus iterum applicatur effectibus solennitatis.*

*Conditio pendens ex iure positiuo non est essentialis.*

26. Quòd verò ex iure diuino positiuo illam habeat, sufficienter probatur, peterido, Vnde tale ius probetur; cum nec in Scriptura legatur, nec apud antiquos Patres talis traditio habeatur? Quin potiùs multi

conten-

contendunt ex antiquitate ostendere, olim fuisse statum verum religionis cum voto castitatis non dirimente matrimonium subsequens. ita docuit late Medina dict. lib. 4. de Cont. controuers. 7. à ca. 29. & secuti sunt Azor. d. lib. 12. cap. 6. quæst. 3. Plato lib. 2. de Bono statu relig. c. 21. Vasquez 1. 2. disp. 165. cap. 7. Basil. d. quæst. 3. cap. 8. Qui aiunt, vsque ad tempora Innoc. II. & Concil. Romani sub eo celebrati, matrimonia contracta à religiosis illicita quidem, valida tamen fuisse; quia in solo illo Concilio hoc impedimentum irritans expresse decernitur, vt habetur in cap. *vt lex.* 27. q. 1. & ante illud licet in multis decretis damnentur, vt iniqua talia matrimonia, & puniantur per censuras, & diuortium, nunquam tamen dirimuntur: imò interdum cohabitatio, & vsus matrimonii post alicuius temporis separationē, & pœnitentiam permittuntur. Veruntamen punctū hoc de antiquitate huius effectus voti castitatis religiosæ perplexum valde est: nam considerata varietate antiquorum canonum, & sanctorum Patrum de hac materia loquentium, vix potest aliquid certum in illa definiri; ideoque peculiarem, & prolixam considerationem postulat, quam in libro de voto castitatis, Deo dante, trademus.

Nunc verò duo argumenta nobis sufficiant. Vnū est d. cap. *vt lex.* nam ex illo, vel colligitur hunc effectum ab eo tempore cœpisse, & institutum esse: vel saltem inde sumitur per constitutionem Ecclesiæ effectum illum esse inductum. Et vtrumlibet sufficit ad probandum, quod intendimus. Declaratur; nam verba Concilii sunt: *Huiusmodi copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonia non esse censemus.* Nam verbum *censemus*, ius nouum solet inducere, vt notat glossa in Clement. 1. de concess. præbend. verb. *censemus.* quam ibi Panormitanus sequitur: Et sumitur ex leg. *censere* ff. de verb. signif. vbi *censere* idem esse dicitur, quod præcipere, à quo verbo in hac significatione sumpto appellatio censuræ Ecclesiasticæ deriuata est: vt notaui disp. 1. de Censuris. sect. 1. Iuxta hanc ergo interpretationem aperte significatur ius hoc irritans tale matrimonium ibi incepisse; ac proinde non esse de iure diuino. Potest autem verbum *censemus*, in alia satis propria, & vsitata significatione accipi, vt idem sit, quòd *iudicamus*, aut *declaramus*; in qua sæpius in iure accipi notat Brison. lib. 3. & præsertim in hac significatione sumitur, quando lex nō loquitur de futuro; sed vel absolute, vel de præterito, & rationem reddit antiquam: vt notat d. glos. in d. Clement. 1. quam in hoc valde ibi commendat Panorm. & Felin. in c. vlt. de Constit. ad finem. Et latè declarat Nauar. in cap. *si quando.* de rescript. except. 21. n. 3. 4. & 5. Talis autem est ratio, quam ibi reddit Pontifex, dicens: *hanc copulationem; quam contra Ecclesiasticam legem esse censemus.* Vnde cùm verbum *censemus*, ambiguum sit, aptissime illi loco hæc significatio congruit. Declarat enim Pontifex illud matrimonium esse nullum. *Quia est contra Ecclesiasticam regulam*; vtique directe, & efficaciter prohibentem, irritantemque talem copulationem. Qua interpretatione admissa, vel permissa, ponderamus rationem datam ab Innocentio. *Quia est contra Ecclesiasticam regulam.* Nam inde saltem colligitur, hanc prohibitionem irritantem, Ecclesiastici iuris esse, non diuini, ac proinde non esse de essentia status religiosi.

18. Alterum argumentum est, quod sumitur ex voto de voto in 6. iunctis Breuibus, quibus Gregor. XIII. Institutum Societatis declarauit ampliùs, auxit, & confirmauit: nam in priori textu, cùm Bonifacius dicit, solennitatem voti esse ex sola institutione Ecclesiæ; specialiter loquitur de voto castitatis, & in ordine ad hunc effectum inhabilitandi personam ad matrimonium. Gregorius autem XIII. in priori Bulla, *Quanto fructuosius*, declarauit, votum simplex castitatis cum aliis factis in Societate etiam sine vllo effectu, quem tunc non inducebat, *esse, & fuisse sufficiens* ad verum, & proprium religiosum statum constituendum. Et in altera Bulla, *Ascendente Domino*, idem confirmat, & rationem sumit ex illo principio Bonifacii, quòd solennitas voti est de constitutione Ecclesiæ, & ex eadem potestate ibi de nouo illi voto hunc effectum tribuit, & nihilominus simplex remanere declarauit. quod iterum postea Gregor. XIIII. confirmauit. Ex quo nouo iure euidenter concluditur hunc effectum dirimendi matrimonium subsequens, seu virtutem ad illum præstandum, & esse de iure Ecclesiastico, & non esse de essentia religiosi status, ac proinde huius voti solennitatem propriam ad eandem essentiam non pertinere.

Simile argumentum de voto paupertatis fieri potest; quia in illo etiam conditio illa, seu virtus inducendi in personam incapacitatem dominii, ac proprietatis temporalium bonorum, in primis non est de iure diuino naturali, aut positiuo; vt satis superque in superioribus probatum est. Deinde in Societate inueniuntur multi vere, ac proprie religiosi per votum paupertatis, quod hanc inhabilitatem non inducit, iuxta prædictas Bullas. id autem repugnaret, si illa solennitas esset de essentia. Vnde Nauarrus suprà non est consequenter loquutus. Nam in eodem Comment. 1. de Regul. num. 19. docet, sine voto solenni paupertatis constitui aliquos veros religiosos in Societate Iesu. In prioribus ergo locis locutus videtur ex quadam consuetudine iuxta communem ius, & ordinarium profitendi modum iam receptum in Ecclesia, vt conuenientissimum in illo statu, non vt simpliciter necessarium; vel essentialem. Cuius etiam optimum argumentum est, quia probabilissimum est, imò etiam verum, statum religiosum multo esse antiquiorem, quàm sit hæc incapacitas in viris religiosis; ex quo idem euidenter concluditur. Illa verò duo, quæ assumimus, pendent ex notitia antiquitatis huius status, & temporis, à quo illa incapacitas introduci cœpit, quorum prius in sequenti libro, aliud verò in libro de voto paupertatis tractanda sunt. Et ideo à longiori probatione hîc abstinemus. Idem fere est de voto obedientiæ, cuius peculiaris solennitas in ordine ad aliquem moralem effectum, magis dubia est, vt vidimus. Vnde multo magis erit de prætaritis temporibus incerta, minusque cognita: cùm tamen certum sit, votum obedientiæ cum aliis fuisse sufficiens ad religiosum statum constituendum, siue illum effectum irritandi, vel infirmandi omnem voluntariam obligationem personæ religiosæ habuerit, siue non habuerit. Signum est ergo essentiam religiosi status ab illo effectu, seu solennitate non pendere. *Idem ostēditur de voto obedientiæ.*

29.

30. Vltimò addere possumus rationem naturalem, & à priori; quia ad statum religiosum essentialiter constituendum, duo necessaria sunt, & sufficiunt. Vnum est, sufficiens stabilitas, seu immobilitas: aliud est sufficiens ablatio impedimentorum perfectionis cum mediis sufficientibus ad illam acquirendā. Sed vtrumque horum præstare possunt vota simplicia ab Ecclesia sufficienter approbata, & admissa, modo in sequenti capite declarando. Ergo non est, cur voti solennitas ad statum religiosum constituendum essentialis, aut necessaria reputetur. Consequētia clara est; & maior in superioribus tradita, & ostēsa est. Ac minor etiam ex dictis facile colligitur: nam ostendimus vota simplicia, satis superque ad stabilitatem sufficere, si de se perpetua sint, & eo animo *Ad essentiā status religiosi duo sunt necessaria, & sufficiunt.*

absolutè fiant, quantum est ex parte vouentis. Et eadem ratione satis esse, quòd sint adiuncta traditioni perpetuæ ex parte religiosi, quamuis ex parte religionis aliquam conditionem, seu limitationem admittant. Hoc autem supposito sufficientia trium consiliorum principalium, paupertatis, castitatis, & obedientiæ ad tollenda impedimenta perfectionis eadem est; siue voto simplici, siue solenni firmentur. Nam licet fortasse effectus illi morales, quos vota solennia conferunt, aliquid ampliùs iuuent ad maiorem incapacitatem (vt sic dicam) impedimentorum, & curarum temporalium; nihilominus id non pertinet ad essentiam. Tum, quia magis, & minus non variant speciem. Tum etiam, quia inter religiones, quæ professionem solennem emittunt, vna plenius auferet impedimenta perfectionis, quàm alia: tum maxime, quia si vota omnia, præsertim obedientiæ, perfectè seruantur, non minus exactè auferent vota simplicia omnia impedimenta, quàm si essent solennia; quòd si vota non seruentur, etiamsi solennia sint, non conferent ad impedimenta perfectionis tollenda. In reliquis verò mediis positiue iuuantibus ad perfectionem, clarum est posse esse sufficientia, siue simplicia vota sint, siue solênia: & interdum esse posse æqualitatem, interdum verò excessum tam in vno modo profitendi, seu vouendi, quam in alio.

31. *Respondetur fundamento cõtrariæ sententiæ.* Ex quibus facile est ad fundamenta contrariæ sententiæ respondere. Ad primum enim dicimus, etiam tria vota solennia, si ab Ecclesia probentur, & admittantur in aliquo instituto vitæ religiosæ, esse posse vota substantialia religionis; id enim definuit Greg. XIII. in Bullis suprà citatis; & fortasse in antiquis Ecclesiæ temporibus obseruatum est. Nec obstat declaratio Bonifacij: nam (vt suprà notauimus) ille non declarauit quid quid possibile est, sed quid de facto esset censendum, iuxta Ecclesiasticum ius suis temporibus obseruatum. Tunc enim non erat in vsu, nec approbabatur ab Ecclesia religiosa professio, nisi votis solennibus confirmata: non negauit autem Bonifacius alium modum professionis, seu assumptionis status religiosi posse per Ecclesiam introduci, & approbari; imò id in virtute dixit, cùm docuit, voti solennitatem esse de iure Ecclesiastico. Nec etiam ibi dixit Pontifex non posse esse vota substantialia religionis, nisi sint solenni: licet suo tẽpore alia non fuissent; imò eo ipso, quòd id tunc proueniebat ex iure Ecclesiastico, potuit & antea, & postea aliud instituisicut postea Gregor. XIII. ex eodem principio declarauit.

32. Ad secundum iam declaratum est, quomodo sine solennitate votorum possit esse in statu religioso sufficiens firmitas, seu stabilitas. Et similiter respõsum est ad tertium: nam ostensum est, vota simplicia sufficienter auferre posse impedimenta perfectionis. Vnde, quia matrimonium de se impedit perfectionis exercitium, & progressum; ideo per votum castitatis excluditur per voti obligationem: non est autem de essentia, vt tollatur etiam, seu impediatur quoad capacitatẽ; quia licet hoc simpliciter melius sit, non tamen est simpliciter necessarium. Tum quia si solum consideretur matrimonium, quoad vinculum, non repugnat essentialiter cum vinculo status religiosi: vt patet in coniuge, qui profitetur religionem viuente alio coniuge. Si verò consideretur, quoad vsum, & cohabitationem, etiamsi matrimonium religiosi validum fuisset, posset adhiberi remedium per separationem perpetuam, quoad vsum, & cohabitationem: vt olim iuxta multorũ sententiam fiebat; & ideo ille effectus voti solennis, quoad incapacitatem matrimonij, nõ est de essentia talis status; quanuis ad optimam Ecclesiæ prouidentiam pertinuerit illum adiungere, vt separatio facilior, & tutior esset. Idemque faciliùs potest applicari ad votum paupertatis: nam capacitas dominii parum impedit perfectionem, si vsus eius proprietarius non sit, semperque à Prælati voluntate dependeat, vt in suis locis infrà fusiùs ostendemus.

## Caput XV.

### *Vtrùm Ecclesiæ approbatio, ad statum verum religionis constituendum necessaria sit?*

1. *Secundùm præsens ius, & morem Ecclesiæ verus religionis status requirit necessario Ecclesiæ approbationem.* Hæc est vltima conditio, quæ ad statum religiosum postulari solet. De qua supponimus secundùm præsens ius, & morem Ecclesiæ, non esse dubium, quin verus religionis status in sola religione ab Ecclesia approbata subsistere possit; ita enim statutum est ab Innoc. III. & saltem ab eo tempore in Ecclesia obseruatum est, traditurque in c. vlt. de relig. domib. & à Greg. X. in c. vnic. eod. t. in 6. Hinc ergo nascitur dubium, vtrùm ante illa tempora fuerit necessaria huiusmodi approbatio: vel si non fuit, quomodo postea introduci potuerit illa necessitas. Nam, quòd antea necessaria non fuerit, probare videntur aperte verba Innoc. in d. c. vlt. dicentis: *Ne nimia religionum diuersitas grauem in Ecclesia confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero nouam religionem inueniat, sed quicunque ad religionem conuertii voluerit, vnam de approbatis assumat.* Nam illa particula, *firmiter prohibemus*, & illa, *ne quis de cetero*, aperte ostẽdunt, illud esse ius nouum. Idemque ostendit ratio prohibitionis, *Ne nimia religionum diuersitas*, &c. Nam supponit, ante illam prohibitionem fuisse in Ecclesia magnam religionum diuersitatem à suis fundatoribus inuentam, & saltem magna ex parte sine Ecclesiæ approbatione introductam. Idque magis confirmat Gregor. X referens, non obstante illa prohibitione aliquas religiones sine Pontificis approbatione, temeraria præsumptione fuisse inuentas, quas ipse reuocat, & prohibet. Et in §. *sanè*. sancti Augustini & Carmelitarum ordines permanere decernit; quia ante prohibitionem Innocent. III. fuerant instituti: significans, sine vlla speciali approbatione inductos fuisse, & vsque ad illa tempora perseueraſſe; quia prohibitio Innocentii ad præterita non extendebatur, sed tantùm ad futura. Denique antiquę religiones sine speciali approbatione inductæ sunt, vt in sequentibus videbimus. Non erat ergo necessaria Pontificis approbatio ante illam Innocentii III. prohibitionem. Per hoc autem non negamus, quin antea fuerint aliquæ religiones specialiter approbatæ à Pontifice, non solùm tacitè per longum vsum, sed etiam expressè per specialem declarationem. Nam religio sancti Jacobi in Hispania ab Alex. III. approbata est. vt ex eius Breui ostenditur. Et idem Pontifex religionem Chartusianorum expressè confirmauit: vt refert Per. Sut. de vita Chartus. lib. 2. tract. 3. c. 2. Idemque de religione Carmelitarum tradit Trithem. lib. de Laudibus Carmelit. c. 5. Solùm ergo dicimus ante Innocentium III. non fuisse expressam Pontificis prohibitionem, sed ab eiusdem præcepto incepisse. quod non video cur Vasquez improbauerit 1. 2. disp. 165. c. 4. n. 38. Cùm id satis ex citatis iuribus colligatur; sicut ex ipsis colligunt omnes doctores Canonistæ, & ex Theologis Card. Bellarm. lib. 3. de Monach. c. 4. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 25 n. 10. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 24. q. 5. Less. lib. 2. c. 41. n. 13. Miranda de Regul. t. 1. q. 3. a. 6. Et licet in c. *ne nimia*, citato, non ita expressè hoc diceretur, illud postea sic declarauit Conc. Lugd. sub Greg. X. vbi nõ solùm prohibet nouas inuenire religiones sine summi Pontificis approbatione, sed etiã declarat, hoc fuisse iam prohibitum in cap. *ne nimia*.

Hinc

2. Hinc autem oritur circa alteram partem dubitatio. Nam ex dicto principio sequitur, hanc approbationem non esse de iure diuino necessariam: nam si fuisset de iure diuino, nunquam potuisset sine illa vera religio subsistere, aliquid enim necessarium & essentiale illi defuisset; quia in his rebus, quæ ex institutione pendẽt, quidquid de iure diuino postulatur, tanquam essentiale reputatur, vel certe ita necessarium, vt sine illo non possit res subsistere. Ergo è contrario, si tanto tempore fuerunt in Ecclesia religiones sine approbatione, signum est, approbationẽ non esse necessariam ex vi diuini iuris. Ex hoc autem videtur vlteriùs sequi, non potuisse Ecclesiam, illam exigere vt necessariam; vel, quod idem est, non potuisse prohibitione sua facere, vt religio sine approbatione Ecclesiæ inuenta, si alioqui habeat, quæ de iure diuino necessaria sunt, & sufficiunt ad verum religiosum statum, non sit vera religio, & secundùm illam professentes sint veri religiosi. ita enim de solẽnitate argumentabamur, & ab institutione sacramẽtorum id confirmabamus. Secundò, ad idem stabiliendum, argumentor; quia approbatio non dat religioni probitatẽ, nec addit illi aliquid ad perfectionem pertinẽs, sed solum addere potest notitiam, vel testimonium sanctitatis eius. Sicut canonizatio non facit hominem sanctum, sed notificat eius sanctitatẽ. Ergo approbatio nõ potest esse necessaria ad veritatem (vt sic dicam) religiosi status; sed ad summum exigi potuit ad quandam certam notitiam, & æstimationem eius: ergo quamuis desit hæc approbatio publica, si re vera modus viuendi est religiosus, honestus, & pius, & hoc per humanam notitiam prudentem sufficienter constet, verus religiosus constituetur, qui talem modum stabiliter, ac firmiter professus fuerit.

3. Tertiò maxime hoc vrget, supponendo, vt diximus, vota simplicia de tribus consiliis principalibus, & substantialibus ad statum religiosum sufficere. Nam si solennia essent necessaria, ex ea parte posset approbatio Ecclesiæ requiri; quia voti solennitas ex Ecclesiæ approbatione pẽdet. At verò simplicia vota illam dependentiam non habent; & alioqui simul sumpta ex intrinseca natura sua personam Deo consecrant, & totum officium religiosum, ac viam perfectionis virtute continent. Ergo non potest Ecclesia impedire, quominus sic facta, hominem in vero statu religioso constituant. Dicet fortasse aliquis, tria illa vota non sufficere ad constituendum statum religiosum sine traditione facta Deo in manus alicuius vicem Dei habentis: & ad hoc esse necessariam approbationem Ecclesiæ; quia sine ipsius authoritate nemo potest vicem Dei gerere, aut ex peculiari potestate loco Dei valide cõtrahere, vel acceptare. quã rationem insinuauit D. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 2. q. 3. dicens, *Ad religiosum statum necessarium esse, vt traditio eius fiat in manu eius, qui debeat recipere, seruatis circumstãtiis, quas iura determinant, quia aliàs non fieret sub eorum potestate, qui religioni præsunt.* Sed contra hoc, est in primis, quia hinc sequitur approbationem semper, & ante Innoc. III. fuisse necessariam. quod consequẽter concedit D. Thomas ibidem in solut. ad 3. Deinde etiam infert, solennia vota semper fuisse ad constituendum statum religiosum necessaria.

4. Vnde in hoc puncto prima opinio referri potest, quæ docet, approbationem semper fuisse necessariam, quia semper fuerunt necessaria vota solennia, quæ sine Ecclesiæ approbatione talia esse non possunt. ita sentit D. Thom. loco allegato, & insinuat Caiet. 2. 2. q. 188. a. 1. & alij moderni sequuntur. Hæc tamen sententia, si intelligatur de votis solennibus propriè, ac prout in iure communiter accipiuntur, suptaque à nobis declarata sunt, ex falso fundamẽto procedit, vt in superioribus ostensum est; & ideo in præsenti nihil amplius de illa dicere necesse est. Posset autem aliter intelligi de voti solennitate accidentali, seu tantùm extrinseca, quæ in certa forma, & viuendi ritu, seu profitendi posita sit. Nam hæc solẽnitas sine dubio esse potest necessaria ad valorẽ actus, si Ecclesia illam instituit, vt necessariam, sicut in aliis contractibus, testamentis, iuramentis, ac similibus fieri potest. Hac ergo ratione potest esse necessaria Ecclesiæ approbatio, quatenus ab Ecclesiæ institutione pendet; quòd professio sic, & non aliter facta valida sit. Et certè in hoc sensu videtur loqui D. Th. in d. loco ad 3 habetque locũ non solùm in religioso statu, qui votis solennibus fit, sed etiam in illo, qui votis tantum simplicibus celebratur, vt in Societatis instituto videre licet; & fortasse ante tempora Innocentij tertij. & Gregorij noni, in omnibus, vel in pluribus religionibus ita fiebat.

5. Veruntamen etiam hoc modo non erit necessaria simpliciter Ecclesiæ approbatio, sed solũ ex suppositione, quòd ipsa statuat certum profitendi ritũ, seu conditiones, sine quibus valida non sit votorum emissio, vel professio. Quarum conditionem vna esse potest, vt talis professio sit secundùm aliquam regulam ab Ecclesia probatam, & aliter facta non valeat. Hęc autem necessitas non est absoluta; quia potuisset Ecclesia nihil tale statuere, sed in solo naturali, ac diuino iure rem totam relinquere: & tunc sine Ecclesiæ approbatione posset religiosus status assumi, seruando tantùm ea, quæ suppositа fide secundũ rectam rationem, & Christi doctrinam, ac institutionem, ad talem statum sufficiunt. Sicut potuisset respublica nullam solennitatem ad testamentum postulare; & tunc ad testamentum validum confirmandũ, ea sufficerẽt, quæ sola lex naturalis dictaret.

6. Propter hoc dici potest, in statu religioso esse peculiarem quandam rationem, ob quam sine approbatione Ecclesiæ nullo modo fieri potest; quia mirum modus vouendi, & quasi contrahendi ad statũ religiosum assumendum non est mere humanus; sed quodammodo diuinus, quatenus non solùm cum homine, sed etiam cum Deo ipso fit. Et è conuerso, non contrahi cum Deo solo, quasi mere spiritualiter, sed etiam sensibiliter cum homine vicem Dei gerẽte, & nomine illius vota, & traditionem hominis assumentis statum acceptantem, vt in superioribus ex iure in cap. *cùm ad monasterium*. de statu Monach. & cap. *porrectum*. de regul. & ex communi Doctorum sententia ostensum est. Ex hac ergo parte necessaria est approbatio Ecclesiæ; quia non potest aliquis nomine Dei contrahere, & acceptare oblationem Deo factam, nisi à Deo ipso acceperit potestatem: nullus autem illam accipit immediate à Deo, nisi summus Pontifex; & ideo necesse est, vt modus contrahendi, & constituendi hunc statum, saltem, quantum ad personam acceptãtem, in cuius manibus vota fiant, sit ab Ecclesia institutus, & aliquo modo approbatus. Quod potest à posteriori confirmari; quia aliàs posset quis verus religiosus fieri emittendo tria vota in manibus sui confessoris acceptantis illa, sine interuentu alicuius authoritatis Ecclesiasticæ, quod per se statim satis absurdum apparet. Et hanc etiam sententiam indicat D. Thomas suprà, & multis modernis placet; mihique in hac parte non displicet, si recte declaretur.

7. Nihilominus est secunda sententia dicens, approbationem non esse absolute necessariam, sed solùm requiri, vt Ecclesia non prohibeat, nec irritet omnẽ modum assumendi hunc statum ab ipsa specialiter non probatum. Nam quòd hoc possit facere Ecclesia, nemo Catholicus negare potest; tum quia iã magna ex parte fecisse videtur, vt videbimus; tum etiã, *Secunda sententia asserit approbationem non esse simpliciter necessa-*

*seriam: sed solùm requiri vt Ecclesia nō prohibeat, nec irritet, &c.*

quia potest conditiones præscribere, sine quibus vota, vel traditio non teneant. Quòd autem positiua approbatio necessaria non sit, probari videtur ex antiquo vsu, vt diximus: & ratione suaderi potest, distinguendo duos modos assumendi hūc statum, vel in vita priuata, seu solitaria, vel in communitate, vt suprà in cap. 4. vidimus. In priori ergo modo certum videtur, tria vota simplicia priuatim facta, si ab Ecclesia non irritentur, ex natura rei valida esse, & obligare. Quod de voto castitatis, & paupertatis per se notum est; quia non oportet, vt illa in alicuius manibus fiant, qui illa accepter, & approbet. Idem verò est de voto obedientiæ, quia sola rei natura spectata, fieri potest validè, & honestè alicui homini bono; & prudenti, cui vouens se subiiciat, vt ab eo gubernetur, vel promittendo soli Deo, obedire tali homini. vel simul promittendo eidem homini, ipsi obedire in his, quæ ad bonum animi, & obsequium Dei pertinent. Vtroque enim modo fieri potest, licèt hic posterior ad rem præsentem accommodatior sit vt cap. 4. dixi. Et vtroque etiam modo votum est ex natura rei licitum, & validum secluso iure Ecclesiastico prohibente, vel irritante; quia homo est dominus suæ libertatis; & illis modis illam alteri subiicere propter Deum, etiam est ex se honestum, si prudenter fiat: imò pertinet ad consilia, & meliora bona, vt infrà in libro de obedientia ostendemus.

8. Neque ex parte personæ, cui obedientia promittitur, necessaria est specialis approbatio, aut commissio Ecclesiæ: vt alterius subiectionē, & obedientiam licite, & validè acceptare possit. Sed satis est, vt non sit ei prohibitum, sola rei natura spectata. Tum quia in rebus licitis, & honestis homines possunt inter se contrahere, & mutuò se obligare, si non prohibeantur, quia & vnus est dominus suæ libertatis; & alter est capax potestatis, seu dominij in alterum. Tum etiam, quia ad acceptandum huiusmodi votum, vel promissionem, non est necessaria specialis potestas à Deo commissa, sed sufficit, vt secundùm rectam, & prudentem æstimationem iudicetur, id esse honestum, & Deo gratum: nam per hoc sufficienter intelligitur, Deum acceptare quod ad suum obsequium aliquis electus, tanquam minister eius acceptat. Nec enim oportet, vt ille sit publicus minister ad illud munus ab Ecclesia deputatus: sed satis est, quod ab altero voluntariè, ac prudenter sit electus. Hinc ergo concluditur ratio: nam illa omnia possunt validè fieri sine positiua Ecclesiæ approbatione; & illa sufficiunt ad hominem verum religiosum constituendum, quia sufficiunt ad perfectā abrenunciationem, & abnegationem, ablationemque omnium impedimentorum, cum sufficienti stabilitate, quæ satis sunt ad constituendum illum in completo statu perfectionis acquirendæ. Ergo ex natura rei potest ita constitui sine peculiari Ecclesiæ approbatione, cum sola non repugnantia.

9. Deinde ratio hæc extendi potest ad statum religiosum cœnobiticum, seu in aliqua humana cōmunitate institutum, quia in hoc statu solum additur socialis vita; in qua necesse est esse ordinem debitū, aliàs esset summa confusio. Ideoq; oportet, vt sit aliquis, qui gubernet, & alii, qui gubernentur; & consequenter, quòd in illo sit potestas præcipiendi, & in aliis sit subiectio, & obligatio parendi: & consequēter necesse est, vt singuli assumentes illum statum, aliquo modo se tradant illi cōmunitati in obsequium Dei, & ipsius communitatis propter Deum. Ac denique, vt in tali communitate sit præscripta aliqua norma, seu regula viuendi, sine qua non potest vlla communitas ordinatè viuere, aut rectè gubernari. Hæc autem omnia fieri possunt sine peculiari approbatione publica per naturalem potestatem & libertatem, quam homines habent ad paciscendum inter se honestè, & ad eligendum modum viuendi, secundùm rationem, vel fidem, aut perfectionem. Et illa sic facta, adiunctis tribus votis sufficiunt ad statum; quia habent firmitatem pacti, & voti; & similiter sufficiunt ad viam acquirendæ perfectionis, eadem, vel maiori ratione, quàm in statu priuato. Ergo etiam communitas religiosa verè, ac substantialiter sine approbatione constitui potest, dummodo non reprobetur. Hoc enim semper addimus; quia non est dubium, quin sit in potestate Ecclesiæ huiusmodi genera priuatarum congregationum prohibere, reprobare, & talia pacta, & vota irritare: quia multum ad commune bonum Ecclesiæ expedire potest. Nam, & leges ciuiles in suo ordine id facere possunt, iuxta leg. 1. & seq. ff. de collegiis illicit. & notant glossa, Abbas, & alii in d.c. de relig. domib. Secluso verò hac prohibitione, nihil est requisitum ex vi diuini iuris ad religiosam congregationem, quod peculiarem influxum positiuum Ecclesiæ, vt sic dicam, vel approbationem requirat. Nam solennitas substantialis votorum non est necessaria: accidentalis autem præscribi posset per statuta talis communitatis, & ex communi consensu eiusdem. Nec ad talia statuta esset necessaria potestas specialis, aut approbatio; quia eo ipso, quòd essent rectæ rationi conformia, & secundùm approbatam Ecclesiæ doctrinam, & iuri communi Ecclesiastico non contraria, per se essent virtualiter approbata. Nec etiam esset necessaria specialis iurisdictio, vt infrà ostendemus; quia subordinatio & potestas nata ex voto obedientiæ, & ex promissione, seu pacto, vel traditione, esset sufficiens, tam ad præcipiendum, & dirigendum subditos, quàm ad cogendum œconomicè potiùs, quàm politicè, quod satis esse videtur: Ergo non est positiua approbatio necessaria.

*Status religiosus saltē requisit quòd non reprobetur ab Ecclesia.*

10. Hæc sententia probabilitet discurrit, multaque ab illa proposita ad explicandum modum, quo ante Innocentium III. antiquiores religiones introductæ, & approbatæ in Ecclesia sunt, deseruire possunt. Nihilominus tamen prior sententia recte explicata, vera nobis videtur: ad illam tamen declarandam, & probandam, aliqua præmittenda sunt. Et in primis præter distinctionem status religiosi in priuato viuēdi modo, vel communi, quam suprà probauimus, & nunc supponimus; addimus aliam distinctionem suprà etiam tactam de religiosa communitate. Nam quædam est propria, & Ecclesiastica religio, id est, talis congregatio, cuius personæ, & Ecclesiasticæ sunt, & ab illo statu sine apostasia discedere non possunt sua voluntate; & ex vi status, gaudent priuilegio canonis, & fori: ac denique in iure nomine regularium, vel monachorum, vel religiosorum proprie dictorū significātur. Alia verò cogitari potest religiosa communitas, quæ modum viuendi religiosum imitatur, non sit tamen propria religio. In quo religionis modo esse possunt, vel forte sunt varij gradus: nam interdum talis modus viuendi est sine votis omnino, solùm per modum pij Collegij ad obseruanda consilia congregati, in quo volūtarie viuitur, & perseuerātur; sæpius verò sit cū aliqua obligatione ex voto, seu promissione orta: nam interdū fit tantùm votum castitatis, vel etiam obedientiæ; interdum verò tria substantialia emittuntur; non quidem proprie solēnia, cū aliquo tamen solenni ritu sacro, & publico; & aliquādo sunt cum obligatione perpetua ibi permanendi; aliquando verò solùm pro tempore, quo ibi permanserint, cum potestate recedendi, si voluerint.

*Prior sententia recte explicata vera est.*

*Duplex religionis status in communitate distinguendus.*

11. Deinde oportet supponere, quid nomine approbationis Ecclesiæ significetur. Duo enim includere videtur, sicut alibi dixi de approbatione alicuius perso-

*Quid nomine approbationis*

Probatur Ecclesiam religionem.

personæ in confessorem. Vnum ad intellectum pertinet, seu ex iudicio illius procedit; aliud voluntatis opus est magis proprium. Quod in religiosa cõmunitate ita explicatur: nam illam primo modo approbare, nihil aliud est, quàm post sufficiens examen iudicare interiùs, & exteriùs authenticè declarare, hanc viuendi modum esse sanctum, sine vllo errore, vel superstitione, & tam in fine, quàm in mediis perfectionis viam obtinere, ideoq; esse aptum, vt in religiosum statum erigatur, & consecretur: vnde per talem approbationem nihil tali instituto confertur, sed quod habet, innotescit. Posteriori autem modo approbare, est, quasi efficaciter creare, seu erigere talem communitatem personarum in statũ Ecclesiasticum, & verè religiosum, quod immediate fit per voluntatem efficacem approbantis; quæ moraliter confert tali congregationi quidquid ad verum statum religiosum ex parte approbantis conferri potest: vt est potestas admittendi ad talem statum, quos Deus vocauerit, potestas condendi statuta, eligendi Prælatos, & fruendi priuilegiis Ecclesiasticarum personarum, & similia.

11. Possumus hoc illustri exemplo declarare in approbatione nostræ Societatis primùm facta à Paulo III. in prima Bulla; vbi post instituti examinationẽ, sic inquit: *Cum autem nihil in præmissis reperiatur, quod pium non sit, ac sanctum. Nos, &c. præmissa omnia, & singulatenquam ad spiritualem profectum eorundem sociorum, & reliqui Christifidelis gregis opportuna, Apostolica authoritate, tenore præsentium ex certa scientia approbamus, &c.* Ecce priorem partem approbationis. Deinde subiungit alteram, cum addit: *Confirmamus, & benedicimus, ac perpetuæ firmitatis munimine roboramus; ipsiusq; socios sub cura, & huius sanctæ sedis Apostolicæ protectione suscipimus.* Et statim illi confert potestatem faciendi constitutiones, & recipiendi alios, quorum numerum ibi limitauit: quam restrictionem paulo pòst in alio Breui abstulit. Et similia ferè habentur in prima Bulla Iulii III. & aliis: & hæc duo, quæ de religiosa communitate, eiusque membris diximus, suo modo ad primatum religionis statum applicari possunt, vt dicemus.

12. Dico ergo primò. Ad instituendam religionem, quæ & modum viuendi in communi Societate, seu congregatione profitetur, & toti Ecclesiæ proponitur, necessaria est Ecclesiæ approbatio iudiciaria, seu ad intellectum spectans. Probatur, quia non potest religio practice, vt sic dicam, per voluntatem prudẽter approbari, & Ecclesiæ, vt verus acquirendæ perfectionis status proponi, nisi iudicium de illius approbatione, & vtilitate præcedat. Vnde sicut nõ potest sententia ferri, sine causæ cognitione præuia, ita nec confirmatio religionis sine approbatione, quam iudiciariam, seu declarantem veritatem appellare possumus, fieri potest: at illa confirmatio necessaria est, vt mox dicemus; ergo etiam approbatio per modum iudicij necessaria est. Et ob eandem causam necessarium est, vt tale iudicium, & publicũ, & authenticum sit; cùm talis religio vniuersæ Ecclesiæ imitanda, seu amplectenda, & sequenda proponenda sit, vt supponimus. Et de hac approbatione maximè loquuntur Doctores, cùm dicunt, non posse errare Põtificem religionem aliquam approbando, id est, authentice declarãdo, illum aut esse honestum & sanctum viuendi modum, & viam conuenientẽ ad perfectionem acquirendam. Nam hic error perniciosus esset Ecclesiæ in materia morum. Est autem hæc approbatio veluti quædam canonizatio, per quam tale institutum publice, & authentice sanctum perhibetur; sicut canonizatio personæ alicuius, nihil est aliud, quàm de illius vera sanctitate, & gloria publicũ, & authenticũ Ecclesiæ testimonium. Ex quo exemplo optimè potest assertio confirmari: nam si ad colendos sanctos publice, & vniuersè sine periculo erroris, aut superstitionis, necessaria est approbatio sanctitatis eius per publicam Ecclesiæ sententiam declaratiuam illius; non minori ratione necessaria est approbatio similis illius congregationis, & viuendi modi, qui vniuersæ Ecclesiæ tanquam sanctus, & ad perfectionem obtinendam vtilis proponitur.

Et hinc etiam intelligi potest, necessitatem hanc non esse de solo iure Canonico, sed in ipso iure naturali magnum habere fundamentum. Ratio à priori est, quia non potest institui religio secundùm aliquem viuendi modum communem cum solis substantialibus votis religiosi status sine additione aliquarum obseruantiarum, quibus ille status ad peculiarem religionem, seu viuendi modum determinetur. Tum quia sicut substantia non potest esse, vel operari sine accidentibus; ita nec religiosus status sine regula, & viuendi modo, ac ordine: tum etiam, quia alias non posset distinctio religionum, & conseqũter nec peculiaris instituti ordo. In hoc ergo, quod per intentionem humanam additur, errandi periculum imminet, propter quod vitandum, Ecclesiæ approbatio necessaria est. Quia si libera esset talium religionum institutio, ampliatio, & propagatio, facile accidere posset, vt multi admiscerentur errores, & vt fideles deciperentur, modumque viuendi vel saluti contrarium, vel perfectionem impedientem, vel saltem ad illam nihil iuuantem, pro vero & vtili perfectionis statu assumerent, quod esset magnum Ecclesiæ detrimentum.

*14. Hæc approbationis necessitas non solùm in iure canonico, sed etiam in naturali fundatur.*

15. Et ita accidit tempore Innocentii III. Nam hæretici quidam pauperes de Lugduno, aliàs Waldenses vocati, superstitiosum viuendi modum pro religioso inuenerunt, & pro religionis statu introducere procurarunt: resistente autem Innocentio III. minimè potuerunt (vt Abbas Vrspergẽsis refert in Chronico anno 1212.) & hac occasione (vt multi credunt) Innocentius III. decreuit, vt nulla religio sine approbatione summi Pontificis de nouo erigeretur. Vnde notanda est differentia inter hanc necessitatẽ, seu obligationem, ante, vel post Ecclesiasticã prohibitionem: nam ante prohibitionem non peccaret, qui suo prudenti iudicio, & arbitrio modum religiose viuendi inueniret, & honestum, & ad perfectionẽ vtilem eum iudicando, erigeret, & socios reciperet, qui secum illum profiterentur, modo explicato superiùs in secunda opinione. Nihilominus tamen ad Prælatorum Ecclesiæ curam pertinuisset tunc talem introductionem, præsertim cum extensione, & propagationẽ nõ admittere, donec ab eis examinaretur, & probaretur; quia hoc sine dubio per se necessarium est ad bonum Ecclesiæ regimen, & ideo in Prælatis Ecclesiæ non deest potestas ad prohibendos hos viuendi modos non examinatos; nec per Ecclesiam, id est, per Ecclesiæ Pastores approbatos.

16. Vnde vlteriùs concludo semper, & ab initio Ecclesiæ Christi necessariam fuisse aliquomodo huiusmodi approbationem ad religiosam communitatẽ denuo introducendam. Ad quod explicandum aduerto, duobus modis posse aliquam religionẽ in vniuersa Ecclesia introduci. Vnus modus est, quando à principio corpus religionis pro vniuersa Ecclesia instituitur, vt per totã Ecclesiam diffundi valeat specialem vnitatem corporis mystici in se retinendo cũ mutuo vinculo sub vno proprio capite, vel gubernatore. Qui modus non fuit frequens in antiquioribus religionibus, vt mox dicemus: sed postea, & præcipue temporibus religionum mendicãtium viguit. Et sine dubio talis religio, eiusque institutio per se, & quasi natura sua vniuersalem Ecclesiæ approbationem postulat, quia illius probitas toti Ecclesiæ

*Duobus modis potest religio institui.*

*Approbatio religionum necessaria est, & pertinet vel ad Pontificem, vel ad Episcopum pro illius diuersitate.*

interest. Vnde concluditur, ad summum Pontificem pertinere, vt in sequenti capite latè dicemus; quia cura vniuersalis Ecclesiæ propria est summi Pontificis. Et ideo supposita dignitate, ac obligatione ipsius, ratio ipsamet postulat, vt sine ipsius scientia, & approbatione nullus viuendi modus pro vniuersa Ecclesia introducatur, aut instituatur.

17. *Olim non instituebãtur religiones vel pro vniuersa Ecclesia, vel sub vno capite.*

At verò antiquiores religiones, quæ Innocentium III. præcesserunt, alium modum inceptionis, & propagationis suæ habuerunt. Nam in principio, vel non fuit earum institutio generalis pro vniuersa Ecclesia, vel non sub vno capite per modum vnius corporis politici propagabantur, sed religio incipiebat in vno particulari monasterio, & sæpius, vt creditur, intra illud solum continebatur, (vt de monasterio sancti Martini Turoni, & alio Mediolani, & aliis, quæ in Occidente, & pluribus quæ in Oriente fuerunt, verisimile est.) Interdum verò multiplicabantur monasteria, vel per imitationem, & exemplum, vel per diligentiam priorum monachorum, qui interdum ab aliis populis, vel Principibus inuitabantur. Et ita videntur dilatatæ sancti Basilii, & sancti Augustini, maxime verò S. Benedicti religiones, & quanuis sub vno capite, & supremo gubernatore nõ vnirentur, ideoque non proprie vnum corpus religionis efficerent; nihilominus propter conuenientiam in regula, & emanatione ab vno parẽte ex pluribus monasteriis similibus vna familia cõponi censebatur. In illis ergo temporibus approbatio religionis in principio non erat vniuersalis, nec à summo Pontifice immediate fiebat; sed initium eius ad illum Episcopum spectabat, in cuius diœcesi primum monasterium incipiebat; quòd si aliud simile in alia diœcesi erigendum erat, ad eius Episcopum approbatio spectabat. Qui nõ tenebatur alterius iudicium sequi, cùm non esset in hoc superior, nec eius approbatio esset (vt ita dicam) canonica, id est, vniuersalis; & ita procedebatur, donec tam generalis fieret religionis approbatio, vt tacito consensu vniuersalis Ecclesiæ, approbata censeretur, quod maxime consummabatur, quando Romani Pontifices huiusmodi monasteria facto ipso, vel tacito consensu approbare videbantur: & hoc modo veteres religiones monasticæ & clericorum approbationem meruerunt, & obtinuerunt. Quod potest confirmari, & declarari ex aliis, quæ de similibus modis in canonizãdis sanctis Doctores tradũt, vt videri potest in Waldens. tom 3. de sacram. cap. 122. & Bellarmin. lib. 1. de Beat. sanctorum. cap. 8. Nam, vt iam explicuimus, eadem ratio militat in approbatione religionum, & ideo eadem proportio seruanda est.

18. *Secunda conclusio. Requiritur etiam practica approbatio.*

Secundò dicendum est, ad huiusmodi religionẽ instituendam, & erigendam, non satis esse approbationem, quasi speculatiuam, per quam eius honestas, & vtilitas declaretur, sed necessariam etiam esse approbationem practicam, per quam detur tali congregationi, vel Prælatis eius potestas acceptandi, & recipiendi in Christi nomine, & in vero statu religioso constituendi illos, qui vitam illam profiteri voluerint. Declaratur assertio, quia, vt dixi, valde distincta sunt, iudicium de probitate rei, & licentia, & facultas illam exequendi. Dicimus ergo, præter iudicium de honestate talis viuendi modi necessariam esse licentiam, & facultatem Ecclesiæ ad talem religionem instituendam, & erigendam. Et ita assertio in præsenti tempore est certa post Ecclesiæ constitutionem: vt apertè probatur ex d. cap. vlt. de Relig. domibus. Prohibet enim, *ne quis nouam religionem inueniat.* Vtique sine licentia speciali Pontificis. Idem colligitur ex ratione textus: *Ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat.* Hæc enim ratio eò tendit, vt religiones non nimium multiplicentur; ob quam rationẽ potest interdum non expedire aliquam religionem de nouo instituì, etiamsi ex Instituti examinatione constet, nihil mali, vel incommodi spiritualis continere. Ob hanc ergo causam, & alias potuit Ecclesia prohibere, ne sine approbatione, & licentia sua noua religio instituatur. Qua prohibitione consequẽter factum est, vt ad religionem instituendam specialis approbatio practica, id est, concessio, & facultas nouam religionem instituendi necessaria sit. Vt autem, qualis sit ista necessitas, melius intelligatur, circa illam prohibitionem nonnulla occurrentia dubia proponenda, & explicanda sunt, quod in sequenti capite commodiùs fiet.

## Caput XVI.

### *Dubia quædam expediuntur, quibus doctrina cap. superioris declaratur & consummatur.*

1. *Primum dubium.*

PRimum dubium est, quid illa lege canonica prohibeatur? Et secundum esse potest, an illa lex sit tantùm prohibens, vel etiam irritans. Et vtriusque dubitandi ratio ita declaratur; quia verba Innocentij sunt: *Prohibemus, ne quis nouam religionem inueniat.* Quæ verba necessariò intelligenda sunt de inuentione, quæ ad executionem, & praxim transeat: nam cogitatione inuenire, vel scriptam inuentionem tradere, non est prohibitum, vt per se notum est. Deinde non minus declaratum est debere intelligi de inuentione, quæ propria authoritate, vel sine licentia summi Pontificis ad executionem transit. Nam si id fiat de licentia Papæ, sanctum est, & quotidie fit: necenim lex vnius Pontificis potuit impedire successorum potestatem; vel ad nouas religiones instituendas ianuam prorsus occludere. Vnde rectè D. Thomas 2.2. q. 188. art. 1. ad 4. dixit, ibi institutum esse, ne noua religio sine authoritate summi Pontificis instituatur; & in idem redit, quod dixit Bellarm. lib. de Monach. cap. 4. ibi fuisse prohibitum, ne deinceps vllus ordo instituatur sine approbatione Apostolicæ sedis.

2. Hoc ergo supposito, occurrit obiectio, quia prohibitio illa videtur repugnantiam in verbis inuoluere. Nam ponamus, aliquem nunc instituere modum viuendi cum studio perfectionis in communitate aliqua, sub aliquo Prælato, in cuius manibus tria vota fiant cum traditione, & obligatione seruandi certam regulam honestam, nouam tamen, & ab authore talis modi viuendi inuentam. Nunc ergo quæro, an illa sit vera religio, nec ne? Nam si non est religio, ille non peccat contra legem dictam, quia reuera non inuenit nouam religionem; & consequenter illa institutio valida erit, quia non erit contra illam legem: hoc autem videtur contra illius legis intentionem, & contra rationem; quia illi statui, si validus est, & subsistit, nihil deest ad veram religionem, cùm sit modus viuendi stabilis, & tribus votis consecratus, & per honesta media ad perfectionem Christianam tendens; quæ est ipsa definitio religiosi status: vt videre licet in Bellarm. suprà ca. 2. & aliis. Si autem dicatur, illam congregationem esse veram religionem, tunc sequitur, non obstante illa prohibitione, posse fieri, & subsistere plures religiones veras sine approbatione Pontificis; & consequenter etiam post talem prohibitionem non esse necessariam approbationem Pontificis, vt noua religio valide instituatur; sed ad summum, vt fiat licitè, quod videtur contra mentem Pontificis in ratione ipsius explicatum; quia sic eadem pericula, & eadem confusio in multiplicatione religionum sequeretur.

3. Ex hac ergo difficultate nascitur duo dubia proposita: nam si illa lex est irritans, in prædicto casu illa

illa congregatio non erit religio, & tunc explicandum erit, quomodo ille institutor transgressor sit illius legis, & quid per illam prohibeatur. Si vero est tantum prohibens, satis clarum erit, quid prohibeat: videndum tamen erit, quomodo intentioni illius legis satisfiat. Quod ergo lex illa in principio, cum condita est, de sola prohibitione sine irritatione fierit intellecta, colligi potest ex cap. vnic. de Relig. domib. in 6. vbi refert Pontifex, quod post illam prohibitionem, *Præsumptuosa multorum temeritas effrenata quasi multitudinem adnuenit*; vtique religionum, de quibus in principio capitis dicitur: *Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret, generale Concilium consulta prohibitione vetauit.* Quæ verba etiam nullam prohibitionem indicant; & magis id significant verba sequentia, quibus Pontifex *cunctas religiones, & ordines mendicantes post dictum Concilium adinuentos, qui nullam sedis Apostolicæ confirmationem meruerunt, perpetuæ prohibitioni subiicit, & quatenus præcessorum reuocat.* Igitur supponere videtur fuisse validos, non enim illos nullos fuisse declarat, sed *reuocat* denuo, vtique eos annullando. Et certe, si non fuisset ita intellecta illa vox, verisimile non esset ausos futuros fuisse homines catholicos tantam multitudinem religionum multiplicare. Potest etiam hæc pars ratione generali confirmari; quia lex prohibens non est irritans, nisi id expresse declaret, quod ibi non fit, nec extendi debet, cum sit odiosa. hæc tamen sententia & falsa est, & difficultatem propositam non euacuat, vt mox ostendam.

4. Sua sententia.

Prius enim referre necesse est sententiam Caietani, qui hanc difficultatem sub aliis terminis tetigit in 2. 2. q. 188. a. 1. mouet autem illam in speciali citra professores regulæ tertii ordinis, vtique S. Francisci, vel S. Dominici (hoc enim non declarat) in peculiari congregatione viuentes in communi, & tria vota emittentes sine licentia Pontificis. Et de illis quærit, an violent prædictam legem, tanquam institutores nouæ religionis, vel potius excusari possint à culpa, & transgressione illius legis, quia non sunt veri religiosi, nec ille modus viuendi est religio. In quo dubio ipse in hanc posteriorem partem inclinat. Et potest pro eadem sententia citari Cardinal. Con. 39. quatenus dicit, legem prohibentem nouam religionem inuenire, non comprehendere illos, qui nouum modum religiose viuendi inuenerunt sine professione; quia illa non est propria religio. & sequitur Felinus in cap. *Ecclesiæ sanctæ Mariæ.* de Constitut. in principio. Illam vero sententiam confirmat Caietanus, tum authoritate talium instituentium, quos dicit fuisse viros religiosos, & non ignorantes, & veneratione dignos apparuisse. Tum ex illo principio, quod pœnæ non sunt extendendæ. Ex quo infert, nomine religionum in dicto capite intelligi statum personarum tria vota solennia emittentium, quia hæc est propriissima, & stricta illius vocis significatio.

Ex quo vlterius colligit Caietanus, instituentes congregationes prædictas cum tribus votis, non esse authores nouæ religionis; quia illa vota non sunt solennia, sed simplicia, iuxta declarationem Bonifacii in d. cap. vnico. de voto in 6. Et consequenter ait, illa non esse vota constituentia religionem propriè dictam. Et ita ad difficultatem respondet, illos instituentes tales viuendi modos non agere contra prohibitionem Innocentii; quia non instituunt religiones. Obiicit autem sibi, quia saltem peccabunt contra prohibitionem Gregorii X. prohibentis fieri nouos ordines: quam vocem videtur addidisse Gregorius ad prohibitionem extendendam; quia vox *ordo* generalior est, & proprie comprehendit illas congregationes religiosum ordinem seruantes, etiamsi vota solennia non habeant. Et solum respondet Caietanus de particulari Ordine Tertiariorum, vel Tertiariarum, quod licet ei de nouo addantur tria vota simplicia sine licentia Pontificis, non fit nouus ordo, sed antiquus quodammodo perficitur; & ideo in rigore per hoc non fit contra prohibitionem illam. Ex quo toto discursu videtur colligi, sensisse Caietanum, materiam prohibitam ab Innocentio fuisse tantum religionem constantem ex votis solennibus, & consequenter legem illam fuisse irritantem in eo, quod prohibet, scilicet respectu religionis constantis ex votis solennibus; quia nec licite, nec valide fieri potest sine licentia Pontificis. At vero respectu ordinis, in quo talia vota non emittuntur, legem illam Innocentii nec irritantem, nec prohibentem esse, quia non cadit in talem materiam; & ideo dicit non peccare contra illam legem, qui talem ordinem sua authoritate inuenit. De prohibitione autem addita per Gregorium, sentit latiorem habere materiam, quia non solum nouam religionem, sed etiam nouum ordinem prohibet. Vnde licet in particulari excuset Tertiarios propter rationem, quam reddit, tamen generatim non excusat eum, qui introduceret nouum ordinem non solum quoad vota, sed etiam quoad totam viuendi notmam, quominus esset prohibitionis Gregorianæ transgressor. Non explicat autem, an respectu talis ordinis sit lex illa tantum prohibens, an etiam irritans.

6. Hæc vero sententia plurimum eneruat decretum Innocentii, & solidum fundamentum non habet: nam in primis nunc non agimus de pœna, de qua illud decretum nullam mentionem facit; sed materiam, & efficaciam illius legis inquirimus. Et deinde lex illa non potest dici odiosa, vel pœnalis, sed potius directiua, cum nullam pœnam adhibeat, & fauorabilis, cum communi Ecclesiæ bono valde vtilis fuerit, & nulli onerosa cum fundamento reputari possit. Quia postulare pontificiam approbationem non est onus speciale, sed quodammodo in ipsa natura talis operis inclusum, vt omnia ordinate fiant: & præsertim ea, quæ tanti momenti existunt. Præterea, quanuis eo tempore religionum vota solennia essent, & sine illis fortasse religiosus status non constitueretur; nihilominus hoc non est per se, vel de intrinseca ratione veræ religionis requisitum. (vt iam à nobis declaratum est.) Vnde cum Pontifex de religionibus generaliter loquatur, non est, cur eius prohibitio ad religiones, in quibus vota solennia fiunt, restringatur. Nam lex illa non tantum prohibet religiones vsitatas, vt sic dicam, sed quascunque possibiles fieri sine approbatione Pontificis.

*Prohibitio Innocentii non est odiosa, sed directiua.*

7. Quod optime colligi potest ex ratione, & fine legis. Nam si Pontifex solum prohibuisset fieri religionem cum professione trium solennium votorum, non euitasset inconueniens, quod proponit, dicens: *Ne nimia religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat.* Nam si religiones cum votis simplicibus sine approbatione Papæ possent & valide, & sine culpa multiplicari, non minor confusio in Ecclesia Dei sequi posset, vt est per se notum: Imo quodammodo esset maior, & cum maioribus incommodis. Tum, quia multiplicatio esset non tantum eiusdem generis, vt sic dicam, sed etiam diuersi: tum quia si vota essent tantum simplicia, & non fierent cum magna examinatione, & circunspectione per Ecclesiam probata, multo maiora inconuenientia ex illorum varietate, & violatione sequi possent, vt facile à quocunque prudenti considerari potest. Denique licet verum esset, nomine religionum in eo textu significari eas, in

quibus vota solennia fiunt; nihilominus negandum non esset, contra illam legem peccare, qui religionem sua authoritate, sine facultate Papæ, eo modo, quo potest, introducit; quia alias nunquam posset aliquis contra illam legem peccare, vt probat ratio dubitandi in principio posita, cui Caietanus non respondet; consequens autem est aperte falsum, vt statim ostendemus.

8. *Prima conclusio.* Ad expedienda igitur proposita dubia, & alia, quæ obiter occurrere possunt. Dico primo. Materia illius legis prohibentis, vt lata est ab Innocentio III. est cuiuscunque veræ religionis, seu congregationis vere religiosæ institutio, sine Pontificis, seu Ecclesiæ approbatione. Probatur ex verbis expressis eiusdem capitis: *Prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat.* Et ita intelligunt glossa, & interpretes ibi, & Felinus in cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ.* de Constit. cum Cardinal. in con. 37. Nec in hoc dissentit Caietanus, licet modum constituendi religionem nimium restringat, vt dixi. Ratio autem est, quia nomen *Religio.* proprie, & vniuoce (vt sic dicam) non nisi veram religionem significat; sicut homo significat verum hominem: verba autem legis in vniuoca, & propria significatione accipienda sunt, nisi aliud in ipsa lege declaretur. Locutus sum autem de illa lege solum vt lata ab Innocentio III. quia de illa, vt lata à Gregorio X. dubitari potest, an extensa fuerit ad materiam ampliorem, quod paulo post declarabo.

9. *Secunda conclusio.* Dico secundo. Lex illa non solum prohibet fieri religionem sine facultate Pontificis, sed etiam irritat religionem sic factam, vel potius attentatam, facitque, vt non sit vera religio. Hanc assertionem sumo ex D. Thoma in 4. dist. 38. q. 1. a. 2. quæstiunc. 3. in corpore, & ad 3. vt statim explicabo. Idem sentit Caietanus 2.2. q. 88. art. 7. dub 1. in fine 1. opin. & in 2. & Summistæ communiter verbo *Religio.* gloss. in cap. 1. de Relig. domib. in 6. verb. *processerunt*, dum addit *de facto*, id est, non iure, nec vere, sed tantum in exteriori facto, & specie. Et similiter tacit è exponit verbum Pontificis *reuocamus*, id est, nulla esse declaramus; & ideo cum effectu eas de medio tolli volumus. Adde, quod communitates illæ cum tali modo viuendi congregatæ, si vere religiones fuissent, quanuis indebito modo erectæ, non possent tam facile reuocari, & annullari; quia professio ligaret, siue vota essent solennia, siue simplicia, ideoque non possent tanta facilitate dissolui. Neque etiam illa fuisset conueniens pœna, potuissent enim illi religiosi cogi ad profitendam aliam religionē ex approbatis in pœnam prioris delicti, & vt vota sua melius seruarent: nam si liberi dimitterentur, commodum ex suo delicto quodammodo reportarent. Hoc igitur modo assertio potest ex illo textu satis probabiliter colligi.

10. Fauet etiam caput vnic. de voto. in 6. quatenus indicat, solam illam professionem esse validam, quæ fit in religione per sedem Apostolicam approbata; & Clement. vnic. de Relig. domibus dicens, Beguinas non fuisse religiosas vere, quia non profitebantur in religione approbata. Et ex Extrauag. *Sanctæ Romanæ.* eod. tit. ibi, *Quasi secta fuerit vna de religionibus approbatis.* Et infra in toto discursu illius textus idem significatur; & ideo in fine quidquid à simili secta sub nomine religionis actum est, *Nullius momenti, aut firmitatis fuisse decernitur.* Ratio reddi potest, quia licet aliqua lex non addat verbum expressum irritandi, nihilominus ex ratione ipsius, & ex materia, ac modo prohibitionis huiusmodi legis intentio colligi potest. Et ita est in præsenti; quia nimia religionum varietas non inducit confusionem ex eo, quod fiant, sed ex eo, quod sint, & durent. Ergo lex illa non solum intendit prohibere ne fiant tot religiones, sed etiam intendit facere, ne existant: hoc autem non poterat consequi per solam prohibitionem, nisi talis esset, quæ factum irritaret. Et hoc fortasse significatum est per illam exaggerationem, *firmiter prohibemus.*

11. *Non constituitur verus religiosus nisi in communitate approbata.* Item ex materia idem sic colligimus; quia vera religio non est, nisi, in qua verus status religiosus fieri, seu acquiri potest. Sed facta illa prohibitione in nulla communitate non approbata potest verus religiosus constitui; ergo nec illa potest esse vera religio: ergo illa prohibitio talis est, vt etiam irritet. Consequentia cum maiori notæ sunt; minor autem probatur; quia ad verum religiosum statum non sufficiunt tria vota immediate Deo facta, & ab illo inuisibiliter, vt sic dicam, acceptata; sed necesse est, vt fiant in manu alicuius, qui vice Dei possit illa visibiliter acceptare, & consequenter possit etiam talem personam tali corpori Ecclesiastico, & religioso incorporare. Sed hoc non potest habere vlla humana congregatio sine approbatione Pontificis post illam prohibitionem; ergo. Maiorem tradit Nauar. in Com. 1. de Regul. n. 18. moni. 23. & cons. de Regul. ex cap. *ad Apostolicam.* & cap. *porrectum.* de regul. vbi idem habent Innocent. Cardin. Panorm. & alii. Fundant autem illam necessitatem in voti solennitate, in quo res quidem est manifesta, & de illo præcipue illa iura loquuntur.

12. At vero id nos etiam probamus in votis simplicibus, quæ interdum possunt verum religiosum constituere: nam tunc etiam necesse est, vt in manus alicuius potestatem habentis ad illa admittendum, fiant: vt insinuat Gregor. XIII. in Bullis sæpe citatis, quibus institutum Societatis confirmat. Nam in illis inde probat, aliquos in Societate constitui vere, & proprie religiosos per vota simplicia; *quia & per ea se Societati dediuant, & actu tradunt, & ab ipsa Sede Apostolica admittuntur*, (id est, eius authoritate, & per ministros ab ipsa deputatos) *& per ea Societati incorporantur.* Sentit ergo, hoc esse necessarium, vt vota etiam simplicia verum religiosum constituere possint. Et ratio est per se euidens, quia loquimur de vero statu religioso ecclesiastico, seu in foro Ecclesiæ, & non tantum apud Deum; & ideo necesse est, vt vota, quibus talis status constituitur, ab ipsa Ecclesia acceptentur. Ideoque licet non sint solennia substantialiter, & in rigore supra explicato; nihilominus necesse est, vt aliquo modo solenniter fiant, quoad modum emittendi illam manibus potestatem habentis. Quod euidentius vrget, loquendo de statu religioso cœnobitico, seu in communitate aliqua religiosa. Non enim potest quis fieri verus religiosus alicuius religionis, nisi fiat membrum eius; non fit autem membrum eius per vota, nisi religio illa acceptet, & in corpus suum vouentem coaptet, quod sine publica potestate non fit.

13. *Summus Pontifex est supremus Prælatus religionum.* Quod autem hæc potestas nunc non sit in congregatione non approbata per Ecclesiam, probatur; quia illa debet principaliter à sede Apostolica manare: vt Gregorius insinuat, de tribus votis simplicibus Scholarium societatis dicens, à sede Apostolica fuisse admissa. Et ratio est, quia potestas dispensandi; & disponendi ea, quæ ad Deum pertinent, in Ecclesia principaliter residet in Pontifice, tanquam in supremo Vicario Dei: ad hanc autem potestatem pertinet authoritas admittendi vota nomine Dei in publico Ecclesiæ foro; ergo talis authoritas principaliter est in Pontifice. Adde ob hanc rationē ipsum esse supremum Prælatum cuiuscunque religionis, sine cuius authoritate nemo potest illi incorporari. At vero facta prædicta prohibitione, non potest talis potestas esse in communitate non approbata; quia Pontifex non communicat illam potestatem com-

communitati, quam non vult statum religionis habere: ideoque absoluta prohibitio in tali materia vim habet irritandi. Et hic discursus sumitur ex D. Thoma in loco allegato.

14. Obiectum primum. Ex quo principio colligimus primo, hanc etiam approbationem, seu facultatem semper fuisse in Ecclesia necessariam ad constituendum verum statum religiosum in communitate aliqua, licet non semper eodem modo in vsu fuerit. Ratio prioris partis est, quia semper fuit necessaria potestas in tali communitate ad acceptanda vota, & traditionem religiosam nomine Dei, quæ potestas à Pastoribus Ecclesiæ deriuari semper debuit, quod sine approbatione non fit. Et in hoc deficit discursus secundæ sententiæ, quia considerat hanc congregationem, vt mere politicam, in qua possunt sufficere voluntates contrahentium cum naturali potestate se mutuo obligandi. In religioso autem statu aliquid altius, & sacratius inuenitur, præsertim, vt in Christi Ecclesia inter status Ecclesiasticos numeretur; quia in eo Deus ipse est aliquo modo vna ex partibus principaliter contrahentibus, & acceptantibus; & ideo necessaria est in illo statu facultas manans à Christi vicario per aliquam approbationem. Altera vero pars probatur optime exemplis supra positis de antiquis religionibus: tunc autem approbatio incipiebat ab aliquo, & paulatim procedebat per multorum Episcoporum consensum, donec Romanus Pontifex, vel expresse, vel saltem tacite consentiret modo supraexplicato. de quo in capitibus sequentibus plura dicemus, quæ tractando de singulis religionibus notiora fient.

15. Obiectum. Secundo colligimus ex dictis, per prohibitionem illam Innocentii non solum irritari religionem constantem ex votis solennibus substantialiter, sed etiam constantem ex votis simplicibus cum ea externa solennitate factis, quæ ad incorporandum aliquem in communitate religiosa sufficiat. Probatur, quia illa communitas, & modus viuendi, si non est per Papam approbatus, non habet ab illo potestatem aliquem sibi incorporandi, & consequenter, nec acceptandi traditionem, vel vota; quia Pontifex non dat talem potestatem, nisi approbando efficaciter, & practice aliquem viuendi modum, & communitatem ad viuendum, secundum illum congregatam. Ergo talia vota non sunt valida sine approbatione, nec sufficientia ad constituendum statum religiosum. Ergo lex prohibens inuenire religionem non approbatam, etiam irritat illum religionis modum, saltem quoad esse verę religionis. Et hoc etiam confirmant omnia obiecta contra Caietani sententiam, nimirum, quod Innocentius prohibet omnem veram religionem, & prohibendo, irritat: si autem illa congregatio votis simplicibus ab illa acceptatis constitueretur, esset vera religio. Item quoad alias eadem confusio religionum sequeretur.

16. Dices; illa vota reuera obligant eos, qui talem viuendi statum assumunt, quia hac intentione ab illis emittuntur; & nulla est lex, quæ illam obligationem impedire possit, cum sit naturalis, & sancta. Propter hoc dixerunt aliqui, illa vota esse valida, vt simplicia, licet, non vt solennia. ita sentit Caietanus 2.2.q.88.a.7. circa secundam opinionem, & Card. con.39. Felin. in cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. de Constit. At vero contrarium, id est, vota illa nullo modo esse valida, sentit gloss. in Extrauag. *S. Romana*. Ioan. XXII. de Relig. domibus. verb. *Approbatis* cum Hostiens. in cap. 18, *qui*, seu 1. de Regular. in 6. quia profesio nulla per se nullam obligationem inducit, vt supra dixitur. Et hæc sententia in rigore mihi videtur vera, quam sic declaro; quia in primis post talem professionem votum obedientiæ non obligat, quia non habet materiam, in quam cadere possit, quia illa obedientia non promittitur, nisi in tali communitate, quatenus est vnum corpus mysticum, seu Ecclesiasticum habens aliquem superiorem, & modum, vel regulam, secundum quam præcipere valeat. Talis autem regula, cum non sit approbata, nulla est; & ipsa communitas cum sit prohibita, non potest in vnum corpus moraliter coalescere; ergo ibi non potest inueniri obedientia, quæ sit materia voti: nec illa esset obedientia perfectionis, sed rebellionis, & pertinaciæ. Et consequenter nec votum paupertatis potest esse validum; quia & omnino pendet à voto obedientiæ (vt infra dicam) & moraliter loquendo talis paupertas non promittitur, nisi in ordine ad talem communitatem, & cum obligatione reciproca, quod communitas curam suscipiat alendi, & prouidendi professis illam; ergo non subsistente communitate, nec tale votum paupertatis potest obligare.

*Ratio ex professione nulla.*

*Nota manet quoad vota obedientiæ, & paupertatis.*

17. Votum autem castitatis de se magis abstrahit à modo viuendi in aliqua communitate, & extra illam fieri potest; ideoque de illo res est magis dubia. Resolutio autem est, quæ de quacunque professione nulla dari solet, vt infra videbimus. Nam si ille, qui talem statum assumit, absoluta, & priuata intentione voluit castitatem vouere, votum tenebit, & obligatus ille manebit; quia nulla est lex, aut ratio irritandi tale votum. Si autem solum habuit intentionem vouendi castitatem in illo statu, & communitate, & vt connexam cum vi perfectionis; sic votum castitatis erit etiam irritum, quia etiam illi materia subtrahitur. Et nisi clare constiterit de priori intentione, ita est de tali voto præsumendum. Idemque dicendum est de obligatione sumendi alium religiosum statum validum; quia nisi constet de tali voto simplici, & de intentione vouentis, ex vi illius voluntatis, & actionis profitendi talem statum, seu viuendi modum, nulla obligatio religionis manet, quia ibi promissio, aut votum alterius religionis non interuenit.

*Manet aliquando quoad votum castitatis.*

18. Sed interrogabit aliquis; an eo ipso, quod Pontifex talem viuendi modum, vt honestum, & sanctum approbet, detque facultatem profitendi illum cum votis tantum simplicibus, illa sit vera religio, ita vt vna ex approbatis dici possit; vel oporteat, vt expresse, & quasi formaliter illam approbet sub ratione veræ religionis; ita vt veluti specialiter illi priuilegium veræ religionis concedat. Aliqui enim Canonistæ, & Summistæ hoc posterius indicant, dum distinguunt inter Pontificiam approbationem communitatis religiosæ in ratione religionis veræ, vel in ratione modi viuendi honeste, ac religiose aliquo modo. Dicuntque ad religionem non sufficere hanc posteriorem approbationem, sed requiri priorem, quasi formalem: ita distinguit Panorm. in cap. *nullus*. de for. comp. numero 11. & cons. 55. numero 1. & 2. Sylvest. verb. *Religio*. 1. q. 1. vers. 2. clarius Nauarr. Comment. 1. de Regul. numero 18. moni. 23. qui refert glossam in Clement. *cum ex eo*. de sent. Excommun. verb. *Tertio*. Et idem habet glossa in Clement. 1. de Relig. domibus. verb. *Obedientiam*. Mihi tamen aliter distinguendum videtur: nam duplex esse potest modus viuendi approbatus à Papa in aliqua communitate religiosa. Vnus est cum vera vnione, & incorporatione per tria vota simplicia de se perpetua, & de tribus consiliis substantialibus perfectionis integris, & perfectis in suo ordine. Alius modus est in aliqua communitate, & modo viuendi honesto cum voto castitatis solo, vel coniuncto cum solo voto obedientiæ; vel cum tribus non perpetuis, etiam ex parte vouentis, sed quandiu vouens voluerit in illa com-

*An requiratur vt expresse, ex quasi formaliter sub ratione veræ religionis detur approbatio, vt sit vera religio.*

*Præmittitur distinctio.*

communitate manere, aut cum alia simili conditione diminuente substantialiter statum perfectionis.

19. *Decluditur dubium.* Dico ergo, quando modus viuendi est prioris generis, eo ipso, quod approbatur, vt sanctus, & honestus, & datur facultas emittendi, & acceptandi in illo tria vota; approbari vt sit verus religionis status, nec posse vnum ab alio separari, ac subinde non esse necessarium, vt approbatio sit cum illa formalitate; sed satis esse, quod simpliciter approbetur, vt introduci & esse possit. Ratio est, quia impossibile est approbare modum viuendi in communitate religiosa, & habentem omnia. quæ (præter approbationem) sunt de substantia religionis, ac religiosi status, & non approbare illum, vt sit vera, & propria religio, etiamsi in approbatione ipsa, seu in obiecto eius hoc formaliter non exprimatur. Probatur assumptum, quia in rebus naturalibus impossibile est, rem habere omnia, quæ sunt de substantia talis speciei, v. g. hominis, & non esse verum hominem; & in artificialibus non potest aliquid habere quidquid est de substantia, seu ratione domus, & non esse domum: & sic in moralibus, non stat aliquid habere omnia, quæ sunt de substantia Sacramenti, v. g. & non esse Sacramentum. Sic ergo impossibile est aliquam congregationē habere omnia, quæ sunt de substantia religionis, & non esse religionem, ergo si talis cogregatio approbatur simpliciter cum toto suo viuendi modo, impossibile est, approbari, vt est talis viuendi modus, & non in esse veræ religionis. Nec explicari potest, quid addat tali statui approbatio vno modo facta potius, quam alio. Et hoc probant nonnullæ ex rationibus dubitandi in præced. c. propositæ.

20. Denique in approbationibus Instituti Societatis Iesv id manifeste conspici potest. Nam Paulus III. in prima sua approbatione nullam mentionem facit religionis, sed proposita tota ratione viuendi in hoc instituto, his verbis illud confirmauit: *Cum nihil in præmissis reperiatur, quod pium non sit, ac sanctum. Nos, vt iidem socii, qui nobis super hoc humillime supplicari fecerunt, in eorum pio viuendi proposito eo promptiores existant, quo se maiori Sedis Apostolicæ gratia complecti cognouerint, & præmissa per nos approbari viderint, præmissa omnia, & singula, tanquam ad spiritualem profectum eorundem sociorum, & reliqui Christiani gregis opportuna Apostolica authoritate, tenore præsentium ex certa scientia approbamus, confirmamus*, &c. Et infra cum restringit numerum recipiendorum, non vocat religionem, sed *normulam viuendi*. Et similiter Iulius III. in sua prima Bulla eandem approbationem referens, & confirmans, eadem fere præmittit verba, & tandem concludit: *Apostolica authoritate tenore præsentium erectionem, & institutionem Societatis, &c. perpetuo approbamus, & confirmamus*; nulla facta eius mentione sub nomine religionis, vel religiosi status. Et nihilominus Pius V. in suo secundo Breui, *Dum indefesse*. ex vi dictæ confirmationis declarauit. *Præpositum, ac singulas personas Societatis huiusmodi vere, & non ficte mendicantes fuisse, esse, & fore, & inter aliorum fratrum, & religiosorum mendicantium ordines, aliosque fratres, & religiosos mendicantes, prout illos nos connumeramus, connumerari debere*. Vbi pondero verba illa *fuisse, & esse*. ex illis enim constat declarate Pontificem, ex vi priotis approbationis hanc fuisse religionem veram, quia secundum omnia necessaria ad veram religionem approbata fuerat; sicut etiam declarat fuisse mendicantem, quia quidquid ad rationem mendicantis necessarium est, in ipso instituto continetur, etiamsi sub illa ratione mendicantis formaliter, & expresse approbata non fuerit. Idemque argumentum sumitur ex vtraque Bulla Gregorii XIII. eiusdem instituti confirmatoria; vbi etiam declarat, non solum professos, sed etiam coadiutores, & scholares approbatos, & incorporatos Societati, per tria vota simplicia ab eadem Societate admissa, fuisse, & esse vere religiosos. Ergo Societas, in qua viri religiosi facti sunt, ex vi suæ primæ approbationis incepit esse vera religio, licet non sub ea formalitate verborum, sed sub realitate, vt sic dicam, modi viuendi in se includentis omnia substantialia veræ religionis, & cum facultate, ac potestate acceptandi vota eorum, qui tali congregationi incorporari vellent, tunc fuerit approbata.

21. *Alia decisio additur.* Vnde addo secundo; quando institutum, & modus viuendi alicuius congregationis non includit tria vota integra, & de se perpetua, prout sunt de essentia veri status religiosi, quanuis approbetur in ratione modi viuendi honesti, & aliquo modo religiosi, & Pontifex multa priuilegia, & immunitates illi concedat, imo, & communicationem indulgentiarum, & omnium priuilegiorum cum omnibus religionibus illi tribuat; nihilominus talis approbatio non sufficit, vt illa sit vera religio, seu verus status religiosus. In hoc sensu loqui debuerunt authores supra citati, vt verum dixerint, & vt eorum doctrina locum habeat; existimoque hanc fuisse eorum mentem. nam aperte loquuntur de quibusdam viuendi modis specialibus, vt Tertiariorum, Iesuatorum, & similium, qui tria substantialia vota tunc non emittebant, vt iidem authores referunt. Et confirmatur optime ex cap. *indemnitatibus. §. supradicta.* de Elect. in 6. vbi fit mentio congregationum quarundam mulierum, religioso modo, sine vera professione viuentium, quæ non reprobatur; & de illis in fine ait Pontifex: *Per hoc autem illarum statum, ordinem, aut regulam non intendimus approbare*. Ratio autem assertionis clara est, quia plures modi viuendi possunt esse honesti, & participare aliquid de itinere perfectionis, etiamsi non habeat omnia ad integrum statum necessaria. Ergo potest Papa talem modum viuendi vt honestum approbare, quia in hoc per se nullum est inconueniens: & interdum potest esse ad Ecclesiæ vtilitatem expediens. Non potest autem Papa facere, vt aliquis sit verus status religiosus sine his, quæ sunt de essentia, vel substantia talis status ex diuino iure. Ergo sola approbatio si non cadat in sufficientem materiam, non potest esse approbatio religionis: ideoque approbatio Papæ in genere sumpta in dicta duo membra recte distinguitur.

22. *Aliud dubium.* Sed quæret aliquis vlterius, an hoc tempore non tantum sit necessaria approbatio Pontificis ad veram religionem constituendam, sed etiam ad quemcunque modum viuendi honestum, obseruantem ordinem, ac ritum, & cæremonias aliquas religiosas sine tribus votis substantialibus. Nam aliqui absolute negant: vt Card. con. 39. & Felin. in c. *Ecclesia S. Mariæ*. de Const. Veruntamen hoc ad summum permitti posset spectata sola prohibitione facta in Concilio Lateran. sub Innocentio III. Nam loquitur de sola religione, & vox est cum proprietate intelligenda: Vi bene Caietanus considerauit cum aliis. Nihilominus tamen oppositum dicendum est, attenta prohibitione Concilii Lugdun. sub Gregorio X. quia loquitur de religionibus, & Ordinibus. Ordo autem cum proprietate dictus latius patet: nam illæ congregationes; licet veritatem status religiosi non attingant, nihilominus ordines cum proprietate appellari solent. At ibi prohibitio fit, ne quis sine approbatione nouam religionem, vel ordinem adiueniat. Ergo extensio facta est ad quemcunque religiosum modum viuendi, qui ordo dici possit, quamuis ille statum vere religiosum non attingat. *Decluditur.*

A qua

Atque ita sentiunt communiter Doctores ex textu allegato cum glossa ibi, v. *Habitus*. quam commendat Panormitanus d. con. 55. Et idem habet in c. *nullatenus* de for. compet. n. 11. in fin. Et optime confirmat ex Extrauag. *Sancta Romana*. Ioan. XXII. de Religiosis domibus vbi prohibitionem Concilii Lugdunensis cum eadem extensione, & disiunctione *ordinis, vel religionis*, refert. Declaratque Fratricellos, Beguinas, & alios similes deliquisse contra dicti Concilii legem, *quia habitum nouæ religionis assumere, congregationem, & conuenticula facere, &c. temeritate damnabili præsumpserunt*. Supponit ergo, etiam illum modum Institutionis vitæ communis religiosæ absque approbatione Papæ esse prohibitum in illo textu. Ratio denique est, quia non minor confusio, & periculum ex multiplicatione istorum ordinum, quam ex multiplicatione religionum sequi poterat: vt Gregorius X. & Ioannes XXII. aperte ponderant. Vnde insinuant, hanc etiam fuisse mentem Innocentii, quam ipsi potius declarant, quam extendunt. Et hinc colligit Panorm. in d. cap. vlt. de Relig. domib. per hoc ius Canonicum correctum esse ciuile, statuens vt collegia pia licita sint, etiamsi specialiter approbata non sint. l. 1. ff. de Colleg. illicit. Sed illa lex non loquitur in materia Ecclesiastica, nec tractat de approbatione Pontificis, sed Imperatoris, aut Regis, vel Reipublicæ sæcularis, & ideo illa prohibitio non tam fuit correctio iuris ciuilis, quam nouum canonicum ius.

14. Circa quod superest addendum, quod supra diximus de lege Innocentii non solum prohibentem esse, sed etiam irritantem, eodem modo accipiendum esse de prohibitione Gregorii, quatenus in hos viuendi modos, seu ordines cadit. Quanuis enim in illis non habeat locum irritatio religionis propiæ, seu religiosi status, quia de se in tali modo viuendi approbato nullus verus religionis status constituitur; nihilominus, quando talis modus viuendi sine approbatione instituitur, etiam in suo gradu, & ordine, nullus est. Consistit autem in hoc irritatio, quod omnia pacta, & promissiones humanæ, quæ in ordine ad talem modum congregationis erigendum, vel assumendum fiunt, nullæ sunt, nullamque obligationem inducunt: & similiter votum obedientiæ, si ibi fiat, est nullum; imo etiam votum castitatis, si fiat cum intentione seruandi illam in tali communitate, & non alias, quia includit conditionem turpem. Ac denique, quia ex vi illius legis, non solum prohibita est institutio illius status, sed etiam diuturna, seu perseuerantia in illo: hac etiam ratione merito dici possunt tales congregationes esse irritæ ex vi talis legis, cum lex illis semper resistat, non solum in fieri, vt sic dicam, sed etiam in facto esse.

15. Vltimo circa hanc prohibitionem, & irritationem noto, intelligendam esse de religione prout nunc est in vsu Ecclesiæ in congregatione, & vita communi. ita notauit glossa, verb. *Habitum*. in d. cap. 1. de Relig. domib. in 6. Nam de solitariam vitam agentibus, vel priuatim in suis hospitiis viuentibus, ibi nihil disponitur. quam sententiam approbat Panorm. d. Cons. 55. eamque Confirmat ex Clement. 1. de Relig. domib. in fin. Vbi post prohibitionem cuiusdam superstitiosi modi viuendi in communi quarundam fœminarum adiungit Clemens V. *Per prædicta nequaquam intendimus, quin si fuerint aliquæ mulieres, quæ promissa continentia, vel etiam non promissa, honestius suis conuersantes hospitiis, pœnitentiam agere voluerint, & virtutis Domino in humilitatis spiritu deseruire, hoc eidem liceat, prout Dominus ipsis inspirabit.* Et idem sequitur Nauar. in Manual. cap. 27. num. 127. Et sic attente ponderentur verba d. cap. 1. de Relig. domib. in 6. hic est eorum sensus, hæc enim sunt verba: *Districtius inhibentes, ne aliquis de cætero nouum ordinem, aut religionem adinueniat, vel habitum nouæ religionis assumat.* Et similia fere reperiuntur in d. cap. vlt. extra cod. & ita in vtroque membro firmo est de religione, vel ordine, in quo fit professio vitæ communis, & alicuius modi viuendi, qui per receptionem plures congregari, & per successionem conseruari possint.

16. *Prohibetur non solum inuenire talem religionem sed etiam ingredi.*

Duo autem per illa membra prohibentur, vnum est inuenire talem ordinem, vel religionem: aliud est, illam ingredi; & hoc significant illa verba: *Habitum nouæ religionis assumere.* Nam sicut nemo ingreditur antiquam religionem, nisi habitum illius assumendo; ita nouæ religionis ingressus per assumptionem habitus fieri debebat. Hoc ergo per illa verba prohibitum est, non vero quod in sua priuata vita, & domo possit vnusquisque habitum humilitatis, aut pœnitentiæ, etiam singularem assumere; sed id prudentiæ, & regimini Episcoporum relinquitur. Et ratio facile redditur; quia ex priuato modo viuendi singularum personarum, etiam si in exteriori habitu, vel moribus varietas sit, non sequitur in Ecclesia confusio illa, vel perturbatio, aut errandi periculum, vel alia mala, quæ arbitraria religionum, & Ordinum inuentione timeri possent: & si quæ possunt incommoda particularia ex priuatis modis viuendi sequi, facile possunt per prouidentiam Pastorum Ecclesiæ præueniri, & caueri; & ideo per legem canonicam prohibiti non sunt.

17. *Non prohibetur habitus, & modus singularis in vita priuata.*

Quanuis autem hæc ita sint, nihilominus verum existimo, in his priuatis viuendi modis, seu extra communitatem regularem ab Ecclesia approbatam, quam nunc proprie religionem appellamus, nemi nem posse verum statum religiosum assumere, aut verum religiosum fieri. Quanquam enim verus religionis status in priuata domo, ac vita fieri, & consistere posset, vt supra cap. 4. docui, & olim fuerit in vsu in Ecclesia, vt infra ostendam, tractando de Eremitis: nihilominus in præsenti tempore existimo non posse huiusmodi statum, vt inter Ecclesiasticos numeretur, extra religiones approbatas constitui. Hoc mihi videntur sentire Doctores, in rubrica, de Regularibus. vbi communiter tradunt, Eremitas, & Beatas, quas vocant, in priuatis domibus religiose viuentes, non esse vere, ac proprie religiosas personas. Fundarique potest hoc in verbis Innocentii. in d. cap. vlt. vbi facta prohibitione: *Ne quis de cætero nouam religionem inueniat*, adiungit: *Sed quicumque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat.* Per quæ verba limitat assumptionem religiosi status ad professionem factam in vna de religionibus approbatis. Vnde idem Innocentius III. in cap. *in singulis*. de statu Monach. omnium religiosorum statum ad communem vitam ita reuocare studuit, vt non solum in singulis monasteriis communis viuendi modus seruetur; sed etiam diuersa monasteria inter se aliquo modo vniantur, & in vnam veluti societatem aggregentur. quod Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 8. de Regular. confirmauit.

17. *Extra communitatem approbatam nemo sit vere religiosus.*

18. Ratio autem videtur sumenda ex dictis in superioribus, quod ad statum religiosum necessaria sunt tria vota substantialia cum traditione acceptata ab habente potestatem ab Ecclesia, vt nomine Dei talia vota, & traditionem admittat. Nunc autem ex ordinatione Ecclesiæ, non est commissa hæc potestas, nisi religionibus approbatis, seu earum Prælatis; & ideo per illa tria vota vbicunque aliter facta verus religiosus status non constituitur. Et hoc confirmat, quod ex Gregorio XIII. sæpe adduximus. Nam inde probat, tria vota Scholarium, & Coadiutorum Societatis, tametsi simplicia, nihilominus esse

esse substantialia religionis, & verum religiosum constituere; quia in religione approbata illius sedis authoritate admittuntur. Ergo extra similem statum non possunt esse substantialia religionis vota, ac proinde nec verus religiosus status. Confirmari etiam hoc potest, quia videmus ablatam esse ab Ecclesia consuetudinem velandi virgines in priuatis parentum domibus manentes. Ideoque non recipi earum vota in manibus Episcopi, vel alterius, qui non sit Prælatus alicuius monasterii, cui talis virgo se tradat, & incorporetur. Idemque in viris multo magis seruatur. Vnde Concilium Tridentinum in d. Sess. 25. tradens doctrinam de Regularibus, hanc plane veritatem supponit.

29. *Asseritur vltimo: & facta sit argumentis confirmat. id.*

Argumenta aliarum opinionum ex dictis satis expedita sunt; solum superest addendum, propter rationem principalem in principio positam, eos, qui nouas religiones sine approbatione introducunt, grauissime peccare contra dictam prohibitionem, etiamsi reipsa, quod intendunt, non assequantur, id est, veram religionem non efficiant. In hoc omnes conueniunt. Vnde Panormitanus ibi in principio colligit regulam, nemini licere nouam religionem inuenire: si ergo non licet, peccat, qui id facit. Et in d. cap. *nullus*. de for. comp. dicit hos, *transgrediendo prohibitionem sic solenniter, & ex causa factam, incurrere non modicum peccatum*. Idem docuit Sylu. verb. *Religio*. 1. quæst. 6. addens illos non esse religiosos proprie, sed potius irreligiosos, & in eo facto grauiter peccare; imo addit esse excommunicatos ipso facto, sicut etiam dixerat verb. *Excommunicatio* 9. num. 95. excommunicatione 20. Et idem tenuerunt Angel. & Nauar. quorum sententiam quoad culpam admittimus: nam quoad censuram non approbamus: vt dixi in 5. tom. de Censur. disp. 23. Sect. 4. num. 18. non quia materia, & culpa non sit capax censuræ, sed quia de facto lata non est. Ratio autem assertionis non est alia, nisi quia illa est grauissima prohibitio Ecclesiastica, quæ non inuoluit in se repugnantiam supra obiectam, id enim contra omnem prudentiam, & contra intentionem legislatoris fuisset. Prohibet ergo illa lex inuenire religionem sine approbatione, eo modo, quo per temeritatem, & præsumptionem potest ab homine inueniri, & introduci, scilicet, facto, seu quod in externa professione speciem corporis mystici religiosi habere videatur.

30. *Peccat grauiter qui nouam religionem introducere tentat, licet effectum non assequatur.*

Itaque prohibet Concilium, ne quis quantum est ex se, religionem tentet introducere, & ideo violator est legis, & grauissime peccat, qui id tentat, licet effectum assequi non potuerit; & sic etiam dixit Gregorius X. in d. cap. 1. *Præsumptuosam aliquorum hominum temeritatem effrenatam multitudinem ordinum inuenisse*. Nec refert, quod non vtatur nomine religionum, sed Ordinum; quia vel iuxta subiectam materiam pro eodem sumpsit; vel air, eos, licet adinuenissent Ordinem, nihilominus peccasse contra priorem Innocentii prohibitionem, eo quod religionem introducere tentabant. Et ideo ipse iterata constitutione prohibet tam religionem, quam ordinem, & nihilominus, qui nunc nolens introducere religionem, sed tantum nouum ordinem sine licentia Pontificis intentaret, grauiter peccaret, vt sentit Panorm. d. cons. 55. quanuis, vt diximus, etiamsi talis viuendi modus non posset nunc esse verus ordo, nec verum Collegium, seu religiosum corpus, sed tantum quædam illius vmbra, quod non obstat, quominus grauissime peccet, qui illum sine approbatione introducit. Sicut, qui nunc contrahit matrimonium sine parocho, & testibus grauissime peccat, etiamsi nullum matrimonium in reipsa faciat, iuxta Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 1. de Reform. matrim. vbi ad maiorem claritatem dicit: *qui sic matrimonium ducere tentabunt*. tamen in Sess. 25. cap. 15. de Regular. de professione ante annum probationis expletum, vel ante legitimam ætatem facta, sic ait: *Professio antea facta, sit nulla*; vbi professionem appellat, quæ vera professio futura non est, quia tanquam professio fieri tentatur, vel quia esset vera professio, si lex illa edita non fuisset. Ita ergo in nostro casu dicendum est.

## CAPVT XVII.

### *Vtrùm potestas ordinaria approbandi religionem cum plenitudine, & excellentia, in solo Pontifice Summo resideat; & quomodo ab Episcopis participetur.*

HÆc quæstio magna ex parte in duobus præcedentibus capitibus expedita est; ad maiorem autem intelligentiam materiæ, eiusque complementum, nonnulla in hoc capite addere opportunum iudicauimus. Primo ergo suppono, potestatem hanc iure diuino summo Pontifici Romano conuenire. Res est per se nota, supposito principio fidei, quod Papa sit supremus Christi vicarius in terris: nam hinc fit, vt in illo sit suprema iurisdictio, & potestas ad gubernandam, & ad pascendam Ecclesiam: potestas autem approbandi religionem, est pars potestatis iurisdictionis Ecclesiasticæ, & gubernatiuæ in ordine ad bonum animæ; ergo est in summo Pontifice: ergo immediate conuenit illi ex vi iuris diuini; quia eius dignitas inde manat, & immediatè à Christo Domino confertur, & cum dignitate datur potestas, cuius actus inter alios est approbatio religionis. 1. *Prima assertio. Potestas hæc est iure diuino in Pontifice.*

Secundo dico, hanc potestatem aliquo modo esse in Episcopis; & olim ante Concilium Lateranense, illam participasse, ita docet Vasquez d. disput. 165. cap. 4. num. 39. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 24. quæst. 5. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 12. Mirand. de Regul. tom. 1. quæst. 3. art. 6. & Basil. Ponce in dict. quæst. 3. cap. 7. Et idem sentit Mendoza lib. 2. de Concil. & liber. cap. 30. quatenus late ex sacris Conciliis probat, olim monachos fuisse sub Episcopis, tanquam sub propriis Prælatis. Quod non videtur intelligendum illo generali modo, quo cæteri intra diœcesim habitantes, Episcopo, tanquam proprio Prælato subduntur; sed etiam speciali titulo religionis, sicut nunc subduntur, v. g. Prouinciali, vel Generali. Sic enim Abbas ipse erat sub Episcopo, sicut inferiores monachi erant sub Abbate proxime, & mediate seu remote sub Episcopo, sub quo ipse Abbas existebat. Ideoque in Concilio Niceno capite 56. præcipiebatur, vt Abbas ter in anno coram Episcopo compareret. Et in Concil. Aurelian. can. 21. dicuntur Abbates in Episcoporum potestate consistere. capite *Abbates*. 18. quæst. secunda & in sequenti dicitur: *Monasteria, & monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cuius sunt territorio constituta*. Et ideo Abbates præcepta Episcoporum contumaciter despicientes excommunicantur in Concil. Aurel. III. capite 22. & ita videtur fuisse obseruatum ex vi iuris communis, & semotis specialibus exemptionibus. colligitur ex cap. vlt. de Relig. domib. 2. *Assertio secunda. Est etiam aliquo modo in Episcopis.*

Præterea receptio monachorum ad Episcopum spectabat, vt sumitur ex Dionys. de Eccles. hierarch. cap. vlt. & Conc. Niceno lib. 3. cap. 14. iuxta versionem Pisani. Et merito, quia cum Episcopus sit proximus pastor, & suo modo Christi vicarius, quasi proprius ex vi sui muneris, poterit nomine Dei acceptare vota, & traditionem; quod alii inferiores Prælati, aut fundatores Religionum sua authoritate facere non poterant. Et ita olim virgines sacras ab Episcopis velatas fuisse; antiqua traditio est, vt postea videbimus. Similiter ad Episcopos spectabat 3. *Probatur vlterius.*

bat monachorum incorrigibilium eiectio; iuxta Concil. Melden. cap. 19 & alia ad superius quoddam eorum regimen spectantia: vt sumitur ex cap. *quia religiosi*. 18. quæst. 2. Concilii Carthag. 4. cap. 22. Et ex Concilio Antiocheno cap. 38. Ex hac ergo subordinatione, quæ tunc erat inter religiosorum monasteria, & Episcopos colligi potest, multo maiorem fuisse in approbatione vniuscuiusque monasterii, eiusque vel fundatione, vel introductione cum nouo religionis modo, quod videtur expresse cautum in Concilio Chalcedonensi cap. 4. & 8. Et habetur in c. *diffinimus*. 18. quæst. 2. & postea Concil. Agathense cap. 27 sic statuit: *De monachis monasterium nouum (nisi Episcopo permittente, aut approbante) nullus incipere, aut fundare præsumat*. Habetur in ca. *de monachis*. 18. quæst. 2. In quibus verbis noto verba illa: *Permittente, aut approbante*. quibus duobus membris alia duo respondere videntur, *incipere, aut fundare*. Approbatio enim ad nouum religionis institutum in nouo monasterio introducendum, necessaria erat. At vero ad ædificandum monasterium antiquioris instituti permissio sufficisse videtur, & vtrumque ad Episcopos pertinuisse declaratur: & similia fere habentur ex eodem Concilio cap. 51. in cap. *cellulas*. eadem dist. 18. quæst. 2.

Euidentior huius rei probatio sumitur ex dictis in capite præcedenti, vbi ostendimus religiones antiquas, quæ ipso vsu approbari meruerunt, sine speciali approbatione Pontificis incepisse: quod etiam voluit Trithem. lib. de Laudi. Carmel. cap. 5. interrogans: *Dic mihi detractor, legisti ne Bullas veteres ordines approbantes? Quis Papa firmauit veteres Ordines Pachomii, Basilii, Augustini?* Hinc ergo colligimus, approbantibus Episcopis introduci cœpisse; quia nec verisimile est, sine vllo examine, & approbatione Pastorum Ecclesiæ incepisse. Id enim sine magno animarum periculo permitti non poterat; nec secluso Pontifice summo, ab aliis; quam à propriis Episcopis fieri poterat. Neque illis tunc erat prohibitum; nullum enim tale ius extat, nec ex traditione, aut historiis habetur. Et ideo Concilium Lateranense in d. cap. vltimo dicens: *De cætero*, &c. illo verbo significat, nouum esse ius, quod condit, & futura respicere, non præterita; vt de illo textu in particulari notauit glossa in cap. 1. §. *Sane*. de Relig. domib. in 6. verb. *Præsit*. Neque obstat, quod ibidem supponitur, tam tunc fuisse religiones approbatas, cum præcipitur, vt, *quicunque ad Religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis accipiat*. Respondetur enim, sermonem esse de approbatione Pontificia, vel expressa, & speciali, quæ aliquibus religionibus iam concessa fuerat, vt videbimus; vel tacita, quæ respectu totius Ecclesiæ, ipso vsu tacite inducta fuerat; quam ab expressa Episcoporum approbatione incepisse credimus.

5. Tandem ratio à priori est, quia religionis approbatio est necessaria ad bonos, & perfectos Ecclesiæ mores: ergo per se loquendo, & non præueniente, nec impediente Pontifice, pertinet ad vnumquemque Episcopum in sua diœcesi. Tum, quia in his rebus, quæ ad ordinariam gubernationem pertinent, vnusquisque Episcopus potest in suo Episcopatu, quod Pontifex in vniuersa Ecclesia, nisi à Pontifice reseruentur, aut excipiantur, quod ex peculiari excellentia, seu titulo illi concessum esse supponimus, & alibi, Deo dante, dicemus. Tum etiam, quia Episcopus ex proprio munere, est perfector aliorum, teste Dionys. capite quinto de Ecclesiast. Hierarch. Ergo ad illum spectat perfectionis viam subditis suis ostendere, & approbare.

6. His vero non obstantibus, quidam modernus author hanc sententiam non approbat, dicitque Episcopos nunquam approbasse religionem, sed tantum admittere solitos fuisse ad regulam per Pontificem approbatam. Ad obiectionem autem, quia regula Basilii, vel Augustini non inuenitur approbata à Papa; respondet, ex eo, quod aliæ regulæ leguntur à Papa approbatæ, intelligi debere, nec Basilium, nec Augustinum, aliquem ad obseruationem suæ regulæ admisisse, antequam per Pontificem probata fuisset. Potestque in huius sententiæ fauorem allegari cap. *Ecclesia*. 8. de Consecrat. dist. 1. sed de illo textu dicam paulo post. Citatur etiam pro eadem sententia Panor. in d. cap. vlt. de Relig. domib. sed alia est ibi eius sententia, quam statim explicabo. *negat: sed sine fundamento.*

Igitur illa sententia singularis est, & sine vllo fundamento cogitata. Nam in primis, quod Episcopi non potuerint ante Lateranense Concilium monasteria in suis diœcesibus erigere, nisi secundum aliquam regulam approbatam à Papa, non fuit vnquam de iure naturali, vel diuino; nec tunc erat de hac re præceptum, vel prohibitio à Pontificibus lata. Ergo si hac fundamento imponitur Episcopis illud onus. Maior probatur, quia status religionis, quoad substantialia, & quoad consilia, de iure diuino est; & consequenter est approbatus non solum vt bonus, sed etiam vt melior; ergo ex hac parte non erat tunc necessarius recursus ad Pontificem. Idem vero status quoad peculiarem modum viuendi cum his, vel illis cæremoniis, aut regulis, vel constitutionibus, non est determinatus iure diuino naturali, vel positiuo, vt per se notum est, sed humana prudentia, & ratione, diuino Spiritu adiuta determinari potest. Ergo vnusquisque Episcopus poterat in suo Episcopatu hanc determinationem facere sine recursu ad Pontificem; quandiu ipse aliud præcipiebat; quia nulla naturalis ratio, vel diuina lex illum recursum, vt necessarium exigebat. 7.

Et declaratur, quia duo sunt in approbatione, vt dixi: vnum est iudicium de probitate, & honestate talis modi viuendi, vel talis regulæ; & hoc potest esse ita euidens secundum rationem naturalem, & consonam fidei, vt ex hoc capite non sit necessaria ex natura rei, vel iure diuino alterius approbatio. Aliud est, licentia viuendi publice, & communiter secundum talem modum, vel regulam. Et quoad hoc quilibet Episcopus in suo Episcopatu habet potestatem dandi talem licentiam, quandiu illi prohibitum per Pontificem non est. iuxta illud principium receptum communiter, Episcopum posse in sua diœcesi, quidquid illi non prohibetur; quod in præsenti materia optime applicatur, quia pertinet ad ordinarium regimen animarum. Et hoc aperte sensit Innocentius in d. cap. vlt. addens particulam, *de cætero*, vt supra ponderaui. Nam eandem includit, cum subdit: *Et similiter, qui voluerit religiosam domum de nouo fundare, regulam, & institutionem assumat de approbatis*. Et in hoc sensu dixit Panorm. ibi, post illam legem, non posse Episcopum licentiam contra illam dare, quia prohibitio est generalis, & quia Episcopus non potest dispensare in lege Concilii Generalis. Vide indicat, ante hanc prohibitionem Episcopos hoc facere potuisse. 8. *Episcopus potest in sua diœcesi quidquid illi nō prohibetur.* 9.

Deinde, quod ille author ait, omnia monasteria antiqua fuisse fundata secundum aliquam regulam approbatam à Papa, verisimile non est. Primo, quia regulæ religionis antiquæ, & ab Ecclesia receptæ tres tantum sunt, Basilii, Augustini, & Benedicti; vt supra tetigi ex Concilio Romano sub Innocentio II. cap. 26. & 27. Et habetur in cap. *pernitiosam*. 18. quæst. 2. De nulla autem illarum potest cum probabilitate dici, fuisse à summo Pontifice specialiter, & expresse approbatam, priusquam monasteria

secundum illas fundari cœperint. Nam regula Basilii ante annum 328. in quo ipse mortuus creditur, facta est: & tamen in Conciliis, vel decretis canonicis mentio eius non inuenitur, vsque ad VII. Synodum cap. 20. quæ plusquam 400. annis post mortem Basilii celebrata est; & longe post in d. cap. *pernicioſam*. & tamen per illos 400. annos innumera monachorum monasteria sub illa regula multiplicata sunt, præsertim in Oriente. Et in dictis Conciliis non approbatur, sed vt iam recepta, & approbata commemoratur, vtique vsu ipso; non enim possumus cum fundamento affirmare, Basilium obtinuisse à Pontifice approbationem, sed cum esset Episcopus, authoritate sua, illam pro suo monasterio approbauit; & inde per imitationem, & acceptationem in aliis locis introducta est, consentientibus Episcopis, quando ad eorum diœceses perueniebat; & tandem annuente tacite summo Pontifice, quando ad eius notitiam, vel vsum occidentalis Ecclesiæ peruenit.

*Religiones S. Basilii, S. Augustini, & S. Benedicti sunt introducta sola Episcopi approbatione.*

10. Idem de regula Augustini dicendum est: nam similiter facta est, ante annum 440. quia tunc iam D. Augustinus mortuus erat; & tamen in canonibus mentio eius haud fit, vsque ad annum 830. sub Eugenio II. & Carolo Magno in quodam Concilio Rhemensi. can. 3. Alii dicunt in Villa Theodonis fuisse coactum. Eiusdem etiam regulæ meminit Synodus Rhemens. in d. cap. *pernicioſam*. Et in vtroque loco supponitur fuisse ita receptam, vt secundum illam monasteria fierent, vel etiam reformarentur. Et sine dubio Augustinus statim sub illa religiosus congregare cœpit, sua authoritate, vt ex sermonibus de communi vita Clericorum, & aliis eius operibus constat; & postea religiosa monasteria, vel etiam integræ religiones sub illa multiplicatæ sunt: & per solum vsum, & tacitum Pontificis consensum est approbata. Nam licet postea specialiter approbatus fuerit ordo fratrum S. Augustini, non tam est approbata ipsa regula, quam specialis modus viuendi sub illa; quomodo etiam Prædicatorum religio approbata est.

11. Denique idem est de regula sancti Benedicti. Nam licet eius mentionem faciat dictum Concilium Rhemense, vel Theodonense; & Concilium Moguntinum in principio; & canon. 11. anno 813. & Zacharias Papa in epistola ad Bonifacium. & Alex. II. in cap. *Gonſaldus*. 17. quæst. 2. & Alex. III. cap. *ſuper eo*. de Regular. Omnes supponunt, regulam tanquam sanctam, & receptam, nihil de ipsius approbatione tractantes. Et quanuis multo antea Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 12. illius mentionem fecerit, & in 36. eam laudauerit, dicens, *esse regulam discretione præcipuam, & sermone luculentam*: non tamen illam, vt Pontifex approbat, sed laudat, vt Doctor, & Sanctus. Refertur autem in additione quadam ex Turrecrematam, super regulam S. Benedicti. cap. 1. sanctum Gregorium Viuæ vocis oraculo approbasse regulam. Itemque Zachariam postea illam confirmasse, veruntamen esto hoc admittatur, saltem ante Gregorium, nulla præcessit specialis approbatio alicuius Pontificis, quanuis per 50. annos, iam essent multa monasteria sub illa regula ædificata, in quibus etiam ipse Gregorius, & religiose vixerat, &, vt creditur, aliqua ipse fundauerat.

12. Præter has regulas refertur alia sancti Pacomii, qui Basilium præcessit anno 318. & ab Angelo eam recepisse, historiæ referunt. Niceph. lib. 9. cap. 14. Socomen. lib. 9. cap. 13. & Palad. in Lausiaca historia. cap. 35. alias 38. vbi & regulam totam nobis proponit; & secundum illam instituisse Pacomium Monasterium fere mille quadringentorum monachorum, quod alia multa peperit: in quibus ad septem mille viri religiosi Deo seruiebant, referunt. Nullam autem mentionem faciunt specialis approbationis talis regulæ; nec est verisimile Romanum Pontificem, aut de illa reuelatione Angelica certum factum fuisse, aut regulam ipsam examinasse, & approbasse. De Episcopo vero illius territorii per se credibile, & verisimillimum est, quia Episcopi sunt Ordinarii Pastores, ad quorum curam spectat de statu filiorum subditorum diiudicare, & pericula tollere, ac viam salutis, & perfectionis ostendere. Ergo quando institutio erat à Deo, non fiebat sine hac subordinatione. Nam, *quæ à Deo sunt, ordinata sunt*.

*Idem dicendum de religione sancti Pacomii.*

Præterea legimus apud Athanasium in vita Antonii, sub illo fuisse multa monachorum domicilia: quorum meminit etiam Augustinus lib. 8. Confess. cap. 6. Vbi etiam refert, fuisse Mediolani monasterium plurium religiosorum sub D. Ambrosio. Et Sulpitius in vita Martini. cap. 4. refert ipsum Mediolani monasterium ædificasse; & in cap. 7. ait, aliud prope Turonense ciuitatem sibi statuisse, in quo 80. religiosos habebat, quos ad suum exemplum instruebat. Et Gregor. lib. 1. Dialog. capite 4. *Sanctum Equitium*, refert, *pro ſuæ magnitudine ſanctitatis, multorum monaſteriorum partem in Valeria Prouinc a fuiſſe*. Et similia multa in historiis sanctorum Patrum leguntur. 13. *Patet etiam in multis aliis monasteriis.*

Ex quibus sic colligimus. Ista monasteria non viuebant sine aliqua certa regula, vt videtur per se notum; alias non fuisset in eis ordo, sed confusio; & consequenter non potuisset in eis esse schola perfectionis; imo vix posset in eis votum obedientiæ emitti: quia vt ordinate fiat, secundum aliquam regulam fieri debet, vt infra dicetur; sub regula comprehendendo quælibet statuta, constitutiones, aut certum ritum, ac modum viuendi. Sed illa monasteria non viuebant secundum regulam S. Benedicti; quia multa sunt antiquiora; nec secundum regulam Augustini, quia profitebantur vitam monasticam, quæ alia est ab vtraque institutione Augustini, tam clericali, quam eremitica: nec Basilii, quia illa non est obseruata, nec cognita in Occidente per multa tempora; quando iam erant in his partibus multa ex dictis monasteriis: & in ipso Oriente multa monasteria, vt Antonii, & similium, fuerunt Basilio antiquiora. Ergo non est verisimile illa omnia monasteria eandem regulam seruasse, sed illa tantum, quæ ab vno primo monasterio ducebant originem. Alia vero, quæ proprios fundatores, seu inuentores habuerunt, iuxta varias ipsorum regulas ordinarie vixisse, credendum est; quia si vnum monasterium non ducebat originem ab altero, vel illud imitabatur, non poterat fieri humano modo, vt veluti casu, & præter intentionem in omnibus regulis conuenirent; ergo signum est, particularia monasteria vsa fuisse suis regulis propriis, sine peculiari consultatione Pontificis, eiusque approbatione non expectata, nec petita, quia nulla mentio tam frequentis recursus ad Papam pro approbatione huiusmodi obtinenda reperitur; nec necessitatis eiusmodi ratio sufficiens reddi potest, cum institutio illa vniuersalis non esset, nec pro tota Ecclesia fieret. Sufficiebat ergo Episcoporum approbatio, sicut in canonizatione, vel potius beatificatione alicuius sancti olim seruabatur, vt nunc supponimus. Est enim eadem, vel maior ratio in præsenti, vt capite præcedenti tactum est. 14.

Dico tertio, potestatem approbandi religionem, longe altiori, & excellentiori modo esse in summo Pontifice, quam sit in cæteris Episcopis. Hoc certissimum est: potestque ostendi; quia generatim loquendo, omnis potestas gubernandi Ecclesiam, est altiori modo in Pontifice, quam in omnibus Episcopis, 15. *Assertio tertia. Hæc potestas altiori modo est in Pontifice.*

scopis, non solùm diuisim, sed etiam collectiuè sumptis. Vt in opere de Ecclesiastica Hierarchia ex professo ostendendum est. Nunc distinctiùs probatur assertio constituendo aliqua discrimina inter Pontificiam, & Episcopalem approbationem. Primum sit, quia Pontificis approbatio respicit per se totam Ecclesiam: Episcopi autem, solam suam diœcesim. Hoc est per se notum. Ratio prioris partis est, quia in Pontifice est omnis potestas Ecclesiastica in supremo gradu quoad omnia: & ideo adæquate respicit vniuersam Ecclesiam, quoad personas, & loca in quocunque actu suo, & pro vniuscuiusque capacitate. Sed vnus ex his actibus est approbare religionem, ergo id facere pro vniuersa Ecclesia, ad summum Pontificem spectat. Quia verò Pontifex libere sua potestate vtitur, poterit, si velit, religionem aliquam approbare pro suo solo proprio Episcopatu Romano: vel etiam pro vna prouincia sola, vt v.gr. pro Italia, vel Hispania, sicut beatificat sanctum, quem non canonizat. Quia, qui potest totum, potest etiam partem, licet non è contrario.

16. Vnde ratio alterius partis est, quia potestas vniuscuiusque Episcopi est limitata ad suam diœcesim, nec potest exercere actus iurisdictionis pro alieno territorio; nec alienas oues pascere. Vnde nec Archiepiscopus posset pro toto Archiepiscopatu religionem approbare, sed solùm pro sua propria diœcesi; quia extra illam non habet ordinarium regimen, ad quod huiusmodi approbatio pertinebat; quando Episcopis denegata non erat. Vnde fit, vt si Episcopus monasterium religiosum sub noua regula à se approbata, in sua diœcesi erigat, eo ipso possint intra eandem diœcesim plura monasteria multiplicari; non verò extra illam; nisi alio Episcopo acceptante, vel denuo approbante; & sic poterit ad alias diœceses transire, & per cunctam Ecclesiam, non per vnam approbationem, sed quasi per collectionem plurium. Quæ, nisi per expressam, vel tacitam Pontificis approbationem consummentur, nunquam pro tota vniuersali Ecclesia sufficient. Tum, quia saltem in Episcopatu Romano admitti non poterit, sine ipsius consensu: tum maxime, quia nunquam habebit peculiarem proprietatem vniuersalis approbationis, donec specialis authoritas Pontificis intercedat, vt ex sequenti puncto patebit.

17. Secundum discrimen inter Pontificiam, & Episcopalem approbationem est, quia Episcopalis approbatio habet certitudinem mere humanam, ac subinde fallibilem: approbatio autem Pontificis habet diuinam authoritatem ab speciali Spiritus sancti assistentia, quam habere creditur, ne in tam graui negotio erret; & ideo certitudinem habet infallibilem. Hæc differentia quoad priorem partem indubitata est, quia nulli particulari Episcopo promissa est specialis Spiritus sancti assistentia, quæ promissa est Petro, cum ei dictum est Matth. 8. *Super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et Luc. 22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, &c. Et ratio est, quia hæc assistentia datur Pontifici in gratiam Ecclesiæ catholicæ, & tanquam supremæ regulæ visibili, quæ ita vniuersalem Ecclesiam dirigere debet, vt nec in fide, nec in moribus, quoad doctrinam, vel approbationem errare valeat: Episcopus autem particularis non approbat pro tota vniuersali Ecclesia, vt dictum est. Nec etiam est suprema regula, sed habet superiorem in terris, à quo possit emendari, & ideo eius muneri talis assistentia non debetur, nec datur. Imò nec per delegationem potest à Pontifice committi, quia illud speciale primilegium proprium Pontificalis dignitatis delegabile non est, sicut nec potestas canonizandi sanctos, vel definiendi veritatem aliquam catholicam cum illa assistentia delegabilis est, vt ex communi doctrina nunc suppono. Dices, hinc colligi, Episcopum non posse religionẽ approbare, quia perniciosum valde esset Ecclesiæ in huiusmodi approbatione errorem aliquem miscere. Respondeo, nõ esse æqualem certitudinem in rebus omnibus exigendam, & ideo maior requiritur ad approbandum aliquem statum, proponendo illum toti Ecclesiæ, vt perfectionis viam securam, & sine errore, quàm ad proponendũ illum particulari Ecclesiæ, seu diœcesi; satis ergo est, quòd possit Episcopus bene in fide instructus, ac prudens, & prudentum consilio vtens morali certitudine illam approbationem facere.

*nũ sicut nec in canonizatione sancti alicuius.*

Et hinc magna ex parte probata relinquitur altera pars de infallibili summi Pontificis approbatione. 18. In quo puncto non satis cautè locutus est Cano libro quinto de locis capite 5. indicans, posse Pontificem errare in approbanda religione; ductus fortasse, vel falsa opinione aduersùs aliquam religionem approbatam ex sinistra informatione de illius moribus, aut instituto, præcipitanter concepta; vel certè sola humana coniectura: quia religionis approbatio non pertinet ad doctrinam fidei, nec ad mores Ecclesiæ vniuersalis, sed ad particularem viuendi modum cuiusdam familiæ; & ideo non est inconueniens, quòd in hac approbatione errare possit Pontifex, quia Spiritus sancti assistentia solùm pro vniuersali Ecclesia illi promissa est. Sed nihilominus omnino sentiendum, & dicendum est, non posse errare Põtificem in approbatione religionis, quoad iudicium de honestate, & sufficientia talis modi viuendi, vt sit status perfectionis acquirendæ, seu religionis; quidquid sit de approbatione practica, quoad licentiam, & facultatem introducendi de nouo aliquã religionem, & quoad iudicium prudẽtiale, in quo talis cõcessio fundatur. Prior pars est, quam nunc intendimus, potestque generaliter suaderi, quia Põtifex approbando religionem aliquam, quasi canonizat illam vt sanctam, & honestam, & obligat omnes fideles ad id credendum. Ergo sicut non potest errare in canonizatione alicuius sancti, vt est certum, & idem Cano fatetur lib. 5. c. penult. & tradunt Bellarm. lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 9. Dried lib. 4. de Dogmat. c. 1. & Maschard. tom. 1. de Probat. Concl. 262. n. 57. ita neque in cõfirmatione religionis errare potest; & ideo damnatur Wicleph. in Concil. Constãtien. sess. 8. eo quòd religiones approbatas ausus est damnare; eadem enim ratio in singulis, quæ in omnibus militat. Ideoque Concilium Lateranense sub Innocentio III. c. 13. dixit in vniuersum, bonam, & piam esse religionem authoritate Pontificis confirmatam. Facit etiam decretum Hilarii cum Concilio Romano relatum 25. q. 1. dicens: *Nulli fas sit Apostolica decreta contemnere.* Quod referens S. Thomas Opusc. 19. contra impugnat. Relig. c. 4. columna 13. initio in editione Romana ait: *Cum aliqua religio per sedem Apostolicam instituta est, manifeste damnabilem ostendit, qui talem religionẽ damnare conatur.* Deniq; ratio est, quia Pontifex errare non potest in his, quę ad mores pertinent cum graui detrimento vniuersalis Ecclesiæ, talis autem esset prædictus error. Quia licet non tota Ecclesia obseruet modum viuendi vnius religionis approbatæ, nihilominus talis religio pro vniuersa Ecclesia approbatur; & omnibus fidelibus proponitur, vt via secura non solum ad salutem, sed etiam ad perfectionem; ergo error in tali approbatione in vniuersalis Ecclesiæ perniciem, quantum in se est, redunderet.

*Sententia Cani vt incauta reiicitur.*

Declarabitur hoc amplius distinguendo varia iudicia particularia, quæ in hac generali approbatione includuntur. Vnum est, talem modum viuendi ex omni parte honestum esse, nihilque contra bonos 19.

mores includere. Et in hoc certissimum est, imo de fide esse videtur, non posse Pontificem errare, approbando religionem; alioqui mala pro bonis approbaret, induceretque fideles in errorem bonis moribus contrarium. Quia quod à Pontifice in vna religione vt honestum approbatur, fieri potest à quolibet studioso fideli, etiamsi talem religionem non profiteatur, si aliunde statui suo non repugnet. Et ideo, quod pro vna religione approbatur, de se vniuersæ Ecclesiæ proponitur, vt honestum, siue ad credendū, siue ad operandum: ergo & veritati Ecclesiæ, eiusque sanctitati repugnaret talis error. Quocirca, sicut Augustinus epist. 118. c. 5 dixit, *De eo, quod vniuersa Ecclesia facit, quin ita faciendū sit, disputare insolentissimæ insaniæ esse.* Ita nos dicimus, de his, quæ Pontifex in aliqua religione approbat facienda, dubitare, an honesta sint, insolentissimæ insaniæ esse. Non est enim minor authoritas Pontificis approbantis, quā sit traditionis, seu cōsuetudinis vniuersæ Ecclesiæ. Et hanc partē maxime confirmant omnia superius adducta.

20. Aliud iudicium est, quo declaratur, talem modum viuendi suis votis firmatum, & Pontificia authoritate admissum, & confirmatum, esse verum religiosum statum: & huic etiam iudicio non potest subesse falsitas: tum quia, cum requisita de iure diuino ad statum religiosum sint nota in Ecclesia, non solum certo, sed etiam euidenter constare potest, an in illo statu reperiantur: tum etiam, quia ea, quæ ex parte Ecclesiæ necessaria esse possunt ad talem statū constituendum, ab ipsomet Ponrifice in actu exercito (vt sic dicam) adhibentur, & ideo ex ea parte non potest error committi. Tum denique, quia etiam esset talis error pernicios us Ecclesiæ, & bonis moribus contrarius. Ergo Spiritus sancti assistentia ad vitandum huiusmodi errorem deesse non potest. Oportet autem aduertere, sermonem esse de approbatione religionis, quoad illam rationem, præceptaque viuendi, quæ Pontifici expresse confirmanda proponuntur. Nam, si postea specialia statuta, & constitutiones ab ipsa religione fiant, non habent hunc gradum certitudinis, etiamsi authoritate à Papa concessa facta sint, donec in particulari ipsi innotescant, & illa confirmet; quia, vt dixi, assistentia Spiritus sancti non est delegabilis, & ideo licet illa commissio Papæ valorem, & authoritatem præbeat legibus ad obligandum, si honestæ sint, non tamen præbet illam infallibilem directionem in cauendo omni errore, qui in ipsa lege constituenda misceri potest, malum, vel inutile, pro bono, & vtili præcipiendo.

21. Et hinc sequitur, in tali approbatione aliud iudicium certum includi, nimirum, talem modum viuendi per se spectatum, & ex vi instituti esse vtilem ad perfectionem acquirendam: nam hoc includitur in essentia veri status religiosi, vt supra ostensum est. Item necesse est, vt in tali statu supponantur præcepta obseruanda, & addantur consilia, & tollantur impedimenta perfectionis, quantum est ex vi status: ergo non potest non esse status perfectionis. Deinde eo ipso, quod approbatur religio, declaratur esse opus consilii talem statum profiteri; ergo contrarius error esset valde pernicios us Ecclesiæ: ideoque etiam in hoc non deest Spiritus sancti assistentia, ne talis error in Ecclesia introducatur. Dixi autem *ex se, & ex vi instituti*; quia fieri potest, vt per abusus, & prauos mores per temporis decursum introductos, talis religio peruenerit ad statum, in quo ad perfectionem plura sint impedimenta, quam auxilia, & ideo iam non sit ad perfectionem conueniens, non tamen ex vi institituti approbari, sed ex adiunctis. Nec inde sequitur, omnes religiones approbatas esse æque perfectas; quia in via perfectionis potest magis, & minus reperiri. Et licet religio approbata sit vtilis ad perfectionem assequendam, non opus est, vt sit vtilissima, vel quod ad summum gradum perfectionis æque adiuuet; quanuis nulla illū excludat, vt experientia etiā docet: nam fere nulla est religio, in qua viri valde perfecti & sancti inuenti non sint.

Vltimum iudicium in approbatione religionis in- 22.
clusum esse videtur, quod talis religio sit tali tempore necessaria, vel conueniens Ecclesiæ Dei: nam approbatio in tali tempore, & cum talibus circunstantiis fieri debet. Et de deceptione in hoc iudicio aliqui non improbant sententiam Cani. quod de possibili posset forte tolerari. Tamen Cano non tantum de possibili, sed etiam de facto loquitur, & cum tanta exaggeratione, vt sic scribat: *In hoc sæculo tam multæ sunt religiones à summo Pontifice confirmatæ, vt, qui eas omnes tueri voluerit, tamque Ecclesiæ, vel vtiles, vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam stultitiæ nomine iure optimo summis rationibus arguetur.* Vbi tacite, & à fortiori ipsos Pontifices summos, qui posteriores religiones confirmarunt, imprudentiæ, & stultitiæ arguit: nam si ipsarum defensores talem notam merentur, multo magis ipsi conditores, seu authores. At hic grauissimus excessus est, ne quid maius dicam: nam esto non habeat Pontifex specialem Spiritus sancti assistentiam, vt in hoc etiam non erret; quod non solum incertum est, sed etiam contrariū est forte magis pium: nihilominus semper pro ipso Pontificis iudicio præsumendum est, vbi aliud euidenter non constat: tum quia de quolibet Principe, vel superiore ita debent subditi cogitare. iuxta regulam Augustini lib. 22. contra Faustum. c. 34. 35. Et refertur in c. *quid culpatur.* 23. q. 1. & sumitur ex c. *ad aures* de temp. ord. & ex Nicolao Papa in epist. ad Nicolaum Imperatorem. Tum etiam, quia in Pontifice est multo maior, & specialissima ratio, quæ his verbis declaratur in c. 1. d. 40. *Quis sanctum dubitet esse, quem apex tanta dignitatis attollit. In quo si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt, quæ à loci prædecessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia eligit, aut qui eriguntur, illustrat.* Vtique maioribus auxiliis, & illuminationibus illum adiuuando. Tum denique, quia hæc negotia non sine magna consultatione, & matura consideratione expedire solent; & ideo cum error, aut nimietas non possit euidenter ostendi, non sine audacia præsumitur.

Accedit, quod si vna quæque religio in se non ha- 23.
bet, vnde reprobetur, non apparet, cur propter aliarum consortium reprobanda, aut non admittenda fuisset. Nam ex multitudine, & varietate bonorum multorum, nullum eorum minuitur, imo tunc extensiue crescunt bona, quæ sunt media ad perfectionem consequendam vtilia. Deinde ex hac religionum multiplicatione non sequitur illa confusio in Ecclesia, quam vitare voluit Lateranense Concilium, quin potius ideo ibi requisita est approbatio, ne illa confusio ex nimia multitudine religionum oriretur. Vnde ipsammet approbationem reputauit Concilium fore medium sufficiens ad illam confusionem vitandam, quia si approbatio non esset necessaria, & multiplicatio sine vllo delectu, vel discretione fieret, & fideles confunderentur, nescientes distinguere pretiosum à vili, & periculis exponerentur. hæc autem per approbationem, moraliter loquendo euitantur. Et hoc ipsum sensit Concilium Lugdunense, reprobando solos ordines introductos post Concilium Lateranense, cum illa limitatione, *Qui nullam approbationem Sedis Apostolicæ meruerunt.* Est ergo vera, & solida secunda differentia inter Episcopalem, & Pontificiam approbationem assignata.

Præter has vero possunt aliæ notari, quæ ad mate- 24. *Tertium*
riam magis declarandam, & confummandam deser- *discrimen*
uient. Tertia ergo sit, quod in Pontifice est hæc pote- *Hæc pote-*
stas immediate de iure diuino, vt est per se clarum: *stas est in*
in Epi-

in Episcopis vero, vel non est ex iure diuino, sed ortum ex institutione Apostolica, præsertim Petri in ipsa distributione Episcopatuum, hæc potestas commissa fuit Episcopis, & per sequentes Pontifices limitata non est, vsque ad Innocentium III. Vel certe, si Episcopis ex iure diuino competebat, cum dependentia à Christi Vicario data est, quæ controuersia generalis est, & ideo circa illam non immoramur.

Addimus tamen quartam differentiam, quæ ad rem maxime pertinet, quod in Pontifice est hæc potestas immutabilis per hominem; quia à nullo, præter Christum, pendet: & ideo nec tolli, nec diminui, seu limitari potest: in Episcopo autem est cum dependentia à summo Pontifice, à quo limitari, vel etiam auferri potest. Vt iam factum est in Concilio Lateran. in dicto c. vlt. de Relig. domib. vbi notat Panorm. post illam prohibitionem, non posse Episcopum contra tenorem illius facere, quia non potest in lege Concilii vniuersalis dispensare. quod in aliis casibus reseruatis videre licet: nam per reseruationem tollitur ab Episcopo potestas dispensandi, vel absoluendi in tali casu. Sic ergo per illam legem, hanc approbationem sibi Papa reseruauit, & consequenter illam inferioribus abstulit. Vnde inferunt aliqui differentiam aliam, dicentes hanc potestatem in solo Papa esse, & fuisse ordinariam, in aliis vero Episcopis fuisse delegatam. Sed non est necessaria illatio, quia omnis iurisdictio conueniens Episcopo ex visu muneris, sine positiua concessione, cum sola non prohibitione, seu reseruatione, conuenit illi, tanquam ordinaria, vt constat de dispensatione votorum, & similibus. Et ratio est, quia illa dicitur iurisdictio ordinaria, quæ conuenit ex vi muneris, & dignitatis, etiamsi per reseruationē limitari possit; talis autem est hæc potestas, vt ex dictis patet: nec reseruatio est signum delegationis, vt per se notum est.

16. Quinta differentia potest addi, quod Pontifex approbare potest religionem solennizando vota: vt est certum ex cap. vnico. de voto in 6. & supra dictum est; Episcopus vero non videtur posse solennizare vota, ac proinde nec approbare religionis statum, nisi vt ex votis simplicibus constantem. Duplex autem ratio huius posterioris partis reddi potest. Vna est, quia potestas inhabilitandi personam ad matrimonium subsequens, videtur excedere particularem, & limitatam iurisdictionem Episcopalem. Quod in primis colligitur ex d. cap. vnico de voto. in 6. quod requirit, religionem esse per sedem Apostolicam approbatam, vt votum castitatis religiosæ sit solenne, vtique quoad illum effectum. Ratio etiam reddi potest, quia irritare matrimonium est res grauissima, & ideo ex natura rei videtur Pontifici reseruata: iuxta regulam c. 1. *minores*, de Baptismo dicentis, maiores causas ad Romanum Pontificem specialiter pertinere, eo vel maxime, quod non videtur fieri posse, vt persona sit inhabilis ad contrahendum matrimonium in vno Episcopatu, & non in alio: Episcopus autem non potest inhabilitare personam pro vniuersa Ecclesia, cum limitatam habeat iurisdictionem. Ergo non potest solennizare votum castitatis quoad hunc effectum. Multo vero minus videtur posse dare illi vim ad dirimēdum matrimonium iam contractum, quia hoc multo difficilius esse videtur, propter præiudicium tertii, & propter naturalem indissolubilitatem vinculi matrimonii, & quia talis potestas non spectat ad ordinarium regimen animatum, & ideo non conuenit Episcopo ex vi sui muneris, etiamsi non prohibeatur; sed vt illam habeat, necesse est, vt ei specialiter delegetur. De cæteris autem votis paupertatis, & obedientiæ, prior ratio cum proportione procedit. Potestque hæc ratio confirmari; quia Episcopus non potest irritare vota antecedenter, id est, hanc vel illam conditionem voto apponere, sine qua validum non sit; cum alias illa conditio non esset ex natura rei ad valorem voti necessaria; quia huiusmodi irritatio præsertim in obligatione, seu quasi contractu cum Deo ipso est res valde ardua, & actus supremæ potestatis: ergo similiter solennizare vota, & tribuere illis potestatem irritandi, particularis Episcopi vires excedit.

Altera ratio, ob quam videtur, Episcopum non habere potestatem solennizandi vota, est; quia non potest efficere, vt vinculum religionis sit absolute perpetuum, & irreuocabile ex vtraque parte, religionis, scilicet, & religiosi. Sicut non posset Episcopus facere vinculum matrimonii rati indissolubile, nisi ex natura sua huiusmodi esset; quia cum ille contractus voluntarius sit, non potest Episcopus ille maiorem obligationem addere, quam per voluntatem contrahentium naturaliter habebat: nam illud solum summo Principi conuenire potest. Sic ergo, cum vinculum inter religionem, & religiosum, non ita sit perpetuum, & indissolubile ex natura sua, quin per voluntatem religionis, vel saltem vtriusque partis dissolui possit, non potest Episcopus sua ordinaria potestate illi addere indissolubilitatem, sed ad summum hoc tribui potest Pontifici ob supremam potestatem. Ergo ex hac etiam parte non poterat Episcopus solennizare vota, cum illa conditio ad solennitatem votorum, necessaria sit, vt supra vidimus. Quod si vera est hæc pars, optime iuxta illam probatur, ac verisimile fit, antiquas religiones, antequam à Pontificibus specialiter approbarentur, non habuisse vota solennia; nec irritasse matrimonia, vel alios contractus, nec vinculum absolute perpetuum induxisse, vt supra tetigimus, & in sequentibus ex professo tractandum est. 27.

Veruntamen hæc differentia ex hac posteriori parte incerta est, licet sit probabilis. Pendet enim ex illa quæstione, an Episcopi in suis diœcesibus possint inducere impedimenta irritantia matrimonium, sine Pontificis authoritate, nisi prohibeantur. Nam, si id possunt, consequenter etiam poterunt solennizare vota, quoad vim illam moralem inhabilitandi personam, seu, quod idem est, irritandi actus, vel contractus voto contrarios; est enim eadem ratio, vt per se patet. Quod autem id possint Episcopi ex vi sui muneris, affirmat Sancius lib. 7. de matrim. disp. 1. in fin. Fundatur vero in solo illo principio, quod Episcopus potest in suo Episcopatu quidquid Pontifex potest in vniuersa Ecclesia, nisi prohibitus sit. Vnde, quanuis fateatur cum communi Doctorum, quos citat, Episcopus de facto non habere hanc potestatem, dicit, hoc inde prouenire, quod Papa sibi reseruauit. Si vero instes, de tali reseruatione nullo iure canonico constare. Respondet, vniuersali consuetudine fuisse introductum; sicut de dispensatione in votis reseruatis dici solet. Iuxta hanc ergo doctrinam ruit prior ratio in contrarium inducta. 28.

*An Episcopus in sua diœcesi possit inducere impedimenta irritantia matrimonium, si non prohibeatur. Affirmat Sanchez.*

Et ad posteriorem consequenter dici poterit, etiam posse Episcopum instituere in sua diœcesi, vt vinculum religionis sit absolute perpetuum, & irreuocabile ex vtraque parte, quia quando Episcopus approbat religionem, consequenter dat illi potestatem admittendi vota, & traditionem nomine Dei: ergo potest dare illi hanc potestatem cum tali modo, & conditione, vt ipse etiam Prælatus obligetur subdito ad non reuocandum contractum; quod satis est, vt saltem non consentiente religioso, non possit religio vinculum illud dissoluere. Vlterius vero etiam facere poterit Episcopus, vt nec per mutuum consensum possint vinculum tollere, nam sicut illa traditio non acceptatur, nisi per specialem personam datam ad id faciendum vice Dei, ita non potest 29.

rit reuocari, nisi per similem, seu proportionalem potestatem. Potest autem Episcopus concedere potestatem religioni ad acceptandum, non tamen ad dimittendum; sicut nunc facit Papa: ergo esset tunc vinculum perpetuum, sicut est nunc. Denique etiam tunc posset Episcopus, non tantum religionem non approbare, sed etiam ita illam prohibere, vt non posset valide fieri; negando vtique potestatem acceptandi traditionem religiosam, sine qua non subsistit religio Ecclesiastica, vt supra dictum est. Ergo etiam posset è contrario ita acceptare traditionem, vt vinculum esset ind issolubile, saltem secluſa dispensatione. Itaque hoc modo facile defendi potest, posse Episcopum solennizare vota, & professionem religiosam in sua diœcesi, nisi sit reseruatū, sicut nunc est. An vero semper fuerit, incertum est: & ideo etiam ex hoc capite certo sciri non potest, qualis fuerit in hac parte vsus antiquus. Nunc ergo nihil in hoc absolute definio, quia pendet ex illo principio de potestate, quam habet Episcopus ad inducenda impedimenta irritantia matrimonium; quam in aliū proprium locum ex professo tractandam differo.

30. Sexta, & vltima differentia conducens ad intelligentiam iuris, est, solum Papam posse simpliciter approbare religionem; Episcopos vero tantum secundum quid. Excluſiua quoad partem affirmantem, per se clara est de Pontifice, vt ex dictis constat. Probatur ergo, quoad alteram partem de Episcopis, quia eorum approbatio plures habet limitationes, ob quas merito dicitur, secundum quid. Prima est, quia non sufficit pro tota Ecclesia, sed pro vna tantum diœcesi. Secunda est, quia prout est approbatio iudicatiua, & declaratiua veritatis, seu veræ sanctitatis, non est infallibilis, sed per humanam coniecturam, vel prudentiam fit. Tertia, quia etiam prout est practica, & quasi effectiua talis status, non est omnino firma, sed à superiori potestate reuocari potest. Et hinc colligere possumus, quoties in iure Canonico ad veritatem religionis postulatur approbatio, absolute sic appellata, & sine vllo addito, sermonem esse de approbatione Pontificia. Exemplum optimum est, in illo capite vlt. de Relig. domib. vbi solum præcipitur, ne quis inducat religionem, præter approbatas: vel, vt qui religiosus fieri voluerit, vnam de approbatis assumat. Et nihilominus certum est, ibi requiri approbationem Pontificiam. Nam eius necessitas per illum textum inducta primùm est. Et similiter in c. vnic. eod. tit. in 6. prius improbantur religiones nouæ, quæ approbationem non meruerunt; & postea reuocantur, quæ confirmationem sedis Apostolicæ non meruerunt. Vnde constat per approbationem prius absolute dictam, confirmationem sedis Apostolicæ postea explicari. Et ratio etiam hoc suadet: tum, quia, cum in iure leges sint vniuersales, & Pontificiæ, vel Conciliares à Pontificibus confirmatæ, non solent vocare approbationem simpliciter, nisi, quæ eadem Pontificia authoritate facta est: tum etiam quia approbatio non omnino certa, nec vniuersalis, nomen approbationis simpliciter non meretur.

*Vltimum discrimen. Papa approbare potest simpliciter, Episcopus secundum quid.*

## Caput XVIII.

### *Vtrum potestas iurisdictionis ad statum religiosum, vel in illo simpliciter necessaria sit.*

1. IN hoc capite non intendimus nouam aliquam conditionem ad statum religiosum necessariam adiungere, vel inuenire, sed tractatam in capitibus proxime præcedentibus amplius explicare: quod necessarium iudicauimus propter nouum modum loquendi aliquorū Theologorum, quem statim expendemus. Vt autem punctum breuiter attingamus, supponimus, tribus modis posse in hoc negotio iurisdictionem requiri. Primo ad instituendam ipsam religionem. Secundo ad constituendos ipsos religiosos in tali statu. Tertio ad regimen ipsius religionis. De primo modo, seu vsu iurisdictionis non dubitamus; quia resolutio ex præcedentibus capitibus constat; tunc enim instituitur religio, cum approbatur, & confirmatur: nam licet præcedere debeat inuentio, & quasi ordinatio instituti, in quod cadere debet approbatio: illa prior est, quasi præparatio, & dispositio materiæ, ad quā non est necessaria iurisdictio; quia per illam actionem, nec ius dicitur, nec lex fertur, vel aliqua actio superioris exercetur. Solum ergo ad tam excellens opus in primis necessaria est diuina vocatio, inspiratio, & illuminatio; & deinde experientia, prudentia, & non modica sapientia; & ante omnia maxima vitæ sanctitas. At vero approbatio est veluti formæ inductio, ac subinde est veluti religionis, seu communis status cuiusdā religiosi effectio, seu creatio. Et ad illum actū sine dubio requiritur potestas iurisdictionis spiritualis; quia illa est veluti quædam sententia declaratoria, secum afferens executionem, dando illi instituto statum verę religionis, & illius corpori, ac personis eius potestatem, vel facultates necessarias ad illum statum inchoandum, propagandum, & conseruandum, vt in superioribus tactum est, vbi hac ratione diximus, potestatem approbandi religionem tantum esse in Pastoribus Ecclesiæ, ac subinde ad potestatem Pontificiam pertinere: vnde cum non pertineat ad potestatem ordinis, ad potestatem iurisdictionis pertinere, necessarium est. Denique inde fit, vt hæc potestas, vt est in Episcopis, à summo Pontifice pendeat, ideoq; ab ipso per reseruationem actus eius, auferri possit.

*Tribus modis potest iurisdictio requiri ad statum religiosum.*

2. In secundo puncto etiam supponimus, iurisdictionem esse necessariam in acceptāte vota, seu professionem. Certum est enim professionem religiosam non esse validam, nisi ab habente potestatem acceptetur. Vt sumunt omnes Doctores ex c. *ad Apostolicam.* de Regular. ibi, *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente monasticam.* Et infra: *Id oque obligatur per professionem emissam pariter, & acceptam.* Idem sumitur ex c. *porrectum.* eodem titulo, ibi, *Ex quo à conuertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate.* vnde colligunt specialem potestatem esse necessariam ad acceptandum aliquem in religiosum. Dubitant vero, apud quem sit hæc potestas, & quomodo sit exercenda; quod infra suo loco tractabitur, nunc enim necessarium non est. Potestas autem illa specialis est, & potestati conferendi beneficia comparatur à Panormitano ibi, quem imitatur Sylu. Verb. *Religio.* 3. q. 13. & 14. Geminian. autem in c. *constitutione.* de Regul. in 6. vocat illam potestatem incorporandi aliquem in Religionem, sine qua, vel ordinaria, vel delegata, seu commissaria, non potest aliquis verus religiosus constitui: at illa merito dici potest potestas iurisdictionis late saltem loquēdo, quatenus omnis potestas gubernatiua, vel administrationis, iurisdictionis dici potest; quomodo potestas iurisdictionis spiritualis adæquate condistinguitur à potestate ordinis. In hoc ergo sensu recte dicitur necessaria iurisdictio ad constituendū aliquem religiosum. Et ita infra ostendemus, nunquā fuisse in Ecclesia factos religiosos, nisi admissos per Episcopos, vel per aliquos ab illis, vel à summo Pontifice potestatem habentes. Nec de hoc pūcto plura hoc loco dicere necesse est.

3. Quæstio ergo principaliter proponitur in tertio sensu; an scilicet, in statu religioso necessaria sit peculiaris iurisdictio Prælati in subditos, qui veri religiosi censendi sint? In quo puncto P. Vazquez 1. 2. disp. 165. c 4. pro comperto habet, neminem posse esse vere religiosum, nisi constitutus sit sub alterius iurisdictione, & potestate; eandemque sententiam asserit

*Quæstio est tertio sensu, an sit necessaria peculiaris iurisdictio*

Basil.

Basil. Ponce d.q.3. ex Variis. c.5. in diuerso tamen sensu, & ex contrario fundamẽto. Hic enim author per iurisdictionem intelligit potestatem gubernatiuam necessariam in Prælato Religionis ex vi professionis ipse, ac præcise spectatæ. Vnde sic in virtute colligit. Nemo cõstituitur religiosus, nisi se donet religioni, & ex vi talis donationis ipse trãseat in ius religionis; ergo ex tali donatione oritur propria, & peculiaris iurisdictio Prælati religionis in religiosum. Hæc ergo iurisdictio necessaria omnino est in religioso statu. Confirmat, quia Prælatus religionis habet specialem potestatem, per quam vota subditorum irritare valet. Hæc autem non est, nisi potestas iurisdictionis, quam per donationem religiosi à se acceptatam acquisit. Loquendo autem de propria iurisdictione Ecclesiastica, quæ à Pontifice, vel Episcopo manet; sitque propria potestas ligandi, & soluendi in foro exteriori per proprias leges, & censuras, vel alias pœnas, fatetur ille author non esse talem iurisdictionẽ de necessitate intrinseca status religiosi; sed esse extrinsecam, & superadditam illi statui, vel à Pontifice, vel immediatè à Deo.

At verò alius author è contrario putat de intrinseca ratione religiosi status esse, vt in eo Prælatus habeat iurisdictionem in subditos; quæ non ab ipsis subditis, sed à Pontifice manet. Fundamentum eius est, quia sola vota facta in manibus Prælati cum promissione obedientiæ, nõ sufficiunt aliquem religiosum constituere; nisi fiant iuxta aliquod institutum; per quod aliqua iurisdictio in subditos Prælato data fingitur vt possit illos punire, & ad vota, institutumq; seruandum cogere. Hæc autem iurisdictio nõ potest competere Prælato religionis, nisi à Pontifice vel Episcopis manet; ergo. Maiorem supponit, vt manifestam ex communi sensu omnium: & fortasse, quia sine tali iurisdictione nõ posset herus disciplinæ in tali statu subsistere; quod est contra finem illius status, ac subinde contra substantiam illius. Minor autem probatur ab inconuenienti, quia aliàs posset aliquis constitui religiosus per tria vota priuatim facta; quod est absurdum, & contra omnium sententiam. Deinde probat à priori, quia sicut Respublica ciuilis, postquam omnem suam potestatem in Regẽ trãstulisset non potest alteri Principi iurisdictionem cõferre; nec etiam pars reipublicæ, vel ciuitas, vel collegium aliquod, quod sit pars illius Reipublicæ, potest aliquem superiorem sibi præponere cum vera potestate iurisdictionis, quam in ipsos exercere valeat, quia iam tota est in Principem translata; ita in Christi Ecclesia, cum tota iurisdictio spiritualis vicario Christi ab ipso data sit, vt inde in alios Pastores descendat, non potest vlla congregatio priuata Prælatum cum vera iurisdictione sua authoritate, & voluntate sibi præponere; neque vlla persona particularis per quãuis promissionem, votum, aut traditionem sui alicui personæ, aut communitati factam, & ab ea acceptatam, potest illi in seipsum veram iurisdictionem spiritualem præbere; ergo necessaria est iurisdictio quæ à Pontifice depẽdeat, vel in ipso sit, & peculiari modo religiosum statum sibi habeat subiectum. Quam rationem latè dictus author prosequitur, & addit confirmationem sumptã ex potestate irritandi vota, quæ in religiosis Prælatis existit. Nam illa non est à potestate dominatiua, vt quidã dicunt: nã hæc nulla est in huiusmodi prælatis; ergo est ex speciali iurisdictione in ipsis. Antecedens probatur, quia prælatus nõ habet aliquod genus dominij in religiosum, nisi quatenus potest illi præcipere, & ad obseruationẽ regulæ cogere, & sunt actus iurisdictionis, nõ dominij. Ne forte sit de modo loquendi contentio, supponere oportet, quid nomine iurisdictionis, & potestatis dominatiuæ significetur. Vt enim hæc duo distinguantur, oportet animaduertere nomine iurisdictionis in præsenti significari potestatẽ spiritualem ad claues Ecclesiæ pertinentem; & consequenter à Christo domino datam, vel deriuatam, medio vicario suo, vel aliis Episcopis. Per potestatem autem dominatiuam intelligi oportet ius acquisitũ religioni, & prælatis eius ad imperandum religiosis, & vtendũ operib. eorum, prout conueniens iudicauerint. Quæ potestas si in religione reperitur, non pertinet ad claues, nec à Christo descẽdit per specialem donationẽ Ecclesiæ factam; sed orta est radicaliter à voluntate profitentium talem regulam, & se donãtium religioni cum promissione, & obligatione obediendi secũdùm illam. Vnde manifestum est, talem potestatem, si est, distinctã esse à potestate clauium, & cõsequenter à iurisdictione proprie dicta, & explicata; quãuis improprie, & abusiue loquendo vocari possit iurisdictio, extendendo hanc vocẽ ad omnem potestatẽ imperandi, & cogendi, quã habet pater in filium, & dominus in seruum, qui abusus vocis cauẽdus est. tũ quia inducit ambiguitatẽ, & confusionem, ac dissensionẽ in verbis; tum etiam, quia neq; in iure canonico, nec in ciuili dicitur iurisdictio, nisi potestas publica, & politica, quę à Principe, vel republica manauit. Deinde, quoniam hæc quæstio maxime locũ habet in religione proprie sumpta secundùm communem vsum pro communitate religiosa, aduerto, posse talem religionem considerari dupliciter, primò, vt constat ex solis religiosis cum proprio prælato eiusdem religionis, vt Abbate, Priori, vel alio simili: secundò, vt includit superiorem Prælatum quasi extrinsecum, vt est nunc Papa respectu omnium religionum exemptarum, & olim erant Episcopi respectu monasteriorum suæ diœcesis, & nunc sunt in aliquibus monasteriis monialium sibi subiectis.

*minime iurisdictionis, & potestatis dominatiuæ.*

Dico ergo primò. In statu religioso necessaria est in Prælato potestas gubernatiua monasterii, & suo modo dominatiua singulorum religiosorum, distincta à potestate iurisdictionis, & ab ea separabilis. Hæc assertio videtur clara ex fundamẽto prioris sententiæ, & ex omnibus supradictis de traditione, quã professio religiosa includit, quãq; omnes admittũt, vt suprà dixi; quia per illam traditionem aliquod ius transfertur in religionem; ergo illud ius distinctum est à juridictione, quam Christus dedit, vel ejus vicarij conferre possunt. Vsus autem illius juris est gubernatio personæ religiosi; seu applicatio illius ad hæc, vel illa opera, cum efficacia moraliter requisita ad bonum religionis, & religiosi. Ergo illud jus est quædam potestas gubernatiua religiosi distincta à propria jurisdictione. Secundò: status religionis est status seruitutis distinctus à statu subiectionis, quem ex vi Ecclesiasticæ jurisdictionis omnes habent fideles. Ergo illi seruituti respondet potestas peculiaris dominatiua à propria jurisdictione distincta; imò & separabilis ab illa, vt ex sequenti assertione patebit. Nunc argumẽtor tertiò, ex potestate Prælati religionis ad irritanda vota religiosorũ: nã illa irritatio non fit ex iurisdictione; ergo est ex potestate dominatiua. Consequentia euidens est, quia non potest aliud genus potestatis cogitari, nec hactenus inuentum est. Antecedens verò cõmuniter receptum est. Duplex enim modus irritandi vota distinguitur à Doctoribus. vnus est indirectus ex parte materiæ voti, quæ subest voluntati Prælati: alius modus est directus, tollendo simpliciter vinculũ voti ex parte volũtatis ipsius voluentis, quæ est impotens ad se firmiter obligandũ. Et prior quidẽ modus euidenter nascitur, non ex iurisdictione, sed ex particulari iure circa materiam voti à religioso emissi; quod ius est vel ex traditione, vel ex voto obedientiæ. vt patet à simili in seruo, cuius vota irritat dominꝰ ex parte materiæ, nõ ob iurisdictionẽ,

6. *Prima assertio. In statu religioso requiritur in prælato potestas gubernatiua à iurisdictione distincta & separabilis. Probatur primò.*

*Secundò.*

*Tertiò.*

*Indirecta votorum irritatio in religiosis est actus dominii, non iurisdictionis.*

sed ob dominium, idemque est de patre in filium, quoad vota realia, vel repugnantia obedientiæ sibi debitæ.

7. *Idem dicēdum de directa, si detur in prælato.* De alio verò modo directæ irritationis est controuersia, an cadat sub Prælati potestatem? Qui tamē illum admittunt non in iurisdictione, sed in potestate dominatiua illum fundant, id est, in pacto inter religionem, & religiosum; & in modo tradēdi se, suamque voluntatem religioni, & prælatis eius; vt dixi suprà, explicando solennitatem voti obedientiæ. in 2. tom. de Relig. lib. 6. de Voto c. 7. Et ex ibi dictis confirmatur; quia hæc potestas non potest esse ex iurisdictione manante à Prælatis Ecclesiæ, quia nemo dat, quod non habet. At verò Episcopus, vel etiam Pontifex ex vi solius iurisdictionis, non potest hoc modo irritare vota fidelium; ergo nec Prælato Religionis iurisdictionem ad illa irritanda dare potuit. Respondent, quamuis Pontifex non habeat potestatem ad irritanda vota fidelium, qui ei specialem obēdientiam non vouerunt; nihilominus in eos, q̄ hanc obedientiam ipsi Pontifici vouerūt, & ipse acceptauit, eosque in suam peculiarem protectiōi ēm suscepit, vt sunt omnes religiosi, specialē iurisdictionem exercere posse, ideoq; posse eorū vota irritare; & ita potuisse illam Prælatis religionum communicare. Sed contra hoc est, quia etiam in ipso Pontifice irritatio votorum religiosorum non est actus iurisdictionis, sed eiusdem dominij religiosi; quod altiori modo est in Pontifice, tāquam in supremo Prælato. Nam si esset actus iurisdictionis, requiriret causam, & non distingueretur à dispensatione: vt in d. lib. 6. de Voto c. 1. & sequentib. vsque ad 7. latè dixi. Vnde non sufficit specialis iurisdictio Pontificī in aliquē, vt possit illius vota irritare. Nam licet specialiorem iurisdictionem in Clericos, vel Episcopos habeat, nihilominus non potest vota illorum irritare, nisi quando eorum vota ex parte materiæ pendent ex libera Pontificis voluntate (vt ibidem dixi); atq; hoc magis ex sequenti assertione confirmabitur.

8. *Assertio secunda. Prædicta potestas sola sufficit ad constituendum verum statum religiosum.* Dico secundò. Hæc potestas quasi dominatiua, & domestica, vt sic dicā. seu œconomica, sine alia propria spirituali iurisdictione, quæ sit in Abbate, Priori, vel alio simili Prælato proprio, & immediato religiosi conuentus, sufficiens est ad verum statum religiosum constituendum. Hāc assertionem mihi probat sufficienter argumentum sumptum ex monasteriis monacharum, in eis enim Abb. missa nō habet iurisdictionem spiritualem (vt est communis sentētia; & doctrina;) & multo minus habet ciuilem, seu tē-

*Probatur in Abbatissis monialium.* poralem, vt est per se notum; quia à nullo Principe sæculari illā acceperūt, & nihilominus Moniales illi subiiciuntur, vt matri, tenenturq; illi parere secundū regulam, quam sunt professæ. Et hæc potestas ex parte Abbatissæ, & subiectio ex parte aliarum sufficit ad veram religionem in tali statu constituendam. Ergo propria iurisdictio extrinseca (vt ita dicā) existens intra cōgregationē religiosam in proprio eius Prælato, ad substantiam religionis non pertinet. Idem argumentum sumi potest ex antiquis monasteriis monachorū. Nam verisimile est, instituta fuisse sine speciali iurisdictione, quæ Præfectis talium monasteriorū communicata fuisset. Tum, quia communiter tunc monachi, etiā Abbates, non erant clerici; vt etiam de sancto Benedicto affirmat Bonauētura in expositione suæ regulæ c. 7. & ita verisimile est, non fuisse illis aliquā spiritualem iurisdictionem communicatam. Tum quia de hac re nulla mentio est in historiis, nec talis iurisdictionis effectus peculiares legimus; quia nec voluntariam iurisdictionem exercuisse legimus, dispensando in præceptis Ecclesiæ, vel in votis; nec etiam inuoluntariam, ferendo censuras. Nam excōmunicationes quædam, quæ in regula Benedicti leguntur, non erant censuræ propriæ, sed corporales pœnæ, & quasi exilia quædam, aut separationes, vel domesticæ incarcerationes.

Respondet P. Vazquez, quamuis in his Prælatis non sit necessaria integra iurisdictio, quæ ad censuras se extēdat, nihilominus sine aliqua iurisdictione coactiua esse non posse, quia sine illa non potest hominum congregatio sufficienter gubernari. Et ità videmus etiā Abbatissas posse punire subditas propter Regulæ trāsgressionem, & eas cogere ad regulæ obseruationem, quod sine aliqua iurisdictione facerē non possent. Sed contra hoc est, quia non omnis coactio, & punitio est actus propriæ iurisdictionis: nā Dominus potest punire seruum, & illum cogere ad seruanda mandata ab ipso præscripta, nec ad hoc indiget iurisdictione, sed dominio. Et pater castigat filium, & mater filiam; ac deniq; in domestico, seu œconomico regimine etiam est suo modo potestas directiua, & coactiua, quæ per se spectata non est potestas iurisdictionis, sed paterna, vel dominatiua appellari potest. Hæc ergo in ordine spiritualium potestatum, etiam inuenitur, & per se sufficit in religiosa familia ad directionem, & coactionē, quasi paternā, vt conuenienter gubernari valeat. Nam si maior sit necessaria coactio, vel punitio, poterit per aliam maiorem, & quasi extrinsecam, (vt sic dicam) potestatem prouideri, vt mox dicam.

9. *Responsio P. Vasquez.* *Non omnis coactio, & punitio est actus propriæ iurisdictionis.* *Vt pater in patre respectu filii, & dominus in domino respectu serui.*

Et declaratur ampliùs hæc doctrina: nam licet in Ecclesia, vel in Republica, vel regno, postquam suprema potestas iurisdictionis vni Principi, vel supremo gubernatori data est, non possint subditi per voluntaria pacta, vel societates voluntarie initas aliquē sibi superiorem cum propria iurisdictione præficere; nihilominus mediante matrimonio vxor subiicitur viro, & vir specialem in vxorem potestatem habet, & pater in filium, & dominus in seruos, & famulos sine diminutione, vel præiudicio iurisdictionis Principis. Et tandem, ratione mediante, alio pacto possunt plures ciues, seu particulares personę in Collegium aliquod sociari, & proprium, seu quasi domesticum gubernatorē sibi deligere, cui ex promissione, & pacto parere teneantur, siue ꝑcipiat, siue mulctam aliquam imponat; vel coactionem moderatā, & priuatæ familiæ proportionatam faciat. Nam totū est consentaneum rationi naturali, & non derogat supremæ iurisdictioni Principis; & ideo per se licitū est, nisi prohibeatur. Sicut iure ciuili pia collegia licita erant etiamsi non essent specialiter approbata. Sic ergo status religiosus potest sufficienter constitui in simili congregatione, in qua proprius religiosus Prælatus habeat potestatem præcipiendi subditis absq; propria iurisdictione ex potestate paterna spirituali, accepta ex voluntario pacto, & traditione acceptata, & per votum obedientiæ confirmata. Et inde etiam consequenter habebit potestatem coercēdi subditos, & puniendi pœna regulari, & moderata, quæ ad ordinatum regimen vnius familiæ sufficiat. Igitur potestas propria iurisdictionis non est simpliciter necessaria ex sola rei natura, vt verus status religiosus constitui possit.

10. *Declaratur magis hæc doctr.na.*

11. *Tertia assertio. Ad perfectum regimen status seu monasterii religiosi necessaria est propria potestas iurisdictionis in aliquo prælato.* Dico tertio. Ad perfectum regimē status, seu mōnasterii religiosi, necessaria est propria potestas iurisdictionis in aliquo Prælato talis religionis, saltē extrinseco, & communi aliis fidelibus. Hæc autem iurisdictio non est conditio prærequisita specialiter ad illum statum, sed cùm spiritualis iurisdictio ad regendam vniuersam Ecclesiam, & omnes status eius, præsertim Ecclesiasticos, generaliter supponatur, facta institutione alicuius religiosi status, statim specialis subiectio ad spiritualem Ecclesiæ iurisdictionē, quasi naturaliter ad illum consequitur. Priorem partem huius assertionis admittit ex parte Vasquez, & si potestatem

tatem paternam seu priuatæ familiæ à regia, & Ecclesiastica iurisdictione distinguere voluisset, totam assertionem facilè concederet. Prima ergo pars in primis constat inductione: nam monasteria monialium, licet intra se, vt sic dicam, non habeant Prælatum cum potestate iurisdictionis: nihilominus semper habent Prælatum, qui propriam iurisdictionem in omnes illas etiam in Abbatissam habeat; vt est Episcopus in monasteriis illi subiectis; vel Prouincialis, aut alius Prælatus illius religionis virorum, cuius membrum tale monasterium existit. Olim etiam ante exemptionem religiosorum, monasteria monachorum subiiciebantur Episcopo, tanquam habenti iurisdictionem in ipsos, vt probant iura in prædecessorum capitibus allegata. Post exemptionem verò omnes subduntur summo Pontifici, vel Prælatis propriæ religionis, quibus Pontifex suam iurisdictionem communicauit. Nunquam ergo status religiosus sine subiectione ad prælatum aliquem habet iurisdictionem propriam in omnes eius professores inuentus est. Signum ergo est aliter institui nō posse. Et declaratur à simili, quia in republica, vel regno ciuili, nulla familia, vel collegium priuatum esse potest, aut aliquis ciuilis status inueniri, quin subdatur Principi, seu magistratui seculari, tanquam habenti propriam iurisdictionem in ipsum, vt est per se euidens, & optime probat ratio inducta pro secunda sententia. Ac denique ratione generali ostenditur, quia priuata, seu paterna potestas non sufficit ad bonum regimen monasterii, aut personarum eius, vt patet. Nam aliquando necessarium est vti censuris, vt compellantur; & aliquando vti oportet pœnis corporalibus, grauioribus, quàm per paternam potestatem solam inferri possint. Magisque declarabitur hæc ratio, alteram assertionis partem explicando, ac demonstrando.

11. Declaratur ergo pars illa; quia religiosus status eo ipso, quòd per Ecclesiam approbatur, & instituitur, est status sacer, & Ecclesiasticus, & personæ eius sunt sub peculiari dominio Dei, vt suprà declaratum est: & ideo eo ipso sunt personæ sacræ & Ecclesiasticæ, quia & diuino obsequio specialiter sunt deputatæ, & ad ipsum specialiter pertinent. Hinc ergo est, vt tales personæ ex vi sui status, & ex diuino, & canonico iure à iurisdictione temporalium Principum exemtæ sint: vt ostendimus in defensione Fidei lib. 4. cap. 10. in fine. & toto cap. 11. & 12. & iuuant, quæ diximus in 18. & in tom. 5. de Censuris. disp. 22 sect. 3. n. 19. & sequentibus, circa censuram canonis, *si quis suadente*. 17. q. 4. vbi id notant Doctores. Et in rubric. de Regul. & in cap. 2. de foro compet. Hinc ergo fit, vt eo ipso, quòd aliquis religiosus constituitur, sub spirituali iurisdictione pastorum Ecclesiæ constituatur. Illa ergo subiectio non est conditio necessaria ad statum religiosum constituendum, sed est, quasi proprietas consequens ad illum statum; & eadem ratio est de iurisdictione, quę illi subiectioni respondet. Sunt enim illa, quasi correlatiua, quæ vt talia sunt, simul incipiunt, & ex eadem quasi ratione fundandi consequuntur. Sicut ex ordinatione clerici sequitur subiectio illius personæ ad Prælatum iurisdictionem spiritualem habentem; non verò est illa subiectio, vel iurisdictio conditio necessaria ad clericum, sed est proprietas consequens. Vnde consequenter fit, vt hæc iurisdictio sit accommodata tali statui, in quo sensu illam vocamus specialem, quæ non ex iure aliquo positiuo, vel pacto, aut voto, sed ex parte materiæ, seu conditione personæ, ex natura rei determinatur. Declaratur, quia iurisdictio Papæ, vel Episcopi est de se, quasi virtus causæ vniuersalis, quæ ad particulares effectus ex dispositione materiæ determinatur. Sic enim Pontifex vniuersalem habet potestatem in laicos, & in clericos seculares, & regulares, & in monachos: non tamen eosdem actus iurisdictionis in singulos exercere potest. Sed in vnoquoque iuxta capacitatem suam, id est, iuxta vniuscuiusque status exigentiam. Et sic specialiter cadit in monachos, quibus multa potest præcipere, quæ clericis aliis præcipere haud valet; imò inter religiosos ipsos, iuxta varia eorum instituta diuersimode potest illam iurisdictionem exercere.

*Potestas dominatiua oritur ex professione religiosa, & ordinariè cōiungitur cū potestate iurisdictionis.*

12. In quo est vltimò obseruandum, in Pontifice, Episcopo, vel alio Prælato talem iurisdictionem habente, coniungi simul propriam potestatem iurisdictionis cum potestate dominatiua, seu paterna, orta ex religiosa professione. Quia (vt dictum est) qui acceptat professionem, est vel aliquis ordinarius Episcopus in monasteriis nō exemtis, sed Episcopo subiectis; vel est ipse Papa per se, vel per alium, cui potestatem acceptandi vota, & traditionem concedit: vnde fit, vt pactum ipsum professionis cum Prælato Ecclesiastico principaliter perficiatur; & inde consequenter sequitur, vt ipse etiam sit præcipuus talis monasterii, vel totius religionis Prælatus, etiā quoad potestatem dominatiuam, seu particularem ex traditione, seu professione ortam. Vnde statim subsequitur subiectio ad eundem Prælatum, prout iurisdictionem ordinariam, & Ecclesiasticam habet in oues suas, & in vnamquamque iuxta statum suum. Atque ita illæ duæ potestates mutuo se iuuant. Nam cùm Episcopus, v. g. possit in virtute obedientię monialibus sibi subditis, vt Prælatus superior talis religionis, præcipere, vt Episcopus est, potest censuram adiungere. Et sic etiam Prælati religionum exemptarum, cùm à Papa habeant iurisdictionem Episcopalem in suos religiosos, in quos etiam habent particularem potestatem ratione professionis, & obedientiæ, vtraque potestate vtuntur, quando in virtute obedientiæ, & sub pœna excommunicationis præcipiunt: & in pœnis, & coactionibus nunc vna, nunc altera potestate vtuntur, vel regulari tantùm disciplina, & coactione vtendo; vel per iurisdictionem grauiùs puniendo.

*Corollarium.*

13. Vnde tandem concludimus, aliquod genus potestatis gubernatiuæ, & quasi paternæ in spirituali ordinatione esse per se necessarium in statu religioso, & quasi ab intrinseco ratione obedientiæ, & traditionis spiritualis. quàm ille status includit: propriam autem iurisdictionem non ita esse ab intrinseca ratione status; quamuis semper sit coniuncta cum priori potestate in aliquo superiori Prælato intrinseco, vt sic dicam, vel extrinseco religionis; & ideo specialis subiectio ad talem iurisdictionē, in quocunque professione religiosum statum necessariò inueniatur. Et ita responsum est ad fundamenta aliarum opinionum, quatenus contra ea, quæ diximus procedere possent. Ad illud verò, quod specialiter inferebatur, quia sequeretur per tria vota primatim Deo facta constitui aliquem religiosum, facile respondetur, iam ostensum esse, oportere, vt talia vota, & traditio nomine Dei acceptentur per Ecclesiam; quia sine hac acceptatione, nec status Ecclesiasticus, ac religiosus potest consurgere; nec potestas dominatiua, seu paterna esse posset in Prælato Ecclesiastico. Si autem intercedat traditio, & acceptatio eius, ac trium votorum, verum est, statim constitui statum religiosum; etiamsi per impossibile, in nullo Prælatorum esset alia propria iurisdictio: nunc autem nunquam potest omnino deesse, vt satis explicatum est.

INDEX

# INDEX CAPITVM LIBRI TERTII.

*De auctore seu causa efficiente, & antiquitate status religiosi.*


CAP. I. VTRVM *religiosus status sit proprius legis gratiæ, vel etiam ante illam fuerit.*

II. *Vtrùm religiosus status à Christo ipso fuerit institutus.*

III. *Vtrùm status religiosus perpetua traditione, & sine interruptione semper in Ecclesia durauerit*

IV. *Vtrùm religiosus status in Ecclesiæ exordio eiusdem rationis fuerit cum illo, qui nunc est.*


# LIBER TERTIVS.

## DE AVCTORE, SEV CAVSA EFFICIENTE RELIGIOSI status, ac præsertim de eius origine, & antiquitate.

EXPLICATA natura status religiosi, priusquam de singulis eius obligationibus, ac votis disseramus, dicendum est de primaria causa, & origine eius, & quid in hoc statu in tota antiquitate obseruatum est; multum enim hoc confert vt ea, quæ de natura huius status diximus, amplius declarentur, & confirmentur: & ob hanc rationem ab efficiente causa initium sumimus, licet extrinseca videatur. Et præterea quia de causa simili huius status satis in duobus libris præcedentibus dictum est; vbi ostendimus perfectionem Christianam, vt acquirendam, esse huius status finem, eaque occasione, quid hæc perfectio sit, ostendimus. Infra etiam tractando de ingressu religionis, quo fine status hic assumendus sit, ostendemus, & de varietate religionum, & in specie de societate disputando, finem hunc amplius explicabimus; quam ob rem de hac causa, licet præcipua sit, hic plura dicere non est necesse. Materialis autem causa huius status non sunt nisi homines ipsi, qui statum hunc possunt assumere, de quibus tractantes de ingressu, & de professione melius dicemus. Tandem formalis causa non est alia, quam ipsa professio, & vota, quibus homo religiosus efficitur, vt iura dicunt, & ideo inferius explicanda est. Circa causam autem efficientem aduertendum est, aliud esse loqui de statu religionis secundùm se, aliùd de applicatione eius (vt sic dicam) ad talem personam; potest enim status religiosus institui, etiamsi nullus religiosus efficiatur: sicut institutus est status matrimonii antequam contraheretur, & sacramentum instituitur ante vsum eius; institutio enim solum dicit aptitudinem, vt in tali viuendi modo possit verus religiosus fieri, qui voluerit: applicatio autem illius vocatur, quando in exercitio aliquis talem statum assumit. Hic ergo non agimus de causa efficiente huius status, quatenus applicatur ad singulas personas: nam hoc pertinet ad librum de professione religionis, ex quo constabit, non esse ibi alias causas quærendas, præter ipsos, qui sua voluntate, & consensu talem statum assumunt, & eum qui potest & vult oblationem acceptare; est enim ille quidam contractus, qui mutuo consensu contrahentium perficitur, vt dicemus. Agimus ergo de causa instituente hunc statum, quam inquirimus nunc solum in generali, inde enim facile constabit, quid de singulis religionibus dicendum sit, suppositâ earum varietate, quæ postea etiam explicanda est.

### CAPVT I.

### *Vtrum religiosus status sit proprius legis gratiæ, vel etiam ante illam fuerit.*

1. *Status religiosus antiquior est statu legis gratiæ.*

MVltorum sententia est statum religiosorum antiquiorem esse statu legis gratiæ, cœpisseque vel à tempore legis naturæ in Enos, de quo dicitur Genes. 4. cœpisse *inuocare nomen Domini*, aliquo scilicet specialis religionis cultu, nam communis à principio in primis parentibus Abel & aliis fidelibus fuit. Vel saltem in tempore legis veteris, vel in Nazaræis, de quorum votis Numer. 6. mentio fit, vel præcipue in Elia, & Eliseo, ac filiis Prophetarum, qui in collegiis habitabant; eorum vero auctorem & fundatorem Hebræi Samuelem faciunt, vt docet & fundatorem Hebræi Samuelem faciunt, vt docet Geneb. in Chrono. Et Comestor in histor. lib. 1. Reg. cap. 10. *Nota*, inquit Comest. *quod Samuel primo instituit conuentus religiosorum iugiter psallentium Domino.* Idem confitmatur ex D. Hieronymo, epist. 4. ad Rustic. *Filii Prophetarum quos monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, &c. & turbu vrbium derelictu polenta, & herbu agrestibus victitabant.* & epist. 13. ad Paulin. *Nos autem habeamus propositi nostri* (id est, monachatus) *principes Paulos, Antonios, Hilariones, Macharios, & vt ad Scripturarum auctorita-*

*ritatem redeam, noster princeps Elias, noster Eliseus, noster filii Prophetarum*, &c. Deinde Ioannem Baptistam ante tempus legis gratiæ statum hunc professum fuisse, illumque vel instituisse, vel instaurasse, significat Chrysost. hom. 1. in Marcum, dicens: *Sicut sacerdotum principes sunt Apostoli, sic monachorum principes Ioannes Baptista est.* Et Hieronym. epist. 22. ad Eustoch. de custod. Virgin. *Huius vitæ* (scilicet Anachoritarum) *auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista est.* In vita denique Pauli primi Eremitæ, idem ferè repetit. Hinc etiam scripsit Bernar. epist. ad Fratr. de Monte Dei prope initium. *Sed hæc nouitas* (loquitur de illorum instituto) *non est nouella vanitas, res enim est antiqua religionis perfectè fundatæ in Christo pietatis, antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei à tempore Prophetarum demonstrata, tamque nouæ gratiæ sole creato in Ioanne Baptista inchoata, & innouata, ab ipso Domino familiarissimè celebrata, & abeius discipulis ipso præsente concupita.* Ad eundem modum de hujus status origine sensit Machar. serm. ad Monachos, vbi Eliæ in veteri lege, Ioanni Baptistæ in lege Gratiæ tribuit initium hujus status. Item Cassian. lib. 1. de Instit. cœnob. capit. 1. de Elia & Eliseo ait, *Qui in veteri testamento professionis huius fundauere primordia.* Principem verò auctoremque testamenti noui Ioannem Baptistam nominat Petrum & Paulum. Idem sentit Isidor. libro 2. de Officiis cap. 9. Dorotheus in synopsi Prophetarum.

Præterea ante legem nouam in vsu fuisse tria illa vota, in quibus substantia religiosi status consistit, verisimile videtur. Nam etsi ante legem scriptam nihil certi de hac re affirmare possumus, considerata ratione naturali intelligi potest illũ modũ viuendi, & Deo seruiendi, tũc non defuisse; quia in primis ritus viuendi, seu consecrandi aliquid per votũ Deo, de iure naturæ est, maxime suppositâ fidei illustratione, vt suprà tractatum est. Deinde eadem iure, seu ratione naturali manifestũ est, esse optimũ vitam perfectionis sequi, eamq; per mundi abnegationem cõparari: cur ergo valde credibile non est, in lege naturæ fuisse plures sanctos viros, qui hanc viam sequuti sunt? Etenim si inter Gentiles multi castitatem perpetuam seruabãt, cur multi fideles non eam Deo denouissent? De Crate illo Thebano Hieronymus refert epist. 13. propter amorem sapientiæ ingẽtem auri thesaurum reliquisse; cur ergo propter cœlestem contemplationem non multi sancti terrena omnia illis etiam priscis temporibus despexisse credendum est?

Iam verò de tempore legis scriptæ habemus ad id afferendum magnum in Scripturis fundamentum, nam per Esaiam 56. Dominus *Eunuchos* consolatur, eisque promittit *nomen sempiternum, quod non peribit.* Eunuchi autem ibi non corporaliter, sed spiritualiter intelligendi sunt, de quibus Matth. 19. dicitur, *Eunuchi sunt qui se castrauerunt propter regnum cælorum, castrauerunt* (inquam) *se per castitatis votum*, vt suprà cũ Patribus exposuimus, & ita locum etiam illum Isaiæ antiqui Patres intellexerunt, vt fusè Bellar. lib. 2. de Monach. cap. 9. cui etiam consonat illud Sapient 3. *Felix sterilis qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit contra Deum nequissima, dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptatissima.* Ac propterea Damas. lib. 4. ca. 25. Virginitatem à multis antiquis Patribus seruatam esse dicit.

De voto etiam obedientiæ in vsu fuisse inter Essenos indicat Iosephus lib. 2. de Bello Iudaico ca. 7. & cùm constet eos & filios Prophetarum communem viuendi rationem tenuisse in vno corpore, seu congregatione, per se statim fit credibile, obedientiam fuisse professos, quia aliter non ordinatè nec politicè viuere potuissent. Denique de paupertate, quòd multi etiam veteres Patres eam coluerint, præsertim Elias, Eliseus, & qui eos imitati sunt, sancti citati sæpe significant, & ad eos alludere videtur Paulus, cùm ad Hebr. 11. dicit, *Circumierũt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ*: vbi D. Thomas notat his verbis describi à Paulo mala voluntarie assumpta ab antiquis Patribus ex fide; vnde in illo verbo, *egentes*, intelligit indicari paupertatem voluntarie assumptam, in quo *præfigurabant*, ait *statum perfectionis noui testamenti*. quod etiam dicit generaliter notari in Elia, qui pastus fuit à coruo, & à muliere vidua, &c. Fuit ergo ante legem Euangelicam vera professio omnium quæ ad statum religiosum sunt necessaria: ergo & ipse status.

*Probatur fuisse votum paupertatis.*

Nihilominus existimo perfectionis ac religionis statum absolute simpliciter, ac prout includit omnia quæ de illius substantiali perfectione sunt, esse proprium legis gratiæ, anteaque fuisse adumbratum, & ex parte inchoatum, non verò perfectum. Hanc sententiam significasse mihi videntur D. Bernard. & D. Thom. locis citatis: ille enim dicit à tẽpore Prophetarũ fuisse hãc vitam præmonstratam, in Ioanne Baptista innouatam, ab ipso verò Domino familiarissimè celebratam: significans perfectionem ipsam ab illis quidem antiquis Patribus fuisse exercitam, etiã quoad opera cõsiliorum; statum verò ipsum à Christo Domino fuisse profectum. Clariùs verò D. Tho. ad Hebr. 11. lect. 8. exponens verba illa, *egentes, angustiati, afflicti*, dicit in priori verbo significari statũ voluntariæ paupertatis aliquorum veterum Prophetarum, *in quo*, inquit, *præfigurabant statum perfectionis noui testamenti*. De quo Matth. 19 *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes.* Sentit ergo D. Thom. hunc statum esse proprium noui Testamenti; olim verò solũ fuisse adumbratum. Vnde D. Hieron. epist. 22. de custod. Virg. ad Eustoch. *Alia*, inquit, *fuit in veteri lege felicitas*; ibi dicitur, *Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Hierusalem*, &c. Et infrà, *Paulatim verò increscẽ e segete, missor immissus est, virgo Elias, Eliseus virgo, virgines multi filii Prophetarum*, &c. Et infrà, *Inuenietur ergo in viris tantũ hoc continentiæ donum, & in doloribus iugiter Euæ parturiebat. Postquam verò virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum, soluta maledictio est, ideoque & ditius virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina. Statim vt filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos & in terris.* Et infrà, quod ad rem maximè spectabat. *Tunc primùm auditum est: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* quæ verba de vocatione ad statum religiosum Patres intelligunt, præsertim Basil. in reg. 6. ex fusiùs disputatis. Ex dictis ergo colligitur religiosum statum, etsi ante Christum fuerit, à Patribus antiquis, & Prophetis adumbratum, & ex parte inchoatum, illius tamen perfectionem, seu perfectam institutionem, esse propriam legis gratiæ. Quod latè etiam ostendunt Hieron. Platus lib. 2. de Bono stat. relig. cap. 19. & 20. Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 5. Matth Galenius de Orig. Monast. Henriq. tom. 2. lib. 12. c. 5. Basil. Ponce q. 3. Scholast. c. 2.

4. *Vera sententia affirit, statum religiosum simpliciter, & prout includit omnia quæ de illius substantia sunt esse proprium legis gratiæ, anteà verò fuisse adumbratum, & inchoatum, non verò perfectum.*

Declaratur autem assertio primò generali ratione, quia tanta perfectio, quanta secum affert religiosus status, debuit in tempus gratiæ reseruari. Primùm, quia *nihil ad perfectum adduxit lex*, vt Paul. ait ad Hebr. 7. ideo ad Galat. 4. tempus legis veteris appellat tempus infantiæ, seu pueritiæ, dicens, *Ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes*, &c. Secundò, quia decebat, vt sicut Christus de cœlo veniens pro vniuerso mundo nouã legẽ & abundantiæ gratiam attulit, ita etiam intra suam Eccle-

5.

*Secundò.*

Ecclesiam nouam viuendi rationem excellentiori modo ad perfectionem tendẽtem institueret, ac demonstraret. Tertiò, quia status perfectionis maxime consistit insequendo & imitando Christum, propter quod vbicunque ad hunc statum vocat, addit illam vocem, *& sequatur me*, vbi Hieron. *Quod proprium* (inquit) *Apostolorum est, atque credentium*; & de Petro dicente, *Ecce nos reliquimus omnia*, inquit, iungit quod perfectum est, scilicet, *& secuti sumus te*: ergo expediebat, vt dux huius viæ & status esset ipsum Dei Verbum iam incarnatum. Nam licet etiam veteres per fidem in eum aspicerent, & ita eum imitari potuerint, iuxta illud quod de Moyse scribit Paulus ad Hebr. 11. *Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improprium Christi*, nihilominus non habebant tam expressam cognitionem vitæ, & morum futurorum in Christo, nec experimentalem earum rerum cognitionem. Et præterea licet cognitio illa in vno vel altero fuerit sufficiens, & ideo ipsa imitatio, & perfectio etiam in aliquibus esse potuerit; tamen communiter ac regulariter non erat generalis illa tam distincta cognitio, & ideo nec perfectio ipsa quoad statum publicum, & omnibus propositum potuit, aut debuit esse illo tempore in eo gradu, & modo, quo nunc est.

*Tertiò.*

6. *Secunda pars veræ sententiæ propositæ ostenditur, & satisfit argumẽtis contrariæ opinionis.*

Tandem ex duabus partibus, quas nostra habet assertio prior affirmans, quæ ad tempus legis gratiæ pertinet, in sequentibus demonstranda est, quamuis ex dictis in libris præcedentibus & ex vsu ipso satis per se sit euidens. Altera verò pars, quæ partim affirmans etiam est, partim negans, quoad affirmantem partem sufficienter probatur rationibus in principio propositis; quoad partem verò negantem explicanda à nobis est, atque ita rationibus alterius sententiæ, quatenus nostræ repugnare possunt, satisfaciendum. Primùm igitur negare non possumus, quin aliqui ex veteribus Sanctis fuerint virgines, vt de Elia, Eliseo, ac filiis Prophetarum affirmat expresse Hieron. suprà, & de illis & aliis Ignatius, Ambros. & Damas. quos cum aliis retuli in 2. tom. 3. p. disput. 6. sect. 3. vbi etiam dixi, licet hi virginitatem seruauerint, incertum tamen esse, an per votum illam Deo consecrauerint: nam de hac re nulla mentio, vel significatio in Scriptura fit. Nec ex eo solùm quòd vti sanctitatem & perfectionem agnoscebant, sufficiens coniectura sumitur, vt dicamus illos virginitatem seu castitatem vouisse: tum quia virginitas non erat in communi obseruantia illius temporis, nec in lege consulebatur, sed potiùs videbatur commendari fœcunditas, & ideo fortasse licet illam seruaret, quandiu aliud Deo placere eis non constabat, non tamen in perpetuum promittere auderent sine speciali Dei reuelatione. Sic enim etiam de Beatissima Virgine & Iosepho multi Patres sentiunt non vouisse Virginitatem sine speciali Dei reuelatione, vel Spiritus sancti instinctu ei æquiualente. Tum etiam, quia licet vota de singularibus actionibus, & præsertim de sacrificiis, & oblationibus essent tunc in vsu, tamen vota de rebus perpetuis, & quæ varios ac difficiles poterant habere euentus non fiebant eo tempore, quia superabant perfectionem illius status, & ideo fieri potuit, vt etiam viri sancti talia vota non emitterent. Nec ex locis illis Isaiæ aut Sapientiæ aliquid sufficienter probatur, nam licet admittamus ibi esse sermonem de Eunuchis spiritualibus per votum castitatis, non est tamen necesse, vt illa verba ad mores, vel homines illius temporis referantur. Sed Isaias prophetice loquitur de his, quæ in aduentu Messiæ futura erant in Ecclesia, & ita verba eius cõtinent vaticinium in noua lege impletum, vt significauit Bellarm. lib. 2. de Monach. c. 9 vbi cum Hieronymo eodem modo intelligit testimonium Sapientiæ. Videtur autem in illo loco generalem sermonem esse de omnibus iustis castitatem custodientibus, seque ab omni toro maculato seruantibus, siue ex voto, siue sine voto, siue in hoc, siue in illo tempore.

*Aliqui sancti ex veteribus fuerunt virgines, vt Eliæ, Eliseus, &c.*

*Constitæ ante legem gratiæ non vouebatur nisi ex speciali reuelatione Dei.*

*Vota de se perpetua non solebãt fieri ante legem gratiæ.*

*Explicatur locus Isai. & Sapient.*

7. *Vota pauperta. non fuit in vsu tempore legis veteris.*

Hinc constat multò minùs ostendi posse votum paupertatis fuisse in vsu tempore legis veteris; nullum enim talis voti ibi vestigium inuenitur. Imò & de vsu paupertatis voluntariæ rarissima sunt iudicia in vna vel alia persona, de quibus etiam incertum est quem modum vel gradum paupertatis seruauerint. Esto enim Elias paupertatem amauerit, quoad vsum paucarum rerum, quis affirmare poterit nullius habuisse dominium, vel quod difficilius est, nec licite habere potuisse? Imò si illius historiam attente legamus, 3. Regum. 17. inueniemus ipsum non cepisse voluntariam paupertatem profiteri, donec illi præcepit Deus. *Recede hinc, & vade contra Orientem*, &c. *vbi de torrente bibes, coruisque præcepi vt pascant te ibi.* & infrà, *Surge, & vade in Sarephtha Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* Ex quibus verbis potiùs possumus coniectare, priùs habuisse Eliam bona, ex quibus aleretur, ideo enim videtur à Deo præuentus, & admonitus, vnde esset sustentandus, ne de ea re esset solicitus, nec de eius paupertate plura in Scriptura leguntur. Nec etiam de paupertate Elisei præterid quod 4. Reg. 4. legimus, cùm frequenter transiret per Sunam, solitum fuisse diuerte-re ad quandam fœminam, vt hospitio reciperetur, & aleretur, quod est indicium paupertatis eius, licet non sufficiens, nam ibidem de muliere dicitur, *Quæ tenuit eum vt comederet panem*; & inferiùs eod. cap. dicitur tempore famis filios Prophetarum habitasse coram eo in Galgala, ipsumque præcepisse vt de pueris suis. *Pone ollam grandem, & coque pulmentum pro filiis Prophetarum.* Vnde colligi potest ipsum habuisse aliqua bona, cùm tempore famis abundanter posset alere filios Prophetarum: quamuis etiam pulmentum illud potuerit esse vile, & eleemosynis comparatum. Itaque nihil certi de modo paupertatis eius, vel sociorum, seu eorum, qui filii Prophetarum appellantur, affirmare possumus.

*Elias coluit paupertatẽ, sed non voluit.*

*Eliseus coluit paupertatem, sed non voluit.*

8. *Similiter obedientia votum non fuit in vsu tempore legis veteris, vt patet in Eliseo.*

Præterea de vsu, multoque minùs de voto obedientiæ vestigium sufficiens inuenimus in Elia: de Eliseo solùm legimus misisse Eliæ, fuisseque discipulum eius; vnde fit consequens, vt illi obsequẽs fuerit: quòd autem vel eam obedientiam voto consecrauerit, vel intuitu status religiosi id fecerit affirmare non possumus, quia in Scriptura nullum inuenimus huius rei indicium. Solùm enim 3. Reg. 19. dixit Dominus Eliæ, *Et Iesum filium Saphat vnges Prophetam prote.* In fine verò illius capitis significatur, Eliseum relictis patre & matre, & rebus quas habebat, sequutum fuisse Eliam. Ex quo optimè colligimus, præcessisse tunc quandam figuram, & adumbrationem status religiosi; quòd autem Eliseus fuerit sequutus Eliam cum voto obedientiæ, & cum tali renunciatione rerum omnium, vt nihil proprium habere liceret, ne vsum rei alicuius sine facultate Eliæ, neque in Scriptura habet fundamentum, neque id, nisi mere voluntarie affirmare possumus: potiusque ex auctoritate negatiua possumus contrarium coniectare, quia rem tanti momenti Scriptura non tacuisset, vel saltem indicasset.

9. *Filii Prophetarum obedientiam sub Eliseo habuerunt, sed non voluerunt.*

De filiis autem Prophetarum quidam colligunt professionem quandam obedientiæ, ex eo quòd 4. Reg. 2. legitur, postquam raptus est Elias, & Eliseus recepto eius pallio reuersus est, & diuiso Iordane transiuit, cognouisse filios Prophetarum, requieuisse spiritum Eliæ super Eliseum; vnde ait Scriptura, *& venientes in occursum eius, adorauerunt eum pront in terram*; ac si tacite dicerent se ei obedientiam præstare, quam antea

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

antea Eliæ tribuere soliti erãt. At hoc non habet sufficiens fundamentum in textu, nec consonat verbis sequentibus, *dixerũtque ei: Ecce cum seruis tuis sunt quinquaginta viri*, &c. Igitur ex prioribus verbis nihil aliud colligi potest, nisi recognouisse illum vt sanctum virum, & specialiter afflatum spiritu Dei, & id eo desiderasse illum consolari, & iuuare in eo quod possent: vt indicant posteriora verba.

Magis colligi potest modus congregationis, & subordinationis religiosę inter Eliseum, & illos filios Prophetarum ex verbis 4. Reg. 6. *Dixerunt filii Prophetarum ad Eliseum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustum est nobis, eamus vsque ad Iordanem, & tollant singuli de silua materias singulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum: qui dixit: Ite*, &c. Et quidem hæc verba manifestè indicant habitasse filios illos Prophetarum cum Eliseo in vna societate, seu collegio, eumque vt dominum & superiorem solitos esse recognoscere. Quis autem fuerit ille modus congregationis, non satis constat, quia Scriptura solùm vel casu, & per occasionem eam indicat. Incertum ergo est, an illi Prophetarum filii ita Eliæ, vel Eliseo adhærerent, vt perpetuam cum illo societatem inirent, vel solùm ad tempus cum eo degerent, vt ab eo instituerentur in diuinis rebus, & postea de se liberè disponerent. Vnde licet Hieronym. absolute dicat hos filios Prophetarum fuisse virgines, in Scriptura id non reperio, & verisimile est dum ibi erant castitatem coluisse, nec in congregatione illa solitos fuisse admitti, nisi ab onere matrimonii liberos: quòd autem in eo statu perseuerarent semper, aut quòd voto ad hoc obligarentur, affirmari non potest. Ac similiter de obedientia credendum sine dubio est, dum ibi erant, Eliseo fuisse obsequentes, tum quia illũ agnoscebant vt sanctum, & donis Dei superiorem, & ita semper eum Dominum appellabant: tum etiam, quia sine aliquo obedientiæ genere impossibile est in congregatione ordinatè viuere. An verò illa obedientia esset ex voto, vel ex promissione humana, vel ex pacto tantùm conditionato, si ibi perseuerare vellent, vel solùm ex interna spiritus motione & operatione merè voluntaria, incertum est.

Possumus præterea similem discursum facere per omnes congregationes, seu viuendi modos, qui ante Christi aduentum dicuntur fuisse inter Iudæos per modum religionis, seu religiosi status, & singulis explicare quomodo perfectam huius status rationem non attigerint. Inter quos famosiores videntur esse Esseni, de quibus illustris narratio est apud Philonem lib. de Vita contemplat. & Ioseph. lib. 18. Antiquit. c. 2. & lib. 2. de Bello Iud. c. 7. ex quibus etiam intelligere licet illos fuisse religiosos, & paupertatem ac cætera consilia obseruasse. At verò de his Essenis varia est opinio; multi enim Patres existimarũt illos, de quibus Philo loquitur, non fuisse Iudæos, sed Christianos, & D. Marci discipulos. ita docet Hieron. de Scriptor. Eccles. in Marc. de quo sic ait: *Assumpto Euangelio, quod ipse confecerat, perrexit Ægyptũ, & primum Alexandr æ Christum annuntians constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum suum cogeret. Denique Philo dirissimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit; & quomodo Lucas narrat, Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia, sic & ille quod sub Marco Alexandriæ doctore fieri cernebat, memoriæ tradidit.* Dicit autem Hieronym. vidisse Philonem Alexandrinam Ecclesiam iudaizantem, quia licet Christiana esset, adhuc legalia seruabat: Philonem autem propter Iudaismum illam laudasse, quamuis teneret de Christianis loqueretur. Idem repetit paulò inferiùs in Philone, quem dicit habitacula Christianorum vocasse monasteria, ea in multis prouinciis esse memorans. *Ex quo* (ait Hieronym.) *apparet talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur, & cupiunt*, &c. Hanc sententiam sequutus est Beda præfatione in Marcum, & Cassian. lib. 2. de Instit. renunc. cap. 5. & eam priùs docuit Euseb. lib. 2. Histor. cap. 15. Sozom. lib. 1. cap. 12. in fin. Denique Epiphan. hæres. 29. vt nominis rationem reddat, ait illos de quibus loquitur Philo, non Essenos, sed Esseos vocari, vel potiùs Iessęos, à Iesu nomine. Potestque hoc confirmari, quia si Esseni fuissent ante Christi aduentum, esset que aliqua Iudæorum religio, vtique fieret aliqua mentio illorum in Euangelio, sicut fit Pharisæorum, & Sadducæorum; at nulla fit: signum ergo est inter Iudæos non fuisse.

*Iuxtà Epiphanium vocantur Esseni vel Iessei, à Iesu nomine.*

12. At verò quanquam de Philone probabile sit loqui de Essenis Christianis, quia tractat de illis, qui nouam perfectionis viam eo tempore profiteri cœperant. Iosephus autem de Iudæis videtur loqui, nam antiquiores inter Iudæos illos esse significat, & à Pharisæis & Sadducæis illos distinguit, & quædam eorum dogmata refert, quæ cum Christiana religione non consonant. Vnde Epiphan. hæres. 19. ponit Essenos Iudæos, qui ante Christum fuerunt, & hæres. 9. & sequentibus, alios Essenos Samaritanos fuisse affirmat. Cyrill. etiam lib. 5. contra Iulian. ex Porphyr. eorum mentionem facit, dicitque in perscrutandis Prophetis fuisse diligentes; & ideo multi existimant non fuisse Christum persequutos, & ob eam causam non fieri eorum mentionem in Euangelio. Eorum etiam meminit Plinius lib. 5. Histor. ca. 17. & antiquissimos illos esse significat, & castitatem ac paupertatem dicit coluisse, *sine vllâ fœmina, sine pecuniâ*. B. Nilus in principio Asceticorum suorum ait, illos habuisse mores similes nostris religiosis, non tamen credidisse in Christum. Philast. etiam contra hæreses ait multos eorum in Iudaismo permansisse. Verisimile ergo est & ante & post Christum fuisse, & multos ex illis ad fidem conuersos per Matci prædicationem Alexandriæ, moralem viuendi modum de se bonum in Christianismo retinuisse, & perfecisse; & ideo verum quidem esse Philonem de Christianis loqui, non tamen excludere antiquiores Essenos: imò forte etiam Iosephus, vt Hieron. significat, de eisdem loquitur, illos cum Iudæis confundens. De quibus videri possunt plura in Matthæo Galt. lib. de Origine Monast. c. 5. Baron. tom. 1. An. 64. n. 6. & seq. Bellar. lib. 2. de Monach. c. 5.

*Iosephus loquitur de Essenis Iudæis, & à Pharisæis, & Sadducæis illos distinguit.*

13. De his ergo Essenis, qui inter Iudæos fuerunt, licet constet modum religiosæ vitæ tenuisse, tamen quòd non veri religiosi fuerint ostendi potest: primò, quia etiam illo tempore non creduntur habuisse veram & sanam fidem, vt ex Iosepho colligitur, & ex Epiphan. sine vera autem fide, nec vera religio esse potest. Secundò ex Iosepho lib. 18. Antiquit. c. 2. & Philone lib. Quòd liber sit probus, eos non seruasse veram paupertatem, sed habuisse diuitias vnde viuerent. Tertiò de obseruatione castitatis, & obedientiæ nihil certò affirmare possumus, multoque magis incertum est an vota emiserint, præsertim perpetua. nam de his omnibus, qui castitatem seruabant in lege veteri, certiùs creditur regulariter solùm pro aliquo tempore illam seruasse.

*Esseni licet modum religiosæ vitæ tenuerint, non fuerint verè religiosi.*

*Nõ habuerunt verã & sanam fidem.*

Nazaræi etiam videntur habuisse inter Iudæos similitudinem quandam religionis: nam de illis dicitur Numer. 6. quòd se sanctificabant, & per votum Domino consecrabant; sed (vt omittam illos etiam non habuisse integram & sanam fidem, vt videre licet in Epiph. hæres. 18.) ex eodem loco Scripturæ constat illam consecrationem, vel sanctificationem non fuisse perpetuam, sed ad tempus; nec alia opera

14. *Idem dicendum de Nazaræis.*

perfectionis comprehendisse, præter abstinentiam à vino & vuis, cum aliis cæremoniis, quæ ibi narrantur, de quibus videri potest Abul. ad locum citatum. & Mendoca in quodl. quæst. 5. num. 1. Vnde probabile aliqui existimant ab horum Nazaræorum ritu duxisse originem Rechabites adeò in Scriptura celebres, propter laudes, quas de illis refert Ierem. cap. 35. Illi enim à Ionadab patre suo hoc præceptum habuerunt. *Non bibetis vinum vos & filii vestri vsque in sempiternum, & domum non ædificabitis, & semen non seretis, & vineam non plantabitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris*; quod paternum præceptum ipsi inuiolabiliter obseruarunt, pro quo laudem & præmium à Deo meruerunt. Illorum ergo viuendi modus ab institutione paterna duxit originem; tamen Ionadab occasionem id præcipiendi videtur sumsisse à ritu Nazaræorum, cui ipse aliquid addidit. Quòd tamen etiam illi Religiosi non fuerint, constat, quia in reliquis rebus extra illas cæremonias laicorum more viuebant, & filios generabant, &c. Monstrat autem Baron. supra hos Rechabites diuersos fuisse ab Essenis, licet verisimile censeat hos ab illis originem duxisse. Non omittam autem aduertere Hieronymum epist. 13. inter antiquos religiosorum duces cum Elia, Eliseo, & filiis Prophetarum hos etiam Rechabites numerare, vt intelligatur ipsum non appellare eos duces, eo quòd perfectum religiosum statum ad amussim tenerent, sed quia extra vrbem viuebant, & vitam quandam solitariam & pauperem profitebantur. Omitto sectas alias, quæ inter Iudæos fuerunt, Pharisæorum, Saducæorum, Dosithæorum, & similium, cõstat enim eos & in fide & in moribus multum à vera religione defeciisse, vt videri potest apud Iosephum dict. lib. 18. Antiquit. cap. 2. & lib. 2. de Bello Iud. cap. 2. Epiphan. hæres. 13. & sequent. quæ in summam redigit Baron. in Apparatu ad Annales initio tom. 1.

*Rechabites traxerunt originem à Nazaræis*

*Isti etiam non fuerũt vere religiosi.*

15. Tandem explicari potest in hunc modum assertio posita. Nam in primis si consideremus statum nostrum religiosum, vt constantem ex solennibus votis, nullo fundamento affirmare possumus tale genus voti fuisse in vsu in lege naturæ, aut veteri, quo scilicet, personæ fierent inhabiles ad matrimonium contrahendum, & matrimonium ritè contractum ante consummationem dirimeretur; suntenim hæc propria Ecclesiæ Christi, nec potest afferri vllum exemplum, aut vestigium antiquitatum, quo ostenderatur ante illos fuisse. Quod satis confirmant Pontifices, qui declarant hanc solennitatem ab Ecclesia fuisse introductam, vtique per specialem potestatẽ à Christo datam; anteà ergo quàm Christus daret hominibus hanc potestatem, non fuit, nec esse potuit inter eos vsus talium votorum. Idem argumentum fieri potest de voto paupertatis, quatenus hominem reddit inhabilem ad temporalium rerum dominium, imò etiam quatenus obligat ad illud non habendum, neque acceptandum circa vllam rem, vel nunquam, vel rarò existimo esse cognitum à veteribus, licet actualem vsum paupertatis multi coluerint. Vnde si abstrahamus à votis solennibus, hac speciali & legitima solennitate, fortasse fieri potuit, vt aliquis tria vota emiserit priscis illis temporibus; dico tamen de nullo posse cum sufficienti fundamẽto affirmari: multoque minus de aliqua communitate, & ritu aliquo viuendi pro omnibus hominibus communiter proposito. Vnde hîc accommodari potest distinctio insinuata à D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 4. de statu hominis vel interno, vel occulto, & apud Deum; vel de externo, publico, & apud Ecclesiam. Prior potest suo modo consurgere ex votis soli Deo factis, de quibus nos iudicare non possumus, & ita neque affirmare simpliciter ab aliquo ante Euangelium fuisse omnia simul facta vt perpetua, & vt per illa se totum Deo consecraret immobiliter, quia hoc scriptum, aut traditum non est: nec etiam id possumus constanter negare, quia neque hoc etiam est scriptum, & non fuit impossibile fieri, quanquam præsumptio sit in contrarium, tum propter auctoritatem negatiuam, tum quia non erant talia vota illis temporibus accommodata, vel propter non vsum, vel propter minorem lucem Euangelicæ perfectionis, vel propter temporales promissiones, quæ tunc fiebant, & propter alias similes causas. Posterior autem status præter tria vota apud Deum requirit specialem potestatem in hominibus acceptandi illa nomine Dei, & traditionem quandam, quæ in statu religioso cum illis coniuncta est. quæ potestas supernaturalis est, & propria legis nouæ, nec cum probabili fundamento potest antiquioribus tribui, magis quàm potestas ligandi, & soluendi, quæ in Euangelio data est. Et per hæc satis responsum est rationibus dubitandi in principio positis.

*Explicatur magis tradita assertio quoad vota substantialia status religiosi.*

## Caput II.

### *Vtrùm religiosus status à Christo ipso fuerit institutus.*

1. MIrum est, quanto odio ab initio Ecclesiæ, religionis status oppugnatus sit; duplices autem fuere religiosorum hostes, alii enim personas, alii statum ipsum insectati sunt: vtrumque autem modũ homines impii, & præsertim hæretici exercuerunt, vt eleganter prosequitur noster Plotus in proœmio lib. 1. de statu Relig. Vt autem Iulianum Apostatã, & alios principes hæreticos omittam, qui potentia, & vi religiosos vexarunt, quos latè refert Iodoc. Coccius tom. 2. thes. lib. 4 de vita Monastica, a. 2. in principio. Ariani summo odio religiosos prosecuti sunt, vt ex Athanasio colligi potest in Apologetico proximè ante secũdam eius epistolam; & in epist. ad Solit. vit. agent. sub finem. & ex Rufino lib. 1. Hist. cap. 3. Similia de Donatistis refert Aug. Enarrat. in Psal. 132. Lib. autem 3. contra Petilian. c. 40 significat, non solùm contra personas, sed etiam contra statum inuectos fuisse. Tempore etiam Chrysost. multi fuerunt non solùm hæretici, sed etiam mali fideles vituperatores vitæ monasticæ, cõtra quos ille tres libros scripsit. Heluidius, & Iouinianus etiam hunc statum oppugnarunt, nec enim potuerunt hostes castitatis, & virginitatis esse, quin etiam contra religiosum statũ se armauerint. Postea Wiclephus statum hunc à dæmone inuentum ausus est dicere, quem errorem damnauit Concil. Constant. Sess. 8. & latè impugnatur ab Waldensi tom. 2. à cap. 83. Ac tandem noui hæretici illum vehementer insectantur, asserentes rẽ nouam esse, & ab hominibus otiosis inuentam, calumniantur. Et qui maiorẽ ei auctoritatẽ tribuunt, post trecentos annos Christi dicunt incepisse, eiusq; inuentores fuisse Machanium, Antonium, & similes. Et ne hanc etiam antiquitatem nostris religiosis tribuere videantur, dicunt illos nihil habere commune cum illis antiquis monachis, vt Bellar. refert. 2. li. de Monach. cap. 5. Tria ergo videnda sunt. Primum hoc non esse inuentum pure humanum, sed ab ipso diuino iure ducere originem. Secundum, statum hunc continua, & non interrupta traditione in Ecclesia seruatum fuisse. Tertium, substantia & essentia eundem semper fuisse statum, licet accidentibus, & cæremoniis varietatem obtineat.

*Tria consideranda in hac materia.*

2. Circa primum punctum ratio dubitandi esse potest, primò, quia nullibi legimus talem institutionẽ. Secundò, quia nulla ex religionibus, quæ in Ecclesia sunt, vel fuerunt vnquam, est à Christo instituta: ergo nec status religiosus secundùm se; quia institutio diuina

*Primum punctum, & ratio dubitandi an status*

diuina debet esse in particularia, sicut statum Episcoporum, vel sacerdotum instituit. Tertiò, vel hic status ex natura sua bonus est, & sic non indiguit positiua institutione, vel est indifferens, & sic non potuit à Christo institui; maximè cùm ex vi talis institutionis nihil speciale à Christo collatum sit.

2. Pro explicatione aduertendum est, aliud esse loqui de statu religioso, puro ac nudo, quoad ea quæ illi substantialia sunt, aliud verò esse loqui de illo vt determinato ad certam regulam, seu certum viuendi modum, vel, quod perinde est, vt talibus circumstantiis vestitum. Dico ergo primò, status religionis secundùm se, & quoad substantiam suam ab ipso Christo Domino immediate traditus & institutus fuit: atque ita dici potest esse de iure diuino non præcipiente, sed consulente. hæc est sententia omnium catholicorum rectè sentientium. D. Thom. 2.2.q.88.a.4.ad 3. Palud. in 4.d.38.q.1.defin.5.circa 3. Wald. tom.1. de Sacramental. tit.9. cap 83. & 84. & tom.3.doctr.Fid. cap.31.& 32. Clitou. lib.3. de Votis Monast. cap.5. Soto lib.7.de Justit.q.5. art.1. præsertim corol. 6. & 7. Castro contra hæres. ver. *Votum.* Nauarr. comment. 4. de Regular. num.3. & de redit. Eccles. monit 3. Aluar. Pelag lib.2. de Planct. Eccles. c.56.aliàs 53. Catharin. lib. 2. contra Caiet. Turrian. lib.5.pro Epist. Pont. cap.2. Bellarm. lib.2. de Monac. cap.5. Platus lib.2. de bono stat. Relig. cap.20. Valen. 2.1.disp.1.q.4.punct.1.§.6. & in Controu. tit. de Votis monast. cap.2. Henriquez lib.10. de Sacramento Ordin. c.1. Albert. Pius lib.5. de Monach. Salmeron tom.8.tract.52. in solutione octauæ obiectionis. Vasquez.1.2.disp.165.c.5.

3. Eadem veritas sumitur ex antiquis Patribus, qui communiter docent Christianorum vitam & statũ in duos ordines Christum distribuisse, vnum professionem communem viam mandatorum, vt sunt coniugati, alium qui profitentur altiorem, & Angelicam vitam, id est, religiosam. Notauit hoc Simon Logothetes antiquus auctor in Chronid. refertque varios Patres, potissimùm id docuit Basil. serm.1. Ascetico de Abdicat. rerum, & perfect. spirit. vbi inter alia dixit, per illa verba Matt.11. *Venite ad me omnes qui laboratis*, vocare nos Christum ad monachorum vitam. Idem in Regul. fusè disp. Regula 6. duplicem illam vitam expresse distinguit, & de perfecta exponit illud, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*; & in Constit. monast. cap. 9. dicit Religiosam vitam esse imitationem illius, quam Christus cum suis Apostolis instituit. & cap.23. loquens de obedientia religiosa, *Hanc* (inquit) *is qui secundum Deum verè est monachus, antistitis suo præstet oportet. si quidem, vt iam diximus, Christus discipulos in hoc elegit, qui hoc vitæ institutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eandem sequutura posteritati.* Idem habet epist. 79. ad Eustoch. Chrysostom. etiam homil. 17. ad Popul. religiosam vitam vocat *philosophiam à Christo introductam*; quia tres etiam libros scripsit contra vituperatores vitæ monast. Idem Athanas. epist. ad Ammon. monachum tom.5. qui etiam tom.4. exhortationẽ habet ad monachos, vbi inter alia ait, *Illud legis indultum est termino, hoc gratia seruatum est incrementis.* Euseb. lib. 1. de Demonst. ca.8. *In Ecclesia Dei duo modo viuendi instituti sunt*, &c. vbi licet non dicat expresse esse institutos à Christo, tamen ex contexru præcedentium capitum constat, hanc esse illius mentem; optime autem in hanc modum definit statum religiosum, dicens, *Alter quidem* (scilicet viuendi modus) *naturam nostram & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem negauit; totus autem prorsus à communi & consueta cunctorum hominum vita abhorrens, & solum diuino cultui, & rerum cœlestium amori addictus.* Copiosè etiam de eadem rẽ scribit August. epist. 89. ad Hilar. quæ. 4. vbi ait se Apostolorum exemplo hanc viam sequutum fuisse, & alios ad hoc propositum, quantum poterat, fuisse hortatum. Hieron. epist. ad Rustic. monach. & sæpe aliàs, idem sentit. Et aperte Origen. hom. 9. in Iosue.

Fr. Suarez de statu relig. tom.3.

5. *Probatur præcipuè ex Euangelio.*

Fundatur autem præcipuè hæc veritas in Euangelio, in quo Christus homines ad tria illa cõsilia, paupertatis, castitatis, & obedientiæ exhortatur, & ad vota perpetua de illis facienda, quæ duo in superioribus à nobis ostensa sunt, de illis votis simplicibus in particulari disputando. At verò substantia status religiosi in his tribus votis consistit: ergo hic status ab ipso Christo traditus est. Dices, esto Christus hæc vota consuluerit, non tamen inde fit consuluisse statum religiosum, tum quia potuerunt singula laudari, & commendari per seipsa, non tamen vt componẽtia vnum statum, tum maximè, quia status religiosus plus includit, quàm illa tria vota, nam suprà diximus, licet quis illa tria vota simpliciter emittat, non statim esse vere ac proprie religiosum. Respondeo ad priorem partem, si singula per se laudata & commendata sunt, multo magis necesse est, vt omnia tradita sub consilio fuerint, quia illa non se impediunt, sed potiùs iuuant. Addo Christum Dominum sæpiùs hoc significasse, cùm enim ait, Matth. 19. *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, ac sequere me.* expresse coniungit paupertatem cum obedientia, & necessariò supponit castitatem, quia non posset quis sequi libere Christum obligatus vxoti, nec etiam paupertas cum filiorum procreatione & obligatione, quæ inde nascitur, bene coniungitur, vt suprà ostendimus. Et ideo alio loco omnia Christus coniunxit, relinquere *patrem, matrem, vxorem, filios, agros, adhuc autem & animam suam.* & Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quæ omnia & similia, licet in aliquo sensu possint ad omnes fideles pertinere, & de obligatione præcepti exponi, in præparatione animi pro casu necessitatis, &c. Tamen proprie & in rigore intelliguntur de actuali renuntiatione omnium ad Christum perfectè sequendum, vt suprà ex sanctis Patribus; & ex ipso textu Euangelico ostensum est: ergo satis aperte inuitauit nos Christus ad quandam viuendi rationem & statum, omnem illam abnegatione cum immobilitate & stabilitate includentem.

*Instantiæ solutur.*

6. *Secunda assertio. Status religionis non est institutus à Christo quoad particularem eius determinationem ad talem regulam, vel circumstantias.*

Vnde ad alteram partem respondeo, & dico secundò, Christum Dominum instituisse religiosum statum, quantum ad omnia quæ sunt de substantia talis status, etiamsi non instituerit particularem determinationem eius ad talem regulam vel circumstantias. Illud verò sufficit, vt simpliciter dicatur talẽ statum instituisse. Hæc vltima pars per se nota est, qa res simpliciter dicitur talis ratione suæ substantiæ & essentiæ, & ideo qui rei substantiam producit, absolutè illam producit, etiamsi non conferat accidentaria. Sic etiam dicitur Christus instituisse sacramenta, quia docuit ea quæ sunt de eorum substantia, etsi accidentalia Ecclesiæ commiserit. Prima verò pars declaratur, quia si quid est de substantia huius status præter tria vota, solùm est traditio sui, quam in manibus prælati facit, qui religionem profitetur; at verò hanc etiam Christus consuluit, vt non obscure ex verbis eius colligitur, *Abneget semetipsum.* Abnegat enim se maxime homo (vt Patres omnes exponunt quando se priuat sua propria voluntate & libertate propter Christum, quia hoc est maxime proprium hominis vt sic, & ita hoc significat illud relatiuum, *semetipsum*: maxime autem se priuat homo hac volũtate propria & libertate per illam traditionem: nam licet per obedientiam etiam id fiat, status autem huius obedientiæ tunc est perfectus, quando homo nõ

solùm promittit, sed etiam donat se, ita vt nec dominium suæ libertatis quodammodo retineat. Verbũ etiam illud quod Christus sæpe repetit, *Veni, sequere, me*, hoc ipsum consilium continet, non enim solùm significat me sequere, id est, me imitare, sed reipsa me sequere, quocunque ego iero, & voluero, & te ipsum mihi dando, vt in omnibus ad nutum meum moueaaris. Deinde vsus ipse (qui sicut est optimus legum interpres, ita & consiliorum) ostendit hoc sensu fuisse intellecta Christi verba ab Apostolis, & ad praxim reducta, & ita etiam fuisse in morem Ecclesiæ perpetua traditione introductum, vt sequenti ca. constabit. Et ex responsionibus ad rationes dubitandi propositas, magis etiam declarabitur hæc prima pars simul cum secunda: quæ etiam ex se satis clara est, & ex secunda ratione in principio facta, quam iam expendemus.

7. *Respondetur ad rationes in contrarium allatas. Ad primã.*

Ad primam ergo rationem negatur assumptum, satis enim in Euangelio significata est institutio huius status. Addi etiam potest ex Basil. in reg. moral. regul. 19 c. 1. & regul. 70 c. 8. & in reg. 1. ex breuioribus, quamuis hoc in particulari Christus non constituisset, eo ipso, quòd vbique nobis consuluit id quod est perfectum, & meliùs & sufficienti ratione constat hunc statum esse meliorem, & perfectiorẽ, id satis esse, vt censeatur à Christo consultum.

8. *Ad secundam. Christus nullam religionem instituit in particulari.*

In secunda ratione petitur, quam religionem Christus instituerit. Cui breuiter responderi posset, instituisse omnem quatenus religio est, nullam verò in particulari; nullam, id est, neque hanc, neque illam in particulari, sed religionis statum secundùm se, ac immobiliter, vt aiunt Dialectici, sicut instituit sacramentum Baptismi, non in particulari hoc vel illud, sed simpliciter Baptismum. Vnde aliud est instituere, aliud facere, vel conferre: Christus enim omnia sacramenta instituit, non tamen omnia fecit aut contulit. Vnde si neminem ipse suis manibus baptizasset, licet Baptismum instituisset, nullum tamen in particulari fecisset: & de facto priùs fortè instituit: postea verò suis manibus sanctissimam matrem, & aliquos ex præcipuis Apostolis baptizauit, vt alibi docui ex Euthymio, & aliis. Instituere ergo solùm est designare talis rei substantiam, seu velle vt talis res moralis (siue sit status, siue sacramentum) tali vel tali modo fiat, abstrahendo à particularibus, & ab omnibus etiam accidentibus, si necesse sit. Facere verò est exercere, aut à parte rei ponere talem rem, quæ institui dicitur in hoc vel illo individuo. Christus ergo Dominus instituit religionis statum secundùm se. prædicando tria consilia, & docendo homines perfectam abnegationem, & seculi renuntiationem, vt statim in solutione tertiæ rationis magis explicabitur. Atque hoc satis esset ad veritatem propositæ doctrinæ, & solutionem argumenti.

*Christus probabiliter suis manibus baptizauit sanctissimam matrem, & aliquos ex præcipuis Apostolis.*

9. *Christus etiam instituit religionem in particulari, ad eam Apostolos congregando. Apostoli verò religiosi fuerunt, & vota emiserunt.*

Addo verò insuper, etiam fecisse Christum quandam religionem in particulari, ad eadem quosdam homines congregando. eisque proprium & particularem modum vitæ religiosæ tribuendo. Declaratur, nam Christus Apostolos vocauit ad verum proprium religiosum statum assumendum. hoc ex parte suprà ostendimus, quando agentes de tribus votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ, Apostolos verè ac proprie illa emisisse probauimus. Non enim vtcunque illa emiserunt, sed vt pertinentia ad statum perfectionis, vt D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3 id est, vt illum statum continentia, quod etiam sensit q. 186. art. 6. ad 1. dum ait Apostolos sequutos fuisse Christum, tanquam immobiliter ei adhærentes, & nunquam recessuros ex August. de Conson. Euang. lib. 2. c. 17. & hoc etiam sensit idem August. 17. de Ciuit. cap. 4. cùm dixit Apostolos hoc magnum votum emisisse. & epist. 89. quæst. 4. dicens se Apostolorum exemplo hanc perfectionis viam sequutum fuisse. Vnde in vita eius cap. 5 refertur Augustinum factum presbyterum monasterium intra Ecclesiam non instituisse, & cum Dei seruis viuere cœpisse, secundùm modum & regulam à sanctis Apostolis institutum. & Chrysostom. homil. 17. ad Popul. non solùm dicit hanc philosophiam fuisse à Christo prædicatam, aut institutam, sed *introductam*, id est, exercitam in aliqua congregatione ab ipso coacta. & homil. 17 in Matth. ad hunc statum exhortans. *Vis*, inquit, *ô monache esse discipulus meus? Fac tu quod fecit Petrus, quod fecit Iacobus & Ioannes.* & homil. 69. in Matth. dicit Monachos imitari Apostolos etiam in habitu, & lib. 4. contra vituper. vit. monast. circa finem dicit, Apostolos impleuisse quæ nunc monachi faciunt. Hinc etiam Bernar. ad Fratres de Monte Dei de antiquitate status religiosi loquens, ait, *Res est à Deo familarissimè celebrata, & ab eius discipulis ipso præsente concupita.* Quæ verba planè indicant Christum vsu ipso & exercitio statum hunc cum suis discipulis coluisse, quod non potuit esse nisi in aliqua particulari Religione. Idem sentit idem in Bernard. in Apolog. ad Guilliel. Abb. & tract. de Amore Dei, post med. & plures alios suprà retuli. Estque hæc veritas per se maxime credibilis, nam cùm vocaret Christus Apostolos, vt eis primitias spiritus communicaret, & vt semen omnis virtutis, & perfectionis per eos in vniuersum mundum spargeret, & alioqui Christus ipse omnes ad perfectionem vocaret, dubitari non potest, quin suos Apostolos primùm vocauerit, & in eo statu, in quo omnibus exemplum ad perfectionem esse possint, constituerit.

10. *Status religiosus ad diuersos fines particulares ordinari potest, scilicet, aut vitam contemplatiuam, aut actiuam, aut mixtã, Apostolatus habuit pro fine particulari vitam mixtam, & salutem animarum per Euangelii prædicationem procurandam.*

Deinde cùm status religiosus ad diuersos fines particulares ordinari possit, qui sub illis tribus comprehenduntur, qui sunt aut vita contemplatiua, aut actiua, aut mixta, Christus specialiter vocauit Apostolos ad hoc tertium genus vitæ in particulari, & non tantùm indefinitè ad perfectionem: ergo etiam ex fine specialem religionem in eis condidit. Antecedens constat, ex modo quo à Christo vocabantur. Matth. 4 *Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum.* Sic etiam Luc. 9. cùm vocasset quendam, dicens, *Sequere me*; & ille petiisset, *Permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum*; ipse respondit, *Sine mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuncia regnum Dei*; & infrà subdit, *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*, vtique prædicando, & ideo aliis locis Marc. 10. & Luc. 18. specialiter promittit singulare præmium dimittentibus omnia, *propter me* (ait) *& propter Euangelium, seu propter regnum Dei.* Vocabat ergo Christus omnes quidem ad perfectionem, & statum religiosum, aliquos verò specialiter ad illum statum vitæ religiosæ, quo ad Euangelii prædicationem homines destinarentur, & perficerentur. & ita constat finem specialem Apostolicæ religionis fuisse cooperari Christo in salute animarum. Clarum est autem cum illo coniunctam fuisse præcipuam partem vitæ contemplatiuæ, sine qua non poterat esse status ille vndequaque perfectus, prout esse debuit. Et ideo ipsi Apostoli Actor. 6. dicebant, *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*; & infrà, *Nos verò orationi & ministerio verbo insistantes erimus.* Ecce præstantissimum finem illius religionis, in qua ex plenitudine contemplationis ad annuntiandum Euangelium Apostoli procedebant. Vnde etiam verisimile mihi est, ita suscepisse Apostolos statum illum, vt non solùm ex charitate, vel obedientia Dei, quasi extrinseca, sed intrinsece ex vi sui status obligati manserint ad munus illud præstandum. Et ideo de Iuda dicitur Act. 1. prævaricatũ esse

*Vita contemplatiua etiam fuit in apostolatu.*

esse de Apostolatu, præuaricari enim propriè est à fide data vel proprio officio deficere, &c. *Sic etiam* aiebat Paul. 1. Cor. 9. *Si non euangelizauero, væ mihi est, necessitas enim mihi incumbit.* Sic ergo constat religionem à Christo congregatam fuisse particularem, tum ex fine, tum ex modo obligationis, & obedientiæ sub vno pastore, Christo, cui omnes se peculiariter dicabant, & tradebant ad illud munus. Non fuit autem necesse in illa religione aliquam specialem regulam describi, aut statui quoad alia quæ sunt secundaria, vel cæremonialia in religionibus, quia Christum habebat præsentem, qui erat regula viua sufficiens; post illum autem non poterant esse huiusmodi cæremoniis, aut speciali regulæ astricti, qui per inuetum mundum spargendi erant: nec etiam illa indigebant, quia erant perfectissimi, & Spiritu sancto potissimum regendi erant, & ex parte hominum viuus etiam Petri influxus satis illis futurus erat.

In tertia ratione petitur, an institutio religionis fuerit à Christo Domino per doctrinam tantùm, vel etiam per potestatem. Per doctrinam tantùm esse appello, quando per solam manifestationem abscónditæ veritatis, aut per exhortationem ad id quod ex se bonum, vel melius erat, ob ignorantiam verò, vel negligentiam omittebatur, introduci incipit; sic votum simplex castitatis, v.g. dici potest institutum esse à Christo, non quia ex speciali concessione Christi aliquid de nouo acceperit, propter quod amplectendum sit: sed quia specialiter circa perfectionem illius homines illuminauit, & publicè ad illud amplectendum omnes inuitauit. Per potestatem autem institui dicitur, cùm ex efficacitate, & concessione instituentis aliquid habet, quod ex se non habebat, & ratione illius incipit esse vtile, aut honestum. Sic sacramentorum vsus est à Christo institutus, quia illis cæremoniis externis aliquid à Christo collatum est, sine quo nec ex se vtiles, nec religiosæ essent. Quærimus ergo quo ex his duobus modis status religiosus à Christo institutus dicatur. Videtur enim sola doctrina & prædicatione potuisse à Christo institui, quia nihil est in hoc statu, quod ex se non pertineat ad maiorem animi perfectionem, ita vt licet fingamus in Christo nullam fuisse potentiam, sed solùm sapientiam, & doctrinam, per illam solam posset inuitare & prouocare homines ad statum religiosum. Atque hanc partem videtur insinuasse Soto lib. 7. de Iustitia, q. 1. art. 1. cap. 7. cum inquit abrenuntiationem seculi, quæ per statum religiosum fit, non modò iure diuino existere per Christum constituto, verùm ex visceribus naturalis iuris depromi. Vnde clarè sentit Christum in hoc nihil fecisse, sed solùm naturale ius declarasse, sic enim concludit. *Atque adeò Christi prædicatio legis naturalis declaratio fuit.* Rationes autem ibi aliquas accumulat non admodùm congruentes: vt quòd Christus sua prædicatione non mutauit naturam, sed perfecit, & suo exemplo, ac viuendi modo id seruauit, quod est secundùm naturam: hæ (inquam) rationes non concludunt, quia Christus non contra naturam, sed supra naturam nos viuere docuit, atque ita ipse vixit: vnde non dubito quin pura naturalis ratio lumine gratiæ destituta, aut vix, aut nullo modo possit tale vitæ institutum assequi, vel probare. Ratio ergo propria est, quia bona consiliorum, non ideò talia sunt, quia Christus illa tradidit, sed potiùs è conuerso, ideo Christus illa tradidit, quia talia sunt, id est, optima, & aptissima ad perfectionem charitatis obtinendam. Vnde quidquid sit de pura natura, tamen de natura illuminata per fidem, non videtur dubium, quin potuerit consiliorum honestatem & vtilitatem spiritualem cognoscere: inter hæc autem consilia vnum est consilium religionis; ergo idem de illo sentiendum est: ergo non fuit necessarium aliter institui à Christo, quàm per doctrinam, & approbationem naturalis iuris. Atque hoc etiam sentiunt qui putant statum hunc fuisse in vsu ante Christi aduentum, licet paucioribus esset cognitum.

Hoc verò non obstante, absolutè dicendum esse censeo, licet Christus Dominus multa de hoc statu docuerit, quæ ex se talia sunt, nihilominus non sola doctrina, sed potestate aliqua, & facultate Ecclesiæ suæ concessa hunc statum instituisse. Priorem partem probat bene ratio facta, & potest etiam colligi ex ipsa prædicatione Christi, & Apostolorum, cùm enim persuadent paupertatem, aut castitatem, rationibus naturalibus vtuntur, quibus ostendant ad spiritualem profectum illam esse vtilem. & ideo aiebat Christus Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes*, &c. Sic enim aiebat Paulus 1. Corinth. 7. *Mulier nupta cogitat quomodo placeat viro, virgo autem cogitat quæ Domini sunt.* Posterior pars probatur primò generali ratione, quia aliàs Christus verè ac propriè non instituisset religiosum statum, ad hoc enim non sufficit sola doctrina. Non enim dicetur Christum instituisse vt vinculum matrimonii esset indissolubile, eo quòd specialiter hoc prædicauerit, & fortasse mundum de hac veritate illuminauerit, quæ Iudæis & à fortiori Gentibus antea erat ignota. Nec etiam dicetur instituisse vsurarum prohibitionem, quia illam docuit, & sic de aliis. Dicitur autem à Patribus instituisse hunc statum: ergo aliquid ei addidit sua potestate. Secundò declaratur ratione: nam licet vota castitatis & paupertatis fortasse ex natura rei fieri possent, ideoque non indigerent nisi promulgatione, votum autem obedientiæ religiosæ cum traditione speciali, quæ ad religiosum statum necessaria est, non potest ex sola rei natura subsistere, sed postulat specialem Dei institutionem, & facultatem aliquam ab ipso datam, & hanc dicimus dedisse Christum. Probatur assumptum, quia, vt suprà visum est, hic status non solùm promissionem, sed etiam traditionem requirit, quæ fiat homini, vt vicem Dei tenenti, & acceptanti traditionem nomine Dei, hoc autem fieri non potest ex sola rei natura, sed oportet, vt Deus ostenderit se velle hunc modum contractus inire cum homine, & quòd alicui dederit facultatem, vt suo nomine illum perficere valeat.

12. *Resolutio vera est, hunc statum non solùm doctrina, sed etiam potestate à Christo fuisse institutum. Probatur prima pars.* *Probatur secunda pars resolutionis primò.* *Secundò probatur specialiter in voto obedientiæ, & traditione religiosa.*

Quòd autem Christus Dominus hoc fecerit, primò colligitur ex verbis, quibus ad hunc statum homines vocauit, *sequere me*, &, *abneget semetipsum, & sequatur me.* Nam per hæc vocabat homines, vt sese omnino illi traderent in perpetuum obsequium & seruitutem, seipsis (vt sic dicam) & suo dominio se spoliantes, & in illum transferentes. Quia verò non solùm præsentes vocabat, sed omnes, ideo, cùm ait, *sequatur me*, non de se tantùm in propria persona loquitur, sed etiam de illis, qui illam in terris semper repræsentaturi erant, per potestatem ab ipso datam: ergo per hæc & similia verba significauit Christus, & se cupere ab hominibus hoc genus traditionis, & semper fore paratum ad acceptandum illam per se, vel ministros suos. Tertiò denique ob hanc causam, vt statim ostendam, quod in Apostolis incepit, in cæteris imitatoribus perpetua traditione seruatum est: & ob eandem rationem ad Ecclesiæ pastores semper pertinuit, religiosam traditionem acceptare, vel repellere, quod profectò in sola rerum natura fundari non potest. Confirmatur, ac declaratur, nam per religionis professionem fit quædam spiritualis de-

13. *Professio religiosa est*

quadã spiritualis desponsatio.

sponsatio inter Deum & hominem, vt sancti loquuntur: ergo ad illam necessarius est vtriusque partis consensus: ergo necesse est vt ex parte Dei illum præbeat aliquis, qui ab eo potestatem habeat.

14. Instantiæ allata solvitur.

Dices, etiam voti simplicis obligatio requirit acceptationem Dei, quia nulla promissio obligat, nisi acceptata, & tamen non oportet vt Deus alicui contulerit potestatem acceptandi promissionem sibi factam nomine suo, sed ex eo ipso quòd ex se honesta est, intelligitur illi grata & accepta: ergo idem dici poterit de traditione religionis. Respondeo non esse similem rationem, nam per votum simplex, seu priuatum & purum, fit obligatio Deo ipsi immediatè, & (vt ita dicam) in seipso, quare per se solùm intercedit inter Deum & hominem, ideoque non requiritur alius modus acceptationis, quàm generalis, quo Deus iam declarauit vota sancta sibi esse accepta, & sub obligatione implendi, siue hoc constiterit per Scripturam, seu diuinam reuelationem, quod est certum; siue etiam constare sufficienter potuerit per solam rationem naturalem, quod est probabile. At verò in religiosa professione obligatur, & traditur homo Deo non immediatè in seipso, sed medio aliquo homine per externam traditionem, & donationem irreuocabilem, quam oportet exteriùs etiam acceptari per Ecclesiam, vt D. Thom. dixit quæst. 184. articulo quarto. hic status est publicus, & in foro Ecclesiæ. Ob hanc ergo causam necessarium fuit publice acceptari per specialem potestatem à Christo datam. Quantum ad hoc igitur institutus est hic status à Christo Domino non per solam doctrinam, sed per institutionem specialem, & collationem dictæ potestatis: quam Petro dedisse credendum est. Et per illum communicari aliis, quia ad pastoralem potestatem pertinet, & ad eum qui vicarius Christi est, & dispensator bonorum eius: atque adeò ad potestatem ligandi & soluendi optime reuocari potest.

Votũ simplex à Deo immediatè acceptatur, solenne verò mediante homine vicem, & potestatem à Deo habente ad id acceptandum.

## Caput III.

### *Vtrùm status religiosus perpetua traditione, & sine interruptione semper in Ecclesia durauerit.*

1. Nõ agimus hic de perpetua traditione status religiosi ab Elia, Eliseo, & Ioanne Baptista, quia incertum, an fuerit vera religio.

OMissis hæreticis, de quibus satis in superioribus dictum est, ex Catholicis aliqui censent, statum religiosum non solùm à tempore Christi, & Apostolorum, sed etiam à tempore Eliæ, & Elisei continua traditione vsque ad Ioannem Baptistam, & deinceps vsque ad nos fuisse deriuatum, de qua sententia dicam nonnulla infrà, originem mendicantium religionum explicando. Nunc eam non improbo, quia falsam esse demonstrare non possum; sed neque eam approbo, sed tanquam incertam relinquo; non solùm, quia non satis mihi constat, qualis fuerit ille status religiosus ante Christi aduentum, nec quibus votis fuerit consecratus: sed etiam, quia multo magis incerta mihi est continua traditio, aut duratio illius status; quia nec de hoc fit mentio in Scriptura, nec in Iosepho, aliisve antiquis historiographis Iudæorum quidquam inuenio: nec etiam apparet quomodo temporibus captiuitatum populi Israelitici ille status durauerit, aut quomodo post illas excitatus fuerit. Multoque minùs verisimile est Ioannem Baptistam illum specialem statum professum esse, nisi solùm imitatione, quatenus in spiritu Eliæ solitariam & asperrimam vitam professus est. Nec etiam ipse Ioannes successorem reliquit in suo vitæ instituto, nisi solùm quatenus exemplo suo alios potuit ad similem viuendi modum excitare. De illa ergo antiquiori continuatione religiosi status nihil in præsenti tractamus, sed de illa quæ fuit ab eo tempore, quo Christus veram religionem instituit, & condidit.

Agitur de duratione

*Status religiosi à tempore Christi Domini.*

2. Communis est Patrum sententia, quòd hic status ex tunc perpetuo duraverit.

Quòd ergo hic status ex tunc perpetuò in Ecclesia durauerit, communis est Patrum consensus, & traditio, vt constat ex Dionysio de Ecclesiast. hierar. cap. 6. vbi de monachorum institutione epistolam scribit ad Demophilum monachum. Idem sumitur ex Hieronym. de Vir. Illustr. in Philipp. & Marco, vbi tempore Marci Euangelistæ refert iam fuisse monasteria in Ægypto, & Alexandria. quod etiam refert Euseb. lib. 2. Histor. cap. 16. Ex Tertulliano etiam antiquissimo intelligimus, etiam illis priscis temporibus fuisse sacras & religiosas virgines, de his præcipue agit lib. de Veland. Virgin. quem imitatus est Cyprian. lib. de Habitu Virgin. & in sequentibus plures referemus. Est etiam hæc veritas per se probabilis, supposito fundamento priùs posito, quòd ipsi Apostoli institutione & vocatione ipsius Christi fuerint veri religiosi effecti: sicut enim est naturæ appetitus generare sibi simile, ita etiam gratiæ, multoque altiori, ac perfectiori modo: ergo cùm Apostoli erant religiosi, alios etiam religiosos efficere sine dubio desiderabant. Vnde etiam Paulus dicebat 1. Corint. 7. *Volo autem omnes esse sicut meipsum.* Ergo sine dubio multos religiosos effecerunt, quia verbum eorum efficacissimum erat, & non est credibile solùm in hoc negotio fuisse otiosum, & vacuum rediisse. Confirmatur primò, quia ipsi Apostoli tales erant religiosi, vt ex proprio instituto essent vocati ad iuuandos & perficiendos alios: ergo cùm à Christo intellexissent hunc statum esse perfectissimum, ad illum sine dubio homines vocabant, & efficaciter trahebant. Denique ex Actis Apostolorum hoc facile intelligitur: nam ibi refertur exemplo Apostolorum fideles habuisse omnia tunc communia, & votum etiam paupertatis emittere solitos fuisse, vt ex cap. 4. & 5. constat, in superioribus etiam ostensum est ab ipsis Apostolis incepisse votum virginitatis: ergo, &c.

Probatur.

3. Variis modis explicatur hæc dimanatio status religiosi ab Apostolis.

Hæc verò dimanatio status religiosi ab Apostolis variis modis potest explicari. Primò enim quidam existimant Apostolorum tempore totam Ecclesiam fuisse quasi vnam religionem, in qua omnes fideles statum perfectionis, ac vere religiosum profitebantur; & ita per aliqua tempora duravisse. Postea verò refrigescente charitate cœpisse introduci in Ecclesiam, vt singuli sua propria haberent, & ita vitam communem mandatorum introductam esse, semper tamen aliquos monasticos, seu religiosos vitam retinuisse. ita sumi potest ex Hieronym. de Scriptor. Eccles. in Philo. vbi sic ait: *Ex quo apparet talem Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur.* & infrà, *quales & Lucas refert, primum Hierosolymis fuisse credentes.* & in Marco ait, *Alexandriæ Christum annuntians constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret*; & postea refert Philo. referentem tales fuisse Alexandriæ credentes, quales Lucas Hierosolymis fuisse narrat. Eodem fere modo loquitur Isidor. libro secundo de Eccles. offic. cap. 15. & Abbas Piammonius apud Cassian. collat. 18. cap. 5. *Cœnobitarum* (inquit) *disciplina à tempore Apostolicæ prædicationis sumpsit exordium: nam talis erat Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apostolorum describitur*; & infrà, *Talis erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobiis inuenire difficile est.* Sic etiam Chrysostom. hom. 11. in Acta dicit Monachos sic viuere, vt olim initio Ecclesiæ viuebant fideles omnes in Hierusalem. Idem habet Bernard. Apolog. ad Guliel. Abb. & sumi potest

*Prima opinio tenes Apostolorum statum totam Ecclesiam fuisse quasi vnam religionem, in qua omnes fideles statum perfectionis profitebantur.*

poteſt ex Auguſt. Pſalm. 132. vbi exponens illa verba, *Quam bonum, & quam iocundum habitare fratres in vnum*, ait primo habitaſſe in vnum illos, qui in primitiua Eccleſia habebant omnia communia, & illos fuiſſe monachos imitatos. Similia ex Melchia Papa refert Burchar. lib. 3. Decret. cap. 2. & in tom. 1. Conc. lib. de quadruplici Synod. Apoſtol. in fin. ſignificat in dicto loco Actor. congregatum eſſe Apoſtolorum concilium, quo ſtatutum eſt, vt omnia eſſent communia, &c. & ſubditur, ex hoc decreto Apoſtolorum fundatam eſſe vitam & conuerſationem omnium religioſorum, vitam beatorum in patria, vbi omnia ſunt communia, imitantium. D. Thom. etiam 2. 2. q. 188. art. 7. *A diſcipulis Chriſti* (ait) *omnis religio ſumpſit exordium, qui pretia prædiorum, &c.*

Veruntamen hæc aliqua expoſitione indigent. Et vt ab his vltimis verbis incipiam, non eſt putandum Apoſtolos feciſſe aliquod decretum, quo fideles omnes obligarent ad renuntiandum omnibus rebus, & vt nihil proprium haberent, ſed omnia communia. Nunquam enim hoc fuit vniuerſæ Eccleſiæ in præcepto, ſed tantum in conſilio, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt. Neque enim Actor. 4. refertur aliqua congregatio ad doctrinam, vel gubernationem ordinata, ſed ad orandum. Poſtea vero non per modum præcepti, aut decreti, ſed per modum hiſtoriæ refertur. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum*, &c. Vnde c. 5. dixit Petrus ad Ananiam, *Nonne manens tibi manebat, & venundatus in tua erat poteſtate?* Significans nullo præcepto obligatum illum fuiſſe ad paupertatem, priuſquam illam vouerit, vt ſancti omnes exponunt. Deinde putandum non eſt, fideles omnes, etiam Hieroſolymis exiſtentes, eo tempore, de quo Lucas loquitur, vere ac proprie fuiſſe religioſos. Quod prius notauit Dried. lib. 6. 4. de Dogmat. c. 5. p. 5. & Bellar. lib. 2. de Monach. c. 5. & indicauit etiam Caſſian. lib. 2. de Inſt. rem. c. 5. vbi de Alexandrina Eccleſia loquens, ait, *In primordiis fidei pauci quidem, ſed probatiſſimi monachorum nomine cenſebantur, qui ab Euangeliſta Marco, qui primum Alexandrinæ Eccleſiæ præfuit, normam ſuſcepere viuendi.* Et ſubdit: *Non ſolum illam magnificare tinebant, quæ primitus Eccleſiam, vel credentium turbas in actibus Apoſtolorum legimus celebraſſe, verum etiam his multo ſublimiora cumulauerant.* Itaque cum vita religioſa videtur omnibus fidelibus, totique Eccleſiæ, quæ Apoſtolorum initio fuit Hieroſolymis, tribui: non oportet intelligi de ſtatu religioſo, quoad omnia illa quæ de eſſentia huius ſtatus ſunt, & quæ nunc à monachis ſeruantur. Nam clarum eſt non omnes fideles profeſſos fuiſſe caſtitatem, aut matrimonio, vel vxoribus abſtinuiſſe: de voto etiam ſpeciali obedientiæ nulla eſt mentio, nec veriſimilitudo. Solum ergo quoad ea, quæ in Actibus expreſſe narrantur, id intelligendum eſt, quia in eis cor vnum, & anima vna, & habebant omnia communia, quæ diuidebantur prout vnicuique opus erat: quam vitam monachi imitati fuiſſe dicuntur, non quia illa tantum amplexi ſunt, ſed quia omnia illa ad perfectionem pertinentia ſunt amplexi, addentes plura alia, quæ ad ſtatum religioſum ſpectant, vt dixit Caſſianus. Addo præterea fortaſſe non omnes fideles etiam illo tempore modum illum paupertatis amplexos fuiſſe, quod Bellarm. ſupra expreſſe docet, & inſinuatur Actor. 5. in verbis citatis, *Nonne manens tibi manebat, &c.* & veroſimiliter ſequitur ex illo principio, quod Apoſtoli non proponebant illud paupertatis genus, vt neceſſarium ad ſalutem, ſed exemplo ſuo illud oſtendebant, & tanquam melius conſulebant: ergo veriſimile eſt non omnes omnino fideles illam viam amplexos fuiſſe. Neque obſtat quod Lucas generaliter videtur aſſerere. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*; & infra, *Nullus eorum aliquid ſuum eſſe dicebat, &c.* & infra, *Quotquot habebant agros, &c.* Nam conſuetum eſt in Scriptura cum de multitudine aliqua, vel congregatione loquitur, omnibus attribuere, quod in pluribus inuenitur; tunc autem propter fidei feruorem plures id faciebant, & ideo generaliter de omnibus dicitur.

Denique ſiue ille modus paupertatis fuerit pro aliquo tempore communis omnibus, ſiue non, dicendum eſt à principio Apoſtolicæ prædicationis ſemper fuiſſe aliquos, qui Apoſtolos in ſtatu religionis ſequuti, & imitati ſunt; quomodo autem id factum fuerit, non eſt adeo certum: quidam ergo exiſtimant Apoſtolos primum ſecum congregaſſe religioſos clericos, & ſacerdotes, qui ſe totos Euangelicæ prædicationi conſecrarent, & in hunc finem mundum omnino reliquerunt per caſtitatē & paupertatem perfectam, ac voto firmatam, ac perfectam Chriſti ſequelam, offerendo ſe, vt animas ſuas ponerent pro quibus Chriſti; poſtea vero creſcentē paulatim Eccleſia, religioſum ſtatum etiam ad laicos fuiſſe deriuatum, & ita paulo poſt monachorum ordinem incepiſſe. Alii è contrario exiſtimant monachorum vitam ſtatim incepiſſe, vel quia multi Iudæi in verum Deum antea credentes, vitam ſolitariam ac perfectam profitebantur, qui poſtea ad finem per Apoſtolos conuerſi in eodem ſtatu permanentes, illum perfectius inſtituebant inxta Apoſtolicum ritum: vel quia ex feruore fidei & charitatis multi volebant non ſolum mandatorum, ſed etiam conſiliorum viam amplecti, quos Apoſtoli libenter ad religioſum viuendi modum admittebant, ſine certa regula, aut modo congregationis, ſed prout vnicuique Spiritus ſanctus inſpirabat. Ego vero vtrumque verum cenſeo, quanquam prior dicendi modus in hoc mihi verus videatur, quod Apoſtoli ex primaria cura & intentione Sacerdotum religionem, id eſt, propriam, in qua ipſi erant, propagare, & augere procurauerint, licet ſimul alios fideles ex communi ordine, & gradu ad perfectionem, & ſtatum eius excitare, & admittere ſtuduerint.

Primo ergo continuatio ſtatus religioſi ab Apoſtolis in clericis, ac ſacerdotibus religioſis, vt à notiſſimo, & grauiſſimo teſtimonio incipiamus, colligi poteſt ex quadam Bulla, ſeu ſententia Pii IV. quam refert Nauarr. comment. 4 de Regular. num. 7. & 8. quæ lata eſt in fauorē clericorum regularium in cauſa de iure præcedendi, quam cum monachis Benedictinis tractabant, & inter alia dicit Pontifex, *Compertō ſatis per eos* (ſcilicet Cardinales) *ex compluribus literis Apoſtolicis, diuerſiſque alijs documentis, rationibus, & probationibus, quod ipſi canonici fuerunt, & ſunt de illi ſclericis à S. Auguſtino, quin imo à Sanctis Apoſtolis inſtitutis, coſtem canonicos tam ſuæ antiquæ inſtitutionis huiuſmodi, quam etiam dignitatis clericalis, qua eos ſtatim, quod profeſſionem regularem emittunt, inſignitos eſſe oportet.* Et infra, *Vnde nos illorum relationem intellecta, eaque per nos diligenter examinata, quoniam eam in omnibus ſuis partibus veritati & iuri conſonam, &c.* Ecce ex Pontificis & Cardinalium teſtimonio Apoſtolos religionem clericorum inſtituiſſe, vel potius congregaſſe, quod teſtimoniū non ſola relatione dicentium, ſed magnis rationibus, & probationibus, ac antiquioribus literis Apoſtolicis dicitur fuiſſe fundatum. Et in eodem inſinuaſſe clericos illos ab Apoſtolis inſtitutos continua ſucceſſione, vſque ad Auguſtinum, & ab Auguſtino vſq; ad Pium IV. duraſſe, ſicut à Pio IV. vſque ad noſtram ætatem conſeruati ſunt. Et huic etiam conſonat quod Poſid. in vit. Aug. c. 5. ait, Auguſtinum preſbyterum factum ſeruos Dei iuxta Apoſtolorum regulam ſecum congregaſſe. quos ipſemet Auguſtinus

5. *Reſolutio vera. A principio prædicationis Apoſtolicæ ſemper fuerunt, qui Apoſtolos in ſtatu religionis ſequuti ſunt.*

*Primus ſtatus religioſus fuit clericorum, ac ſacerdotum Apoſtolos imitantium: non vero monachorum.*

6. *Status religioſus ab Apoſtolis in clericis, ac ſacerdotibus religioſis continuauit.*

nunc sacerdotes, nunc presbyteros, nunc vero clericos appellat, vt videri potest serm. 5. ad Fratres in Erem. & serm. 1. & 2. de Communi inst. cler. qui antea erant 52. & 53. ad Fratr. in Erem. & nunc post illos habentur; referuntur etiam in Concil. Aquisgran. sub Ludou. c. 112. & 113. Præterea Alexander III. cap. *præter* d. 32. monet clericos, vt in religione & in communi viuant, *Rogantes* (inquit) *monemus, vt ad Apostolicam, communem scilicet vitam, summopere peruenire studeant, quatenus perfectionem cum his consequuti, qui certissimo fructu dicantur, in cœlesti patria mereantur ascribi.* In quibus verbis significat Apostolicum morem fuisse, vt clerici cum illis huiusmodi vitam agerent, non vero omnes clericos ad eam obligatos fuisse, sed eos tantum, qui voluntarie profiterentur. Consonat responsio Gregorii ad Augustinum Anglorum Episcopum, *Quia tua fraternitas monasticu regulu eruditas seo sum viuere non debet à clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conuersationem quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit fratribus nostris, &c.* hæc in prima responsione; in secunda vero mentionem facit clericorum communiter in paupertate viuentium, habetur in cap. *Si quis vero*, d. 52. cap. *quia tua*, 12. quæst. 1. Idem colligitur ex Clemente I. Eugen. II. Leone IV. & Nicol. I. quos refert Gratianus 12. quæst. 1. cap. *dilectissimis*. cap. *necessaria*. c. *nulla*, & apertius cap. *scimus*, ex Vrbano Papa in epist. decret. c. 1. vbi ait Apostolorum morem maxime in clericis permansisse. Hæc autem non ita intelligenda sunt, vt credatur omnes clericos hunc modum vitæ fuisse sequutos, sed eos, qui perfectionem sequi volebant: nam Vrbanus supra clare exhortatur ad obseruandum votum paupertatis, quod faciebant voluntarie, nam si illud non fecissent, ad paupertatem seruandam non tenerentur, vt ibidem ait; & ita etiam sensit Præpositus in c. 1. d. 43. Guillelm. Dur. in Ration. diuin. offic. lib. c. de septem diebus Paschæ, vbi tamen ait maiori ex parte clericos olim hoc institutum seruasse. Illum vero fuisse verum religiosum ostendit Medin. lib. 2. de contin. sacerd. c. 8. potestque facile ex dictis colligi, quia ex dictis habetur paupertatis votum, castitatis vero in ipsa ordinatione profitebantur, sine obedientia autem in congregatione esse non poterat, & verosimile est eam Episcopo specialiter promisisse.

7. Sic ergo valde verosimile sit nunquam à temporibus Apostolorum defuisse clericorum religionem; quanuis fortasse non semper fuerit eiusdem instituti, aut modi particularis, quantum ad peculiarem finem intentum, & proprium viuendi modum. Nam de Apostolis sine dubio credendum est congregasse secum religiosos viros, qui eundem proprium finem intenderent, quem ipsi Christum sequentes amplexi fuerunt, scilicet prædicationem Euangelii, & animarum conuersionem, & ad hoc consecrarent animas suas, & propter hunc finem omnia relinquerent; tales fuerunt Paulus & Barnab. de quibus Actor. 15. alii Apostoli dixerunt, *Cum charissimis meis Paulo & Barnaba hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi.* Et eiusdem ordinis existimo fuisse alios peculiares Apostolorum socios, vt Titum appellat Paul. 2. Cor. 8. & primarios viros in fratribus, vt appellantur Actor. 15. quales verosimile est fuisse diuinum illum Ierotheum, Dionysium Areopagitam, & de Luca & Marco id cernitur est. Postea vero cum cœpisset fides propagari, & Episcopi suas sedes firmas & proprias habere, cessasserque iam, vel in multis locis nunquam fuerit introducta vita illa communis, in qua omnes fideles nihil proprium habentes viuebant, Episcopi ab Apostolis in vita religiosa instructi, & educati, cœperunt presbyteros & clericos secum congregare, qui in diuinis ministeriis & laudibus præcipue occuparentur, & cum eis vitam religiosam agerent. Ad quam videtur alludere Ignatius epist. ad Smirnenses, vbi ait, *Omnes Episcopum sequimini vt Christm, Patrem, & Presbyterorum collegium vt Apostolos.* Consonat sententia Gregor. supra citata.

*Turon. II. c. 23. Aquisg. c. 51. & 125. Carthag. IV. c. 111. & 113.*

Ex qua intelligere licet prædictum morem non ab Augustino incepisse, sed ab ipso cum iam remitti inciperet, instauratum & renouatum fuisse, & ita vsque ad Gregorii tempora durasse. Imo Gelas. Papam qui paulo post Augustini tempora floruit, & Africanus fuit, & discipulus eius fuisse creditur, in Ecclesia Laterahensi similem Canonicorum religionem congregasse, quæ vsque ad Bonifacii VIII. tempora durauit, teste Onuphrio, & refert etiam Paulus Morisia de origine religionum c. 37. imo ex sententia Pii IV. supra relata constat vsque ad nostra tempora durasse. In cæteris etiam prouinciis hæc consuetudo durauit, & in Hispania per Isidorum reformata creditur, cuius reformationis magna vestigia vsque hodie extant in Ecclesia Cæsaraugustana, Pampilonensi, & Turraconensi. Postea vero hic modus viuendi Episcoporum & canonicorum cathedralium Ecclesiarum mutatus est, & similia monasteria religiosorum clericorum sunt instituta, qui nomen Canonicorum retinuerunt, quia vel canonicis successerunt, vel quia regularem vitam seruabant; *canon* enim regulam significat. Atque horum vestigia habemus in Hispania, Legioni, & ante paucos annos in Parrhases, & aliis locis, & Conimbricæ extat illustre, & celebre, & antiquissimum monasterium, quod Sanctæ Crucis appellatur, in quo hoc institutum summa cum laude & religione seruatur. Quanquam de horum canonicorum regularium, qui nunc sunt, origine, variæ sint opiniones, quas examinare non est nostri instituti.

8. *Prædictus ordo clericorum renouatus est ab Augustino, non inceptus. De priorit. & antiquitate ac duratione religionum clericarum regularium.*

Venio ad alium ordinem religiosorum, qui monachi dicti sunt, hos enim ex institutione sua non fuisse clericos, sed laicos, constat ex Dionys. c. 6. de Eccles. hierarch. & in sequentibus latius ostendetur. Imo hinc sumi potest ratio huius institutionis. Cum enim à principio nascentis Ecclesiæ vel omnes, vel plures fideles viam perfectionis sequi incepissent, postea vero crescente multitudine fidelium, non posset moraliter illa vitæ communitas & paupertas in tota Ecclesia generaliter obseruari, cœperunt aliqui à communi fidelium vita segregari, & religiosam profiteri. Vnde etiam intelligimus hunc vitæ modum & statum tempore Apostolorum etiam incepisse, nunquamque in Ecclesia intermissum fuisse. Nam huiusmodi fuisse Alexandriæ monasteria illa sub Marco instituta, quorum Philo meminit, ex Hieronym. Euseb. & Cassian. locis supra citatis, satis constat. Dionysium etiam Apostolorum discipulum de his facere sermonem in dict. c. 6. Eccles. hierarch. manifestum est, cum hos monachos ponat in ordine initiandorum. Chrysost. etiam lib. 3. contra vitup. vit. monast. *Apostoli* (inquit) *huius vitæ documenta dederunt.* Latius id habet Basil. in Constit. monast. c. 19. & 23. Hanc etiam traditionem egregie deducit Abbas Piamon. apud Cassian. collat. 18. c. 5. *Cœnobitarum* (inquit) *disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium, &c.* & infra, *Hi autem, quibus adhuc Apostolicus inerat feruor, ea quæ ab Apostolis vniuersum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta, peculiariter ac separatim exercere cœperunt* Bernard. in Apolog. ad Guilliel. Abbat de monastico ordine loquitur, cum ait Apostolos sui ordinis institutores, & inchoatores fuisse, & Concilium Meldense c. 9. *sacrum* (inquit) *monasticum ordinem à Deo inspiratum, & ab Apostolis fundatum, à sanctissimis & nominatissimis Patribus exculsum, &c.*

9. *Monachi ex sua institutione non sunt clerici, sed laici.*

*Status Monachorum ab Apostolorum tempore incepit, & nunquam intermissus fuit.*

*Vide Concil. Aurel. c. 9 Mogunt. c. 9.*

Verum

Verum est hos Patres non accurate distinguere monasticum ordinem & clericalem, sed religiosum statum in genere ea voce appellare: nihilominus verò satis docent monasticum institutum, quod laicis etiam commune est, ab Apostolis ipsis duxisse originem. Denique Hieronymus & alii Patres supra citati idem sentiunt, præsertim Augustinus in illo Psal. 132. tractans illa verba, *Quam bonum, & quam iocundum habitare fratres in vnum*, ait hanc vocem primum audisse primos fideles, qui congregati in vnum Spiritus sancti aduentum expectarunt, & alii fideles, quorum erat cor vnum, & anima vna, non tantum illi soli, *Non enim*, ait, *vsque ad illos tantum ipsa dilectio & vnitas fratrum, venit enim & ad posteros ipsa charitatis exultatio, & votum Deo*; & infra. *Ex voce huius Psalmi appellati sunt & monachi, neque vobis de ista voce insultet Catholicus.*

Præterea si illorum temporum historiæ consulantur, facile intelligetur, hanc constitutionem nunquam omnino in Ecclesia cecidisse, aut defuisse, sed continuata traditione ad nos manasse, nam per omnes fere ætates leguntur sancti monachi, & patres monachorum. Nam de primo seculo habemus iam institutionem Apostolorum, Marci institutionem & amplificationem, quam verosimile non est, pro illo eodem seculo statim excidisse. In secundo seculo, anno scilicet centesimo sexagesimo tertio Helenus Alexandriæ insigne ac copiosum monasterium erexit, cui successit Nicodorus, & huic Eugenius, qui persecutione Gallieni sub Cornelio Pontifice passus est circa annum Domini 255. Et ita habemus etiam in tertio seculo successionem monachorum. In quo etiam tertio seculo scripsit Hyppolytus orationem de mundi consummatione, in qua inter alia ait, *Pastores sint qui si lupi, monachi expetent quæ sunt mundi.* Atque in eodem seculo cœpit florere Antonius, qui non instituit, sed inuenit iam multa monasteria, quæ postea perfecit. De illo etiam refert Athanas. cum obiret apud senem quendam moratum, ab eoque susceptum, dum singulorum fratrum apis instar gratias hauriebat, & ab eis vniuersis puro diligebatur affectu, &c. Iam vero de quarto seculo & deinceps res adeo nota est, vt neque hæretici illam negare audeant, quanuis obscurare cupiant, vt sequenti cap. videbimus. Itaque prope illa tempora innumeri fuerunt in Oriente monachorum Patres, Amon enim in Nitria magnam copiam monachorum congregauit, quem postea Athanasius vidit euntem in cælum, vt Athanasius refert in vita Antonii; ipse vero Antonius in Alexandria plures etiam sub se monachos instituit. Eutychianus in Pi.... Palæmon in Thebaide, Hilarion, Athenagoras, Chariton, & alii innumeri, Quibus postea successit Basilius, qui monasticum institutum ad meliorem formam reduxit. In Occidente vero Martinus monasterium octoginta monachorum ædificauit, cum quibus sanctissime vixit. Augustinus regulam monachorum instituit & scripsit, postea Benedictus aliam instituit regulam & religionem monasticam, quæ vsque ad nostra tempora illustrissima in Ecclesia fuit, posteaque aliæ successerunt. Constat ergo statum hunc cum Ecclesia cœpisse, perpetuoque perseuerasse.

Denique sub monachis comprehendere possumus moniales, quæ idem genus contemplatiuæ ac cœnobiticę vitæ profitentur, quarum institutum antiquissimum etiam, ac perpetuum in Ecclesia fuisse facile ex his intelligi potest, quibus supra ostendimus virgines sacras ac velatas à temporibus Apostolorum in Ecclesia fuisse, nam Matthæus Iphigeniam, Paulus Teclam, & Petrus Petronillam virgines consecrarunt. De Marta etiam legimus Massiliæ collegium virginum congregasse, cum quibus vsque ad mortem sanctissime vixit. Theophila prope annum trecentesimum Nicomedię multa virginum regebat monasteria, eodemque fere tempore in Hispania floruisse sanctimonialium virginum statum ex Eliberitino Concil. cap. 13. & 27. colligimus. Testimonia denique antiquorum Patrum, tam de sacris virginibus, quam de monachis frequentissima sunt, ex quibus multa in superioribus adduximus, & afferemus in sequenti cap. Omnes tamen de hoc statu loquuntur vt de re antiqua, etiamsi ipsi antiquissimi sint, & prope Apostolorum tempora. Ita ergo satis constat religiosum statum à Christo Domino institutum & creatum fuisse, & per Apostolos propagatum, atque ita per Patrum traditionem, nunquamque intermissam successionem ad nos vsque peruenisse.

*Vide Suarium.*

## Caput IV.

### *Vtrùm religiosus status in Ecclesiæ exordio eiusdem rationis fuerit cum illo, qui nunc est.*

1.

*Status religiosus duplicter considerari potest, vel secundum substantiam, vel quoad accidentia, qualia sunt regulæ, institutæ, & alia circumstantiæ particulares.*

REligiosus status considerari potest, vel secundum se, vel prout applicatus ad talem regulam, vel institutum, cum his vel illis circunstantiis: illud prius vocare possumus substantiam huius status; totum hoc posterius etiamsi videatur comprehendere varias differentias religionum, quæ veluti species diuersæ reputantur, accidentale est respectu status religiosi. De his ergo quæ accidentaria sunt, si in particulari sumantur, nulla est quæstio, quia manifestum est pro temporum varietate esse mutata, & non omnes religionis modos esse æque antiquos, cum enim illi ab hominibus inuenti sint, mutationem accipiunt, & ob hanc præcipue causam, vt supra diccebamus, Ecclesiæ approbatio in religionibus constituendis necessaria est, quia in eis non nuda substantia religiosi status sumitur, sed cum variis circunstantiis, & accidentibus, de quorum conuenientia, vel probitate oportet per publicam approbationē constare. Igitur de duobus potest moueri quæstio, vnum est circa substantiam religiosi status, aliud est circa cæremonias, vel circunstantias generatim sumptas, vt sunt singularis habitus, distinctus ab habitu aliorum fidelium, diuersitas in victu, separatio in habitatione, modus proprius cōuersationis, hæc, vel illa exercitia, & similia. In vtroque autem est controuersia cum hæreticis huius temporis, qui non solum negant monachos, aut religiosos fuisse in Ecclesia primitiua; verum etiam aiunt eos, qui olim fuerunt, saltem à temporibus Antonii, Basilii, &c. nihil habuisse commune cum his religiosis, & monachis, qui nunc sunt; ita refert Bellarm. lib. 2. de Monach. c. 5. ex Philippo Melanct. in Apolog. pro Confess. August. art. 7. & Calum. lib. 4. Instit. cap. 13. §. 10. Contra hos ergo duo à nobis ostendenda sunt, scilicet, substantiam, & generales monachorum ritus in antiquissimis monachis fuisse.

*In vtroque sensu potest excitari quæstio.*

*Hæretici huius temporis negant absolute religiosos fuisse in primitiua Ecclesia; & eos, qui olim fuerunt, affirmant nihil habere commune cum nostris.*

2.

*Primaconclusio Status religiosus quoad substantiam & essentiam eiusdem rationis fuit semper in Ecclesia. Probatur primo.*

Dico ergo primo statum religiosum quoad substantiam & essentiam eiusdem rationis fuisse semper in Ecclesia. Hæc assertio certa est apud omnes Catholicos. Et probatur primo ratione generali, quæ ex dictis concluditur. Nam religiosus status quoad suā substantiam & essentiam ex iure diuino ducit originem, nam ab ipsomet Christo institutus est; sed illa quæ sunt iuris diuini, immutabilia sunt, & eadem apud omnes: ergo. Secundo confirmatur ac declaratur, nam si status religiosus, qui nunc est, quique antea fuit, est substantialiter diuersus, vel vterque est à Christo institutus, vel alter tantum: primum dici non potest, quia ex diuina Scriptura non habemus à Christo Domino, nisi vnum modum quærendi perfectionis viam, scilicet per sui abnegationem, seculi, & temporalium bonorum abrenuntiationem, & castitatis obseruationem; neque etiam ex traditione

*Secundo.*

Patrum

Patrum aliam Christi doctrinam, vel institutionem elicere possumus: ergo dici non potest Christum ipsum instituisse varios religionis modos, quoad substantiam. Præterquam quod neque explicari potest, quales illi sint, vel in quo differant ex vi institutionis Christi, nec cur vnus illorum magis inceperit, ac fuerit in antiquis fidelibus, quam alius. Si autem dicatur alterum tantum statum religionis fuisse à Christo institutum, & illum excidisse, posteaque alium inuentum esse ab hominibus in substantia diuersum, duo plane absurda in tali assertione continentur, vnum est, aliquam Christi institutionem ad Ecclesiæ perfectionem maxime pertinentem, & prorsus excidisse, & periisse, quod est contra Ecclesiæ institutionem, & integritatem, ac puritatem doctrinæ eius. Aliud est religiosum institutum, quod nunc est in Ecclesia, esse pure humanum inuentum, & non à Christo Domino; oppositum enim huius demonstratum est in superioribus. Nam considerando Christi doctrinam de hoc statu, & conferendo illam cum hoc statu religioso, qui nunc est in Ecclesia, inuenimus quod Christus Dominus docuit, hic obseruari: ergo.

3. *Probatur tertio à priori.*

Atque hinc sumitur tertia ratio à priori, quia status religiosus substantialiter, est in hoc quod sit quædam viuendi ratio, in qua homo se totum diuino seruitio consecrat, profitendo illa tria magna consilia paupertatis, castitatis, & obedientiæ; sed talis fuit status religiosus primitiuæ Ecclesiæ, & qui nunc est: ergo sunt eiusdem rationis quoad substantiam & essentiam. Maior quoad posteriorem partem vsu ipso & experientia constabit, & late illam tractabimus in sequentibus, explicando religiosam professionem, & singula vota quæ in illa fiunt. Quoad alteram vero partem magna ex parte probata est à nobis in his quæ de votis, paupertatis, castitatis & obedientiæ in genere diximus, multa etiam afferemus infra lib. 6. cap. 1. vbi ostendemus professionem religiosam antiquissimam esse in Ecclesia. Vt autem hic breuiter confirmetur, aduerto tria posse in hoc statu distingui, scilicet obseruantia illorum trium consiliorum cum omnibus quæ illis annexa sunt, obligatio & dedicatio ad illa, modus obligationis, quod scilicet sit per vota solennia, vel simplicia.

*Tria obseruanda, & distinguenda in hoc statu.*

*Primum obseruantia trium votorum.*

*Secundum obligatio ad illa.*

*Tertium modus obligationis, per vota solennia, vel simplicia.*

4. *Primum & secundum inuenitur in antiquis Patribus commendatum: tertium non item.*

Ex his ergo tribus primum & secundum facile in Patribus antiquis inueniuntur, tertium vero non item; vbicunque enim apud antiquos Patres sermo est de monachatu, vel monachis, illa tria maxime commendantur, tanquam necessaria, vt conuenienter in suo statu viuant. Hoc videre licet in Basilio in Regul. fus. disput. in 5. de Constit. in 8 & 9. de Paupertate, in 41. de Obedientia, & in Præfatione ad Constit. monast. recte de omnibus tribus, & passim in suis Apothecis. Augustin. in sua Regula eadem seruanda docet, & seruari solitam à cœnobitis, refert lib. 1. de Morib. Ecclesiæ c. 31. Benedictus etiam in suis Regulis eadem commendat. Cassian. lib. 4. de Instit. renu. late de Obedientia, & paupertate lib. 6. de castitate. Ac denique omnes, qui de monachali vita scripserunt, in obseruantia horum trium consiliorum illam maxime constituunt. Obligatio ad hæc tria seruanda in antiquis etiam monachis non defuit, quod latius ostendemus infra disputantes de religiosa professione, quam semper fuisse in vsu ibi probabimus: de ratione autem veræ professionis est, vt obligationem inducat. Et ideo hic vnum tantum vel alium locum commemorabo. Optima sunt verba Augustini in id Ps. 75. *Vota mea Domino reddam. Nemo* (inquit) *positus in monasterio frater dicat: Recedo de monasterio. neque enim soli qui sunt ad monasterium, perueniunt ad regnum cœlorum, & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent: Respondetur enim ei, sed illi non venerunt, tu vouisti, tu retro respexisti* Basil. in Constit. Monast. c. 22. ait Religionem facere pactum cum Spiritu sancto, quod non potest rescindi sine magno crimine, dolore, & scandalo; & cap. 34. significat, qui hoc pactum violat, & in ea transgressione perseuerat obstinatè, vitandum esse vt excommunicatum, & pertinacem in malo. Benedictus in Regula c. 58. damnandum fore ait religiosum apostatam ab eo quem contemptui habuit. Hieron. epist. 1. ad Heliodor. *Non tibi licet de tuis quidquam habere, &c.* & eodem modo loquuntur reliqui omnes.

Atque hæc duo nobis sufficiunt ad confirmationem assertionis positæ, nam in superioribus ostendimus, in his consistere substantiam religionis. Quia vero etiam diximus de ratione religiosi status esse traditionem, quam de seipso religiosus facit Deo in manibus prælati, hanc etiam olim non defuisse in antiquis religiosis ex verbis Basilii intelligi potest in Regula 14. ex fus. disput. vbi sic ait, *Etenim qui seipsum Deo semel donauit, hic si ad aliud vitæ genus transierit, sacrilegii scelere obstringitur*; multaque alia referemus infra disputando de professione religiosa. Et ex modo, quo olim consecrabantur virgines Deo, constat eandem traditionem interuenisse, quæ nunc fit; & ideo consecrari dicebantur, & Christo desponsari, vt in superioribus tractando de voto virginitatis late diximus. Vnde est illud Hieronymi ad Demetriad. epist. *Ex eo tempore, quo virginitati perpetuæ consecrata es, tua, non tua sunt, &c.* religiosus ergo status quoad substantiam idem semper fuit in Ecclesia ab exordio eius vsque nunc. Neque contra veritatem hanc afferunt hæretici obiectionem alicuius momenti, cui satisfacere necessarium sit.

5. *Traditio in manibus prælati etiam fuit in antiquis religiosis.*

Secundo dicendum est, etiam in cæremoniis, seu tribus religiosis saltem in genere, seu in communi sumptis, magna inuenitur conuenientia inter religiosos primitiuæ, & præsentis Ecclesiæ, quæ sunt habitus, communis habitatio, exercitia, & actiones, modusque sanctæ conuersationis eorum. De habitu quod spectat ad fœminas, constat sacratas virgines olim speciali habitu ab aliis distincto vsas fuisse; ex Concil. Carthag. IV. c. vltim. & ex his quæ de velatis virginibus in superioribus diximus: quantum ad viros spectat, cum dixerimus à temporibus Apostolorum fuisse, & clericos religiosos, & monachos. De clericis non constat nobis habuisse habitum specialem, sed verosimile est vsos fuisse honesto habitu clericorum, quod fere etiam nunc obseruare conspicimus. De monachis vero constat ex Dionys. dict. c. 6. de Eccles. hierarch. mutationem habitus fieri solitam in professione religionis. *Vbi vero* (inquit) *ille ita omnia promiserit, consignans eum crucis signo sacerdos, tondet, exutumque veste omni, aliam induit, &c.* Idem constat ex Regula 22. ex fus. disput. vbi inter alia ait, *Eiusmodi à nobis vestimenti excogitandum est genus, quo ad omnia, vti commode possimus, vt scilicet eo amicti, & diuturnæ pariter honestati, & nocturnæ etiam necessitati faciamus satis. Ex quo quidem illud contingeret, vt communem omnium nostrum inter nos in vestimento ornatum esse, & veluti insignem quandam, ac peculiarem ex ipso amictu homini Christiano impressam notam.* Et rationem illam affert, ob quam deceat monachos speciali habitu vti, vt in fine eandem dicit esse rationem in calceamentis. Benedictus etiam in Regul. 56. nominat cucullas, scapularium, &c. & cap. 58. statuit vt post professionem factam exuatur conuersus propriis vestibus, & habitu monasterii induatur. Hunc vero habitum & cucullam, ac cæteras partes eius, late describit Cassianus toto lib. 1. de Instit. renunt. Nilus in Ascetico, & attingit Epiphan. in Compendiaria doctrina. Chrysost. homil 69. in 21. Matth. Nicephor. lib. 9. Histor. c. 19. Hieronym. epist. 8. ad Deme-

*Secunda conclusio. In cæremoniis, seu tribus religiosis saltem in genere sumptis magna est conuenientia inter religiosos primitiuæ, & præsentis Ecclesiæ.*

*Probatur de habitu monialiũ.*

*De habitu clericorum non constat, sed est verisimile eis fuisse ea.*

*Habitus monachorum fuit sper alia.*

Demetriad. de custodia Virgin. vbi etiam plura de vestibus sacrarum virginum, & epist. 4. c. 22. & sæpe alias. Et ex Concil. Carthag. VI. c. vlt. constat sacras virgines diuerso habitu ab aliis vti fuisse solitas: de quo plura supra adduximus in lib. de voto castitatis.

Possunt autem, quod notandum est, in hoc monachorum habitu considerari quædam conditiones, veluti substantiales, seu morales, aliæ mysticæ, seu significatiuæ: in prioribus, quæ maxime ad rem pertinent, semper fuit inter religiosos quædam conuenientia, licet in posterioribus fuerit diuersitas. Morales conditiones appello, quæ ad decentiam & honestatem spectant, & religionem redoleant. Huiusmodi sunt vestis simplicitas, & honestas, quæ totum hominem modestissime tegat, quod etiam Christiani omnes in principio Ecclesiæ seruabant, pallio, seu togata veste simplices vtentes, vt sumitur ex Tertulliano lib. de Pallio, vbi Pamel. aliqua notat. Deinde vestis vtilitas, quæ paupertatem redoleat, quam omnes monachi semper obseruarunt, vnde est illud Hieronymi epist. 23. ad Marcellam, *Nos quæ serica veste non vtimur, monachi iudicamur.* Et quamuis non defuerint, qui hoc in monachis reprehenderint, vt videre licet in D. Thom. 2. 2. quæst. 187. art. vlt. & Opusc. 19. c. 8. tamen sine fundamento loquuti sunt, vt ipse ibi conuincit, & antiquissima decreta declararunt. *A primis enim temporibus* (dicitur in VII. Synodo cap. 16. & refertur c. 12. q. 4.) *Omnis sacratus vir cum mediocri & vili veste vtebatur:* vnde ibidem statuitur, *Si inuenti fuerint deridentes eos qui vilibus & religiosis vestibus amicti sunt, per optimum corrigantur*, id est, per suspensionem quandam. Vnde in Concil. Gangren. c. vltim. dicitur, *vestium vilitatem propter corporis tantum curam laudamus.* In hac tamen vtilitate moderatio quædam adhibita semper fuit, vt ex citatis verbis VII. Synodi intelligere licet, quia pertinet ad decentiam Ecclesiasticarum personarum, præsertim earum, quæ aut ministeria sacra tractare, aut cum aliis proximis propter eorum salutem conuersari debent. Et hac ratione in Concil. Aquisgran. c. 124. Canonicis regularibus præcipitur, vt in vestitu mediocritatem teneant. Et ob eandem causam statuunt Concilia, vt clerici non sint pannosi, nec laceri, ne apud laicos contemptibiles fiant. Vnde Concil. Gangren. c. vlt. *Parsimoniam cum veste humili non reprobamus: dissolutos autem & fractos in vestibus incessus non recipimus, & dominum Dei honoramus.* cap. *parsimoniam* d. 41. vt patet in Concil. Senon. 2. p. cap. 24. & Colon. p. 5. c. 26. Et hinc etiam ortum est vt Martin. V. in Constit. Minorum cap. 2. eos admonuerit, vt vestes non sint adeo viles, & grossæ, vt videntes eas ad terrorem, horrorem, & derisum inducant. Denique ad has conditiones habitus spectat eius mundicia; nam, vt Bernardus dicere solitus erat, tunica sordibus obsoleta, testis est desidiæ, atque socordiæ: vnde Hieronymus epist. 2. *Ornatus, & sordes pari modo fugiendæ sunt*, quia, vt Plutarch. dixit, Vestis sordida odiosum hominem reddit.

8. Hæc ergo in omnibus religionibus semper commendata sunt, vt videre licet in Basilio regula 2. 2. ex fus. disput. Augustin. Benedict. in suis Regulis. Mysticas vero conditiones appello quæ ad aliquid significandum vsurpatæ sunt, ad quod maxime spectat color, aut figura habitus monastici, de qua re aliquid Dionys. dict. c. 6. Cassian. lib. 1. de Instit. cenun. De habitu vero Monialium attinguntur à Hieron. epist. 23. & in his fuit aliqua diuersitas, & nunc etiam est, sed hæc cum sit valde accidentaria, non multum refert. Per eam tamen inter alia, vt Basil. supra dicit, præcipue inuentum est, vt vnius congregationis & instituti homines ex ipso habitu statim cognoscantur, eamque ob rem seculares, qui habitu monachali induuntur grauiter reprehenduntur in Authent. de Sanctissimis Episcop. §. vlt. collat. 9. & è contra monachi qui sine suo, in alieno habitu incedunt, vt patet d. 41. per totam, & in vniuersum de clericis, cap. *Clerici*, de Vita & honest. cler. Clem. 2. eod. tit. Trident. sess. 14. c. 6. de Reform. Ex his etiam constat consuetum esse antiquissimum monachis vti capitis tonsura, vt patet ex Dionys. supra Epiphan. hæres. 80. & Augustin. de opere Monach. c. vlt. de qua re tota erudite disputat Bellar. dict. lib. 2. de Monach. c. 40. vbi refellit hæreticos contra monasticum habitum, & tonsuram disputantes, sed eos omitto, quod nihil difficultatis afferunt.

*Seculares vtentes habitu monachali grauiter reprehenduntur, similiter Monachi vtentes habitu alieno.*

9. Alia tria quæ proposuimus notissima etiam sunt in Sanctis Patribus: nam de communi eorum habitatione, & monasteriis frequens est mentio. Nam licet fuerint varia monachorum genera, vt infra proprio libro videbimus, & attingit Hieronymus epist. 22. ad fin. Basil. Reg. 7. ex fus. disp. Benedict. in sua Regula c. 4. Semper tamen fuerunt monachorum monasteria à cæteris separata, ex quibus sub obedientia vnius prælati degebant. Horum à tempore Marci in Alexandria meminit Philo lib de Vita Contempl. vt supra ostensum est.. Maxime vero ad formam redacti sunt à tempore Basilii, qui eorum vsum viuendi maxime commendat serm. 1. de Instit. mon. & Reg. 6. ex fus. disput. de hac habitatione, & cur separata esse debeat, late disserens. De eisdem late etiam Cassian. lib. 4. de Inst. renun. à princip. Hieronymus, Epiphan. & alii Patres. Est autem notanda differentia inter clericorum & monachorum monasteria, nam monachi extra vrbem, & separatim habitare solebant; clerici in vrbibus & in domibus Episcoporum, vt constat ex Augustin. duobus sermonibus de Communi vit. cler. & aliis supra citatis. Quæ diuersitas erat accommodata finibus talium institutionum, nam monachi ad vitam solitariam & contemplatiuam congregabantur; clerici vero ad ministeria sacra publice peragenda, & ad iuuandos Episcopos in talibus ministeriis. Illa autem monachorum ex parte nunc durat, in his præcipue, qui proprie monachalium ordinum dicuntur. Alii vero, quia plus iam de vita actiua participant, quamuis in suis etiam monasteriis communiter viuant, non tamen extra vrbes, sed in oppidis & vrbibus commorantur, vt proximis melius inseruire possint. Eadem fere conuenientia, & diuersitas in exercitiis, & actionibus perspici potest. Olim enim monachis duplex præcipua erat occupatio; vna in diuino officio canendo, vt constat ex Basilio, Augustin. Benedicto, & omnibus; alia in operibus manuum, ex quibus magna ex parte viuebant, vt videre licet in Basilio Regul. 37. ex fus. disput. cum sequentibus. Cassian. lib. 10. præsertim à cap. 8. Benedict. in Reg. c. 48. Vnde constat plurimum errasse hæreticos dicentes non licere monachis ex operibus manuum suarum viuere, & ad hoc laborare. Hoc enim nec per se malum est, nec prohibitum; nam potius id aliquando consulit Paul. ad Ephes. c. 1. ad Thessal. 4. & Actor. 20 se ita fecisse affirmat: de qua re plura apud Augustinum toto lib. 6. de opere monach. & lib. 2. Retr. c. 22. Epiphan. hæres. 80. Bellar. lib. 2. de Monach. c. 41.

*Differentia inter clericorum, & Monachorum monasteria, Monachi extra vrbem, & separate habitabant, clerici in vrbibus, & in domibus episcoporum.*

*Monachi olim duplici erant occupabantur, vel in diuino officio canendo, vel in labore, & operibus manuum, ex quibus magna ex parte viuebant.*

10. Prius ergo exercitium psalmodiæ generatim loquendo, ab omnibus monachis retentum est: cur autem Societas se hoc munere excusauerit, infra suo loco dicemus: vbi de hoc exercitio plura dicemus, præter ea quæ de horis canonicis supra suo loco

*Prius exercitium adhuc perseuerat, non tam secun-*

dum practicue in monasteriis virorum.

loco generatim tradita sunt. Alia vero pars de opere manuum fere est mutata in religionibus, præcipue virorum; olim enim non erant clerici, nec literis vacabant ordinarie: nunc vero maiori ex parte clerici sunt, de facto etiam si eorum institutum per se id non postulat, vacant etiam literis, & aliquibus actionibus erga proximos, & ideo operibus manuum vacare non possunt, aliundeque aluntur, vt infra videbimus de paupertate disputantes. Hæc autem diuersitas etiam est accidentaria, & non mutat honestatem & sanctitatem talis status, nam omnia hæc exercitia sancta sunt, & bona, pro diuersitate temporum, vel finium possunt mutari. Quanquam August. lib. de mor. Eccles. c. 31. etiam de antiquis monachis ait. *In communem vitam casti & mam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, lectioni bus, & disputationi bus:* infra vero addit. *Operantur manibus, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non possit.* Atque ibidem refert similia de monasteriis fœminarum, & operibus manuum quibus alebantur. De quibus etiam meminit Ambros. ad Virgin. Cass. c. 7. & latius Hieron. locis citatis. Denique quoad modum conuersationis, præter ea quæ ex iisdem Patribus sumi possunt, solum adnotabo ex Augustino initio Enarrationis in Psalm. 132. etiam modum salutandi, dicendo, *Deo gratias*, fuisse antiquissimum, & ab hæreticis quibusdam etiam illo tempore reprehensum. *Hi* (inquit) *insultare nobis audent, quia fratres cum vident homines, dicunt, Deo gratias:* quibus ipse respondet, *Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo, vide si non debet frater gratias Deo agere, quando videt fratrem suum? Non enim non est locus gratulationi, quando se inuicem vident qui habitant in Christo.* Ex quibus verbis plane quisque colligere potest, quanta fuerit similitudo antiquarum religionum cum nostris in effectu, in charitate, in nomine, in salutatione. An vero in aliis effectibus fuerit, dicemus in sequentibus agentes de singulis votis, & aliis rebus particularibus religionum. Quomodo autem in antiquis religionibus fuerit sufficiens Ecclesiæ approbatio, ex dictis in lib. præced. cap. vlt. sufficienter intelligi potest, & infra declarabimus sub quorum prælatorum obedientia tunc viuerent religiosi, & quando inceperit eorum exemptio, & ideo de origine huius status hæc sufficiunt.

*Modum salutandi dicendo, Deo gratias, est antiquissimus.*

# INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI.

## *De voto assumendi statum Religionis.*


CAP. I. VTRVM votum assumendi statum religiosum, bonum, & validum sit.

II. Quomodo votum hoc obliget ad Religionis ingressum.

III. An, & quomodo Religionis votum obliget ad perseuerandum in Religione professionem in ea emittendo.

IV. Ad quid obliget votum profitendi, seu perseuerandi in Religione.

V. Vtrùm simplex votum Religionis dirimat sponsaliæ, & impediat matrimonium, vel vsum eius.

VI. Vtrùm hoc votum assumendi statum religiosum per propriam irritationem cessare, seu extingui possit.

VII. Quale religionis votum sit reseruatum quoad dispensationem, seu commutationem.

VIII. Vtrùm hoc votum quoad gradum arctioris religionis sit ita reseruatum, vt nec ab Episcopo, nec ab alio summo Pontifice inferiori dispensari, seu commutari valeat.

IX. Quomodo commutatio voti religionis facienda sit.


LIBER

# LIBER QVARTVS.

## DE VOTO ASSVMENDI STATVM RELIGIONIS.

QVANVIS hoc votum simplex sit, est enim mera promissio de futuro, quæ statum religiosum non constituit, sed ad illum ordinatur: nihilominus illius tractationem in hunc locum reseruauimus, quia cum tale votum pro obiecto habeat ipsum religiosum statum, oportuit prius de ipso statu notitiam aliquam præmittere, ac deinceps de illius promissione sermonem facere. Dicemus ergo prius de obligatione huius voti, quatenus ex tali materia specialem aliquam proprietatem, vel conditionem habet, postea de modis quibus cessare possit hæc obligatio: nam cætera, quæ communia sunt, ex generali doctrina de Voto sunt potius supponenda.

### CAPVT I.

### *Vtrum votum suscipiendi religiosum statum, bonum & validum sit.*

TRactat quæstionem hanc D. Thom. 2.2. quæst. 189. art. 2. ad 3. & Opusc. 17. cap. 11. 12. & 13. vbi refert quosdam suo tempore errasse, dicentes non oportere homines se voto ligare ad religionis ingressum. qui partim fundabantur in generali errore circa conuenientiam, seu honestatem cuiuslibet voti: contra quem errorem satis in superioribus dictum est; partim nitebantur in speciali ratione & difficultate talis voti. Nam cum status religiosus sit res valde ardua, non videtur laudabile illam promittere sine sufficienti fundamento, & probatione talis status; ideo enim in iure cautum est, vt ante professionem huius status annus probationis præmittatur, vt infra videbimus. Et confirmatur, quia assumere religiosum statum ex Christi institutione, non est res necessitatis, sed voluntatis, & fieri non debet absque speciali instinctu Spiritus sancti, vt sumitur ex Vrbano papa in c. *duæ sunt*. 19. quæst. 2. ergo non licet homini necessitate astringi ad hunc statum assumendum; maxime cum de Spiritus sancti vocatione certus esse non possit.

Nihilominus dicendum est, per se loquendo, optimum esse votum religionis emittere. Conclusio est certa de fide, vt satis constat ex communi vsu, & consensu Ecclesiæ. Ratio autem manifesta est, quia materia talis voti non solum est honesta, sed etiam est ex melioribus, & optimis bonis: ergo & votum eius ex se optimum est. Et confirmatur, nam ingredi religionem est bonum: ergo ingredi ex voto, per se loquendo, est melius; supra enim ostensum est, opus ex voto factum cæteris paribus melius esse, quam sine voto: ergo etiam votum ipsum de tali opere faciendo optimum est. Dices, melius est statim ingredi religionem, quam votum ingrediendi facere, nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia: ergo pensatis omnibus nunquam expedit religionem promittere. Respondetur, primum argumentum non probare hoc votum non esse bonum & optimum, sed ad summum probare, non esse tam bonum, quam est ipsa actualis professio religionis. Deinde dicitur non posse moraliter fieri, vt homo statim ac deliberat de religionis ingressu, propositum illud sine vlla mora exequatur, sunt enim plura humana impedimenta, quæ aliquam moram requirunt, vt res adeo grauis conuenienti modo executioni mandetur. Et ideo sicut propositum religionis, per se loquendo, tempore præcedit ingressum religionis; ita etiam, per se loquendo, laudabile est propositum illud per votum firmare, ac Deo specialiter consecrare.

3. *Notandū.*

Dico autem, *per se loquendo*, quia hic solum consideramus opus ipsum ex genere ac specie sua. Ad iudicandum autem in particulari, an expediat, particulares circunstantias considerare necesse est. Et in primis necessaria est maior ætas, vt Caiet. aduertit in dict. art. 2. in quo tamen aliud necessitatis est, aliud congruitatis: vt enim tale votum sit & honestum, & validum, solum est necessaria ætas sufficiens ad habendum vsum rationis; & deliberationem sufficientem ad peccandum mortaliter; hæc enim necessaria est, & sufficiens ad obligationem voti in genere, vt supra vidimus: ergo in rigore etiam ad hoc votum sufficit; sicut diximus etiam de voto castitatis, & aliis perpetuis, quia materiæ grauitas non sufficit vt maior deliberatio ex necessitate requiratur, nec ex natura rei potest aliqua maior ætas, aut aliquis certus excessus ad hoc postulari. Quantus autem tale votum in omni ætate vsus rationis validum sit; si tamen fiat ante annos pubertatis, non est omnino firmum, nam irritari potest à parente, dummodo post completam dictam ætatem confirmatum non sit, iuxta generalem doctrinam supra traditam de irritatione votorum. At vero loquendo de congruitate, ad hoc votum emittendum conueniens est matura ætas; ideoque non est facile pueris consulendum, nam sicut facile persuadentur, ita etiam facile mutantur. Deinde etiam requiritur matura deliberatio maior quam ad alia vota, & alia humana negotia; quia perfecta vitæ mutatio, suaque & rerum omnium perfecta abnegatio res est grauissima, & magna consideratione digna. Quapropter examinanda in primis est diuina vocatio, & inspiratio: deinde conditio personæ quoad habitum corporis, & alia huius vitæ impedimenta pensanda sunt, ad iudicandum an expediat tale votum emittere. Vnde generaliter concludit Caietan. non esse laudabile alios inducere ad hoc votum emittendum; quod ego intelligendum arbitror de inductione aut importuna, aut omnino antecedente ad alterius voluntatem, nam hæc solet multum minuere libertatem; cum tamen huiusmodi votum esse debeat omnino spontaneum, ne exponatur quis periculo aut violandi illud, aut ex tristitia, & necessitate illud implendi. Si autem alius consilium postulet, & re sufficienter considerata iudicetur, & statum religionis illi expedire, & periculum imminere mutandi propositum, nisi illud votum confirmet, recte potest ad tale votum emittendum induci

*Vt tale votum sit honestum, & validum, necessaria est ætas capax peccati mortalis.*

*Votum factum ante annos pubertatis non est firmum, nam irritari potest à parente.*

*Ad votum religionis emittendum conuenit matura ætas, & matura deliberatio, maior quam ad alia vota.*

*Non est pueris consulendum vota religionis emittere*

*Explicatur Caiet.*

non precibus importunis, sed rationibus non humanis, sed diuinis.

4. *Dubium est, an hæc forma vouendi (si futurus sim religiosus, ero in tali religione) sit inhabilis, & obliget.*

Dubitat autem specialiter Palud. An hæc forma vouendi, *Si futurus sim religiosus, ero in tali religione*, laudabilis sit, & obligationem aliquam inducat, refertque aliquos dixisse tale votum inualidum esse, imo peccare qui illud facit, & qui illud consulit; quia ex vna parte non inducit ad religionis statum, quia non est absoluta promissio eius; aliunde vero retrahit hominem à perfectioribus religionibus, si fortasse statum illum assumere velit. Veruntamen hæc opinio improbabilis est, meritoque à Paludano reiicitur, quia illud est votū conditionatum de re licita; quid ergo impedit quominus validum sit? Non quidem quod sit conditionatum, vt per se notum est, alias omne votum conditionatum nullum esset, nec etiam quod sit de determinatione ad certam religionem, alias votum absolutum eiusdem religionis in particulari esset illicitum, quia impediret aditum ad perfectiores religiones. Respondet ergo Palud. illud votum non impedire directe, vouendo scilicet non ingredi talem religionem, sed solum indirecte & implicite, & ideo validum esse: sicut iuramentum (inquit) non ingrediendi religionem, nullum est, quia directe repugnat maiori bono, iuramentum autem ducendi aliquam in vxorem validum est, quanuis indirecte & implicite etiam impediat. Sed profecto in re morali non minus incommodum esset, si licite impediret. Nego igitur vllo modo impedire, nam tale votum determinat obligationem voluntatis saltem quoad specificationem ad talem religionem, respectu cuiuscunque inferioris, seu laxioris; quod optimum est; non excludit tamen, quin determinatio illa in meliorem commutari possit, & ideo nullum maius bonum impedit. Sicut etiam iuramentum de contrahendo matrimonium cum aliqua, non impedit quominus religionis status illi præferri possit, vt in cap. 5. dicam. Est ergo bonum & validum illud votum, non tamen est proprie votum religionis, quia proprium religionis votum obligat, vt sic dicam, ad exercitium actus ingrediendi religionem; hoc vero, de quo agimus, solum obligat quoad specificationem, & ideo nec reseruatum spectat, neque aliquid habet speciale, sed per communia principia de voto regulatum est.

*Tale votum est validum, & obligat solum quoad specificationem, non est proprie votum religionis, nec reseruatum.*

5. *Votum religionis semel emissum obligat ad sui obseruationem.*

Ex his ergo constat votum religionis semel emissum obligare ad sui obseruationem, id est, ad exequendum id quod voto promissum est. Hoc constat ex generali ratione voti, nam tale votum est sanctum & validum, vt ostensum est: ergo obligat quantum est ex se; est enim hic effectus inseparabilis, & quasi formalis voti. Statim vero inquirenda occurrunt omnia quæ de tali obligatione generatim disputata sunt, quorum primum ac præcipuum est, pro quo tempore obliget tale votum. In quo nihil fere speciale hic occurrit, sed dicendum est, si vouens intentione ac promissione sua designauit tempus, pro illo obligari: si autem absolute & indefinite promisit, per se obligari ad statim, per se ac moraliter loquendo; hæc enim est natura voti, vt ibi ostendi, quæ in hoc voto maiori ratione locum habet; quia qui vouit Deo religiosum statum, totam vitam suam, totumque vitæ tempus illi promisit, & ideo eo ipso, quod indebite differt executionem talis voti, tantum subtrahit, ac detrahit de materia promissa. Hoc autem non obstat quominus ex iusta causa differri possit executio talis voti, vt statim dicam.

*Si vouens intentione, ac promissione designauit tempus, pro illo obligat votum, si vero absolute promisit, obligat ad statim, per se, ac moraliter loquendo.*

6. *Quibus modis cessare, vel auferri possit*

Rursus occurrit inquirendum, quibus modis cessare vel auferri possit hæc obligatio, etiamsi non impleatur. Ad quod in primis dicendum est auferri posse per illos tres communes modos, qui sunt, irritatio, dispensatio, & commutatio; de quibus ad finem huius libri dicemus. Ex quibus primus generalis non est, sed tantum in quibusdam personis locum habet, in quo applicanda est hic generalis doctrina supra tradita, nam in hoc nullam habet specialitatem. Circa alios autem duos modos solum est obseruandum, hoc votum esse summo Pontifici reseruatum, & ideo applicanda hic esse omnia quæ de talibus votis in superioribus dicta sunt, siue tale votum absolutum sit, siue conditionatum, aut pœnale. Deinde dicendum est hanc obligationem nunquam auferri propter solam negligentiam, aut voluntariam dilationem vouentis; non enim debet ex sua culpa commodum reportare, nec potest sua voluntate obligationem deponere, quam voluntarie sumpsit. Itaque quanuis vouerit religionem ingredi intra certum tempus, & illud transactum sit, non cessat obligatio, quia ille terminus positus est ad differendam, non ad extinguendam obligationem, nisi aliud constiterit de intentione vouentis, quod rarissime, moraliterque vix contingit, quæ omnia in superioribus fusius tractata sunt. Vltimo dicendum est ratione impedimenti posse hominem excusari ab obligatione huius voti; hoc enim constat ex generali doctrina de Voto, ex qua etiam habetur, si hoc impedimentum sit perpetuum, excusare simpliciter, si vero sit temporale, excusare ad tempus, ita vt regula generalis sit, tandiu excusare, quandiu durat. Quapropter si impedimentum perpetuum iam aderat quando votum emissum fuit, fecit vt votū esset nullum, quia fuit de materia moraliter impossibili, & non accepta Deo. Si tamen impedimentum solum fuit temporale, votum quidem validum fuit, habet tamen quasi suspensam obligationem, donec impedimentum auferatur: quando autem tale impedimentum sufficiens sit, prudenti arbitrio relinquendum est.

*obligatio voti religionis.*

*Non cessat hoc votum propter solam negligentiam, aut dilationem voluntariam vouentis.*

*Ratione impedimenti potest quis excusari à voto implendo.*

7. *Ad differendam executionem huius voti sufficiens non semper impedimentum positiuum, sed etiam negatiuum, seu rationabilis causa differendi votum.*

Est autem hoc loco obseruandum ad differendam executionem huius voti, non solum sufficere impedimentum, vt sic dicam, positiuum, sed etiam negatiuum, seu rationabilem causam quæ ex illo solet oriri: huiusmodi censeo esse causam differendi votum, quæ ex tenera ætate sumi solet, vt per augmentum corporis, & virium eius homo idoneus credatur ad onus religionis sustinendum. Similis causa est quæ interdum sumitur ex defectu scientiæ: nam si quis differat implere hoc votum, vt prius comparare possit doctrinam religioni vtilem, quam intra religionem ipsam posse consequi non sperat, non est reus voti iudicandus. In huiusmodi autem causis, ac dilationibus in primis bona fide procedendum est, vt non ipsa dilatio, sed vera vtilitas religionis, & propria etiam rationabiliter intendatur. Deinde cauenda sunt pericula, ne vel occasione dilationis ita implicetur homo secularibus rebus, vt postea omnino non possit religionem ingredi: vel etiam ne illo tempore tot peccata multiplicentur, vt illud detrimentū maioris sit æstimationis, quam omnis alia vtilitas quæ ex studiorum profectu, vel alia simili occasione sperari potest. In qua re arbitrium viri prudentis multum valere potest, & regulariter necessarium est. Videatur Sylu. verb. *Votum* 2. quæst. 3. Cordub. in Summa Hispana.

*Ad differendam executionem huius voti sufficiens non semper impedimentum positiuum, sed etiam negatiuum seu rationabilis causa differendi, &c.*

## Caput II.

### *Quomodo votum hoc obliget ad religionis ingressum.*

1. RAtio dubitandi est, quia nemo obligatur ad id quod non est in sua potestate; sed ingrediendi religione non est in potestate hominis, pendet enim à voluntate eorum à quibus admitti debet: ergo.

Dicendum in primis est, obligare hoc votum ad procurandum religionis habitum, seu ingressum, & ante-

antequam homo recipiatur nullam aliam inducere obligationem. Prior pars manifesta est, quia hoc votum inducit obligationem ad id, quod per illud promittitur, vt superiori cap. ostensum est; promittitur autem assumptio religiosi status, quæ appetitione eius qui futurus est religiosus inchoanda est: ergo ad hanc primo ac per se obligat hoc votum. Confirmatur ex secunda ratione dubitandi proposita: nam hoc votum obligat saltem ad id, quod fieri potest ex parte vouentis, vt talem statum assumat; sed petere & procurare illum, maxime est in potestate eius: ergo ad hoc obligat.

2. Addidi vero secundam partem assertionis propter quosdam asserentes, qui religionem vouet, eo ipso obligari ad castitatem seruandam, quia religio castitatem includit, & ideo qui religionem vouit, castitatem vouere censetur. Imo addunt aliqui etiam obligari ad alia onera religionis, si cum mora culpabili per illum stet, quominus religionem ingrediatur. Sed vtrumque falsum est; nam licet professio ipsa religionis includat castitatis votum, tamen qui solum vouit religionem ingredi, aut professi, nondum castitatem vouit, neque ad hoc se intendit obligare in seculo manens: & ideo licet ingressum contra castitatem peccet, sacrilegium contra votum non committit. quæ est communis sententia, vt statim referemus. Et eadem ratione à fortiori non obligatur ad paupertatem, neque ad alia onera religionis, quandiu in seculo manet, siue licite in eo statu duret propter legitimam excusationem, vel dilationem, quod certissimum est, siue etiam illicite, & transgrediendo votum propter rationem factam, quia ille non vouit paupertatem, vel alia onera, sed statum cui illa annexa sunt postquam assumitur, non vero antea. Circa hanc vero partem, per quam excludimus omnem aliam obligationem, obseruare possumus regulam illam, quod exclusiua non excludit comitantia: nam hic etiam non excludimus, quin hoc votum obliget ad cauenda impedimenta religiosi status, quale maxime est status matrimonii, de quo infra plura dicemus.

3. Atque ex hac assertione sequitur, eum qui huiusmodi votum habet, teneri ad suscipiendum religiosum habitum, seu ingrediendum religionem, si ab ipsa admitti velit. Patet, quia propter hanc causam obligatur ad petendam religionem, & quia ad ingrediendum cum effectu se obligauit, quantum in ipso est. Et ob contrariam rationem, si non admittatur, videtur manere liber ab obligatione voti, si supponamus feciisse sufficientem diligentiam, vt admitteretur, & nihilominus repulsam passus est: tunc enim iam fecit quod in ipso erat. Quod autem pendet ex alterius voluntate, quatenus tale est, non cadit sub obligationem voti. & hoc sensit D. Thom. q. 88. art. 3. ad 2. vbi recte ait in eo casu reddi impossibilem homini ingressum religionis, & ideo cessare talis voti obligationem. quod etiam sensit quæst. 189. art. 3. ad 2.

4. Difficultas vero superest; quando censeatur aliquis sufficienter feciisse quod in ipso est, vt propter repulsam liber maneat ab obligatione voti. Ad quod explicandum aduertendum est ex D. Thom. supra, tripliciter posse fieri hoc votum, primo de religione in genere, secundo de tali religione, in specie, vel in substantia, vt est, v. g. religio Mendicantium, vel in specie atoma, vt est religio Prædicatorum: tertio de tali religione, seu monasterio in individuo, vt principalis intentio vouentis feratur in hunc locum propter specialem deuotionem, vel obseruantiam eius, aut aliam similem causam. Quando ergo religionis votum factum est hoc tertio modo, sufficiens diligentia est petere habitum in illo loco, quod si non admittatur, non tenetur vouens alibi petere, neque alibi ingredi, etiamsi imitetur, vel rogetur. ita D. Thom. locis citatis, & ibi Caietan. Sot. & alii Doctores in 4. dist. 38. Richard. art. 5. quæst. 1. supplem. Gabr. q. 1. art. 3. Palac. disput. 1. concl. 4. Palud. d. 27. quæst. 3. art. 1. cap. 3. Angelus *Votum*. 3. à num. 10. Syluest. verbo *Votum*. 2. quæst. 17. & communiter Summistæ. Ratio vero est, quia obligatio non excedit intentionem promittentis, nec materiam promissionis; sed hic vouens solum intendit se obligare ad hunc locum, & illum sumit vt materiam adæquatam suæ promissionis: ergo si illa sit impossibilis propter repulsam, liber manet.

*hoc votum. Prima assertio. Vouens religionem, vel monasterium in individuo, si ibi tantum petere habitum, quod si non admittatur, non tenetur alibi petere neque ingredi, etiamsi imitetur, vel rogetur. Probatur.*

Dices, quamuis materia voti facta sit impossibilis, ita vt tota impleri non possit, si saltem ex parte impleri possit, quoad illam votum obligat; sed in præsenti votum ingrediendi hoc monasterium includit promissionem religionis. & licet per repulsam ingressus in hoc monasterium redditus sit impossibilis; adhuc manet possibilis illa materia quoad ingressum religionis, vt sic: ergo ad hoc obligabit votum. Maxime, quia in illa materia hoc est præcipuum, & quasi per se, nam determinatio ad particularem locum videtur esse valde materialis, & per accidens. Respondetur nihilominus mensuram huius obligationis non esse sumendam ex ipsa rei natura, sed ex intentione vouentis; & ideo licet religio, vt sic, quatenus plura virtute complectitur, principalior videatur, liberum nihilominus est vouenti non illam sic intendere, sed quatenus contracta est ad hanc speciem, & ad hoc individuum, & ideo extra illud ad nihil obligatur: nam status religionis vt possibilis alibi non est pars materiæ huius voti in particulari, & ideo nihil eorum quæ sub tale votum adunt relinquitur possibile.

*Instantia facta soluitur.*

Sed attente obseruare oportet, sermonem esse quando primaria, ac præcisa intentio vouentis fuit de ingressu in hoc monasterio: nam si fuisset de ipsa religione in communi, licet postea ex peculiari deuotione animum ad hoc monasterium applicuisset, non esset in hoc regula seruanda, sed quæ in sequenti puncto tradetur, vt omnes auctores citati aduertunt; quia voluntaria applicatio postea subsequuta non coarctat generalem obligationem votiprius contractam. Quid vero sit agendum quando dubium est, quæ fuerit principalis intentio vouentis, definiendum ex doctrina supra data de Voto dubio. Nam licet Sylvest. Angel. & alii dicant inclinandum esse in partem rigoriorem, quam ipsi tutiorem vocant; ego nihilominus existimo magis esse interpretandum dubium in fauorem vouentis, qui possidet suam libertatem, & quatenus est certus se vouisse aliquam religionem, iam implet votum petendo in hac: quatenus vero dubitat, an principaliter vouerit religionem in genere, aut specie, vel potius in tali particulari loco, non est certus de aliquo maiori vinculo, aut debito, quam sit circa talem locum, & ideo amplius obligandus non est.

6. *Notandum circa tradiam conclusionem. In dubio voto standum est fauendum vouenti.*

Sed quæret aliquis, an sufficiat semel petere religionem in tali loco, vel teneatur quis iterum ac sæpius hoc procurare; præsertim si mutatis circunstantiis, vel prælatorum, vel aliarum personarum, aut occasionum, seu impedimentorum concipiatur noua spes obtinendi religionem. Item quæri potest, an teneatur quis acceptare religionem, si post primam repulsam, ipso etiam non petente ab ipso monasterio vocetur, & inuiteur ad habitum religionis. Respondeo in his & similibus interrogationibus, non posse certam & generalem regulam tradi, nam pendet ex intentione vouentis, & vltra illam

7. *Dubitatur, an vouens teneatur semel petere, & an post primam repulsam, si inuitetur, teneatur ingredi religionem. Ad*

*tenetur regulariter loquendo, nisi aliud constet de sua intentione.*

ad executionem eius moraliter necessarium est prudentis viri arbitrium. Itaque, regulariter loquendo, qui hoc votum emittit, solum intendit se obligare ad procurandum semel ingressum talis monasterii, ea diligentia & solicitudine, quæ ad negotium graue peragendum iuxta prudens arbitrium sit sufficiens; non intendit autem se obligare ad importunas preces, & consequenter neque ad multiplicandas petitiones; & quia non est maior ratio de vno numero, quam de alio, ideo si semel fecit sufficientem diligentiam, non tenetur amplius receptionem postulare. Maxime si cum primum petiit religionem, manifestauit obligationem suam, & nihilominus admissus non est, sed liber relictus. Quod aduertit Caiet. dict. quæst. 88. art. 3. in quodam breui dubio 2. circa ad 2. addens necessarium esse vt repulsa sit totalis, quia si non repellitur simpliciter, sed pro tunc, expectare tenetur. Et hoc secundum censeo verum, dummodo dilatio non sit nimia, & ita molesta, vt prudenti arbitrio iudicari possit vouentem non se obligasse ad expectandum cum tanto onere. Illud vero prius de manifestatione voti est quidem securius consilium, non videtur tamen absolute necessarium, quia nullo iure ad hoc obligatur, neque illud est necessarium, vel vt voti obligatio cesset, cum non auferatur per dispensationem, sed per defectum materiæ, vel vt diligentia in procuranda religione censeatur sufficiens; quia obligatio petentis non est conditio necessaria, imo nec per se mouens vt quis recipiatur in religione, quod si aliquando mouere possit, accidentarium est, & ideo non obligatur is qui petit ad manifestandum suum votum. Tandem non videtur esse intentio vouentis semper manere suspensum, & quasi pendere à voluntate religiosorum, & ideo si post sufficientem postulationem semel ac definite ei denegata est religio, votum omnino cessare, & extingui videtur, ita vt vi illius cogi non possit ad eam acceptandam, etiam si inniteretur. Hæc autem semper habent illam conditionem subintellectam, nisi constet aliam fuisse intentionem vouentis, nam illi semper standum est; hic autem solum tradimus ea quæ regulariter accidunt, & quæ ex communi forma vouendi intelligenda sunt, quandiu de alia intentione vouentis non constiterit.

*Non tenetur in petendo manifestare votum.*

8. *Secunda assertio. Vouens religionem in specie, tenetur in multis locis id procurare. Probatur.*

Circa secundum modum vouendi religionem in specie præter superius dicta, quæ proportione seruata applicari possunt, addendum est non satisfacere hominem vouentem suæ obligationi petendo in vno, vel alio loco, sed teneri in multis id procurare, si forte recipiatur. ita docet D. Thom. quem alii sequuntur. Ratio est, quia illud votum ex forma, & modo quo fit obligat vniuersalius, quia generalius, seu magis indefinitum habet obiectum: ergo respectu illius non est sufficiens diligentia, quæ fit per particularem petitionem in vno, vel alio loco, sed oportet eam facere in pluribus. Patet consequentia, quia per solam vnam, vel alteram particularem repulsam non fit moraliter impossibilis materia talis voti, prout cecidit sub intentionem vouentis; votum autem obligat quandiu illud implere non est moraliter possibile. Confirmatur ac declaratur, nam si quis vouear aliquid facere sub hac conditione disiunctiua, si Petrus, vel Paulus, vel Ioannes, &c. mecum consenserint, non satisfaciet vnius tantum, vel alterius consensum requirendo, sed teneretur omnes consulere, quia alias non posset esse certus, an conditio impleretur, nec ne; sed qui vouet absolute aliquam religionem in specie, virtute inuoluit conditionem, si in aliquo illius monasterio recipiatur, quæ æquiualet huic disiunctiuæ, si in hoc, vel illo, aut illo loco recipiatur: ergo si in vno, vel alio non admittatur, tenetur in aliis postulare; alioqui non censebitur sufficientem diligentiam feciſſe.

*Confirmatur.*

Dices, ergo qui habet huiusmodi votum, tenetur discurrere per omnia monasteria talis religionis, donec vel in aliquo recipiatur, vel ab omnibus repellatur, alioqui non satisfacit obligationi suæ. Consequens autem videtur durissimum, & præter communem vsum, quia est res difficillima, & moraliter impossibilis, atque adeo præter cogitationem vouentium. Respondeo nihilominus concedi posse, sequelam adhibitis limitationibus, quæ admitationem & difficultatem auferent: nam si formaliter sistamus in casu de quo loquimur, rationes factæ reuera æque procedent de omnibus locis talis religionis, & ideo sufficienter probant sequelam. Prima vero limitatio est, nisi ex intentione vouentis coarctetur aliquo modo amplitudo talis voti, seu materiæ eius; iam enim dictum est obligationem voti nunquam extendi vltra intentionem vouentis, tunc autem iam illud votum non est absolute de religione in specie, sed cum aliqua determinatione, & ita non omnino persistitur in casu proposito. Atque in hac morali præsumptione fundatur quod Caietan. dixit dict. q. 88. art. 3. non teneri qui sic vouit discurrere extra regnum, quia non est verosimile voluisse ad hoc obligari, cum sit valde difficile, & extraordinarium. Quod etiam tuentur, Nauarr. cap. 12. num. 48. Sot. lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. Anglez florib. 2 p. quæst. vnica de voto. quæst. 2. diffic. 5. Tolet. lib. 4. sum. cap. 17. num. 12. alii moderni sequuti sunt; & reuera ita est præsumendum, quandiu oppositum non constiterit de intentione vouentis. Et eadem ratione si vouens non intendit se obligare ad loca multum distantia, sed intra patriam suam, vel prope illam, solum tenebitur per propinqua loca discurrere, vt iidem auctores docent; oportebit tamen, vt in tali casu clarius constet de tali intentione vouentis: nam generalis præsumptio non sufficiet, nisi plures & particulares coniecturæ intercedant; hæ autem coniecturæ frequentius habebunt locum in fœminis, quam in viris, vt per se constat, quia magis inusitatum est fœminis, magisque difficile extra patriam longius peregrinari.

9. *An talis teneatur discurrere per omnia monasteria. Et resoluitur teneri, sed cum quibusdam limitationibus.*

*Prima limitatio est, quando aliud non constet ex intentione vouentis. Iuxta Caiet. non tenetur discurrere extra regnū.*

*Ordinaria ita præsumendum de intentione vouentis, præcipue in fœmina.*

Altera limitatio, valde necessaria ad tollendam moralem difficultatem, est, non esse necessarium vt omnia monasteria formaliter requirantur, sed vel formaliter, vel virtualiter. Est enim hæc quasi dialectica quædam inductio, in qua ex numeratione plurium particularium, infertur vniuersalis, & quia impossibile est omnia individua formaliter recenſere, sufficit illa numerare, ex quibus probabiliter intelligi possit eandem esse rationem de cæteris, nam illa est quædam virtualis omnium enumeratio. Ad hunc ergo modum in præsenti censeo sufficere, & talia ad idem monasterium, ex quibus probabilis coniectura fiat, eum qui in illis non admittitur, neque in aliis eiusdem religionis monasteriis esse recipiendum. quæ coniectura moraliter fiet considerata causa non admittendi talem personam, si generalis sit, & eiusdem rationis respectu aliorum locorum eiusdem religionis: quod facile constabit, tum ex vniformi modo viuendi talis religionis in omnibus locis, tum etiam ex sufficienti informatione, quæ ex tribus, vel quatuor monasteriis regulariter accipi potest. Atque hanc limitationem insinuant dicti auctores cum dicunt, teneri quempiam adire alia monasteria, etiam remotiora, si sit spes quod in eis recipietur. Hæc enim spes moraliter adimitur facta prædicta diligentia & probabili inductione.

10. *Secunda limitatio. Non est necessarium vt omnia monasteria formaliter requirantur, sed vel formaliter, vel virtualiter.*

Et

11. Et ideo censeo regulariter sufficere adire tria, vel quatuor loca præcipua, & aliquando talis esse posset causa denegationis, talisque informatio ex parte religiosorum, vt sufficiat duo, vel aliquando etiam vnum tantum monasterium adire, si ex illo possit satis probabiliter fieri vniuersalis inductio. Sicut etiam è contrario causæ non admittendi vouentem in pluribus monasteriis possunt esse adeo particulares, & dissimiles, & similiter mores, & consuetudines diuersorũ monasteriorum adeo variæ, vt ex quatuor, vel quinque sæpe non fiat sufficiens inductio, & ideo semper durabit obligatio amplius procurandi in aliis locis, donec arbitrio viri prudentis (quod in his rebus semper necessarium est) per probabilem inductionem censeatur probabiliter facta vniuersalis peritio, ac denegatio. Hæ autem coniecturæ fere cessant in illis religionibus, in quibus receptio per Prouincialem fit, vel solum cum Capitulo, seu Concilio Prouinciali: tunc enim Prouincialis ipse consulendus est; quod si ab eo quis non admittitur, consequenter censetur à tota prouincia repulsus, & ideo moraliter æstimari potest ipsa repulsa virtualiter vniuersalis, maxime si cum consilio grauium virorum eiusdem religionis censeatur facta. Quanuis autem hæc præsumptio moralis sit, nihilominus semper in particulari considerare oportet an relinquatur moralis spes, conueniendo prælatum alterius prouinciæ, vel Generalem ipsum, pensata enim intentione vouentis, si ad omnia illa loca se extendit.

11. *Et ideo censeo regulariter sufficere adire tria, vel quatuor loca præcipua, & aliquando talis esse posset causa denegationis, talisque informatio ex parte religiosorum, vt sufficiat duo, vel aliquando etiam vnum tantum monasterium adire, si ex illo possit satis probabiliter fieri vniuersalis inductio. Sicut etiam è contrario causæ non admittendi vouentem in pluribus monasteriis possunt esse adeo particulares, & dissimiles, & similiter mores, & consuetudines diuersorũ monasteriorum adeo variæ, vt ex quatuor, vel quinque sæpe non fiat sufficiens inductio, & ideo semper durabit obligatio amplius procurandi in aliis locis, donec arbitrio viri prudentis (quod in his rebus semper necessarium est) per probabilem inductionem censeatur probabiliter facta vniuersalis peritio, ac denegatio. Hæ autem coniecturæ fere cessant in illis religionibus, in quibus receptio per Prouincialem fit, vel solum cum Capitulo, seu Concilio Prouinciali: tunc enim Prouincialis ipse consulendus est; quod si ab eo quis non admittitur, consequenter censetur à tota prouincia repulsus, & ideo moraliter æstimari potest ipsa repulsa virtualiter vniuersalis, maxime si cum consilio grauium virorum eiusdem religionis censeatur facta. Quanuis autem hæc præsumptio moralis sit, nihilominus semper in particulari considerare oportet an relinquatur moralis spes, conueniendo prælatum alterius prouinciæ, vel Generalem ipsum, pensata enim intentione vouentis, si ad omnia illa loca se extendit.*

Sed quid si intra eandem religionem sint monasteria valde diuersa in austeritate vitæ, & obseruatione disciplinæ religiosæ, & aliquis non recipiatur in laxioribus, tenebiturne arctiora petere, si in eis sit spes? vel è contrario, si ab arctioribus repellatur, & in aliis relinquatur spes, an illa procurare teneatur. Respondeo in hoc fere idem iudicium dandum esse, quod in voto religionis in genere, de quo statim dicam. Addo etiam considerandam esse intentionem vouentis; nam si de illa sufficienter constet, non multum refert illa locorum varietas, ac dissimilitudo. Nam si quis vouens religionem S. Francisci, v.g. solum sibi proposuit eam rationem viuendi in ea religione, quam de Obseruantia vocant, & in ea non recipiatur, non tenebitur alium arctiorem viuendi modum, qui in pluribus prouinciis illius religionis obseruatur, procurare, aut acceptare; aut è conuerso, si primario intendit austeriorem viuendi modum, & illum retinere non possit, non tenebitur, etiamsi possit ingredi monasteria, vbi alia viuendi ratio, quanuis religiosa, obseruatur. At vero si intentio vouentis fuit omnino indifferens de religione D. Francisci, & non habet aliquam probabilem coniecturam, ex qua colligat determinationem voluntatis suæ ad hunc modum viuendi, potius quam ad illum intra eandem religionem, tenebitur illam suscipere vbicunque recipiatur, iuxta doctrinam paulo antea traditam, & in sequenti puncto amplius explicabitur.

Superest dicendum de tertio modo vouendi religionem in genere, ad quod votum multa ex dictis in superioribus cum proportione applicari possunt. Est autem vlterius considerandum, hoc votum in hoc differre ab aliis duobus, quod per illud præcise intenditur substantia religionis sine determinatione ad certum viuendi modum, quæ determinatio in aliis votis adiungitur vel maior, vel minor, pro illorum diuersitate. Quia vero substantia religionis in re ipsa non inuenitur, nisi cum aliqua determinatione ad certam regulam, vel certum aliquem viuendi modum, ideo tale votum obligat ad suscipiendum illum statum, cum aliquo determinato viuendi modo, indifferenter autem in quolibet, quia votum ipsum omnino indifferens fuisse supponitur.

Duo vero hinc nascuntur dubia, primum est an votum hoc sufficienter impleatur in quacunque religione, quod specialiter quæri solet de religionibus militaribus, in quibus substantialia vota religionis diminuta quodammodo fiunt, quia non vouetur castitas simpliciter, sed coniugalis, & sic de aliis. Sed hæc quæstio attingit aliam, an hæ militares religiones sint religiones simpliciter, saltem quoad eum gradum personarum, quæ & vxorem ducere, & proprium suo modo habere possunt. Sed omissa hunc hac quæstione, quam infra tomo sequenti tractabimus, ego existimo eum, qui absolute religionem vouit, non satisfacere tali voto assumendo illum statum, quia obligatio voti mensuranda est iuxta intentionem vouentis; nullus autem qui religionem vouet, per religionem intelligit huiusmodi statum, sed alium perfectiorem: ergo non satisfacit obligationi intentæ assumendo talem statum. Minor patet ex communi modo concipiendi, iuxta quem interpretari debemus voti obligationem, sicut etiam interpretanda sunt verba cuiuscunque contractus, seu promissionis, argumento textus in cap. *ex literis* 1. de sponsalibus. Constat autem, cum aliquis dicit se velle ingredi religionem, communiter non intelligi de hoc statu coniugatorum militum. Imo hinc vlterius infert Corduba in Summa quæst. 143. non impleri hoc votum sufficienter in religione militari, etiamsi quis eam profiteatur in gradu clericorum: imo neque in religione canonicorum regularium, quia licet ab his fiant tria vota substantialia religionis perfecta & integra, imo & solennia, & ideo veri religiosi sint, nihilominus iuxta communem significationem verborum non solent comprehendi sub intentione vouentium absolutè religionem, sed tantum in ordines, in quibus strictius viuitur. Sed hoc mihi non probatur, nam vt omittam aliqua esse monasteria canonicorum regularium, in quibus religiosa disciplina satis stricte obseruatur; & inter militares aliquos esse vere monachos, de quibus dubitari non potest, quin eorum status sufficiat, ad huius voti obseruationem, adhuc generalius loquendo, existimo, hoc votum sufficienter impleri in huiusmodi statu clericorum ordinum militarium, quandiu aliquid non constiterit de expressa intentione vouentis. Ratio est, quia is, qui absolute & indefinite vouet religionem, non dirigit intentionem suam, nisi ad substantiam religionis, neque eam determinat ad particularem modum, vt dixi; in his autem statibus integre ac perfecte saluatur substantia religionis, quæ in tribus votis consistit. Præterea huiusmodi clerici in communi viuunt, & disciplinam religiosam obseruant. Vnde falsum est, sub nomine religionis, vel religiosi absolute dicti, hunc statum non comprehendi, etiam secundum communem loquendi modum.

14. *Primum dubium. An votum religionis in genere impleatur in quacunque religione, etiam in militaribus. Qui absolute vouit, non implet votum ingrediendi aliquam ex militaribus.*

*Implet votum ingrediendo ordinem clericorum ordinum militarium.*

Maior dubitatio esse potest de militibus sancti Ioannis, qui vota solennia emittunt, & matrimonio copulari non possunt. Tamen, quia in modo viuendi, & exterioribus actionibus, seu exercitiis magnam habent affinitatem cum statu seculari, non videntur in vulgari sermone religiosorum nomine comprehendi; & ideo magis dubitari potest de intentione vouentis religionem, an hunc statum comprehendere voluerit. Nihilominus tamen si vouens non sit moraliter certus quod intentione sua excluserit hunc religiosæ vitæ modum, magis quam alios, non damnarem illum, qui in eo statu velit tale votum implere, nam reuera est simpliciter status perfectionis, ac religionis; & si debite seruetur, prout

15. *Non impletur tale votum, si fiat ex militibus sancti Ioannis.*

*Si quis tamen voluerit in illa votum implere non est damnandus.*

potest, non minus difficilis est, quam multi alii, in quibus sine controuersia sufficienter impletur tale votum; & ideo hanc partem tuentur Arag. 2.2. quæst. 88. art. 11. Azor tom. 1. lib. 13. inst. Moral. cap. 4. quæst. 4. Et Sayro tom. 1. Thesaur. lib. 6. cap. 7. num. 10. Quia tamen hoc pendet ex intentione vouentis, hæc est præcipue consulenda, & omnibus modis ex verbis, fine, & circunstantiis quoad fieri possit, coniectandum: & quando probabiliter constiterit intentionem vouentis positam fuisse in perfectiori gradu religionis, tunc certum est in inferiori non sufficienter impleri, per se loquendo, & secluſa legitima commutatione, de qua supra in generali doctrina de commutatione votorum diximus. Vbi etiam declarauimus qua ratione cesset obligatio voti de strictiori religione per professionem in laxiori, etiamsi hæc non fiant sine transgressione prioris voti.

16. *Secundum dubium. Ad quid teneatur, qui hoc votum habet, si post factam diligentiam in nulla religione recipiatur.*

Secundum dubium erat, ad quid teneatur, qui hoc votum habet, si in nulla religione recipiatur. Quod dubium solum habet locum post factam sufficientem diligentiam; hæc autem diligentia cum proportione ad ea, quæ in superiori puncto diximus, facienda est: nam quod ibi de diuersis monasteriis quasi numero distinctis dictum est, hic applicandum est ad religiones specie diuersas, in quibus propter earum dissimilitudinem non tam facile fieri potest coniectura supra tradita, quod qui in vna non admittitur, etiam repelletur in alia; & ideo regulariter necessarium erit plures tentare religiones, vt tandem repulsa iudicetur vniuersalis. De quo plura dicere non est necesse, quia res est magis pertinens ad prudentiam, quam ad doctrinam. Supposita ergo vniuersali repulsa, dixerunt aliqui teneri nihilominus eum, qui tale votum religionis emisit, ad assumendum religiosum statum eo modo, quo possit, scilicet vouendo paupertatem, castitatem, & obedientiam in manu sui Episcopi. ita tenuit Hostiens. in cap. *porrectum*. num. 14. de Regularib. Et Innoc. ibidem, & alii Iuristæ, quia qui non potest in totum implere votum, debet seruare in quantum potest. Item quia ille status religiosus est, cum in eo emittantur tria vota substantialia religionis.

*Opinio aliquorum est teneri ad vouendam paupertatem, castitatem, & obedientiam in manibus sui Episcopi.*

17. *Reiicitur predicta opinio.*

Hæc vero opinio fortasse haberet locum prætritis temporibus, quando ad statum religiosum non requirebatur specialis approbatio Pontificis, quia tunc professio facta in manibus Episcopi, & ab eo recepta & probata, reuera constituebat verum religiosum; & ideo comprehendi poterat ille status sub absoluto voto religionis. Quanuis in hoc etiam obseruare tunc oportebut intentionem vouentis: nam si hæc fuit de assumendo statu religioso in vita communi sub aliqua communi regula, non tenetur quis ex vi talis voti assumere quasi priuatum illum statum religiosum, quia non fuit comprehensus sub intentione vouentis; sicut enim qui vouet vnam domum, vel vnam religionem in particulari, si ibi non recipitur, non obligatur ad alias; ita qui vouet statum religiosum in communi vita, non tenetur illum assumere in priuata domo: vel sicut etiam vouens vitam cœnobiticam, si ad eam non admittitur, non tenetur vitam solitariam profiteri.

18.

Ex quo euidentius concluditur secundum præsentem Ecclesiæ statum ex voto religionis non oriri illam obligationem, quam Hostiensis, & Innocentius existimauit, vt recte docuit Caiet. 2. 2. quæst. 184. art. 3. & sumitur ex Panormitano dict. c. *porrectum*. num. 12. quatenus dicit, per tria vota emissa in manibus Episcopi constitui aliquem vere ac simpliciter religiosum, & in materia stricta religiosorum nomine non comprehendi sic vouentem in manu Episcopi, quæ quidem vera esse constat ex supra dictis de statu religioso, & ex his concluditur intentum. Nam per votum religionis solum promittitur verus status religiosus; quod patet tum ex vi verborum, tum ex intentione vouentium. Sed illa emissio trium votorum in manu Episcopi non constituit verum religiosum: ergo ex vi talis voti non relinquitur obligatio ad illum actum: & ita patet responsio ad secundum fundamentum contrariæ sententiæ. Primum autem iam supra in simili solutum est: illud enim axioma, qui non potest totum votum seruare, debet implere quod potest, solum habet locum quando id, quod à vouente fieri potest, per se comprehensum fuit sub materia voti; quod in præsenti verum non est, vt supra explicuimus.

Hinc autem obiter notari potest, si contingat habentem tale votum in nulla religione recipi, nec etiam in Societate admitti ad gradum professorum, admitti vero in hac religione ad gradum coadiutorum, vel in ordine ad illum teneri ad implendum ibi votum suum; quia licet vota, quæ in eo gradu emittuntur, tantum simplicia sint, sunt tamen per Ecclesiam approbata, vt substantialia religionis, verumque ac proprium religiosum constituunt: & ideo ingressus in talem religionem in ordine ad illum gradum sub materia illius voti comprehenditur. Et confirmatur, nam ad hanc rationem sufficienter impletur hoc votum religionis in Societate in quocunque gradu eius, vt à Pontificibus etiam in suis Bullis declaratum est, & infra videbimus: ergo & è contrario quando alibi, vel in alio gradu locus non conceditur, tenetur quis in hoc gradu implere votum suum, si ille conceditur, quia votum semper obligat dum moraliter impleri potest.

19. *Votum religionis impletur in Societate, in quocunque gradu eius.*

Vltimo infertur ex dictis, quoties aliquis in casu proposito (& idem est cum proportione in superiori) redditur impotens ad implendum votum, quia omnino non admittitur, tunc liberum manere, vt de suo statu disponere possit, perinde ac si votum non emisisset. ita docet Caiet. d. quæst. 189. art. 3. & quæst. 88. art. 3. dub. 1. circa solutionem ad 2. Sot. ibidem lib. 7. de Iust. quæst. 1. art. 3. Syluest. *religio* 2. quæst. 17. Nauar. cap. 12. num. 48. Cordub. in Summa quæst. 136. Anglez difficult. 9. de Voto, Azor. lib. 11. inst. Moral. cap. 22. q. 3. Sanchez in Decal. lib. 4. de Voto cap. 16. n. 111. & alii communiter, & sequitur manifeste ex dictis in superiori, quia in eo casu ille non tenetur ad castitatem seruandam, nec etiam tenetur ad paupertatem, vel alia onera religionis, quia illa non vouit extra religionem, nec etiam tenetur manere suspensus & expectans, si forte recipiatur, quæ omnia in superioribus ostensa sunt: ergo nihil cogitari potest, ad quod maneat obligatus.

20. *Si in nulla religione recipiatur, manet omnino liber à voto.*

Solum potest inquiri, si forte repulsus sit propter causam, vel defectum, qui adhibita diligentia, & industria ab ipso vouente tolli possit, an ad hoc maneat obligatus. Vt v. g. si non admittatur propter defectum Grammaticæ, an teneatur illam discere, & sic de aliis. Ad quod breuiter dicendum est, quando impedimentum tale est, vt sine graui onere, ac difficultate remoueri possit, tunc sine dubio obligari vouentem ad se reddendum habilem, vt sic dicam, vt in religione recipi possit: nam is qui ad aliquid obligatur, consequenter obligatur ad media moraliter necessaria, præsertim quando extraordinaria non sunt, nec nimium ardua, aut difficilia, sed in præsenti hoc medium est huiusmodi in ordine ad votum implendum, & per illud obseruatio voti est moraliter & facile possibilis: ergo obligatus

21. *Dubium in hac materia. Si non recipiatur propter aliquod impedimentum, quod est in sua potestate auferre, si tale est, vt facile, ac sine grauiore onere removeri possit, tenetur removere.*

gatur ad illud exhibendum ex vi voti. At verò si res sit extraordinaria, aut nimis grauis, vel simpliciter, vel respectu vouentis (qualis reputari solet in homine grandioris ætatis Grammaticæ disciplina) tunc consulenda est dispositio & intentio vouentis. Nam si constet illum non intendisse se obligare cum tanto onere, non erit cogendus se illo modo ad religionem præparare. Ac proinde si quando voluit ignorabat illud esse impedimentum, cogitabatque se posse recipi sine tali scientia, vel arte, est signum sufficiens, noluisse se obligare cum illo onere; at verò si sciebat dispositionem illam esse necessariam, & nihilominus, dum illa careret, religionem vouit, tenebitur vel illo modo se disponere vt recipiatur, vel esse contentus inferiori gradu religionis, in eo absque tali dispositione recipiatur. quod docuit Soto lib. 7 de Iustitia quæst. 2. art. 1. argum. 3. Ratio autem est, quia qui non obstante illa cognitione, absolute vouit religionem, virtualiter intendit se obligare ad media, quæ vouit esse necessaria ad illum finem assequendum. Dixi autem, *Nisi velit inferiori gradu religionis esse contentus.* Quia si absque cognitione linguæ Latinæ recipiatur in gradu Laicorum, qui etiam veri religiosi sunt, satisfaciet suo voto illum gradum acceptando, quia licet à principio illud non intenderit, nec promiserit coram Deo, æquialet, & propter maiorem humilitatem maioremque mundi contemptum in accidentalibus excedit, cùm alioqui in substantia religionis æqualis sit.

11. Ex quo etiam facile expeditur interrogatio alia quam Soto dicto loco proponit, an is qui vouit religionem, & in ea non recipitur ad gradum sacerdotum propter defectum scientiæ, vel aliam ineptitudinem ad illum gradum, teneatur ingredi pro gradu laicorum, vt ad illum admittatur. Respondendum est enim, hoc pendere ex intentione vouentis, nam si indefinitè vouit religionem, & nec formaliter, nec virtualiter applicuit intentionem suam ad gradum sacerdotum, tenetur acceptare alium gradum, quia tenetur implere votum prout potest, potest autem illo modo, qui comprehensus fuit sub tali voto, vel utisub disiunctione, vt in superioribus in simili explicatum est. Si autem intentio vouentis solùm fuit assumere religiosum statum in gradu sacerdotum, seu in ordine ad illum, & ad eum non admittatur, non tenetur absolute ingredi pro inferiori gradu, quia vt sæpe dixi, non amplius obligatur quàm intenderit. Et ideo dixi absolute non obligari, quia ex suppositione & per modum voluntariæ commutationis obligari poterit ad excusandam aliam obligationem, vel diligentiam faciendam pro alio gradu obtinendo, vt in casu proxime præcedenti dictum est nunc enim non iam ex vi solius voti præcedentis, sed ex vi nouæ voluntatis obligatur. Quocirca si quis sponte sua nolit facere talem commutationem, & moralem ac sufficientem diligentiam adhibeat, vt pro gradu sacerdotum aptus reddatur, addiscendo Grammaticam, vel quid simile, & id assequi non possit, non propterea obligandus est ad acceptandum gradum laicorum, quia iam per illum non stat quominus adimpleat votum prout à principio emissum fuit, & ideo non cogitur in alio gradu non intento votum implere. Sicut si vouisset ingredi in particulari aliquam religionem, in qua vel certa conditio originis, vel maior eruditio, aut saltem maior aptitudo ad illam postulatur, & ob illius defectum in tali religione non admittitur, non tenetur aliam ingredi, etiamsi admittatur, quia illam nō vouit, nec se obligauit; secundùm moralem autem æstimationem, non minùs diuersum ac difficile est intra eandem religionem, vel gradum laicorum, aut sacerdotum acceptare, quam vnam religionem in aliam commutare.

Quidam verò hoc limitant, vt solùm procedat quando vouens à principio ignorabat suam impotentiam, vel incapacitatem ad talem gradum, quia si illam sciebat, & nihilominus vouit, obligandus est ad ingrediendum in gradu laicorum in fauorem voti, ne sciens & prudens frustrà illud emisisse videatur. Item, quia cùm iam sciret illum gradum sibi esse moraliter impossibilem, virtualiter voluit se obligare ad gradum possibilem. Veruntamen cùm hîc tractemus de obligatione in conscientia, non est præsumptionibus vtendum, & ideo nisi aliàs sufficienter constet de intentione vouentis, non est obligandus; fieri enim potest (quod magis præsumendum est) vt licet suam incapacitatem agnouerit, sperauerit illam vincere, vel magnis laboribus, vel importunis precibus, vel aliis mediis. Meritò ergo tunc poterit obligari ad maiorem diligentiam adhibendam, non tamen ad gradum laicorum acceptandum, si illum omnino non intendit. Hæc autem intentio cognosci potest, vel ex voluntate expressa & formali, vel ex qualitate, & statu personæ vouentis, considerato simul communi vsu personarum talis conditionis circa religiosum statum assumendum: nam ex his circumstantiis sufficienter determinatur intentio vouentis, & sensus verborum, etiamsi in promissione ipsa non addatur expressa determinatio. 23.

Ex quibus tandem constat quid dicendum sit de eo qui vouit religionem ingredi in gradu laicorum, & non admittitur nisi addiscat hoc vel illud officium, in quo possit religioni deseruire. Ad quod Soto cum limitatione respondet, si officium sit difficile ad addiscendum, vel laboriosum, non teneri: quod sine dubio verum est, quando vouens de tali medio seu officio non cogitauit, quia nullo modo intendit se ad id obligare. Nam si priùs intellexisset, ac præuidisset religionem postulaturam ab ipso talem conditionem, & nihilominus vouisset; obligandus esset, quia saltem virtualiter id vouisse, & intendisse videtur. Vnde in prædicta limitatione continuat Soto, si officium sit facile, obligari vouentem ad eam diligentiam præstandam iuxta religionis placitum. Quod ego verum existimarem, quando talis persona ignorans tale officium inutilis esset religioni in muneribus laicorum, quia tunc rationabiliter ab eo postulatur illa dispositio, & vouens per se tenetur adhibere media facilia, & moraliter necessaria ad votum suum implendum. At verò si ipse aliàs absque tali officio est satis idoneus, vt in aliis muneribus laicorum possit sufficienter religioni inseruire, & si aliquid vltrà necessariū est, facile potest intra religionem addiscere; non potest cogi, aut obligari, vt priusquam in religione recipiatur, vacet tali officio addiscendo, etiamsi id facile præstare possit, quia illa non est dispositio necessaria, nec medium per se ordinatum, nec simpliciter, nec in tali persona, & ideo ex vi voti non obligatur ad illud præstandum. 24.

*Vouens religionem in gradu laicorum, si non vult priùs addiscat hoc vel illud officium, tenetur addiscere, quando aliàs esset inutilis sine illo, non erat si tale officium nō est simpliciter necessarium.*

## Caput III.

### *An & quomodo religionis votum obliget ad perseuerandum in religione, professionem in ea emittendo.*

1. Dupliciter fieri potest hoc religionis votum. Primò absolutè & simpliciter, per hæc aut similia verba, *Voueo ingredi religionem*, vel *talem religionem*, vel *religiosum*, vel indefinitè, vt *hic*, vel *ibi*. Secundò potest fieri hoc votum cum expressione perseuerantiæ, scilicet, *Voueo ingredi & perseuerare in*

*Hoc votum potest fieri dupliciter.*

*religione*, vel *in tali religione*, seu *in ea profiteri*. Distinctio est D. Thomæ 2. 2. quæst. 189. artic. 4. vbi tertium membrum addit, scilicet, quãdo quis vouet ingredi religionem expresse, intendens se obligare ad ingrediendũ cum libertate perseuerandi, vel retrocedẽdi. Sed, vt constat ex doctrina eius, eadem est ratio de hoc, & de illo priori, & absoluto modo vouendi religionem, & ideo illos distinguimus, quia quod in vno formaliter exprimitur, in alio virtute continetur. Quocirca quando votum fit priori modo, certum in primis est post susceptum religionis habitum non teneri quempiam ratione talis voti absolute & simpliciter ad perseuerandum, vel profitendum: nam si intra probationis annum rationabiliter, & ex sufficienti causa iudicet sibi non expedire illum statum, libere, & absque violatione voti potest illum relinquere. ita docent omnes Doctores. Ratio autem est, quia iure communi concessus est hic annus probationis in fauorem non solùm religionis, sed etiam ingredientis religionem, vt post sufficiens experimẽtum possit libere eligere, quod sibi magis expedire iudicauerit. Per illud autem votum non censetur quis renuntiare huic fauori (siue aliàs possit, siue non, quod infrà videbimus) sed potiùs censetur quis ingredi religionem iuxta commune & ordinarium ius, vt docet D. Thom. suprà, Dec. in cap. *in præsentia*, de Probationibus. num. 55. Henr. in cap *statuimus*, de Regularibus col. 5. Archid. in cap. *Scimus*, 12. quæst. 1. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 4 §. 4. & alii Doctores infrà referendi: ergo per tale votum non se obligat quis simpliciter ad perseuerandũ, sed ad summũ sub ea conditione, nisi post sufficientem experientiam, aliud sibi iudicauerit expedire: ergo non impleta conditione, non tenetur perseuerare.

*Assertio prima. Vouens religionem absolutè, non tenetur ad perseuerandum, si intra annum probationis ex causa iustè orti, iudicet sibi non expedire illum statum. Probatur.*

Atque hinc secundò certum est, si post sufficientem probationem iudicet illum statum sibi esse conuenientem, teneri ex vi voti ad perseuerandum & profitendum, ac proinde si religionem deserat, trãsgressorem esse voti, & teneri iterum ingredi ac profiteri. Quæ assertio communis etiam est, & probatur primò, quia votum religionis per se non fit propter solum habitum nouitiorum suscipiendum, sed primariò fit propter ipsum statum religionis: ergo per se obligat ad illum statum profitendum, & retinendum: ergo cùm non obligat omnino absolute, vt dictum est, obligat saltem sub ea conditione, si post sufficientem probationem talis status conueniens iudicetur: ergo impleta hac conditione, votum violat qui religionem deserit. Secundò, quia aliàs sufficienter impleret votum qui susciperet religionis habitum animo non profitendi quidquid in religione expediretur. Consequens est contra omnes, & plane absurdum, quia ille modus ingrediendi religionem imprudentissimus est, & contra finem & institutionem talis ingressus: vnde ferè inutile esset votum; quod tantùm ad illum modum ingrediendi religionem obligaret. Imò Palud. 4. d. 38. quæst. 4. & Sot. lib. 7. quæst. 2. art. 1. ad 3. tale votum esse vanum, scilicet ingrediendi religionem animo exeundi. Nihilominus non nego posse excogitari casum in quo aliquis non habens voluntatem, nec propositum profitendi religionem, velit se obligare ad profitendum habitum illius, etiam ex honesto, & religioso motiuo, videlicet si fortè Deus eo tempore, & aliorum conuersatione & exemplis eum excitet, & inducat ad professionem. Quo casu votum sic factum obligaret ad ingressum, & non ad professionem, vllo modo. Nisi Deus efficaciter illum moueat, & immutet propositum eius: & in hoc casu, & non aliàs intelligo verum esse quod Sylu. *Religio* 2. q. 19. ex Richar. dicit satisfacere aliquem voto suo si intret sine proposito permanendi; cum desidetio autem faciendi quod potuerit, vt Deus immutet propositum suum. Hoc enim subit locum quando intentio voti à principio talis fuit.

*2. Assertio secunda. Si iudicet talem statum esse conuenientem, tenetur ex vi voti ad profitendum, & si exeat, tenetur iterum ingredi, & profiteri. Probatur Primò Secundò.*

*Potest dari votum ingrediendi, sine animo profitendi.*

Dico autem hoc non esse propriè votum religionis de quo agimus, & quod regulariter ab omnibus fit, neque ita esse interpretandum, nisi de tali intentione vouentis expressa ac formali constet, ideoque de voto religionis absolute loquendo, certum est obligare ad professionem saltem cum supradicta conditione. Quod ex Cajet. ita declaratur; nam qui vouet ingredi religionem, per se loquendo, intendit ingredi, vt probet, an sibi expediat profiteri, nec-ne. ergo intendit obligari ad probationem vt sic, sed de ratione probationis consideratæ secundùm rectam rationem est, vt res assumatur, si inueniatur expediens, & relinquatur, si minus congrua reperiatur: ergo qui se obligat ad religionis probationem, plane intendit se obligare ad probandum bona fide, id est, animo perseuerandi si rem gratam inuenerit, alioqui non est probatio, sed fictio: ergo qui se vouet, sine dubio intendit se obligare ad perseuerandum illa conditione impleta: hanc ergo cõditionem ad minimum continet religionis votum absolute, & simpliciter factum. Atque hæc doctrina sumitur ex D. Thom. dict. quæst. 189. art. 4. & in ea conueniunt Cajet. ibi & Opusc. 17. responsionum respons. 7. Sot. 7. de Iustit. quæst. 2. art. 1. ad 3. Sylues. *religio* 2. quæst. 19. *Votum* 4. quæst. 3. punct. 6. Nauarr. cap. *docet*, num. 47. Couar. in cap. *quamuis pactum* 1. p. §. 3. num. 12. Tolet. lib. 4. summ. cap. 17. num. 12.

*3. Votum animo non profitendi factum, nõ est propriè religionis. Votum religionis obligat ad professionem, absolutè loquendo. Probatur.*

Circa hanc verò partem nonnulla supersunt declaranda. Primum est, quale debeat esse iudicium, quod expediat, vel non expediat permanere in religione post sufficiens experimentum eius, vt non obstante voto liceat, vel non liceat illam deserere. Et est ratio dubitandi: nam vel illud verbum *expedire*, significat esse melius, vel vtilius tali personæ in ordine ad bonum animæ eius: vel significat non esse nimis onerosum, vel difficile pondus talis religionis sustinere. Si primum dicatur, vix poterit deseri vnquam religio sine violatione voti; quia rarò contingit personam adeò esse ineptam ad religionis mores ita esse improportionatos conditioni personæ, vt prudenter iudicetur melius esse tali personæ & vtilius ad bonum animæ eius religionem deserere, quam in ea perseuerare. Hic autem agimus de iudicio practice vero, & prudentiali: nam si sufficeret quodlibet iudicium temerè, & sine sufficienti fundamento formatum, nullius momenti esset obligatio voti. Si autem altera pars eligatur, videtur repugnare intentioni voti, nam finis illius est necessitatem homini imponere, vt in via perfectionis perseueret, vincendo difficultates eius: ergo non satis est religionem verè iudicari onerosam, ac difficilem, vt absque voti violatione possit derelinqui. Confirmatur, quia aliàs æqualiter possent deserere religionis habitum nouitius habens votum religionis, ac non habens, quia in vtroque requiritur saltem illud iudicium.

4. *Primum iudicium in hac materia. Quale debeat esse iudicium, quod expediat, vel non expediat permanere in religione post sufficiens experimentum; & qua causa ad hoc sufficiant.*

Respondeo non esse facile certam aliquam regulam in hoc describere, & ideo fortasse auctores nihil in particulari de hoc dicunt. Verosimilius autem est non esse necessarium definitum iudicium, quod ad bonum animæ expediat, vel melius, aut æquè bonum sit non perseuerare in tali religione, quia nimis rigorosum & scrupulosum est tantam obligationem imponere, maxime cùm non possit sufficienti ratione, vel auctoritate conuinci. Deinde, quia tale votum intelligitur factum integrè, retento fauore iuris circa probationem religionis; iuxta commune autem ius potest nouitius nolle cum legitima causa profi-

5. *Resolutio dubii positi.*

profiteri non solùm eo casu, sed etiam propter alias causas, vt statim explicabimus: ergo etiamsi votum habeat, non est ad illum casum coarctandus. Satis ergo erit si timeat periculum alicuius grauioris mali, & detrimenti spiritualis, vel de illo probabiliter dubiter, propter graues tentationes quas experitur, vel quia non speret se posse cum gaudio & tranquillitate animi in eo statu Deo deseruire. Imò licet ad hoc dubium non perueniat, si credat onera religionis ita superare suas vires, vt vel non possit illa sine multis dispensationibus sustinere: vel certe, si omnibus illis se velit exponere, non sine tristitia & perturbatione animi se esse victurum, vel denique si expertus sit labores, & difficultates esse longe maiores, quàm cogitarat, sibique proposuerat. Nam in his casibus, vel similibus (si æquiualentes cogitentur) non credo obligari ex tali voto ad perseuerandum. Ratio autem omnium est, tum quia lex Ecclesiastica concedens libertatem intra annum probationis, omnes hos casus meritò comprehendit: tum etiam, quia intentio vouentis non videtur esse obligare se ad religionem, nisi possit cum alacritate animi, & cum sufficientibus viribus illius pondus integrè sustinere, & ideo si probabiliter iudicat hanc cõditionem non impleri; non obligabitur ex tali voto ad perseuerandum. quæ doctrina consentanea est auctoribus suprà citatis.

6. Nec contra illam vrgent rationes dubitandi posteriori loco factæ, nam licet votum religionis ad hunc finem ordinetur, vt homo in proposito religionis confirmetur, & aliquo modo ad perseuerandum cogatur, vel obligetur, non tamen absolutè, neque sub illa conditione adeò stricta & rigorosa, sed sub alia magis accommodata humana fragilitati, qualis à iure intenditur, & à nobis explicata est; & illa sufficit ad constituendam aliquam differentiam inter nouitium habentem votum, & non habentem. Nam qui votum non habet, neque illam conditionem expectare tenetur, sed pro libertate sua potest intra probationis annum religionem relinquere, etiamsi optimam, sibique accommodatam, & facilem illam inuenerit, quia nondum est aliquo vinculo astrictus. Non desunt tamen qui dicant, etiam in eo casu peccare venialiter nouitium non habentem votum, si religionem relinquat, sine rationabili causa, ita Philarchius tom.1.part.2.lib.3. cap.20.ad finem. Anglez difficul.7. de Voto Sanchez libr.4.de Voto.capit.16.numer.92. sequentes in hac parte Caietanum, vbi suprà, qui idem aperte affirmat; addit tamen, (& in hoc differentiam constituit) eum, qui non habet votum, si exeat sine rationabili causa, peccare tantùm venialiter, alium verò peccare mortaliter. Rationem verò illius peccati in hoc ponit, quia eo ipso quòd quis suscipit habitum religionis, quoddam pactum tacitum inter ipsum & religionem intercedit, vt si aptus inuentus fuerit post probationem, ad professionem admittatur, ideoque non posset à religione non admitti, aut expelli gratis, & sine rationabili causa: ergo vt pactum æquale sit ex vtraque parte, etiam nouitius non potest relinquere habitum religionis sine causa rationabili. Quæ ratio apparens quidem est, tamen si est efficax, non videtur tantùm concludere culpam venialem, sed etiam mortalem, quia non esset tantùm violatio fidelitatis, sed etiam iustitiæ, nam pactum cum mutua obligatione & onere ex iustitia obligat. Item, quia ex parte religionis, seu religiosorum expellere nouitium idoneum sine causa rationabili, & contra voluntatem eius, videtur esse peccatum mortale; ergo etiam ex parte nouitii simile peccatum interueniet, si sine causa religionem deserat. Quòd si hoc concedatur, differentia alia constituenda erit, nam tunc nouitius, qui habet votum præter hoc peccatum, committit etiam sacrilegium contra votum.

7. *Nouitius non habens votum religionis, potest illam deserere absque rationabili causa sine illo peccato.*

Non videtur tamen mihi necessarium hoc pactum admittere, quod neque ex expressa partium voluntate, ac conditione satis ostendi potest, neque etiam ex iure habetur. Quapropter, per se loquendo, nullum inuenio peccatum in hoc exitu mere voluntario, secluso voto, quia nullam inuenio virtutem, aut legem, quæ per illum directè ac per se violetur. Neque est simile ex parte religionis, existimo enim ministros eius grauiter peccare expellendo nouitium idoneum sine causa rationabili, vel quia abutuntur potestate iurisdictionis sibi concessæ, ratione cuius ex officio tenentur, & bonum religionis procurare, & quasi iustum iudicium ferre in ea causa, vel quasi iustam dispensationem exercere. Videntur etiam mihi peccare contra charitatem respectu nouitii, quia priuant illum magno bono, & grandi periculo exponunt. Quæ rationes non habent locum in ipso nouitio, quia disponere potest de seipso, non vt minister aut dispensator, sed vt dominus, potest cedere iuri suo. Respectu verò religionis non peccat contra charitatem, quia inde non resultat nocumentum alicuius momenti ipsi religioni, nec etiam contra iustitiam, aut fidelitatem, quia nihil promisit. Neque oportet obligationem esse mutuam, quando solùm est ex charitate, vel iustitia legali, aut alia simili. Dixi autem, per se, quia ex intentione operantis poterit facilè voluntas illa deserẽdi inchoatũ statũ esse peccaminosa, si fiat propter malum finem, in quo & venialis & mortalis culpa esse potest pro ratione finis, & forte regulariter non deest aliqua culpa, saltem venialis; quòd tamen non sit simpliciter necessaria patet, quia ille egressus non est ex obiecto ita prauus, quin possit fieri cum intentione honestè viuendi, quamuis sine obligatione ad tantam perfectionem.

*Non ita dicẽdũ de ministris religionis expellentibus.*

8. *Limitant aliqui tradictam doctrinam, dummodo non sit ingressus religionẽ cum proposito perseuerãdi illa: sed non bene.*

Aliqui verò existimant hoc esse limitandum, vt non procedat, quando aliquis ingressus est religionem cum proposito perpetuò perseuerandi in illa. quod sentiunt Panormit. in cap. *statuimus*, de Regularibus & tunc aiunt si egrediatur, teneri ad ingrediendum iterum religionem saltem laxiorem, vt patet ex Panormit. in cap. *consuluisti*, de Regular. num.3. Et sequitur Palud. d.38.quæst.4.art.1.& fauent leges Hispaniæ partita 1. tit.7 l.7.& 8. Sed hæc sententia si propriè intelligatur de nudo proposito, falsa est, & destruens generalem doctrinam moralem, quia ferè nullus ingreditur religionem, nisi cum illo proposito; vnde etiam repugnat prædictis decretis. Videntur autem dicti auctores per propositum intellexisse intentionem faciendi tacitam professionem, vt in 1. disput. de Voto adnotauimus, de qua professione plura in sequentibus.

9. *Instantia soluitur.*

Dices, idem fore dicendum de illo, qui habet votum, si consequenter loquamur. Diximus enim fauorem à iure concessum circa libertatem professionis infra annum probationis, integrum manere, non obstante dicto voto: ergo si stante voto hæc libertas tanta est, vt possit quis licite habitum religionis exuere sine rationabili causa, tam ex parte religionis, quàm ex parte sui, licet non sine honesto fine, (hæc enim duo valde diuersa sunt) eadem libertas manebit etiam post votum emissum.

Respondetur negando consequentiam, quia illa libertas deserendi religionem sine rationabili causa, non pertinet ad fauorem iuris communis, sed quid consequens potiùs permissum, quàm intentum. Vnde tria sunt in hoc iure distinguenda. Primum est id quod immediate statuit, ac concedit, & hoc solum est, vt professio fieri possit ante annum probationis expletum. Secundum est ti-

est finis per se intentus, qui est vt vel professio fiat cum sufficienti cognitione, & libertate, vel vt non fiat, si ex causa rationabili ita oportuerit, & hoc per se pertinet ad fauorem intentum, & concessum per hanc legem. Tertium est (quod inde consequitur) hunc nouitium pro sua libertate posse toto illo anno religionem dimittere, sine alia causa rationabili; & hoc non est per se intentum per illam legem, sed permissum, quia vitari non potuit suppositâ suspensione seu prohibitione professionis pro illo anno. Vnde quoad hanc partem nihil concedit, sed relinquit hominem in ea dispositione, & libertate, in qua ante erat, & ideò si homo aliunde nullam habebat obligationem, liber manet: si autem homo iam voto se obligauerat ad perseuerandum in religione non interuenienti causa rationabili ad deferendam illam, lex non abstulit talem obligationem, sed facultatem ita se obligandi, cùm per se non intendat concedere, aut tueri illam libertatem, quatenus detrimentum potius, quàm fructum afferre potest, sed permitti illam, quia non potuit ab altera separari.

10. *Difficultas superest, an voto religionis obligatus, qui ex rationabili causa intra annũ probationis, illam deserit, liber omnino maneat ab obligatione voti.*

Tandem inquiri potest circa hoc punctum, an is qui ex rationabili causa dimittit religionis habitum intra annum probationis, liber omnino maneat ab obligatione voti. Respondeo, iuxta distinctionem datam cap. præcedenti, si votum fuit de vno monasterio, seu loco determinato, omnino extinctam manere obligationem voti, quia iam fuit sufficienter impletum, cùm pro illo loco sufficiens experimentum factum sit. Idemque in voto de aliqua religione in specie, si causa rationabilis ad non perseuerandum oritur ex his conditionibus, vel oneribus, quæ soli religioni communia sunt, quia tunc probatio illius loci est virtualis probatio totius religionis. At verò si illa causa solùm nascatur ex propriis ac particularibus conditionibus talis loci, vt si respectu talis personæ sit incommodus saluti eius, vel quid simile, tunc res videtur magis dubia, nam tunc illa non videtur sufficiens probatio pro tota religione, & consequenter, nec causa rationabilis ad totam illam deserendam, sed solùm in tali loco. Tenebitur ergo vel procurare prius loci mutationem, quàm habitum deserat, vel si hoc non permittit consuetudo religionis, aut ex rationabili causa non conceditur, tenetur iterum ingredi ad probandum in alio loco, vbi cessent illa particularia incommoda. Atque hæc ratio cum proportione applicari potest ad votum religionis in genere: nam licet quis habeat iustam causam non perseuerandi in tali religione propter specialem rigorem, vel modum procedendi eius, non ideo habet rationabilem causam dimittendi absolute religiosum statum, nam in alio fortasse posset facile perseuerare: ergo cùm se obligauerit ad religionem in genere, adhuc tenetur amplius probare in alia religione, nisi rationabilis causa oriatur ex generali difficultate status religiosi, vt sic.

11. *Resolutio difficultatis. Vouens religionem si ex causa rationabili egrediatur, vel si eiciatur, dũmodo dicto nec indicto eiectionem nõ procurauerit: manet*

Nihilominus non censeo, hoc onus esse imponendum vouentibus, nisi vbi aliàs constiterit, hanc fuisse satis claram, & expressam intentionem vouentis: clarum est enim posse illum se obligare, si velit, ad probandum sæpius in pluribus locis, vel religionibus. At verò quoties votum simpliciter & ordinario modo fit, non videtur ita explicanda intentio vouentis, quia solùm vouet ingredi religionem: ergo tantùm vouet semel ingredi, nam qui indefinite promittit aliquid facere, vt ieiunare, aut eleemosynam dare, ex vi solum obligatur ad id semel faciendum, quia ad veritatem indefinitam sufficit vna particularis: ergo qui semel ingressus est religionem, & bona conscientia non perseuerauit, sufficienter impleuit votum illud: ergo extincta manet eius obligatio. Accedit quòd esset grauissimum onus iterum ac sæpius loca vel religiones probare, & in eis semper de nouo nouitiatum inchoare, ac proinde cogi ad probandã religionem pluſquam per annum, quæ omnia videntur esse aliena ab intentione vouentium. Et hoc idem dicendum est si non ipse voluntarie egrediatur, sed à religione eiiciatur: nam est eadem proportionalis ratio, dummodo bona fide processerit, & directè, aut indirecte non procurauerit eiectionem, aliquid in eum finem faciendo, vt eiiciatur, nam tunc non tam eiicitur, quàm ipse sua voluntate egreditur sine rationabili causa: at verò si absque tali intentione sua ex fragilitate, aut praua consuetudine ita se gerat, vt eiici mereatur, nihilominus voto suo satisfeciſſe iudicandus est, quia iam fecit quod promisit, probando religionem. Et ita facilè respondetur ad priores rationes, nam illa probatio est sufficiens iuxta vouentis intentionem, & ideo causa rationabilis, quæ ex illa resultet, ad non perseuerandum in tali loco, vel religione, est etiam sufficiens ad extinguendam omnino voti obligationem.

*omnino liber à voto, nec tenetur in alia monasterio, vel religionibus ingredi.*

12. *Idem dicendũ quo quis promittit esse religiosum: nam votum religionis, & essendi religiosũ, sunt æquiualentia.*

Dices, Quamuis ratio facta rectè procedat in voto ingrediendi religionem, non tamen in voto quo quis promittit esse religiosum, quia religiosus proprie non constituitur per ingressum, sed per professionem; & ideò qui vouet esse religiosus plus videtur promittere, quàm ingressum religionis: ergo si per vnum ingressum nec potuit aliquis vt esset religiosus; nec satis expertus est illum statum sibi non expedire, tenetur adhuc illum procurare. Vnde Caiet. 2.2. quæst. 189. articulo quarto dubio primo, differentiam inuenit inter illa duo vota, & putat amplius obligare votum essendi religiosum, ille autem fundatur in perpetuitate, de qua statim. In præsenti autem mihi videntur illa vota æquiualentia, quia etiam votum ingrediendi religionem per se tendit ad statum, & aliquo modo ad illum obligat, vt dixi: & è contrario votum essendi licet magis explicet ipsum statum, tamen etiam intelligitur secundùm formam iuris communis, vt D. Thom. dixit; & ideo non excludit conditionem dictam, videlicet si post sufficientem probationem talem statum sibi iudicet conuenientem. Quare licet verba sint diuersa, res est eadem, & ideo non magis obligat vnum votum, quàm aliud. Atque hæc videtur etiam esse communis intentio vouentium.

## Caput IV.

### *Ad quid obliget votum profitendi, seu perseuerandi in religione.*

1. *Prima opinio affirmat obligare ad perseuerantiam. Probatur primò.*

Superest dicendum de alio vouendi modo, quo quis expresse & directe vouet profiteri in religione, seu perpetuò in ea manere. De quo certum est obligare ad omnia, ad quæ obligat votum simplex religionis. Difficultas verò est an amplius obliget, scilicet ad perseuerandum absolute, & sine conditione, hoc enim affirmare videtur D. Thom. dict. quæst. 189. artic. 4. & sequuntur Caiet. Couu. & Nauarr. citati in præcedenti puncto, Abul. num. 30. q. 95. ad primum. & quæst. 93. Antonin. 3. part. tit. 16. capite 2. Palac. in 4. dist. 38. disp. 1. post quartam concl. Philiarch. tom. 1. parte 2. lib. 3. ca. 20. & hoc tempore videtur hæc sententia communiter recipi à viris doctis, & probatur, quia votum obligat ad id de quo fit; sed hoc votum non est tantùm de ingressu, vel probatione religionis, sed expresse fit de perseuerando, vt supponitur: ergo ad hoc obligat. Confirmatur, nam si nouitius intra religionem iam existens faciat votum profitendi in illa, ad hoc obligatur, nam illud votum sanctum est, & validum; ergo aliquem

*Secundò.*

effectum

effectum habet; ergo maximè obligationem ad perseuerandum: ergo votum perseuerandi emissum ante ingressum eundem habet. Tertiò argumẽtatur Nauarr. à posteriori, quia difficilius dispensatur votum perseuerandi in religione, quàm absolutum votum religionis; vnde si quis habens votum perseuerandi peteret dispensationem, explicato solùm voto absoluto religionis, censeretur subreptitia dispensatio. Imò aliqui existimant solùm votum perseuerandi esse reseruatum, votum autem ingrediendi non esse reseruatum, quia non est absolute perpetuum: ergo signum est multo maiorem esse obligationem voti perseuerandi, quæ solùm potest in hoc consistere, quòd absolute obligat ad perseuerandũ. Quartò, quia vnusquisque potest iuri suo renuntiare, seu fauori sibi à iure concesso; quod in particulari de hoc fauore annuæ probationis asseritur in cap. *Statuimus*, & c. *consulti*, de Regular. sed qui vouet profiteri, & perpetuò perseuerare in religione, satis declarat se renuntiare iuri suo: ergo obligatur absolute, & sine dependentia ab anno probationis ad profitendum, & perseuerandum.

Secunda sententia est extremè contraria, quam tenet Soto lib. 7. de Iustit. quæst. 2. art. 1. ad 3. vbi nihil interesse putat inter votum perseuerandi in religione, & votum religionis, seu ingrediendi religionem absolute factum, nec plus obligare vnum quàm aliud. Eam sequitur Aragon. 2. 2. quæst. 88. art. 3. ad 2. solutionem. Ledesma tom. 2. tract. 10. ca. 3. dub. 7. ca. 4. Ratio eius est, quia qui absolute vouet religionem, eam vouit perseuerantiam in religione; sed quia non vouet illam nisi secundùm formam iuris, ideo non censetur illam absolute vouere, sed sub conditione à iure concessa: ergo pari ratione, quantumcunque expresse voueat profiteri, semper subintelligitur illa conditio, quia semper intelligitur quisque vouere secundùm formam iuris. Eademque ratio est de voto perseuerandi, quia non aliter perseuerat in religione, quàm profitendo, & ideo sub qua conditione intelligitur promissa professio, intelligitur etiam perseuerantia promissa. Idem optimè explicatur in casu illo, in quo quis vouet esse religiosus cum proprietate accipiendo religiosum, quem non habitus, sed professio constituit, vt dicunt iura; nam illi etiam voto optimè accommodatur suprà dicta conditio, & tamen religiosus vt sic includit perfectionem, & perpetuitatem status; ergo quòd perpetuitas, vel professio formaliter proferantur, non mutat naturam voti, nec excludit prædictam conditionem.

Accedit in confirmationem huius sententiæ, quia ex hoc fundamẽto (quod sine dubio valde probabile, & iuridicum apparet) facillimè dissoluuntur, vel potiùs per se cadunt fundamenta contrariæ sententiæ; ergo in materia onerosa, hæc pars, vtpote benignior, præferenda est; non est enim grauis obligatio imponenda sine aperto iure, vel conueniente ratione. Antecedens patet discutiendo per rationes singulas. Ad primam enim dicitur hoc votum licet in correcte verborum (vt sic dicam) videatur continere promissionem perseuerandi, re tamen vera tacitè & intimè includere conditionem, si iudicetur expediens post iuridicam probationem, quæ conditio non est gratis asserta, sed in iure fundata, & in communi etiam sensu, & intentione vouentium. Vnde ad secundam, seu ad confirmationem idem cum proportione dicimus de nouitio qui post ingressum vouit profiteri; nam semper intelligitur vouisse sub eadem conditione, si in eo tempore probationis quod superest, nulla rationabilis causa ad dimittendam religionem, de nouo innotescat. Itaque per illud votum solùm intelligitur nouitius se priuare illa libertate, quam antea habebat ad non perseuerandum, etiam sine causa. Vnde sumi potest confirmatio, nam votum illud sufficienter in hoc sensu explicatur, sufficientemque habet effectũ: ergo non oportet maiorem rigorem & obligationem imponere. Ad tertiam negatur assumptum, vnde suprà agentes de votis reseruatis ostendimus æque reseruatum esse votum religionis, siue absolute fiat, siue ingrediendi, siue perseuerandi in religione.

*Ad tertiam.*

Ad quartum verò argumentum consequenter negaret Soto sic vouentem renuntiare iuri suo. Hoc tamen maiori indiget declaratione, & examinatione, nam, vt opinor, hinc pendet punctum & resolutio quæstionis. Et primò videndum est an possit homo huic iuri renuntiare. & quidem ex natura rei secluso impedimento iuris positiui, non est dubium quin possit religionem ingrediturus huic iuri renuntiare, quantum ad ipsum spectat, quia est dominus suæ libertatis. Dico autem, *quantum ad ipsum spectat*, quia etiam hoc ius est introductum in fauorem religionis, & ideo quantumcunque quis voto renuntiet iuri suo, & se obliget ad profitendum independenter, vt sic dicam, à probatione, nihilominus religio potest illum dimittere, nisi etiam ipsa renuntiasset iuri suo, & se obligasset, quod etiam facere posset ex natura rei, secluso iure positiuo impediente. Deinde etiam est certum iure antiquo potuisse vnumquemque huic iuri renuntiare, vt manifestè probant dict. caput *Statuimus*, & caput *consulti*, de Regular. vbi pro ratione redditur, *Cùm quilibet renuntiare valeat ei, quod pro se uoscitur introductum.* Idem habetur in cap. *ad Apostolicam*, eod. tit. vbi admonentur prælati religionis, ne facile huiusmodi renuntiationem admittant, quod est obseruandum, nam deseruiet præsenti intentioni. Nunc autem dubitari potest, an potest, an post ius nouum Concilii Trid. possit valide quispiam renũtiare huic fauori: nam Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regular. absolute irritat professionem factam ante expletum annum probationis, nulla facta exceptione voluntariæ renuntiationis: vnde post illud decretum admittenda non est, vt latiùs infrà dicemus: ergo quoad hanc partem derogata sunt illa iura antiqua: ergo ratione huius noui iuris non potest quis renuntiare huic fauori à iure sibi concesso, quantumcunq; voueat perseuerare in religione. Nihilominus hæc vltima illatio solida non est, aliud est enim prohibitam esse hanc renuntiationem quoad hunc effectum, vt professio ante expletum annum facta valeat; aliud verò est esse prohibitam quoad alium effectum, scilicet, vt possit quis se absolute obligare ad faciendam professionem post annum expletum. Quoad primũ vetita est illa renuntiatio in Concilio Tridentino, non verò quoad secundum, nullam enim de hac re mentionem facit, solumque irritat professionem factam ante annum expletum, nõ verò irritat aliquod votum simplex intra illum annum factum: ergo sic vt antea poterat quis se obligare ad professionem post annum faciendam, etiamsi nollet ante expletum annum professionem facere, ita & nunc.

4. *Ad quartum.*

*Dubium. An possit quis huic iuri renuntiare: & dicendum primò posse ex natura rei secluso iure positiuo impediente.*

*Dicendum secundo etiam posse iure antiquo renuntiare huic iuri.*

*Tota dubitatio est post Con. Trident.*

*Concilium prohibet tantum, & irritat professionem factam ante annum probationis expletum, non verò votum aliud quod simplex intra illum annum factũ.*

Dices, licet hoc Concilium non exprimat, ex fine & ratione eius intelligi potest hanc esse mentem eius, & totum hoc comprehendisse, quia finis Cõcilii fuit, vt professio cum perfecta libertate, & sufficienti experimento religionis fieret ad vitãda pericula, vel inconstantiæ, & apostasiæ, vel vitæ perpetuò infelicitatis, vel etiam infructuosæ; ad hunc autem finem necessarium est non solùm vt professio intra annũ non fiat, verùm etiam neq; absoluta obligatio ad professionem: nam si postea religio displiceat, vel frangẽda est fides obligationis factæ vel eadem incõmoda sequentur.

5. *Instantia ex fine & ratione Concilii deducitur.*

quentur. Confirmatur, idem Concilium statim in c. 16. annullat omnem renuntiationem, aut obligationem, nisi cum certis conditionibus ibi assignatis, & non permittit hunc fauorem renuntiari à nouitio, & in discursu illius capitis & sequentium alia plura statuit in fauorem libertatis in omittenda professione; constat autem hanc libertatem magis diminui per huiusmodi votum, quàm aliis mediis quantum spectat ad forum conscientiæ.

6. *Soluitur instantia allata. Votū perseuerandi in religione nec pro habetur, nec irritatur à Con. Trident.*

Fateor coniecturam esse apparentem, esseque satis consentaneum menti Concilii, vt hæc vota non consulantur, nec facile fiant: nihilominus affirmare non possumus tale votum simplex irritatum esse à Concilio, quia irritatio voti est res grauissima, & expresse facienda esset, si fuisset intenta. Si autem votum hoc irritatum non est à Concilio, factum tenet, ac proinde obligat. Neque enim probabiliter dici potest nunc votum illud non esse de bono obiecto, sed prohibito, & ideo non esse validum: falsum enim hoc est, nam obiectum eius est professio post annum probationis facienda, hoc autem obiectum bonum est, & iuri Concilii consentaneum. *Obiectio in contrarium.* Dices, eo ipso quòd fit tale votum, destruitur veritas anni probationis, & ideo tale votum destruit quodammodo obiectum suum, & eo ipso facit, vt sit de obiecto illicito, vel potius impossibili; quia professio sine vero anno probationis post ius Concilii Tridentini impossibilis est. Antecedens declaratur ex quadam doctrina Caiet. suprà tacta, nam vera probatio non est nisi vbi experimentū sumitur hoc animo & intentione, vt si res post experimentum grata iudicetur, assumatur; si verò ingrata, relinquatur: hanc verò intentionem licite habere non potest qui absoluto voto perseuerādi ligatus est, ergo tale votum facit hominem moraliter incapacem probationis: ergo est repugnans Concilio, atque adeò de re illicita, ac moraliter impossibili. Minor probatur, nam si tale votum est validum, qui habet illud, tenetur habere intentionem profitendi post annum, siue experiatur religionem siue gratam, siue ingratam: hæc ergo non est vera probatio, sed ficta. Sic etiam suprà dicebamus cum D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 4. ad 3. cum qui cùm habeat votum ingrediendi religionem, illā ingreditur cum absoluta intentione non perseuerandi, quantumuis sibi gratam illam experiatur, nō implere votum, quia reuera non intrat ad probandum, sed quasi per modum cuiusdam cæremoniæ: ergo commutata proportione qui ingreditur & animo, & obligatione profitendi, quantumuis ingratā experiatur, religionem verè nō intrat ad probandū.

7. *Non est improbabile dicere saltē indirectē ex mutatione materiæ per Concilium esse irritaldum tale votum. Ratio tamen allata in argumē to non conuincit. Concilium solum intēdit vt professio sit omnino libera ab omni extrinseca necessitate, de necessitate*

Non est quidem improbabilis ratio, ob quā posset aliquis apparēter dicere, quamuis Concilium directe hoc votum non irritauerit, tamen ex mutatione ab ipso facta in tali materia, id est, ex absoluta necessitate anni probationis ab eo specialiter instituta consequenter factum etiam esse, vt tale votum in sensu omnino absoluto, validum esse non possit. Et hinc profectò multum probabilitatis accrescit opinioni Soti. Nihilominus tamē ratio facta, licet acuta videatur, non satis conuincit. Tum quia Concilium solùm intendit, vt professio sit omnino libera ab omni extrinseca necessitate, & in foro, vt sic dicā, Ecclesiastico; de necessitate autem, seu obligatione mere interna apud Deum ex sola propria voluntate manante, nihil disponit. Vnde ego facile concederem omnē pactum inter nouitium & religionem de facienda, vel admittenda professione post annum sub absoluta obligatione, id est, quidquid ex probationis experimēto resultet, nullum esse virtute illius decreti dicto modo ponderati, & adiunctis etiam aliis superiùs citatis. De voto autem soli Deo facto nō est eadem ratio, quia illud pertinet ad forū merè internum, de quo, vt dixi, Concilium nihil disposuit. Tum etiam, quia votum illud non omnino excludit intentionem sufficientem ad veram probationem, nam ad hanc sufficit intentio profitēdi, etiam si post probationem religio iudicetur maxime difficilis, & ingrata, nisi hoc sit in tali gradu, vt homo non possit tuta conscientia in illo manere, vel vt euidentissimè constet melius & vtilius fore ad salutem animæ in illa non perseuerare: hoc enim sufficit vt experimentum fiat verè ad vtramque partem, scilicet vel retinendi, vel relinquēdi statum, & ideo ad veram probationem sufficit, vt statim explicabo. Accedit etiā differentia inter professionem & votum simplex, quòd professio per vota solennia semel emissa habet moralem quandam indissolubilitatem, tantamque firmitatem, vt propter priuata incommoda, vel difficultates dissolui non possit, votum autem simplex, etiāsi sit de professione facienda, si pòst aut indiscrete factum, aut nimis obseruatu difficile inueniatur, habet plura remedia, nam & per Pontificē dispensari potest, & sæpe etiam debet illū dimittere liberum, nō obstante talis voti obligatione; neque ipse peccabit contra votum, etiamsi prælatis religionis suas causas, & dispositionem repræsentet, vt meliùs, & prudentiùs possit de sua admissione deliberare: nam hoc non est contra votum perseuerandi, nam illud ad minimum habet hanc conditionem subintellectam, si à religione acceptetur, vtique cum perfecta notitia omnium quæ necessaria sunt, vt prudenter id fiat. Ob hanc ergo differentiam, licet Concilium irritauerit professionem ante expletum annū probationis factam, non sequitur irritasse votum emittendi professionem, vel aliquid circa hoc votum disposuisse; quod etiam declarauit congregatio Cardinalium, super decreta Concilii: declaratio autem apud Marzillam & Farinacium ita habet. *An verò qui vouit ingredi religionem, & in ea perseuerare, si ingressus intra annum probationis recedens, sit liber voto, ex mente huius decreti Concilii, &c. Congregatio declarauit hoc decretum Concilii nihil disposuisse de voto: idem declarauit si tempore nouitiatus emisissent tale votum nouitii.* Non deest ergo potestas etiam post Concilium Trident. quia vtiusquisque posset renuntiare iuri suo quoad hanc obligationem profitendi post annum probationis.

*autem, seu obligatione mere interna apud Deum nihil disponit. Obligatio ab extrinseco prouenions, quale est pactū, facit professionem nullam. Differentia inter vota simplex, & professionē.*

8. *Ponuntur duæ resolutiones. Primare-solutio. Votum perseuerādi nisi aliud intendat vouēs, satis obligatur ad nō dimittendū religionem sine iusta causa.*

Vlteriùs verò explicandum superest, an per votū perseuerandi in religione cēseatur quis eo ipso huic iuri renuntiare. In qua re duo mihi dicenda videntur. Primum est per votum illud absolute factum, nisi specialis & expressa intentio vouentis interueniat, non esse interpretandum, aut intelligendum vouentem renunciare huic iuri suo, sed tātùm se obligare ad non dimittendam religionem sine iusta & rationabili causa. Atque in hoc sensu approbo Soti sententiam, quam mihi sufficienter probant, quæ in illius persuasionem & defensionem adduxi, atque illa etiam quæ circa intelligentiam Concilii Triden. inquisita sunt. Nam ex eis attentè perspectis intelligere licet propensionem, vt sic dicam, totius iuris communis, etiam vt professio religionis fiat cū perfecta cognitione & experimento talis status, & cum omnimoda libertate ad dimittendum, vel assumendum: ergo quoties votum commode explicari potest factum esse secundùm hoc ius, & hoc non repugnat expressæ intentioni vouentis, id explicandum est; maximè cùm tale ius fauorabile sit non solùm religioni, sed etiam personæ vouenti, & sit etiam valde consentaneum rectæ rationi, & naturali etiam inclinationi. Potest autem tale votum optimè illo modo intelligi, vt satis inter arguendum fuit declaratum est: & sufficienter persuadetur ex illo principio à Theologis & Iurisperitis suprà citatis recepto: votum, quantumuis absolutum appareat in-

telligen-

telligendum esse iuxta formam iuris, nisi aliud fuerit expressum.

9. Dicet, aliquando is qui religionem vouet, iterum vouet perseuerare in religione, intendens se amplius obligare, & tamen per ipsius votum iam erat obligatus ad non dimittendam religionem, sine rationabili causa, vt suprà dictum est: ergo posterius votum magis absolute obligat ad perseuarandum. Respondeo sæpe multiplicari hæc vota ab hominibus, præsertim intelligentibus vt per promissionis repetitionem se magis ac magis confirment in proposito religionis promisso, quam distinctis verbis explicant, vt clarius & distinctius sibi proponant totum id, ad quod obligari sunt, & nouo proposito in illo confirmentur. Ab aliis verò ignorantibus, aut minùs doctis, aliquando fit hæc repetitio, non quia intendant obligari ad rem diuersam, sed quia putant votum sæpius repetitum magis obligare. Multi etiam facilè cogitare possunt, per votum religionis solùm obligari ad suscipiendum habitum eius, & posse postea libere exire, absque alia causa, & ideo addunt votum perseuerandi. Multi etiam hoc vouentes, & putantes addere obligationem priori voto, si interrogentur, nesciunt distincte explicare quid intendunt, & ideo eorum intentio meritò secundùm iura explicatur, & quidquid de rali multiplicatione votorum cogitant, eorum ignorantiæ attribuitur, nisi vbi constiterit eos ex certa scientia aliud intendere.

10. Dico ergo vltimò, si de expressa intentione vouẽtis satis constiterit voluisse absolute se obligare ad perseuerandum, ad hoc manet obligatus, ita vt votum illud distinctum sit à voto indefinitè religionis, longeque aliam obligationem quoad hanc partem inducat. Hoc sensu interpretor sententiam D. Thomæ. Oportet tamen cum Caietano aduertere aliud esse vouere religionem cum proposito perseuerandi; aliud verò vouere ipsam perseuerantiam, quia propositum, & votum longe diuersa sunt. Hìc ergo non agimus de illo priori modo, ille enim non obligat ad perseuerantiam, quia propositum non inducit obligationem: sermo ergo est de posteriori modo; & ita assertio probata manet ex dictis: nam in homine est potestas ad se obligandum hoc modo, quæ nullo iure ablata, vel impedita est: ergo si accedat voluntas & actus promittendi cum intentione se obligandi, vt in casu supponitur, promittens obligatus manebit. Et confirmatur, nam tale votum habet distinctam materiam à voto religionis, vt sic, vt ex prædicta intentione vouentis constat, & illa materia, quantum in se est, capax est voti, quia ex suo genere est de bonis melioribus, & nullo iure prohibita est: ergo ex parte illius validum est votum. Aliæ autem conditiones requisitæ non desunt: ergo tale votum, & simpliciter est validum, & distinctum à voto indifferente religionis, & consequenter nouam obligationem inducens, quæ non est alia nisi absolutè perseuerandi, vt per se satis constat.

11. Atque hæc doctrina confirmari potest ex verbis Innocent. III. in cap. *consulti*, & clarius ex Gregor. IX. in cap. *statumus*, de Regularibus. Quærunt enim an ingrediens religionem possit libere exire ante annum probationis expletum, & respondent posse, *nisi euidenter appareat, quòd tales voluerint absolutè vitam mutare, & in religione perpetuò Domino deseruire.* Verum est textus illos optime intelligi de voto solenni & tacita professione; quod euidentius est d. cap. *Consulti*, & ita communiter exponuntur. Panormitanus autem cum Cardin. illa verba intelligit de voto simplici, & est satis probabile, quia Pontifex distinguit tale votum à professione expressa, & tacita; sed hoc infrà post sequentem librum examinabimus. Nunc solùm expendimus illud verbum, *Nisi euidenter appareat.* nam inde saltem à simili sumimus argumentum, hanc obligationem non esse imponendam, nisi, vbi euidenter constiterit de intentione vouentis, neque esse negandam, vbi de illa constiterit.

Quantumuis autem hoc votum in eo casu sit absolute de perseuerando, non potest nihilominus excludere eas conditiones, quæ in omni promissione includuntur. Prima est, si in discursu anni probationis constiterit professionem talis personæ in tali religione non esse licitam, nec tutam in conscientia, nam votum solùm obligare potest ad rem honestam. Non repugnat autem huiusmodi casus, potest enim per experientiam probationis intelligi talem personam esse inutilem tali religioni, & teneri ad declarandum aliquem defectum, quo intellecto indubitanter à religione expelleretur. Item potest accidere, vt post experientiam prudenter iudicetur, se non posse moraliter seruare talem statum, quin sæpiùs grauiter delinquat: ergo tunc tenebitur illum non profiteri. Addo præterea, etiamsi non iudicet statum illum futurum sibi esse occasionem ruinæ, si moraliter & prudenter intelligat sibi non esse futurum medium ad maiorem perfectionem acquirendam, sed potiùs obstaculum, id satis esse, vt iam non obligetur tali voto, quia votum quodlibet est de meliori bono, & hoc præcipue est de via, & statu conducente ad maiorem perfectionem: ergo si status non inuenitur esse talis, non intelligitur promissa perseuerantia in illo. Et confirmatur, nam cessante fine adæquato legis, cessat eius obligatio: neque enim illius obseruantia iam Deo grata existeret. Præterea hìc etiam applicandum est illud principium ex D. Thoma, & à nobis in superioribus explicatum, quoties post votum emissum aliqua difficultas, vel occasio emergit, aut denuo cognoscitur, quæ iure merito impediret amissionem voti, si à principio existeret & cognosceretur, etiam impedire obligationem voti iam emissi, id est, si talis est conditio exorta, vt præexistens redderet votum vel vitiosum, vel inutile, vel minus gratum Deo: sic ergo in præsenti casu, si post tale votum emissum similis conditio exorta sit circa perseuerantiam in tali religione, siue denuo sit cognita, votum factum non obligabit. At verò si alia minor mutatio facta sit, quamuis obseruationem talis voti difficiliorem reddat, non poterit quis tuta conscientia propria auctoritate religionem dimittere, sed dispensatione indiget, vt docuit Nau. c. 12. n. 46. qui in hoc sensu intelligendus videtur.

12. *Limitatur resolutio posita & patet casus, in quibus non obligat tale votum.*

13. Hinc tamen statim insurgunt dubia, quæ in similibus casibus suprà relata sunt, ad quid scilicet teneatur, qui habens tale votum in religione non perseuerat voluntarie, vel ab eo inuoluntarie eicitur ante professionem factam. Respondetur tamen primò, si voluntarie egreditur sine causa rationabili, quæ excuset à transgressione voti, semper manere cum obligatione redeundi ad profitendum: hoc manifestum est, quia nec impletum fuit votum, neque alia via sublatum est. Secundò si absque trãsgressione voti ex aliqua legitima causa ex suprà numeratis egressus est, & causa est perpetua, non tenetur amplius talem religionem ingredi. Hoc etiam est clarum, quia causa illa extinxit obligationem voti, quia materiam reddidit incapacem talis obligationis. Quod quidem maxime procedit, quando vel votum factum est principaliter de perseuerando in tali monasterio, vel certe si sit factum de religione sub communiori ratione, causa etiam est adæquata toti religioni, prout est obiectum, seu materia

*Dubia in hac materia.*

*Assertio prima. Habens tale votum si voluntariè egrediatur sine iusta causa, tenetur redire ad profitendum.*

*Assertio secunda. Si ex causa legitima sit egressus, nõ tenetur amplius in posᵗ.*

teria talis voti. At verò si causa non sit adæquata, sed propria huius loci, vel huius religionis: votum autem perseuerandi in religione vniuersalius sit, tunc doctis Theologis visum est, non esse plenè satisfactum tali voto, sed ad hoc manere obligationem ingrediendi alibi, vbi cesset illa causa, & ibi perseuerandi. Quod sanè videtur probabile, quia ille non vouit semel ingredi, & probari, sed absolutè & in omni euentu possibili moraliter perseuerare in religione: ergò cum hoc adhuc sit moraliter possibile, semper manet obligatio, & illa inadæquata causa non excusat, nec etiam prior ingressus, quia non fuit illi principalis materia talis voti, sed professio ipsa. Quàm verò hoc certum sit, statim dicam.

14. *Tertia assertio. Si causa egrediendi legitima sit temporalis, & non perpetua, tenetur ingredi illa cessante.*

Tertio, si exitus sit legitimus, non tamen ex causa perpetua, sed temporali, licet excuset à transgressione voti, valde tamen dubium est, an extinguat eius obligationem, etiam respectu eiusdem loci, seu religionis, prout fuit adæquata materia talis voti. Exemplum est, si durante nouitiatu parentes incidant in grauem necessitatem, propter quam obligetur nouitius ad egrediendum vt subueniat parentibus, vel ipsemet nouitius incidat in grauem morbũ, à quo nec perfectè sanari possit, nisi egrediatur, nec ad professionem admitti, nisi sanetur. In his enim & similibus casibus iustus est egressus, facilè tamen possunt illæ causæ postea cessare vel mortuis parentibus, vel recuperata sanitate: tenebitur ergo tunc talis persona ad religionem redire? Planè videtur teneri, quia causa illa eùm non fuerit perpetua, potuit quidem obligationem voti suspendere, non tamen vi sua extinguere, si non interuenit dispensatio. Item, quia si ante ingressum illa causa occurrisset, sine dubio tantùm posset operari dilationem voti, non verò extensionem: ergo idem est quamuis superueniat post ingressum ad habitum ante professionem, quia etiam tunc superuenit ante expletum votum. Ratio denique facta de causa inadæquata respectu loci habet locum in hac quæ dici potest inadæquata, respectu temporis, & ita idem videtur in vtroque casu æque receptum.

15. *Oppositum tamen probabiliter sequi potest in praxi.*

Posset verò quispiam tentare ad asserendum oppositum, & excusandum vouentem ab hac onerosa obligatione, propterea quòd licet professionem principaliter vouerit, non tamen vt obtinendam omnibus viis, & modis, sed ordinaria via Ecclesiæ, scilicet per vnum ingressum, & vnum annum probationis, & ideo cùm iam illam viam inchoauerit, & per illum non steterit, quominus illam compleuerit, videtur iam satisfecisse voto, neque ex vi illius cogi posse ad ingrediendum iterum, annumque nouitiatus iterum inchoandum, quia hoc est extraordinarium onus, ad quod non videtur se obligasse. In quo est satis magna differentia inter eum, qui ante, vel post susceptionem habitus impeditus est per superuenientem causam temporalem ab obseruatione voti. Nec reputo considerationem hanc improbabilem. In praxi verò examinandam censeo intentionem vouentis; quòd si satis constiterit intentionem eius talem fuisse, qualem in proxima ratione declaraui, sine dubio potest hæc sententia in praxi seruari. Si autem de tali intentione vouentis constare non potest, prior potius sententia sequenda est; quia cùm in casu supponatur votum esse factum animo se obligandi ad perseuerantiam, non obstantibus, sed superatis omnibus difficultatib. quæ non reddant votum illicitum, vel inutile, aut moraliter impossibile, & hæc, de qua nunc agimus, tantùm sit vna ex prædictis difficultatibus, censenda est comprehensa sub illa intentione vouentis, quandiu oppositum non constiterit.

Quartò iam constat quid dicendum sit quando non ipse nouitius voluntariè egreditur, sed inuoluntariè eiicitur, nam si propter causam perpetuam & adæquatam repellitur, extinguitur votum, sin autem cessante causa, redibit obligatio cum limitatione proximè posita in superiori puncto. Vnde si causa pendet ex voluntate ipsiusmet vouentis, tenetur illam auferre si potest, & illam ablatam esse religioni ostendere, vt iterum recipiatur, & perpetuò retineatur, hoc enim semper tenetur procurare vouens quãtum in ipso est, ad hoc enim tenetur vouens quãdiu obligatio voti non fuit extincta. At que idem proportionaliter dicendum est, si causa perpetua sit, non tamen adæquata religioni promissæ; tunc enim procuranda erit religio vbi talis causa impedimentum non sit. Et ita videntur sentire Doctores in priori sententia adducti.

16. *Quarta assertio. Si inuoluntariè eiiciatur, extinguitur votum si est propter causam perpetuam ex effectu, si verò propter temporalem, illa cessante tenetur redire.*

## Caput V.

### *Vtrùm simplex votum religionis dirimat sponsalia, & impediat matrimonium, vel vsum eius.*

1. De aliis effectibus & obligationibus, quæ ex hoc voto resultare possunt, satis ex præcedentibus sectionibus constare potest, adiunctis his, quæ de voto in genere dicta sunt. De causis item necessariis ad valorem & perpetuitatem huius voti, vel de modis quibus cessare, aut auferri potest, vel de eius reseruatione, nihil etiam noui dicendum occurrit, sed omnia petenda sunt ex generali doctrina. Quia verò status religionis cum matrimonii statu quandam repugnantiam habet, ideo de hac re nonnulla dicenda sunt, quamuis si considerentur ea, quæ de voto simplici castitatis in simili quæstione diximus, multa possint hìc cum proportione applicati. Potest ergo hoc votum fieri vel post matrimonium contractum, & consummatum, vel post matrimonium ratum nondum consummatum, vel ante matrimonium ratum post sponsalia de futuro, vel ante vtraq; sponsalia ab homine omnino libero.

2. *Prima conclusio. Votum religionis post matrimonium consummatũ, obligat ad ingressum illius vel mortuo, vel consentiente coniuge.*

Dico ergo primò. Votum religionis factum in statu matrimonii cõsummati, solùm obligat ad ingressum religionis post mortem coniugis, vel illo viuente de consensu eius, iure Ecclesiastico in aliis seruato. Pars affirmans manifesta est, quia hoc votum obligat, quantum licite, & sanctè potest; ad hoc autem obligare potest, quia ille actus optimus est, & nullum per se habet iuridicum impedimentum: ergo. Quòd si aliquis quærat, an tale votum semper obliget ad illa duo simul, vel ad alterum, & ad quod determinatum, dicendum est hoc pendere ex intentione vouentis, potuit enim solùm religionem promittere pro tempore viduitatis si sibi eueniat, & si hoc tantùm intendit, cùm vouit, non tenetur ingredi, viuente vxore, etiamsi ipsa maxime consentiat, quia nemo tenetur soluere debitum ante tempus in promissione assignatum, quia limitata causa limitatum parit effectum. At verò si intentio vouentis fuit obligari etiam in præsenti statu ad mutandum illum per religionis ingressum, si iusta formam iuris coniux consentiat, tunc ad hoc statim tenebitur. Et nihilominus licet coniux neget consensum, obligatiò ad religionem durabit vsque ad mortem coniugis, vt si contingat, tunc executioni mandetur, quia per negationem consensus coniugis non est obligatio talis voti extincta, sed executio dilata, eo quòd conditio illa solùm fuerit apposita, vt votum possit statim impleri, votum autẽ quod de se obligat ad statim, si tunc impleri non possit propter impedimentum, ablato impedimento, multo

multo magis obligat. Hoc autem intelligendum est per se, & quantum est ex forma talis voti (nam ex voluntaria intentione vouentis etiam fieri potest, vt solùm velit obligari ad religionem, si statim coniux consenserit, ita vt si conditio non impleatur, votum extinguatur, neque ipse maneat semper obnoxius illi oneri, & obligationi: hoc enim repugnantiam habet, nec rationabile est, & ideo ita discerni & distingui potest ex voluntate vouentis; oportet autem intentionem illam esse satis expressam: nam si votum simpliciter fiat ingrediendi religionem, si coniux consenserit, & nulla limitatio adhibeatur, de se perpetuò obligat, & conditio illa impleta censetur, si coniux de medio sublatus fuerit, quia eius consensus solùm postulabatur, quatenus necessarius erat, iam verò necessarius non est.

1. Dubium in materia. Sed quid si tale votum fiat de sumenda statim religione etiam sine consensu coniugis? Respondeo: Aut coniux ob adulterium alterius coniugis, & pertinet ne reddendi debitum, & tunc votum obligat, quia est de re licita, & nullum habet impedimentum; vel obligatio matrimonij perdurat in sua vi, & tunc quoad hanc partem votum esset de re iniusta, & ideo nullam induceret obligationem, & nihilominus, per se loquendo, tale votum inducit obligationem ad religionem, si coniux consentiat; quia vtile per inutile non vitiatur, & votum factum de re honesta cum accidentario modo impossibile, ablata conditione, obligat ad substantiam actus, vt in simili dixit Nauarr. c. 12. n. 43. Vnde si coniux non consenserit, pro tunc quidem non obligabit tale votum, post mortem autem eius obligabit; quia votum obligãs, si coniux consentiat, obligat etiam illo mortuo, per se loquendo, vt dictum est. Item, quia qui voluit ingredi religionem repugnante coniuge, multo magis voluit ingredi illo non impediente, vel resistente; post mortem autem nec resistit, nec impedit. Semper tamen habet locum limitatio illa, *Nisi alia fuerit intentio vouentis*; quam hîc etiam oportet esse satis claram, & expressam, quia est multum alienum à forma & natura talis voti.

2. Secunda pars negatiua exclusiue proposita clara est, tum quia materia illius voti tantùm est religio futura, tempore, scilicet, habili, & in ipso voto, aut designato, aut comprehenso: ergo tale votum solùm obligat in futurum modo declarato; in præsenti verò solùm obligat ad præparationem animæ per propositum ingrediendi religionem suo tempore, vel saltem non habendo contrarium propositum. Tum etiam, quia votum religionis etiam illicite non impletum non obligat ad seruandam castitatem, neque ad actiones proprias vitæ religiosæ: ergo multo minùs obligabit hoc votum: ergo nihil aliud superest ad quod possit obligare. Vnde fit, vt habens tale votum possit licite non solùm reddere, sed etiam petere debitum, quia non tenetur ad castitatem seruandam. Sequitur etiam tale votum non posse ab alio coniuge auferri, aut irritari, quia nullo modo est in præiudicium eius. de quo latiùs in superioribus dictum est; & infrà iterum dicemus.

3. Dico secundò, votum religionis factum post matrimonium ratum non consummatum obligat absolute ad religionis ingressum, & consequenter ad abstinendum à prima copula, tam reddendo, quàm petendo debitum; nobiscum sentiunt Sanchez lib. 9. de Matr. disput. 35. num. 10. & Lessius lib. 2. cap. 41. dubit. 5. num. 47. Prima pars manifesta est, quia illud votum est validum, & non habet impedimentum; & ideo addidi particulam *absolutè*, quia tunc non est necessarium expectare consensum alterius coniugis, quia intra tempus à iure præscriptum, vterque coniugum habet ius ingrediendi religionem antequam matrimonium consummet, non expectato alterius consensu, sed illud votum obligat ad ingressum moraliter possibilem, & licitum: ergo. Secunda verò pars probatur, quia licet hoc votum per se non obliget ad castitatem, obligat tamen ad non contrahendum, vel non consummãdum vinculum impediens obseruationem talis voti, consummando autem matrimonium redditur persona impotens ad implendum votum: ergo agit contra talis voti obligationem. Et hinc facile probatur non solùm esse illicitum petere (quod per se clarum est) sed etiã reddere consensum, & cooperationem ad talem copulam, quia tunc non tenetur reddere cùm habeat votum. Pater consequentia, quia tunc reddendo non excusatur propter ius alterius, vnde proprie non est redditio debiti, sed cooperatio mere voluntaria: non ergo excusat à transgressione voti.

*ingressum; & ad abstinendum à prima copula tam petendo, quàm reddendo.*
*Probatur prima pars.*
*Probatur secunda pars.*

6. Sed quid si alius petat debitum ex tunc dando facultatem, vt non obstante consummatione matrimonii possit ingredi religionem? Respondeo etiam sic non licere, quia euidenti periculo morali exponitur non implendi votum, quia poterit is qui facultatem dedit, illam reuocare, vel saltem nolle ad perpetuam continentiam obligari, & tunc alius non permitteretur ab Ecclesia ingredi religionem. Addidi verò limitationem, vt hoc solùm intelligatur quoad primum actum consummandi matrimonium; quia si semel consummetur, etiamsi in eo actu peccetur, postea non obligabit votum vllo modo ad continẽtiam, sed licebit non solùm reddere, sed etiam petere. Ratio est, quia hoc votum per se non obligat ad continentiam, vt dixi, & aliàs postquam semel matrimonium consummatum est per subsequentes actus coniugales, non additur nouum impedimentum ad votum implendum, & ideo iam ex nullo capite voto contrarii sunt. Manebit ergo tunc votum illud obligans solùm ad ingressum religionis post mortem coniugis, vel ex consensu ipsius, eodem modo, quo de voto postea facto dictum est.

*6. Dubium in hac materia. Si alius cõtra ius petat debitum ex tunc dando facultatẽ, vt non obstante matrimonii cõsummatione possit ingredi religionem, non est licita ea ratione. 6. consummatio.*

7. Solùm potest hîc dubitari, cùm tempus concessum coniugi post matrimonium ratum ad ingrediendam religionem, sit limitatum in iure, scilicet duorum mensium, si illud tempus iam transactum sit, siue per impotentiam, siue per negligentiam, an postea etiam peccet quis consummando matrimonium. In quo in primis certum est petendo peccare, quia semper tenetur, quantum est ex se conseruare se aptum ad ingressum religionis, & non ponere nouum impedimentum. Quapropter si non obstante lapsu temporis alter coniux non petat ius suum, tenetur alius qui votum habet, ingredi religionem cùm primùm possit, neque oporteret positiuum, vt sic dicam, ab altero coniuge petere consensum, sed satis erit ipsum non contradicere; quia cùm reipsa nondum facti sint vna caro, si de facto alter professa tur, soluetur sine dubio vinculum matrimonii, iuxta cap. 2. cum similibus de Conuers. coniugat. Alioqui verò dum alter non exigit ius suum, alter non peccat continentiam seruando, nec ingrediendo religionem etiamsi votum non habeat: ergo si habeat, iam non solùm licebit, sed tenebitur, quandiu alter non repugnat.

*7. Difficultas duplex post transactum tẽpus à iure præfixum ad impediendam vel gionem, habens. Quantum peccat consummando matrimonium. Et tenetur non consummare matrimonio, & non contradicẽte coniuge ingredi religionem.*

8. Difficultas verò est; an, si statim post transactos duos menses, alter petat ius suum, ita vt nolit vllam ampliùs expectare dilationem, possit alter, vel etiam teneatur, reddere debitum, aut potiùs statim ingredi religionem. Sane videtur debere reddere debitum, nec iã peccare consummãdo matrimonium, siue peccando, siue ex iusta causa votum suum implere

*8. Si post transactos duos menses, stim alter coniux petit debitũ, tenetur red*

*dere, & non peccat consummando matrimonium.*

plere distulerit; quia iam alter exigit ius suum pro eo tempore, pro quo illi debitum est: ergo alter non potest iuste negare occasione voti, quod non obligat cum iniuria proximi. Et quidem si is qui votum habet, non potest statim ac alter petit debitum, habitum religionis suscipere, quacunq; occasione impediatur, existimo teneri ad reddendum debitum propter rationem factam, & quia non sine causa tempus illud iure præscriptum est. Item si post expletum tempus duorum mensium non semel tantùm, sed iterum ac sæpiùs alter petiit debitum suum, alius verò procrastinando differat, sine dubio grauiter peccat, & consummare matrimonium tenetur, etiamsi iam non habeat aliud impedimentum religionis, quia hoc sufficit, & excusat illum à nouo peccato, etiamsi fortè peccauerit constituendo se in eo statu, in quo iam non potest libere religionem ingredi.

9. *Si post transactos duos menses cõiux non petiit debitũ per multũ tẽpus licet postea petat, tenetur ingredi religionem, & non consummare matrimonium, consideratis circũstantiis prudenter illius mora in petendo.*

At verò si post transactum tempus à iure definitum alter nunquam petiit debitum, atque ita multo tempore in eo statu permaneat, quamuis posteà incipiat debitum exigere, non videtur alter obligandus, vt primæ petitioni statim consentiat, & consummet matrimonium, sed si potest, debet potiùs statim ad religionem aduolare, & votum suum implere: quia alter tacendo, & non petendo debitum, videtur facile consensisse, & cessisse iuri suo, & ideo alius nondum cœpit esse in mora, & ideo adhuc potest implere votum suum. Verum est tamen considerandas esse morales circumstantias, ratione quarum intelligi posset, eum qui expectat, tacite petere ius suum, & inuoluntarie pati moras illas, licet fortasse propter verecundiam, aut reuerentialem timorem, vel alios similes respectus, non audeat explicite postulare: quapropter in huiusmodi casu sæpe est necessarium prudentis viri iudicium ad discernendũ in particulari, quando ille qui habet tale votum, ita incipiat esse in mora respectu alterius coniugis, vt iam non liceat illi religionem ingredi altero inuito, & cogendo illum ad integrum probationis annum denuo expectandum.

10. *Nunquam licet in eo casu habẽti votum religionis petere debitũ, & consummare matrimonium.*

Dices, ergo in eo casu, quando ad eum statum iam peruentum est, poterit is qui habet votum, aggredi consummationem matrimonii, petendo illud. Patet consequentia ex dictis, quia per se non tenetur ad continentiam ex vi talis voti, nec etiam in eo casu iam tenetur propter vitandum impedimentum religiosi status, quia iam ipse est impeditus, ne possit ingredi in vita vxoris; de consensu autem eius etiam post copulam ingredi poterat. Respondetur, negando consequentiam, quia etiam in eo casu copula est nouum impedimentum, quod proinde ipse vitare tenetur, quantum in ipso est. Patet, tum quia quãdiu matrimonium non est consummatum, semper est dissolubile per professionem religionis, quacunque ratione validè fiat; si autem consummetur, vinculum dissolui non poterit, quantumuis vterque in professione consentiat: tum etiam, quia ex hoc sequitur, vt si matrimonium consummetur, alter multo difficiliùs daturus sit consensum suum, cùm oporteat, ipsum etiam perpetuam castitatem profiteri. Semper ergo augetur plurimum ex prima copula impedimentum religiosi status, & ideo non licet habenti votum illam petere; etiam in eo casu, licebit tamen reddere, quando ad illas temporis angustias deuentum fuerit, & ita est assertio posita quoad hanc partem limitanda.

11. *Tertia conclusio Votum religionis factum post sponsalia de futuro etiam iurata, obligat, & dissoluit sponsalia.*

Dico tertiò, si votum religionis fiat post sponsalia de futuro, etiam iurata, obligat ad ingressum religionis, & consequenter ipsa sponsalia dissoluit. ita Nauarr. in sum. cap. 22. num. 27. casu 10. Ludou. Lopez. 2. p. instr. de Matr. cap. 38. Henriquez lib. 11. de Matr. ca 14. n. 4. Sanchez lib. 1. de Matr. disp. 46. n. 2. Lessius lib. 2. cap. 41. dubit. 6. num. 54. & alii communiter. Hæc assertio eodem modo explicanda, quo similem de voto simplici castitatis infrà ostendemus; est enim eadem vtriusque voti ratio, & maior quodammodo de hoc voto religionis, quia directè tendit ad altiorem perfectionis statum, quem impedire non debent sponsalia de futuro. Vnde confirmatur, nam matrimonium etiam de præsenti, nondum cõsummatum, non impedit vim & obligationem huius voti, etiamsi post ipsum matrimonium fiat: vt ex præcedenti assertione patet; ergo multo minus impedient sponsalia de futuro, etiamsi iurata sint.

12. *Instantia allata soluitur.*

Dices iuramentum posse impleri simul cum voto, contrahendo nimirum priùs matrimonium, & postea ante consummationem ingrediendo religionem. Respondetur in primis hoc non esse contra assertionem, quia inde non probatur hoc votum non esse validum, aut non obligare ad ingressum religionis, sed ad summum non obligare ad non contrahendum matrimonium, cum intentione non cõsummandi. Quod per se loquendo verum est, secluso omni periculo morali consummandi, sicut infrà etiam dicemus de voto simplici castitatis, vbi id latiùs explicabimus. Dico verò vlteriùs id non esse necessarium ratione iuramenti, imò nec regulariter cõsulendum. Ratio prioris partis est, quia iuramentum illud promissorium conditionem includit melioris frugis, & ideo si solùm religionis causa non impletur promissio, non violatur iuramentum, in quo excepta fuit illa conditio. Sic enim dicunt iura, non esse transgressorem iuramenti, qui in melius illud commutat, cap. *peruenit*, de iureiurand. cap. *scriptura*, de voto. Ratio verò posterioris partis est, quia aut regulariter vix potest vitari periculum, aut saltem consultius est, tam propter proprium bonum spirituale, quàm propter aliquem honorem alterius coniugis, statim ad religionem transire sine interuentu vinculi matrimonij.

13. *Nec audum in hoc punto, si contingat habẽtem tale votum non*

Huic verò posteriori parti repugnare videtur ca. *commissum*, de Sponsal. vbi in simili casu dicitur, *Tutius esse religionem iuramenti seruata priùs contrahere, & postea si elegerit ad religionem migrare.* Respondetur tamen primò cum glossa ibi, eum qui sponsalia iurauerat in casu illius textus non habuisse votum religionis, sed mera & spontanea voluntate ad illam aspirasse, quod non obscure indicat verbum illud *si elegerit*, & ideo non est similis ille casus, quia ibi in contrahendo nullum erat periculum peccati, sicut esse potest in eo qui habet votum; & quamuis in priori esse possit tale periculum, ne illa occasione impediretur status maioris perfectionis, tamen propter reuerentiam iuramenti voluit Pontifex non esse habendam rationem huius periculi. Secundò respondetur, illud dici tutius non per se, & in conscientia, nam reuera etiam secluso voto est in conscientia tutissimum, & ab omni culpa liberum immediatè transire ad religionem, vt etiam gloss. & interpretes ibi fatentur, & ratio proximè facta conuincit. Sed respectu hominum & fortasse ad vitandum aliquod scandalum, illud dicitur esse tutius, & tunc etiam ego addendam putarem illam limitationem, scilicet, si absque periculo impedimenti perfectioris status fieri possit. Sed de expositione huius capitis late egimus lib. 2. de iuramento. capit. 3. à num. 2.

14. *Ex dictis constat vltima assertionis pars, scilicet, sponsalia de futuro per subsequens votum religionis dirimi, quia comparatione illius non obligant. Est autem aduertendum, si contingat eum, qui tale votum emisit, implere illud ingrediendo, & probãdo religionem, non tamen profitendo, adhuc teneri ad im-*

ad implendam promissionem sponsaliorum, si alter sponsus velit, quia iam tunc potest sine transgressione voti, qua sublata, non est vnde prior promissio vim suam amiserit. Item, quia conditio subintellecta in tali promissione non fuit ita consummata, vt sufficeret impedire vim sponsaliorum, in quo tantùm sensu subintelligenda fuit, quia ad bonum & perfectionem animæ non est in alio sensu necessaria. Quocirca quandiu votum hoc non consummatur, vt hic dicam, per solennem professionem, suspendit potius quàm extinguit sponsaliorum obligationem, vel etiam dici potest votum hoc simul quidem manere cum vinculo sponsaliorum, tamen quandiu durat, & impleri potest, eius obligationem maiorem esse; si tamen illud iterum extinguatur, vel impleatur, persona adhuc manente apta ad matrimonium, sponsalia incipiunt sine impedimento suam obligationem exercere. Et hinc etiam est, vt persona quæ post sponsalia religionis votum emisit, si sit in mora, possit ad petitionem alterius partis per iudicem cõpelli, vt vel religionem intret, vel si iuste impeditus est, promissionem sponsaliorum impleat; nam cùm sponsalia non sint omnino extincta, sed solùm vincantur à voto religionis, si hoc non prodit in actum, illa retinet suam vim.

11. Dico quartò, si votum hoc fiat ante omnia sponsalia, tam de præsenti, quàm de futuro, obligat per se ad non contrahendum matrimonium, neque etiam promittendum. Hoc constat, quia omnis contractus, vel promissio contraria tali voto illicita est, huiusmodi autem est matrimonium, & promissio eius; & ideo in cap. *rursus*, qui cler. vel vouent. iuramentum ducendi vxorem post votum castitatis temerarium dicitur, & non obligare, idem autem est de voto religionis; hoc autem procedit, vt ratio facta ostendit, quando sponsalia fiunt modo repugnante tali voto; nam si fierent sub hac ratione, *Si non potuero professionem emittere*, aut si alia via licita obligatio huius voti ablata fuerit, ac denique si fiat sub conditione non consummandi matrimonium, & absque periculo: in his casibus nulla erit violatio voti, vt ex dictis patet, & promissio facta obligabit sub conditione posita, quia honesta est. Atque tota hæc doctrina in hoc capite data communis est apud authores citatos capite præcedenti, & alios in materia de sponsalibus, & matrimonio, & adeò clara, vt in eis referendis immorari necesse non fuerit.

## CAPVT VI.

### *Vtrùm hoc votum assumendi statum religiosum per propriam irritationem cessare, seu extingui possit.*

1. TRibus modis posse aliquod votum, ac eius obligationem cessare, per irritationem scilicet, dispensationem, & commutationem, diximus tomo præcedenti, tract. de voto. An verò hoc votum religionis totidem modis cessare possit, hîc specialiter est examinandum, propter illius specialem rationem, & reseruationem. Quod attinet irritationem, solùm occurrit inquirendum, an parentes illud irritare valeant? Notandum verò, quæstionem tantùm esse de filiis familias, qui & vsum rationis iam habent, & adhuc permanent sub parentum regimine, & cura: nam de emancipatis, qui patriam potestatem iam sunt egressi, certum est, eorum vota non posse à parentibus irritari, præsertim si post pubertatem, vel emancipationem ab ipsis sunt emissa, vel confirmata.

2. Filios verò familias in duos ordines distinguere possumus. Sunt enim quidam impuberes, alii maiores. Impuberes dicuntur vsque ad certam ætatem à iure præscriptam: nam iuxta antiquum ius dicitur annus pubertatis decimus quartus completus in masculis; duodecimus verò item completus in fœminis. cap. *ex literis*, & cap. *puberes*, de dispensatione impuberum; quæ iura loquuntur de anno pubertatis in ordine ad matrimonium: in ordine verò ad religionem, & professionem loquitur cap. *ad nostram*, & cap 1. & 2. eodem titulo in 6. Ibi tamen sermo est de viris; de fœminis enim nihil dicitur. Glossa verò in Clementina *eos*, de regularibus duodecim annos dicit in fœmina sufficere; & idem sumitur ex cap. *virum*, de regularibus. Nunc verò anni pubertatis quoad effectum profitendi in religione tam in viris, quàm in fœminis in decimo sexto ætatis anno iam completo definiti sunt per Conc. Trident. sessione 25. c. 15. de regularibus. Quoad præsentem verò quæstionem de voto simplici assumendi statum religiosum annus pubertatis hodie computandus est iuxta ius antiquum: nam circa vota simplicia nihil quoad hoc innotauit Conc. Trident. vel aliud ius nouum; vt recte annotauit Palac. in 4. dist. 38. dis. 3. proindeq; prædictus annus pubertatis est decimus quartus in viris, & duodecimus in fœminis. Qui autem ætatem illam iam transegerunt, puberes, seu maiores dicuntur. His positis ad quæstionem accedamus, quæ inquirit, quid possint parentes in filios circa irritationem voti assumendi statum religiosum? quæ ex dictis lib. 6. de voto est definienda.

*puberis quando dicantur, & sint.*

*Annus pubertatis in ordine ad professionē, est decimus sextus ætatis annus completus tam in viris, quàm in fœminis in ordine verò ad matrimonium, votum religionis, & alia, est decimus quartus in viris, & duodecimus in fœminis.*

3. Dico ergo primò, parentes posse etiam directe irritare omnia vota filiorum impuberum, nullo excepto, siue sint realia, siue personalia; siue temporalia, siue perpetua; castitatis, vel religionis; siue sint vota de conciliis, siue etiam præceptorum obseruatione. hæc est communis Theologorum sententia, quam bene probat Sot. lib. 7. de iust. quæstione 3. articul. 2. Nauarrus c. 12. numero 64. Consentit Sylu. & summistæ omnes. Hæc assertio satis probata manet ex lib. 6. de voto cap. 6. à num. 2. vbi generatim ostendimus, esse in patre hanc potestatem. Et ratio nunc breuiter est; quia licet pater prohibere aliàs non possit obseruantiam præcepti; semper tamen potest tollere obligationem additam ex voto. Nam filius iure naturæ ita est sub patris potestate, vt ante vsum rationis voluntas patris regi debeat; vnde voluntas patris voluntas filii censetur. Postquam autem filius incipit vti ratione, quamuis iam possit liberè operari; quia tamen pro aliquo tempore habet vsum rationis, nimis imbecillem, ac tenuem; ratio naturalis dictat, vt pro eodem à voluntate patris pendeat saltem quoad firmitatem obligationis; ita vt non sit omninò firma, donec pater illam approbet, quæ ratio maxime militat in obligatione votorum; quorum in conclusione meminimus. Vnde recte Sylu. verb. *votum* 5. n. 3. differentiam in hoc constituit inter vxorem, & filium impuberē, quòd illa potest aliqua vouere, quando materia nullo modo præiudicat matito; quia alioqui est sui iuris, & habet potestatem deliberatam: filius autem impubes ita est sub parentibus, vt voluntas eorum quodammodo illius censeatur saltem quoad hoc, vt sine illa non possit complere, & firmiter se obligare.

*Primaconclusio. Parentes possunt directe irritare omnia vota filiorum impuberum.*

*Probatur.*

*Differentia inter vota vxoris, & filii impuberis.*

4. Maior adhuc dubitatio est de filiis post annos pubertatis, vtrùm possit pater votum religionis eorum irritare ante pubertatem emissum? quæ tractari solet de voto solemni, & simplici religionis; sed in solenni iam nullam habet quæstionem. Aut enim est votum solemne ordinis; aut professionis in religione. De primo certum est apud omnes non posse irritari à parentibus, si contingat, impuberes voluntarie in sacris ordinari; quanquam enim illud graue peccatum sit, tam ex parte ordinantis, quàm ordinati; tamen

*Parentes nō possunt irritare votū solemne castitatis annexū sacris ordinib. si filius impubes ordinetur. Solutā 1ª.*

tamen ordinatio tenet, & consequenter votum castitatis illi annexum ratum omnino est, & firmum saltem ex statuto, & consuetudine Ecclesiæ, vt infrà suo loco latiùs dicemus. Votum autem solēne professionis irritatione non indiget, quia irritū per se est, si ante annos pubertatis fiat; imò nunc necessaria est ætas sexdecim annorum, iuxta Conc. Trid. sess. 25. c. 15. Vnde licet olim transacto anno, & die pater non posset irritare tale votum filii, c. *puella* 20. qu. 2. Nunc necessarium est, vt prædicta ætas sit completa ad hoc, vt tale votum ratum sit; non posset tamen nunc pater filium, vel filiam, quæ annum 14. iam expleuit, extrahere è monasterio contra voluntatem eius: nam licet religiosus nondum sit, potest tamen velle ibi esse, vt probetur, ac tandem suo tempore profiteatur; & in hoc sui iuris iam est: de quo etiam infra latiùs in proprio loco.

5. *Opinio aliquorum est, non posse patrem post annos pubertatis irritare votum religionis à filio impubere emissum. Fundamētum.*

Omisso ergo voto solemni, de simplici aliqui censent, licet factum sit ante pubertatem solo tractu temporis ita firmari, vt post illam ætatem completam irritari à patre non possit, siue pater consenserit, vel sciuerit votum, siue non; & siue puer denuò illud confirmauerit in adulta ætate, siue de illo nihil ampliùs cogitauerit. ita tenet Sot. libr. 7. de iustitia quæstione 3. articulo vltim. in fin. quem sequitur Aragon. 2. 2. quæstione 88. artic. 9. Ratio est, quia ius non dat potestatem patri irritandi tale votum, nisi pro tempore pueritiæ, & ante pubertatem. Ergo transacto illo tempore, patris etiam potestas cessauit. Secundò, quia dominus potest irritare votum serui, dum est seruus; si autem iam factus est liber, non poterit irritare illud, etiamsi in seruitute fuerit emissum: ergo similiter, &c. Tertiò, quia persona iam non subest potestati patris; ergo nec vota. Pro hac sententia citari solet Angel. sed immeritò, quia verb. *votum*. 2. n. 6. sententiam habet singularem; nam de voto religionis facto ante pubertatem censet, omninò non obligare etiam post pubertatem; & ideo de hoc voto sentir non potuit cum dictis authoribus, vt per se constat. De aliis autem votis impuberum ferè idem sentit, quod de votis puberum: & de votis quidem realibus ait, posse irritari vsque ad 25. annum; de aliis verò tantùm dicit, posse irritari. Nec aliud explicat. In eo autem, quòd posuit terminum illum 25. annorum, etiam pro puberibus, fauet prædictæ sententiæ, vt mox explicabo.

6. *Secunda conclusio. Parentes possunt irritare post annos pubertatis votum filii impuberis, dummodo illa vota expresse, & nō tantùm tacitè filius non confirmauerit post annos pubertatis. Probatur.*

Nihilominus dico secundo. Probabilius est, talia vota posse irritari à parentibus. quam sententiam tenet Caiet. 2. 2. q. 8. art. 5. Eandem sequutus est Nauarr. c. 12. num. 71. & Wald. 3. p. Candelabri cap. 14. num. 100. Ludou. Lopez 1. p. cap. 48. Vt verò melius intelligatur, & confirmetur hæc sententia, distinguamus varios status talium votorum, & certa ab incertis separemus. Primò ergo fieri potest, vt filius perueniens ad ætatem puberem, confirmauerit tale votum; & tunc certum est, iam non posse irritari, sicut antea; sed computandum esse sicut alia vota post pubertatem emissa, de quibus statim. Ratio est, quia per illam confirmationem, est tanquam de nouo emissum. Solùm in hoc quæri potest, an hoc habeat locum, solùm quando confirmatio fuit expressa per distinctam voti recogitationem, ac voluntatem, vel sufficiat tacita, sicut solet sufficere in professione, etiam ad validandam illam? videtur enim in de sumi argumentum à fortiori, vt hìc etiam tacitus consensus sufficiat. Dico tamen hìc non habere locum tacitam confirmationem, sed necessariam esse expressam. Ratio est, quia votum illud non fuit nullum, sed validum, licet infirmum: vnde quandiu non accedit voluntas expressa confirmandi, vel denuo emittendi illud, solum potest intercedere voluntas implendi illud; per hanc autem voluntatem nūquam firmatur tacitè id, quod erat infirmum, sed solùm eius obligatio expletur, quæ vere inerat.

Explicatur, & confirmatur exemplo professionis tacitæ; de qua dicunt doctores omnes, si professio prior fuit nulla, nunquam tacitè iterum fieri, quandiu prior professio seruatur sub existimatione valoris, & obligationis illius, vt patet ex Caiet. 2. 2. q. 189. artic 5. Nauarr. cap. 12. n. 71. & in consiliis tit. de Regularib. sæpius. & Sylu. verb. *Matrimonium*. q. 10. & Doctores communiter cap. 1. de Regular. in 6. Cuius ratio est, quia illa existimatio, & ignorantia impedit nouam voluntatem vouendi; & facit, vt solùm habeatur voluntas implendi votum existimatum; quæ non satis est ad denuò vouendum. At verò in præsenti semper adest non falsa, sed vera existimatio obligationis voti; & ex illa seruatur. Ergo si nulla alia adest voluntas, illa non satis est ad firmandum votum; ideo hìc nihil oberit, siue intercedat ignorantia existimando illud votum esse inde omnino firmum, & non posse irritari, siue semper agnoscatur vt votum infirmum, & irritabile; quia vtroque modo non confirmatur per solam continuam obseruationem sine expressa voluntate confirmandi illud. Quia si ignorantia prædicta intercedat, res est per se clara; imò tunc etiam expressa voluntas non sufficeret, vt sentiunt Caiet & Nauarr. quia si puer post 14. annum vult perpetuò seruare illud votum, quia putat, iam non esse irritabile à parente; illa ignorantia tollit perfectum volūtarium, & ex hac parte impedit ne votum confirmetur. Nam qui sic operatur, potiùs supponit, votum esse firmum, & ideo vult seruare illud, quàm velit illud confirmare. Si verò adsit vera existimatio, etiam tūc illa obseruantia non procedit ex eo, quòd tale votum cognoscatur esse firmum, vt ea ratione, præsumatur voluntas firmandi illud: sed procedit solùm ex eo, quod cognoscitur esse obligatorium. Et ideò nihil inde colligi potest, nisi voluntas seruandi votum, quæ non sufficit ad illi firmitatem addendam. Est ergo necessaria expressa voluntas.

7. *Confirmatur professio nulla, non fit valida per tacitā, & quando. Probatur.*

8. *Ter. conclusio. Si pater cōfirmauit votum filii post annos pubertatis, iam non potest amplius irritare. Probatur.*

Secundò fieri potest, vt ex parte vouentis nulla facta fuerit confirmatio, fuerit autem ex parte patris. Et tunc quod ad præsentem quæstionem attinet, certum existimo, non posse patrem ampliùs tale votum irritare. Tamen vt generaliùs rem definiamus, distinctione opus est. Aut enim postquam pater habuit ratum illud votum, iam filius excessit annos pubertatis, vel infra illos adhuc permanet. In priori casu certum existimo, iam non posse patrem irritare. Probatur. tale votum irritare, hoc saltem conuincunt rationes prioris sententiæ. Item quia votum illud iam fuit omninò firmatum per eum, qui habebat potestatem, & totum tempus, pro quo illi data est potestas, iam est elapsum; ergo non potest ampliùs irritare. Aliàs talia vota semper pro toto tempore vitæ manerent infirma, quantumuis pater illa rata habuisset: quod plane est absurdum, nulloque fundamento affirmari potest. Et idem iudicium est, si pater intra pubertatem votum ignorauit, & quamprimùm illud resciuit post pubertatem, illud confirmauit. iam enim ampliùs irritare illud non potest. Et hoc solum est, quod ad præsens dubium pertinere poterat.

9. *Qu. ratio conclusio. Si pater ratū habuit tale votum intra annos pubertatis, ad huc impe-*

Addo verò in alio casu rem esse dubiam; vt, v. g. si filius 13. anno ætatis votum religionis fecit, & pater statim illud ratum habuit, an possit nihilominus illud irritare toto anno sequenti, quandiu ætas 14. annorum impleta non est? Nam ex dictis de prælatis religionum videtur sequi pars affirmans. Nam prælatus potest validè irritare votum à se confirmatum, etiamsi irritando peccet; ergo idem dicendum est de

est de patre saltem pro eo tempore, pro quo durat potestas eius in filium, sicut durat potestas prælati in religiosum. In contrarium vero facit, quia iam ille actus vouendi fuit omnino traditus Deo per consensum vtriusque voluntatis, à quibus pendere poterat; ergo non potest amplius irritari, quia iam non manet sub dominio patris. Nec videtur esse similis de religioso, quia ille manet semper subditus quoad materiam, & ideo saltem ex parte materiæ poterit semper votum illius valide irritari à superiore; quod in religioso fere pro eodem reputatur; quia eius subiectio perpetua est. Hic autem materia non est subdita patri, nisi forte pro tempore, quo durat minor ætas: vnde quoad hoc verum est, posse patrem nolle, vt ante inchoatam pubertatem tale votum non impleatur; non tamen videtur, posse illud auferre quoad vinculum ipsum, propter rationem factam. Atque hæc pars est satis probabilis; & in eam superiori tomo tract. de voto lib. 6. cap. 6. num. 16. & cap 8. num. 7. magis inclinaui. Nihilominus oppositam, re nunc maturius considerata, probabiliorem censeo. Moueor primo ex potestate prælatorum religionis ad irritanda vota subditorum, quæ propter similem licentiam, seu confirmationem non amittitur, vt eodem lib. 6. cap. 8. ostendi. Secundo quod voluntas pueri pro toto illo tempore semper est infirma, & patri subiecta. Et ideo confirmatio patris semper habet tractum successiuum durante illa ætate, vt non intelligatur plene, & absolute facta, donec illa ætas consummata sit; nec pater confirmando votum abdicauit se potestate patria in filium etiam quoad illum effectum. Et ideo si illa vtatur, validum efficit actum, licet ex alio capite male sua potestate vtatur, si sine causa illud irritet.

10. Tertio potest fieri, vt pater nunquam confirmauerit tale votum. Quod duobus modis potest accidere. Primo, quia illud omnino ignorauit: secundo, quia licet sciuerit, suspendit voluntatem ab actu, & nec approbare voluit, nec irritare. In vtroque casu censeo veram secundam opinionem supra positam, sed in priori magis certam, quia votum illud à principio fuit infirmum, & nunquam firmatum fuit, neque à vouente, neque à patre; ergo semper est infirmum; ergo quantum est ex se, semper est irritabile; sed in patre non deest potestas, quia illam à principio habebat, & illam non exercuit tacite, vel expresse votum confirmando, & per solam temporis successionem illam non amisit; quia nulla lege limitata est illa potestas, vt solum ac necessario debeat exerceri antequam filius annos pubertatis attingat, sed solum vt circa vota pueritiæ exerceri debeat. Itaque obiectiue (vt sic dicam) respicit illa potestas filium impuberem, & actus talis ætatis, non tamen secundum coexistentiam tantum durat, aut operari potest, quandiu durat ætas impuberis; sed semper dum modo respiciat actus pueritiæ, vt sic.

11. Confirmatur, quia votum illud à principio inclusit hanc conditionem, nisi pater contradixerit, vt D. Thomas hic, & omnes fatentur; ergo semper manet pendens ab illa; ergo quotiescunque illa ablata fuerit, cessabit votum. Dices, conditionem intelligi, si non contradixerit intra debitum tempus, scilicet ætatis puerilis. Sicut etiam limitanda est illa conditio, si non contradixerit, antequam confirmetur. Respondeo, hanc posteriorem non esse limitationem, necesse necessariam additionem; quia licet votum sub ea conditione simpliciter sumpta fiat, quando in maiori ætate postea confirmatur, tollitur conditio, quia veluti de nouo fit absolute votum. Prior vero limitatio petit principium; nam de hoc disputamus: filius enim ex speciali sua intentione non apponit talem limitationē, imo sæpe ipsam conditionem excludit, sed iure ipso intelligitur posita; in iure autem nulla talis limitatio habetur, nec certa aliqua ratione colligitur, cum votum illud non confirmatum, semper habeat eandem imperfectionem, & potestas hæc data sit parentibus, vt subueniant imperfectionibus, & imprudentiis filiorum. Quæ ratio semper habet locum respectu actus præteriti, vt factum fuit ex imperfecta prudentia, & immatura ætate, etiamsi alias tempus ætatis elapsum sit; quod videtur valde materiale.

Confirmatur à simili argumento textus in cap. vlt. de sent. excomm. vbi conceditur Episcopis facultas absoluendi ab excommunicatione canonis, *si quis suadente*, pueros, qui ante annos pubertatis in eam inciderunt. Et additur, absolutionem posse eis dari siue ante, siue post annos pubertatis postulent se absolui: subiungiturque optima ratio, quæ ad rem præsentem facit, cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus. Quia ergo ratio illius indulgentiæ non est defectus ætatis, in qua absolutio datur, sed in qua delictum committitur; ideo illa extensio merito fit; sed in præsenti ratio huius irritationis non est defectus ætatis, in qua irritatio datur, sed in qua votum fit; ergo similis extensio hic est admittenda. Vnde optime ibi Panorm. n. 2. & Felin. n. etiam 2. ex eo textu colligunt, beneficium semel indultum minori, ex quo incepit habere locum, non extingui per superuenientiam maioris ætatis. Quod autem votum in minori ætate factum possit irritari à patre, est beneficium minori concessum: non ergo tollitur per solam ætatem sine noua voluntate; denique fauores ampliandi sunt. *Confirmatur.*

Atque hæ rationes ostendunt, idem esse dicendum, etiamsi pater sciuerit votum filii ante annos pubertatis, si illud non confirmauit positiue. Nam licet tunc illud non irritauerit, potest postea irritare. Sicut si mihi data esset potestas ad dispensandum vota omnia facta ante trigesimum annum ætatis; possem illa dispensare etiam in senibus, seu grandioribus, quanuis antea illa sciuerim, & illa non dispensauerim, quia illa potestas non respicit ætatem, quam habet vouens, cum dispensatur, sed quam habuit, cum vouit. Et prior scientia eius, qui potestatem habuit dispensandi, non impedit, nec minuit potestatem eius, quia liberum ei est, vti sua potestate cum voluerit, dummodo circa suum obiectum, & materiam operetur: ita ergo est in præsenti. Solum potest difficultatem facere quod Num. 30. dicitur, *Si pater audierit, & tacuerit, rea erit, &c.* vbi solum silentium paternum post cognitionem voti censetur sufficiens voti confirmatio, vt amplius irritari non possit. Expendit autem Caiet. ibi in Hebræo pronomen, *ei*, scilicet, si tacuerit ei; quo significatur, non sufficere, quod pater quomodocunque sciat, & taceat, sed oportere, vt requisitus à filio petente facultatem implendi votum suum, taceat; tunc enim tacendo consentire videtur, & ita interpretatur legem illam. Addo vero, etiam hoc modo interpretatam legem illam habuisse tunc vim obligandi in conscientia; nunc autem non habere, sed inspiciendam esse veritatem. Si enim pater etiam requisitus tacendo non habuit voluntatem confirmandi votum, sed solum suspendendi, & permittendi pro tunc, non manet votum firmum, sed potest illud irritare postea, & licite, & valide in quocunque tempore: dum tamen non irritat, filia tenetur obligatione voti, & ad illud implendum, prout in dicto cap. dicitur, & ex dictis constat. Si vero habuit animum confirmandi, & approbandi votum, confirmatum 12.

manet; & ita de illo seruanda sunt quæ in secundo puncto diximus.

13. *Fundamentum contrariæ opinionis dissoluitur.* Fundamentum Soti ex dictis solutum est; iam enim ostendimus, quomodo per solum lapsum ætatis puerilis non fuerit transactum tempus, in quo pater potest vti sua potestate circa vota illi subiecta; vnde quoad illa semper manet persona subiecta respectiue, id est, secundum opera illius ætatis, licet secundum præsentis ætatis actum non sit ita subiecta. Exemplum autem, quod de seruo afferebatur, non est simile, quia votum serui non est directe irritabile in seipso, sed solum ratione materiæ; & ideo mutata materia, aufertur omnis imperfectio eius, propter quam solam erat irritabile, vt alibi diximus.

14. *Sexta conclusio. Votum religionis, aut castitatis à filio pubere factum nullo modo potest à patre irritari.* Dico tandem tertio, votum religionis, aut castitatis esse validum, nec irritabile à patre directe, vel indirecte tam simplex, quam solemne à filio pubere factum etiam inuitis parentibus. Est sententia communis Doctorum omnium S. Thomæ 2.2. q. 88. art. 8. & 9. & infra q. 189. art. 2. Caiet. Aragon. eisdem locis, aliorumque Theologorum in 4. d. 88. præsertim Dur. q. 1. Richard. & supplem. Gabr. Summistæ verb. *votum*, & verb. *Religio*, vbi Sylu. *Religio* 2. q. 15. & *votum* 3. q. 6. Nauarr. cap. 12. n. 64. Summa Confessorum lib. 1. tit. 8. q. 30. vbi refert Innocentium, Hostiens. & alios. Idem habent expositores in cap. 30. Numer. Nicol. de Lira, Abulens. Carthus. & alii. & habetur expresse in cap. *si in qualibet*. & cap. *puella* 20. q. 2. vbi Turrecrem. & alii. Sumitur etiam ex cap. *ad nostram*, vbi Doctores de Regularib. & ex l. *Deo nobis*. §. hoc etiam. C. de Episc. & cler. & in Auth. *de sanctiss. Episc.* c. 41. Ratio vero satis constat ex dictis; quia tale votum ex parte vouentis perfectum est, & ex parte materiæ non præiudicat parenti; quia in his, quæ spectant ad statum propriæ personæ, & præsertim in ordine ad diuinum obsequium, filius habet plenum dominium sui ipsius. Hic vero duplex occurrebat cum hæreticis disputatio. Prior, an liceat, vel expediat hominibus in iuuenili ætate perpetuam castitatem vouere, aut religionem profiteri etiam ex voluntate parentum? Posterior est, an filiis in quacunque ætate liceat ingredi religionem inuitis parentibus? Hæretici enim huius temporis vtrumque negant: vera autem, & sana doctrina vtrumque affirmat, & approbat per se loquendo, & remotis extrinsecis, & accidentalibus impedimentis. Sed de hac re infra in proprio loco disputandum est; legatur Waldens. lib. 3. de sacramentalib. tit. 9. cap. & Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 35. & 36.

15. *Vltima conclusio. Prælatus non potest irritare votum religionis ex arctiori à subdito factum.* Vltimo inquiri posset hoc loco de potestate, quam habent prælati religionum erga subditos ad irritandum votum religionis, si forte illud emittant. Circa quod dubium tantum esse potest circa votum transeundi ad arctiorem religionem, an illud irritare valeant. Sed de hoc iam tractauimus superiori tom. tract. de voto variis in locis, videlicet lib. 3. cap. 6. n. 23. & lib. 6. cap 7. n. 9. & c. 10. n. 16. ibique cum communi Doctorum sententia diximus non habere potestatem prælatos ad hoc votum irritandum: videri etiam potest Sanch. in Decal. lib. 4. de voto cap. 33. n. 2.

## CAPVT VII.

### *Quodnam, seu quale religionis votum sit reseruatum quoad dispensationem, seu commutationem.*

1. SVpponimus ex tomo præcedente, tract. de voto lib. 6. cap. 21. quinque esse vota summo Pontifici reseruata quoad dispensationem, & commutationem; vnumque ex illis esse votum religionis. Nunc vero inquirimus, quinam religionis modus sub hac reseruatione comprehendatur? supponendum ve-

ro est ex dictis lib. 2. huius tractatus, nomen religionis hic proprie accipi pro statu vero, & proprio religionis, qui vt talis sit, debet esse ab Ecclesia approbatus; alioquin non est vera religio, vt supra diximus; ac propterea omnia vota pertinentia ad alios viuendi modos, quantumuis honestos, & laudabiles, non sunt vota religionis; & ideo non sunt reseruata, sed per Episcopum dispensari possunt. *Votum religionis ab Ecclesia non approbata non est Papæ reseruatum.*

2. *Votum religionis dupliciter accipitur.* Secundo est obseruandum, votum religionis dupliciter accipi posse. Primo pro voto, seu votis, quibus status ipse religionis quasi formaliter constituitur, vt sunt vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Secundo pro simplici promissione assumendi talem statum. Et vtroque modo verum est, votum religionis esse Papæ reseruatum: tamen iuxta communem sensum Doctorum in hoc puncto præcipue accipitur votum religionis posteriori modo: nam de aliis votis, quoniam solemnia regulariter sunt, non solum certum fuit semper esse reseruata summo Pontifici, sed etiam adhuc aliqua controuersia est, an ipse possit in illis dispensare? quam infra suo loco tractabimus. Quia vero nunc aliquis status religionis per vota simplicia constituitur, indubitato tenendum est, etiam illa vota esse reseruata, & à solo summo Pontifice, vel ex eius expressa commissione dispensabilia: quod in votis coadiutorum, & scholarium societatis manifestum est ex Bullis Pontificiis, & ex aliis, quæ infra suo loco afferemus; ex quibus etiam constabit, hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, vt priuati Episcopi non possint ex vero, & proprio religioso facere non religiosum; quod tamen fit, quando in votis illis, quibus religiosus formaliter constituitur, dispensatur.

3. *Conclusio. Votum religionis siue generaliter, siue specialiter factum, est reseruatum.* Atque hinc vlterius colligimus loquendo de voto religionis alio modo magis vsitato pro simplici promissione assumendi statum religiosum; illud votum generaliter accipiendum esse pro promissione cuiuscumque status religiosi, dummodo proprie, & simpliciter religiosum constituat; duobus enim modis potest tale votum fieri. Primo generatim de religione nullam in particulari determinando, secundo determinate de hac, vel illa religione; & vtroque modo tale votum reseruatum est sine vlla restrictione. Et ratio est, quia vtrumque absolute est de statu religionis. Nam quælibet species continet in se genus; vnde votum talis religionis votum religionis est. Et è conuerso genus non est extra species; & ideo votum religionis absolute factum in aliqua determinatione impleri debet. Et ideo omnis religio, quæ sufficiens est ad implendum illud generale votum, est etiam sufficiens, vt votum de illa in particulari factum sit etiam reseruatum. *Probatur.*

4. *Infertur primo. Votum ingrediendi societatem in particulari est reseruatum.* Ex quo infero primo votum ingrediendi societatem in particulari esse reseruatum, non solum quia etiam in ea religione fit solemnis professio, ad quam potest illud votum religionis terminari; verum etiam si definite fiat de statu aliquo huius religionis, qui solis votis simplicibus formatur, & consummatur. Ratio est, quia etiam tale votum est simpliciter vere, ac proprie votum religionis, sicut status ille vere, ac proprie religiosus est. Item quia votum religionis absolute factum sufficienter impletur assumendo illum statum. Imo votum alterius religionis, in qua solemnis professio fit iuxta Pontificum concessiones, & declarationes, sufficienter impletur ingrediendo societatem, & prædicta vota in ea emittendo, vt constat ex compendio priuilegii ipsius societatis verb. *commutatio*. 2. Quod si quis obiiciat, ante natam societatem votum religionis reseruatum tantum fuisse illud, quod continebat promissionem in ordine ad professionem solemnem religionis. Respondetur, etiamsi hoc demus, nihilominus Ecclesiæ

clesiæ vsum, & institutionem declarasse, id non fuisse ob necessitatem iuris, sed facti, id est, non fuisse quia formalis ratio religionis id postularet, sed quia forsasse non erat verus, ac proprius religionis status, qui solis votis simplicibus constitueretur. Instituto autem hoc statu, votum religionis ex se illum etiam comprehendit. An vero ante societatem fuerit in Ecclesia huiusmodi status, infra suo loco disputabimus.

Secundo intelligitur ex dictis, an votum assumendi religionem militarem sit reseruatum, necne; id enim maxime pendet ex alia quæstione, an ille status sit vere, & proprie religiosus, non solum secundum primam institutionem, sed prout nunc est in vsu? Illa vero nunc prætermissa (infra enim occurret commodior locus) in præsenti distinguendum censeo; habent enim hæ religiones duas partes, clericorum scilicet, & militum. Quod ergo attinet ad statum clericorum, non dubito quin votum religionis de illis in particulari reseruatum sit, quia illi sunt veri religiosi, veramque professionem faciunt, & vota etiam solemnia emittunt. Item quia votum religionis absolute factum in qualibet illarum sufficienter impletur, nisi de intentione vouentis aliud constiterit, vt recte Cordub. in summ. q. 148. De militibus autem subdistinguendum. Aut enim loquimur de militibus sancti Ioannis, & si qui sunt alii, qui ita profitentur religionem, vt vxorem valide ducere non possint; & votum talis religionis in particulari reseruatum esse censeo, quia existimo tale votum esse veræ, & propriæ religionis. Et quia absolutum votum religionis etiam posset impleri illa religione militari suscepta, nisi intentio vouentis obiiceret; quanuis oppositum censeat Cordub. supra, in quo non loquitur consequenter. Nam infra q. 178. docet, talem esse religiosum statum horum militum, vt non solum impediat matrimonium contrahendum, sed etiam dirimat contractum contra Sotum, qui sine vllo fundamento oppositum dixit in 4. d. 27. q. 1. art. 4. in fin. Ex hoc autem fundamento colligit ipse in priori quæstione, votum religionis impleri sumendo clericalem habitum S. Ioannis; ergo idem dicere debuit de habitu militari. Quare non dubito, quin votum talis religionis reseruatum sit. Quod etiam tenuit Aragon. 2. 2. q. 88. art. 11. Azorius. 1. lib. 13 cap. 4. q. 4. Emman. Roder. in expositione Bullæ n. 123. De voto autem sumendi militarem habitum in aliis religionibus, verisimilius censeo non esse reseruatum; quia nec votum religionis absolute factum in illis impleri censetur, nec secundum communem existimationem tale votum censetur esse religionis simpliciter. Nec propterea nego, has religiones militares etiam quoad milites ad matrimonium habiles, esse veras religiones, quantum ad essentiam religionum; hoc enim infra examinandum est: sed solum assero habere illum qualemcunque statum religionis ita admixtum statui sæculari, & temporalibus curis, ac solicitudinibus, vt talis status prout est in talibus personis, non possit, comprehendi nomine religionis simpliciter dictæ quoad obseruantiam votorum, & quoad exercitum vitæ religiosæ; & consequenter per solum illum non satisfieri generali voto religionis; quod etiam ostendit communis praxis, & consuetudo: nullus enim timoratus, qui votum religionis emisit, putat se implere illud assumendo huiusmodi habitum militarem.

Vlterius vero dubitari potest circa alios modos vouendi religionem, an sub hac reseruatione comprehendantur? Nec disputo nunc de modo vniendi conditionato, vel absoluto: nam de hoc iam dictum est tract. præcedenti dicto lib. 6. de voto cap.

22. Sed intra latitudinem voti absoluti potest esse duplex modus vouendi religionem: vnus est vouendo tantum ingredi religionem: alter est vouendo perseuerare; & mori in religione; hos enim duos modos communiter distinguunt authores vt diuersos; & de posteriori quidem manifestum est, esse reseruatum, quia est perfectum in illo ordine, quantum esse potest ex vi modi, ac perpetuitatis obiecti. Vnde si illud non esset reseruatum, nullum votum religionis intelligi posset reseruatum. De voto autem priori modo facto potest esse nonnullum dubium, quia illud videtur solum esse votum temporale, quod non est reseruatum, sicut de castitate diximus. Antecedens patet, quia votum illud solum obligat ad ingrediendum religionem, non vero ad perseuerandum in illa; vel si ad hoc aliquo modo obligat, solum est sub conditione si non displicuerit, vel non sit nimis onerosa religio, aut aliquid huiusmodi. Vnde etiam ex hac parte reseruatum non est saltem ante impletam conditionem.

*Dupl ex esse potest votum absolutum religionis.*

*Prima assertio. Votum ingrediendi religionem & perseuerandi, est reseruatū.*

Nihilominus pro certo habendum est, etiam votum illud esse reseruatum. ita sentiunt omnes Doctores. Nam licet hoc in particulari non disputent; tamen hoc ipso supponitur, quoad reseruationem nullam esse differentiam inter illa duo vota, quod est manifestius iuxta sententiam eorum, qui putant, illa duo vota non habere effectus distinctos quoad obligationem. quod sentit Sot. lib. 7. de iust. q. 2. art. 2. ad 3. Idem vero dicendum est, etiamsi teneamus, hoc votum minus obligare, quam votum perseuerandi. Quod magis videtur sentire D. Thom. 2. 2. q 189. art. 4. Et sequuntur Caiet. ibi, & communius Doctores. Ratio est, quia etiam tale votum est votum religionis simpliciter, & absolute, quia in obiecto illo nulla conditio à vouente apponitur; simpliciter enim vouet religionem, quod est vouere esse religiosum, hoc autem ex se perpetuum est. Si autem in illo voto subintelligatur aliqua conditio, solum est illa, quam ius ipsum apponit, scilicet esse religiosum præmissa probatione; & ex illa, vel post illam prudenter iudicando sibi religionem congruere. Conditio autem iure ipso imposita non sufficit, quo minus votum absolute, & simpliciter tale sit; nam quod secundum ius faciendum promittitur, simpliciter, & absolute promittitur. Et hoc probat etiam consuetudo, in qua hæc reseruatio fundatur; ordinarie enim votum religionis fit tantum hoc modo; & nihilominus semper censetur reseruatum.

7. *Secunda assertio. Votum ingrediendi tantum religionem, etiam est reseruatum.*

*Probatur rationis.*

Ex quo infero, quod licet tale votum expresse fiat sub intentione ingrediendi, & probandi religionem, & exeundi, si non placuerit, nihilominus votum esse reseruatum, quia totum hoc non excedit conditionem à iure ipso positam. Vnde D. Thomas supra significat, hoc votum non esse diuersum à voto religionis absolute facto; sed solum explicite continere quod in alio erat implicite. Sed quid si aliquis voueret religionem ingredi sumendo habitum nouitiorum cum expressa intentione, vt post susceptum illum habitum non sit magis obligatus ad professionem faciendam, quam si absque voto eundem habitum suscepisset. Quidem putant, tale votum esse vanum. & nullum, quia ingredi religionem sine animo perseuerandi, non est laudabile, sed potius est nonnullum peccatum, quia tale propositum est contra finem illius ingressus. Sed in hoc distinctione opus est, fateor enim ingredi religionem cum proposito absoluto exeundi ante professionē, quicquid de religione iudicet post experimentū eius, esse actum inordinatum, & contra rationem, & aliquo modo iniuriosum ipsi religioni. Vnde si quis voueret ingredi illo modo, coniungendo scilicet, illa duo in obiecto voti, votum esset illicitum, & nullum saltem

8. *Tertia assertio. Votum religionis expresse facta sub intentione ingrediendi, & probandi religionem, & exeundi, si non placuerit, est adhuc reseruatum.*

saltem quoad alteram partem, scilicet habēdi in ipso ingressu propositum exeundi. Nam quoad aliam, scilicet quoad obligationem ingrediendi, videtur esse validum tale votum; quia illæ sunt duæ partes; vel duo actus, qui per accidens coniunguntur, in quibus locum habet illa regula: Vtile per inutile non vitiatur; sicut communiter dicitur de voto eundi Hierosolymam modo aliquo indecente, aut impossibili. Nam tunc secluso modo videtur obligare ad substantiam actus; de quo in superioribus dictum est. In præsenti autem probabile est, tale votum esse nullum; quia intentio vouentis esse videtur obligare se ad illum modum ingrediendi, & non alias. Et quoad rem præsentem spectat, si validum esset, profecto non esset reseruatum; quia reuera non est votum religionis, sed solum induendi pro aliquo tempore habitum religionis. Longe tamen diuersum est, votum supra positum, scilicet ingrediendi religionem absque vlla obligatione perseuerandi in illa; nam hoc sine dubio est bonum, & validum votum: non enim excludit propositum perseuerandi, sed obligationem, quod longe diuersum est. Imo non videtur multum diuersum hoc votum ab illo, quod est de religione absolute, vel ab illo, quod est cum expressa conditione probandi, & experiendi, an religio expediat. Solum in hoc vltimo modo declaratur, quod hæc probatio, & experientia futura sit tam libera, tamque sine obligatione, vel scrupulo, ac solet esse in his, qui ingrediuntur sine voto; quæ conditio non est illicita, nec imprudens, quia ille modus ingrediendi religionem licitus est; ergo obligare se ad illum præcise non est malum: est ergo obligatorium, vt non impediat maius bonum, sed potius ex se possit ad illud conferre. Quare etiam censeo, hoc votum esse religionis simpliciter, atque adeo reseruatum; quia est absolute de ingressu religionis, retento integre priuilegio iuris, quod non minuit vetam rationem voti religionis. Nec potest dici, tale votum esse temporale, quia licet positiue non includat perpetuitatem, non tamen excludit illam, imo quantum ex se est, tendit ad illam; & hanc doctrinam tenet Palud. in 4. d. 38. q. 4. art. 4. nam licet sæpe ibi appellet hoc votum religionis temporale, tandem concl. 3. in fin. concludit esse reseruatum Papæ, & fatetur inter perpetua computari, quia potest esse perpetuum, & ad hoc tendit. Refertque praxim Romanam esse, vt nec summus Pœnitentiarius in ea possit dispensare ordinaria potestate, qui tamen non minorem potestatem habet, quam Episcopi. Quod sequitur Antonin. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 9. votum 4. vers. 6.

## CAPVT VIII.

### *Vtrùm hoc votum quoad gradum arctioris religionis sit ita reseruatum, vt nec ab Episcopo, nec ab alio S. Pontifice inferiori dispensari, seu commutari valeat.*

1. NOn dubitatur, an votum de aliqua religione stricta sit secundum se totum reseruatum, vel possit quoad gradum per Episcopum dispensari, scilicet, vt in religione laxiori impleatur. Ratio dubitandi esse potest, quia hæc vota non tantum sunt reseruata quoad dispensationem, sed etiam quoad commutationem; vt suppono ex communi sententia, & communi consuetudine. Sed illa est commutatio quædam adiuncta dispensatione; ergo non potest fieri authoritate inferioris circa votum reseruatum. Vnde Nauarr. Comment. 4. de Regular. num. 10. ait tale votum de aliqua religione determinata non posse commutari in religionem etiã æqualem, nisi à summo Pontifice, vel de eius authoritate. Quod ipse probat, quia superior religionis non potest talem commutationem facere, quia nondum habet iurisdictionem in eum, qui tale votum emisit. Quæ ratio quoad dispēsationem ad laxiorem efficaciter probat tam de superiore illius religionis, de qua factum fuerat votum, quam alterius, in quam desideratur commutatio; nisi fortasse ad hoc habeat speciale priuilegium, vt multi habent, qui iam tunc authoritate Papæ dispensant. Non probat autem ratio illa de Episcopo, cuius nullam mentionem Nauarrus fecit. De illo autem solo potest esse dubium, quia ille adhuc est de iure communi proprius prælatus eius, qui tale votum emisit sub Pontifice summo; & quoad commutationem in religionem æqualem de neutro forte sufficienter constabit.

*Ratio dubitandi proponitur.*

2. Est igitur communior sententia votum strictæ religionis quoad gradum eius non esse reseruatum, sed per Episcopum posse dispensari, vt in laxiori impleatur. ita tenet Palud. in 4. d. 38. quæstione 4. & Antonin. 2. parte titulo 11. cap. 2. §. 9. Syluest. verb. votum 4. quæst. 3. §. 6. & expresse id consulit Nauarr. cons. 41. de voto. & sumitur ex eodem dict. comm. de Regular. num. 22. & idem tenuit Sot. & refert. Emanuel Roder. supra Henriq. lib. 7. de indulgent. c. 30. §. 6. litera E. Plures statim referam. Fundamentum est, quia talis dispensatio non est in voto religionis; solum dicitur dispensari cum aliquo in voto religionis, quando ei conceditur, vt libere possit in sæculo remanere: nam si manet ligatus, vel ad religionem in communi, vel ad aliquam in particulari; non potest dici simpliciter dispensatus in voto religionis. Ergo talis dispensatio reseruata non est, quia tantum votum religionis est absolute reseruatum. Et confirmatur ex primario fine huius reseruationis, qui est fauor status religiosi, quatenus talis est, non asperitatis, aut rigoris religionis. Vnde reseruatio voti religionis per se solum est, ne homines facile cadant, aut desistant à statu religionis. Confirmatur denique, quia hæc sententia vsu recepta est; vnde non est dubium, quin sit probabilior, & practice secura. Longe autem certius est, commutationem hanc non esse reseruatam, quando fit in æqualem religionem; imo tunc non solum authoritate Episcopi, sed etiam minori fieri posse existimo, quod patebit ex dicendis.

*2. Communior sententia docet, votum strictæ religionis non esse reseruatum, sed per Episcopum dispensari posse, vt in laxiori impleatur. Fundamentum.*

*Confirmatur.*

3. Sed contra dictam resolutionem fieri potest obiectio: nam sequitur, posse Episcopum dispensare etiam cum persona iam facta religiosa, & professa, vt ad laxiorem religionem transeat; quod videtur falsum. Sequela probatur, quia etiam illa non esset dispensatio in voto religionis, sed in asperitate, & rigore talis religionis. Minor autem patet, quia alias posset Episcopus dispensare cum religioso, vt retento statu, vel etiam habitu extra claustrũ viueret, &c. quia per hoc non dispensaret in voto religionis, sed in quibusdam obseruantiis eius. Vt hæc difficultas alicuius sit momẽti, procedere debet de religiosis non exceptis à iurisdictione Episcoporum: nam in exemptos non habet iurisdictionem; & ita facile negatur sequela argumenti. Et ratio differentiæ est, quia antẽ professionem persona est subdita Episcopo, & ideo potest cum illa dispensare; post professionem vero iam non est subdita, & ideo iam non potest dispensare cum illa non propter reseruationem voti, sed propter mutationem fori. Recte autem probat argumentum de religioso nouitio ante professionem: nam licet habeat votum illius religionis, cuius habitum gestat etiam directe factum ad perpetuo permanendum in illa; potest Episcopus cum illo dispensare vt ad laxiorem transeat, quia nouitius adhuc est sub iurisdictione Episcopi, quæ licet, durante nouitiatu, videtur esse suspensa; tamen quoad ea, quæ sunt iurisdictionis voluntariæ, & pendent ex li-

*3. Instantia allata soluitur.*

*Episcopus non potest in hoc voto dispensare cum religiosis professis à sua iurisdictione exemptis, potest vero cum nouitiis.*

ex libera voluntate ipsius nouitii, potest habere suum vsum, nihil enim est, quod impediat, suppositam rationabili causa; hæc enim conditio semper in hac materia intelligitur, vt iam dixi.

Difficultas ergo posita procedit de religiosis subditis Episcopo; & cum eadem proportione locum habet in exemptis respectu suorum prælatorum, quos loco Episcoporum habent. Multi ergo doctores concedunt id, quod in argumento infertur, scilicet, Episcopum posse dispensare cum religioso, verbi gratia, cum moniali sibi subdita. citatur Innoc. in cap. vlt. de renuntiat. & in cap. *Dilectus*. de temp. ord. Eidem sentit Panorm. in cap. *significatum*. de Regular. num. 11. vbi Abbas etiam antiquus idem dicit; restringit tamen hoc ad eos, qui ante maiorem ætatem, scilicet viginti quinque annorum, professionem fecerunt. Et in eodem sensu citat sententiam Innocentii. Idem tenuit Hostiens. in cap. *non est*. de Regular. qui expressius idem dicit de prælato religionis habente iurisdictionem Episcopalem vbi Panorm. etiam num. 6. simpliciter, & sine restrictione approbat sententiam Innocentii, quam tenet etiam Archid. cap. *Monachum* 20. quæst. 1. num. 5. Et eandem sequuntur Palud. Anton. & Sylvest. supra, qui solum aiunt, necessarium esse consensum capituli, vt prælatus possit talem dispensationem concedere, quod non probat. Ratio autem esse videtur propter ius, quod religio habet acquisitum in talem personam. Fundamentum autem huius sententiæ est, quia Episcopus in dispensatione votorum potest quidquid ei non prohibetur, vt supra diximus; sed hæc dispensatio ei non prohibetur; nullo enim iure id cautum est. Quin potius in d. cap. *significatum*. de Regular. hoc ei concedi videtur. Ergo. Et ita ad obiectionem factam iuxta hanc sententiam responsio erit concedere sequelam; quæ argumento etiam ibi facto suaderi videtur, quia non apparet maior ratio ante professionem, quam post illam.

5. Contrariam nihilominus sententiam tenent aliqui, & tribuunt Nauarro dicto cap. *statuimus*, seu comment. 4. de Regular. num. 10. in princip. citant glossam, quam dicit esse receptam in cap. *cum singula*. §. prohibemus. verb. *Canonicus*. de præben. in 6. Sed illa glossa, si attente legatur, hoc non dicit; verba enim eius sunt; si transiret ad laxiorem sine causa, solus Papa dispensat, cum sit contra iura; in quo non est recepta, quia & Panorm. supra, & in cap. *non est*. de Voto, & ipse Nauar. ibidem contrarium docent. Et merito, quia neque ipse Papa in hoc potest dispensare sine causa, quia dispensatio in voto neque ex toto, neque ex parte fieri potest sine causa. Dum vero glossa illa addit *illi* exclusiue restrictionem illam sine causa, significat, cum causa non solum Papam, sed etiam Episcopos posse dispensare in transitu ad laxiorem religionem, de quo nihil aliud expresse dicit. De transitu vero ad æqualem dicit, Abbatem, seu prælatum religionis posse ex causa ad illam dispensare. Præterea idem Nauarrus ibidem §. quinto, expresse refert priorem sententiam, quam amplectitur, & dicit esse communem, explicatque quod prius dixerat, intelligendum esse de potentia dispensandi sine causa quoad forum externum. Et ita etiam videtur interpretari prædictam glossam, in quo non immoror, dummodo pro certo supponatur, talem dispensationem sine causa datam, iniquam esse, & fortasse nullam, vt sequenti capite dicam. Cuiuscunque vero fuerit illa sententia, potest suaderi primo ex vsu Ecclesiæ, qui esse videtur, vt in huiusmodi casibus fiat recursus ad summum Pontificem. Quod etiam iuuari potest ex illa regula cap. *maiores*. de baptism. quod grauiores Ecclesiæ causæ ad summum Pontificem reseruantur. Inter quas non immerito numeratur transitus ab vna religione ad aliam laxiorem. Secundo saltem quoad mendicantes hoc videtur statutum à Martino IV. in Extrauag. 1. de Regularib. inter communes; vbi prohibentur. Regulares transire ad quamcunque religionem Monachorum sine facultate summi Pontificis. Generalius vero, & expressius Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de Regularib. sic statuit. *Nemo etiam regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem*. quæ verba habent vim reseruandi, & tollendi quamcunque similem facultatem, etiam si antea esset; alias non essent efficacia ad id, quod disponere intendunt.

Circa has sententias mihi quidem videtur priorem recte procedere iure antiquo, & communi; quia nihil inuenio in eo dispositum, quod illi obstet. Quod autem de consuetudine afferebatur, incertum est, & non videtur verisimile, cum tot graues auctores, quos nec consuetudo, nec virtus eius latere poterat, illam sententiam docuerint. Neque vnius, vel alterius translatio ad laxiorem religionem videtur esse res tanti momenti, vt propter solam rei grauitatem debeat censeri reseruata, si aliunde non constet. In præsenti autem non constat de tali reseruatione. Solum potest vrgere ratio supra indicata, quia per professionem religio acquirit ius in religiosum; & ideo non videtur sine suo consensu posse illo priuari. Quæ ratio non solum de laxiori, sed etiam de æquali probaret; imo & contra potestatem summi Pontificis fieri posset. Respondetur ergo in primis, hanc dispensationem non posse dari sine iusta causa, qua existente prælatus dispensare potest circa personam religiosi; sicut potest circa alia bona religionis, præsertim quia hoc vinculum religiosi cum religione totum ordinatur ad maius obsequium Dei, maiusque bonum spirituale ipsius religiosi. Causa autem iusta in præsenti casu semper debet respicere huiusmodi fines; & ideo in eo casu præsumitur religio consentire; & si non consentiret, censeretur irrationabiliter inuita. Quod quidem procedit non solum in Pontifice, sed etiam in Episcopo respectu suorum subditorum, quia habet ordinariam potestatem in omnes non exemptos. At vero in prælatis religionum exemptarum, quia potestatem habent iuxta peculiare ius vnius cuiusque religionis, ex illo iudicandum est an possint vti hac potestate sine consensu capituli, vel solum cum illo? Hæc dicta sunt de religiosis ante Concilium Tridentinum.

6. *Resolutio vera est, priorem sententiam esse veram, attendendo ius antiquum, & commune.*

At vero secundum nouum ius eiusdem Concilii dicendum censeo, neque Episcopum, neque prælatum religionis posse in hoc dispensare. Omitto statutum Martini IV. in dicta Extrauag. quia nec generale est, nec proprie tractat de hoc puncto, sed de transitu Mendicantium ad monachales ordines, quem prohibet, & in hoc suam vim retinet. Concilium autem Trid. generaliter prohibet transitum ad laxiorem ordinem prætextu cuiuscunque facultatis. quæ verba omnem licentiam, & dispensationem à Concilio irritabilem comprehendunt: Nam omnis dispensatio, & licentia, facultas quædam est; & dum Concilium vetat vigore illius transitum fieri, manifeste tollit ei huiusmodi vigorem, quod est illam irritare, & potestatem conferendam auferre. Hinc Gregorius XIII. in quadam Bulla, quæ incipit, *cum alias*, anno 1582. 22. Septembris Societati concessa, specialem facultatem concedit eius generali, vt possit eam dare religiosis eiusdem ordinis, etiam professis, vt ad quemuis alium vel mendicantium, vel non mendicantium paris, laxioris, aut arctioris obseruantiæ ordinem per ipsum Præpositum illis præscribendum transire valeant.

7. *Secundum ius nouum neque Episcopus, neque prælatus religionis potest dispensare in hoc voto cum religiosis professis.*

*Generalis Societatis Iesu potest dispensare, & absolute dare licentiam sibi subditis transeundi ad aliam*

Quam

*religionem parum laxiorem aut strictiorum obseruantia.*

Quam potestatem Generali concessam aperte sentit Pontifex esse extra ius ordinarium, & adeo singularem, vt etiam noluerit participari ab aliis religionibus ex vi generalis communicationis, quam plures habent in priuilegiis aliarum, prout in eadem Bulla expresse declarauit. Ergo signum est, sine facultate Pontificis non habere Generales religionum hanc potestatem, & consequenter, neque Episcopum circa religiosos sibi subditos, est enim eadem ratio. Vnde ad difficultatem positam negatur sequela. Ad probationem autem respondetur, hoc non prouenire ex generali reseruatione voti simplicis religionis, sed ex peculiari reseruatione voti solemnis, seu professionis, aut actualis vinculi status religiosi iam suscepti; quod vinculum voluit Ecclesia esse magis reseruatum non solum quoad substantiam, seu genus status, sed etiam quoad speciem, seu perfectionem eius. Solum superest aduertendum, Concilium solum loqui de laxiori religione; vnde quoad transitum ad æqualem manet hæc res in dispositione antiqui iuris, & in eo casu habet locum prior opinio stando in iure communi, quia si aliud statutum fuerit iure particulari alicuius religionis, illud seruandum est.

*Per Conc. Trident. prohibetur prælatus dare licentiã transeundi ad religionem laxiorem, ac proinde ad æqualem possunt dare secundum ius antiquum.*

8. Atque hinc etiam fit, vt possint prælati religionis cum suis subditis dispensare in voto transeundi ad arctiorem religionem priusquam transeant. Si vero iam sunt translati, & in ea sunt professi, non poterunt cum eis dispensare, vt ad priorem redeant. Prior pars sequitur ex præcedenti assertione, quia illud votum est simplex, & non reseruatum; & alias hi prælati respectu suorum subditorum quoad hanc partem æquiparantur Episcopis; & ita consequenter docuerunt Palud. Antonin. & Syluest. supra, & Sot. lib. 7. de iust. quæst. 3. art. 1. & quæst. 4. art. 3. & Nauarr. d. comment. 4. de Regularib. num. 22. in fin. & lib. 3. consil. tit. de voto, cons. 21. Et vtroque loco refert pro hac sententia Caiet. 2. 2. quæst. 189. art. 8. vel quæst. 88. art. 8. Sed in priori loco nihil dicit; in alio vero solum ait, tale votum religiosi esse firmum, nec posse à prælato irritari. De dispensatione autem nihil dicit in particulari, sed generatim ait, prælatum religionis habere omnem potestatem dispensandi cum subditis, quam habet Episcopus erga suos; quod est fundamentum huius illationis, vt diximus.

*Prælati religionis possunt cum subditis dispensare in voto transeundi ad arctiorem religionem priusquam transeant, post transitum vero, & professionem nequeunt dispensare, vt ad priorem redeant.*

9. Vltimum dubium in hac materia esse potest de hoc voto ingrediendi arctiorem religionem prout fieri potest ab aliquo sæculari antequam religiosus fiat, vtrum possit dispensari à prælato religionis laxioris, in quam postulat recipi? Cui respondeo, certum esse iure ordinario, non posse, quia persona, quæ illud habet, nondum est illi subdita. Dico iure ordinario, propter aliquas religiones, quæ habent à summo Pontifice priuilegia, vt illas ingrediens satisfaciat suæ obligationi, etiamsi votum habeat ingrediendi strictiorem religionem. Quod dupliciter potest Papa concedere; vno modo concedendo superioribus talis religionis facultatem dispensandi quoad hanc partem cum eo, qui recipiendus est. Et hoc modo concessit hoc priuilegium prælatis sancti Benedicti Eugenius IV. vt refertur in compendio Mendicantium tit. de dispensat. §. 28. Et refert etiam Emanuel. Roderic. tom. 1. quæst. Regular. quæst. 25. art. 6. Simili priuilegio vti possunt prælati Societatis Iesu, iuxta formam tamen præscriptam in compendio suorum priuilegiorum verbo *commutatio.* 3. vbi additur; *Si quis à Societate ante professionem recesserit, dispensationem cessare, ac iterum obligationem talia vota reuiuiscere.* Iuxta vero hæc, & similia priuilegia necessarium est, vt volens irritare religionem suum votum declaret superioribus eius, vt ab eis possit dispensari: quia quando dispensatio committitur prælatis, requiritur eorum actus, & voluntas, quæ sine cognitione voti esse non potest. Addit etiam Roderic. supra, necessarium esse in tam causam, quia nec Papa potest sine causa dispensare cum aliquo, vt ex arctiori religione transeat ad laxiorem, vt Sylvest. & Antonin. docuerunt. Et expresse Panorm. in cap. *non est de voto*, & Nauarrus comment. 4. de Reg. num. 10. Sed quo modo hoc verum sit, statim dicam. Alio ergo modo potest Papa concedere hoc priuilegium immediate ipsi religioni, ita vt non committat dispensationem prælatis talis religionis; sed ipse immediate, & velati ipso iure dispenset cum eo, qui vult talem religionem intrare, etiamsi votum alterius religionis strictioris habeat. Et tunc necessarium non erit, vt qui petit habitum talis religionis, suum votum explicet; satis enim est, vt sciat religionem illam habere tale priuilegium, & ideo oportet verba priuilegii diligenter expendere, vt intelligantur, an committant dispensationem, vel ipso facto dispensent.

*Si hoc priuilegium dispensandi conceditur ipsis prælatis tenentur qui illud recipi petunt aperte suum Superiorem, non ita si priuilegium conceditur ipsi religioni immediate.*

Sed quæres, an tunc peccet qui ingreditur religionem laxiorem cum tali voto? Distinguendum videtur iuxta præcedentem sententiam: nam si absque causa rationabili id faciat, non excusabitur à peccato, propter priuilegium, quia Papa ipse non potest in hoc dispensare sine causa; si vero ex causa fiat, tunc ratione dispensationis, quam secum affert priuilegium, nulla erit culpa. Ego tamen indistincte asserò, licitum esse tunc ingredi talem religionem absque alia causa propter voluntatem ingredientis, maxime si id faciat intuitu maioris boni spiritualis, quia nimirum ita est affectus, vt sperem, magis se in ea religione profecturum, quamuis alioqui laxior sit: nam in hoc iam continetur moralis quædam causa sufficiens. Veruntamen etiamsi motiuum non sit adeo spirituale, sed solum ex quadam humana fragilitate velit aliquid de rigore vitæ remittere, supposito priuilegio Pontificis, non existimo in eo facto peccare: Nam illud priuilegium absolute concessum validum est, & credendum est esse rationabile, & sanctum; & non postulat specialem causam ex parte personæ particularis, sed ipsum fauorem religionis supponit, vt sufficientem causam; ergo licite potest quis vti illo priuilegio, vt sonat; neque est, cur illi imponamus hoc onus quærendi aliam causam. Itaque censeo, quod licet Papa non possit absque vlla causa talem compensationem facere, sufficere tamen causam publicam pertinentem ad commune bonum, & fauorem huius religionis, etiamsi in singulis individuis non intercedant nouæ rationes, seu causæ.

*Habens votum religionis strictioris, non peccat ingrediendo laxiorem, quando non habet causam specialem, præter voluntatem, si velit ad id habeat priuilegium.*

*Probatur.*

Propter quod idem censeo quando priuilegium committit dispensationem superiori religionis: nam vt ille iuste dispenset, non tam debet quærere causam, quæ cedat in fauorem petentis, quam in fauorem suæ religionis. Vnde si iudicet, personam illam esse conuenientem, & aptam suæ religioni, potest cum illa licite dispensare absque alia speciali causa, quia hæc est sufficiens, & iuxta intentionem concedentis priuilegium. In quo differentia notanda occurrit inter eum, qui iam est professus religionem arctiorem; & eum, qui solum habet votum illius: nam cum priori non potest sine causa dispensati, vt ad laxiorem transeat, nec Papa posset concedere priuilegium, vt hoc facere liceat sine causa; quia tale priuilegium nec cederet in bonum particularis personæ, nec totius religionis, sed potius esset in destructionem eius: ergo relaxatio voti ex vi illius facta non posset esse valida. At vero quando nondum præcessit professio in religione strictiori, quanuis præcesserit votum simplex facilius potest alteri religioni

*Etiam in eo casu potest prælatus cum eo licite dispensare, vtilis religioni. Differentia inter dispensationem arctioris professi, & nondum professi, quod prima requirit causam, non ita secunda dispensatio.*

gioni priuilegium concedi, vt in ea censeatur implere votum de arctiori religione, quia tunc vni religioni fit fauor, & alteri non fit præiudicium; tum quia nondum est illi proprium ius acquisitum; tum etiam quia regulariter non expedit inuitum aliquem recipere, seu illum, qui ad laxiorem vitam propensus est. Panormitanus ergo & alii loquuntur de illo qui iam est professus in arctiori religione, & de illo negant posse per Pontificem mutari ad laxiorem sine causa. Quibus addo, quod ipsi, vt credo, non negarunt, non esse semper necessarium, vt hæc causa sit ex parte religionis ipsius, scilicet in bonum, vel commodum eius, sed posse sufficere ex parte alterius religionis, scilicet vel illius à qua fit mutatio, si illi expediat, talem personam à se remouere; vel illius, ad quam fit mutatio, quod maiorem quidem causam requirit propter ius, quod iam habet acquisitum altera religio; aliquando tamen potest esse sufficiens, vt si talis sit persona, quæ communi bono alterius religionis multum profutura sit.

## Caput IX.

### *Quomodo commutatio huius voti religionis, seu assumendi statum religiosum fit facienda.*

1. NOn tractamus hic de potestate faciendi talem commutationem, iam enim supra ostendimus, hoc votum reseruatum esse, tam quoad dispensationem, quam quoad commutationem eius: Nunc ergo supponimus dari hanc facultatem siue ex priuilegio, siue alio modo, & inquirimus, quomodo sit executioni mandanda. In hoc ergo voto de se perpetuo regulariter loquendo existimo, necessariam esse potestatem miscendi dispensationem, vt commode fieri possit commutatio, quia aliter difficile est attingere æqualitatem, non est tamen simpliciter impossibile, & ideo ad illud etiam extendi potest potestas pure commutandi. Deinde generatim loquendo; si votum sit perpetuum, & possit commode in aliud eiusdem ordinis, seu perpetuum commutari, consulendum est; ita enim facilius attingi poterit æqualitas.

2. Dico ergo, vt votum religionis commode commutetur, debere in primis commutari in votum sacerdotis, vel continentiæ perpetuæ, additis aliquibus operibus religionis, & misericordiæ, quibus suppleatur si quid deerat æqualitati. Debent autem illa opera aut imponi, vt perpetuo etiam durent; aut talia esse, vt eorum magnitudine duratio compensetur. Aliqui etiam putant, hoc modo votum ingrediendi arctiorem religionem posse commutari in votum ingrediendi, & perseuerandi in religione laxiori. Nam quod illud prius videtur excedere in perfectione religionis, compensatur in altero ratione maioris perpetuitatis in obiecto vt cadente in tale votum: sed hoc non sufficit ad æqualitatem; vnde nisi aliunde suppleatur, vel dispensetur, non existimo esse licitam talem commutationem, vt commodius inferius ostendam.

3. Potest autem in præsenti dubitari, an per generalem potestatem commutandi vota possit votum particularis religionis commutari, vel in æqualem vel in laxiorem, supplendo aliunde inæqualitatem? Hoc autem dubium ex dictis resolutum est. Dicendum est enim talem commutationem fieri posse ex vi illius generalis facultatis, si aliæ conditiones necessariæ concurrant. Ratio est, quia ibi non commutatur votum religionis, vt sic, sed vt est talis, vel talis religio; quod reseruatum non est. Et ideo potestas ad illam commutationem sub generali concessione comprehenditur. Qua ratione diximus supra, Episcopum sua potestate ordinaria posse facere hanc commutationem etiam admista aliqua dispensatione, quæ substantiæ religionis non repugnet. Generalis autem potestas commutandi comprehendit omnia vota, quæ Episcopus potest commutare, excepto quod per illam non potest misceri dispensatio, si solum ad commutandum detur.

4. *Votum pœnale potest commutari in materiam minus gratam, vt 9. votum religionis strictioris in votum laxius, si vouens libentius illam ingrediatur.*

Præter hæc vero in omnibus votis, & maxime in hoc & aliis perpetuis obseruandum est, an fuerint à principio pœnalia, quanuis iam obligent propter crimen iam commissum (nam de statu ante conditionem impletam iam dictum est;) tunc ergo in primis considerandum est, an talia vota comprehendantur sub potestate commutandi iuxta principia posita in tractatu de voto lib. 6. c. 23. nam quoad hoc eadem ratio est de commutandi potestate, ac dispensandi, seruata proportione. Deinde supposita potestate non immerito dubitari potest, an tale votum ex eo solum quod non obligat ad illam materiam, nisi vt pœnam possit in aliquid minus commutari? de quo nihil inuenio ab auctoribus dictum. Mihi tamen probabiliter videtur, posse id fieri, si materia illa, in quam fit commutatio, non multum distet à priori; & alioqui est gratior, & libentius fiet à pœnitente. Vt, v. g. si pœna imposita fuit intrandi strictam religionem, & commutatio fiat in aliam aliquantulum minus strictam, ad quam pœnitens libentius inclinatur. Et quidem si commutans habeat potestatem miscendi dispensationem, res est clara, quia illa est sufficiens causa. Si vero potestas sit ad puram commutationem, consideratione dignum est; obsequia coacta non esse ita grata Deo, sicut voluntaria. Et ideo licet vna illarum religionum sit perfectior alia; nihilominus ingressum in inferiori magis voluntarie susceptum, & cum maiori spe fructus moraliter reputari posse vel maius, vel æquale Dei obsequium; ideoque commutationem illam fieri posse non tantum titulo admistæ dispensationis, sed etiam puræ commutationis.

5. Dices, hac ratione posset quodlibet votum in minus commutari, si vouens proponat rem illam promissam iam esse sibi valde coactam, & aliam futuram esse magis spontaneam, atque ex hac parte suppleri quod deficit ex parte materiæ. Hoc autem admittendum non est: nam est fraudulentum & repugnans fidelitati promissionis factæ; maxime si illud inuoluntarium omnino liberum sit, seu potius non voluntarium, vt videtur supponi in ratione prædicta. Nam si tale inuoluntarium sit aliquo modo naturale ex passione aliqua, vel difficultate rei, illud non minuit meritum, si per contrariam voluntatem vincatur; & ideo illud conferre non potest ad supplendam inæqualitatem commutationis: licet ex eo possit aliquando sumi ipsa ratio miscendi dispensationem.

6. *Instantia allata soluitur.*

Respondeo, non esse parem rationem de aliis votis, quorum materia à principio fuit per se intenta, & volita: nam inuoluntarium postea superueniens est ex sola mutatione voluntatis, quæ non confert ad minuendam obligationem, vel honestatem actionis promissæ, vt promissa fuit. At vero in voto pœnali res imposita in pœnam à principio non fuit per se intenta, nec per se volita; & ideo ex vi talis modi promittendi non videtur exigi, vt res illa ita spontanee, & propter se fiat, sed potius vt sustineatur per modum pœnæ, quæ vitari non potest. Et ideo quando fit commutatio in aliam materiam per se volitam, & intentam, non videtur fieri commutatio in sola materia, sed etiam in modo vouendi, & offerendi illam Deo, qui sine dubio melior est, & gratior Deo, vt facile patebit, duo vota similia secundum se comparando, scilicet votum pœnale strictæ reli-

religionis cum voto absoluto minus strictæ. Videtur ergo hæc sententia probabilis, quanuis, quia incerta est, securius semper erit æqualitatem inter materias seruare, quoad fieri possit.

7. *In commutatione voti religionis æqualitas quomodo consideranda, & facienda.*

Vltimo ergo in modo computandi hanc æqualitatem in voto religionis, non satis constat, quid considerandum sit in materia talis voti, vt per illam compensari debeat. Tria enim in materia talis voti considerari possunt; scilicet professio ipsa, quæ tria vota substantialia includit, & onera per se, ac necessariò coniuncta cum tali statu præter materias trium votorum, vt esse potest pensum recitandi horas Canonicas, & si quid aliud est huiusmodi, ac denique asperitates aliquæ religionis. Deinde votum esse potest vel religionis in genere, vel alicuius in particulari. Quando ergo votum commutandum est de religione in genere, satis ferè est, bonitatem trium votorum, & professionis considerare, vt aliquid ei æquale imponatur, quale erit perpetua castitas, si fieri possit, vel saltem coniugalis cum aliquibus perpetuis, vel magnis eleemosynis iuxta personæ potestatem, & cum aliquibus etiam orationibus, & maxime cum aliquo frequenti vsu sacramentorum Confessionis, & Communionis, iuxta determinationem adhibendam prudenti arbitrio confessoris.

8. *In hoc voto commutando æqualitas seruari debet addendo aliqua horarum canonicarum.*

Aliquid etiam videtur addendum ratione horarum canonicarum, quarum orationi perpetuæ quodammodo se obligauerat ex vi talis voti. Sunt autem qui putent posse hoc onus excusari, quia votum illud impleri posset suscipiendo statum fratrum non sacerdotum, qui ad illud onus non tenentur. Sed hoc non caret scrupulo, quando persona & à principio talem intentionem non habuit, & moraliter certo scit, si ingrederetur religionem, non esse assumpturum illum statum, consideratis conditionibus personæ. Deinde qui hoc titulo vellet illo onere liberari, deberet considerare humilitatem, & laborem illius status religiosi, & aliquid proportionale rationem illius in commutationem suscipere.

9. *Onus horarum canonicarum non habent religiosi Societatis Iesu antequam in sacris ordinentur; nec etiam milites sancti Ioannis.*

Verisimilius posset excusari hoc onus aduertendo, illud non esse vniuersale omnium religionum. Nam religiosi milites S. Ioannis illud non habent; & votum illud religionis in genere posset in tali religione sufficienter impleri. In Societate etiam Iesu religiosi non habent hanc obligationem donec in sacris ordinentur. Ergo in illo genere non includitur sufficienter talis obligatio. Quia vero regulariter comitatur statum religiosum, & si in vna, vel altera inuenitur exceptio, est propter particulares causas; ideo non omnino videtur excludendum hoc onus à tali computatione, nisi considerando, & æstimando alias particulares obligationes, quas loco illius habent illæ particulares religiones, quæ tali onere carent, sicut dicebamus in priori consideratione.

10. *In voto religionis cõmutando ieiunium*

Quod vero spectat ad ieiunium, & alia austeritatis opera, cum hæc non sint æqualia in omnibus religionibus, & in aliquibus pauca sint; satis erit ea expendere in vna religione, quæ in his operibus minus excellat, quam reliquæ, quia in ea sufficienter posset impleri tale votum. Semper tamen addo, tunc simul considerandæ esse alia opera talis religionis, quæ licet non videantur ad austeritatem pertinere, sunt tamen valde laboriosa, vel meliora secundum charitatem Dei, & proximi. Non enim fideliter fieret talis commutatio, si in vnaquaque religione solum consideretur id, quod non habet austeritatis, orationis, operum misericordiæ, aut defensionis Ecclesiæ, &c. vt ita hæc omnia simul excludantur à commutatione, quia sine singulis illorum posset votum impleri; atque ita commutatio in solis, ac nudis tribus votis relinquatur. Hæc, inquam, computatio fraudulenta est, nulla est enim in Ecclesia talis religio, quæ his omnibus operibus simul careat ex vi suæ institutionis. Votum autem licet in communi fiat, in aliqua tamen religione particulari, & prout in re existit, implendum est. Ergo, vt commutatio practice, & moraliter fiat, determinanda est proportio ad aliquam religionem particularem, quod arbitrio vouentis fieri poterit, etiam ad minimam, in qua posset votum implere. In illa verò computanda sunt omnia, scilicet austeritas magna, aut parua cum aliis laboribus, & operibus pietatis, vt ita seruetur æqualitas.

*& alia austeritatis opera computanda sunt prout in aliqua religione minus austera exercentur.*

Ex quo videtur inferri, quando votum religionis est ad certam religionem definitam, v. g. D. Dominici, vt recte commutatio fiat, considerandæ esse ieiunia, & alia exercitia propria talis religionis. Et ita docuit Medina in sua Institutione cap. 14. §. 7. Duo tamen addenda occurrunt. Primum est, quoniam tale votum iuxta decreta, vel priuilegia Pontificum impleri posset in alia religione præsertim Mendicantium; ideo liberum esse vouenti quamcunque ex illis eligere, vt secundum illam fiat commutatio, quia libere posset in eam ingredi, ibique suum implere votum. Ergo in rigore ad aliquid amplius non tenetur: ergo in illud sufficienter fit commutatio. Secundum est, ex vi talis voti non teneri vouentem absolute ad profitendum in illa religione, sed iuxta formam iuris, si post probationem rationabiliter non displicuerit; & ideo ex vi talis voti non statim sequuntur illa omnia onera vt perpetuo duratura, sed quasi sub conditione prædicta, seu dependenter à probatione; & ideo non oportet, materiam commutationis esse æqualem illis omnibus oneribus religionis absolute consideratis, ac si certo futura esset, sed vt futura sub conditione incerta; & ideo licet illorum grauitas consideranda sit (hoc enim negari non potest) tamen etiam est consideranda incertitudo euentus, quantumque minuatur rei æstimatio ex eo, quod nondum in se, neque in causa necessaria, sed tantum in spe, & causa contingente existit, sicut alibi de votis conditionatis dicebamus: & ibi dicta possunt in præsenti quoad hanc partem cum proportione applicari. Reliqua quæ de huius voti commutatione dici poterant, facile ex his & aliis, quæ lib. 6. generatim diximus de votorum commutatione, expediri possunt.

*Idem proportionaliter dicendum in commutatione voti religionis particularis.*

*Duo obseruanda in commutatione voti religionis.*

INDEX

# INDEX CAPITVM LIBRI QVINTI.

## *De ingressu religionis, ac nouitiatu.*


CAP. I. *VTRVM ad ingressum religionis requiratur ex parte ingredientis aliqua determinata ætas.*

II. *Quanta sit potestas parentum ad effectum offerendi, seu tradendi religioni filium iam rationis vsum habentem.*

III. *Vtrùm expediat pueros religionem ingredi, vel in eam admitti.*

IV. *Quænam personæ inhabiles sint ad religionis ingressum, & receptionem.*

V. *Vtrùm propter necessitatem parentum, teneatur quis non ingredi religionem.*

VI. *Vtrùm propter filiorum, aut fratrum necessitatem teneatur quis non ingredi religionem.*

VII. *Vtrùm qui debitis oneratus est, vel obnoxius rationibus reddendis, aut delictorum pœnis, possit licite religionem ingredi.*

VIII. *An ingressus religionis ex perfecta scientia, & libertate fieri debeat.*

IX. *Quæ libertas requiratur ad religionis ingressum.*

X. *A quo, & qua forma receptio facienda sit, vt ingressus sit validus, & licitus.*

XI. *Quos effectus habeat religiosus ingressus.*

XII. *Vtrùm ante professionẽ necessarius sit integer probationis, seu nouitiatus annus.*

XIII. *Quando nouitiatus incipiat, & an regularem habitum requirat.*

XIV. *Quænam sint de substantia seu necessitate probationis, vel nouitiatus.*

XV. *Vtrùm de substantia nouitiatus sit, vt annus sit continuus.*

XVI. *Vtrùm nouitius ad obseruantiam regularem teneatur: Et vtrùm officia, beneficia, ac dignitates Ecclesiasticas habere possit.*


# LIBER QVINTVS.

## DE INGRESSV RELIGIONIS ac nouitiatu.

DVPLEX potest ingressus religionis distingui, vnus per susceptionem habitus, alius per professionem, & hic posterior est, per quem verus religiosus quoad proprium statum, de quo hic agimus, constituitur; tamen quia ad hunc posteriorem ingressum iuxta sacros canones non peruenitur nisi per priorem, & inter eos probationis annus, seu nouitiatus intercedit, & sæpe valor professionis ex illis duobus pendet, ideo in præsenti libro de primo ingressu, ac de nouitiatu, in aliis vero sequentibus de professione, & omnibus, quæ ad illam pertinent, vel consequuntur, dicemus. Prior autem ingressus subdistingui solet: nam quidam est ad educationem, alius ad nouitiatum; nos autem de hoc posteriori hic tantum agimus, nam ille tantum proprie est ingressus ad religionem, prior enim potius est præambulum quoddam; quanquam si ingressus ad educationem fiat sub habitu religionis, per modum vnius sub alio comprehendi potest, quanuis nouitiatus non statim incipiat, vt infra dicam.

1. De hoc ergo ingressu suppono per se actum esse religionis, quatenus via est, seu inchoatio quædam ad illam traditionem, per quam homo se totum diuino cultui dedicat; vnde non est dubium, quin talis actus ex obiecto suo honestus sit, & optimus: oportet autem (quod secundo supponendum est) hunc ingressum esse in religione approbatum iuxta superius dicta de approbatione religionis; quia alias non erit via ad verum statum religionis, hic enim secundum Ecclesiasticam traditionem extra religionem approbatam esse non potest. Tertio suppono, vt hic ingressus recte, & valide fiat, necessarium esse, vt cum debitis circunstantiis, vel ex natura rei, vel ex iure canonico requisitis, fiat; hoc enim in omni actu studioso cum proportione necessarium est:

2.

hæ autem conditiones requiri possunt vel ex parte personæ ingredientis, vel ex parte recipientis, vel ex parte modi, quæ tria in discursu huius libri præcipue declaranda sunt.

## CAPVT I.

### *Virùm ad ingressum religionis requiratur ex parte ingredientis aliqua determinata ætas.*

1. *Referuntur varij errores hæreticorum.*

TRactari potest hæc quæstio, vel præcisè stando in iure naturali, ac diuino, vel in iure positiuo, & canonico. Priori modo dixerunt aliqui, non licere, vel saltem non expedire aliquem ingredi religionem, nisi matura ætate, & ideo pueros non esse ad religionem admittendos. ita refert D. Thom. opusc. 17. cap. 11. vbi specialiter refert aliquos dixisse illicitum esse pueros ante annos pubertatis ad religionem admittere; Lutherus vero, vt Bellarm. refert lib. 2. de monachis cap. 39. dixit homines non esse aptos ad religionem, nisi post septuagesimum, vel octogesimum ætatis annum; & similiter posteriores omnes hæretici reprehendunt communem Ecclesiæ consuetudinem admittendi pueros ad religionem; dicuntque contrariam antiquissimæ Ecclesiæ consuetudini, in qua vidua non nisi sexagenaria ad profitendum statum continentiæ admittebatur, vt intelligi potest ex Gregorio lib. 3. epist. 11. vbi vetat viduam, vel alium ante sexagesimum ætatis annum, & prius in Concilio Romano sub Syluestro Can. 10. vetitum fuerat ne vsque ad septuagesimum secundum admitteretur. Nec refert quod ibi non fit sermo de ingressu per solam habitus susceptionem, sed per voti emissionem, & acceptationem; quia eo tempore hæc duo non distinguebantur, quod nobis constat. Et quanuis distinguerentur, non est verisimile vltra annum, vel duos, vel paucos annos inter vtrunque ingressum postulatum fuisse. Ex quo etiam fit, vt primus etiam ingressus non nisi in senili ætate fieret, propter quod absolute videtur dixisse Paulus 1. ad Timoth. 5. *Adolescentiores viduas deuita*, & infrà, *volo iuniores nubere, & matres familias esse.* Et in his vltimis verbis maxime fundant hæretici errorem suum; putant enim quando homo est aptus ad generationem, nec sine periculo suo, nec sine iniuria, & detrimento humanæ speciei posse perpetuam continentiam profiteri. Nam hinc optime sequitur non posse durante illa ætate assumere statum, in qua fit talis professio, vel illum cum tali intentione per ingressum inchoate. Sed fundamentum huius erroris, inferius refutandum est. Alii vero authores, quos D. Thomas refert, solum in hoc videntur fundati, quòd res tam ardua, & perpetua, non debet sine magno iudicio inchoari; maxime cum semel inchoata per susceptionem habitus, non possit sine magno dedecore, & infamia omitti, propter quam vitandam solent multi in religione perseuerare, etiamsi maxime illis displiceat, quod postea in magnum animarum detrimentum cedere solet.

2. *Resolutio vera. In quacunque ætate fieri potest ingressus religionis, neque vllo iure prohibetur. Triplex status filiorum familias. Non prohibetur religionis ingressum in-*

Nihilominus dicendum primo est, nullo iure prohiberi esse in quacunque ætate religionem ingredi, vel in ea admitti, si alioqui debitus ordo & modus seruetur. Hæc assertio est certissima. Ad quam explicandam tres possumus ætates distinguere, scilicet ætatem adultam, post annos pubertatis, vel ætatem etiam adultam infra annos pubertatis, quæ dici solet doli capax, quatenus in ea est vsus rationis ad peccandum moraliter sufficiens, & consequenter etiam ad vouendum, iuxta dicta in principio materiæ de Voto. Tertia ætas est infantiæ, scilicet ante rationis vsum. De prima ergo ætate est euidens posita veritas, stando in mero iure naturali; quia offerre se libere ad perpetuum Dei cultum, per se loquendo, in omni ætate licitum est, sed hoc fit suo modo, id est, inchoatiuè per illum ingressum: ergo ex natura rei nihil est quod illum prohibeat. Item, nullum est naturale principium, ex quo colligi possit ad hunc specialem actum requiri determinatum tempus ætatis, nec est maior ratio in vno quam in alio post capacitatem libertatis. Quapropter hæc ratio non solùm probat de prima, sed etiam de secunda ætate, nam stando in solo iure naturali, non est distinctio inter has ætates pubertatis, vel impuberem, sed iure humano prudenti arbitrio facta est secundum ea, quę frequentiùs accidunt, neque enim omnes homines in eodem tempore ætatis ad eandem perfectionem in discretione mentis, & vsu rationis perueniunt. Vnde & pro diuersitate temporum & actionum solent termini harum ætatum variari, vt supra agentes de simplicibus votis filiorum familiàs tetigimus, & ex sequentibus magis constabit. *Ingressus iure naturali.*

4. *Requisitum naturali, aut diuino positiuo.*

Igitur ex vi solius iuris naturalis nulla est præscripta ætas, in qua non sit licita religiosi habitus voluntaria susceptio, sed ea tantum requiritur ætas, quæ ad perfectam deliberationem sufficiat, non tam vt actio illa sit licita, quam vt humana sit. Et quoad hanc partem idem per se euidens est stando in iure diuino positiuo, quia nullam de hac re habemus legem à Christo latam, qua prohibeat hunc egregium actum à fidelibus fieri ante certam ætatem. Vnde enim est talis lex scripta in diuinis literis, aut qua traditione Pontificum, Conciliorũ, aut Patrum ostendi potest? Quin potius si ad verba & exempla Christi attendamus, intelligemus contrarium esse multo magis consentaneum intentioni eius: nam indifferenter vocat omnes ad perfectionem, & sine vlla mora vult omnes sequi statim vocationem eius, vt videre licet Matth. 19. & Luc. 18. & alia infrà expendemus.

5. De iure autem Ecclesiastico existimare aliquis potest nunc esse ad hunc ingressum præscriptum 15. ætatis annum à Concil. Tridentino, ante illud vero ob similem proportionem præfixum fuisse 13. Nam in dict. Concil. sess. 25. cap. 15. de Regul. statuitur, vt ante 16. annum ætatis expletum nemo possit ad professionem admitti, c. verò 16. præcipit vt finito tempore nouitiatus, superiores nouitios quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio eiiciant (à qua generali lege statim excipit nostram religionem Societatis Iesu, quam nos etiam in hac parte huius tractatus exceptam intelligi volumus, quoad ea quæ præter ius commune ibi specialia sunt, quæ infrà suo loco tractabuntur.) Videtur ergo Concilium supponere ingressum & receptionem ad habitum religionis, per quem nouitiatus inchoatur, debere fieri 15. anno ætatis iam expleto: nam si finito anno probationis statim sine mora ex præcepto Concilii professio facienda est, & illa non est valida, nisi fiat post expletum decimumsextum ætatis annum, necesse est vt receptio solum ante vnum annum fiat, atque adeo post expletum 15. annum ætatis.

6. *Necessidem iure Ecclesiastico prohibetur.*

Nihilominus etiam est certum, neque Ecclesiastico iure esse in hoc aliquam determinationẽ factam: in quo nobiscum sentiunt Sancius in decal. lib. 4. c. 18. n. 32. Emanuel Rod. tom. 3. q. reg. q. 15. a. 2. & Miranda in Manuali præl. tom. 1. q. 22. art. 3. Et de antiquo quidem iure est hoc manifestum ex toto tit. de Regul. vt in sequenti puncto in particulari expendemus. De Concilio autem Trid. constat, quia cum c. 15. tempus professionis expresè defigat, de receptione ad habitum, neque ibi, neque alibi quidquam simile statuit. Debuisset autem expresè id præcipere ac declarare, cum res esset grauis & præter ius

ius commune, & limitans aliquo modo naturalem libertatem. Nec coniectura facta est alicuius momenti, tum quia c. 16. non sine causa dixit, *Quos habituerit*: qui autem 16. annum ætatis non expleuit, licet per vnum vel plures annos in religione vixerit, nondum inuenitur habilis ad professionem, & ideo præceptum illud non obligat: tum etiam, quia licet aliquis per plures annos in religione fuerit, non censetur omnino expleuisse annum probationis, donec decimumsextum ætatis annum impleat, hoc enim sine dubio voluit consequenter Concilium.

7. Laicus est apposita materia subiectiua ad religionem.

Igitur non solum post annos pubertatis, sed etiam ante illos, licitum est habenti vsum rationis ingredi religionem si velit. Duas vero limitationes hic adhibere necesse est, propter quas dixi supra, *si debito modo, & ordine fiat*. Prima est antiqua, eamque significauit D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 5. cum dixit pueros posse recipi in religione ante pubertatis annos cum voluntate parentum, quod negatiue interpretandum censeo, id est, parentibus non contradicentibus, nam ibi D. Thom. hunc ingressum cum voto simplici æquiparat: dicit autem ibi in solutione ad 4 non peccare impuberem vouendo aliquid sine licentia parentis, quia semper intelligitur obligari quantum in se est, quia durante illa ætate semper potest parens filii votum irritare, si voluerit. Ita ergo non peccat filius impubes ingrediendo religionem sine licentia parentis, paratus eam relinquere, si parens ipsum reuocauerit intra illam ætatem, quia per hoc neque transgreditur aliquod præceptum paternum, neque iniuriam aliquam parenti facit. Quod autem pater ius habeat reuocandi filium pro illa ætate, constat ex potestate quam habet ad irritanda vota filiorum, est enim eadem vtriusque ratio, scilicet, quia voluntas filii pro ea ætate est imperfecta, ideoque in omnibus actionibus & obligationibus suis, vt firmæ & stabiles sint, pendent à voluntate parentis, iuxta canonicum ius. Quod colligitur ex cap. 2. de Regular. dicente, *Si quis ante annos legitimos tonsurus est, si parentes ipsius infra annum non reclamauerint, in clericatu permaneat*: vbi tonsuram esse idem significat, quod ad religionis habitum recipi, vt glossa & interpretes exponunt iuxta modum loquendi antiquorum canonum, vt videre licet 20. q. 1. per totam, quem etiam D. Thom. vsurpauit supra ad 1. Vnde cum postea dicitur, *in clericatu, &c.* late sumitur pro toto statu Ecclesiastico, vt regulares personas comprehendit; & eodem sensu exponit ibi glossa, *clericus factus, id est, monachus*. Atque ita ex eo textu vtrumque quod diximus, colligitur, & filium posse ingredi sine consensu parentis, dummodo non contradicat, & patrem habere ius reuocandi illum; & vtrumque etiam expressè habetur in Concilio Tolet. X. c. 6. & in Concil. Tribur. cap. 24. & habetur in cap. 1. & 2. 20. quæst. 2. vbi pro viris decimusquartus annus, pro fœminis vero duodecimus designatur; quod ius quantum ad hanc partem integrum manet, nam licet quoad valorem professionis hoc ius antiquum mutatum sit à Concilio Trident. non vero quoad alios effectus, vt in simili supra diximus, tractando de irritatione votorum simplicium.

8. Ita vt si post annum, & diem non reclamauerint, iam non possint irritare factum; ante elapsum autem illud tempus semper possunt.

Et attrem in illis textibus considerandæ differentia quædam, nam in c. 2. de Regular. & in c. 2. 20. q. 2. concedetur parentibus annus ad reclamandum, absolute conceditur parentibus, vt vsque ad decimumquartum annum, & non vltra, habeant hanc facultatem; hoc autem est valde diuersum à priori: tam fieri potest, vt ante elapsum annum filius decimumquartum annum impleat, & tunc iam non poterit reuocari à patre; & è contrario fieri potest, vt post explerum annum ingressus, nondum puer attigerit decimumquintum ætatis annum, & tunc adhuc poterit reuocari à patre. Respondeo priorem partem esse veram, si filius postquam peruenit ad annos pubertatis, suum factum ratum habeat, & resistat parentum reuocationi, quia tunc perinde est ac si denuo ingrederetur; & ideo hoc non repugnat prioribus iuribus, quia loquuntur de anno iuxta subiectam materiam, id est, qui locum habeat iuxta ætatem impuberem. Vnde aliud membrum falsum est, nam si pater per annum integrum taceat, non poterit amplius reuocare filium, etiamsi adhuc impubes sit: quia interpretantur iura patrem sufficienter consensisse, & quasi obtulisse filium religioni, & ideo iam non posse illum reuocare, ipso renuente: Neque hoc repugnat alteri decreto, tum quia ibidem dicitur patrem non posse reuocare filium impuberem à religione, si ex illius consensu habitum susceperit: tum etiam, quia ibi non dicitur affirmatiuè ac simpliciter, vt pater possit reuocare filium vsque ad decimumquartum annum, sed negatiuè, vt non possit amplius quam ad decimumquartum. Et hoc est simpliciter, & sine exceptione verum; illud vero prius non nisi cum illo addito, nisi antea ipsi consenserint, vel expressè, vel tacitè secundum ius: Quin potius in illo cap. 1. ad hunc interpretatiuum consensum non videtur annus, nec tempus vllum concedi, quia nisi mox contradixerint, ius reuocandi denegatur; & ideo glossa ibi laborat in explicanda illa particula *mox*, sed fortasse tunc illa erat institutio, quam vox illa in rigore præ se fert; nunc autem standum est posteriori iuri. Dubitat autem glossa in dict. cap. 2. quomodo ille annus computandus sit, & à quo tempore. Dico tamen breuiter, quod à tempore scientiæ, & ita vt ex tunc computetur tempus anni, & secluſis impedimentis; tam in foro conscientiæ, quam in externo, si sufficienter probetur. Ita docent communiter doctores, Palud. in 4. dist. 38. q. 4 art. 2. num. 25. D. Antonin. tit. 11. cap. 2. §. 6. Sylvest. verbo, *Religio* 2. quæst. 11. & communiter Summistæ.

9. Secunda limitatio. Fœmina maiores 12. annis non possunt statum regularem suscipere, nec emittere professionem sine Episcopi examine.

Altera limitatio quæ ad puberes spectat, nouа est ex ordinatione Concilii Tridentini sess. 15. c. 17. vbi sic ait, *Sancta synodus statuit atque decernit, vt si puella, quæ statum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel aliæ professionem emittat, quam explorauerit Episcopus, &c.* Ex quibus verbis in primis constat quod supra dicebam, posse religionis habitum suscipi ante decimumquintum, & ante duodecimum ætatis annum; atque adeo quoad hanc partem nullum esse à Concilio præfixum terminum ætatis. Constat denique quoad viuos nullam omnino limitationem positam in hoc fuisse à Concilio, quia ibi tantum de fœminis loquitur, & alibi nunquam de viris quidquam dixit: vnde illa est veluti exceptio quæ firmat regulam. Et eadem ratione constat Concilium nihil quoad hanc partem limitasse in fœminis ante annum pubertatis, quia expressè dixit, *si puella maior duodecim annis sit*; illam ergo diligentiam in minoribus noluit esse necessariam, vt rectè etiam adnotarunt Michaël Medin. de sacrorum hominum continent. lib. 4. controuersia 9. cap. 4. & Sanctius lib. 4. Decalog. cap. 18. num. 33. Et fortasse ratio fuit, quia ante illam ætatem non censetur regi propria voluntate, sed parentum, quorum iuri noluit Concilium quidpiam derogare, cum de illis nec præsumi possit sinistra intentio contra bonum filii, nec timeri seductio, aut deceptio, regulariter loquendo. Post pubertatem autem iam censetur puer, vel puella gu-

*Ratio cur hoc statuerit Concilium potius in fœmina, quam in viro.*

bernari proprio arbitrio in his quæ ad salutem animæ spectant; & quia hoc arbitrium in tenera ætate, facile potest vel seduci, vel induci, ideo voluit Concilium diligentiam illam ab Episcopo præmitti. Cur autem illud in fœminis, & non in viris statuerit, ratio fuisse videtur, quia regulariter loquendo, fœminæ præcipue virgines, & quæ nondum statum susceperunt, minorem habent libertatem, minoremque rerum experientiam, quam viri, & maiorem subiectionem ad parentes, vel tutores, & ideo facilius possunt ignorantia, aut timore, vel reuerentia duci. Denique ponderandum est, Concilium ibi nullum addidisse verbum irritans factum, sed solum præcipere vt illa diligentia præmittatur: quapropter si omittatur, non ideo receptio erit nulla, aut insufficiens ad professionem postea suo tempore emittendam, non careret tamen culpa illa omissio, nam illa Concilii verba, *statuit*, & *decernit*, vim præcepti sufficienter declarant.

10. *Ingressus religionis etiam licet ante vsum rationis, dummodo parentes positiuè consentiant in filii ingressu.*

Supereſt dicendum de tertia ætate infantiæ ante vsum rationis, in qua non habet locum bonitas, vel malitia ex parte ipsius pueri, si religioso habitu induatur. Solum ergo esse potest ex parte recipientium, vel ex parte offerentium puerum ad religionē: & in his etiam certa est assertio posita, scilicet, religioni, seu prælatis eius illicitum non esse hos pueros ad religiosum habitum admittere, si à parentibus offerantur: hæc enim conditio necessaria est, vt licitè possit fieri receptio ex parte religionis, vt omnia iura supponunt c. 1. 20. q. 2. & ibidem cap. 4. *Oportet* (dicitur) *infantes cum voluntate & consensu parentum, imo ab ipsis parentib us oblatos sub plurimorum testimonium susc ipi.* Quæ verba licet ibi citentur ex quadam Synodo, sunt Basilii in reg. fus. disp. c. 15. & ideo non habent vim legis positiuæ: nec verbum illud *oportet*, necessitatem in rigore significat; tamen iuxta subiectam materiam, reuera significat necessitatem, vt actus recte fiat. Ratio est, quia infans parentis voluntate regitur, & hoc est intrinsecum & naturale ius parentis: ergo iniuria illi fit, si absque suo consensu à religione recipiatur, vel potius surripiatur.

*Probatur à simili.*

Confirmatur, nam huiusmodi filius infidelis non potest iuste baptizari sine consensu parentis: ergo nec filius fidelis potest subtrahi à cura parentum, vt in religione recipiatur, sine ipsorum consensu.

11. *Instantia allata soluitur.*

Dices, videtur sufficere, vt parens non contradicat, nam etiam filius impubes habens vsum rationis est sub cura parentis, ita vt contra eius voluntatem non possit de se disponere. Et nihilominus recipi potest in religione sine licentia parentis, dummodo non contradixerit: ergo idem dici poterit de eodem filio etiam ante vsum rationis. Respondeo negando consequentiam, quia nullus potest recipi in religione sine consensu eius, vel alterius, qui tanquam eius reputetur: ille autem qui iam peruenit ad vsum rationis, potest iam præstare suum consensum, & licite illum præstat sine licentia parentis cum præparatione ad obediendum illi, si contradixerit, & ideo licite etiam recipi potest, quia tunc nec ipsi filio, nec parenti fit iniuria. Ante vsum rationis non habet filius propriam voluntatem qua consentiat, sed solius parentis, & ideo tam illi fieret iniuria, si absque vllo consensu reciperetur, quam parenti, quia priuaretur re omnino sua, & à sola sua voluntate dependendo, suo non requisito consensu. Addo semper præsumi dominium ratione inuoluntarium, quando priuatur re sua sine suo consensu, & absque superioris potestate, & ideo respectu infantis semper parentem præsumi positiuè inuoluntarium, non vero respectu filii, qui iam potest suo arbitrio vti, cum ille iam possit per se consentire.

12. *Parentes iuste possunt offerre religioni filios educan dos, vt patet 20. quæst. 2. per totam, & ideo sumitur ex 20. quæst. 1. præsertim cap. 2. 3. & 4. & in cap. quamprimum, & cap. illud. item ex cap. 2. de Regular. vbi cum Innocent. id docet Panormitanus num. 6.*

Quod autem hoc liceat, supposito parentis consensu, ex iuribus statim citandis certissimum est. Nam si patri licet offerre religioni filium infantem antequam ratione vti valeat, cur non licebit religioni illum acceptare? Neque enim parenti facit iniuriam, cum ipse consentiat, nec filio, cum voluntatem non habeat, per quam repugnare possit, & alioqui beneficium tale sit, vt ad maximum eius bonum ordinetur. Et ob easdem causas non fit iniuria religioni, cum & ipse consentiat, & ad illius augmentum, & ad maius Dei obsequium totum id ordinetur. Solum supereſt vt probemus parentibus licitum esse filios suos religioni offerre educandos, ita vt, quantum in ipsis est, in ea perpetuo perseuerent. Hoc autem manifeste supponitur in decretis citatis 20. quæst. 2 per totam, & ideo sumitur ex 20. quæst. 1. præsertim cap. 2. 3. & 4. & in cap. *quamprimum*, & cap. *illud.* item ex cap. 2. de Regular. vbi cum Innocent. id docet Panormitanus num. 6.

*Parentes iuste possunt offerre religioni filios educandos, vt patet 20. quæst. 2. per totam, & ideo sumitur ex 20. quæst. 1. præsertim cap. 2. 3. & 4. & in cap. quamprimum, & cap. illud. item ex cap. 2. de Regular. vbi cum Innocent. id docet Panormitanus num. 6.*

*Probatur ratione.*

Ratio autem est, quia parens habet ius & dominium in filium suum: ergo potest de illo disponere in omnem vsum, qui iniustitiam, vel aliam turpitudinem non contineat: ergo multo magis in eum vsum, qui ad maiorem Dei cultum, & ad maius ipsius filii bonum ordinatur; huiusmodi autem est hæc oblatio per se, & ex vi obiecti, quidquid sit de intentione offerentis, & aliis quæ sunt per accidens. Denique hæc oblatio per se & natura sua mala non est, vt ostendit ratio facta, neque est prohibita iure diuino positiuo, quia nullibi de iure constare potest, nec Ecclesiastico, nam hoc potius expresè approbat talem actum, vt citatum est.

13. *Hæc oblatio operatur tria, primum, vt talis filius licite recipiatur, & retinatur à religione. Secundum, vt pater nequeat reuocare filium. Tertium, vt filius non possit egredi iuuenis ante pubertatis.*

Interrogabit autem aliquis quidnam operetur hæc oblatio à parentibus facta filii alicui religioni. Quidam enim existimarunt per illam ita tradi religioni, vt non solum à patre reuocari non possit, verum etiam nec ab ipso filio ad annos etiam pubertatis peruenientes: Cui sententiæ nonnulla antiqua decreta fauere videntur. Nobis tamen falsa videtur, & incredibilis, quia naturali rationi & diuino iuri multum repugnat; quia vero attingit materiam de profess. relig. in proprio libro illam tractabimus. Communis ergo responsio est oblationem hanc tria operari. Vnum est, vt talis filius familias licite possit à religione recipi, ac retineri, & hoc est quod ad præsentem quæstionem præcipue spectat, quod que ex dictis sufficienter probatur. Secundum est, vt pater non possit amplius vti patria potestate ad reuocandum filium, quia iam cessit iuri suo, & quantum in se est donationem filii religioni fecit, quam ipsa acceptauit. Tertium est, vt neque ipse filius sua voluntate egredi possit ante annos pubertatis, quia in illa ætate non tam sua, quam patris voluntate regendus est: pater autem voluntatem suam in religionem tranſtulit, & ideo sine religionis consensu exire non potest intra illam ætatem, quamuis ab ipsa religione possit expelli, etiam ante pubertatem, si ita sibi expedire censuerit, quia pro nullo tempore se obligauit ad retinendum illud, quod notandum est. Atque hæc sumuntur ex citatis decretis 20. q. 2. & cap. 2. de Regular. & Innocent. Panorm. & aliis interpretibus ibi, qui ex eisdem iuribus declarant, non solum expressam, sed etiam tacitam oblationem ad hoc sufficere, iuxta superius dicta de impuberibus ratione vtentibus. Existimo tamen tacitum parentis consensum per dissimulationem vnius anni tunc habere vim oblationis, quantum ad illum effectum, quando ipse expresè non postulatur se nolle donare, aut cedere iuri suo, sed tantum permittere, vt pro tunc ibi filius permaneat, nam tunc contra voluntatem expresè declaratam non videtur habere locum præsumptio.

Alia

14 Alia verò hic superest difficultas, an hæc oblatio licita sit, & valida, si eo animo fiat, vt sit perpetua donatio irrenocabilis, etiam per voluntatem filii, cùm ad adultam ætatem peruenit. Sed quia hoc spectat ad materiam de Professione, ideo melius tradetur in libro sequenti: nunc enim solùm agimus de ingressu seu receptione ad religionem, ex quibus perpetuum vinculum nascitur, donec debito tempore, & modo voluntaria professio fiat.

## Caput II.

### *Quanta sit potestas parentum ad effectum offerendi, seu tradendi religioni filium iam rationis vsum habentem.*

1. Hæc quæstio non habet difficultatem, si filius ipse consentiat in sui oblatione, quia tunc non tantùm offertur à patre, sed etiam ipse se offert; vnde non est cur hæc oblatio nõ sit licita. Dubium ergo est, an hoc liceat non expectata, vel etiam repugnante eiusdem filii voluntate. In quo distinguendum est de filio ante, vel post annos pubertatis, nam ante expletam pubertatem potest; postea non potest. De hac posteriori parte nulla dubitatio est, nam filius postquam peruenit ad pubertatis annos, est omnino sui iuris, in his quæ pertinent ad salutem animæ suæ, & ideò sine sua voluntate cogi non potest ad religionis habitum assumendum. Atque hoc planè supponit Concilium Trident. dict. cap. 17. sess. 25. quando statuit, vt fœminæ post duodecimum annum in monasteriis non recipiantur, donec priùs ab Episcopo examinentur, an voluntariè id faciant, vt suprà vidimus. Censet ergo necessariam esse illarum voluntatem, & consequenter non posse licite cogi etiam à parentibus ad talem ingressum.

2. De altera verò parte est maior difficultas. Nam Panorm. in dict. ca. 2. de Regular. n. 9. negat esse licitum. Probat primò, quia sacrificium inuoluntarium Deo non est placitum, hilarem enim datorem diligit Deus. Vnde Ambros. lib. 1. de Iacob. & vit. beat. c. 3. Voluntarium sibi militem legit Christus, & refertur cap. *non est* 15. quæst. 1. Secundò quia filius impubes sic inuitus oblatus à patre, potest licite exire cùm primùm potuerit, & voluerit: ergo etiam potest licitè cogi ad illum ingressum, quia non potest dari bellum iustum ex vtraque parte. Prima verò consequentia clara est, quia si filius non tenetur permanere, neque ingredi tenetur: ergo habet ius resistendi, ne ingredi cogatur. Antecedens autem probatur ex Innoc. in d. cap. 2. & glossa 20. quæst. 1. in principio hoc expresse dicentibus, & insinuatur in cap. *præsens* 20. q 3. & per argumentum à contrario sensu c. *puella* 20. quæst. 1. Tertiò, quia parentes non possunt cogere filium impuberem ratione vtentem ad contrahendum sponsalia de futuro, c. 1. de respons. impub. in 6 ergo neque ad ingressum religionis, Patet consequentia, quia ita comparatur ingressus religionis ad professionem, sicut sponsalia ad matrimonium. Hanc etiam partem tuetur Sancius lib. 4. decal. c. 18 n. 26.

3. Nihilominus responsio data mihi vera videtur, eamque sententiam tenet Palud. in 4. d. 38. q. 4. n. 98. & D. Ant. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 8. notab. 4. Et rationes prædictæ non probant actum illum esse per se malum, neque esse iure humano prohibitum. Nec existimo excogitari posse rationes alias, aut afferri iura quibus id probetur: non est ergo cur ille actus absolutè damnetur. Assumptum declaro discurrendo per singulas rationes. Nam prima suadet fortasse id regulariter non expedire, quia morale est, vt ea quæ inchoantur, fructuosa non sint, & desideratum exitum non habeant: non probat tamen illum actum esse malum, aut displicere Deo, quantum est ex parte parentis, qui voluntarie illum facit; neque ex parte filii, quia licet, vt est inuoluntarius ingressus, non placeat Deo, vt est obedientia paterna placebit. Et quamuis, vt dixi, ex tali ingressu, non magnus fructus regulariter sperari possit, non est etiam cur timeatur magnum detrimentum, quia ille ingressus non est perpetuus, sed postea legitimo tempore per voluntatem filii deseri potest, quod licet ita contingat, non erit maius nocumentum filii, quàm si perpetuò in seculo mansisset: ergo, per se loquendo, ille ingressus non cedit in detrimentum filii, sed potiùs duplex fructus ex illo sperari potest. Vnus est quòd licet in principio inuoluntarie ingrediatur religionem, postea bono exemplo, & conuersatione poterit facilius mutare voluntatem, & sponte manere. Alius est, quia licet postea ad seculum reuertatur, secum fortasse deferat aliqua semina virtutum, quibus instructus melius in seculo viuat, quàm si in religione nutritus non fuisset. qui discursus probat hunc actum non solùm per se illicitum non esse, verùm etiam nec semper non expedire, præsertim si non sit nimia violentia, sed considerandas esse circumstantias personarum, vt inde coniectari possit spes fructus.

*immorantur pugnantis voluntate.*
*probatur soluendo rationes contrarias sententia.*

4. Secunda verò ratio, atque etiam tertia probant optime, non posse huiusmodi filium ita cogi ad hunc ingressum, vt inde maneat obligatus ad profitendum, vel perpetuò manendum in religione, quia ad hoc nullus adultus potest sine sua voluntate obligari (nisi fortasse in pœnam, de quo aliàs.) Non probant autem illæ rationes iniquum esse offerre huiusmodi filium religioni, vt ibi viuat, donec perfectus habens iudicium eligere possit, an velit in eo statu permanere, nec ne. Cùm ergo in secunda ratione assumitur huiusmodi filium posse egredi monasterio cùm voluerit, si sensus sit, cùm legitime voluerit, id est, cùm peruenerit ad pubertatis annos, & sui iuris quoad hoc negotium esse cœperit; sic verum est quod assumitur: & hoc probant bene iura ibi citata, & ratio insinuata, quia sicut in ea ætate nõ potest cogi vt intret, ita neque vt permaneat, cùm nulla obligatio ex priori ingressu illi acreuerit. Hoc autem nihil obstat, quo minùs pro ætate impubere cogi possit, vt ibi permaneat. Vnde si sensus antecedentis sit, etiam intra illam ætatem impuberem posse egredi cùm primùm voluerit, negatur assumptum, & glossa reuera loquitur in priori sensu, nam ex cap. *præsens*, quod citat, aliud colligi non potest, nam ibi solùm narratur factum de quodam parente nobili, qui filium coegerat ad susciendum habitum religionis, cuius factum ibi non reprehenditur; filius autem (quantum ex ipsa ratione colligitur) non reclamauit intra annos puertitiæ, & impubertatis: nam inter octauum & decimum annum (vt ibi dicitur) id est, *non*, vt notat glossa, *cucullam inuoluntarius induit, & post quoddam ipsius temporis spatium monachalem habitum inuitus etiam induit*; postea verò pro sua libertate litem mouit: ergo non est verisimile voluisse relinquere habitum intra annos pubertatis. Eò vel maximè, quòd, vt patet ex dicta narratione, ille non solùm ad ingressum, sed etiam ad professionem coactus est; quod fuit iniquum, & quantum ad hoc posterius, etiam citra voluntatem parentis: & de hoc præcipue puncto ibi tractatur, & ad hoc directè respondit Pontifex, illum non fuisse cogendum vt monachus fieret, neque regulari obseruantiæ perpetuò subiiciendum, aut ea occasione hæreditate paterna priuandũ, quod fratres præcipuè

intendebant. De tali autem ingressu nihil ibi expresse dicitur, sed potiùs addit Pontifex hæc verba notanda: *Vsque dum d ũm inspiratione compunctus, propria voluntate regulæ se subdat, liceat eum à mundanis, & laicalibus remotum vagationibus, vel negotiis inter religiosos & Ecclesiasticos viros canonicam degere vitam.* quæ verba potiùs fauent nostræ sententiæ.

5. Cap. autem *puella*, nihil ad rem facit, nam loquitur de puella, quæ sine coactione parentum voto sic Deo consecrauit, de qua dicitur non posse sine culpa retrocedere. Ex quo etiam à contrario sensu ad summum colligitur per voluntatem parentum non potuisse obligari, ita vt ei retrocedere non liceret. Per quod etiam responsum est ad rationem tertiam; negamus enim in hoc seruari proportionem inter sponsalia de futuro, & ingressum religionis: nam per sponsalia obligatur quis ad matrimonium; nemo autem potest obligari, nisi promittat, nec promittere contra suam voluntatem absolutam & efficacem, de qua agimus. Per ingressum autem religionis non obligatur quis ad profitendum, & ideo non est similis ratio. Est etiam alia dissimilitudo: nam matrimonium non est ex optimis bonis, nam licet honestum sit, impedit maiorem perfectionem, & ideo non solùm ad promissionem eius, non potest filius inuitus cogi, verùm etiam neque ad eam vitæ conuersationem, vel familiaritatem, quæ paulatim illam voluntatem inducat, quod secus est de statu religionis, vt constat.

6. *Probatur nostra sententia.* Atque hinc tandem potest directe probari nostra sententia, quia pater cogendo filium impuberem ad hunc ingressum vtitur iure suo, & vsus ille de se cedit in maius bonum filii, & non priuat illum iure suæ libertatis pro ea ætate, in qua ad illum solum spectabit: ergo talis actus nec continet iniustitiam respectu filii, nec malitiam contra religionem, aut aliam virtutem: ergo non est per se malus: ergo cùm non inueniatur prohibitus, licitus est. Maior (cætera enim clara sunt) probatur, quia pro illa ætate nondum puer est plene sui iuris, sed habet voluntatem suam dependentem à voluntate parentis etiam in his quæ spectant ad instituendam vitam in ordine ad bonum animæ, & ideo potest parens vota eius irritare, & quemlibet viuendi modum à filio sumptum impedire: ergo eâdem ratione habet ius designandi illi modum viuendi pro illa ætate. Potestque hoc confirmari ex paulo ante dictis; nam filius oblatus ante vsum rationis potest etiam inuitus retineri in religione post vsum rationis, vsq; ad ætatem puberem ergo etiam iam vtens ratione, quamuis impubes sit, potest offerri à patre, licet ipse repugnet. Patet consequentia, quia non est maior ratio de perseuerantia post oblationem factam, quàm de oblatione: nam si filius non posset donari inuitus quando ratione vtitur, non posset etiam donari ante vsum rationis, sub ea lege, vt eiam inuitus perseueret vsque ad ætatem puberem: sicut quia post pubertatẽ non potest donari sine ipsius voluntate, ita neq; antea potest donari sub ea lege, vt etiam post pubertatẽ necessariò perseueret. Tandem potest confirmari ex Conc Trid. c. 17. à contrario sensu: nam propterea solùm statuit, vt post duodecimum ætatis annum voluntas virginum examinetur ab Episcopo; quia ante illum terminum ætatis parentes habent ius introducendi filiam in monasterium, non expectato eius consensu.

7. *Confirmatur soluendo difficultatis instantiam.* Sed adhuc superest difficultas, quia videtur nimium tantam potestatem tribuere parentibus in filios, vt possint eos vel vi cogere, vel præcepto obligare ad agendam vitam religiosam, & sequenda opera perfectionis toto tempore pueritiæ vsque ad pubertatem pro captu illius ætat's; quia ea quæ sunt propria consiliorum opera, nemini possunt sub præcepto imponi: ergo multo minùs poterunt his paruulis præcipi, qui imbecilliores sunt: ergo non possunt parentes præcepto ligare hos filios ad hunc ingressum: ergo nec per vim poterunt cogere; tum quia nemo potest iuste cogi ad id faciendum quod non tenetur: tum etiam, quia aliàs filius iuste posset vel fugere, vel se defendere, vt valeret; atque ita daretur bellum iustum ex vtraque parte. Respondeo in primis, si conditio illius ætatis attente spectetur, non esse arduam hanc obligationem, nam illa opera quæ respectu maiorum sunt supererogationis, respectu illius ætatis habent quandam veluti naturalem necessitatem. Nam in primis obseruare castitatem non est illis voluntarium, sed necessarium, cùm non possint tunc matrimonium contrahere, imò nec firmiter se ad illud obligare sine voluntate parentum, attento iure canonico toto tit. de despons. impub. Quid ergo mirum, quòd possit pater omnibus modis custodire filium pro ea ætate, vt castitatem seruatet? vel quòd ad hoc vti possit medio religiosæ habitationis, propter maiorẽ securitatem? Deinde paupertas saltem quoad vsum, seu ius vtendi & disponendi proprio arbitrio, quasi naturalis est illi ætati, quæ paupertas vel necessitas eius, non crescit ex religiosa habitatione. Idem fere est de subiectione, & obedientia quæ naturalis etiam est illi ætati, & potestas iubendi est in parente, quam ipse potest quasi delegare prælato religionis, quem supponimus prudenter vti debere tali potestate. Neque enim potest huiusmodi puerum cogere ad totius regulæ obseruationem, sed pro captu ætatis eum in virtute educare, & exercere. Ergo considerata conditione talis ætatis non est nimis arduum opus, quod à parente iniungitur per huiusmodi ingressum. Nam susceptio habitus, quæ videtur minùs necessaria ad conuenientem filii educationem, magisque aliena ab ordinario viuendi modo fidelium, illa (inquam) per se non est res adeò difficilis, vt propter aliquem altiorem finem possit à parente iniungi, maxime si hîc & nunc existimetur necessarium ad conuenientem filii educationem, id enim in multis particularibus casibus accidere potest. Deinde non videtur necessarium, vt pater possit proprie & in rigore præcipere filium impuberem omnia illa, ad quæ facienda potest illum cogere modo proportionato illi potestati & ætati, scilicet per paternam correctionem, & disciplinam. Fortasse enim non potest parens filium in conscientia obligare, vt quotidie Missam audiat, & nihilominus potest illum compellere, & licite castigare nisi faciat: de hoc ergo genere coactionis in præsenti loquimur, & illa est sufficiens, etiamsi non intercedat proprium, & rigorosum præceptum.

9. *Limitatio tradita in conclusione. Impubes sic coactus, licitè potest etiam ante pubertatẽ dimittere habitum.* Quapropter ne videamur contradicere communi sententiæ, concedere possumus huiusmodi impuberem sine peccato posse dimittere religionis habitum cùm voluerit, & potuerit, etiam ante pubertatem, id enim præter citatos auctores, docent frequenter Summistæ, vt patet ex Syluest. verb. *religio* 2. nu. 10. & aliis. Nihilominus parens etiam tuta conscientia potest per ordinata media impedire, vt filius intra illam ætatem possit habitum dimittere, & illum paterne corripere & castigare, si id faciat. Neque illud est bellum ex vtraque parte: nam filio non conceditur licentia resistendo parenti per vim, sed solùm subterfugiendo, & se excusando ab obligatione; sicut iudex licitè punit fugientem è carcere, neque ille licite potest punitioni resistere, quãuis fugere licite potuerit. Denique aduertimus non licere

licere parentibus abuti hac potestate, vel nimiam coactionem adhibere, vel vltra annos pubertatis illam extendere; imò nec expedire facilè illa vti, sed vbi aliqua grauis causa coegerit, vel quando resistentia filii nimia nō est, & fructus aliquis de illo ingressu probabiliter speratur, quia licet tunc minùs gratus sit filio, creditur pro ætatis vel conditionis facilitate fore postea mutandum, & ad voluntatem parentis accommodandum.

9. Interrogabit autem aliquis de quo parente hæc intelligenda sint. Respondeo, si filius altero parente orbatus sit, in altero manere potestatem hanc, quia ille retinet naturale ius, & dominium in filium. An verò à tutore impediri possit, statim dicam. Secundò, si impubes habeat vtrumque parentem, & ambo consentiant, res est extra difficultatem. Tertiò, si in eo casu parentes inter se dissentiant, & pater sit qui vult filium offerre, posse id facere, eritque valida & licita eius oblatio, quia pater est caput, & ad illum principaliter pertinet regimen domus & filiorum: vnde etiam iura dicunt patrem habere filium in potestate, & non matrem, cap. 1. de conuers. fideli. & Instit. de adoption. §. *femina*. Atque ita sensit Glos. in cap. 1. 20. quæst. 2. verbo *aut vnus*, quamuis non sine dubitatione, vbi Archid. idem sequitur. Sylu. verbo *votum* 5. quæst. vlt. licet verbo *religio* 2. quæst. 13. confuse loquatur, & nihil satis definiat, & hic etiam adhibet limitationem, nisi filius nondum sit ablactatus, quia tunc magis est sub cura matris, quod idem à fortiori dicit, si filius adhuc sit in vtero matris, significans, si pater tunc voueat offerre filium religioni, nō obligari postea tali voto si mater repugnet. Sed hæc limitatio nullo iure fundatur, nec sufficienti ratione, & ideo non videtur necessaria; nec Palud. quem citat, illam adhibet, vt videre licet in 4. d. 38. quæst. 4. n. 26. vbi absolutè tenet hanc sententiam.

10. Contrarium verò sensit Innoc. in c. 2. de Regularibus cuius sententiam communiter esse probatam à Doctoribus dicit ibi Panorm. n. 6. quam ipse etiam dicit sibi placere in fauorem religionis. Sed ego in hoc non video fauorem religionis, sed potiùs matris & naturalis potestatis quam habet in filium. Vnde fundamentum Innocentii est, quia in his spiritualibus magis est spectanda patria potestas, vt naturalis, quàm vt ciuilis: naturaliter autem filius obligatus est obedire matri; vnde Deus sine distinctione præcepit patrem & matrem honorari. Item, quia in re communi potior est conditio prohibentis, iuxta regulam, *In re communi*, de Reg. iur. in 6. Sed filius est res communis patris & matris: ergo si mater contradicat, eius voluntas præferenda est: ergo si contra illam fiat, nec validè, nec licitè fiet. Denique quod omnes tangit, ab omnibus comprobari debet. l. vlt. C. de author. præst. Nihilominus & in fauorem religionis, & ex natura rei censeo oppositum esse verum; quia non solùm humano iure, sed naturali vir est caput mulieris: ergo ex eodem iure debet esse inter eorum voluntates debita subordinatio: ergo quando inter se repugnant in re licita & honesta, voluntas viri vincere debet. Et confirmatur, nam in aliis actionibus vel studiis pertinentibus ad educationem filii, potest pater matre repugnante de filio disponere, & ad hanc, vel illam artem addiscendam illum applicare, vel in hunc, aut illum locum etiam distantissimum, & per multos annos mittere: imò solo iure gentium spectato, & secluſa ciuili & Ecclesiastica prohibitione posset in aliquo casu illum vendere, inuita matre; cur ergo non poterit religioni offerre? Et ita responsum est principali fundamento Innocentii; illa verò regula iuris, præterquàm quòd fallit in fauorem religionis, vt ibi glossa aduertit, intelligenda videtur quando res ita est communis, vt ius vtriusque partis æquale sit, non verò si vnum sit alteri subordinatum, vt in præsenti contingit.

11. Quartò fieri potest vt mater velit offerre filium, & pater repugnet, & tunc sine dubio habet locum opinio Innocentii, & Panormitani, quia rationes eorum procedunt, & cessat ratio in contrarium, quia cùm vir sit caput, eiusque potestas sit maior, præferenda est. Dices, cùm in eo voluntas matris honestior sit, in fauorem religionis præferenda videtur. Respondetur, honestius esse, vt quæ in Dei honorem fiunt, ordinatè fiant: vnde non pertinet ad fauorem religionis inuersio ordinis & iustitiæ. Eò vel maximè, quòd licèt religio ex obiecto sit melior in indiuiduo, non est facile discernere an expediat infantem impuberem illi statui ascribere; vnde quia hoc spectat ad prudentiale iudicium, ex hoc capite iudicium viri præferendum est. Vnde etiam patet responsio, si alia obiectio fiat, quia cùm filius in fidelis baptizari non possit inuitis parentibus, nihilominus potest baptizari cōsentiente matre, & patre repugnante. Quidquid enim sit de exemplo quod & incertum est, & multas requirit limitationes, de quibus alias; negatur similitudo: quia Baptismus est res magis ad salutem necessaria: vnde extra omnem dubitationem & decet & expedit filio, & pater suâ abutitur potestate dum Baptismo eius repugnat: ideo mirum non est, quòd in hoc negotio maior sit fauor Baptismi, quàm ingressus religionis.

*Non licet talis oblatio si velit mater pater repugnante.*

12. Tandem verò obiici potest cap. 1. 20. quæst. 2. vbi sic dicitur. *Sin qualibet minori ætate, vel religioni debitam vestem, vel religionis tonsuram, in vtroque sexu filiis, aut vnus, aut ambo parentes dederint*, &c. Vbi definite vnius tantùm parentis, quicunque ille sit, factum & voluntas requiritur: ergo mater sufficit, etiamsi pater repugnet. Respondetur primò ex glossa, partitionem illam intelligi accommode, scilicet vnius, si vnus tantùm sit, vel vtriusque, si ambo extiterint. Iuxta quam expositionem posset fauere is textus quoad hanc secundam partem opinioni Innocentii in superiori puncto tractatæ. Veruntamen etiam in hoc sensu ibi non dicitur amborum parentum consensum requiri, sed dicitur id quod certum est, scilicet sufficere. Reliquum verò colligendum relinquitur, aut ex communi iure, aut ex naturalibus principiis. Secundò verò dicitur, cum sufficere dicitur consensus vnius, non excludi conditionem veluti ex natura rei ibi inclusam, scilicet vnius, cuius consensus efficax esse possit, vel vnius, secluſis impedimentis. Et priori modo sufficit consensus patentis, vt dictum est, posteriori autem sufficiet consensus matris, si pater non repugnet, etiamsi positiue non cooperetur: quamuis enim de hoc vltimo nonnulli dubitent, tamen sine causa, vt etiam Innocentius & Abbas suprà referunt; quia etiam mater habet patriam potestatem, & ius præcipiendi filio, cui ipse obedire tenetur, dum pater non repugnat. Verum est tamen oblationem factam à sola matre non esse ita firmam, quin possit reuocari à patre, quandiu non consenserit, quia non se priuauit iure suo, nec satis est quòd permittat tacendo, nisi transactus sit annus, à iure præscriptus, vt tacitum consensum præbuisse iuridice præsumatur, nam tunc etiam reuocare non poterit.

*Obiectio soluitur.*

*Oblatio facta à matre licet & pater non consentiat, si tamen nō repugnat: adhuc tamen reuocari potest à patre intra annū.*

13. Vlteriùs verò dubitari solet, an idem dicendum sit de tutore, quòd scilicet possit pupillum religioni offerre. Quidam negant, vt Fredericus Senen. consil. 177. quia nullibi in iure canonico legitur ei concessa potestas: quamuis enim in cap. 2. 20. q. 2. detur

*An hæc potestas sit etiam in tutore.*

detur facultas tutori reuocandi pupillum impuberem à religione, non tamen vt possit illum donare, aut offerre, quia plus requiritur ad agendum, quàm ad impediendum. Sed oppositum sine dubio verum est, quod tenent Innocent. & Abb. loco citato, & colligitur sufficienter ex dict. cap. 2. nam æquiparatur parenti; & sicut dicitur posse reuocare pupillum, si non consenserit, ita dicitur non posse reuocare si consenserit, etiam tacitè per annum integrum dissimulando: ergo supponitur posse tutorem offerre voluntate sua pupillum. Ratio autem est clara, quia vterque actus ex eadem potestate procedit, & quia tutor succedit parenti, quoad omnia quæ pertinent ad gubernationem filii: & ideo non oportet hunc casum esse in iure expressum, sed satis est quòd exceptus non sit. Et hanc opinionem tenet etiam Paludan 4. d 38. q. 4. num. 28. vbi tamen differentiam constituit inter parentes & tutores, quòd licet parentes possint offerre impuberem, non tamen tutores, quia non est ita res eorum, sicut parentum. Sed hoc cùm non sit iure fundatum, non videtur admittendum, quia illa coniectura, aut congruentia parui momenti est, quia licet naturaliter aut physicè, non ita sit, res eorum moraliter ita pendet à voluntate eorum, & hoc est in hoc negotio præcipuè spectandum.

*Tutor potest licitè & validè offerre puberem religioni.*

*Probatur.*

14. Hinc verò oriuntur alia dubia, si contingat filium impuberem habere tutorem alium à parente, & parens ac tutor inter se dissentiant, vel vnus sine alio filium offerre; quomodo id licite & validè fieri possit. Sylvest. verb. *religio* 2. censet in eo casu parentes posse offerre filios inuitis tutoribus, & citat Innocentium suprà, & summam Confess. tit. 8. quæst. 30. Ratio autem huius solùm est, quia in his spiritualibus ius naturæ præfertur ciuili, vel Ecclesiastico. Quæ ratio firma non est, quia illud principium nullo iure fundatur, neque est verum quando ius naturæ non est ita positiuum, vel necessarium, vt cessare non possit, facta aliqua mutatione per ius humanum. Sic enim vnusquisque ex iure naturali habet potestatem vouendi, eo ipso quòd habet libertatem, & tamen adiuncto aliquo iure humano, id non potest facere nisi iuxta modum præscriptum ab humano iure. Mater etiam iure naturæ potest irritare votum filii, & tamen si sit confirmatum à tutore, vel si tutor repugnet, non potest, licet tutor habeat eam potestatem iure humano.

*Dubium in hac materia.*

15. Dico ergo in eo casu maiorem potestatem simpliciter loquendo, esse in tutore quàm in matre viduæ, quæ tutrix non sit, & ideo posse tutorem offerre pupillum inuita matre, & è contrario matrem non posse inuito tutore, quia quoad hoc habet tutor totam potestatem patris; sicut suprà etiam dixi, tractando de irritatione votorum. Si autem mater offerat solùm dissimulante, & non contradicente tutore, erit quidem licita & valida oblatio, reuocabilis tamen à tutore, quandiu vel expresse, vel tacitè dissimulando per annum non consenserit. Atque idem iudicium cum proportione ferendum censeo, quoties parentes priuati fuerint iuridicè patriæ potestatis vsu, & cura, eaque fuerit in tutorem translata: nam potestas parentis in filium ita est iure naturæ concessa, vt possit per humanum coarctari, vel etiam impediri quoad gubernationem, & dispositionem circa filium, & res eius. Neque quoad hoc refert quòd tutor sit persona extranea, siue coniuncta, vt auus, &c. quia hîc non est attendenda coniunctio, sed potestas data tutori authoritate reipublicæ. Et ex eodem principio censeo terminandam illam controuersiam, si filius viuente patre existat sub potestate aui, cuius voluntas in hoc negotio plus valeat aui, an patris. Nam Innocentius patrem præfert, quem Sylu. & alii sequuntur; Panormitanus autem in contrariam sententiam inclinat. Quod ego verius censeo, si auus ita habeat nepotem in sua potestate, vt tutor eius sit legitimè constitutus; vel si quacunque alia ratione ius patriæ potestatis in eum legitimè transiatum est. Si autem solùm dicatur esse in potestate aui quoad actualem gubernationem & educationem ex licentia patris, tunc patris voluntas præferenda est, quia non est priuatus iure suo.

*Tutor etiã sine cõsensu matris viduæ imò & repugnante potest offerre pupillum impuberẽ: non ita mater si nõ sit tutrix.*

*Idem dicẽdũ de auo, si est tutor.*

Supererat respondere ad fundamentum hæreticorum: constat autem ex dictis, & manifestiùs ostenditur capite sequenti, falsum esse quod dicunt de antiqua Ecclesiæ consuetudine. Illa verò decreta, quæ afferunt, quæ ad professionem pertinent, infrà in proprio libro declarabuntur. Reliqua verò quæ spectant ad obseruantiam perpetuæ castitatis, inferiùs latiùs explicanda sunt; interim verò aduerto cùm Paulùs dicit, 1. Tim. 5. *Volo iuniores nubere*; non simpliciter & absolutè, vel (vt sic dicam) appretiatiuè id potiùs velle, quàm vt castitatem seruarent, cùm ipse alibi dixerit, 1. Corinth. 7. *Volo omnes esse sicut meipsum, & de virginibus consilium do*, &c. loquitur ergo de voluntate conditionata, quam eodem loco explicuit, dicens, *Cùm luxuriati fuerint in Christo, nubere volunt*, &c. Quod autem ait, *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*, non intelligitur de electione ad religionem aliquam, vel ad castitatem seruandam, sic enim potiùs dixisset, Non admittatur, vel non recipiatur: intelligitur ergo de receptione earum viduarum, quæ sumptibus Ecclesiæ alebantur; vel ad ministerium earum, quæ dicebantur Diaconissæ, vt in libro de Professione latiùs dicemus. Aliud fundamentum ex congruentia sumprum non tam attingit quid in hoc negotio liceat, quàm quid expediat, & ideo ex sequenti capite & totius libri discursu, eius responsio erit manifesta.

16.

## Caput III.

### *Vtrùm expediat pueros religionem ingredi, vel in eam admitti.*

1. IN præcedentibus capitibus solum explicuimus quid valeat, & quid liceat circa ingressum puerorum; hic declarandum supereſt, quid expediat. In qua re nulla est difficultas, neque esse potest inter catholicos (de hæreticis enim nihil noui dicendum supereſt) quoad pueros qui iam peruenerunt ad annos pubertatis: nam cum Ecclesia declarauerit in ea ætate posse validam & legitimam professionem facere, plane sentit eam ætatem esse aptam ad illum statum, atque adeo, per se loquendo, expedire, vt si voluerint, possint hi iuuenes ad religionem admitti. Et quia ante profectionem annus probationis necessarius est, hinc ad minimum constat etiam esse expediens, vt etiam ante puberem ætatem saltem per annum integrum ad religionis habitum admittatur. Quoniam vero Concilium Trident. quoad professionem faciendam ampliauit ætatem impuberem vsque ad decimum sextum annum ætatis expletum, hodie solùm colligi potest ex illo principio decimumquintum annum esse proprium terminum, in quo incipiunt pueri esse apti, vt eos in religione recipere expediat. Difficultas vero est de toto tempore superioris ætatis.

2. Et quidem D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 5. loquens absolute de pueris ante annos pubertatis, nullamque distinctionem in tota illa ætate faciens, dicit esse valde expediens, vt ex voluntate parentum in religione recipiantur: quod probat primo ex illis verbis Threnor. 5. *Bonum est viro portare iugum ab adolescentia sua*, & addere possumus verba Christi Matth.

*Prima opinio tenet esse valde expediens, vt pueri annos pubertatis*

19. *Sinite*

ordinem 19 *Sinite parvulos venire ad me*, quæ ad hoc propositum adduxit Basilius Reg. 15. ex fusioribus addens quod de Timotheo dixit Paulus 2. ad Timoth. 3. quòd ab infantia sacras literas didicisset, & quod ad Ephesios 6. ait filios educandos esse in disciplina, & correctione Domini, supponens hoc optimè in religione fieri.

Secundò affert exemplum Ioannis Baptistæ, qui ab infantia in Eremum secessit, vbi admirabilem vitæ rationem instituit, vt ex Luc. 1. colligitur, & ex Patribus & historiis id confirmauimus, & declarauimus in 2. tom. Disput. 24. sect. 3. Quibus nunc addendum occurrit, quia ad rem præsentem confirmandam confert, quod de Essenis Iosephus refert lib. 2. de bell. Iudai. c. 7. & Porphyrius apud Euseb. lib. 7 de Præparat. Euang. c. 1. & Cyrillum Alex. lib. 3. contra Iulianum, scilicet, solitos fuisse alienos liberos adhuc teneros & ad omnem doctrinam aptos secum educare, ac moribus suis stabilire sub cura vnius magistri, qui in timore & disciplina eos contineret. Nec desunt qui putent Ioannem Baptistam in puericia inter hos educatum fuisse, quod tamen mihi verosimile non est, cùm ante vsum rationis in Eremum ductus fuerit, & vsque ad tempus Baptismi inde non recesserit; valet autem, vt dixi, illud Essenorum exemplum ad confirmandam dictam D. Thomæ sententiam.

Tertiò affert D. Thomas exemplum S. Benedicti, cui Romani nobiles suos filios omnipotenti Deo nutriendos dabant, vt refert Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 3. qui etiam cap. 2. mirabiliter refert exemplum de quodam puero monacho. Vnde idem S. Benedictus cap. 59. suæ Regulæ præscribit modum quo & acceptandi, & offerendi sunt religioni à parentibus filii in minori ætate. Quæ institutio antiquior adhuc fuit: nam Pachomius vt ex eius Regula cap. 96. & 97. constat, multitudinem huiusmodi puerorum in suo monasterio habebat, & ad pietatem educabat. Basilius etiam quæst. 15. ex fusiùs disput. hos pueros præcipiendos dixit, & educandos in religione, nullamque ad eorum receptionem præscribit ætatem; imò ait, *illam ætatem tempus idoneum esse iudicamus, vel ipsum adhuc infantiæ, vt videlicet qui orbati parentibus sint*, (scilicet, atque etiam tutoribus) *eos nostra sponte ipsi assumamus. & exemplo eos parentes pupillorum suorum: qui autem sub parentibus sunt, eos ad ipsis ad nos adductos multis adhibitis artibus recipiamus*, &c. Refert præterea Gregor. lib. 1. Registri epist. 48. suo tempore innumeros ex his pueris monasteriis fuisse donatos à parentibus. Bernardus etiam epist. 1. refert Rupertum nepotem suum, ad quem scribit, oblatum fuisse in puericia à parentibus monasterio Cluniacensi: de qua historia plura inferiùs dicemus. Denique iura omnia superiori sect. tractata manifestè supponunt impuberes in omni ætate recipi posse, & debere parentibus consentientibus, atque id expedire; alioqui non adeò fauerent iura huic receptioni, vt irreuocabilem esse velint post parentum consensum vsque ad annos pubertatis, quo tempore ipsi pueri incipiunt habere ius eligendi quod voluerint.

Quartò argumentatur D. Thom. à communi cõsuetudine, quæ habet, vt pueri statim applicentur illis officiis, vel artibus, *in quibus sunt vitam acturi*. Quo argumento etiam rationem suæ sententiæ insinuat: nam valde expedit hominibus, vt in statu perfectionis vitam ducant; ergo etiam expedit eis ad illam vitam à principio puritiæ applicari. Vnde in solutione ad 2. Religionis (inquit) *status principaliter ordinatur ad perfectionem consequendam, & secundum hoc conuenit pueris qui de facili inducuntur.*

Nihilominus D. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 4. sentit non expedire huiusmodi pueros in religionibus admitti. Idem docet Syluest. verbo *Religio* 2. quæst. 10. addens, *Quamuis* (inquit) *Benedictus id fecerit, & D. Thomas licere doceat*; diminutè autem illum refert, quia non solùm licere, sed etiam valde expedire dixit. Refert etiam pro sua sententia Archidiaconum. Duoque fundamenta insinuat. Primum est, quia experientia docuit, hoc non expedire. Secundum, quia omnes Regulares hoc seruant: nam in eorum Regulis ferè omnibus cautum est ne ante decimumquartum annum pueri recipiantur; quod etiam nostræ Societatis constitutionibus præscriptum est; & idem existimo esse in aliis. Præterea idem confirmatur ex D. Hieronymo epist. 131. ad Algasiam. q. 8. dicens, *Præceptum est Apostolo: Estote perfecti*, &c. Et infra, *Apostolo non pueris præcipitur, verùm iam ætatis robustæ, vt assumant perfectionem.* Hoc autem secundum confirmat primum experientia, nam hæc concordia posteriorum religionum ex ipsa experientia videtur profecta.

*Secunda opinio tenens impuberes in religione admitti.*

*p. 1. c. 3. § 13 & c. 2. § 1.*

Mihi distinctione vtendum occurrit. Quæri enim potest, an hæc receptio puerorum impuberum in religione expediat ipsis pueris recipiendis; vel an expediat ipsi religioni, hæc enim duo, vt per se constat, valde diuersa sunt, neque vnum necessariò est cum altero coniunctum. Dico ergo primò, ipsis pueris valde vtile, atque expediens esse huiusmodi ingressum, seu receptionem in religione, dummodo religio ipsa reformata sit, & religiosa disciplina ac prælatorum vigilantia in ea vigeat. Hæc sine dubio fuit mens D. Thomæ, nam & verba Scripturæ, & rationes, & coniecturæ quas adducit eò tendunt, vt probent conuenientissimum esse homini ab infantia in operibus diuini cultus educari; & ita etiam ex eius fundamentis sufficienter demonstratur hæc assertio. Et idem probant quæ ex Athan. Ambr. Hieronym. & August. adducit Bellarm. lib. 2. de Monach. c. 35. Dixi verò *dummodò religio reformata sit*, &c. quia si disciplina ac vigilantia in religione deficiat, non poterit pueris esse vtilis educatio in tali religione, quia sicut illa ætas facilis ad bonum est, si diligenter erudiatur, & custodiatur; ita eadem facilitate vel defectu disciplinæ, vel prauis aliorum exemplis corrumpitur. Et è conuerso si eadem vigilantia desit, puerorum societas & conuictus nocumentum esse potest aliis religiosis, qui cum eis conuersantur. Vtrumque autem incommodum vitatur per seueritatem & rigorem in disciplina religiosa, & ideo vbi hæc seruatur, sine dubio expediens est ipsis pueris, quòd in tali religione nutriantur.

7. *Distinctio ne vtendū.*

*Primata. clusio. ingressus in religione reformatæ est valde expediens pueris vtile omnes pubertatis.*

Nihilominus dico secundò, ipsis religionibus regulariter non expedire educatione horum puerorum onerari. In hoc sensu videntur loquuti posteriores authores, quorum fundamenta ad hoc tendunt: nam religionum constitutiones ita ordinantur ad bonum eorum, qui religionibus aggregandi sunt, vt primariò per se intendant bonum ipsius religionis: cùm ergo in huiusmodi constitutionibus frequentiùs statuatur, vt ante pubertatem, vel propè illam, pueri non admittantur, sine dubio iudicatum est ita expedire ipsis religionibus: nam propter commune eorum bonum id statutum est. Obseruandum verò est, (vt huius rei ratio intelligatur) hoc maximè procedere in his religionibus, quæ licet vitam regularem obseruent, non separantur quoad habitationem à communibus populis & ciuitatibus; neque etiam à frequenti conuersatione cum secularibus hominibus, propter opera charitatis, quæ circa eos exercent iuxta suorum institutorum rationes, quales sunt religiones Mendicantes, & similes. In his ergo facilis est ratio assertionis positæ, quia pueri non sunt apti ad labores, & opera talium religionum,

8. *Secunda conclusio. Ipsis religionibus regulariter non expedit ingressus, & educatio horum puerorum.*

*Conclusio' procedit præcipuè*

*respectu religionum ad cantum.*

gionum, nec religiones ipsæ sine magno dispendio, labore, & distractione, ac impedimento circa alias actiones ipsis magis proprias ac necessarias in his pueris enutriendis ac educandis, occupari possunt.

9. Sunt vero aliæ religiones quæ monasticam vitam magis à consortio hominum separatam profitentur, & circa seipsas (vt sic dicam) id est, circa custodiam, institutionem, & exercitationem suorum religiosorum tantùm occupantur; & in his facilius esse poterat expediens etiam ipsis religionibus, huiusmodi pueros recipere, & educare: & ita de illis præcipuè loquuntur Basilius, & Benedictus superiùs citati, quorum temporibus potuit hoc esse magis expediens, tum quia magis vigebat monachalis disciplina, tum etiam, quia tunc religiones illæ ferè solùm constabant ex laicis hominibus, qui nec in studiis diuinarum literarum, neque in actionibus circa proximos occupabantur; sed solùm in labore manuum, & in diuinis laudibus, & orationibus: & ideo facilius poterant in educandis his pueris occupari, eosque ex laboribus manuum suarum alere. Iam verò in illis religionibus magna mutatio facta est tam in viuendi modo, quàm in rigore disciplinæ, & ideo in præsenti tempore fortasse illis ē non expedit hos pueros in religionē admittere, & ita id ferè iam non est in vsu. Quòd si alicubi specialis aliqua ratio interuenit quæ in bonum totius religionis redundet, quia vel fortasse non posset aliter commodè conseruari, vel quia experimento comprobatum est nullum detrimentum inde religioni prouenire, quo sublato statim cessat ratio cur dicamus hoc non expedire religioni; quia opus ipsum religiosè educandi hos pueros, per se charitatis est, vt Basilius recte dicit; & si aliunde maiora incommoda non sequantur, ista via poterit facilius conseruari religio. Quia verò (vt dixi) regulariter loquendo incommoda sunt maiora, ideo loquendo etiam moraliter, & regulariter absolutè id non expedit religioni.

10. *Non constare, an si pueri educandi sub habitu religioso capiantur.*

Vltimò verò potest circa hoc obseruari, non constare ex antiquis Patribus, quos attulimus, an hi pueri, qui olim in religionibus recipiebantur, sub habitu religioso admitterentur. Nam Basilius, licet expresse dicat eos non continuò ad reliquum fratrum corpus fuisse aggregandos, sed eis fuisse seorsim locum assignandum in quo habitarent, & victus rationem quam tenerent: de habitu nihil dicit; neque etiam Benedictus. Bernardus autem in dicta epist. refert Rupertum illum postquam oblatus fuit à parentibus, in seculari habitu permansisse. Sunt etiam in iure aliqua decreta, quæ prohibent alicui dari habitum religionis, nisi per aliquot annos priùs in religione educetur, quæ infrà connumerabimus. Quòd si hoc ita esset, facilius possent vitari incommoda quæ ex huiusmodi puerorum receptione sequi solent; quamuis illud etiam ipsum non possit non esse religioni onerosum. Ego verò existimo Basilium & Benedictum planè loqui de receptione ad habitum religiosum, nam hoc magis indicant eorum verba, & si quæ nunc manent vestigia illius antiqui vsus, hoc etiam comprobant. Bernardus autem loquitur in quodam casu, in quo, licet ex parte parentum facta fuisset oblatio, non tamen realis traditio, & consequenter neque ex parte religionis interueneratactualis receptio, quam nos dicimus semper fuisse ad habitum religiosum; illa verò iura longè alium sensum habent, vt infrà dicam, illud enim non erat tempus educationis, sed probationis. Vnde potiùs existimo in his pueris, qui in tenera ætate recipiebantur, non fuisse necessarium, vt ibidem tractabitur.

## CAPVT IV.

### *Quænam personæ inhabiles sint ad religionis ingressum & receptionem.*

1. QVoniam generaliter de statu religioso loquimur, qui & viris & fœminis communis est, supponere oportet præsentem doctrinam vnicuique sexui cum proportione esse applicandam, nam vterque sexus ad religionem habilis est, sed cum proportione accommoda. Nam viri ad religiones pro viris institutas; fœminæ verò ad suas habiles sunt; commutata verò ratione, fœmina est persona inhabilis ad religionis ingressum in religione virorum; & è contrario viri ad religionem fœminarum. Quia id non solùm effet contra institutionem, & finem talium religionum, sed etiam contra bonos mores. Deinde supponendum est, quamcunque personam per se ac seclusis impedimentis, esse habilem ad ingressum religionis; quia quilibet homo per se est capax perfectionis Christianę, ad quam religio tendit, vnde consilia perfectionis ex se pro omnibus dantur. Solùm ergo superest, vt explicemus, an possint esse aliqua impedimenta quæ personam reddant inhabilem ad huiusmodi ingressum, & quænam illa sint. Duplicia autem impedimenta intelligi possunt, quædam ex natura rei, seclusa speciali iure positiuo, alia per solam humanam constitutionem introducta. Priora oriri possunt ex naturali defectu, qualis est, v.g. amentia, vel si quod est aliud simile, illius existentia naturaliter impedit. Vnde fit, vt hæc impedimenta aliquando simpliciter reddere possint personam inhabilem, aliquando verò solùm sub hac vel illa conditione. Ac denique interdum possunt impedire ingressum ne licite fiat, non verò vt validus non sit. Dicitur autem iuxta huius materiæ capacitatem ingressus validus, in quo fundari potest verus nouitiatus, ac tandem vera professio; ille autem dicitur inualidus, qui sufficiens non est, vt ab illo possit annus nouitiatus numerari: nam cùm hic ingressus solùm in facto videatur consistere, & alios effectus morales non habeat, non potest eius valor aut nullitas in alio consistere.

*Fœmina est inhabilis ad ingressū in religione virorū, & vir in religione fœminarum.*

*Duplex genus impedimenti potest dari, vel ex natura rei, vel ex iure positiuo.*

2. *Assertio. Dantur aliqua impedimenta quæ reddit personam inhabilem ad religionis ingressum.*

Dico ergo primò nonnulla esse impedimenta, quæ reddunt personam inhabilem ad ingressum religionis. Hæc assertio in generali probari potest ex hoc principio, quòd persona inhabilis ad professionem, est etiam inhabilis ad religionis ingressum, seu habitum suscipiendum, quando conditio inhabilitans perpetua est; quia cùm ingressus ad professionem ordinetur tanquam via ad terminum, qui est incapax termini, erit etiam incapax viæ. Item quia ingressus est ad probationem, tam ex parte futuri religiosi, quàm religionis; persona autem inhabilis ad religionem, non est capax probationis: ergo nec receptionis validæ ad religionem. Sunt autem aliqua impedimenta quæ reddunt hominem simpliciter inhabilem ad professionem, vt postea videbimus. Melius autem declarabitur, & probabitur hæc assertio, ostendendo in particulari huiusmodi impedimenta.

### *Primum impedimentum est carentia vsus rationis.*

3. Primùm ergo impedimentum reddens personam inhabilem ad ingressum religionis, est carentia vsus rationis si perpetua sit. De illa enim quæ est per solum defectum ætatis, iam suprà diximus, non impedire illum ingressum, qui esse potest ad educationem tantùm, quanquam etiam impediat ingressum ad proprium nouitiatum, quia hoc incipere non potest vsque ad annum puberrati proximum, vt dixi. Aliquando verò contingit hic defectus etiam post ætatem

ætatem sufficientem ex corporis læsione, quę amentem, aut stolidum hominem reddit. Hoc autem impedimentum temporale esse potest, & tũc non simpliciter facit hominem inhabilem ad hunc ingressum, sed solùm pro eo tempore, pro quo talis carentia durat, iuxta cap. *sicut tenor*, de Regularibus. quo circa si amens, vel quacunque alia ratione *extra se positus*, vt textus ille loquitur, in religione admittatur, aut habitu religionis induatur, receptio nullius momenti est in ordine ad nouitiatum inchoandum, vel professionem postea faciendam. Ratio quæ ex illo textu colligitur est, quia in eo statu non potest homo consentire religioni. Videtur autem textus ille præcipuè loqui de professione, per quam homo obligatur; & obligari non potest sine proprio consensu. Est tamen eadem ratio de ingressu ad nouitiatum, quia licet per illum homo non obligetur, incipit tamen probari, & probare in ordine ad obligationem præstandam, & ideo proprium etiam consensum requirit. Probatio item sine vsu rationis esse non potest, fit enim per experientiam quæ rationis actus est. Ex quo colligitur, quòd licet aliquis sic receptus tempore amentiæ, postea consentiat statim, ac redit ad se, nihilominus prior receptio computanda non sit, sed ex tunc incipere debet ex quo consensit, quia priùs erat persona inhabilis. Secundò obiter infero, si quis receptus sit legitimè, & postea durante nouitiatu in amentiam incidat, & in ea pro aliquo notabili tempore durat, priorem receptionem irritam reddit, quia pro eo tempore, pro quo amentia durauerit, persona inhabilis ad probationem facta est: de quo puncto latiùs dicetur inferiùs.

Vltimò infertur, quod principaliter intentum est, eum qui perpetua amentia laborat, esse inhabilem vt in religione suscipiatur, quia ille est prorsus ineptus ad professionem: ergo & ad propriam receptionem, quæ ad illam ordinetur. Vnde licet cõtingat aliquem sic amentem indui habitu religionis, & per multos annos cum religiosis habitare, & postea etiam per miraculum ad sanam mentem redire, non posset ratione totius præteriti temporis professionẽ facere, aut nouitius reputari, etiamsi ratam habere vellet primam receptionem: quamuis oppositum dixerit Hostiensis, & multi eum sequantur, vt Angelus suprà refert, quibus ipse meritò contradicit, quia quod à principio nullum fuit, nõ potest tractu temporis firmari, vt habet regula, *Non firmatur*, de Reg. iuris in 6. ergo nec per subsequentem voluntatem potest ita ratum haberi, vt incipiat esse validũ ab eo tempore pro quo nullum fuit: maxime cùm alia Regula iuris habeat, ratum haberi non posse, quod alterius nomine non est gestum, & manifestum sit receptionem hominis perpetuò amentis non potuisse ipsius nomine fieri. Addo denique actum illũ ex intrinseca repugnantia, & incapacitate personæ esse nullum, & ideo nullo modo fieri posse, vt in eo fundetur verus nouitiatus, seu probatio religionis, in quo solo fere consistit, quòd sit valida receptio. Opinio autem Hostiensis poterat olim procedere non quoad hoc quòd talis receptio fieret valida per subsequentem consensum, id enim esset impossibile, vt probatum est, sed quoad hoc vt possit quis renunciare iuri suo, & esse contentus illo ingressu, & nouitiatu in illo fundato, ac si vera essent, quod potiùs esset sine nouitiatu profiteri, quod tunc fieri poterat, renuntiando, vt dixi, proprio iuri. Nunc verò etiam hoc locum non habet, vt infrà dicemus.

### *Secundum impedimentum matrimonii consummati.*

Secundum impedimentum est vinculum matrimonii consummati, quod non simpliciter facit inhabilem ad hunc ingressum, sed sub conditione, nisi alter coniux iuri suo renuntiet, & licentiam præbeat: nam aliàs si ingressus vnius coniugis fiat ex consensu alterius, validus est, cùm etiam professio postea sit valida, vt infrà videbimus, & ob contrariam rationem quandiu consensus non interuenit, persona est inhabilis. Cuius etiam argumentum est, quia illa receptio est directè repugnans cum vsu matrimonii, quem alter coniux licitè potest exigere: ergo continet manifestam iniuriam: ergo ex natura rei est nulla. Denique alter coniux potest statim alium reuocare, & cogere ad egressum: ergo signum est ingressum illum nullum omnino fuisse. Consonant denique huic sententiæ cap. *ex parte*, cap. *ex publico*, cap. *verùm*, & cap. *placet*, de conuers. coniugat. & cap. *Agathosa*. 27. quæstione 2. Atque ita sentit Angel. verb. *Religio*. num. 14. adiuncto num. 16. & quæ dicit verbo *Matrimonium*. 4. & Syluest. verbo *Matrimonium* 8. num. 12. Verum est hos authores, & alios communiter in hac materia præcipue loqui de illo ingressu, qui est per professionem, vt videre etiam licet in Innocentio, Panormit. Calderino, & aliis super dicta iura, & in cap. quidam, & cap. *consuluit*, eod. tit. & ideo de hoc primo ingressu, non est assertio ita certa, vt statim dicam.

*Matrimonium consummatũ, nisi alter coniux consentiat, inhabilitat ad ingressum religionis.*

6. *Dubium est, an coniux possit reuocare licentiam datam alteri coniugi, vt religionem ingrederetur, etiam postquam est ingressus. Prima opinio negat.*

Dubitari enim potest in primis circa priorem partem, an postquam alter coniux dedit alteri facultatem ingrediendi religionem, possit illam reuocare, ante professionem. (quid n. post factam professionẽ possit, infrà dicemus.) Videtur autem nõ posse, quia suprà ostensum est, si pater det filio impuberi facultatem ingrediendi religionem, nõ posse illam reuocare, etiam ante professionem: ergo nec maritus, v. g. poterit reuocare talem facultatem datam vxori, præsertim postquam illa ingressa est religionem. Et confirmatur, quia aliàs æquè posset maritus reuocare vxorem à religione, quam de eius licentia suscepit, quàm si absque tali facultate ingressa fuisset. Consequens est falsum, alioqui talis ingressus inualidus fuisset, & nullius momenti, vt suprà argumentabamur.

7. *Secunda sententia, & vera affirmat, posse reuocare.*

Nihilominùs dicendum est posse coniugem illam licentiam reuocare. Quod sumi potest ex Richardo, Soto, & aliis suprà, disputando de votis simplicibus coniugum. Nam fere omnes fatentur posse maritum reuocare licentiam datam vxori ad vouendum si eam præueniat, priusquam votum emittat, quia nondum orta est obligatio ad Deum ex parte eius, cui data est licentia, nec qui illam dedit, statim se priuauit dominio suo, vt illam reuocare non possit. Quæ ratio tota in præsenti locum habet. Et confirmatur ac declaratur in hunc modum: nam is coniux qui ingressus est religionem, potest sua sponte exire ante professionem, & ad alterum redire, qui teneretur eum recipere, & maritalem vitam cum illo agere: ergo & ipse potest alterum reuocare, & ipse parere tenetur; debent enim esse iura paria, & vterque intelligi debet esse pro eo anno quasi in probatione, an sibi expediat perpetuò ab alio separari.

Quocirca non est similis ratio de patre offerente filium impuberem, quia ille quandam donationem facit, & suo iuri absolute cedit, coniux verò solùm dat licentiam ad probandum, & tacite sibi ius similis probationis reseruat. Vnde etiamsi vterque coniux ex mutua facultate religionem ingrediatur, si vnus non perseuerat, potest alterum reuocare; quia vterque censetur probare cum dependentia ab alio. Vnde est etiam aliud discrimen, quia pater quando offert filium impuberem, nõ propriè & immediate offert filium ad probationem, hæc enim nõ

*Si vterque coniux relinquem im-*

*gredi atur, & alter nō perseueraret, potest alium à religione reuocare.*

incipit donec filius propria voluntate vult ingredi, aut manere ibi ad experiendam religionem, quod necessariò iam esse debet post adultam ætatem, & ideo illa est absoluta oblatio ad educationem filij religiosam pro tempore impubertatis, ideoque non pendet ex probatione; nec perseuerantia filij pendet amplius ex voluntate patris, sed filij tantùm, quòd in coniugibus secus est, vt declaraui. Et ideo ad confirmationem concedo sequelam: nec propterea sequitur ingressum illum esse inualidum, aut nullius momenti; quia est sufficiens fundamentum veræ probationis, seu nouitiatus; ita vt perseuerante vtroque coniuge in eadem voluntate, & concurrentibus aliis necessariis legitima professio possit in eo fundari. Quantum verò hinc enerueturquædam ratio facta pro assertione, statim dicam.

*9. Dubium secundo, est an ingressus religionis à principio factus sine licentia alterius coniugis, possit ratus haberi per superuenientem eius consensum. Aliqui negant.*

Secundò dubitari potest in hoc puncto an possit huiusmodi ingressus vnius coniugis à principio factus sine licentia alterius, postea confirmari, & ratus haberi per superuenientem consensum illius. Videtur enim non posse, quia, vt suprà dicebamus, quod à principio inualidum est, non potest tractu temporis confirmari; nec potest quis ratum habere quod suo nomine non est gestum; sed ille ingressus à principio fuit inualidus, & omnino sine authoritate, aut consensu alterius coniugis factus: ergo. In contrarium autem est, quia nullo iure aut ratione probatur sufficienter illum ingressum ita fuisse inualidum, vt non possit superueniente consensu coniugis sufficere ad probationem validam faciendam. Nam iura, vt infrà videbimus, solùm irritant professionem factam ab vno coniuge sine licentia alterius; de primo verò ingressu nihil speciale statuunt: ex vi autem illius decisionis ad summum sequitur ingressum non posse habere effectum stante illo impedimento, non verò quòd illo sublato non possit. Itaque si vxor sine licentia mariti monasterium ingrederetur, & per sex menses in nouitiatu maneret coniuge inuito, à quo tandem licentiam obtineret, permanendi simpliciter, & profitendi, non oportet nouum annum nouitiatus inchoare, sed post annum expletū, à primo ingressu posset profiteri; quia ibi interuenit ad professionem omnium quæ iura requirūt, & non est imponendum maius onus sine iure, vel euidenti ratione: ergo primus ingressus validus efficitur, quandocunque ante professionem consensus coniugis obtineatur. Confirmatur primò, nam si vxor bona fide ingressa esset religionem, putans maritum esse mortuum, & postea illum viuere constaret, eiusque consensus obtineretur, non oportet nouum nouitiatum inchoare, sed completo anno post primum ingressum posset professionem emittere: ergo idem est etiam si à principio mala fide, & peccando ingressa fuisset. Patet consequentia, quia quod peccatum per iniustitiam interueniat, nō impedit valorem actus, nisi aliquo speciali iure id explicetur. Deinde confirmatur, nam si vxor ingressa sit religionem viro inuito, & nouitiatum in ea faciat, & contingat maritum mori; potest statim post annum à primo ingressu professionē emittere, quia iam est sublatum impedimentum: ergo signum est primum ingressum non fuisse prorsus inualidum, sed solùm dependentem ab alio coniuge: ergo quoties ille consentiat, validus esse incipiet, quia tollitur impedimentum.

*10. Resolutio vera. Talis ingressus potest ratus haberi, nec fuit absolu-*

Non inueni dubium hoc in terminis ab authoribus tractatum cùm hæc scriberem: vtraque autem illius pars videtur aliquam speciem probabilitatis habere. Nihilominus tamen verum censeo illum ingressum non esse ita inualidum, quin probatio, seu nouitiatus in eo fundatus valere possit ad professionem validam faciendam, si tēpore professionis impedimentum ex parte alterius coniugis sublatum esset. Quam resolutionem postea apud Sanchim reperi lib. 7. de Matr. disp. 37. vbi multa circa hanc materiam generatim, & speciatim disputat à n. 46. vsq; ad 70. Eandem docere videtur Azor to. 1. lib 12. inst. mor. cap. 1. quæst. 6. §. si quæres. Vbi professionem coniugis absque alterius licentia factam, dicit statim ac alter moritur ratificari. Expressiùs tenet Lessius lib. 2. cap. 41. dubit. 17. num. 66. & 67. Probatur, quia si ex natura rei consideretur, ibi interueniunt ea quæ ad eam probationem & experientiam religionis sufficiunt: nec interuenit sufficiens consensus ex vtraque parte, id est, religionis, & futuri religiosi; interuenit etiam humanum experimentum ex vtraque etiam parte: ergo ex natura rei illud sufficit ad veram probationem, & consequenter ad verum ingressum in quo illa fundari possit; & in hoc est magna differentia inter hoc impedimentum & præcedens: nam præcedens tollit consensum & experimentum humanum, & ideo facit nullitatem absolutam, & irreparabilem per se & natura sua, quod in præsenti non ita est. Ex iure autem positiuo nulla est lex specialiter irritās hoc factū, nec irritatio professionis sufficit, si ante illam impedimētum tollatur, vt explicui. Et ideo iura (quod maximè obseruare licet in quodam motu proprio Sixti V. de illegitimis) quando volunt receptionem indebite factam esse ita inualidam, vt licet postea defectus emendentur, vel impedimenta tollantur, ad nouitiatum, vel professionem non deseruiat, non tantùm professionem, sed ipsam etiam receptionem specialiter annullant, quia nimirum sola irritatio professionis non sufficit ad annullandam absolutè receptionem, etiamsi fiat illicitè, & cum impedimēto irritante professionem. Atque hæc doctrina notanda est pro aliis impedimentis statim tractandis, quibus etiam tanquam variis exemplis res ipsa magis declaratur.

*Notādum, quòd impedimentum annullans professionē, non annullat ingressum esse illicitū, & factum, nisi id specialiter exprimatur.*

Ad rationem ergo dubitandi respondetur non esse eandem rationem de hoc, & de superiori impedimento, vt dictum est. Vnde distingui potest dupliciter posse ingressum hunc esse inualidum. Primò simpliciter, & absolute, & de hoc verum est non posse postea valorem habere. Alio modo potest esse inualidus non simpliciter, sed sub conditioue, nisi tale impedimenrum auferatur, qui proinde etiam potest dici validus sub contraria conditione, si tale impedimentum auferatur. Hoc ergo tantùm modo dici potest inualidus ingressus vnius coniugis sine consensu alterius, & ideo superueniente consensu potest fieri validus, quia tollitur conditio quæ repugnabat. Dices, hoc reuera non est esse inualidum, sed tantùm esse prohibitum, vel inique factum. Respōdetur hoc solùm spectare ad modum loquendi, nec multum esse contendēdum cum eo, qui ita loqueretur. Quia verò impedimentum ad ingressum aliquando tale est, vt etiamsi non auferatur, sed duret vsque ad professionem, sufficiat vt receptio, licet male facta, fundet verum nouitium, veramque professionem, ideo hoc dici solet impedimentum solum prohibens, aliud verò etiam inualidans aliquo modo, vt explicatum est. Vnde necessario fit, rationes factas ad probandum hoc impedimentum, non probare illud annullare absolute ingressum, sed solùm sub prædicta conditione, & ita hoc tantùm infertur in speciali ratione. Prima verò confirmatio neutrū satis probat, nam potest esse actio valida, etiāsi sit iniuriosa, imò & professio coniugis, vt infrà dicā, secluso iure positiuo irritante valida esset, etiamsi fieret cū iniuria cōiugis non consentientis, solumq; suspēsa maneret quoad effectum, quē sine iniuria coniugis habere nō posset. Ita ergo secluso iure positiuo ille primus ingressus cū iniuria

*Respondetur rationibus contrariæ opinionis.*

*de inualidate à principio.*

*it.*

iniuria coniugis ex natura rei est iniquus, & nunquam posset sufficere, vt ratione illius fiat licitè nouitiatus, aut professio durante impedimento: nihilominus ex se non inualidat actum. Altera verò confirmatio ad summum infert inualiditatem quandiu non tollitur impedimentum, quod à principio, & in ipso ingressu extitisse supponitur: nec iura ibi adducta aliud probant, vt declaraui.

### *Tertium impedimentum professionis factæ in alia religione.*

Tertium impedimentum esse potest vinculum professionis factæ in alia religione. Sicut enim vinculum matrimonij carnalis impedit vinculum professionis spiritualis, & consequenter etiam impedit ingressum qui ad illum ordinatur; ita etiam spirituale vinculum professionis in religione aliqua impedit ingressum & receptionem in alia, quia directè repugnat traditioni, quæ per priorem professionem facta est. Hoc verò impedimentum attingit materiam de transitu ab vna religione ad aliam, quę postea ex professo tractanda est; & ideo hîc solùm dicimus limitandum in primis esse hoc impedimentum ad eam religionem, ad quam transire non licet, vel ex natura rei, vt quando religio, ad quam fit transitus, laxior est, vel ex speciali Pontificis declaratione ac prohibitione irritantis posteriorem professionẽ: tunc enim consequenter etiam impeditur posterior ingressus. At verò si transitus nec per se malus est, nec prohibitus, ingressus etiam in posteriori religione & validus erit & licite: imò licet contingat esse illicitum non ex substantia, sed ex modo: vt, v.g. quia sine licentia petita discessit, validus nihilominus erit ingressus, nisi aliquo expresso iure humano irritus fiat, quod iure communi non inuenitur, vt est communior sententia, quam infrà tractabo. Ac denique quoties professio facta in secunda religione valida est, non obstante culpa in modo transitus, non potest ingressus inualidus iudicari, etiamsi fuerit peccaminosus.

Addendum præterea est etiam in eo casu, in quo professio valida ex vi talis ingressus fieri non potest nulla facultate concessa à priori religione, ingressum seu receptionem ipsam non esse absolute & simpliciter nullam, sed quandiu talis facultas non conceditur, eadem proportione & ratione, qua de vinculo matrimonii id declaratum est. Quocirca (quod in praxi notandum est) si aliquis religiosus sine debita facultate habitum alterius religionis suscipiat, in qua licet nouitiatum integrum expleat, in eo statu validam professionem facere non potest, si tamen in discursu anni facultatem obtineat ab alia religione, vel ab eo, qui illam dare potest, & consequenter habilis fiat ad professionem, eo ipso prior ingressus incipiet valere ad eandem professionem, ita vt nouitiatus à die ingressus, & non tantùm à die facultatis obtentæ computari possit, ac debeat, quia inhabilitas illa non erat absoluta & intrinseca, vt sic dicam, sed solùm ex defectu facultatis, quo defectu non obstante in ipso facto ingressus & receptionis interuenerat sufficiens consensus ex vtraque parte (supponimus enim nullã interuenisse deceptionẽ.) Deinde nouitiatus ipse fieri etiam poterat cum sufficienti probatione, & experientia ex vtraque parte, & hæc solum esse poterant ex natura rei necessaria ad valorem actus; ideoque nullo existente iure humano directe irritante receptionem ipsam, vt in præsentí supponimus nullum esse, non est cur illa receptio sit in se absolute inualida, sed tantùm sub prædicta conditione. Atque hîc applicari possunt ferè omnia dicta in præcedenti puncto. Solùm potest in hoc casu nõnullam facere difficultatem, quod iste, qui hoc modo ingreditur secundam religionem, est apostata, & excommunicatur. Sed in primis illa non censetur proprie apostasia, nec iure communi culpa illa habet excommunicationem ipso facto annexam. Deinde quidquid sit de specie culpæ, illa per se non impedit valorem facti, de censura verò statim dicam.

### *Quartum impedimentum Episcopalis dignitatis.*

14. *Dignitas Episcopalis impedit, sed non inualidat ingressum religionis, dummodo obtineatur licentia à Papa.*

Quartum impedimentum huic fere simile est Episcopalis dignitas iuxta cap. *licet*, de Regular. quod non simpliciter prohibet Episcopo huc ingressum, sed sine licentia Papæ, & præcipue loquitur de ipso statu religionis, atq; adeò de ingressu per professionem. Dubitari autem posset an professio facta ab Episcopo sine tali licentia sit nulla, quod postea tractabimus. Supponendo autem nunc talem professionem nullam esse, consequenter dicendum est talem personam esse inhabilem ad ingressum non simpliciter, sed sub tali conditione, quòd si absque illa ingressus fiat, censebitur nullus non omnino, & absoluté, sed quandiu illa conditio requisita obtenta non fuerit. Eodem modo, atque eadem ratione ac explicatione, qua in superiorib. punctis, simile dictũ est. Dubitari autem potest, an idem sentiendum sit de inferioribus prælatis, seu rectoribus Ecclesiarum respectu Episcoporum. Respondendum est autem negatiue; quia nullum habent vinculum, quod ex natura rei dimittere non possint, propter maiorem perfectionem; neq; etiam iure aliquo humano sunt prohibiti; de qua re videri possunt suprà dicta libro primo. Et videri potest D. Thom. 2.2. q. 189. art. 7. Panor. in cap. *quod Deo timerem*, de statu Monach. Sylu. verbo, *Religio* 2. n. 8. Angel. n. 12.

### *Quintum impedimentum seruitutis.*

15. *Seruitus nõ est impedimẽtum irritans religionis ingressum, sed reddens illicitum.*

Quintum impedimentum numerari solet seruitus, sed, vt infrà dicam, hæc non est conditio irritans professionem etiam sine licentia domini facta, & ideo numerari non potest inter impedimenta irritantia ingressum, quamuis illum reddat illicitum: & idẽ censeo de impedimento cuiuscunque debiti, vel obligationis ciuilis, aut naturalis, secluso quodam speciali iure Sixti V. de quo dicam cap. 7. Igitur præter impedimenta posita nullum aliud inuenio, quod possit aliquo modo dici irritate ingressum, seu receptionem in religione. Ex quibus etiam intelligere licet, vnicum esse impedimentum quod absolute & simpliciter reddat personam inhabilem ad hunc ingressum, ita vt omnino absolute irritet illum. quod significauit Sylu. verb. *Religio* 5. n. 1. dicens quemlibet puberem ratione vtentem esse capacem nouitiatus: inde enim sequitur suppositia sufficienti ætate, de qua in primo capite dictum est, solam carentiam vsus rationis reddere personam simpliciter inhabilẽ ad hunc ingressum. Quod etiam quantum ad negatiuam partẽ excluſiuæ, confirmari potest ex his, quæ diximus de aliis impedimentis: nullum enim illorũ reddit personam simpliciter incapacem, nec irritat actum simpliciter, secundùm quid, id est, quando nõ ponitur talis conditio, vt explicuimus. Hæc autem procedunt considerando impedimenta, quæ vel ex natura rei inesse possunt, quale nullum inuenio præter defectum rationis, vel iure communi & ordinario introducta inueniuntur. Quod aduerto tũ propter ius illud latum à Sixto V. circa illegitimos, vel debitis aut rationibus reddendis obligatos. Quod quantum ad illegitimos iam sublatum est, & ideo de hoc impedimento nullam rationem fecimus: quantum verò ad alios infrà declarabitur. Tũ etiam hoc aduerto propter particularia iura religionum, quæ in vnaquaque considerandа sunt, & seruanda; in aliquibus enim conditio generis ex origine Iudæorum aut

*Solacarentia vsus rationis inter impedimẽta reddit personam simpliciter inhabilem ad religionis ingressum.*

*Obseruari debent impedimenta particularia cuiusli. bet relig.*

aut paganorum est impedimentum irritans: in aliis defectus natalium, seu esse legitimè natum: in aliis grauis infamia, vel iuris, vel notorii facti, maxime si proueniat ex lapsu circa fidem, vel proprio, vel progenitorum ad forum contentiosum delato, & in illo publice punito: aliquando etiam irregularitas homicidii voluntarii, vel aliud simile.

16. *Notandum circa formã qua impedimenta ponuntur.*

Circa has autem constitutiones duo obseruanda sunt. Primum est generale, an scilicet verba illarum constitutionum sint tantùm prohibentia, vel etiam irritãtia: nam si solùm prohibeant, ex vi sua non reddunt factum irritum, nisi aliunde vel ex vsu & praxi religionis, vel ex aliis circumstantiis talium cõstitutionum constet hanc esse legis intentionem. Si autẽ constitutio est irritans, tunc est secundò considerandum, an talis irritatio cadat immediatè in solã professionem, vel etiam in receptionem directè, & immediate, quando enim fit priori modo, licet professio facta à tali persona inhabili sit simpliciter nulla, receptio nihilominus non ita absolute nulla est, sed solùm sub conditione, si conditio inhabilitans ablata non fuerit, vt in similibus explicatum est. Vt, v.g. si constitutio religionis dicat: Prohibemus aliquem recipi ab Hebræis ducentem originem, & professio ab illo facta nulla sit, & contingat aliquem ex eo genere recipi; posteà verò ante professionem dispensationem obtineat, non oportebit illum nouitiatum inchoare, sed factum valebit ex vi prioris receptionis, quia non fuit simpliciter nulla, sed tantùm sub prædicta conditione. At verò si irritatio directè & immediate in ipsam receptionem cadat, tunc non sufficiet prædicta dispensatio, quominus necesse sit denuo recipi, & nouitiatum inchoare, nisi etiam de hoc ipso specialis dispensatio habeatur, quam solus Papa posset concedere, quia solus ipse potest dispensare, vt sine integro probationis anno valida professio fiat.

### *Alia impedimenta alterius generis assignantur.*

17. *Multa dãtur impedimenta, ne fiat licitus ingressus religionis*

Tandem dicendum est, multa esse quibus homo impeditur ne possit licitè ingredi religionem, quamuis per ea non reddatur simpliciter inhabilis, ita vt receptio facta non teneat. Hæc assertio communis est Doctorum in hac materia, potestque generali ratione suaderi, quia in aliis actionibus humanis non omnia, quæ prohibent fieri aliquid, illud reddunt irritum, si fiat, vt patet in matrimonio, in ordinatione clerici, & in professione ipsa, idem infrà ostendetur: ergo idem erit in præsenti. Ad quam etiam confirmandam multa sumi possunt ex dictis in puncto præcedenti. Denique potest ita declarari: nam hæc impedimẽta oriri possunt, vel ex naturali iure, vel ex Ecclesiastico communi, vel ex proprio iure singularis religionis. De hoc vltimo iure manifestũ est plures conditiones requiri in religione in persona recipienda, quæ non sunt de valore receptionis, sed solũ eò spectant, vt prælati religionis suo munere fungãtur debito modo; vt, v.g. quòd sit corpore sanus, vel ingenio valens, & similia; quæ magis in particulari inferiùs tractabimus de religione Societatis in specie. Itaque quoad hoc ius solùm oportet verba eius expendere modo superiùs dicto.

18. *Obiectio.* *Diluitur.*

De iure autem canonico præter ea quæ dicemus infrà de modo receptionis, & de motu proprio Sixti V. non inuenio aliquam conditionem hoc speciali modo requisitam iure communi in persona ingressura religionem, præter eas, quæ iure naturæ necessariæ sunt. Dices ex generali regula & per quandam consecutionem necessarium esse vt talis persona nõ sit affecta Ecclesiastica censura. Respondeo si sit sermo de necessitate præcepti, ad summum esse verum de excommunicatione maiori: aliæ enim per se non impediunt, quia neque in sua formali priuatione (vt sic dicam) continent talem prohibitionem, nec speciali aliquo decreto lata inuenitur: solùm ergo possunt aliquando esse signa quòd persona indigna sit vt ad talem statum recipiatur, quod iam pertinet ad naturale ius, & pendet ex coniectura, quam prudenter expendere necesse est. At verò excommunicatio maior priuat omni communicatione, præsertim spirituali, hic autem ingressus fieri non potest sine magna communicatione spirituali; & ideo dubium non est quin excommunicatus priusquam absoluatur, neque ingredi possit religionem, neque in ea recipi sine graui peccato. Si verò sit sermo de impedimento irritante, nego vllam censuram etiam maiorem excommunicationem huiusmodi esse, quia nec professionem irritat, vt infrà ostendam: ergo multo minus receptionem, quia neque est propriè contractus, neque aliquo speciali, aut generali iure irritatur. *Excommunicatio maior impedit ingressum religionis.*

19. In primo ordine naturalis iuris multa similia impedimenta interuenire possunt; tria tamen præcipua occurrunt. Vnum est, si quis ingrediatur religionem, sciens ac prudẽs se esse ineptum ad labores, vel onera illius religionis, vt si habeat ægritudinem occultam, vel quid simile. Secundum est, si ingrediatur contra debitum pietatis, vt quia habet parentes aut filios in graui necessitate constitutos, quibus subuenire posset, & deberet. Tertium est, esse obnoxium debitis, seu rationibus reddendis. De primo nil speciale occurrit dicendum, quia ad praxim illius solùm est necessaria prudentia, qua expendatur quanta sit personæ ineptitudo, vel improportio ad obseruandam perfectionem religionis, præcipuè castitatem & obedientiam, & principales ritus religionis, vel etiam corporales eius labores sustinendos, si talis sit personæ status vt ad vsum eorum recipiatur. In hoc autem genere maxime peccatur, quãdo tacendo talia impedimenta occultantur. Nam si ingressurus totam suam dispositionẽ religioni manifestat, & volũtarie à religione recipiatur, ingrediendo non peccabit, sperans non plus ab eo fore postulandum, quàm possit. Quod habet locum quando ex tali impedimento non sequitur aliquod morale periculum peccati; nam, si hoc interueniat, non sufficiet voluntarius consensus religionis, vt licitus sit ingressus: vt, v.g. si experimento constaret aliquem esse omnino ineptum, ad seruandam castitatem, iuxta illud 1. Cor. 7. *Melius est nubere, quàm vri.* Et sic de aliis. Alia verò duo impedimenta accuratiori indigent declaratione. *Qui ingreditur religionem scienter occultando impedimentum graue vel animi, vel corporis, peccat.*

## CAPVT V.

### *Vtrùm propter necessitatem parentum teneatur quis non ingredi religionem.*

1. *Ratio difficultatis proponitur.*

TRactabimus priùs quæstionem hanc de filiis respectu parentum, vbi etiam extendemus sermonem ad alios ascendentes. Deinde de parentibus respectu filiorum, & consequenter aliorum descendentium. Ac tandem de fratribus inter se; vnde à fortiori constabit quid de aliis consanguineis dicendum sit. Circa primum ergo punctum ratio difficultatis est, quia nemo tenetur diligere proximũ quantũuis sibi coniũctum in ordine ad tẽporalia, vel corporal. a bona plusquam se in spiritualib. sed hæc obligatio ad parẽtes ad summũ potest esse ex charitate: ergo nõ obligat cum prædicta appretiatione seu cõparatione: ergo non obligat filium vt propter tẽporale, & corporale commodũ patris tantum bonum proprium spirituale amittat. Nec satisfaciet q. dixerit hoc bonũ spirituale nõ esse simpliciter necessarium, sed ad

sed ad melius esse; temporale autem bonum, quo pater indigere supponitur, esse necessarium. Hoc, inquam, non satisfacit, tum quia tantus est excessus spiritualium bonorum ad temporalia, vt etiam ea, quæ in priori ordine simpliciter necessaria non sunt ad æternam salutem, præferenda sint his, quæ ad salutem corporis necessaria sunt: hac ergo ratione possum ego me exponere periculo mortis corporalis, vt faciam actum religionis, vel charitatis, etiam quando illi non sint in præcepto, nec ad salutem necessarii. Si ergo possum ego vitæ propriæ non subuenire vt actum perfectionis faciam, cur non potero statum perfectionis assumere contempta alterius necessitate corporali, etiamsi sit patris? Tum maximè quia bonum illud supererogationis tale est, vt loquendo secundùm ea, quæ frequentiùs accidunt, ex omissione illius sequantur moralia pericula plurium peccatorum mortalium, quæ sunt damna grauissima cuicunque morti corporalia præferenda.

Præmittenda in primis est distinctio triplicis necessitatis, extremæ, grauis, & communis, quæ ad explicandam obligationem charitatis, misericordiæ, seu eleemosynæ communiter à Doctoribus dari solet. Extrema dicitur quando homo est in eo vitæ discrimine, vt nisi ei subueniatur, moraliter certa sit mors, aut grauissimum periculum eius. Grauis dicitur quando vita hæc sustentari non potest nisi cum magna penuria indigentia, ac difficultate, vel cum magno dedecore, vel notabiliter cadendo à proprio statu, vel exercendo opus alienum à qualitate & conditione talis personæ. Communis necessitas dicitur quando homini necessarium est parce & moderate viuere, & non solùm superfluis, sed etiam congruis aliquando carere, & statum potius minuere, quàm augere, vt possit hanc vitam transire; nihilominus tamen adhibita industria, & diligentia, necessaria non desunt.

### *Communem patris necessitatem non impedire filij ingressum in religione.*

DE hac leui necessitate nulla est controuersia: nam D. Thom. & omnes auctores citandi fatentur propter hanc necessitatem nunquam obligari filium, vt omittat, vel differat religionis ingressum. ita D. Thom. 2.2. quæst. 10. art. 4. ad 4. quæst. 189. art. 6 quodlib. 10 art. 11. vbi, quod notandum est, ait, si pater sine obsequio filij potest aliqualiter sustentari, non obligari filium ad omittendum statum perfectionis, vt illi subueniat. Ratio autem in principio cap. tacta est, quæ, vt minimum, hoc conuincit. Et confirmatur, nam in eo casu non teneretur filius emancipatus, seu habens bona propria in rigore præcepti alere patrem ex propriis bonis, maxime si non posset id facere nisi priuando se æquali commodo, vel honore: ergo multo minùs ad hoc tenetur cum tanto spirituali incommodo. Denique præceptū subueniendi parentibus affirmatiuum est, quod proinde non pro semper obligat, sed pro articulo necessitatis, & ideo iuxta gradum necessitatis gradū obligationis inducit. Necessitas etiam non ab[illegible]tè, sed respectiue obligationem inducit: eadem namque necessitas plus obligat eum qui facilè, quàm eum qui difficile potest subuenire, & tanta potest esse difficultas, tantumque dispendium alterius qui subuenire debet, vt indigentis necessitas quasi nulla reputetur. Ita ergo est in præsenti necessitate patris respectu filij, quia tanquam nulla moraliter reputatur comparatione tanti incommodi, quantum est priuari statu perfectionis. Quocirca licet pater expresse præcipiat filio, vt sibi subueniat, & religionis statum prætermittat, non tenetur filius illi obedire, quia non potest pater in hoc rigorosius præceptum filio imponere, quàm natura ipsa posuerit, neque in his quæ ad salutem suæ animę spectant, tenetur filius obedire patri prohibenti, sine sufficienti causa, quæ sibi vtiliora sunt, & à Deo inspirantur, in quo casu patri spirituum potiùs obediendum est, quàm patri carnis, vt ait Paul. ad Heb. 12.

Solùm superest in hoc animaduertendum, vt talis necessitas patris prudenter pensetur non solùm secundùm id quod in præsenti tempore actum iam est, sed etiam secundùm id quod iam imminet, & moraliter ac proxime timetur: nam in his rebus moralibus periculum proximum, & probabile tāquam res ipsa reputatur, & ideo si tale esset in præsenti periculum, necessitas, quæ per se sumpta esset communis adiuncta illa circumstantia, reputaretur moraliter grauis, esset que per alia principia statim tractanda, definienda: oportet ergo vt pensatis omnibus sistatur intra limites communis necessitatis; & tunc sine limitatione, & controuersia procedit assertio posita.

### *Extremam patris necessitatem talem religionis ingressum impedire.*

Secundò de extrema necessitate est è cōuerso certa resolutio, teneri filium non dimittere patrem in tali necessitate vt religiosus fiat. Hoc probabitur à fortiori ex dicendis in sequenti puncto. Duo autem ad hanc obligationem necessaria sunt. Vnum vt filius manendo in seculo possit illi necessitati subuenire, eiusque rei moralem seu probabilem spem habeat; quia nemo ad impossibile obligatur, neque ad aliquid frustrà faciendum, & ideò præceptum correctionis fraternæ non obligat sine spe fructus, quātumuis grauis videatur proximi necessitas. Filius etiam si longè distaret à patre, quem sciret esse in extrema necessitate, si non speraret illuc peruenire eo tempore quo possit illi succurrere, sine dubio non obligaretur illuc tendere: ergo similiter è contrario si filius ex sua præsentia fructum non sperat, nec remedium paternæ necessitatis, non tenetur illuc non discedere cum magno detrimento: non ergo obligandus est frustrà magnum bonum religionis omittere. Neque ad talem obligationem sufficiet quòd pater magno dolore, aut desolatione afficiendus sit: nam hi effectus per se non augent necessitatem, aut obligationem, nisi forte probabiliter timeretur inde magna mortis acceleratio, nam tunciam posset filius huic malo subuenire, vel potiùs illi præuenire, differendo ingressum, ideoque ad hoc teneretur.

4. *Filium in extrema necessitate patris tenetur vt illi subueniat à fine, vel omittere religionis ingressum. Duæ requiruntur cōditiones ad hanc obligationem. Prima est, vt filius possit tali necessitati subuenire manendo in seculo.*

Secundum requisitum ad hanc obligationem est, vt filius sit necessarius patri in huiusmodi necessitate constituto, nam si vel alios filios habeat, vel aliam viam & rationem, qua suæ necessitati consulere possit, recte poterit alius filius religionem ingredi, non obstante tali necessitate patris. Quia vt necessitas hæc inducat obligationem moralem, respectiue accipienda est, tunc autem talis necessitas respectu talis filii vera necessitas non est, cùm ipse ad illius remedium non sit necessarius. Atq; hoc sæpius repetit D. Thom. dict. q. 101. art. 4. ad argumenta, & ita exponit factum Christi Matth. 8 & Luc. 9. qui non permisit quendam differre suam conuersionem ad statum perfectionis propter curandam patris sepulturam; quia erant alii, inquit D. Thom. per quos poterat illud opus complere, si de solo funere, vt verba sonant, & Chrysostom. exponit, intelligatur: vel iuxta expositionem Cyrilli, erant alii, à quibus pater iam senex posset vsque ad sepulturam sustentari.

5. *Secunda conditio est. Vt filius sit necessarius patri.*

Est autem obseruandum ad hanc excusationem satis nō esse quòd alii subuenire possint, sed oportere vt sit spes & moralis certitudo quòd id sint facturi: *Vtrumque requiritur, vt*

*Qui possint, & sint facturi, ad hoc vt filius excusetur.*

parum enim refert quòd pater plures filios habeat, à quibus iuuari possit, si alii tales sint, vt non credantur id esse facturi; & ideo in eo casu obligatio durat respectu alterius. Nec refert quòd fortasse alii in eo facto grauiter peccent, nam eorum peccatum non excusat alium; quia ex illo facto, & circumstantiis reipsa sequitur, vt pater sit in extrema necessitate respectu talis filii, & consequenter vt filius ipse de facto teneatur illi subuenire, & ob eam causam ingressum religionis differre, si necesse sit. Nam hoc etiam in hac posteriori limitatione subintelligendum est: nam si filius sufficienter posset subuenire parenti in tali necessitate constituto, etiamsi religionem ingrediatur, nimirum dando illi bona quæ habet, vel per amicos succurrendo, vel per aliam diligentiam, quam in religione existens potest exhibere; in eo casu non tenebitur ingressum differre, quia iam respectu illius cessat vera necessitas talis medii, & consequenter cessat etiam obligatio. Ex quibus tandem è contrario sequitur tandiu teneri filium ad differendum huiusmodi statum, quandiu patris necessitas duranerit; quòd si illa perpetua fuerit, tenebitur etiam filius perpetuò in seculo manere si pater superuixerit; quia cùm necessitas sit quasi radix huius obligationis, duratio illius est etiam radix durationis alterius.

*Si filius ingrediendo religionem potest aliqua via subuenire parenti, nõ tenetur tũc differre ingressum.*

*Quænam sit obligatio nepotis ergo auum, vel alios consanguineos in extrema necessitate.*

7. Sed quæres, an idem dicendum sit de nepote respectu aui: imò idem profectò quæri posset de quocunque homine respectu cuiuscunque proximi existentis in necessitate verè extrema, & concurrentibus aliis circumstantiis, quòd non sit alius qui possit subuenire, &c. Videtur enim idem esse dicendum de quolibet proximo, quia præceptum charitatis erga proximum maxime obligat in extrema necessitate: ergo implendum est, etiamsi oporteat religiosum statum omittere. Quòd si hoc verum est, à fortiori idem erit dicendum de auo, ad quem iuxta ordinem charitatis magis obligatur. Atque eadem proportione idem dici potest de aliis consanguineis, seruato ordine charitatis.

8. *In extrema necessitate nõ tenetur nepos vt auo subueniat, nec consanguineus cõsanguineo, differre per multum tempus religionu ingressum.*

Nihilominus auctores omnes singulariter hoc dicunt de parentibus, apud quos etiam de auo nullam mentionem inuenio, quantum ad hanc obligationem, vnde sine dubio significant obligationem hanc etiam in extrema necessitate, esse singularem respectu parentis, & ex speciali titulo prouenire. Vnde considerandum est quòd licet ex bonis fortunæ teneamur subuenire proximis in extrema necessitate existentibus, quando & illa bona habemus, & nobis ad conseruationem vitæ necessaria non sunt; non tamen tenemur regulariter loquendo, quando illa bona non habemus, ea procurare, & acquirere, vt proximo etiam extremè laboranti subueniamus. Sed ad summum quando, & breui tempore, & sine multo labore id fieri possit. Et eadem ratione non tenemur per nostras actiones vel corporalia obsequia huic necessitati cuiuscunque proximi succurrere, nisi cum eadem facilitate id fieri possit. Non verò si necesse sit totum studium & actiones vitæ per multum tempus huic ministerio seu necessitati dicare, quia præcisa ratio charitatis, & misericordiæ non obligat cum tanto rigore ad subleuandas corporales miserias, & necessitates proximorum. At verò respectu parentis est specialis obligatio ad subueniendum illi non solùm ex bonis externis iam habitis, sed etiam quærendo & procurando illa, & cum aliquo labore, & difficultate, & per multum etiam tempus, si patentis necessitas id expostulat: & similiter extenditur hæc obligatio etiam ad corporalia illi necessaria, dicendo si opus sit per quodlibet vitæ tempus nostras actiones in parentis sic indigentis adiutorium; totum enim hoc comprehenditur sub quarto Decalogi præcepto: quamuis enim sub voce honoris præceptum illud feratur; quia, per se loquendo, debent filii parentibus reuerentiam & honorem potius quàm subsidium, nam parentes debent thesaurizare filiis, non filii parentibus. Nihilominus ex accidenti si pater indigeat, ad illum honorem præceptum spectat omne obsequium illi necessarium, vt optimè docuit D. Thom. 2. 2. quæst. 101. art. 2. & quæst. 189. art. 6. & sumitur aperte ex Christi Domini interpretatione Matth. 15. vbi Hieronym. & ex eo Beda interpretatur honorem in Scriptura non tam in salutationibus & officiis deferendis, quàm eleemosynis ac munerum oblatione sentiri. Vnde 1. ad Timoth. 5. *Viduas honora*, id est, illis subueni & prouide; & infrà, *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt*; maximè verò omne huiusmodi obsequium ad patrem habet rationem honoris, vt ait D. Thom. suprà ad primùm, quia *fit illi ex debito tanquam maiori*. Nascitur autem hoc debitum ex eo peculiari titulo, quòd à parentibus habemus quidquid sumus, tanquam à propria, & per se causa nostri esse: quæ ratio respectu aliorum proximorum locum non habet, & tam intrinseca & naturalis est, & tam grauis, vt ad totam prædictam obligationem sufficiat.

*Filius si patris necessitas possit tollere, tenetur illi subuenire non solùm dando de sua bona, sed etiã laborando procurare vnde sustentetur.*

9. *Corollarium.*

Ex his ergo constat hanc obligationem non esse communem respectu omnium proximorum, quia non tenetur homo cum tanto discrimine cuilibet proximo subuenire, quia subuentio eius non est ex singulari debito, sed solùm ex generali debito misericordiæ; respectu autem parentis est ex speciali debito pietatis, quod multo rigorosius est, adeò vt excedat ordinariam iustitiæ obligationem; quamuis enim pietas non sit proprie iustitia, quia non est tam proprie ad alterum, est tamen perfectio quoad debitum, & obligationem, vt alibi latiùs tractaui. Si ergo subuentio proximi extreme indigentis breui aliqua dilatione religionis, per breuem actionem, seu occupationem fieri potest, charitas aliquando ad illam obligabit, non verò ad differendum per multum tempus illum statum, vt homo vacet subuentioni proximi. Quia neque alium inferiorem statum, aut ministerium, vel munus suum tenetur homo relinquere, aut per multum tempus suspendere, vt subueniat simili necessitati cuiusuis proximi: ergo multo minùs tenebitur ad perfectionis statum omittendum, vel multo tempore differendum. De auo verò (& cum proportione de aliis consanguineis) est nonnulla maior ratio dubitandi, quia debitum pietatis ad illos extenditur, iuxta doctrinam D. Thom. & Caiet. dict. quæst. 101. art. 1. Nihilominus tamen, absolute loquendo, non existimo hanc obligationem esse extendendam ad consanguineos, neque etiam ad alios; quia neque auctores illam extendunt, neque est sufficiens ratio, quia auus valde remote se habet ad nepotem, & per se illi non contulit esse, vnde neque auus habet naturalem obligationem alendi nepotem, vel thesaurizandi illi. Illa ergo obligatio pietatis respectu aliorum consanguineorum vel solùm operatur, vt secundùm ordinem charitatis præferenda sit, vel etiam, vt maius aliquod obsequium, vel subsidium illis exhibendum sit; non tamen cum tanto dispendio, præsertim per multum tempus.

*Debitum pietatis erga parentes est maius quàm debitum iustitiæ.*

Vtrum

## Vtrùm graui patris necessitate teneatur filius non ingredi religionem.

Supereſt dicendum de graui neceſſitate; circa quam difficilis eſt D. Thomæ ſententia, quia in præ- 10.
dicto artic. 4. quæſtione 101. ad 3. & 4. nulla diſtinctione vtitur, ſed abſolute ait, *ſi carnalibus parentibus noſtra obſequia ſint neceſſaria*; explicans vero gradum huius neceſſitatis addit, *vt ſine his ſuſtentari non poſſint.* Et è conuerſo pro generali regula ſtatuit; *ſi abſque noſtro obſequio poſſunt ſuſtentari, licitum eſt eorum obſequia prætermittere, ad hoc quod amplius religioni vacemus.* Hæc autem verba extremam neceſſitatem indicant; illudenim extreme neceſſarium eſt, ſine quo ſuſtentari homo non poteſt. Item referens ibidem ſententiam quorundam, qui dixerunt, etiam in eo gradu neceſſitatis licitum eſſe ingredi religionem parentum curam Deo committendo, ſolum illam impugnat, quia hoc eſſet tentare Deum, ſub ſpe diuini auxilii parentes periculo committendo, vbi humano conſilio & induſtria aliquod remedium adhiberi poſſet: quæ ratio ſolum in extrema neceſſitate locum habet. De hac ergo ſola D. Thom. ibi loqui videtur, & in quodlib. ſupra citato expreſsè dixit, *ſi pater poteſt aliqualiter ſuſtentari, non tenetur filius, &c.* quandiu autem non eſt in extrema neceſſitate, quantumuis ſit in graui, poteſt aliqualiter ſuſtentari. Quod magis explicauit addens, *etiamſi non honorificet*, & concludens tunc tantum filium teneri, quando pater nullo modo poteſt ſine filio ſuſtentari. Vnde non deſtituunt auctores qui ſenſerint minorem neceſſitatem quam extremam parentis non obligare filium ad omittendum ingreſſum religionis, explicantque in hunc modum. Nam ſolum illa neceſſitas detinet filium ne licitè poſſit religionem ingredi, quæ obligaret extraneum ex miſericordia ad ſubueniendum illi ex neceſſariis ad decentiam ſui ſtatus; ſed ad hoc nemo obligatur (iuxta communem ſententiam) niſi in extrema neceſſitate proximi: ergo nec filius obligatur niſi in extrema neceſſitate patris. Maior ita ſuaderi poteſt, quia longe altioris rationis eſt perfectio ſtatus animi, quam decentia ſtatus corporis: ergo neceſſitas quæ non obligaret extraneum cum diminutione, vel indecentia ſui ſtatus politici, non obligabit filium cum amiſſione ſtatus perfectionis. Denique rationes dubitandi in principio poſitæ hanc ſententiam ſuadent.

11. Nihilominus communis ſententia eſt, non poſſe filium, per ſe loquendo, dimittere parentem in gratuita neceſſitate, vt religionem ingrediatur, ſubintelligendo limitationes in præcedenti puncto poſitas; ſcilicet quod non ſit alius, nec ipſe filius aliter poſſit, manens autem in ſeculo poſſit: nam grauis neceſſitas & obligatio per ſe includunt hæc omnia, & hanc ſententiam videtur inſinuaſſe D. Thom. dicta q. 189 art. 6. vbi ſic ait. *Dicendum eſt quod parentibus in neceſſitate conſtitutis, ita quod eis commodè aliter quam per obſequium filiorum ſubueniri non poſſit, non licet filiis prætermiſſo parentum obſequio religionem intrare.* Vbi ad exponendum, vel leniendum rigorem aliorum locorum videtur addidiſſe illam particulam *commodè*; & ideo aliam etiam regulam moderatur, dicens, *Si vero non ſunt in tali neceſſitate, vt filiorum obſequio multum indigeant, &c.* vbi non dixit *extreme*, ſed *multum*; qui autem eſt in graui neceſſitate multum indiget, nec poteſt commodè ſine filii obſequio ſuſtentari. Et expreſsè hoc docuit Sylueſt. verb. *religio.* 2. q. 7. Angel. verb. *religio.* n. 11. vbi refert D. Thom. quodl. 3. art. 6. aliàs 16. & Alenſ. 3. p. vide q. 31. aliàs 3. aliàs 33. memb. 4. Nau. in ſumma c. 14. n. 14. Gerſon tractatu de grauaro ære alieno. Alphab. 39. lit. X. Lyra & alii expoſitores Matth. 15. circa illa verba, *irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Fauetque huic ſententiæ canon Concilii Gangrenſis, qui refertur in cap. 1. d. 30. *Si qui filii maximè fideles parentes deſeruerint, occaſione Dei cultus, hoc iuſtum eſſe iudicantes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, vt hoc ipſum in eis venerentur, quod fideles ſunt, anathema ſint.* Inter canones etiam 80. qui referuntur à Piſano ex Concil. Niſſeno lib. 3. de Actis illius Concilii in 14. ſtatuitur ne aliquis fiat monachus ſine licentia Epiſcopi. Et redditur ratio; hoc autem idcirco ſtatuimus, ne vllus cauſam habeat relinquendi vxorem, aut filios, aut matrem, aut ſimiles qui auxilio eius opus habent.

12. Ex quibus & ex verbis Chriſti hæc poteſt ſumi regula, in qua hæc ſententia fundetur, diuinum ac naturale præceptum prætermittendum non eſt propter opera conſilii. Sed in graui neceſsitate filius tenetur ſubuenire parenti per ſe loquendo, & ſecluſo conſilio de ſtatu perfectionis: ergo non obſtante tali conſilio tenetur filius præceptum illud ſeruare. Maior præter auctoritates adductas, facile probari poteſt, quia præceptum eſt neceſsitatis, conſilium tantum voluntatis, ſemper autem præferendum eſt quod eſt neceſſarium. Nec poteſt dici quod perfectio conſilii ceſſare faciat obligationem præcepti, aliàs poſſet maritus negare debitum vxori prætextu continentiæ ſeruandæ, vel fieri religioſus ipſa inuita, & ſimilia exempla facile afferri poſſunt, quæ facile oſtendunt illum eſſe peruerſum ordinem. Quocirca, licet opus aliquod per ſe cadat ſub conſilium, non tamen pro illo tempore, pro quo obligat præceptum aliud naturale, cum quo ipſum ſimul ſeruari non poteſt. non enim poſſunt dari conſilia de non ſeruandis præceptis, ſed dantur de bonis actibus, quatenus præceptis non repugnant. Minor autem propoſitio certiſsima videtur, quia ad honorem naturaliter debitum parentibus pertinet eorum honorem non contemnere: ergo & non dimittere illos in graui neceſsitate, in qua nec ſine magno detrimento, nec ſine magno dedecore ſuſtentari poſſent abſque filii obſequio. Et confirmatur retorquendo quandam rationem in contrarium factam, nam multorum ſententia, & valde pia, ac probabilis eſt, teneri vnumquemque ex miſericordia ad ſubueniendum proximo ſuo, extraneo etiam ex neceſſariis ad proprium ſtatum, dummodo non cogatur in ſimili graui neceſsitate ſe conſtituere: ergo de filio non ſolum probabile, ſed certum eſt teneri, per ſe loquendo, ad ſubueniendum patri in graui neceſsitate conſtituto, non ſolum ex neceſſariis ad ſtatum ſuum, ſed etiam laborando ſi neceſſe ſit, & honeſtè quærendo vnde illi ſubueniat. *Probatur rationem.* *Confirmatur.*

13. Quod ſi hæc ratio ſolida eſt, vt eſſe videtur, ex illa iudicandum eſt, quænam ſit grauis neceſsitas in præſenti materia. Illa enim quæ per ſe ſufficit ex lege naturæ ad obligandum filium ſub peccato mortali ad ſuſtentandum parentem, vel ad obſequium neceſſarium illi præſtandum, illa etiam in præſenti grauis exiſtimatur ad hunc effectum obligandi filium, vt prætextu religionis parentis ſubſidium non dimittat. Et è conuerſo neceſsitas quæ per ſe non ſufficit ad illam obligationẽ præcepti, etiam in præſenti non reputatur grauis; & ea non obſtante poteſt filius de ſe libere diſponere. Hanc regulam indicauit Nauarr. ſupra, & eſt manifeſta ex dictis. Eſt enim præ oculis habenda illa differentia, quam D. Thom. aſsignat inter parentem & filium, quod parens per ſe tenetur alere filium, quia per ſe eſt ſub cura eius, & indiget illius auxilio, filius autem non per ſe obligatur ad alendum patrem, quia non eſt principium eius, vel cutator eius, vt ſic dicam, ſed *Quanam cenſeatur grauis neceſſitas in præſenti materia.* *Notanda differentia inter parentem, & filiũ, quoad obligationẽ alendi.*

sed tantum ex accidenti, occasione necessitatis, quæ propterea non inducit grauem obligationem, nisi grauis sit. Quando autem necessitas sit tanta, vt sufficiat ad illam obligationem, non habet certam regulam præter prudens arbitrium: explicatur autem à Doctoribus per has circunstantias, si necessarium esset parentibus mendicare, vel seruire aliis cum magno dedecore, iuxta conditionem suarum personarum; vel si cogantur nimium affligi, aut incarcerari propter debita, vel multa incommoda corporalia pati, vt ægritudinem, famem, nuditatem, frigus & similia, quæ omnia non absolute tantum, sed etiam respectiuè considerata qualitate personarum pensanda sunt vt prudens feratur iudicium.

14. *Ad grauem patris necessitatem pertinet, si pater nequeat sustentari honorificè iuxta statum suum, sed cogatur ad id descendere.*

Quo etiam fit, vt ad hanc grauem necessitatem pertineant etiam illa, quæ sunt indecentia ad statum, vt expresè Syluest. dixit cum Angelo, quos alii sequuntur. Vnde quod D. Thom. in dist. quodlib. 10. dixit satis esse vt filius non obligetur quod pater possit sustentari, licet non honorificè, vel ab ipso aliis locis retractatum est, vel intelligendum est de honore excedente statum, ad quem parentes quantum possunt aspirant, & per filios cupiunt ad altiorem gradum aliquantulum promoueri; ad hoc autem filii non tenentur etiamsi parentes magnam partem suarum facultatum in studiis filii, v. g. consumpserint, sperantes ab illo esse promouendos; quia hoc nec per se inducit specialem obligationem, nec etiamsi filius velit, posset ad hoc se specialiter obligare, fuisset enim turpis obligatio, scilicet, ad non ingrediendam religionem, quando parentes in vera necessitate non existunt, nec possunt iustè conqueri de filio, quia nullum maiorem fructum ex suis sumptibus & laboribus sperare poterant, aut debebant, quam vt se perpetuo Dei obsequio consecraret.

15. *In graui patris necessitate nō potest filius licite ingredi religionem, etiamsi habeat illius votum.*

Secundo sequitur ex dictis in prædicto casu grauis necessitatis parentis non posse filium licite intrare religionem, etiamsi votum ingrediendi habeat, ita docent citati authores. Et probatur, quia votum non potest obligare ad actum contrarium naturali præcepto. Item, quia id quod redderet illicitum votum si in principio existeret, excusat ab obligatione voti, si postea superueniat; si autem parente iam existente in graui necessitate filius voluisset vouere ingredi religionem, durante illa necessitate votum esset illicitum, vtpote de re illicita: ergo quanuis necessitas superueniat iam existenti voto, excusat ab obligatione voti. Dicunt vero aliqui maiorem necessitatem parentis requiri ad detinendum filium qui votum emisit, quia hæc necessitas latitudinem habet; & ideo non debet æqualis postulari respectu filii habentis, vel non habentis obligationem voti. Et confirmari potest, nam si filius iam esset religiosus, non teneretur relinquere statum, vt parenti subseruiret: ergo similiter si habeat religionis votum, non tenebitur illud prætermittere, vel saltem non semper æqualiter tenebitur ac si votum non emisisset.

*Oppositum opinantur aliqui authores.*

16. *Tenenda tamen tradita doctrina.*

Nihilominus regula posita generaliter tenenda est, scilicet: Omnis necessitas parentis, quæ obligat filium non habentem votum ad non ingrediendam religionem, obligat eum etiamsi votum habeat; hanc enim probāt rationes factæ, quæ ita etiam possunt explicari, quia illud votum solum est de ingressu quatenus cadit sub consilio; sed ingredi relictis parentibus in graui necessitate, non est opus consilii: ergo non fuit materia illius voti: ergo perinde manet obligatio naturalis, ac si votum non intercessisset. Quocirca licet necessitas parentis secundum se possit esse maior, vel minor, tamen quoad hunc effectum consistit in morali puncto, in illo scilicet, quod secundum se sufficit ad obligandum filium subuentioni parentis abstrahendo à voto, & ab omni ordine ad statum perfectionis. De exemplo autem adducto, scilicet de filio iam religioso non sumus hoc loco dicturi, sed postquam de professione & statu ipso dixerimus. Nunc quid quid sit de antecedente, negatur similitudo, quia per solum votum simplex filius nondum mutauit statum suum, nec traditionem sui fecit, & ideo parens nihil amisit de iure suo; factus autem religiosus iam mutauit statum, & ideo solum iuxta capacitatem & decentiam talis status, tenetur postea patri subuenire; maxime quando necessitas post statum religionis superuenit, vt dixi latius infra suo loco.

Tertio hinc subinfertur, quoties filius habens votum religionis licite potest sua authoritate non ingredi religionem propter necessitatem parentis, etiam teneri ad non ingrediendum, neque inter hæc duo dari medium. In quo aliquos etiam viros doctos errare video, putant enim aliquam esse necessitatem, propter quam licet non ingredi, quanuis non sufficiat vt sit illicitus ingressus ex illo principio, quod hæc necessitas habet latitudinem, & ideo minor debet sufficere vt actus sit licitus, quam vt cadat sub obligatione. Probatur autem illatio facta, quia ab obligatione voti non excusat, nisi illa necessitas, quæ à principio existens redderet votum illicitum, seu (quod perinde est) quæ facit vt ingressus non possit esse materia voti, nam ob hanc solam causam excusat ab obligatione voti; sed hæc necessitas est tantum illa, quæ obligat ad subuentiendum parenti: ergo nunquam est necessitas excusans ab obseruatione voti, quin etiam ad non seruandum illud. Confirmatur, quia vel necessitas parentis talis est, vt ratione illius naturale præceptum obliget, vel non: si primum, illud præceptum obligat ad non seruandum votum; si secundum, non excusat quin præceptum naturale seruandi votum obliget ob eandem rationem.

17. *Quoties filius habens votum licite potest nō ingredi religionem, etiam ad id tenetur.*

Et ideo dixi, *propria auctoritate*, quia necessitas aliqua parentis, quæ per se non sufficit ad obligandum subuentioni eius, & consequenter neque ad omittendum votum propria auctoritate, sufficere potest ad obtinendam dispensationem licite, atque ita media auctoritate superioris voti executionem prætermittere. Propria vero auctoritate nunquam id licet, nisi quando necessitas peruenit ad punctum præcepti naturalis, & tunc iam non habet latitudinem, sed quæ excusat à voto, obligat ad non seruandum illud. Et in hoc est differentia inter habentem & non habentem votum; sed ratio differentiæ est clara, quia in eo qui non habet votum, per se & absque parentis necessitate licitum est non ingredi religionem, & ideo nunquam, propriè loquendo, est licitum non habenti votum non ingredi religionem, quia pater est in necessitate, sed quia non est præceptum, vnde etiam licet, quanuis pareris non egeat, ac propterea in tali persona optime distinguitur necessitas, cum qua licet non ingredi, id est, quæ nondum facit illicitum ingressum, & quæ illum facit illicitum; tamen ex his duabus respectu habentis votum prior non excusat ab obligatione voti, posterior vero non solum excusat, sed etiam obligat ad non seruandum illud, & ideo in illo non datur medium.

18.

19.

Sed adhuc superest in hoc difficultas, quia seclūso voto potest necessitas parentis ad eum gradum peruenire, in quo licet præceptum naturale non-dum obliget, nihilominus iudicio prudentum melius & gratius Deo sit manere in seculo, seruiendo parentibus, quam ingredi religionem, etiamsi ingressus non iudicetur absolute licitus. Quod in praxi sæpe

si sæpe vidimus, & considerata materiæ qualitate, facile intelligitur casum esse moralem: ergo in eodem euentu, quanuis filius votum habeat, licitum erit non seruare votum, etiamsi ad hoc non teneatur. Patet consequentia, quia non frangit votum qui propter melius illud prætermittit, sed tunc non ingredi est melius, vt in casu supponitur: ergo licitum erit tunc non exequi votum, quanquam non sit obligatorium, quia non obligatur quis semper ad id quod melius est. Respondetur primo in hoc etiam esse dissimilem rationem inter habentem & non habentem votum: nam licet demus respectu non habentis votum posse dari casum, in quo licet non sit præceptum, nihilominus sit melius manere in seculo ad seruiendum patri, quam ingredi religionem. Nihilominus respectu habentis votum nunquam id erit melius si non sit præceptum, quia circunstantia voti semper in illo præponderat, & facit vt actus non præceptus & sibi contrarius nunquam possit esse melior, nisi interueniat auctoritas superioris, quæ votum ipsum prius auferat. Vnde dicitur secundo illo argumento optime concludi, dari nunc sufficientissimam causam dispensationis, ita vt obliget superiorem ad illam concedendam, si de huiusmodi causa illi constet. Non vero probat quod sine dispensatione id liceat, quia, vt votum obliget, satis est quod secundum se sit de bono melion, nam quod ex circunstantiis extrinsecis hic & nunc id non appareat melius, & est extrinsecum, & moraliter valde incertum, & ideo sine auctoritate superioris non cessat obligatio voti, præsertim cum semper sit melius hunc ordinem seruare. Propter quod etiamsi à principio factum esset votum existente iam illa parentis necessitate, non existimarem tale votum esse nullum, aut non obligare ad ingressum, non obstante illa necessitate, vel saltem ad petendam dispensationem, quando vouens cupit illud non implere. An vero in hac postrema illatione aliqua limitatio adhibenda sit, statim dicam.

10. Quærendum enim supereſt, an in conclusione ipsa proposita admittenda sit aliqua exceptio. Duæ namque solent assignari propter quas præcauendas dixi in conclusione, *per se loquendo*. Prior est excusatio filium ab hac obligatione, si à parente ipso, propter cuius obsequium in seculo manet, ad malum animæ suæ contrarium inducatur. Hanc posuit D. Thom. dict. quæst. 101. art. 4. dicens, *Si cultus parentum abstraheret nos à cultu Dei, iam non esset pietatis parentum insistere cultui contra Deum*; & ad hoc accommodat vulgare dictum Hieron. in Epist. ad Heliodor. *Per calcatum perge patrem, &c.* Et sententiam Ambrosii lib. in Lucam, *Necessitudini generis diuinæ religionis pietas anteferatur*. Et in solutione ad 1. affert sententiam Gregorii hom. in Euangel. dicentis, *Parentes, quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nostros debemus*. Idem D. Thom. quodl. 3. art. 17. & quodlib. 10. art. 3. Et hanc sententiam communiter sequuntur citati auctores.

11. Aduertit autem Caiet. super dict. art 4. aliud esse filium prouocari à parente ad malum; aliud induci; prouocatur enim quando tentatur, etiamsi redsentiat: inducitur autem quando ita prouocatur, vt consentiat: quando ergo inducitur, non solum potest, sed etiam tenetur patrem deserere, quod certissimum est; quia si propter nullam causam dandum est scandalum, multo minus sustinendum, & quia non sunt facienda mala vt veniant bona. Vnde non solum propter ingressum religionis est tunc patris consortium vitandum, sed simpliciter propter euitandum peccatum. Atque ita posset propter peregrinationem, vel aliud quodcunque remedium sufficiens ad fugiendam illam peccati occasionem, obsequium patris dimitti. Vnde si præcise ac formaliter loquamur, illa non est exceptio, quia tunc non cessat obligatio ad parentes ex causa religionis, sed ex alia vniuersaliori.

Ex quo vlterius mihi occurrit addendum, ob hãc causam non omnino cessare obligationem ad subueniendum parenti, sed solum quantum necesse sit ad vitandam illam occasionem peccati: ita vt si filius permanens in seculo loco distans à parente possit lucrando illi per alios deseruire, & subsidium ferre, & in religione hoc non possit, adhuc teneatur non ingredi, sed parenti subuenire: vel si ingrediens religionem inde possit illi succurrere, teneatur hanc curam non dimittere. Ratio est, quia filius in eo casu solum potest deserere parentem propter vitandum suum scandalum passiuum: ergo solum potest tantum illum deserere, quantum necesse sit ad vitandum illud scandalum: ergo si illo sublato superest medium sufficiens ad subueniendum necessitati parentum, integra manet obligatio. Neque etiam refert quod parens dando scandalum filio, videatur fieri indignus obsequio eius; fit enim indignus apud Deum, non tamen apud filium, qui non est vindex illius peccati sui parentis, nec propterea potest illum priuare iure suo, sed solum potest se immunem seruare, occasionem peccati fugiendo. Item quia ex præcepto diligendi inimicos tenemur illis subuenire in extrema & graui necessitate, nõ minus quam si nullum malum nobis intulissent: ergo similiter filius tenetur diligere patrem sibi inimicum inductione ad malum, non minus quam si tale malum ei non intulisset (scilicet quoad dilectionem præceptam:) ergo ex vi talis dilectionis æque tenetur necessitati eius subuenire, si possit id facere vitando inductionem ad malum.

Propter quas rationes incertum mihi est quod secundo loco Caietan. ait, quando filius prouocatur à parente, non tamen ab eo inducitur, posse quidem, si velit illum deserere, & religionem ingredi, non tamen teneri, si moraliter certus sit, prouocationem parentis sibi non esse moralem occasionem, ratione cuius constituitur in morali periculo peccandi: Ita enim intelligenda est hæc posterior pars, alioqui statim haberet locum illa regula, *Qui amat periculum, peribit in illo*; ac propterea tenebitur filius non solum inductionem, si illam expertus est, vitare, sed etiam prouocationem, si ex illa sentit, vel probabiliter timet morale periculum, quod quia magis humanum est & morale, ideo regulariter verum est, prouocationem sufficere, vt teneatur filius vitare obsequium parentis prouocantis se ad malum. Sicque intelligo illa vera verba D. Thom. dict. art. 4. ad 1. *Si parentes nostri nos prouocent ad peccandum, & abstrahant à cultu diuino, debemus quantum ad hoc eos deserere, & odire.* Quod enim dicit, *quantum ad hoc*, non solum intelligit prout significat Caietan. quantum ad consensum illis non præbendum, sed etiam quoad eos fugiendos quantum necesse sit, ne nos prouocent; nam de hoc modo vitandi parentes potissime loquebatur.

Nihilominus tamen ex illa hypothesi (quæ prudentis viri arbitrio in multis casibus moralibus admittenda est) veram existimo Caietani sententiam, quod non teneatur filius ratione sui vitare tunc obsequium patris, ne ab ipso prouocetur; quia iam talis prouocatio ipsi non est mala moraliter: ergo non tenetur illam vitare: ergo neque obsequium ratione illius. Addidi vero particulam illam, *ratione sui*, licet Caietan. eam omiserit, quia dubitari potest an propter vitandam spiritualem ruinam ipsius parentis teneatur filius eum fugere: nam ipsamet prouocatio, quæ filio non est ruina, parenti est ruina, vt

paret

22. *Notandum vero est etiam in eo casu non cessare in fi o obligationem subueniendi parenti, si loco distans possit, vel quolibet alio modo.*

23. *An filius quando à patre prouocatur ad peccandum teneatur illum deserere etiam in graui necessitate constituti.*

24. *Non tenetur in eo casu deserere ratione sui.*

paret in exemplo Caietani de filia, quæ dum parenti ægrotanti inseruit, ab ipso prouocatur, nam licet ipsa non cadat, pater iam cecidit: ergo propter hunc lapsum patris vitandum potest obligari filia ad deserendum patrem, tum quia est maius malum illius, quam necessitas corporalis, tum etiam, quia videtur ipsa esse aliquo modo causa, vel occasio illius.

25. *Nullo modo est filius in eo casu ad patrem deserendum obligandus, si vero potest facile per alium, vel alio modo subuenire parenti, tenetur illum relinquere.*

Nihilominus etiam hoc titulo non censeo talem obligationem esse filio imponendam, quia ipse non est causa illius nocumenti patris, quia non præbet illi scandalum actiuum, sed permittit passiuum, quod alter sua malitia accipit. Nec tenetur illud vitare, cum habeat rationabilem causam, & moraliter necessariam, propter quam ibi assistat, & illud munus exerceat. Et quanuis spirituale nocumentum maius sit quam temporale, tamen hoc posterius solet esse magis irreparabile, & alioqui magis pertinet ad obligationem filii obsequium præbere parenti indigenti temporali subsidio: quapropter potest permittere aliud malum vt ministerium suum exerceat; quanquam si facile possit simul consortium parentis vitare, & eius necessitati sufficienter subuenire, per alium ei necessaria ministrando, profecto ad id obligandus est, quia, vt ego existimo, charitas non solum obligat ad non dandum proximo scandalum actiuum, sed etiam ad vitandum passiuum, quando tali negotio, & alias obligationes simul implendo id fieri potest; quia tunc sine rationabili causa permitteretur tantum malum proximi, vel potius contemneretur vita animæ eius: ergo hæc obligatio multo grauior & fortior est in filio respectu parentis. In eo autem casu nulla est ratio permittendi tantum malum in parente, nam alia via potest eius necessitati sufficienter prouideri: ergo tunc tenetur eo vti medio, quo & necessitatem patris subleuet, & omnem peccandi occasionem illi auferat; quando vero tale medium non occurrit, vel non sine magna difficultate, & incommodo adhiberi potest, tunc non tenetur filius omnino deserere patrem propter prædictam occasionem.

26. *Dubium est an in eo casu quanuis filius non teneatur, possit tamen licite deserere parentem. Affirmat Caiet.*

Iam vero occurrit dubitatio circa alteram partem à Caietan. positam, esto non teneatur filius in eo casu patrem deserere, an possit licite. Caietanus enim absolute affirmat, dicens: *Quanuis propter ipsius demeritа potest illum relinquere si non vult cessare à prouocatione.* Quæ ratio his verbis insinuata mihi non satisfacit, quia, vt in proximo puncto dicebam, filius non est vindex demeritorum patris; deserere autem illum in necessitate solum propter demerita esset punire illum propria auctoritate: ergo hoc titulo non licet. Confirmatur ac declaratur, quia licet pater per eadem merita fiat indignus beneficio, non tamen ipso facto, vt sic dicam, amittit ius suum: ergo non obstantibus illis demeritis charitas & pietas eodem modo obligant ad subueniendum illi. Nihilominus ob aliam rationem possumus excusare filium, ne cum tanto onere teneatur parenti inseruire, quia non tenetur perdurare in quadam continua spirituali pugna illata sibi ab ipsomet parente: est enim res valde ardua, & de se periculosa, nisi homo persistat in quadam perpetua vigilia, & oratione; non tenetur autem filius cum tanto onere parenti subuenire: maxime cum ab ipsomet parente tale onus & difficultas proueniat. Et fortasse hoc modo confirmauit Caiet. demerita parentis, scilicet, non tantum quatenus secundum se sunt digna pœna, hoc enim non satis esset, vt recte probat ratio facta; sed etiam quatenus in maximum grauamen ipsius filii redundat. Et hic etiam adiungi potest spirituale commodum quod in patrem redundat, si ei talis occasio auferatur: nam in rebus moralibus singula quæ per se non sufficiunt, coniuncta possunt excusari. Ita ergo probabile est, etiam secluso periculo consentiendi, posse licite filiam, quæ prouocatur à patre alioqui indigente, illum deserere, tum ne ipse tam turpiter labatur: tum etiam ne ipsa in quodam perpetuo spirituali bello iniuste cogatur.

27. *Si filia, vel filius habeat votum religionis, & in eo casu deserat patrem, tenetur implere votum, & ingredi religionem.*

Sed quæres, an si talis filia aliunde habeat votum religionis, ratione illius obligetur ingredi, non obstante necessitate patris; vel an tunc etiam liberum illi sit eligere quod maluerit, ita vt hæc exceptio addenda sit regulæ generali superius positæ. Respondeo probabiliter admitti posse hanc exceptionem; quia in eo casu filius excusatur ab obligatione vt possit patrem deserere, illud est in fauorem suum, vt non cogatur cum tanto onere & spirituali grauamine patri existere: ergo hoc est quasi priuilegium eius, quod non debet in eius grauamen, & onus conuerti, nec etiam debet cogi in vsum eius: ergo si illo vti non vult, non tenebitur religionem ingredi, si autem vult, ingredi etiam poterit. Neque hæc est propria exceptio: nam regula posita solum fuit, necessitatem parentis, qua per se non obligat ad subueniendum parenti, non excusare ab obligatione voti: in præsenti autem necessitas teuera per se obligabat, excusatio vero aliunde per accidens prouenit in fauorem filii, & ideo si ipse nolit illo vti, sed cedere iuri suo, non est cur cogatur votum implere. Hoc autem cum hac moderatione verum censeo, scilicet, si talis filius patri inseruire velit: nam si illum deserat, non video quomodo excusari possit, quominus votum impleat, quia tunc in re ipsa & actu, vt sic dicam, nullum habet impedimentum: oportet ergo vt vel naturali præcepto implendo insistat, etiamsi excusari possit, vel si excusatione vtitur, votum impleat. Sic enim sæpe contingit, vt qui propter impedimentum excusabatur ab onere alicuius præcepti, quanuis per priuilegium auferatur ei tale impedimentum, teneatur statim implere præceptum, vt audire Missam tempore interdicti. Neque hoc reputatur grauamen, cum ad maius bonum spirituale pertineat, quod si in præsenti aliquod grauamen est, ex propria voluntate nascitur, qua se voluit obligare absolute, & simpliciter ad ingressum religionis, & postea etiam voluit non admittere impedimentum quo posset à tali obligatione excusari.

28. *Dubium est in hac materia, an sit idem dicendum in prouocatione ad peccata venialia. Resolutio vera. Filius si prouocetur directe à parente ad peccatum veniale, tenetur deserere, si vero indirecte, tenetur non deserere, nec ingredi religionem.*

Sed quæret adhuc aliquis circa hoc punctum, an sola inductio, vel prouocatio ad peccata venialia sit sufficiens ratio huius excusationis: nam si fundamentum adductum solidum est, videtur etiam de veniali peccato procedere, nam etiam venialiter peccandum non est propter salutem patris, nec propter quamcunque aliam causam. Respondeo cum eadem distinctione de inductione & prouocatione: nam de priori efficaciter videtur procedere dicta ratio. Ne tamen id nimium videatur, limitare id possumus vt procedat de scandalo, seu inductione directa: nam si pater directe inducit filium ad mentiendum, vel quid simile, non potest nec debet illi obedire. Quod si aliter non potest inductionem vitare, debet patrem potius deserere, etiam in necessitate, debet, inquam, sub reatu tantum venialis culpæ, cum periculum maius non sit. At vero si inductio non est directa, sed ex accidenti, vt, v.g. quia pater actionibus suis prouocat filium ad impatientiam venialem, vel exemplo ad ludum, &c. non existimo esse illam sufficientem excusationem. In quo potest constitui differentia inter peccata venialia & mortalia, nam si peccatum est mortale, quacunque ratione pater ad illud filium inducat, siue exemplo, siue verbo; siue directe, siue indirecte, si de facto est illi moralis occasio peccandi, iusta ratione potest & debet à filio deseri, iuxta superius dicta. At vero quando

quando peccatum est tantum veniale, & inductio etiam solum est indirecta per exemplum, vel alio simili modo, tunc non solum non videtur filius obligandus, etiam sub veniali culpa ad deserendum patrem, verum etiam nec sufficiens ratio excusationis illa esse videtur; quia similis occasio in vna, vel altera materia vix potest humano modo excusari in quocunque statu, & in quorumcunque hominum, præsertim secularium, diuturna & familiari consuetudine. Item, quia tunc pater, nec propriam iniuriam, aut magnam vim filio infert circa peccata, & alioqui filius absolute potest in eo actu non imitari parentem, seu occationi non consentire; quod si ex fragilitate non possit omnia vincere, illud non est magnum detrimentum, maximè cum ferè idem timere possit in quolibet alio viuendi modo. Ergo pensatis omnibus non est moraliter hæc excusatio admittenda, alioqui ferè omnino eneruaretur hæc naturalis obligatio, semperque possent filii à parente excusationem prætendere.

Atque idem dicendum censeo de impedimento operum perfectionis. Est enim valde considerandum, quod licet teneatur filius aliquando propter parentem non assumere statum perfectionis, nunquam tamen tenetur propter parentem non tendere ad perfectionem opera consilii & perfectionis exercendo, sunt enim hæc duo valde diuersa, nam exercitatum perfectionis potest acquiri perfectio, & licet obsequium parentis sæpe repugnet cum statu perfectionis, non tamen repugnat quantum est ex se, cum perfectione ipsa, quia virtus non potest repugnare perfectioni virtutis. Et hæc videtur mihi propriaratio à priori, ob quam obligatio ad succurrendum parenti non cessat propter affectum ad ingressum religionis, quia bonum simpliciter hominis non consistit in statu perfectionis, sed in perfectione ipsa; hæc autem non excluditur propterea quod status religionis non assumatur, nam seruiendo patri indigenti potest ad perfectionem tendere si velit. Quod autem in eo viuendi modo difficilius id actutus sit, quam si statum ipsum assumpsisset, accidentarium est, nec ob eam causam debet cessare obligatio præcepti, sed ipse animari debet ad difficultatem vincendam si velit esse perfectus. Ex hoc autem principio aperte colligimus non posse parentem cogere huiusmodi filium ad non facienda opera perfectionis, quæ cum debito sibi obsequio non repugnant (si enim repugnauerint, iam in tali persona ad eius perfectionem non pertinebunt.) Probatur, quia in hoc magnum inferret nocumentum filio in re sibi non necessaria, & circa quam nullum habet naturale ius: nam in his quæ ad bonum suæ animæ spectant, filius est omnino iuris sui. Quocirca si pater in hoc tentaret vim filio inferre, aut ita prouocaret vt eum induceret ad omittenda perfectionis opera, vt ad non seruandam, vel vouendam perpetuam continentiam, vel quid simile, haberet filius sufficientem causam euitandi consortium parentis, etiamsi illum deserere necesse esset; quia magnam iniuriam & nocumentum ab ipso pateretur, à quo non posset aliter se defendere, cum tamen ius se defendendi habeat. Si autem pater ad hoc filium non trogat, neque directè inducat, indirectè autem per viæ exemplum, vel alio modo occasionem illi præbeat, omittendo talia opera, non erit illa sufficiens ratio excusationis, vt à fortiori constat ex dictis de peccato veniali.

30. Hinc vero difficultas nascitur circa aliam exceptionem à proposita conclusione, quam etiam dixi-mus communiter assignari, scilicet, si filius probabiliter timeat se non posse manere in seculo sine graui & morali periculo peccandi mortaliter, posse licitè ingredi religionem, non obstante patris necessitate, etiamsi periculum illud nullo modo à patre prouenial, nec directè, nec indirectè, sed ex aliis humanis occasionibus, etiamsi patrem in quacunque necessitate relinquat. ita sentiunt auctores citati, Sylvester verbo *Religio*, 2. quæst. 7. Cordub. in summa quæst. 14. art. 1. Alens. 3. p. q. 31. & D. Thom. in quodlib. 3. art. 16. & quodlib. 10. art. 9. id satis expressè asseruit: at vero in 2. 2. de hoc casu non ita expressè loquitur, sed tantum de priori, vt patet quæst. 101. art. 4. & ad 1. & 3. & quæst. 189. art. 6. nam hoc posteriori loco nullam limitationem adhibet, in prioribus vero solum ponit supradictam, quando pater inducit filium ad malum, ibi tamen in corpore hoc insinuat, dum ait, *Si cultus parentum abstraheret nos à cultu Dei, iam non erit pietatis parentum insistere cultui contra Deum.* Et hæc est ratio huius limitationis, quia tenemur plus diligere Deum, quam parentes, iuxta illud, *Qui diligit patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Insistere autem obsequio parentum cum morali periculo peccandi mortaliter, esset parentem Deo præferre: ergo. Præterea quia nemo tenetur subuenire parenti cum tanto detrimento suo, quia nec cum morali periculo mortis corporalis tenetur illi subuenire: ergo multo minus tenebitur cum simili periculo mortis spiritualis.

*ingredi religionem, si timeat probabiliter se non posse in seculo manere sine morali periculo peccandi mortaliter, quinta rens vllo modo adhibeat occasionem. Affirmant multi.*

Circa hanc ergo doctrinam, vt dicebam, nascitur ex dictis difficultas, quia pater in eo casu non est vllo modo causa talis periculi filii, & alioqui semper est in potestate, & libertate filii cum diuina gratia, illud periculum superare (in quo est magna differentia inter mortem spiritualem & corporalem.) cur ergo priuandus pater in eo casu iure suo, & obsequio sibi debito, & non potius cogendus est filius & vt patri inseruiat, & vt omnem diligentiam adhibeat ad excusandam vel superandam quamcunque occasionem peccati. Quando enim pater est in causa, merito filius ab eo se defendit, & pater iustè deseritur, quando vero pater nullo modo est causa, sed aliunde ex accidenti prouenit, quod humanum est, non videtur vitanda occasio cum iniuria parentis, sed aliter superata. Confirmatur, quia si hæc excusatio admittitur regulariter loquendo, omnis filius ab hac obligatione excusabitur, quia omnes dicent, & moraliter non sine fundamento, se non posse manere in seculo sine periculo peccandi mortaliter.

31. *Ratio difficultatis declaratur.*

Quapropter difficilem censeo limitationem hanc ad praxim applicare, ideoque rarissime admittendam esse, nisi vbi hæc omnia concurrerint. Primum, vt periculum extraordinarium sit, nam si ordinarium periculum, quod est in seculo, sufficeret, superuacanea esset tota doctrina data. Item si illud periculum satis est, vt homines obligentur seculum seruire, & deserere, & fieri religiosi, cur debet satis reputari, vt excusentur ab obligationibus honestis ab ipsa natura datis? Deinde necessarium est vt periculum sit de materia certa & determinata: nam si solum sit confusè, seu vagè periculum peccandi, nunc in hac, nunc in illa materia, prout offerri contingit, non excedit ordinarium periculum peccandi, quanquam contingat hoc periculum esse maius in vna persona, quã in alia; quod non satis est ad prædictam excusationem. Præterea oportet speciale periculum esse innatum ex circunstantiis inseparabilibus ab obsequio paterno: nam si separari possunt, tenebitur potius tales circunstantias vitare, nam hoc modo vitabit periculum, & obseruabit naturale præceptum. Denique, necessarium existimo periculum tantum esse vt obliget hominem ad ingressum religionis, si aliter illam occasionem peccandi auferre non potest; quia, vt dicebam, si periculum non obligat ad fugien-

32. *Resolutio dubii. Rarissimè licet filio in eo casu parentem deserere, & tunc debent tria concurrere.*

giendum, cur debet excusare aut dare licentiam fugiendi cum tanto detrimento parentis, & quodammodo contra naturalem obligationem? Quod si aliter posset illam occasionem vitare, quam ingrediendo religionem, semper tenebitur succurrere parenti quantum possit, quomodocunque in seculo maneat: quia ergo hæc omnia concurrere vix morale est, ideo magna prudentia necessaria est ad admittendam in particulari talem excusationem, etiamsi speculatiuè admittatur. Et hæc sufficiunt de primo puncto: nam ex dictis satis responsum est ad rationes dubitandi in principio positas, & ad fundamenta prioris sententiæ.

## Caput VI.

### *Vtrùm propter filiorum, aut fratrum necessitatem teneatur quis non ingredi religionem.*

1. *Communis sententia est, patrem non posse omittere filii curam, vel in necessitate relicti, deserere illum, aut ingredi religionem.*

Sequitur dicendum de obligatione parentis ad filios, an scilicet pater teneatur non ingredi religionem propter necessitatem filiorum. In qua re communis resolutio est, maiorem esse in hoc genere obligationem patris ad filium, quam è contrario; filius enim, vt D. Thom. supra dicit, non obligatur per se ad alendum, seu honorandum parentem, nisi per accidens ratione necessitatis; pater autem non ex accidenti tantum, sed per se ratione sui muneris tenetur alere & instituere filium, quia est principium eius. Vnde fit vt non solum quando filius est in necessitate, sed etiam absolute non possit pater ingredi religionem omissa filii cura, nisi & sufficienter de rebus necessariis illi prouideat, & per alios illum instituere, vel sufficienter eius curam gerere possit, ita D. Thomas 2. 2. quæst. 189. art. 6. D. Anton. 3. p. titul. 16. cap. 2. Turrecr. cap. 1. art. 1. num. 2. dist. 30. & alii. Ratio est eadem cum proportione quæ in superiori puncto tacta est, quia hæc est naturalis obligatio ex naturali præcepto, & ideo omitti non potest propter opus, vel statum non præceptum. Vnde in Concil. Gangrens. quod refertur dist. 30. cap. 14. sic statutum est. *Si quis dereliquerit proprios filios suos, & non eos aluerit, &, quod pietatis est, necessaria non præbuerit, sed sub occasione continentiæ religendos putauerit, anathema sit.* Cui consonat illud Pauli 1. ad Timoth. 5. *Qui suorum maxime domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior.* Atque hæc doctrina sumitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 101. art. 2. ad 2. & quæst. 189. artic. 6. Vt autem hæc doctrina generaliter vera sit, subintelligenda est conditio, nisi iam parens suo muneri satisfecerit, & illud veluti iam deposuerit, tunc enim alia regula adhibenda est.

2. *Tradita doctrina intelligitur de obligatione erga filium nondum emancipatum: nam erga iam emancipatum eodem modo solum tenetur subuenire, quo filius erga parentem.*

Vnde ad hoc magis explicandum duplex status filii distinguendus est, vnus est quandiu filius est sub cura parentis; alius est quando iam est emancipatus. In priori statu consideratur proprie sub ratione filii, id est, sub actuali subiectione ad patrem, & quatenus est veluti pars eius, & ideo de filio sic considerato procedit doctrina data, vt constat ex fundamento eius, & sic generaliter vera est. Filius autem emancipatus iam non est sub cura parentis, sed gerit se vt persona omnino sui iuris, & condistincta, vt sic dicam, & ideo iam non tenetur pater per se loquendo alere, aut instituere huiusmodi filium, sed supponitur hoc sufficienter fecisse, quando illum emancipauit, & in hoc sensu dici potest iam absoluisse, & exuisse munus, & officium patris. Ex quo plane sequitur per se non teneri non ingredi religionem propter curam, vel solicitudinem alendi, aut instituendi huiusmodi filium, quia iam illa obligatio naturalis finita est, non enim erat perpetua, sed pro statu naturalis indigentiæ filii. Nihilominus tamen existimo ratione necessitatis obligari patrem ad filium emancipatum eodem genere obligationis, quo ipse filius obligatur subuenire parenti in necessitate constituto. Ratio est, quia non minus obligatur pater ex charitate & pietate naturali ad subueniendum filio in necessitate constituto, quam filius teneatur succurrere parenti, quia secundum ordinem charitatis, vel in hac obligatione sunt æquales, vel certe plus pater tenetur diligere filium, quam filius patrem, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 9. Item, quia cum vinculum inter patrem & filium reciprocum sit, etiam obligatio debet esse reciproca, cæteris paribus, quoad statum & quoad necessitatem: si ergo filius etiam emancipatus tenetur succurrere parenti in necessitate existenti: ergo etiam pater tenetur succurrere eidem filio in simili necessitate existenti, etiamsi emancipatus sit: ergo sicut filius non potest licite religionem ingredi, deserendo patrem in necessitate existentem, ita nec pater relinquendo filium, etiam emancipatum in simili necessitate. Quocirca licet patris obligatio ad filium sit per se, & illa impleta intelligatur quando pater sufficienter filium educauit; eique prouidit, tam in præsenti, quam in futurum, non propterea excluditur quin postea etiam possit per accidens obligari ob necessitatem filii, quia paternum vinculum non fuit extinctum, & in hoc fundatur talis obligatio. Quapropter cætera omnia, quæ de obligatione filii dicta sunt, ad hanc patris obligationem possunt applicari, cum sit æqualis, seu proportionalis ratio.

*Probatur ratione.*

3. *Dubium est, an frater teneatur non ingredi religionem, vt possit subuenire fratri in necessitate.*

Tertium punctum erat de obligatione ad fratres ratione necessitatis. Nam per se certum est fratrem non obligari ad alendum, vel educandum fratrem, etiam minorem natu, quia non est principium eius: at vero ratione necessitatis obligari potest vnus fratrum ad subueniendum aliis; & tunc est dubium, an in eo casu possit licite frater ingredi religionem, non obstante fratrum necessitate. Videtur enim ex dictis sequi non posse applicando illud principium, quod præcepti obligatio prætermitti non potest propter voluntarium consilii opus: nam in hoc etiam casu secundum se & in mero iure naturali spectato intercedit naturalis obligatio inter fratres. Nihilominus nec D. Thom. nec alii auctores extendunt hanc obligationem ad fratres inter se, eamque assignant vt propriam parentum, & filiorum inter se. Possumus autem distinctione vti: nam vel fratres sunt adhuc sub cura parentis, & sic censentur augere necessitatem & indigentiam eius, ideoque ratione parentis obligari quis potest etiam ad fratres suos, quia tunc considerantur vt pars eiusdem parentis. Et quia sub necessitate parentis includuntur omnia, quæ pertinent ad statum, & munus suum; inter quæ præcipuum locum habet conueniens filiorum educatio. Quapropter si mater, v. g. vidua plures filias virgines habens sub cura & obligatione sua haberet necessaria ad suam sustentationem, non tamen ad conuenientem educationem filiarum, & ad collocandas illas in decenti statu, moraliter censeretur esse in graui necessitate, in qua non posset licite à filio deseri propter religionis ingressum, si alioqui posset illi necessitati prouidere propter rationem iam tactam.

*Prima conclus. Si fratres subueniendi sunt adhuc sub cura parentis, tenetur frater non ingredi religionem, & subuenire patri.*

4. *Secunda conclus. Si fratres subueniendi non sunt sub cura parentis, non tenetur.*

At vero si fratres per se considerentur separati à parentibus iam defunctis, non obstante graui necessitate fratrum, posse vnumquemque licite ingredi religionem. Probatur à fortiori ex his, quæ diximus supra de auo existente etiam in extrema necessitate, non est enim maior obligatio ad fratrem, quam ad auum, imo videtur esse minor, quia minus habet frater ad fratrem, quam nepos ad auum, quia hic saltem

saltem mediatè habet esse ab illo, fratres vero solum habent concomitantiam, vel similitudinem emanationis ab eodem principio, quæ non videtur esse tanta connexio, vt ratione illius obligetur frater ad subueniendum fratri eum tanto rigore & discrimine. Item explicatur in hunc modum, quia obligatio vnius fratris ad alium non est veluti ex iustitia ratione proprii iuris, vel naturalis subiectionis, quam vnus frater habeat in alium, sicut est obligatio inter patrem & filium; sed est obligatio charitatis, maior quidem quam sit inter extraneos ratione maioris coniunctionis, non tamen excedens modum illius obligationis: ergo licet instante necessitate de præsenti, vel ad breue tempus, posset esse aliqua obligatio subueniendi fratribus, etiam differendo ingressum religionis, quia moraliter illud nocumentum pro nihilo reputatur; tamen non potest frater obligari ad expectandum longo tempore, vt in futurum fratribus prouideat, quia charitas vel misericordia per se ad hoc non obligant, cum illo detrimento, quod moraliter graue reputatur. Est autem hæc causa valde rationabilis ad differendum, vel omittendum ingressum religionis, quia ex se illud opus est magnæ charitatis, & ex natura rei habet magnam decentiam, etiamsi non proueniat ad gradum & rigorem obligationis.

Vnde aliqui viri docti existimant, quod licet quispiam habeat votum religionis, quod ex se iam obligat, tuta conscientia posse differre ingressum ob huiusmodi necessitatem fratrum, etiam sine dispensatione ad iudicium viri prudentis. Ego vero solum existimo illam esse legitimam causam dispensationis, sine illa vero non licere prætermittere voti obligationem, propter illam solum causam. Quia, vt supra dixi, voti obligatio prætermitti non potest propria auctoritate, nisi ipsa prius cesset, non cessat autem ex se secluſa dispensatione, nisi quando materia eius ratione nouæ mutationis vel fit incapax obligationis voti, vel certe moraliter creditur non cecidisse pro eo casu sub intentionem vouentis. In dicto autem casu non est illa sufficiens causa, vt talis materia non sit apta ad obligationem voti, vt patet ex dictis, quia ille ingressus non est prohibitus propter solam illam cautam, neque etiam est talis illa circunstantia, vt per se excludat materiam illam ab intentione vouentis, quia ordinarie non solent suscipere homines curam fratrum suorum cum tanto onere & detrimento suo vltra id quod ex præcepto naturali tenentur. Et ideo nisi aliunde constiterit satis probabili coniectura non fuisse intentionem vouentis obligari, pro illo casu non posse credo auctoritate propria voti obseruationem prætermittere.

## Caput VII.

### *Vtrùm qui debitis oneratus est, vel obnoxius rationibus reddendis, aut delictorum pœnis, possit licite religionem ingredi.*

POtest quæstio hæc tractari secundum commune, & ordinarium ius, vel secundum speciale editum à Sixto V. in quodam motu proprio de hac re. Prius ergo tractabitur priori modo prout à Doctoribus tractata est. Deinde adiungemus ea quæ specialiter à Sixto sunt addita. Duplicia igitur debita distinguenda sunt; quædam incerta, quæ nulli certæ personæ sunt restituenda, de quibus nulla est controuersia inter auctores, quia omnes do-

*Vide Suarez. de statu relig. tom. 3.*

cent hæc non impedire ingressum religionis. Nam si homo habeat vnde his debitis satisfaciat, & illa bona simul cum persona tribuat religioni, satis superque restituit, quia in opus satis pium illa bona expendit. Quod si nolit ea religioni donare, tenetur sine dubio in pauperes, vel alios pios vsus expendere totam quantitatem bonorum quam incertis creditoribus debet, quia cum possit, non est cur excusetur. Neque enim huic debito satisfacit per ingressum religionis, seu per traditionem suæ personæ, quam religioni facit, quia sunt bona diuersarum rationum, & prius debitum reale est, quod per bona eiusdem ordinis soluendum est. Posset autem illud habere locum, quando illud debitum esset tantum ex alio priori voto, nam si quis vouisset dare centum in eleemosynam, & postea veller ingredi religionem, posset non dare illam eleemosynam, sed parentibus bona relinquere, si tamen id faceret per modum commutationis, quia, vt supra dixi, votum reale potest in personale commutari. Vnde hoc non solum verum habet quando votum prius non determinabat certam personam, vel locum, sed etiam si factum fuerit certo hospitali, aut monasterio, &c. Neque oportet vt bullam compositionis accipiat, quod significauit Palac. dict. d. 38. disp. 1. concl. 7. quia vbi non est obligatio, non est necessaria compositio, facta autem commutatione nulla relinquitur obligatio. Et ratio à priori est, quia per prius votum nullum acquisitum est ius hospitali, &c. vt supra notauimus, & videri potest Palud. dict. d. 38. quæst. 4. art. 2. At vero, si talis persona sit impotens ad restituendum, excusatur, & consequenter potest libere ingredi religionem, nec tenetur prius quærere aut lucrari vnde restituat, imo nec per breue tempus expectare, etiamsi certò speret intra illud habiturum vnde soluat, quia cum nulli certæ personæ restitutio sit facienda, non multum interest creditoribus, etiamsi omittatur propter præsentem imporentiam: nam si ex piis eleemosynis aliquod spirituale commodum posset in eo redundare, hoc potest facile per orationes, & alia religionis opera supplere: vnde cum aliàs in præsenti nulla sint bona quæ actu sint obnoxia illi obligationi, non est cur obligetur debitor ad expectanda alia bona cum dilatione religionis.

*Prima, & communis assertio. Ingrediens religionem tenetur, si habeat, prius soluere debita incerta, nec satisfacit solum integrum rationum, & prius debitum reale est, quod per grediendo: potest ergo donare vel erogare vel pauperibus, &c. Habens vnde tum eleemosynæ potest commutando satisfacere per ingressum religionis, neque ad hoc indiget bulla compositionis.*

Aliud est debitum certum, quod constat prius esse soluendum, si facultas adsit. Difficultas verò est quando persona est impotens ad soluendum. Et tunc si sit impotens simpliciter, seu in re, & in spe, quia nec in præsenti habet vnde restituat, nec spe- rat habere, quia & ignorat artem qua id lucretur, & si quid comparare sperat, toto illo indiget ad sui sustentationem, & in illo casu etiam est certum posse statim ingredi religionem, quia perinde est excusatus à solutione debiti, ac si nihil deberet, neque vllam iniuriam facit creditoribus ingrediendo; quia inanis est actio creditoris, quam inopia debitoris excludit. Ait vero supplem. Gabr. in 4. d. 38. quæst. 2. art. 3. concl. 3. in eo casu petendam esse à iudice facultatem. Sed id non est necessarium, quia nullũ est ius quod ad id obliget: satis ergo est, si quæ habuerit bona creditoribus relinquere. Et si aliquod posset sequi scandalum, illud tollere procurando, vt tam publice constet de sua impotentia, quam constet de debito. E contrario vero licet homo actu non habeat vnde soluat, si tamen habet in spe proxima, tenetur expectare aliquantulum temporis, vt prius debitum soluat, quam religionem ingrediatur, vt si sperat ex fructibus beneficii, vel hæreditatis intra annum soluere. Ratio est, quia nemo potest ingredi religionem cum iniuria tertii, neque transgredi naturale præceptum propter facien-

2.

*Secunda assertio. Si debitum est certum, & persona sit simpliciter impotens ad soluendum, potest statim ingredi religionem: tamen habeat spem proximam solui uendi, tenetur expectare, vt prius soluas.*

dum opus consilii, vt in superiore capite dictum est; sed in eo casu iniuria fieret creditori, & naturale præceptum iustitiæ obligaret ad soluendum illi debitum: ergo. Nec dici potest hanc obligationem cessasse propter præsentem impotentiam, quia illa non est impotentia simpliciter, sed secundum quid. Nam cum præceptum illud affirmatiuum sit quatenus ad actum oppositum obligat, negatiuum autem quatenus obligat ad non retinendam rem alienam; priori ratione obligat ad restituendum tempore congruo, quando præsens commodum non est; posteriori autem ratione obligat, vt non se reddat impotentem ad restituendum vt fieret per ingressum religionis. Nam reuera in eo casu non poterat antea dici moraliter impotens, quia quod breui tempore certò speratur, quasi præsens moraliter reputatur, neque illa mora, seu detentio est nocumentum, aut grauamen magni momenti secundum moralem æstimationem, vt ob eam rem excusetur quis à debita iustitia alteri persoluenda; atque hoc magis constabit ex sequenti puncto.

*tale debitum non extingui per professionem.*

3. *Diffi ultas est, quando debitor per longum tempus potest soluere.* *Prima opinio docet, non posse tunc licite ingredi religionem.*

Controuersia ergo est, quando debitor licet actu & in spe proxima impotens sit, sperat autem diuturno labore & industria, vel alia via paulatim soluere per longum tempus, an teneatur differre ingressum religionis donec plene soluat. In qua re prima sententia est non posse huiusmodi debitorem tuta conscientia ingredi religionem, sed peccare contra iustitiam. ita sentit Medina C. de Restitut. quæst. 3. causa 8. citans Gerson. 2. p. Alphabeto 39. lit. X. & Y. qui dicit multos Doctores Parisienses huic sententiæ subscripsisse: tenet etiam Maior in 4. d. 38. quæst. 2. circa fin. idem tenet Nauarr. in comment. 1. de Regul. num. 7. & comment. 2. num. 42. & idem sentit Cordub. in Summ. quæst. 182. quanuis non omnino dictis auctoribus consentiat. Fundamentum huius sententiæ est illud idem quod de obligatione ad parentes tractatum est: nam principium ibi sumptum, quod propter opus consilii non est omittendum opus præcepti, generale est, & non arctatur ad solam materiam, seu obligationem pietatis, vt per se constat, fundatur enim in ipsa generali necessitate præcepti diuini, & naturalis, in quo ordine præceptum iustitiæ magnam habet vim, quale est illud quod debitor in hoc casu tenetur. Nam tenetur ex iustitia soluere: ergo & vti mediis moraliter necessariis, & conuenientibus ad soluendum: ergo & laborare, & honesto modo lucrari vt soluat: ergo per se loquendo, & non existente statu religionis tenetur non se reddere inhabilem ad soluendum, nec se obligare ad aliquid quod talem solutionem, vel media ad illam conuenientia impediant: ergo non licet etiam intuitu religionis debitorem suo iure, vel iusta spe priuare; quia bonum illud, quod religio præter cætera habet, licet maius sit, non est tamen necessarium, neque placet Deo cum iniuria tertii; nec licet alicui cum aliena iniuria, vel nocumento locupletari, vt dicitur in c. *suam*, de pœnis. Confirmatur primo, quia perinde est retinere aliena inuito domino, & ea furari; sed nunquam licet aliena rapere propter aliud opus bonum faciendum: ergo. Secundo confirmatur, quia ob hanc causam non licet coniugi ingredi religionem iuxta naturalem obligationem, quam habet, idemque est de seruo, & similibus: & specialiter vrget Nauarr. cap. *commissam*, de Sponsalib. vbi dicitur eum, qui sub iuramento promiserat ducere aliquam, si velit ingredi religionem, prius debere implere promissum, & postea ingredi.

*Probatur.* *Confirmatur primo.* *Secundo.*

4. *Eadem opinio tenet*

Quia vero auctores huius opinionis fatentur quod necessarium est professionem esse valid ã si ab huiusmodi debitore ante debitam solutionem iniustè fiat; ideo consequenter dicunt in eo casu non extingui obligationem per talem professionem, sed teneri hunc debitorem ad procurandum, vel lucrandum in religione vnde soluat, petita à prælato licentia, quam ipse in eo casu dare tenebitur; quod si inter religionem hoc non possit, sperat autem fore vt possit, si ad tempus religionem egrediatur, etiam ad hoc teneri, si absque scandalo possit, & de licentia prælati, nam sine illa non debet id facere, sed tunc excusabitur propter impotentiam, quanuis ipse superior non maneat in conscientia tutus. Veruntamen de hoc secundo puncto dicemus late infra agendo de professione, & de simili obligatione filiorum ad parentes: nam eadem esset ratio de vtroque puncto, supposito in præsenti opinione recitata.

5. *Secunda opinio docet, si debitum est reale, satisfacere debitorem, si debitor reddat quantum potest, cedendo suis bonis in fauorem creditoris. Si vero sit personale, non potest ingredi, nisi prius soluat.*

Nihilominus est secunda opinio, quæ distinguit duplex debitum: vnum merè reale, aliud personale, quo persona ipsa obligata est ad aliquid certum agendum, vel reddendum. De priori ait hæc opinio, satisfacere debitorem, si reddat quantum potest, cedendo bonis suis in fauorem creditoris, & ideo si hoc faciat, posse tuta conscientia ingredi religionem, ita vt nulla obligatione soluendi talis debiti amplius teneatur. In posteriori autem casu non posset ingredi, nisi prius soluat debita. Hæc est D. Thomæ sententia 2. 2. quæst. 189. art. 6. ad 3. Quanuis enim Nauarr. & nonnulli alii conentur D. Thomam adducere in contrariam sententiam, re tamen vera hæc est eius opinio, vt constat facile tam ex distinctione, quam ex ratione eiusdem. Et ita intellexit & sequitur Palud. in 4. dist. 38. q. 3. & Sylueest. verbo *religio* 2. quæst. 4. vbi citat pro hac sententia Archidiaconum, Vldarium, & Summam confessorum: citat etiam Raymundum, qui eandem sententiam tenuit cum aliqua limitatione, nimirum, quod si post ingressum talis personæ, & professionem, religio ratione illius aliqua bona acquirat per donationem, successionem, vel testamentum, tenebitur ex illis debitum soluere, quantum illa sufficerint; ipse tamen non putat limitationem hanc esse necessariam. Pro eadem sententia refert Nauarrus Innocentium & communem sententiam in rubrica, & in c. 1. de Obligatis ad ratiocin. Fundamentum D. Thomæ est, quia propter pecuniam secundum iura ciuilia persona liberi hominis non obligatur, sed solum res, quia persona liberi hominis superat omnem pecuniæ æstimationem: ergo exhibendo omnes res suas ad debiti satisfactionem, liber manet, vt de se possit disponere, atque adeo religionem ingredi. Ex qua ratione constat D. Thom. in ea parte non tantum loqui de debito incerto, quia illud principium absolute de debito pecuniæ (quod nos vocamus pure reale) ab eo assumitur. Item constat non loqui tantum de illo, qui lucrari non potest ad soluendum debitum, vt alii interpretantur. Sed non recte, tum quia expresse dicit, exhibendo res suas non teneri manere in seculo, vt procuret vnde debitum soluat: supponit ergo aliquam spem, & potestatem acquirendi, alias non oporteret illum specialiter excusare: tum etiam, quia D. Thom. non fundatur in impotentia simpliciter, qualis esset in eo casu; sed fundatur in carentia personalis obligationis.

*Fundamentum huius sententiæ quoad debitum reale.*

6. *Euertitur fundamentum contrariæ opinionis.*

Atque ita ex hoc principio ruit fundamentum contrariæ sententiæ, quatenus contra hanc partem procedit: negatur enim quod in tali homine, postquam res suas omnes quantum potuit, ad soluendum exhibuit, maneat aliqua obligatio naturalis, quæ per ingressum religionis violetur, sed potius, quia nulla talis obligatio manet, libere potest religionem ingredi: quod autem non maneat, proba-

tum

tum est, quia obligatio purè realis non adhæret personæ, sed reus, & ideo exhibitis rebus, libera manet persona; aliàs si obnoxia maneret ad lucrandum, & quærendum vnde solueret, eo ipso maneret ex parte priuata libertate sua, imo cogi posset ad seruiendum creditori, si illo modo, & non alio potest debitum soluere; quod tamen non ita est, quia persona libera non obligatur cum tanto onere ex debito reali, seu pecuniario. Vnde fit, vt in eo casu non solum religionis causa, sed etiam simpliciter & absolutè, quia iam fecit quod tenebatur, posset de sua persona libere disponere, exercendo, v. g. munus honorificum, potius quam lucratiuum, & sic de aliis. Cum autem in hac parte eum S. Thoma dicitur satisfacere hunc debitorem cedendo bonis suis, non est intelligendum de cessione legali, id est, cum quibusdam cæremoniis iure ciuili introductis, quæ non fiunt sine infamia & dedecore, & ad forum conscientiæ nihil pertinent: sed intelligitur de largitione omnium bonorum, quantum moraliter potest secundum rectam rationem, per hoc enim satisfacere videtur suę obligationi in conscientia.

7. Probatur minor ex D. Thom. Altera pars de debitis personalibus, videtur mihi significari à D. Thom. cum ait, *Ille qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud pretermittere, facultate existente.* ibi enim clarè loquitur de obligatione personali. Item, id declarat exemplum, quod statim subdit, scilicet eum qui reddendis rationibus obnoxius est, teneri prius huic debito satisfacere, quàm religionem ingrediatur. iuxta cap. 1. de Obligatis ad rat. cum communi, & gloss. ibidem. Nam huius ratio non videtur esse alia, nisi quia illud debitum est personale. Vnde cum D. Thom. subdit idem esse in quolibet debito certo, non videtur per debitum certum intelligere illud quod debetur certæ personæ, etiamsi reale tantum sit: nam licet sit verum tale debitum prius esse soluendum, si facultas adsit, idem tamen dici posset de debito incerto, vt in principio declarauimus: intelligit ergo id quod non tantum est debitum pecuniæ (de hoc enim postea loquitur) sed quod est alicuius certæ obligationis personalis. Fundamentum autem huius partis est illud idem, quo prior sententia nitebatur, addendo hic cessare principium, quo fundata est prior pars huius sententiæ: nam licet ex debito pecuniæ non obligetur persona libera, ex directa personali obligatione obligari potest: ergo non licet hac obligatione prætermissa religionem ingredi, iuxta latiùs dicta superiori sect. & in fundamento præcedentis opinionis.

8. Dices hoc ad summum procedere in illo qui potest prius implere huiusmodi debitum, in quo sensu loquutus est apertè D. Thom. vt patet ex illis verbis, *Non licet pretermittere hoc debitum facultate existente.* Nos autem loquimur in eo qui in præsenti non potest implere obligationem suam. Respondeo prius quæstionem esse de illo qui potest implere obligationem suam, si in seculo maneat, non verò potest illam implere, si religionem ingrediatur, vel statim, vel intra breue tempus: & in eo casu dicit hæc sententia teneri ad perdurandum in seculo toto tempore necessario ad implendum illud debitum, etiamsi diuturnum sit. Et in hoc constituit differentiam inter debitum reale, & personale; quia propter illud non obligatur quis longo tempore in seculo commorari, etiamsi in illo possit reale debitum soluere; quod secus est in personali. Et hoc confirmant exempla de sero, de conjugato, & de filio, quæ tamen non procedunt contra priorem partem, quia istarum personarum debita personalia sunt, & non tantum realia.

Veruntamen hæc posterior pars in hac generalitate, & sine limitatione accepta, difficultatem habet. Primo, quia si quis promisit seruire alicui per aliquot annos, vel docere, seu legere, &c. etiam cum iuramento, potest nihilominus religionem ingredi, vt fatentur omnes auctores, etiam citati in primo puncto, & tamen illud debitum personale est, cum sit ad propriam actionem, & per propriam obligationem ipsius personæ. Idemque est ex sententia eorundem auctorum, si promisit aliquam pecuniæ quantitatem: nam si statim non est soluenda, non tenetur expectare, aut quærere vnde soluat, & tamen illud debitum ex parte rei promissæ licet videatur reale, in se potius est personale, quia immediatè contractum est per obligationem personæ; & certe si illud reale reputatur ratione materiæ, cum id iudicium sit quoad rem præsentem de promissione officii, seu actionis personalis, & de promissione pecuniæ, in vniuersum erit eadem ratio, idemque iudicium de obligatione personali, ac reali, atque ita ruit prædicta distinctio. Ratio autem generalis quoad actiones personales reddi potest, quia in omni humana promissione intelligitur subintellecta conditio, seu exceptio melioris frugis: etenim si in ipso matrimonio rato, quod est maximum vinculum, quod ex humano pacto nasci potest, talis conditio subintelligitur; multo magis videtur in quocunque alio pacto humano intelligenda: vnde etiam promissio matrimonii per sponsalia iurata illam includit; nec tenetur quis in rigore prius matrimonium contrahere, quam religionem ingrediatur, vt in superioribus diximus, vbi etiam respondimus ad cap. *commissum*, quod Nauarr. citat, non loqui de rigore præcepti, sed de consilio, & non in vniuersum, nec per se, sed aliquando ad vitandum scandalum. Idem ergo erit de quacunque alia simili promissione propriæ personæ ad aliquod obsequium & munus.

9. *Difficultas est in hac vltima assertione tuenda.*

Propter hæc est tertia sententia, quæ non admittit distinctionem datam in secunda opinione, asseritque in vniuersum contra primam, debitorem qui non potest sine longa mora in seculo satisfacere creditori suo, posse tuta conscientia ingredi religionem, prætermisso tali debito, siue sit debitum pecuniæ, siue personalis obsequii, vel actionis; & siue sit debitum contractum ex re accepta, vt in mutuo, siue ex promissione spontanea, etiam cum obligatione iustitiæ: nam vix potest inter hæc omnia rationabilis assignari differentia. Præter rationes autem proximè insinuatas, potest hic addi alia, quia nemo obligatur ad restituendum, seu soluendum humanum debitum cum notabili detrimento sui, & ita nemo cogitur mendicare, aut notabiliter cadere à suo statu, vt soluat debitum; nec etiam implere promissum cum notabili infamia sua. Et ita non rectè æquiparantur quoad præsens attinet, non furari, & restituere alienum: nam illud prius est pure negatiuum, cuius oppositum est intrinsecè malum, ita vt nunquam liceat, nisi vbi acceptio rei alienæ desinat esse furtum, vt in extrema necessitate. At verò secundum, qua parte affirmatiuum est, non pro semper obligat, sed propter varias causas, licet interdum non soluere debita: vna autem ex præcipuis est, quando id fieri non potest sine magno detrimento creditoris, vt exemplis declaratum est, Sed differre ingressum religionis per multum tempus est maximum detrimentum, quia est in bonis maximi momenti, & præsertim, quia cum tali dilatione ordinariè est coniunctum periculum, & peccandi sæpius mortaliter, & desistendi omnino à proposito ingrediendi religionem: non ergo tenetur cum tanto detrimento debitum soluere, vel promissum

10. *Tertia opinio asserit debitorem posse licet ingredi religionem, quando sine mora non potest soluere debitum quod cunque sit.*

missum implere. Et in hanc sententiam inclinant magis Canonistæ in illo tit. de obligatis ad rati, nam reuera nihil distinguunt de debito pecuniæ, vel personali ad alias actiones, vt patet ex Panormit. ibi num. 8. citans ibi Innocent. & Hostiens. & Archidiaconum in cap *præterea* 51. d. & Speculatorem de statu monach. §. 1. versic. 29.

11. *Proponuntur difficultates contra hanc opinionem.* Veruntamen hæc sententia ita etiam generatim sumpta non caret scrupulo & difficultate, quia videtur nimiam licentiam concedere omnibus debitoribus. Nam si illud principium vniuersaliter verum est, scilicet in omnibus pactis humanis, per quæ homo obligatur ad aliquid, subintelligi exceptionem libertatis transeundi ad religionem; sequeretur etiam seruum posse ingredi religionem inuito domino; quanuis enim ipse se in seruum vendid sset, conditio illa subintelligenda fuisset, quia illud est quoddam humanum pactum. Item quanuis aliquis recepisset anticipatum stipendium pro munere ad quod exercendum se obligauit, posset non obstante illo debito ingredi religionem, etiam non restituto stipendio, si non posset, nec impleto munere, si diu expectare oporteret. Consequens autem videtur valde alienum à iustitiæ æquitate. Præterea principium illud nec ex iure habetur, nec sufficienti ratione conuincitur; quomodo ergo possumus tanta facilitate hanc licentiam dare contra iustitiæ obligationem? Præterea periculum illud, vel magnum detrimentum, quod allegatur ex parte debitoris, vt excusetur à solutione debiti propter ingressum religionis, non est morale, nec videtur admittendum in hac materia, alias idem posset allegare filius respectu patris, & coniux respectu coniugis, & seruus respectu domini, & obligatus ad ratiocinia respectu creditoris. Illud ergo detrimentum non est in bonis necessariis, imo neque necessario infert nocumentum: nam si quis velit diligentem industriam adhibere, potest detrimentum illud bonis operibus compensare, aut vitare; periculum autem, si commune & ordinarium sit, non sufficit ad excusationem; si autem sit extraordinarium, est valde accidentarium, & non est propter illud constituenda regula generalis, sed potius illa futura esset quædam exceptio à generali regula posita, sicut diximus de obligatione filii ad parentes.

12. *Resolutio vera est, priorem opinionem esse præferendam, cum debita tamen moderatione.* Omnibus ergo attente consideratis, quanuis hæc posterior opinio pia sit, prima tamen in rigore iuris videtur vera, si tamen cum debito moderamine iudicio viri prudentis accipiatur; hæc est enim vna ex præcipuis difficultatibus huius puncti, quia non potest vlla generalis regula dari, quæ non plures patiatur exceptiones, vt patet ex prædictis auctoribus. Considerando nihilominus id quod est per se, videtur pro regula statuendum, vt debitum iustitiæ soluatur, si moraliter potest, prius quam per ingressum religionis homo fiat inhabilis ad illud soluendum. Quod etiam in debito pecuniæ verum habet, quia hoc debitum in conscientia etiam cadit in ipsam persoñam: vnde si non possit statim soluere, tenetur quam primum possit; & licet actu non habeat, si habet in spe, vel potentia proxima, tenetur suam industriam adhibere, vt soluat, nec tunc satisfaceret cedendo bonis quæ in præsenti habet, quia esset fraudulenta illa bonorum cessio, vt recte dixit Nauarr. supra. Hoc autem ita moderandum est, vt necesse sit spem illam soluendi debitum esse moraliter certam, nam propter spem dubiam non debet quis obligari cum tanto onere. Oportet etiam vt non cogatur quis vel illis negotiationibus insistere, quæ de se implicant ad peccatum, vt sunt mercaturæ, & similia, præsertim si persona sit experta periculum in eo lucrandi genere. Nec etiam cogenda est ad petendum, vel mendicandum vt soluat, nec ad exercendas viliores actiones, & indecentes suo statui. Vnde si aliter non posset soluere, censeretur simpliciter impotens; si tamen aliunde sit certa spes soluendi ordinaria industria, & decenti ac honesta actione, non video cur propter solam temporis dilationem admittenda sit excusatio, per se loquendo, quod ideo addo, quia si interueniat speciale periculum propriæ animæ, ratione illius excusabitur, vt supra de filio dictum est.

13. Hoc autem maxime locum habet quando obligatio nascitur ex iure proprio, & intrinseco alterius. Vel ratione rei ab illo acceptæ, vel ratione damni eidem illati: nam si oriatur ex sola promissione, mitius interpretanda est obligatio, nam cum oriatur ex voluntate promittentis, non videtur esse intentionis suæ se obligare cum tanto rigore, & discrimine: imo raro aut nunquam obligatur quis ex vi promissionis ad lucrandum vnde illam soluat, nisi in ipsa promissione hoc fuerit expressum. Atque hinc etiam in aliis debitis & obligationibus ad aliquas actiones attendendum in primis videtur, an obligatio adhuc permaneat in vi promissionis, vel iam transierit in transactionem, seu translationem dominii cum traditione, vt contingit in seruitute, nam in hoc posteriori casu iam non potest res aliena vsurpari; in priori autem adhuc datur locus retrocedendi ex iusta causa, vel mutatione denuo insurgente. Et ideo tunc considerandum est, an non implere pactum sit notabile detrimentum alterius, nam si non sit, non erit rationabiliter inuitus, ideoque poterit alius religionem ingredi. Sæpe autem nocumentum hoc est parui momenti, quia cum obligatio sit mutua, & æqualis, altero non implente, alius etiam obligatione liberatur; & frequentius contingit non deesse alium, qui actionem illam possit implere. Quando autem hoc contigerit, etiam is qui obligatus erat satisfaciet implendo per alium, vt ipse possit religionem ingredi, & creditor tenebitur vel id acceptare, vel alteri libertatem concedere, vt si velit religionem ingrediatur. Et iuxta hæc ferendum est iudicium in similibus casibus. Fundamenta etiam omnium opinionum hoc modo facile conciliantur, & dissoluuntur. Nam argumenta primæ sententiæ mihi probant per se loquendo generalem regulam seruandam esse, vt obligatio iustitiæ prius impleatur, expectando necessarium tempus, etiam diuturnum, si sit certa spes soluendi. Aliarum vero opinionum argumenta solum probant per accidens contingere posse vt hæc obligatio cesset, vel quod non sit tanti momenti, vt propter illam expectandum sit tanto tempore cum magno dispendio, ita vt creditor rationabiliter non possit resistere, seu esse inuitus, ad quod discernendum in particulari dicimus iudicium prudentis viri esse necessarium. Ad quid vero teneatur debitor si vel licitè, vel illicitè professionem faciat, vel religio ratione illius, tractabimus infra post sequentem disputationem.

14. *Seruitutis conditio quoad hanc materiam nouum disponit.* Hactenus exposui quid ex natura rei, vel iure antiquo in hoc puncto dicendum sit, nunc explicandum est breuiter ius nouum, quod additum est à Sixto V. in constitutione contra illegitimos, criminosos, & reddendis rationibus obnoxios ad aliquam religionem transire volentes. De cuius prima parte quæ ad illegitimos spectat, nihil in præsenti dicendum est, tum quia ad punctum quod nunc tractamus, non pertinet: tum etiam, quia constitutio illa quoad hanc partem reuocata est, & ad terminos iuris communis redacta.

Secunda

15. Declaratio constitutionis Sixti V.

Secunda vero pars de criminosis magis concernit præsentem quæstionem, nam criminosus ratione delicti est debitor, & obnoxius pœnæ. Hos ergo criminosos, vel suspectos de crimine ad religionem perpetuo inhabiles declarauit Sixtus, & si temere admittantur, tam susceptionem habitus, quam professionem nullam declarat, ac propterea licere quibuscumque iudicibus contra eos procedere, &c. Qui autem criminosorum nomine comprehendantur, illis verbis declarat, dum ait, non esse aliquos adultos viros maiores sexdecim annis in aliquem religionem recipiendos, nisi post factam diligentem inquisitionem de eorum vita anteacta, *Ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum & exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, & grauiora reos, vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, aut ne damnentur, formident.* In declaratione vero quam idem Pontifex circa priorem constitutionem fecit, hæc verba ait, *Contra criminosos verò, quorum professio eadem constitutione nostra irrita declaratur, ac propterea iudicibus & curiis secularibus procedendi facultas conceditur; tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cum actis publicis constiterit ipsos iudices, & curiam secularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.*

16. Inhabilitas ex hac declaratione non oritur in omnibus ad omnia.

Itaque ex hac declaratione in primis intelligere licet, quando crimina sunt occulta, non comprehendi sub hac dispositione, neque qui ea commiserunt censeri criminosos in ordine ad hunc effectum. Est autem considerandum ex crimine triplicem effectum oriri posse, qui religionis ingressum aliquo modo impediat. Primus est obligatio in conscientia, & ex iustitia commutatiua ad restituendum damnum illatum, vel satisfaciendum pro iniuria facta; & hoc modo non considerantur crimina in prædicta constitutione, sed reuocantur ad alia debita; idemque iudicium de illis ferendum est quod de aliis rigorosis debitis, & quoad hoc nihil refert, quod talia crimina sint occulta, quia ex illis per se, & intrinsecè nascitur hoc debitum, non ex illorum notitia. Secundus effectus est infamia, quæ locum non habet in criminibus occultis, neque illam videtur per se considerasse Pontifex, vt statim constabit. Tertius effectus est relinquere delinquentem obnoxium pœnæ sumendæ, vel infligendæ per publicam potestatem: & huic effectum videtur Pontifex præcipue considerasse. Censuit enim ad Reipublicæ bonum pertinere, vt malefactores prætextu religionis debitas pœnas non effugiant, & ob hoc præcipue illos in religione recipi prohibuit. Quod facile colligi potest ex illis verbis, *Alii post furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliaue facinora patrata, etiam damnati, aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis pœnas meruerunt, non pia intentione, sed ad euitandam legum & iudiciorum seueritatem, quia tuto in seculo viuere non possunt, tunc demum quærunt à religione auxilium, quo indo aliende illud non sperant,* & inf. *Vt his quoque subterfugii, & impunitatis spes omnino tollatur, auctoritate Apostolica, &c.* Ecce constat intentionem Pontificis fuisse, vt hic tertius effectus criminum in huiusmodi personis non impediatur prætextu religionis. Quia ergo crimina occulta non puniuntur à Republica, neque aliquis timet supplicium eorum, quandiu occulta sunt, ideo noluit Pontifex criminosos occultos sub hac dispositione comprehendere.

17. Crimen debet esse publicum, vel notorium.

Quoniam vero multis modis contingit crimen esse occultum, vel publicum, ad tollendam ambiguitatem declarauit Pontifex oportere, vt de tali crimine iudicium publicum per accusationem, vel inquisitionem inchoatum sit, & quod de tali inchoatione actis publicis constet, ita vt aliæ probationes non sufficiant, non enim sine causa positum est illud verbum, *actis publicis*. Inquisitionem autem illam intelligendam censeo, quæ in particulari, & iuste facta sit, vel quæ ad manifestationem ipsius malefactoris in particulari terminata sit. Nam inquisitio, quæ generatim fieri solet de malefactore quando delictum est publicum, & persona malefactoris omnino occulta, non sufficit ad personam ipsam inhabilem reddendam, si eius delictum non amplius manifestatur. Et eadem ratione, si nulla præcedente infamia, nec semiplena probatione, iudex de aliquo in particulari iniuste inquirat, non propterea sub hoc decreto comprehendi credendus est; quia sine dubio Pontifex de iusta inquisitione loquutus est, neque iniustè per se damnum aliquod inferre debet. Dico autem *per se*, quia si contingat illa occasione manifestari delictum, & postea iuridicè contra malefactorem procedi, iam inde contrahetur inhabilitas, & quod talis iniusta occasio præcesserit, est per accidens.

*men publicum, de quo iudicium publicum per accusationem, vel inquisitionem in choatum sit in particulari & iuste. & quod de talis inchoatione actis publicis constet.*

18. Tale crimen debet esse publicum non solum notorietate facti, sed etiam iuris aliquo modo.

Atq; hinc constat, oportere ad hoc impedimentum crimen esse publicum, non tantum notorietate facti, sed etiam iuris aliquo modo; quia licet necesse non sit per sententiam, vel punitionem iuridicam esse declarandum, oportet saltem vt publica delatio eius facta sit per accusationem, vel inquisitionem iuridicam, & publicis actis contestata. Quapropter licet alio modo delictum sit publicum, ita vt grauem etiam infamiam gereret, non impediet ingressum religionis, quantum est ex vi huius constitutionis Sixti, quod licet fortasse in illa sola non esset ita manifestum, in eiusdem declaratione satis explicatum est. Dicere vero posset aliquis in prædicta declaratione solum dici, professionem aut receptionem tunc esse irritam, quando crimina ad iudicium sunt delata; non tamen dici si de illis sufficienter aliàs constet, non impedire receptionem, saltem ne licite fiat. Respondeo, in priori constitutione tantum fuisse factam prohibitionem irritantem, & ideo quando hæc postea limitatur, vel limitata declaratur, non est vnde aliam puram prohibitionem pro aliis casibus colligamus: ergo ex vi huius constitutionis illa receptio non est illicita, sed iudicandum est vel ex particularibus constitutionibus vniuscuiusque religionis, vel ex natura rei considerata decentia, vel vtilitate talis personæ ad statum religiosum.

*Tale crimen debet esse publicum non solum notorietate facti, sed etiam iuris aliquo modo.*

19. Dubium in hac materia.

Quia vero prædicta constitutio dicit, *hos criminosos perpetuo inhabiles declaramus*. dubitari potest, an hoc impedimentum duret, etiam peracta lite, & quauis contingat reum in humano iudicio absolui, si re vera illud commisit, & de illo fuit in iudicio accusatus, vel inquisitus. Ratio dubitandi est, quia hoc tantum ibi postulatur, & si semel factum est perpetuo manet, & alioqui inhabilitas etiã perpetuo imponitur. Nihilominus censeo illud impedimentum non esse simpliciter perpetuum, sed solum quandiu durat status, pro quo aliquis criminosus est, ac merito dicitur: ad quod satis non est, crimen fecisse, & de illo accusatum esse; sed oportet causam nondum esse terminatam & purgatum delictum. Quocirca si post accusationem, vel inquisitionem, reus est absolutus, & declaratus innocens, existimo licitè & validè posse ingredi religionem, etiamsi forte contingat in reipsa perpetrasse delictum, quia illud iam censendum est omnino occultum, & accusatio, vel inquisitio iam per absolutionem terminata est, & perinde reputatur ac si non præcessisset. Hanc autem esse intentionem Pontificis, patet ex illis verbis, *Ad euitandam legum, & iudiciorum seueritatem, quia tuto in seculo viuere non possunt*; hæc enim

*Resolutio vera est, hoc impedimentum non esse perpetuum, ac proinde si tam est absolutus, vel damnatus fuit pœna, potest ingredi religionem.*

non conueniunt ei, qui post accusationem, vel inquisitionem absolutus est; tum etiam ex illis, *vt propterea damnati sint, aut ne damnentur, formident*: nam hæc etiam moraliter non habent locum in dicto casu. Quin etiam probabile censeo, etiamsi quis de tali crimine iuridicè conuictus sit, & ad pœnam damnatus, si iam pœnam impositam impleuit, & tam Reipublicæ, quam parti satisfecit, iam manere expeditum ad religionem quantum est ex iuris constitutione: nam, vt dixi, & ex verbis citatis constat, intentio Pontificis solum est præcauere ne colore religionis criminosi maneant impuniti. Item, quia nulla ratio permittit, vt crimen perpetuo duret, etiam post perfectam satisfactionem exhibitam. Vnde in hoc casu iam cessat omnis ratio, & fundamentum istius constitutionis: quod si fortasse duret infamia, iam ille est alius titulus, qui in hac lege non consideratur, sed ex aliis iudicandum de illo est. Cum ergo in illa constitutione dicitur, *vt propterea damnati sint*, intelligendum est de his fugitiuis, qui in absentia damnantur; quia vero nunquam satisfecerunt, semper sunt criminum rei: nam qui condigne satisfecit, iam dici non potest reus criminis, prout ibi appellatur: eandem ergo vim habet nomen criminosi, scilicet, vt eum tantum comprehendat, qui adhuc est reus criminis in foro contentioso, in quo causa eius per accusationem, vel inquisitionem inchoata est. Quæ autem crimina ad hoc sufficiant, satis ab ipso Pontifice declaratum est, & ex eis facile erit de cæteris iudicare.

20. *Quid disposuerit Pontifex circa ingenti ære alieno grauatos, & rationi ue reddendæ obnoxios.*

Dicendum supereſt de tertio membro quod ad præsens caput maxime pertinet, & in titulo continetur sub illis verbis, *& reddendis rationibus obnoxius*: in Constitutione autem ipsa per hæc verba declaratur, *Neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis rationibus ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa lis vel molestia ex iam illata, vel timendum sit ne inferatur.* Et infra hos etiam facit inhabiles ad religionem, & tam receptionem, quam professionem eorum irritam reddit. Vnde quoad hunc effectum est sine dubio nouum hoc ius; quoad ipsam vero prohibitionem nonnihil fauet hæc constitutio resolutioni à nobis datæ in priori puncto. Expendendum nihilominus est in priori parte huius decisionis verbum illud, *ingenti ære alieno*. nam ibi significatur, non quæcunque debita, sed magna & ingentia computanda esse ad hunc effectum. Quod autem reputandum sit ingens æs alienum, iudicio prudentis viri arbitrandum est. Verum est inferius, quando Pontifex inhabilitat personas, solum dicere, *aut ære alieno*, sine illa particula *ingenti*: addit tamen aliam æquiualentem, scilicet, *vt etiam diximus*, & ita hæc posteriora verba iuxta priora limitanda sunt. Circa aliam vero partem de rationibus reddendis, cessat quæstio quam glossa, & Canonistæ tractant in dict. c. vnico eod. tit. an solum de rationibus publicis, vel etiam de priuatis hoc intelligendum sit. Nam Pontifex indifferenter & sine limitatione loquitur; & ideo limitari à nobis non potest ad solas rationes, quæ pertinent ad officium publicum, vel communitatem, vel de omnibus intelligenda est constitutio, dummodo habeant conditionem in eadem constitutione his verbis expressam, scilicet, *Vel reddendis rationibus ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit ne inferatur.* Vnde licet ratiocinia reddenda sint, si tamen moraliter creditur sine lite, aut magno grauamine, vel distractione reddi posse, non erit hæc conditio impediens religionis ingressum. In hoc autem iudicio ferendo circa huiusmodi qualitatem, vel grauitatem ratiociniorum, necessarium sæpe erit vti prudenti arbitrio, quando res non est adeo clara, vt circa illam iam lis mota sit, consultius tamen erit prius omnino expedire hæc ratiocinia, & ita regulariter obseruandum est, nisi vbi aliqua specialis necessitas coëgerit, concurrente simul prudenti iudicio, & probabili spe, quod res sine lite, ac molestia transigi, & finiri poterit.

21. Duo vero ad finem circa Sixti V. Constitutionem sunt adnotanda; primum illam postea anno 1602. per aliam Clementis VIII. fuisse moderatam quoad hoc tantum, vt professio prædictorum hominum ingredientium religionem, siue essent criminosi, siue ingenti ære alieno grauati, valeret: quoad illicitam vero illorum receptionem, & pœnas recipientium in suo adhuc manisse vigore. Secundum, prædictam constitutionem & illius pœnas non comprehendere moniales, vt ipsemet Sixtus in alio motu proprio declarauit, sed viros tantum.

## Caput VIII.

### *An ingressus religionis ex perfecta scientia & libertate fieri debeat.*

1. IN omnibus moralibus actionibus debitus modus maxime necessarius est, vt recte fiant, eoque magis, quo negotium grauius fuerit, & ideo in præsenti maxime obseruandus est, quia de re agitur maximi momenti, ex qua totius vitæ præsentis status & futuræ perfecta consequutio pendet. In hoc autem modo quædam considerari possunt ex natura rei necessaria; alia requisita iure Ecclesiastico communi, vel iure particulari eius religionis, in qua fit ingressus: vnde quædam etiam considerari possunt ex parte ipsius ingressuri; alia ex parte eorum, à quibus recipiendus est; de his posterioribus dicemus præcipue capite sequenti, nunc de prioribus, quantus propter connexionem aliqua etiam ex parte religionis attinguntur.

2. *Prima assertio. Ingressus religionis non debet fieri tumultuarie, sed cum plena scientia, cognitione, ac deliberatione in particulari talis status. Tres conditiones requiruntur ad hanc perfectam deliberationem.*

Primo ergo ex parte ingredientis ex natura rei necessarium est, vt cum plena scientia & cognitione, & non temere, talem statum suscipiat. Hoc manifestum est, quia deliberatio perfecta requirit perfectam cognitionem, sed ingressus religionis debet fieri prædicta deliberatione: ergo. Atque hinc fit, vt hæc cognitio esse debeat non tantum generalis, & quasi speculatiua, sed etiam particularis & practica, quæ est per prudens iudicium: & ideo non satis est quod status religiosus secundum se iudicetur melior, ad quod non est necessaria consultatio, cum hoc ex fine constet; sed oportet in particulari conferre talem statum cum tali persona, consideratis eius viribus, & aliis conditionibus intrinsecis, vel extrinsecis: non enim quidquid est secundum se melius, cuilibet melius est. Hinc Basilius sermon. de abdicat. rer. cum de vocatione religionis exposuisset verba illa Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis*, & ad hunc statum homines exhortatus esset, subdit, *Veruntamen ego illi auctor sum ne id inconsideranter faciat.* & infra, *Inde fit, vt eodem temere, vnde fuerat egressus, reuertatur, eoque ridiculo, ac lubrio omnibus sit.* Hæc autem consideratio maxime necessaria est in electione, seu deliberatione faciendi, tam circa religionem, in particulari, quam circa alias circunstantias temporis, loci, &c. Quæ omnia attigit D. Thom. 2. 2. quæst. 180. art. 10. si in hoc negotio consilium petendum sit, ab his petatur, qui possunt prodesse, & non obesse; hi autem erunt viri probi, & liberi ab omni humano affectu, quique de vita sancta & religiosa recte sentiant, & si fieri possit, aliquod experimentum illius habeant; & affert illud Ecclesiastici 37. *Non attendas his* (id est, improbis) *in omni consilio, sed cum viro sancto assiduus esto.* Aliud est, vt consultatio hæc

*In hac materia à viris probis & liberis ab omni affectu petendum est consilium.*

sit

sit prudens & matura pro negotii qualitate, non tamen diuturna, id est, nimis morosa, quæ & necessaria non est, & solet vocationem Dei impedire, multisque periculis est exposita. Tertium est, vt in hac deliberatione facienda, non tantùm vires propriæ, sed præcipue vires diuini auxilii considerentur, illis enim maxime fidendum est; vbi Caietan. recte aduertit dispositionem eius, qui religionem vult ingredi, esse debere, vt spem firmam habeat in diuino auxilio; quam meritò vnusquisque habere potest, quia si Deus non deest in necessariis, & eos etiam vocat, qui illum non quærunt, multo magis proteget, & iuuabit eos, qui omnem cogitatum suum in eum proiiciunt. Qui autem hanc dispositionem non sentiunt, ait Caiet. religionem non ingrediantur statim, sed in bonis operibus se exerceant, donec, vel hanc dispositionem obtineant, vel saltem sperent (quod perinde fere est) quòd ingrediendo religionem, & inchoando vsum eius, perfectam illam fiduciam acquirant. Addi etiam hic potest sententia notanda Richardi in 4. d. 38. artic. 6. quæst. 1. quam sequutus est Angel. verb. *religio.* num. 16. vnumquemque debere existimare statum religionis sibi esse proportionatum, nisi per coniecturam certam, aut experientiam oppositum sibi constaret; quia maior religionis custodia & separatio ab occasionibus prauis, optima exempla, frequens de diuinis rebus sermo, & maiores consolationes, quas diuina benignitas in fauorem religionis & sanctæ Societatis infundit, onera illius status facilia reddit, quæ alioqui homini existenti in seculo importabilia viderentur.

Sed dicet aliquis, vel homo sentit in se vocationem Dei efficacem, vel non sentit: si primum, non est quòd deliberet, sed obediat vocationi, nam illa vocatio non sentitur nisi per propositum, seu desiderium efficax ingrediendi religionem, de quo proposito in corde exorto ait D. Thom. supra ad primum, dubitari non posse quin sit ab Spiritu sancto, & ideo necessarium non esse probare illud: tuncergo necessaria non est deliberatio, aut consultatio. Si verò homo in se non sentit hanc Dei vocationem, non est etiam quod deliberet, aut consulter de ingressu, quia temerarium esset sine diuina vocatione de ingressu religionis tractare. Respondeo in vtroque casu posse esse conuenientem, & moraliter necessariam consultationem. Vnde ad priorem partem dilemmatis quidam non admittunt illam doctrinam D. Thom. putantque propositum, seu desiderium religionis, quamuis ex genere suo & obiecto bonum sit, non satis esse vt certò constet esse ab Spiritu sancto, nam etiam in hoc desiderio interdum se transfigurat Angelus Satanæ in Angelum lucis, vt significauit in cap *licet*, de Regular. Innocentius III. Quod verum esse potest, non solùm quia sæpe incertum est homini, quo fine & intentione ad tale desiderium euehatur; sed etiam, quia dubitare potest, an religio sibi expediat, etiamsi desiderium eius in se sentiat: sicut etiam potest paterfamilias in se sentire desiderium faciendi copiosas eleemosynas, & coniugatus faciendi votum castitatis, quæ desideria ex obiectis bona sint, & nihilominus in consultationem sunt adducenda, quia non est per se notum talia bona esse conuenientia talibus personis, & consequenter nec tale desiderium esse ab Spiritu sancto.

Nihilominus dico desiderium religionis per se acregulariter loquendo esse ab Spiritu sancto, & vt tale suscipiendum esse, nec de hoc consultare oportere, nisi aliunde ex accidenti aliquid ei adiungatur, quod suspicionem malam inducat, vt si homo sentiat desiderio honoris, vel alterius commodi temporalis, vel quidpiam simile, vnde moueri possit. Atque hanc puto fuisse mentem D. Thom. Et ratio esse potest, quia tale desiderium non solùm est de optimo obiecto, sed etiam abstrahit hominem ab affectu temporalium rerum, & ab his omnibus, quibus caro delectatur, quod est magnum indicium impulsus Spiritus sancti, vt dixit Bern. serm. 1. Pentecostes. Addo tamen ad executionem talis desiderii necessariam; esse posse consultationem, & regulariter ita existimo, nam sæpe Spiritus sanctus præbet desiderium alicuius rei, cuius executionem non vult: sicut Dauidi voluntatem ædificandi templum, & Abrahamo voluntatem sacrificandi filium, à quibus executionem non acceptauit. Immittit enim interdum Spiritus sanctus tale desiderium propter bonum & meritum ipsius, quamuis ad executionem peruenturum non sit, aut peruehire non expediat. Et ob hanc causam, quamuis religioni moraliter constet aliquem ab Spiritu sancto motum illius habitum postulare, si persona ipsa religioni non expediat, eam meritò non acceptat: sic ergo ex parte ipsius personæ, quamuis moraliter credat ab Spiritu sancto moueri, nihilominus dubitare potest, & consultare, an executio talis desiderii expediat eidem Spiritui sancto magisque grata sit. Vnde ipsum etiam propositum, vel desiderium religionis ab Spiritu sancto datum, regulariter, ac moraliter loquendo, intelligendum est ad hoc maxime dari, vt de religione assumenda consulatur, & tractetur cum affectu ingrediendi, si magis ad diuinum obsequium expedire iudicetur. Solùm excipi potest alius casus, in quo ita sit per se notum & euidens personam esse aptam ad religionem, & religionem conuenientem illi, & tam efficax sit motio Spiritus sancti, vt statim etiam per se appareat consultationem esse superuacaneam.

*proinde sint consultatione suscipiendum.*

*Ad executionem talis desiderii necessaria est regulariter consultatio.*

§.

*Ad consultandum de ingressu religionis non expectanda motio extraordinaria Spiritus sancti, sed sufficit aliquis.*

Ad aliud membrum respondeo generaliter verum esse, sine aliqua præuia inspiratione, & vocatione Spiritus sancti non posse esse locum huic consultationi, quia non potest talis consultatio moraliter inchoari, nisi ex aliquo bono affectu, & sancta cogitatione circa religionum statum assumendum. Suppono enim sermonem esse de consultatione, quæ seriò & bona intentione, & animo id efficiendi, quod Deo gratius fuerit, inchoetur, quæ propterea opus magnæ pietatis est, cuius initium ab Spiritus sancti vocatione, & excitatione sumendum necessariò est. In hoc ergo sensu verum est ante vocationem Spiritus sancti non esse huic consultationi locum. Est tamen in hac vocatione differentia notanda, nam aliquando est cum affectu & desiderio religionis, ita vt vel simpliciter, vel quantum est ex parte sua illam desideret, si expediat, & tunc dicitur esse absolute & propriè vocatio ad religionem, de qua in priori membro dictum est. Aliquando verò quamuis homo in se non sentiat illum affectum, aut desiderium, habet nihilominus cogitationes aliquas vel motiones internas, vel circa mundi pericula, vel circa excellentiam, & auctoritatem religiosi status, vel circa electionem de suo statu faciendam, cum in differentia ad eligendum id qaod sibi fuerit melius iudicatum, vel circa similia obiecta; & tunc iuxta vulgarem existimationem, & loquendi modum non existimat quis se habere vocationem religionis, quāuis re vera iam ex parte Spiritus sancti aliquod vocationis initium illud sit. Loquendo tamen prædicto vulgari modo negādum est esse temerarium sine vocatione Spiritus sancti de religionis ingressu tractare, aut consultare. Nam ad hoc sufficit quodlibet initium sanctæ cogitationis circa huiusmodi obiectum ab Spiritu sancto datæ. Quia hoc ipsum

potest meritò in consultationem venire, an scilicet expediat religionem ingredi sine alio speciali desiderio, aut affectu superiùs immisso ex vi solius efficacis electionis factæ maturo iudicio post talem consultationem: nam quòd hoc sæpe expediat, & experientia compertum est, & ratione, quia in aliis operibus virtutum sæpe conueniens est, vel potiùs necessarium hoc modo operari: ergo & in præsenti, quia non est ratio cur hîc semper expectãda sit extraordinaria gratia, vel vocatio Spiritus sancti, qua tribuatur desiderium de se efficax, priusquam humana consultatio ac deliberatio præcedat: non est ergo semper illud genus vocationis expectandum, sed quælibet occasio vel sancta cogitatio ab Spiritu sancto data arripienda est, saltem vt prudens consilium, ac deliberatio fiat.

*Secunda assertio Vt ingressus religionis debitè fiat, egeat bona intentione, ac voluntate perfectè spontanea. Probatur prima pars.*

6. Secundò dicendum est ad debitum modum huius ingressus pertinere, vt debita intentione, atque adeò vt sponte ac perfectè voluntarie fiat. Prior pars per se nota est, quia in omni opere bono, vt rectè fiat, necessaria est bona intentio: ergo multo magis in hoc quod grauissimum est; vnde non solùm debet esse talis finis honestus, sed etiam tali statui proportionatus, quia hoc etiam spectat ad conuenientem & prudentem modum operandi. Quis autem hic finis proportionatus sit, & quæ debeat esse hæc dispositio & intentio volentis ingredi religionem, late explicant S. Bernard. serm. 24. art. 2. cap. 1. & 2. Caiet. 2. 2. quæst. 189. art. vltim. Nauarr. Comment. 1. de Regular. num. 7. Nobis verò sufficit quod 1. 2. q. 1 cap. 2. dicitur finem ingrediendi religionem esse Deo irreprehensibiliter militare, & Apostolicam vitam imitari. Et ideo valde errant, vt pie adnotauit Nauarrus Comment. 1. de Regul. num. 7. & sequentibus, qui religionem ingrediuntur, vel tædio parentum, aut infelicium euentuum, vel vt euitent egestatem, vel contemptum, aut propter similes causas; quia hi fines vel honesti non sunt, vel non proportionati ingressui religionis.

*Finis ingrediendi religionem, est vita irreprehensibilis, & Apostolica imitatio.*

*Occasio ab intentione ingrediendi religionem distinguenda est.*

7. Oportet tamen occasionem ab intentione distinguere, sæpe enim voluntas, seu desiderium ingrediendi religionem occasionem sumit ab aliquo huiusmodi temporali motiuo, vel euentu, & tamen finis eiusdem ingressus postea non constituitur in huiusmodi temporali fine, sed in diuino obsequio, vel alio simili. Sæpe enim, vt aiunt, vexatio dat intellectum & afflictio temporalis excitat hominem, vt de rebus æternis cogitet, & temporalia despiciat, atque ita paulatim eò peruenit vt æterna quærere statuat, & propter illa humana omnia relinquere. Ideoque non est facile contemnenda deliberatio religionis, quæ ex huiusmodi temporalibus incommodis initium habet, sed est diligentiùs examinanda, nam, si tantùm fuit occasio, non obstat, hæc enim potiùs est frequens via, qua Deus excitat homines ad meliora. Si tamen illud retinet propriam rationem motiui, & finis, tutum non est eo consilio religionem ingredi: tum quia cùm sit temporale, & caducum, facile mutari potest: tum etiam, quia qui eo animo ingreditur, nec potest habere promptam voluntatem ad tendendum ad perfectionem, quæ est proprius finis religiosi status, nec poterit cum alacritate onera religionis sustinere, nec cum fiducia diuinam gratiam ad id necessariam postulare, atque ita vel in eo statu non perseuerabit, vel in eo nunquam proficiet, nec erit ei iugum suaue, sed onerosum valde, vt rectè docuit D. Thom. & exposuit Caiet. 2. 2. q. 189. art. vltim. & Nauarr. suprà.

*Ingressus religionis propter honestum finem ex temporali occasione prosequens, est approbandus, sed tamen diligenter examinandus.*

8. Atque ex probatione huius partis facilè infertur, & probatur altera: nam quod fit ex honesto, ac perfecto fine virtutis, fit sponte, ac plena voluntate; sed ingressus religionis propter huiusmodi finem intendendus est: ergo. Ac propterea non debito modo religionem ingreditur, qui propter timorem, vel reuerentiam paternam, religionem ingreditur, quia nec debito fine, neque integra voluntate ingreditur. Similiter qui per dolum vel fraudem ad religionem inducitur, & ita ingreditur, non plene voluntarie ingreditur, & ideo etiam in tali ingressu non debitus modus seruatur, quanquam culpa hæc tunc non sit ex parte ingredientis, si bona fide processit, & sufficientem diligentiam adhibuit, sed ex parte decipientis, qui in hoc non paruam iniuriam ei intulit. Sed in hoc defectu voluntarii in huiusmodi ingressu aduertendum est, aliquando posse esse talem, vt actum irritet, aliquando verè vt solùm prohibeatur actus sic fieri, quamuis validus sit, etiamsi ita fiat. Hoc posteriori modo est illicitus ingressus ex indebito fine: posteriori autem modo est prohibitus ingressus ex metu cadente in constantem virum. Quanquam, si propriè loquamur, impedimentum irritans, quod hîc esse potest, magis pertinet ad nullitatem professionis, quàm primi ingressus, de quo nunc agimus: quantumuis enim inuoluntarie quis ingrediatur, si postea ablato metu, aut ignorantia, vel alio simili impedimento, plena volũtate ratum habeat priorem ingressum, illa sufficiet ex parte sua, vt professio postea subsequuta valida sit. Et ideo talis ingressus non est simpliciter inualidus, sed quasi sub prædicta conditione, donec tale impedimentum auferatur, sicut suprà in similibus dictum est. Quapropter non oportet hîc in particulari tractare, quando ex hoc defectu voluntarii ingressus sit nullus, nam de ipsa professione infrà commodiùs explicandum est.

*nam voluntatem.*

*9. Ing. ressus religionis est imperfectus quando modum si fiat propter importunas preces aut blanditias. Vide cap. constituit 20 q. 3.*

Hic verò dubitari potest an in hoc ordine computati debeat ingressus religionis, si propter importunas preces, vel blanditias fiat: nam tunc etiam videtur minus voluntarius ingressus, quia importunæ preces quandam vim moralem obtinent, blandimenta etiam libertatem diminuunt, tum quia extrinsecus voluntatem attrahunt, & quodammodo determinant, tum etiam, quia impediunt perfectum iudicium, & deliberationem. Respondeo hunc sine dubio esse imperfectum modum ingrediendi religionem, multisque periculis expositum, præcipue si per ea media homo inducatur ad suscipiendam religionem, ex aliquo humano, ac temporali motiuo, vt frequentiùs contingit, quando per hæc media religio procuratur. Nam si quis non sistat in his humanis rationibus, sed eis tantùm vratur ad voluntatem alterius captandam, vt libentiùs attendat ad religionis bona consideranda, vt ita paulatim, & ex honestate eius, & ex debito fine, ad illam desiderandam inclinetur, sic non erit in illis mediis vlla inordinatio, seu intrinseca malitia, quamuis regulariter fortasse non expediant, quia non sunt media satis proportionata, & regulariter impediunt perfectam considerationem, & intentionem purè spiritualem, qualem tam perfecta mutatio requirit.

10. Atque huc spectat quæstio quam D. Thom. tractat 2. 2. quæst. 189. art. 9. an liceat alium ad religionem inducere. Cui absolutè respondet id esse licitum, & maximè meritorium, per se loquendo, & exceptis mediis inordinatis, quæ sunt per accidens. ex quibus tria tantùm enumerat, violentiam, deceptionem, & simoniam, nam ad hæc reduci possunt omnia, quæ grauem malitiam, vel inordinationem tali actui adiungere possunt; vnde ex genere suo peccata mortalia sunt, quamuis ex leuitate possint esse venialia, præsertim duo priora. Seclusis ergo his, quæ extrinseca sunt, sentit D. Thom. ex suo genere bonum opus esse veris ac solidis rationibus persuadere alium, vt religiosus fiat. Cuius ratio est, quia ille actus ex obiecto est bonus, nam in vniuersum inducere

cere ad bonum, bonum est, & ex se non habet necessariò aliquam circumstantiam malam; cur enim, aut vnde illam habebit? ergo ille actus per se bonus est. Quæ ratio etiam probat, quod & D. Thom. etiã sentit, (eo quòd exceptio firmat regulam) non esse malum vti aliis mediis humanis ad conciliandam piam alterius affectionem, non vt propter humanas illas rationes moueatur, sed vt ad diuinas rationes audiendas & considerandas meliùs applicetur; quamuis autem, vt dixi, hoc non sit per se malum, cauendum est tamen in individuo ita excedatur, vt in quandam moralem vel violentiam, vel deceptionẽ inclinetur. Timendum est etiam periculum inconstantiæ, in eo qui sic attrahitur, quia postea mutatis rebus, facile etiam mutatur illa pia affectio: rationes etiam illæ, quæ efficaciter proponebant, postea vel oblivioni traduntur, vel ita tepidè considerantur, vt nihil moueant; & ideo magna prudentia vtendum est in huiusmodi actu inducendi alium ad religionem: petenti enim consilium, veritas liberè proponenda est. Ille etiam quem Spiritus sanctus mouere cœpit, iuuandus est, vel vt in sancto proposito firmus maneat, vel vt Spiritui sancto non resistat, sed potiùs per orationes & bona opera se disponat, vt ab illo efficacius moueatur. Priùs autem quàm Spiritus sanctus incipiat aliquem vocare raro expedit, vt opinor, illum directe inducere ad hunc statum assumendum, quamuis optimum sit ad Dei timorem & conscientiæ puritatem, & ad vitanda pericula peccandi quemlibet excitare, & inducere ad vtilitates status religiosi commoda, & excellentiam proponere.

## Caput IX.

### *Qua libertas requiratur ad religionis ingressum.*

1. Libertas quæ ad religionis ingressum requiritur, à triplici defectu seu impedimento debet esse immunis, in primis à violentia, quam manifestum est continere grauem iniuriam ex suo genere, quia cogere aliquem ad id, quod ipse facere non tenetur, quodque Deus voluit, ita vnicuique esse liberum, vt non præcipiatur, sed tantùm consulatur, contra iustitiam est. Deinde est hoc etiam contra religionem ipsam, & contra libertatem quam talis actus intrinsecè requirit. Quapropter iure canonico meritò statutum est, si violentia sit grauis, ita vt inferat metum cadentem in constantem virum, professio nulla sit, vt infrà suo loco latiùs videbimus. Dico autem hanc violentiam esse peccaminosam, & contra iustitiam, quando ad hoc directè inducitur, imò vel comminatio alicuius mali vel incommodi sine aliquo iusto titulo: nam si quis iuste possit mortem alteri inferre, saltem per iustitiæ ministros, & nolit eam remittere, nisi alius religionem ingrediatur, non peccabit, nec faciet iniuriam. Exemplum est, si maritus nolit parcere vxori adulteræ damnatæ ad mortem, nisi religionem ingrediatur, non enim inferet vim, aut faciet iniuriam, sed potiùs confert magnum beneficium, nam remittit iustã vindictam, & facit maius bonum spirituale procurat, quàm si ipsi qui sibi iniuriam intulit. Idem est de parente, v.g. qui filiam virginem diligenter custodit, seuerius ac rigorosius quàm ipsa velit: nam si ob eam causam illa tædio affecta eligat monasterium ingredi, non est censendus inuoluntarius ingressus, nec parenti imputanda est aliqua violentia, si reuera non excessit iniuriam, aut filiam malè tractauit siniistra, aut indirecta intentione, vt ad religionem inclinaretur, illa enim iam esset quædam indirecta violentia. Quãdiu verò non excedit limites paternæ prouidentiæ, quã-tiis in ea toto suo iure seuere vtatur, nõ potest illi vis imputari, quòd si inde nascatur tædium in filia, accidentarium est, & si quid videtur misceri inuoluntarij in illo ingressu, non est morale, vt sic dicam, sed quasi naturale, quale est illud quod ex intrinseco timore mortis, vel ex aliis humanis euentibus oriri solet.

*nasterium; non facit illi violentiam, dummodo ea nõ intenderit, aut nimiã excesserit.*

Et iuxta hæc intelligendum est decretum quoddam Concilii Trid. sess. 25. c. 18. de Regularibus vbi nouam excommunicationem imposuit his, qui per vim, seu metum fœminas cogunt religionem ingredi. Cuius expositio ad hunc locum spectat, quia non solùm incurritur propter vim, vel metum, quo professio extorquetur, sed etiam quo vel habitus vel ingressus ad religionem obtinetur. Itaq; quamuis metus, & vis inferatur, si de facto puella resistit, & monasterium non ingreditur, nondum incurritur illa censura; quia vt alibi latiùs diximus, vt censura incurratur, necessarius est actus perfectus, id est, habẽs effectum, quem verba legis in omni proprietate requirunt. At verò si puella ingrediatur metu coacta, eo ipso, qui eam coegerint excommunicationem incurrunt, etiam ante professionem, imò & ante habitus susceptionem, satis enim est quòd cogatur ad hũc finem: nam Concilium sub disiunctione numerat illos tres effectus, ingressum, habitum, professionẽ, & quemlibet illorum sufficere inquit ad talem censuram incurrendam. Vnde dubitari non immeritò posset, an is qui cogit fœminam vt monasterium ingrediatur, & in coactione perseuerat, donec habitũ susciпiat, ac tandem vt profiteatur, tres excommunicationes incurrat: videtur enim ita asserendum. Quia non sine causa Concilium dixit sub disiũctione, *ad ingrediendum monasterium, vel ad susc. piendum habitum religionis, vel ad pr fessionem emittendam.* Nam hinc fit vt statim per ingressum coactum incurratur excommunicatio; sed in coactione ad suscipiendum habitum est noua contumacia, & noua act o per se sufficiens ad incurrendam censuram, hanc enim vim habet particula disiunctiua. Et idem argumentum est de coactione ad professionem. Probabile sine dubio hoc est.

*Excommunicatus qui per vim, seu metum cogit fœminã ingredi monasterium, vel suscipere habitũ, vel profiteri, dummodo sequatur aliquis horum effectus.*

Sed nihilominus si loquamur de illo qui à principio cogit fœminam ingredi monasterium, vt religionem profiteatur, dici potest, etiamsi in ea contumacia perseueret vsque ad professionem, vnam tantùm censuram incurrere, quæ quidem per primum actum ingressus contrahitur, per alios autem magis ac magis aggrauatur, sicut & contumacia notabiliter augetur. Quia tamen ipsa contumacia moraliter vna est quasi per continuationem, ideo & censura videtur esse vna. Erit autem securius, quia reuera probabile est, esse necessarium in petenda absolutione à censura integram causam eius aperire, quia, vt minimum, est notabiliter aggrauans, & multum varians moralem causam, atque adeò morale iudicium eius. Atque ita quòd ad vsum moralem attinet, parum refert tres censuras, vel vnam eis æquiualentem appellare. Disiunctiua autem loquutio Con. illi duos præcipiè effectus operatur. Vnus est, vt qui cogit ad ingressum, statim sine mora excommunicationem incurrat. Alius est, vt licet quis non coegerit ad ingressum, vel habituum, si postea cogat ad professionem eum etiam qui sponte ingressus est, eandem censuram incurrere.

*Probabiliter vna tantùm excõmunicatio incurritur, quãdo quis cogit fœminam ingredi, & in eo animo perseueret quousque suscipiat habitum, & profiteatur.*

Difficile autem est illa duo distinguere, scilicet, coactionem ad ingressum, & ad susceptionem habitus, quia non dicitur quis religionem ingredi donec habitum susciпiat; & tamen Concilium illa vt distincta numerat, & singula ponit, vt sufficientia ad hanc censuram. Ad hoc ergo explicandum aduertẽdum est Cõcilium solùm in fauorem fœminarũ posuisse hanc censuram: quamuis enim graue peccatũ sit viros, seu pueros ad religionẽ cogere, tamen, quia & illud

*Coactio ad ingressum, & ad susceptionem habitus distinguitur.*

& illud rarius est, & viri faciliùs possunt iniuriam propulsare, ideo humana lex solùm fragilitati fœminarum prospexit. Solent autem fœminæ aliquo tempore priusquam habitum suscipiant, monasteria ingredi, & ideo hunc ingressum à susceptione habitum Concilium distinxit. Hinc verò interrogatio oritur, an si quis cogat fœminam ingredi monasterium, non eo animo vt inuita permaneat, & suscipiat habitum, sed vt ibi custodiatur, vel etiam vt paulatim afficiatur, & postea si voluerit, habitum suscipiat, in hanc censuram incurrat. Quia Concilium generatim & indistincte excommunicat eum, qui fœminam ad ingrediendum monasterium cogit.

*Si fœmina ante annos pubertatis cogatur ad ingressum monasterii, nō excommunicatur parentes, vel tutores sic cogentes, immo neque peccatum cōmittunt per se loquendo.*

Respondeo in primis, si fœmina nondum ad annos pubertatis peruenit, & à parentibus vel tutoribus ita cogitur, non solùm hæc censura non incurritur, verùm etiam nec peccatum aliquod, per se loquendo committi videtur, quia parens habet hoc ius, in filiam pro ista ætate vt suprà visum est; & alioqui actio ex obiecto est bona, & finis etiam propositus bonus est. Nec credendum est Concilium voluisse priuare parentes hoc naturali iure, cùm illud non expresserit. At verò si talis coactio inferatur ab eo, qui non habet potestatem, clarum est actionem esse iniuriosam, ac proinde malam. Atque eadem ratione existimo, regulariter loquendo peccare parentem qui filiæ iam puberi hanc vim infert: nam licet aliquando possit excusari, si habitatio illa ad tempus censeatur moraliter necessaria ad decentiam vel custodiam virginis, tamen secluſa hac necessitate, cùm filia maioris ætatis iam sit sui iuris in his quæ ad statum animæ pertinent, non potest licite cogi à parente ad tam arctam custodiam, seu clausuram, talemque viuendi modum etiam temporalem. Nihilominus tamen non existimo tunc incurri hanc censuram, nec Concilium fuisse loquutum de hoc ingressu, sed de illo qui per se ordinatur ad susceptionem habitus, & sub hac conditione, seu pactione fit: tum quia in monasteri s monialium hic solus ingressus per se & iure ordinario permissus est: ergo de illo tantùm Concilium loquitur, nisi aliud exprimant: tum etiam quia in illo ingressu reuera non est malitia contraria status religiosi, aut derogans libertati, qua sumendus est, quam solam voluit Concilium præcauere, vt ex verbis eius satis constat. Sola ergo coactio ad ingressum, qui directe, vel indirecte ad religionis habitum suscipiendum ordinatur, prohibetur à Concilio: & in hoc sensu vsurpanda sunt quæ diximus tom. 5. de censu. disp. 23. sect. 5. n. 9. Addo insuper Concilium limitationem quandam addidisse huic legi & pœnæ, scilicet, nisi coactio fiat in casibus à iure expressis: nam tunc illicita non est, & ideo non est digna pœna. Vnus ex his casibus est quando quis vouit religionem, & præcipue si ex hoc voto (quod dici solet propositum mutandi vitam) habitum suscepit. iuxta cap. *consulti*, cum similibus, de Regular. Alius verò casus est quando coniuges mutuo consensu ingressi sunt religionem, & post professionem vnius alter vult retrocedere, iuxta c. *significauit*, & c. *vxoratus*, de conuers. coniugat.

*Excommunicatio hac legat quascunque personas.*

Tandem quoad personas & actiones, pro quibus hæc censura imponitur, notanda sunt verba Concilii, nam quoad personas sunt valde generalia, scilicet, *Omnes & singulas personas, cuiuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos, quàm laicos, seculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes.* Quoad actiones verò in primis fertur in eos, qui *quomodocunque cogerint*, nisi in casibus iure expressis, atque adeò illicitè & contra iustitiam. Per illam autem particulam, *quomodocunque*, significatur non solùm

*Censura fertur per solam coactionem directam,*

directam, sed etiam indirectam coactionem sufficere, qualis est illa, quam parens infert fœminæ in vi-

*vel indirectam.*

ctu, vestitu, verbis & aliis actibus contumelioſe illam tractando, & affligendo. Existimo autem semper esse necessarium hoc fieri tali intentione, vt illa tædio affecta tandem ingrediatur: nam si solùm id faciat vel ex defectu amoris, vel ex naturali conditione, licet sequatur hic effectus, non incurretur hæc censura, dummodò tempore ingressus pater non intelligat, filiam non sponte ingredi monasterium: nam si hoc intelligens consentiret, & aliud remedium non adhiberet, iam tunc violentia moralis consummaretur. Maxime, quia statim Concilium extendit hanc censuram ad omnes, *qui consilium, auxilium, vel fauorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum vel auctoritatem interposuerint.* Hæc autem omnia ad coactionē referuntur, & ideo si illa non interueniat, non habet locum hæc censura. Vnde licet dolus non minùs causet inuoluntarium quàm coactio, nihilominus qui consilio suo decipit, vel deceptioni cooperatur, vt fœmina monasterium ingrediatur, non incurrit hanc censuram, quia illa non est coactio, & lex pœnalis non est extendenda ad casum similem.

*Non incurrit hanc censuram pater qui relinquit hæredem filiam ea conditione, vt ingrediatur monasterium.*

Hinc etiam Cardinalium congregatio censuit non incurrere hanc censuram, patrem qui filiam relinquit hæredem, ea conditione vt monasterium ingrediatur, quod si noluerit, monasterium instituit, filiæ autem solùm relinquit alimenta necessaria, quia illa non est coactio, nec inductio per vim, sed potiùs per modum concupiscentiæ. Tandem declararunt iidem Cardinales fœminam sic inclusam per vim in monasterium, educendam esse, & si aliquod nocumentum ob eam causam passa est, eorum expensis compensandum esse, qui talem vim intulerunt.

6.

*Deceptio potest esse vel ex parte religionis, vel ex parte ingredientis.*

Secundus defectus, qui aduersatur libertati ad ingressum religionis requisitæ, est deceptio, circa quā aduertendum est deceptionem in hoc ingressu posse interuenire, & ex parte religionis, & ex parte religiosi, & vtramque sufficere, vt in hoc negotio debitus modus non seruetur. Deinde est aduertendum quidquid grauioris culpæ in tali ingressu ex deceptione interuenire potest, magis esse in decipiente, quàm in eo qui decipitur: in hoc enim ad summum esse potest imprudentia aliqua vel facilitas in credendo ex leuitate animi, aut ex nimia affectione prouenies, quæ regulariter excusari poterit à graui culpa, maxime in ipso ingrediente: nam ex parte recipientis maior est obligatio adhibendi diligētiam, tum quia non tractat rem priuatam vt propriam, sed pertinentem ad commune bonum religionis, tum etiam, quia ex officio ad id tenetur. Ex parte autem decipientis ex obiecto suo grauis est talis culpa, quia iniustitiam continet, quanquam si deceptio sit in re leui, quæ non posset multum mouere voluntatem, excusabitur culpa mortalis, vel etiamsi non sit formalis, seu ex intentione decipiendi, sed tantùm materialis, saltem directe: nam tunc licet indirectè propter negligentiam sit aliquo modo voluntaria, rarò erit mortalis culpa. An verò ob talem deceptionem actio sit nulla, circa professionem tractandum est: nam in ingressu, seu receptione, vt suprà dixi, non habet specialem difficultatem, quia nulla est lex positiua absolute irritans talem receptionem præter constitutionem Sixti V. quam infrà exponam: secluſa autem speciali lege irritante receptio non potest esse nulla, nisi in ordine ad professionem durante eodem defectu, quando ille talis est vt professionem irriter, nisi per aliam voluntatem perfectè liberam, seu ex perfecta scientia prior ingressus vel receptio rata habeatur.

*Deceptio in ingressu religionis, aliquando est mortalis, aliquando venialis.*

Atque

9. Colligitur primo.

Atque hinc colligitur grauiter peccare eum, qui consilium præbet petenti, vt religionem vel talem religionem ingrediatur, decipiens illum, quia aliàs intelligit, vel secum iudicat illum non esse aptum ad talem statum, vel simpliciter ei non expedire, quia decipit illum in re graui, & munere consiliarij abutitur, cùm teneatur illud fideliter exercere, eo ipso quòd illud acceptat. In huiusmodi autem persona, quando bona fide procedit, facilè habet locum excusatio à culpa graui, quia non id consulit animo decipiendi, sed fortasse ex nimio timore, vt maius alterius bonum impediat. Debet tamen vir prudens hunc timorem cohibere, nam si pura intentione procedat, non peccabit, sed rectè faciet consulendo, quod coram Deo iudicat esse hic & nunc melius, etiamsi suo consilio alter à religione desistat. Potest autem hic non immeritò interrogari, an è conuerso peccet mortaliter, qui suo consilio alium à religione auertit, decipiendo illum, vel quia reuera intelligit, nihil esse in illo quod vtilitatem religionis impediat, vel quia temerè & sine sufficienti consideratione ex humano affectu consilium præbet. Quidam enim existimant hoc per se non esse peccatum mortale, quia licet sit deceptio, non est in bonis necessariis ad salutem, neque inde redundat aliquod graue onus in eum, qui decipitur. In quo videtur esse differentia, inter hanc deceptionem, & præcedentem. Nam cùm quis per deceptionē cogitur religionem intrare, inuoluntariè suscipere cogitur graue onus, simul que religioni fit iniuria, nam etiam onerat ur persona sibi minimè conueniente. At verò quando aliquis per deceptionem à religione remouetur, nec bono sibi debito priuatur, nec damno aliquo afficitur. Eademque ratio est de religione, quia nulla ei fit propria iniuria.

1. Nihilominus existimo etiam hanc deceptionem ex suo genere peccatum esse mortale, quia grauem iniuriam continet contra talem personam, & aliquādo etiam cōtra religionem. Ratio in primis est, quia deceptio ex se est mala, & iniuriosa proximo, maxime quando intercedit consultatio: nam, vt supra dicebam, qui accepit consiliarii munus, eo ipso velut ex quodam tacito pacto obligatur ad consilium fideliter præstandum. Quæ obligatio maior est, quādo consilium ad bonos mores pertinet, & deceptio non fit sine magno detrimento eius qui decipitur; quæ omnia in præsenti concurrunt; & ideo non dubito quin talis deceptio grauem iniuriam contineat. Nec refert quòd bonum religionis non sit necessarium ad salutem, sed supererogationis, quia hoc non obstat, quominùs carentia talis boni sit magnum detrimentum, quod inuoluntariè quis patitur per medium iniquum, & iustitiæ contrarium. Nam etiā obtinere beneficium non est necessarium, nec etiam interdum ad hanc vitam transigēdam, & tamen per deceptionem impedire aliud ne illud obtineat, est sine dubio grauis iniuria: ergo à fortiori in præsenti. Et confirmatur, nam impedire alium per vim ne religionem ingrediatur, est peccatum mortale: ergo & per deceptionem, nam hæc duo in rebus moralibus æquiparantur.

2. Ex quo infero primò hoc peccatum per se, & ex vi talis obiecti graue esse, etiamsi aliam iniuriam non contineat, sæpe autem ex alio capite posse augeri, & duplicatam iniuriam continere. Prior pars satis probata est. Posterior declaratur, quia hæc deceptio sæpe fit grauiter detrahendo, vel de religioso statu, vel de aliqua religione in particulari, vt alter ab eius affectu auertatur, & tunc peccatum deceptionis adiungitur peccato defectionis, quod per se graue est, & circunstantiam specie distinctam, ac proinde in confessione aperiendam addit. Sequitur secundò, hoc peccatum non solùm committi, quando quispiam respondet petenti consilium, decipiendo illum, sed etiam quando propria sponte quis se ingerit ad suggerendum prauum consilium, quo alium decipiat, & à bono proposito auertat, quia grauitas huius iniuriæ non consistit præcipuè in abutēdo munere consiliarii (quamuis hæc circumstantia, quando interuenit, non parum augeat malitiam) sed ad eam sufficit deceptio cum tam graui nocumento, sicut sufficit violentia. Vnde è contrario colligi potest si quis absque iniuria violentiæ, aut deceptionis alium auertat ab ingressu religionis precibus, vel promissionibus, illud non esset ex genere suo peccatum mortale, quia ibi non interuenit iniuria; neque inductio ad malum, neque auersio, seu abstractio à bono ad salutem necessario; cur ergo ibi erit grauis malitia? Nam licet alter graue detrimentum patiatur, non tamen inuoluntariè, sicut per vim, aut deceptionem; sed quia liberè consentit: ergo inde non redundat in alium malitia, saltem moralis. Sed licet verum sit tunc non esse tam graue peccatum, est tamen sine dubio peccatum multum repugnans ordini charitatis, & respectu Dei, à cuius maiori obsequio homo separatur, & respectu ipsius proximi, quia à maiori bono impeditur, quòd licet precibus fiat, alienum est ab officio Christianæ amicitiæ. Accedit etiam quòd per hoc sæpe Spiritui sancto mouenti resistitur, quod maiorem deformitatē habet in tertia persona, quam in ipso qui vocatur, nā ipsemet Spiritus sanctus, dum necessitatem præcepti non imponit, concedit licentiam homini vocato, vt suo iure libere vtatur; grauiter autem fert quòd alius ad quem illa deliberatio non spectat, suis consiliis, & inspirationibus resistat. Quare licet in hoc peccato non sit iniustitia, tamen contra charitatem, sæpe potest esse malitia grauis, præsertim si preces, seu inductio nimis sint importunæ, & contra Spiritus sancti vocationem moraliter certæ, & absque vllo rationabili titulo, & causa. Eritque maior culpa, si quis absolute intendat impedire ingressum: nam si solùm intendat vt differatur, minor erit culpa, & talis posset esse causa, vt esset nulla. Sic enim excusari possunt parentes, qui aliquantulum filios detinent, vt eorum constantiam experiantur, vel eorum vocationem magis examinent. Et iuxta hæc de aliis cēsendum est, semperque quoad fieri possit, est in fauorem religionis inclinandum.

*Qui auertit alium ab ingressu religionis precibus, aut promissionibus, non peccat grauiter, nisi preces sint importunæ, & sine vlla causa contra certam Spiritus S. vocationē.*

10. Colligitur tertiò. Qui decipit in religionis ingressu, tenetur tollere talē deceptionē vel infamiam detractionis, vel vim, si forte illata est.

Tertiò videtur ex dictis consequenter sequi, quoties interuenit iniuria per vim, vel deceptionem, oriri obligationem restituendi in eo, qui iniuriam intulit, quia illa iniuria contra iustitiam commutatiuam est, ex huiusmodi autem iniuria intrinsece nascitur obligatio restituendi. Veruntamen circa hoc aduertere oportet, si deceptio fiat cum detractione alterius partis, scilicet, vel religionis, vel personæ, de cuius ingressu agimus, primam & manifestam obligationem restituendi esse, vt fama, seu bona opinio eius quod detractum est, reparetur, vt per se constat. Potest enim hæc deceptio vel detractio interdum fieri de religione cum ipsa persona ne ingrediatur, vel è conuerso de persona cum religione ne illam recipiat: vtrique ergo cum partitione accommoda satisfaciendum est, ita vt infamatio tollatur. Deinde etiam si detractio non fuerit adiuncta, deceptio ipsa tollenda est; & veritas aperienda, vt pars decepta in suam libertatem restituatur. Quòd si hoc non obstante alter perseueret in priori consilio, & nolit religionem ingredi, vel religio nolit eum acceptare, non credo teneri deceptorem ad ampliorem restitutionem: idemq; censeo de eo qui vim intulit, quia damnū illud spirituale aliter reparabile nō est, nisi alter consentiat, vnde si consentire non vult, iam ex par-

ex parte illius cessat ratio obligationis ad maiorem restitutionem. Ex parte autem religionis non erat illi ius aliquod acquisitum in talem personam, vt propterea maior restitutio illi facienda sit, de qua re plura inferiùs.

11. *Excommunicatur qui impedit fœminas ne votum simplex castitatis aut religionis emittant; aut professionem faciant, quæ per veli susceptionem significatur.*

Tandem iuxta dicta exponenda est alia pars decreti Concilij Trident. suprà tractati sess. 25. c. 13. de Regular. vbi postquam anathema tulit in eos, qui per vim fœminas cogunt ad ingressum religionis, eandem censuram extendit ad eos, qui illas impediunt, dicens, *Similiquoque anathemate subiicit eos, qui sanctam virginem, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel votum emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint.* Circa quæ verba solum occurrit aduertendum, censuram hanc duplici modo videri vniuersaliorem, quàm præcedentem. Prior sumitur ex illa disiunctiua, *veli accipiendi, vel voti emittendi.* Nam sub priori parte comprehenduntur tres illæ, quæ in priori membro positæ fuerant, scilicet ingressus, susceptio habitus, & professio; nam quidquid horum impediatur, impeditur voluntas veli accipiendi. Nam si impeditur ingressus, à fortiori impeditur habitus susceptio religionis propria, de qua est sermo: impedito autem habitu necesse est impediri professionem, quæ per veli acceptionem significatur. Igitur in illa priori parte hæc tria comprehenduntur. Additur verò pars altera, *vel voti emittendi*, quæ sine dubio aliquid diuersum significare videtur, & ideo non esse intelligenda tantùm de voto solenni, quòd solùm in professione fit, & per veli acceptionem significari solet. Videtur ergo Cõcilium excommunicare eos, qui fœminas impediunt, ne votum etiam simplex emittant, & quia verosimile non est ipsum loqui de quocunque voto, qa hoc nec necessarium erat, nec fortasse cõueniens, neque ad intentionem Concilii accommodatum: ideo iuxta subiectam materiam determinandum videtur ad votum simplex virginitatis, seu castitatis, per quod specialiter consuerunt fœminæ in Ecclesia consecrari Deo extra proprium religionis statum. Existimo etiam comprehendi votum simplex religionis, quod in hac materia eiusdem rationis censetur: eo vel maximè, quòd qui hoc votum impedit, consequenter, & quasi radicaliter impedit voluntatem veli accipiendi.

12. Aliqui verò per voti emissionem intelligunt professionem ipsam, à qua distinguunt veli susceptionem tanquam actionem distinctam. Sed est difficilis expositio, tum quia verba Concilii intelligenda sunt, iuxta vsum, quem habent in aliis canonibus; constat autem antiqua Concilia, & Pontificia decreta, quoties de veli acceptione tractant, religiosam professionem per illam intelligere: tum etiam, quia licet illa duo in eo rigore sumpta, distinguantur, tamen in re non separantur, nec potest vnum sine alio impediri: quid ergo necessarium erat in lege morali ea sub disiunctione proponere? Et explicatur ampliùs in hunc modum, nam si in monasterio aliquo monialium sint aliquæ veram professionem emittentes, quibus velum non imponatur, quia ad domestica tantùm officia recipiuntur; & quispiam impediret ne aliqua fœmina admitteretur ad velum, non tamen impediret professionem, profectò non incurreret hanc censuram, quia alia circumstantia valde accidentaria est, & quia illud non esset impedire statum perfectionis, sed signum quoddam honoris, de quo nihil Concilium curabat: ergo per veli acceptionem intelligit non præcisè accidentalem cæremoniam, sed ipsam substantialem professionem.

13. *Ad hæc ex-* Alia ampliatio continetur in illo verbo, *quoquo modo impediat.* Nam in priori parte dixerat Concilium, *quomodocunque coegerint.* Vniuersaliùs autem quid esse videtur quoquo modo impedire, nam impeditur quis non tantùm per coactionem, sed etiam multis aliis modis, quos comprehendere voluit Concilium, si iniusti sint, & ideo phrasim locutionis mutauit. Primò ergo clarum est ibi comprehendi omnes qui per vim directe vel indirecte illatam ipsi fœminæ, directe impediunt eius voluntatem, scilicet, per graues minas, & cætera similia, vt suprà explicatum est. Deinde comprehendi existimo eos qui per similem vim monasterio illatam impediunt, ne ibi admittatur, nam sic etiam iniuste impediunt voluntatem veli accipiendi. Idem censeo si hoc fiat per dolum & fraudem, quæ circa monasterium etiam versetur, illud scilicet, circa opinionem de tali fœmina decipiendo, si tandem hoc modo voluntas eius de velo accipiendo, impediatur: nam præterquam quòd tota hæc dici potest quædam violentia moralis, propriè etiam ac formaliter sub verbis Concilii comprehenditur. *communicationem contrahendam requiritur, vt iniuste impediat.*

14. *Incurritur hac excommunicatio impediendo per deceptionem, non vero per preces, aut promissiones.*

Magis dubitari posset de decipiente ipsam fœminam, & per illam deceptionem impediente, ne velum accipiat, vel votum emittat: nam sic decipiens proprie non impedit voluntatem, id est, voluntatis executionem, de qua Concilium loqui videtur; sed facit vt talis voluntas non habeatur, vel vt mutetur, quod longè diuersum est. Sicut etiam qui precibus & promissionibus obtinet à fœmina ne continentiam profiteatur, sine dubio impedit ne velum accipiat, aut votum emittat; & tamen nemo dicet illud sub hac censura comprehendi, quia proprie non *impedit voluntatem*, sed procurat vt voluntas mutetur, vel non habeatur. Et est quidem hoc probabile, & quoad hanc posteriorem partem de precibus non dubito, quin ita sit non solùm propter rationem factam, sed etiam quia ille modus non continet iniustitiam, nec causat proprie voluntarium; & ideo in rigore non est impedimentum, de quo loquitur Concilium. De decipiente verò res est magis dubia, & scrupulosa, quia reuera iniuste impedit voluntatem, & verba Concilii, *quoquo modo decipiat*, valde generalia sunt, neque est cur limitetur ad solam executionem voluntatis, quæ immutata maneat: nam si ipsa mutatio est inuoluntaria, qualis est illa quæ fit per deceptionem, satis impeditur ipsa voluntas à suo desiderio quando per deceptionem fit, vt in eo non persistat. Solùm ergo excipit Concilium casum in quo voluntas ex iusta causa impeditur, vt, v. g. quia non suppetit facultas temporalis necessaria ad ingressum religionis, vel quia propositum, aut deliberatio non satis examinata est; in his enim casibus cessat iniustitia, & consequenter etiam cessat hæc pœna.

15. *Notandum primò Vt detur motiua pro ingressu religionis, debet intercedere tio pretij, & non sufficit, quod detur eleemosyna aut largitio, sed non ta-*

Tertius defectus qui suo modo minuere potest libertatem ingressus religionis, est simonia; potest enim hic defectus redundare in diminutionem libertatis, vel ex parte personæ, si pretio dato ad religionis ingressum trahatur, vel ex parte religionis, si propter pretium illum admittat, & ideo hîc breuiter explicari potest. Aduertendum igitur est, aliud esse aliquid in pretium religiosi status conferre, aliud verò esse conferre aliquid ea occasione non quidem in pretium, sed vel in eleemosynam, vel ob benevolentiam, vel, quod frequentius est, alimentorum gratia: hoc enim posterius non sufficit ad simoniam, sed oportet vt ratio pretij interueniat, vt omnes Doctores in propria materia, specialiter Caiet. in Sum. verb. *Simonia*, & Soto lib. 9. de Iustit. q. 7. art. 1. Vnde fit vt practicè ac moraliter loquendo, rarò hic ingressus sit illicitus titulo simoniæ, etiamsi largitio aliqua, vel acceptio alicuius temporalis commodi intercedat. Nam in primis constat ex communi vsu

Ecclesiæ

Ecclesiæ in monasteriis monialium recipi aliquid in congruam sustentationem religiosæ, & quod dotis nomine solet significari, de qua etiam solet pactum præcedere in quo non censetur esse simonia, quia illud non accipitur tanquam pretium professionis, seu religionis, sed causa sustentationis. Atque ita intelligendus est textus in cap. *quoniam*, de Simonia; consuetudo enim est optima legum interpres, & textus ille expresse loquitur de pretio; hic autem reuera pretium non interuenit, sed sustentatio. Sic sacerdos dicturus sacrum, qui aliquid in sustentationem recipit, nec Simoniacus est, nec pretium accipit. Vnde eadē ratione, si religio vel monasterium multùm indigeat, non erit simonia, si ab eo, qui vult ingredi, postuletur, vt habitum, vel aliquid simile necessarium ad eius sustentationem secum afferat; in quo tamen multum obseruandum est, vt scandalum vitetur. Et ob eandem rationem ait Soto lib. 9. q. 6. art. 1. ad 4. non esse Simoniam munusculis aut beneficiis allicere voluntatem alicuius, vt religionem ingredi velit; & è conuerso non esse simoniam dare priùs copiosas eleemosynas monasterio, vt illud teddat sibi benevolum; & pie affectum: dummodo enim omnis suspicio pacti, vel conuentionis tacitæ cesset, simonia non committitur. Quomodo intelligendum est cap. *de regularibus*, de Simonia, & cap. *quampio* 1. quæst. 2. Quia ergo regulariter loquendo si aliqua largitio interuenit, non habet rationem pretij, nec conuentionem, aut obligationem expressam, vel tacitam, ideo dico regulariter non esse ex hoc capite sacrilegam receptionem, vel ingressum: si autem aliquid eiusmodi interueniret, tunc esset damnabilis, iuxta prædicta iura. Secluso autem vitio Simoniæ posset hæc actio esse reprehensibilis, vel ratione scandali, vel si esset nimia quæ libertatem ingredientis per debitam intentionem impediret, vt sæpe contingit, quando aliquis humano modo affectus per hæc temporalia beneficia sine sufficienti deliberatione & consideratione, & propter humana etiam motiua habitum religionis suscipit. Quanta verò & quàm grauis sit talis culpa, ex circumstantiis personarum, & actionum prudenter pensandum est.

*Ab ipso dominio rerum suarum sibi subtrahit.*

16. Secundò obseruandum est hoc loco decretum Concilii Tridentini sess. 25. cap. 17. de Regular. vbi statuit, *Ne ante professionem excepto victu & vestitu nouitii, vel nouitiæ, illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, posse monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat.* Et infrà addit pœnam his verbis, *sub anathematis pœna.* In quo primò obseruandum est Concilium non prohibere hanc largitionem tanquam per se illicitam, sed vt semper consulat libertati nouitii. Et ideo non prohibet illam simpliciter, & pro omni tempore, sed ante professionem; illius ergo professione (quod antea dicebamus) bona nouitii tribuere monasterio, non est malum, sed laudabile, si iusto titulo, vel liberaliter fiat. Deinde etiam ante professionem non prohibet huiusmodi largitionem fieri ex quibuscunque bonis, sed ex bonis eiusdem nouitii. Vnde si parentes, propinqui, vel amici de suis propriis bonis aliquid velint tribuere monasterio in gratiam nouitii, vt benevolentiùs tractetur, vel suscipiatur, non ageret contra hoc decretum, quia textus expresse dicit, *de bonis eius*, & quia tunc non habet locum ratio Concilii: nam per hoc nihil minuetur libertas nouitii, quia cùm illa bona ad illum non pertineant, neque illa recuperare possit, aut debeat, inde non fit difficilior eius egressus, si religionem dimittere voluerit: item quia Concilium vtitur hoc verbo, *tribuatur*, dubitari potest an per modum mutui possit dos, v.g. quæ promissa est moniali, antè professionem conferri, quia mutuare non est tribuere, & lex odiosa ad rigorem verborum coarctanda est. Nihilominus hæc videtur esse magna fraus legis, quia non minus ex mutuo, quam ex alia largitione impediretur libertas nouitii: nam etiam sæpe difficile recuperatur quod titulo mutui datum est. Eò vel maximè, quòd hîc non potest absoluta donatio interuenire, sed solùm sub ea conditione, si nouitius perseuerauerit: ergo hanc & quamcunque aliam, quæ virtute illam includat, prohibet Concilium, in illo autem mutuo similis donatio virtute includitur. Nam si nouitius perseueret, obligatio reddendi ex mutuo cessabit. Censeo igitur hoc etiam esse prohibitum, & per verbum tribuendi intellexisse Concilium quamcunque actualem traditionem bonorum nouitii, per quam in potestatem, vsum, administrationem, vel etiam dominium religionis deueniant, non obstante quacunque obligatione illa reddendi, si nouitius habitum dimittat. Neque existimo admittendam excusationem, quam aliqui prætendunt, scilicet, tale esse monasterium, vt sine vlla difficultate possint ab eo recuperari quæcunque bona: nam etiamsi hoc supponatur, non propterea cessat prohibitio Concilii, quia cessante fine legis in particulari, nō cessat obligatio legis. Nonnulla autem verisimilitudo esse posset, si bona mutuò darentur monasterio restituenda ante tempus professionis, Vt, v.g. ad quinq; vel sex menses, tunc enim non solùm in particulari casu, sed etiam per se; & ex vi talis actionis cessare videtur finis Concilii, nec videtur illa esse largitio simpliciter, etiam iuxta subiectam materiam, quia non conceduntur talia bona sub ea tantùm conditione, nisi nouitius restituat, sed vt restituantur ante possessionē, etiamsi ipse perseueret. Sed nihilominus existimo talem mutuationem esse alienam ab intentione Concilii, & non carere scrupulo, quia saltem retardare potest nouitium, ne ante solutum à religione debitum, religionem dimittat, etiamsi id desideret. Item, quia post acceptum tale mutuum facile est religioni solutionem differre, spe retinendi nouitium; & è conuerso difficile erit parentibus religione compellere, vt soluat, sed potiùs in gratiam nouitii conniuebunt. Quapropter ab omni actione huiusmodi, vel specie illius, abstinendum est. Aduertere tamen vltimò oportet, si quid in hoc peccetur, non incurri propterea excommunicationem ipso facto donec imponatur, quia verba Concilii solùm sunt, *Sancta Synodus præcipit dantibus & recipientibus sub anathematis pœna, ne hoc vllo modo fiat*, cùm ergo non dixerit, *ipso facto incurrenda*, neque aliud verbum æquiualens addiderit, non sententiam latam, sed ferendam indicare voluit, iuxta receptam doctrinam. Ponderandum autem est verbum illud, *ne hoc vllo modo*, nam confirmat omnia quæ diximus.

*Mutuum ex bonis nouitii arcè prohibetur à Concilio.*

## Caput X.

### *A quo & qua forma receptio facienda sit, vt ingressus sit validus & licitus.*

1. NOn potest quis religionem ingredi, nisi ab ea recipiatur, nam hæc correlatiua sunt veluti partes humani contractus, qui non potest nisi mutuo consensu perfici. Cùm ergo sufficienter videatur explicata ea, quæ ad hunc actum ex parte personæ ingredientis pertinet, sub qua habitudine ingressus appellatur: reliquum est vt de receptione quæ habitudinem dicit ad aliud extremum, scilicet religionem, disseramus. Duo autem ad hunc actum sunt necessaria, scilicet potestas, & debitus vsus eius, qui in modo recipiendi consistit: hæc igitur duo explicanda sunt.

2. *Prima conclusio. Vt receptio in religione fiat validè requirit potestatem in recipiente.*

Circa potestatem manifestum est esse necessarium non solùm vt rectè, sed etiam vt valide receptio fiat, nam sine potestate agendi nihil fit, & sine potestate contrahendi, nullus contractus validus est. Quæri ergo potest apud quem sit hæc potestas. Est autem certum primariò ac principaliter esse in summo Pontifice. Sed de hoc non agimus, quia ipse non solet hac potestate immediate vti. quærimus autem de illo in quo est proximè hæc potestas. In quo est secundò certum, hanc potestatem immediate esse in qualibet religione approbata per Pontificem, & in sola illa. Primum patet, quia ex vi approbationis talis potestas ei confertur, imò in ipsa approbatione intrinsecè includitur: nam si religio non posset alios recipere, nec conseruari, nec gubernari posset; qualis ergo esset eius approbatio? Secunda etiam pars ex supradictis manifesta est, quia religio non approbata à Pontifice, non est religio, iuxta ea quæ ab Ecclesia statuta sunt; ergo nec potest habere potestatem admittendi ad religionem: vnde eo ipso quòd Pontifex sibi reseruauit approbationem religionis, consequenter etiam hanc potestatem reseruauit vel sibi, vel quibus eam ipse concesserit, non concedit autem de facto nisi religionibus à se approbatis. Quòd si fortasse in particulari institutione aliquando est in Episcopo, vel in alio simili prælato, semper est in ordine ad religionem approbatam à Pontifice, eritque peculiaris ille recipiendi modus, qui in generali doctrina non cõsideratur. Quamuis autem hæc potestas, sicut & alia iurisdictio proxime sit in toto corpore religionis, non tamen ab illo toto potest immediate exerceri, vt per se notum est, quia non potest totum ad singulos recipiendos congregari.

*Hæc potestas est immediatè in sola, & qualibet religione approbata; & includitur in ipsa approbatione.*

3. *Hæc potestas necessario est committenda alicui, vel aliquibus in particulari. Dubium est in quib. & quomodo sit.*

Relinquitur ergo necessarium esse, vt hæc potestas sit in prælato vniuscuiusque religionis, quia necessariò debet esse commissa alicui, vel aliquibus personis in particulari: ergo maxime prælato religionis, cui eius cura demandata est. Superest ergo explicandum in quo prælato sit hæc potestas, an in singulis proximis, seu localibus prælatis, vt sunt Abbates, Priores, Guardiani, vel in Prouincialibus, aut in Generalibus. Deinde an sit in sola persona prælati, vel sit cum aliis, qui circa illum actum suffragium habeant, siue sint particulares personæ ad hoc designatæ, siue sint omnes personæ eius domus, vel monasterii, in quo aliquis recipiendus est, & an talia suffragia requirantur, vt decisiua, vel tantùm vt consultiua. Quæ omnes quæstiones tractari possunt vel stando in iure communi antiquo, vel stando in iure speciali singularum religionum, vel iuxta nouum ius editum à Sixto V. in speciali constitutione de illegitimis.

4. *Prima opinio docet hanc potestatem recipiendi iure communi pertinere ad Abbatem cum Capitulo simul.*

Priori modo tractatur hæc quæstio à Panormitano in cap. *porrectum*, de Regular. n. 5. & 6. & in cap. *ad Apostolicam*, eod. tit. n. 4. & 12. vbi varias opiniones refert. Quidam dixerunt hanc receptionem iure communi pertinere ad Abbatem simul cum Capitulo. ita tenet glossa in cap. vlt. de Reg. in 6. dicens de iure communi hoc pertinere simul ad Abbatem, & capitulum, nisi consuetudine præscripta aliud receptum sit. quod sequuntur ibi Ioannes Monachus & Archidiac. & fundatur in cap. *ea noscitur*, de his quæ fiunt à maiori parte Capit. qui tamen textus, vt Panormitanus notauit, non multum probat, quia in eo non est sermo de receptione religiosorum, sed de præsentatione ad Ecclesias, quando ius præsentandi est in collegio, vt in eodem textu dicitur. Argumentum autem à simili efficax non est, nam ius præsentandi, non est proprie actus iurisdictionis, sed priuilegii, seu dominii cuiusdam: receptio autem nouitii ad iurisdictionem & gubernationem ipsius religionis pertinet. Alij ergo dixerunt, hoc pertinere iure communi ad solum Abbatem, ex dict. cap. *porrectum*, ibi, *A conuertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate.* & ex dict. cap. *ad Apostolicam*, ibi, *Is qui conuerti desiderat, habitum recipit & professionem emittit, Abbate per se, vel per alium professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente*, & infrà, *Prohibendum est Abbatibus ne paßim ante tempus probationis quoslibet ad professionem recipiant.* Sed hi textus nõ conuincunt, quia licet nominetur Abbas, non excluditur Capitulum; quia potest totum à capite nominari, & quia quamuis tantùm nominetur præcipua persona, quæ à tali actione excludi non potest, non ideo excluduntur aliæ, quæ cum illa concurrere possunt, vel debent, licet taceantur. Citari etiam pro hac sententia potest cap. *nullam* 18. q. 2. vbi dicitur, *Vt de cætero fideliter & studiosè vniuersa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem eiusdem monasterii pertinent, Abbatis solicitudo, ad quem potestas tota pertinere conuenit, debeat adimplere.* Vbi glossa notat, & ex ipso textu colligitur, particulam illam *tota*, excludere monachos, *quia potestas*, ait, *ita pertinet ad Abbatem, & non ad monachos*; constat autem receptionem religiosorum inter ea meritò comprehendi, quæ ad diuinum cultum, & monasterii vtilitatem pertinent. Et hanc sententiam tenuit Ioannes Andreas in dict. cap. *ad Apostolicam*, & sequitur Panormitanus locis citatis, & Syluester verbo *religio* 3. q. 13. Nauarrus in dict. cap. *nullam*, commentat. 3. de Regularibus n. 5.

*Secunda opinio tenet ad solum Abbatem pertinere.*

Addunt verò prædicti authores non posse Abbatem recipere monachum sine consilio Capituli. Quod adeò necessarium esse dicit Panormitanus, vt si omittatur Capituli consultatio, receptio sit nulla, quamuis non teneatur Abbas sequi iudicium, vel voluntatem Capituli, sed auditis sententiis eorum, qui adsunt, ipse possit suam sequi, quamuis contraria sit. Fundatur, quia in regula dicitur, quòd præcipua debet Abbas expedire cum consilio Capituli (videtur alludere ad cap. 3. regulæ S. Benedicti, vbi expresse statuitur & declaratur, vota Capituli non postulari, vt definitiua, sed tantùm vt consultiua.) *Constat autem* (inquit Panormitanus) *creationem monachorũ esse ad præcipuum in monasterio*, ergo consultatio Capituli ad illam necessaria est. Quoties autem Capituli cõsultatio necessaria est, si illa omittatur actus est nullus. cap. *nouit.* iuncta gloss. de his quæ fiunt à prælat. sine consensu Cap. Et ex Bartol. cum his, quæ adducit in l. 1. §. *siplures*. de Exercitatoria act. n. 3. & 4. cum Bursato lib. 1. consil. cons. 90. qui omnes docet in eo casu consultationem esse necessariam ad valorem actus, etiamsi necessarium nõ sit sequi iudicium consultorum, quia aliud est consilium, aliud consensus, & ex vi illorum verborum requiritur cõsilium, non consensus, vt recte Tabiena verbo *consilium*, & verbo *consensus*. n. 1. Paleotus lib. de sacri consistor. consult. 1. p. q. 3. art. 1. Albert. in cap. *cùm in veteri*. de elect. n. 12. Eadem ergo regula in præsenti sequenda est. ergo etiam in presenti receptio erit nulla. Et hanc etiam partem sequitur expresse Sylvest. suprà, & idem sentit Nau.

5. *Addunt prædicti opinionis authores esse adhuc necessarium consilium capituli, & sine illo esse nullam receptionem.*

Mihi tota hæc quæstio parum videtur vtilis, quia in ea nihil ferè potest ex solo iure communi definiri: nam in ipsomet communi iure supponitur, interdum ad solum Abbatem, interdum ad eum simul cum conuentu pertinere, vt patet ex cap. vlt. de Regul. in 6. quod sic habet, *Si ad solum Abbatem pertineat creatio monachorum, eo defuncto nequibit nouus monachus à conuentu creari, aliàs poterit fieri eorum creatio spectes insimul ad vtrumque.* Deinde ex adductis à Panormitano id confirmo, quia ipsemet non potuit sententiam suam ex solo iure communi colligere, sed recurrit ad regulam B. Benedicti. Eadem ergo ratione in vnaquaque

6. *Resolutio dubii. Potestas recipiendi, si in regula, priuilegiis, approbatione, aut statutis consuetudine non attribuatur alicui in particulari,*

quaque religione ad illius regulas, & constitutiones recurrendum est, & ad priuilegia per sedem Apostolicam vnicuique concessa. Quòd si nec in regula, nec in priuilegiis, aut approbatione Pontificis (quod vix accidere potest) specialis ac propria declaratio huius rei contineatur, præcipuè attendenda est consuetudo, vt gloss. Panormit. & omnes auctores citati docent, & apud illum erit hæc potestas, qui consuetudine præscripta illius vsum habuerit: vix autem cogitari potest casus moralis, in quo vel ex regula & priuilegiis, vel ex consuetudine constet apud quem sit hæc potestas. Si autem talis casus admittatur, vel potius fingatur pro religionibus monasticis, recte dicitur potestatem hanc iure communi esse penes Abbatem, tum propter dict. cap. *nullam*, tum etiam quia potestas Abbatis in suo ordine est perfecte monarchica, sicut potestas ducis in exercitu, & ideo de se sufficit ad recipiendos monachos, vel milites, nisi aliunde limitetur. In religionibus autem mendicantibus, & quæ illis similes sunt, potiùs erit hæc potestas in prouinciali, quia ita videtur Prouincialis ad suam prouinciam, sicut Abbas ad suum monasterium comparari, quia monachorum receptio & professio quodammodo determinatur ad certum monasterium, & ibi acquiritur specialis filiatio, quæ non extenditur ad aliud monasterium, nisi in eo noua fiat professio, quod non ita esset in religionibus mendicantibus, & similibus. Sed quoad hoc tota prouincia quasi vna domus computatur, & ita videtur habere consuetudo omnium huiusmodi religionum. An verò in prædicto casu requiratur Capituli consilium, non credo posse ex iure communi definiri: nã in dict. cap. *nullam*, de illo non fit mentio, quanquam nec per hoc silentium sufficienter excludatur, vt supra in simili dixi, neque in aliquo textu iuris inuenio de hoc fieri mentionem. Erit ergo propria regula vniuscuiusque religionis circa hoc obseruanda: quod si in specie non fuerit hoc in ea declaratum, ex generali modo statuto circa regimen in rebus grauioribus colligendum erit: sicut Panormitanus id elicuit, ex regula Sancti Benedicti.

7. Panormitanus pro constanti habet.

Difficile autem mihi est illud principium quod Panormitanus pro constanti habet, omnẽ actum, ad quem secundùm regulam requiritur consultatio Capituli, esse nullum, si absque illa fiat, etiamsi consensus Capituli non sit necessarius; quia tunc potestas reuera est in solo prælato, & circumstantia illa, seu modus agendi, non videtur de se adeò substantialis, vt defectus eius reddat actum nullum, nisi in ipsa lege hoc exprimatur, vel nisi in ipsa lege detur potestas noua sub illa conditione, ex constituendo illam tanquam formam necessariam actus: in quo casu loquuntur citati authores; in præsenti autem non videtur esse eadem ratio, nam potestas absolutè datur prælatis; consultatio autem postulatur ad bonum modum regiminis, non verò ad substantiam actus. nec oppositum videtur sufficienter probari ex d. ca. nouit, quia illa non est vniuersalis decisio, sed particularis, neq; in eo est sermo de prælatis religionum, sed de Episcopo, nec de receptione Monachorum, sed de institutione Abbatum, Abbatissarum, & similium personarum Ecclesiasticarum, quæ res longe grauior est. Vnde posset textus ille in contrarium retorqueri per argumentum ab specialibus: nam vt illæ institutiones infirmarentur, necessaria fuit specialis decisio illius textus in eo casu: ergo cùm res sit odiosa, non est extendenda ad similes, præsertim minùs graues. Addo denique etiam in illo casu non satis probari ex illo textu illos actus esse nullos; verba enim textus sunt, *Nos enim tales institutiones & destitutiones carere decernimus robore firmitatis*. Dicitur enim carere robore firmitatis, non solùm quod per se irritum est, sed etiam quod per se irritandum est: ergo cùm hæc posterior interpretatio mitior sit, cur non poterit, vel potiùs debebit in materia odiosa, prædictis verbis accommodari? Nam quod ibi glossa dicit tales actus esse nullos, quia facti sunt contra iura, non satisfacit, quia oportet vt sint contra iura irritantia, & non tantùm prohibentia, vt in superioribus à nobis tactum est, & in materia de legibus fusiùs tractatum; sed de intelligentia illius textus quoad hoc punctum, nihil hîc definio, quia ad præsens non refert.

8. Imò licet generaliter concederemus, quando iure Pontificio consultatio capituli necessaria est, vt actus recte fiat, illum esse nullum, si absque illa fiat, non video cur hoc principium sit extendendum ad omnem actum, in quo consultatio capituli solùm est necessaria ex directione regulæ Religiosæ, quæ non continet tam rigorosum præceptum, vel prohibitionem sicut canonica lex, vt in illa regula tertia S. Benedicti, de qua agimus, videre licet, in qua sine vllo termino præceptiuo simpliciter dicitur, *quando res graues monasterii tractandæ sunt, conuocet Abbas fratrum conuentum, & auditis eorum sententiis id prudenter statuat, quod melius esse iudicauerit.* Causam autem huius statuti non aliam reddit, nisi, *quia sæpe solet Deus per infirmum ex fratribus id quod melius est docere, & aperire*, & deinde subiungit expedire, tum vt fratres obediant Abbati, etiamsi contra consilium ab eis datũ, rem statuat: tum etiam vt Abbas id quod iustum & prudentiæ consentaneum est, statuat. Hæc ergo regula ex vi & forma verborum magis est directiua, quàm receptiua; non est ergo verisimile quòd sufficiat ad irritandum actum, eo solùm quòd sine illa circumstantia consultationis fit. Eò vel maximè, quòd lex irritans debet esse de actu specifico, & particulari, vt de eius effectu, qui valde odiosus est, satis constat: illa autem regula posita est per verbà valde generalia, & quæ multum ex arbitrio pendent, an scilicet hoc, vel illud negotium, res grauis existimanda sit. Quocirca mihi probabilius videtur ex vi illius regulæ tantùm non esse irritum actum recipiendi Religiosum, de quo agimus, sed in hoc consulendam esse consuetudinem, quæ est optima legum interpres: eam autem esse existimo, vt receptio non existimetur valida sine consilio capituli, imò etiam nec sine consensu, vt in terminis docet Nauarr. lib. 1. consil. in 2. editione. titul. de constit. consil. 9. à n. 19. Armil. verbo *nouitius* n. 11. Emanuel Rodr. tom. 3. qu. regul. quæst. 77. art. 7. Miranda in suo Manual. prælat. tom. 2. q. 15. Imò rarò, vt existimo, inuenietur Religio in qua receptio fiat faciẽda cum suffragiis capituli, & illa recipiantur tantùm vt consultiua, & non etiam vt definitiua. Vbi tamen de hoc constaret, & aliunde non esset consuetudine, aut expressa constitutione declaratum, talem consultationem esse necessariam ad valorem actus, non senserunt propter solam omissionem illius circumstantiæ receptionem esse nullam.

9. Vltimò tamen circa hoc punctum aduerto prædictos Doctores & iura non agere in particulari de prima receptione ad nouitiatum, seu ad habitum religionis, sed potiùs videri loqui de receptione professionis; solùm in dict. cap. *ad Apostolicam*, distincte dicitur Abbatem recipere ad professionem monasticam, & monachalem habitum concedere. Sed si casus & contextus attentè legatur, videtur potius loqui Pontifex de habitu professorum, quàm nouitiorum. Nec videtur esse eadem ratio de vtraque receptione, quia multa grauior est secunda receptio, quàm prima, quia illa sola est immutabilis, & in illa fit propria traditio, & acceptatio: & ideo ea quæ de potestate admittendi ad professionem à prædictis

auctoribus dicuntur, non videntur posse transferri ad primum actum recipiendi. Nihilominus, quia vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantùm, vt Aristotel. dixit, & prima receptio tota ordinatur ad secundam, ideo apud eundem sine dubio est potestas ad vtramque, & ideo auctores indifferenter de vtraque loquuntur, & vsus etiam religionum ita obseruat, & dict. cap. *ad Apostolicam*, optimè potest hoc modo intelligi. Eò vel maxime, quòd, vt statim dicam, qui ad nouitiatum admittitur, aliquale ius acquirit, vt sine rationabili causa non possit ei denegari professio: ergo oportet vt illa etiam fiat ab eo qui potestatem habet admittendi ad professionem, cùm ille quodammodo se obliget ad illam præstandam, si receptus se idoneum ac dignum præstiterit.

10. Ex dictis expedita est proposita quæstio non solùm quantum spectat ad commune ius, sed etiam quoad speciale quantùm à nobis iudicari potest; nec enim ad nos spectat singularum religionum cõstitutiones, priuilegia, aut consuetudines explicare; sed tantùm generaliter admonere, vt vnaquæque ius suum consulat, & modum illum intelligendi, vel interpretandi iudicare; quod præstitimus explicando ius commune quantum in nobis est.

## *Exponitur latè constitutio Sixti V. circa formam, & modum seruandum in recipiendis religiosis ad habitum, & professionem.*

11. Solùm ergo superest vt de constitutione Sixti V. circa hoc edita anno 1587. pauca dicamus. In qua distinguenda in primis est duplex ætas recipiendorum. Vna est ante decimum sextum annum expletum: alia post illum iam impletum. Nam de priori nihil Sixtus statuit, sed in ea seruanda sunt, quæ hactenus diximus. Respectu verò eorum qui decimum sextum ætatis annum impleuerunt, sic Pontifex statuit. *Perpetuo statuimus, & ordinamus, iuuenes, aut viros adultos maiores sexdecim annis non aliter in aliquam religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum & exploratum sit eos neque aliquorum crimi num, &c. reos, vel suspectos existere, nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantùm deuotionis seu pietatis seruore vitam religiosam sponte & ex animo elegisse. Deque his omnibus in generali, vel prouinciali Capitulo plena & indubitata fide facta tam superioris generalis, vel Prouincialis, quàm definitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint.* Et postea irritat receptionem aliter factam, vt mox explicabimus. In illis autem verbis simul præscribit modum, seu formam recipiendi, & statuit à quo fit faciendæ receptio, & ideo vtrumque declarandum est.

12. *Ad receptionem de religiosa necessario est præmittenda inquisitio de parentibus solùm, non de illorum conditione, & qualitatibus.*

Quoad modum primum postulat vt diligens fiat inquisitio de parentibus & patria, vita ac moribus. Et quod ad parentes attinet, ideo videtur à Pontifice postulata hæc diligentia, vt constaret recipiendum non esse illegitimum, nam ipse omnes illegitimos in religionem recipi prohibuerat. Quia verò quoad hanc partem de illegitimis constitutio illa sublata est, videri potest hæc inquisitio parentum iam non esse necessaria. Sed reuera non ita est, neque vllo modo est prætermittenda, quia Pontifex absolute illam requirit, nec declarat illum fuisse adæquatum finem talis præcepti, & potest deseruire ad alios effectus, vt ad certiorem personæ cognitionem, & ad mores eius meliùs cognoscendos. Non oportebit autẽ inquirere ex vi huius constitutionis conditiones alias, vel qualitates ipsorum parentum, vt an sint paupers, vel diuites; nobiles, aut cuius originis sint; immò neque an fuerint matrimonio coniuncti, quia nihil horum ibi dicitur, sed solùm vt de eorum parentibus inquiratur: solùm ergo interrogare oportebit, qui illi fuerint, vt constet de recipiendo, quorum filius sit. Sicut etiam dicitur inquirenda patria, non vt de illa aliquid speciale interrogetur, aut innotescat, sed solùm vt constet quæ illa sit, vt per has circumstantias certior de tali persona cognitio habeatur.

13. *Expositi, eorum parentes ignorãtur, recipi potest in religione.*

Sed quid si post talem inquisitionem nihil de parentibus possit inueniri: vt, v.g. si persona sit exposita, cuius parentes, & ab ipsa, & ab aliis omnibus ignorantur? Respondeo id non obstare quominùs talis persona in religione recipi possit; quia in primis ibi non dicitur vt aliquid innotescat quoad parentes, sed solùm vt diligenter inquiratur, nam cùm postea subditur, *vt accurata informatione exploratum sit*, &c. solùm de moribus sermo est. Deinde, quia per illam inquisitionẽ id saltem constabit, quod de tali persona innotescere potest, illam scilicet solùm habere incertos & incognitos parentes; quò statim fit vt iuxta commune ius nihil mali ex hoc capite in tali persona præsumi debeat: ergo non est cur ob eam rem impediri debeat ad ingressum religionis. Quin potiùs addo, licet parentes non sint incerti, sed ab ipsa persona cogniti, si tamen per inquisitionem non possit inueniri legitima filiationis probatio, vel propter terratum distantiam, ad difficilem accessum, vel propter alia impedimenta: nihilominus hoc non obstare quin post factam diligentem inquisitionem, qualis in eo casu fieri potuerit; in religionem quis recipiatur. Et idem censeo de patria, si forte ob similes occasiones per testes probari non possit; quia, vt iam dixi, tam de patria, quàm de parentibus nihil aliud ibi statuitur, nisi vt diligens inquisitio fiat; non declaratur autem quid debeat ex tali declaratione resultare, nec circumstantiæ hæ videntur esse tanti momenti, vt ignorantia earum debeat impedire ingressum, si per diligentem inquisitionem expelli non possit. Et hanc expositionem tacite videtur probasse idem Pontifex in declaratione illius constitutionis quam post vnum annum edidit, vbi in versic. *In eis autem*, quoad exteros & aduenas longissimè à patria degentes, vel quorum patria impedita est, declarat. *Quamuis non liquido constet de hiis omnibus quæ in constitutione requiruntur, tamen si diligentia adhibita nihil appareat quod eos impediat, recipiendos esse.*

*Si desit inquisitio nec parentũ, nec vllius patriæ inueniri, potest recipi.*

14. *Est etiam præmittenda diligens inquisitio de vita, & moribus recipiendi.*

Secundò quoad mores, & anteactam vitam postulatur in primis diligens inquisitio; deinde vt ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum & exploratum sit recipiendos non habere talia crimina, nec esse grauatos ære alieno, neq; obnoxios rationibus reddendis. De quibus impedimentis, quando sint talia, & quomodo intelligenda sint, in superiorib. late diximus. Quæ autem in præsenti sit diligens inquisitio, quæve accurata informatio, vel explorata cognitio, cùm nihil hîc in particulari statuatur, prudentis viri arbitrio relinquendũ est. Videtur illa sufficiens, quæ ad humanam fidẽ faciendam satis est, qualis est duorũ, vel trium testium, qui absq; suspicione sint, & iuridice ac cum iuramẽto interrogẽtur, ab aliquo fideli ministro ad hoc munus constituto per religionem seu prælato eius. Nam quòd hæ circumstantiæ obseruandæ sint, verba Põtificis, quæ non puram exaggerationem continent, satis probant: quod autem sufficiant, moralis ratio persuadet. Quia in quolibet negotio illa est moralis diligentia sufficiens, & in humano iudicio cum proportione sufficit ad fidem faciendam. In quo etiam aduerto in prædictis verbis cõstitutionis non postulari, vt aliquod positiuum bonũ, vt sic dicam, de tali

*Qualis ipse debeat requisitus inquisitio.*

forma

forma probetur; sed solùm vt constet non esse reum criminis, &c. Hæc autem ipsa negatio duobus modis probari potest: primò per positiua testimonia affirmantia talem personam non habere talia crimina, &c. Et hic est optimus probandi modus, sed difficilis, quia difficile est vniuersalem propositionem negatiuam contingentem veram esse positiuè cognoscere, & ideò sæpe accidere potest vt talis probatio non inueniatur. Alius ergo modus hæc probandi est negatiuus magis quàm affirmatiuus, quia scilicet testes solùm asserunt se nescire in tali persona esse aliquod ex dictis impedimentis. Quæ negatio si pura sit, nihil certè probat, vt per se constat; si autem tale testimonium feratur ab eo, qui simul profitetur se cognoscere talem personam, & mores eius, moraliter valde probabile est, & existente sufficienti numero testium, pro materiæ qualitate sufficiens probatio est: nam huiusmodi negationes, vt dixi, moraliter non possunt aliter probari, & quia huiusmodi vitia vix possunt ita occulta esse, vt ab his, qui familiariter personam norunt, ignorentur.

15. Dices eundem Pontificem in alia Bulla declaratoria tanquam quid speciale concessisse, vt in aduenis & exteris hic modus negatiuæ probationis sufficiat, *quamuis non liquido constet* (inquit) *de his omnibus, quæ in constitutione nostra requiruntur, tamen si diligentia adhibita nihil appareat, quòd eos impediat, habiles reputandos esse.* Indicat ergo per argumentum ab speciali, in aliis maiorem probationem requiri, ita vt *liquidò constet.* Respondeo, speciale in aduenis esse, vt de his, quæ in patria gesserunt, aut reliquerunt, nec prædictam probationem afferre possint, quia non inueniuntur testes, qui tales personas & conuersationes earum in propria patria nouerint, & ideo quoad totum illud tempus solùm afferre possunt probationem mere negatiuam, quam meritò voluit Pontifex sufficere, si de reliquo tempore, pro quo in tali regione versati sunt, bonum habeant testimonium abiis qui eos nouerunt.

16. Præter hanc verò probationem de carentia talium impedimentorum tertiò videtur Pontifex velle, vt de vocatione ipsa ad religionem aliquid positiuum probetur, cùm subiungit, *Nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantùm pietatis ac deuotionis feruore in vitam religiosam sponte & ex animo elegisse.* Veruntamen circa hoc duplex probatio distingui potest: vna est per testimonia, alia est per coniecturas. Prior sine dubio etiam quoad hanc partem non potest esse nisi negatiua, quia nec Dei vocatio, & religiosa intentio potest aliis ita esse nota, vt de illa possint affirmatiuum testimonium ferre. Ad summum ergo poterit requiri negatiua, qualis suprà explicata est, scilicet, vt qui personam norunt, testificentur se nihil tale, seu alienum à diuina vocatione de illa vnquam intellexisse, nec habere rationem aliquam, ob quam id suspicari possint. Existimo tamen non oportere de hoc scrupulose & in specie inquirere, quia periculosum est, & non videtur à Pontifice intentum: satis ergo quo ad hanc partem erit, si generatim inquirendo de moribus ac vita nihil occurrat quod sinistram de spiritu vocationis suspicionem ingerat. Alia ergo probatio per coniecturas videtur præcipue à Pontifice intenta: hæc autem fit per prudentem examinationem eius, qui religionem ingredi desiderat, quæ fieri debet per prudentes & fideles ministros eiusdem religionis: vnde tunc constare dicetur id quod Pontifex vult, quando post sufficientem interrogationem, prudenter iudicatum fuerit nullam esse probabilem rationem suspicandi, vocationem illam esse ab humano, vel à malo Spiritu; nam cum illa sit ex obiecto bona, & ad Spiritum sanctum pertinens, meritò dici potest constare quòd talis sit, quandiu oppositum non probatur, nec in probabilem suspicionem venit.

17. *Debet inquisitionibus debet certificari Capitulum generale, vel prouinciale.*

Quartò addit Pontifex de his omnibus debere fieri plenam & indubitatam fidem in generali vel prouinciali Capitulo, quæ verba etiam ad modum tantùm recipiendi pertinent; per ea enim non datur facultas recipiendi ipsi Capitulo, vt ex ipsis verbis præcisè sumptis constat, & ex sequentibus, quæ statim declarabimus. Cùm enim hæc verba non conferant potestatem Capitulo, solùm possunt ad modũ, seu formam pertinere. Imò vlteriùs videtur, nec cõsultationem Capituli ex vi illorum verborum postulari, ita vt necesse sit eorum, qui adsunt, sententias audire: sed solùm capitulum ipsum certum reddere de inquisitione facta, prout à Pontifice præscripta est. Quod videtur voluisse Pontifex, tum vt persona recipienda esset aliquo modo nota toti religioni, tum vt dicta inquisitio & informatio maiori cum diligẽtia fieret, cùm illius ratio in publico Capitulo esset reddenda: tum etiam, vt si aliquid qui sunt de Capitulo in contrarium scirent, illud possint obiicere. Hinc verò addendum etiam est requiri approbationem totius Capituli, non quidem simpliciter de persona recipienda, quoad omnia quæ in ea requiri possunt, hæc enim approbatio Prouinciali, & Definitoribus committitur, vt statim dicam, sed quoad ipsas inquisitiones sufficienter factę sint, necne. quod etiã ex alia Bulla declaratoria eiusdem Pontificis apertè colligitur. Hanc verò conditionem moderatus est idem Pontifex in alia Bulla declaratoria, eo modo quo in sequenti puncto explicabimus. Postea tamen variæ religiones circa hanc etiam informationem, seu inquisitionem, & circa personas, per quas facienda est, vel quibus ratio illa est reddenda, moderationem seu declarationem à Sede Apostolica obtinuerunt, sed illa vniuersalis non est, & ideo ad nostram declarationem non pertinet, sed vnaquæque religio modum sibi præscriptum obseruare tenebitur.

18. *Post suprà dictam inquisitionẽ committit Sixtus V. potestatem recipiendi Prouinciales, & definitoribus.*

Quintò addit Sixtus V. post prædicta omnia *Superioris Generalis, seu Prouincialis, & Definitorum consensu approbandos, & ad regularem habitum admittendos fore qui religionem ingrediuntur.* Per quæ verba potestatem recipiendi plane committit Prouinciali & Definitoribus, & ideo dixit suprà non tradere illam toti Capitulo prouinciali: nam ad approbationem, & admissionem, nec consilium, nec Capituli probationẽ requirit, sed solùm definitorum cum Prouinciali. Huic verò expositioni videtur obstare verba eiusdem Põtificis in alia Bulla declaratoria, versic. *Verùm*, vbi sic ait: *Verùm in iis monasteriis, domibus & locis regularibus, quæ aut nondum in congregationes redacta, aut aliàs nulli prouinciæ subiecta sunt, statuimus vt trina Capitula conuentualia tribus distinctis cum intervallo saltem decem dierum vicibus celebrata eandem in recipiendis nouitiis per trinas huiusmodi distinctas vices approbatis habeant auctoritatem, quæ per nostram constitutionem Capitulis prouincialibus est attributa.* Per quæ vltima verba videtur Pontifex improbare quod dictum est, & asserere potestatem recipiendi datam esse Capitulo Prouinciali. Respondeo intentionem Pontificis solùm fuisse proportionaliter æquiparare hæc monasteria, quæ vnam prouinciam cum aliis non constituunt cum prouinciis aliarum religionum, excepta illa circumstantia de trina probatione, vt eo modo intelligatur eis attributa auctoritas recipiendi religiosos, quæ data fuerat capitulo Prouinciali: quo modo autem data fuerit ibi Pontifex non declarat, sed ex alia Bulla petendũ est; constat autem ex illa solùm esse datam toti Capitulo prouinciali, quantùm quoad hoc, vt certũ reddatur, de habilitate, vt sic dicam, personæ recipiendæ, quãtùm ad inquisitiones à Põtifice præceptas. Possumus etiam addere Capitulum prouinciale duob. modis posse

*Non obstat alia Bulla.*

*Quã potestatem habeat Capitulum circa recipiendos.*

posse considerari, scilicet, vel formaliter, prout existimo in congregatione omnium personarum, quæ ad illum pertinent; vel virtute, prout est in Prouinciali, & definitoribus, qui Prouinciale Capitulũ suo modo repræsentant. Sic ergo attributa est illa auctoritas Capitulo Prouinciali, sed diuerso modo, in ordine ad tres actus, qui in hac receptione interuenire videntur; primus est certiorem fieri de inquisitionibus factis, & quasi vltimam manum & auctoritatem illi tribuere, & hoc commissum est Capitulo formaliter, & in se ipso. Secundus actus est personam recipiendam approbare. Tertius ad habitum regularem eam admittere (hos enim duos modos videtur distinguere Pontifex, quamuis moraliter per modum vnius fiant) & hi dici possunt commissi Capitulo prouinciali, non tamen prout in se est formaliter, sed prout virtute in definitorio existit. Itaq; immediate hæc potestas est in Prouinciali & definitoribus, & eâdem proportione, iuxta declarationem dictam in illis monasteriis, quæ constituunt prouinciam, erit in Abbate, v.g. cum suis definitoribus, seu consultoribus. Et eadem proportione dicendum est de aliis personis iuxta alias declarationes & moderationes, quas statim referemus.

19. *Suffragia definitorũ non sunt consultatiua tãtùm, sed definitiua.*

Colligitur autem manifestè ex verbis Pontificis suffragia definitorum cum Prouinciali non tantùm consultatiua, sed etiam definitiua esse, quia non tantùm Concilium, sed etiam cõsensum illorum postulant; & ideo dicimus, potestatem non esse in solo Prouinciali, vel Abbate, sed in toto illo Concilio, seu definitorio. Dubitari autem posset qualis consensus illarum personarum necessarius sit ad talem actum. Nam si verba nude spectentur, videntur requirere consensum omnium, nemine discrepante, sic enim habet, *Tam Prouincialis, quàm definitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint*: vel saltè Prouincialis consensus videtur esse omnino necessarius, & maioris partis, vel saltem æqualis definitorum, ita vt licet omnes definitores consentiant, si Prouincialis dissentiat, non possit fieri receptio, quia specifice & distincte postulatur consensus Prouincialis, quod non verificatur, etiam si omnes alii consentiant. Non postulatur autem consensus omnium definitorum, sed indefinite ponitur *Definitorũ*, quod satis verificatur si plures consentiant cum Prouinciali in eo numero, qui aliàs de iure sufficiat cum Prouinciali ad sententiam faciendam. Atque hic videbatur genuinus sensus dictorum verborum, quem quoad hanc posteriorem partem confirmauit Sixtus V. in Bulla declaratoria, vers. *Neque verò*. Quoad priorem verò partem non videtur illum admittere, sed generaliter ait. *Satis esse volumus si vocalium & suffragiorum numerus legitimus sit à iure vel per cuiuscunque ordinis statum præscriptus, interuenerit*. Cũ ergò dicitur in priori Bulla, *Nisi consentiant Prouinciales & definitores*, ita intelligendum est, ac si dictum esset, sine consensu definitorum, ita vt suffragia vincant, quæcunque illa fuerint. Quia verò in eadem Bulla declaratoria cõcessum est vt absque Prouinciali Capitulo, superior Prouincialis cum duobus aut tribus localibus antiquioribus patribus alicuius monasterii similiter ad hoc electis à Capitulo Prouinciali mendicantium, vel Generali monachorum, vt in ipsa Bulla latiùs continetur, potestatem habeat ad recipiendum, id eo quod dictum est de definitorio, dicendum est de hoc concilio ex Prouinciali, & aliis religiosis designatis coacto: nam in illo toto est potestas modo explicato.

*Non requiritur ad receptionem consensus omnium definitorũ, vel electorum: sed satis est si plures consentiant cum Prouinciali.*

20. *Receptio ad habitum regularem non iterata.*

Vltimò addit Pontifex. *Si qui eorum contra præsentem nostram constitutionem temerè admittentur, tam susceptionem habitus, quàm professionem exinde secutam ex nunc, prout ex tunc, pariter irritamus, & annullamus.* Circa quæ verba dubitarum olim fuit de illo participio *eorum*, nam immediatè ante hæc verba præcesserant illa, *Omnes & quoscunque, vt dictum est, criminosos*, &c. *ad religionem perpetuò inhabiles declaramus*. Vnde participium illud *eorum*, videtur has tantùm personas referre. Atque ita tunc solùm receptionem esse nullam, quando persona inhabilis est propter defectum aliquem exibi numeratis, non verò si defectus sit tantùm in modo recipiendi, quando persona aliàs est habilis. Sed nihilominus ex alia Bulla declaratoria eiusdem Põtificis, vers. *quod autem*, manifestè sumitur omnem receptionem ad habitum regularem factam non seruata illa forma, nullum esse. Quapropter illud relatiuum *eorum*, non refertur ad solos criminosos & inhabiles, de quibus proximè sermo præcesserat, sed ad omnes qui in religionem admittuntur post decimumsextum ætatis annum, vt in altero rescripto declaratur, & attentè considerando non tam series, quàm materia verborum ex ipsa colligi poterat, nam si de solis personis inhabilibus esset sermo, nihil noui sequens clausula operaretur: nam cùm iam dictum esset illas personas esse inhabiles, inde iam constabat receptionem earum esse nullam; ergo refertur ad omnes, ita vt illa nullitas non tantùm ex inhabilitate personæ, sed etiam ex defectu prædicti modi nõ seruati nulla fiet. Atq; in hoc sensu recepta est & obseruata illa constitutio. *ita hac fer. ma est nul. la, & simi. liter profes. sio.*

21. Deinde ponderanda est in illis verbis illa particula *temerè*, nam ex ea sequi videbatur, si bona fide & ex ignorantia saltem probabili, receptio facta fuerit, nõ seruata forma illius constitutionis receptionem non esse inualidam, ex vi illorum verborum, quia non temerè facta est, iuxta communem doctrinam, quæ in materia de legibus & de Censuris dari solet circa explicandas huiusmodi particulas, quando in his legibus pœnalibus, vel irritatoribus, apponuntur.

22. *Prædicta receptionẽ seruata forma præscripta, est inualida, vel fiat ignoranter & bona fide, vel scienter.*

Nihilominus contrarius sensus videtur colligi ex Bulla declaratoria in versiculo proximè citato, quatenus declarat eos, qui post promulgationem illius constitutionis professionem emiserunt, etiam ignoranter non seruata forma receptionis, non esse religiosos, sed professionem nullius esse roboris & momenti. Distinguere autem oportet hoc loco inter professionem & admissionem ad habitum: nã vtraque annullatur in illo casu per constitutionem, diuerso tamen modo, quantum ex declaratione colligitur. Nam si receptio facta sit nõ seruata illa forma, & professio fiat antequam ille defectus suppleatur, professio est nulla, quantumuis bona fide facta sit; vnde quoad professionem nihil operatur particula illa *temerè*, sic declarante Pontifice, siue illa fuerit declaratio, siue additio. At verò receptio absque tali forma facta bona fide, & ex ignorantia, licet sit aliquo modo inualida, scilicet, quandiu non suppletur ille defectus, tamen non est ita inualida, quin cognito defectu & supplendo, seu facta inquisitione, quæ fuit prætermissa, incipiet prior receptio esse valida, id est, sufficiens, vt in ea possit professio fundari; seu, quod idem est, vt ab illa possit annus nouitiatus computari: hoc enim planè voluit Sixtus in declaratione in illis verbis. *non aliàs admittendos esse ad professionem, quàm facta inquisitione, & seruata forma in ipsa constitutione præscripta*; ergo facta inquisitione tantum poterunt ad professionem admitti, non expectata noua receptione, aut nouitiatu. Vnde quoad hoc multùm operatur particula *temerè*, & potest differentia inter professionem & receptionem assignari; nam professio est quodammodò immutabilis, & ideo si semel fuisset valida, nulla esset iam necessaria diligentia: si autem inualida fuit, non potest incipere valere, nisi de nouo fiat; receptio autem non est ita immutabilis, & non tam in se, quàm

in or-

in ordine ad professionem valida est, vel inualida, vt supra declarauimus: & ideo potest non simpliciter, sed secundum quid inualida fieri, ita scilicet vt defectus suppleri possit. Quod merito concessum est, saltem in casu ignorantiæ, & bonæ fidei. Videtur autem hinc consequenter sequi, si receptio contra formam præscriptam, temerè facta sit, esse simpliciter & omnino nullam, ita vt licet postea inquisitio fiat, prima receptio nihil valeat ad nouitiatum computandum, vel professionem faciendam; sed oporteat rem totam iterum inchoare: quod licet durum videatur, ita planè scriptum videtur: nam de his qui temerè admittuntur, dicitur, *tam susceptionem habitus, quam professionem & inde sequuta irritamus, annullamus, vir bueque & effectu carere decernimus.* Hæc enim verba absolutam & omnimodam irritationem indicant; quæ profecto non esset, si receptio illa supplendo postea diligentiam omissam ad professionem posset sufficere; nec de illa dici posset viribus & effectu omnino caruisse. Atque hæc de Constitutione illa; pro qua tamē notandum, postea per aliam Clementis VIII. fuisse moderatam quoad hoc vt valeat professio, etiamsi prædictæ informationes nouitiorum omitterentur, vt iam supra animaduertimus.

### *Num aliqua alia forma, & modus iure communi positus, vel naturali, in religiosis ad habitum recipiendis sit præceptus.*

25. Nunc solum superest breuiter explicandum, num aliquo alio iure quidpiam aliquid necessarium sit, quod ad hunc modum pertineat. Quod primum tractari potest, stando in solo iure naturali: in quo nihil noui quod dicam habeo, sed solum seruandam esse prudentiæ rationem, vt is nimirum recipiatur, qui & ad religionem idoneus, & à Deo vocatus, & tali instituto habilis iudicetur: nam ad hoc tenetur prælatus religionis, & ex officio respectu ipsius religionis, & ex charitate respectu ipsius recipiendi. Vnde fit etiam vt præcedere debeat examinatio ac probatio sufficiens ad illud iudicium prudenter ferendum. Quæ autem & quanta esse debeat illa probatio, prudenti arbitrio relinquitur; neque plura ex vi solius iuris naturæ dici possunt.

Rursus vero interrogari potest, an ex antiquo iure communi aliquid aliud peculiare necessarium sit. Ad quod breuiter respondeo nihil videri necessarium, quod nunc sit in vsu. Olim enim Concilio Nisseno can. 14. statutum fuerat, vt nemo possit in religionem recipi *sine licentia Episcopi*, qui in illo monasterio potestatem habet. Quæ verba indicant id factum fuisse, quia tunc potestas erat apud Episcopum, vel ab illo pendebat tanquam à superiori prælato: quod nunc poterit obseruari in religionibus monialium, vel si quæ sunt aliæ, quæ immediate subiiciuntur potestati Episcopi; in aliis vero constat hoc non esse necessarium saltem illo titulo. Verumtamen si consideretur ratio, quæ in illo canone subiicitur, videtur etiam illud pertinuisse ad modum recipiendi, scilicet, vt Episcopo constaret eum qui vult ingredi religionem non teneri alia maiori obligatione, quæ illum impediret. Sed quoad hoc etiam canon ille, & vsu, & nouis institutionibus, ac exemptionibus religionibus derogatus est, & cura illa prælatis religionum est commissa.

26. Deinde olim necessaria erat diuturna probatio priusquam ad religiosum habitum admitteretur. Nam in cap. vltimo 17. quæst. 2. Bonifacius Papa sic statuit: *Si quis incognitus monasterium ingredi voluerit, antequam annum monachi habitum ei non præstetur.* Verum est gloss. iam ibi intelligere textum illum de habitu professorum, & triennium illud esse debuisse in habitu nouitiorum ad probationem, quæ in illis personis diuturnior postulabatur, eo quod essent incognitæ, quæ est probabilis expositio; tamen in cap. vnico 53. dist. ex Gregor. lib. 7. epist. 11. de militibus, qui in monasterium conuerti volunt, sic dicitur. *Iuxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum Deo authore suscipere.* Et dist. 54. cap. *multos*, ex eodem Gregorio dicitur, *Quisquis ex iuris Ecclesiastici seruitute, vel sæcularis militiæ ad Dei seruitium conuerti desiderat, prius probetur in laico habitu constitutus.* Et in cap. *Monasteriis.* 19. quæst. 3. ex eodem Gregorio dicitur. *Monasteriis omnibus fraternitas vestra districtius interdicat, vt eos quos ad conuersionem susceperint, priusquam in conuersatione compleant, nullo modo audeant tonsurare.* Quod verbum de prima receptione ad habitum potius quam de secunda ad professionem dici solet. Circa quæ loca glossa existimat, quatenus postulāt probationem in proprio habitu reuocata esse per alia iura, quæ nouitiorum habitum admittunt, cap. *statuimus*, de regular. Sed iura illa antiqua non videntur loqui de probatione nouitiatus, quæ tam ad experimentum à religione de futuro religioso, quam de religione ab ipso religioso ordinata; sed de priori probatione, quæ torum nouitiatum, & omnino religiosum habitum debebat præcedere, & ordinabatur solum ad cognoscendum an esset aliquod impedimentum, propter quod religiosus habitus omnino dandus non esset. Dicendum ergo in primis est, illa iura non statuisse probationem illam pro omnibus religionem ingredi volentibus, sed pro quibusdam particularibus personis, scilicet, vel pro incognitis, vel pro militibus, vel pro Ecclesiastico seruitio deputatis, vt in prædictis iuribus expressum est. Pro aliis ergo omnibus nec quoad modum, nec quoad tempus aliquid circa talem probationem definitum erat, sed semper fuit arbitrarium, sicut nunc est. Deinde dicendum est etiam in prædictis personis illam temporis limitationem vsu, & contraria consuetudine fuisse sublatam. ita sentiunt glossa, & Doctores & ex facto ipso constat: totum ergo hoc negotium nunc arbitrarium est, excepto iure Sixti V. supra exposito.

*& Ecclesiastico seruitio deputatis.*

Hic vero occurrebat quæstio, quam D. Thom. tractat 2. 2. quæst. 189. art. 1. & latissime opusc. 17. à cap. 2. vsque ad 7. an peccatores debeant ad religionem admitti, priusquam fuerint diu in præceptorum obseruatione exercitati. Tempore enim D. Thomæ quidam contendebant hoc esse necessarium, & reprehendebant religiosos, quia hunc ordinem inuertebant, quia non est transeundum ab extremo ad extremum, nisi per medium, & natura docet ab imperfecto ad perfectum esse progrediendum; & ideo immediate velle transire à consuetudine peccandi ad statū perfectionis temerarium, & ab omni ratione alienum eis videbatur. Sed hunc errorem merito D. Thom. impugnat: nulla enim certa regula in hoc assignari potest, sed prudentiæ tam ingressuri, quam recipientium hoc relinquendum est. Primo quidem, quia diuina gratia non est his legibus astricta; facile enim est in oculis Dei subito honestare pauperem, Ecclesiast. 11. nescitque tarda molimina Spiritus sancti gratia, vt Ambr. dixit. Secundo, quia status religionis, status quidem perfectionis est, non tantum ad propria opera perfectorum, sed etiam ad opera pœnitentium, & purgationis, quæ in eo statu, & plura, & grauiora, & meliori modo fiunt: ergo ex hac parte optime possunt in hunc statum recipi etiam grauissimi peccatores, si magno feruore, & desiderio satisfaciendi Deo refurgant. Tertio, quia religio non tantum est status consiliorum, sed etiam præceptorum, imo ipsa consilia sumuntur

26. *Dubitatio à D. Thomæ tacta.*

*Resolutio affirmatiuè*

*Primò.*

*Secundò.*

*Tertiò.*

muntur vt media ad seruanda ipsa præcepta, & cauenda peccata: ergo ex hoc etiam capite merito admittentur pœnitentes, vt à similibus peccatis securiùs caueant. Vnde nihil obstat, quod aiunt ad assumendum onus præceptorum, ne si vtrunque simul assumitur virtus deficiat, eo quod nulla supponitur. Hoc, inquam, nihil obstat, quia ipsa consilia, & præcepta simul sumpta ita sese mutuo iuuant, vt facilius ita impleantur præcepta, quam si nullum illorum onus assumitur; & si fortasse aliqui lapsus miscentur, & rariores sunt, & minus graues. His nihilominus addimus, quando inueterata est consuetudo peccandi, cautionem maximam adhibendam esse, ne facile quis subito admittatur propter præsentem feruorem, qui facile soler remitti, & postea necesse est, aut admissum turpiter eiicere, aut non sine aliorum religiosorum scandalo, eiusque periculo illum retinere. *Limitatio.*

27. *Aduertendum speciale.* Vltimo videndum supererat, an ex iure speciali religionis aliquid aliud circa hanc formam, & modum recipiendi obseruandum sit. Sed hoc semper vnicuique religioni remittimus, & monemus, vt vnaquæque obseruet circunstantias per suas constitutiones, & institutum sibi circa hoc peculiariter præscriptas. Quæ quidem ita erunt necessariæ, vel vt receptio sit valida, vel vt recte fiat, vel solum per modum directionis, vt melius fiat, sicut in ipsismet statutis fuerit præscriptum, quod ex eorum verbis, & aliis circunstantiis iuxta principia sæpius tacta colligendum erit.

28. *Resolutio dubii cuiusdam; an potestatem habens teneatur recipere petentem ingredi religionem suppositis omnibus requisitis.* Potest vero per occasionem interrogare aliquis, an concurrentibus omnibus necessariis, tam ex parte recipiendi, quam ex parte religionis, vt conueniens, & vtiliter possit fieri receptio, teneatur qui potestatem habet postulantem admittere. Ad quod breuiter respondeo, si nulla interueniat rationabilis causa excusans, teneri ex officio, & ex charitate. Primum respectu religionis, quæ inde augetur, & ex parte consequitur finem suum. Secundo respectu proximi, qui sine causa magno beneficio, quod alter non ex bonis propriis, sed ex bonis communibus Christi, & Ecclesiæ tanquam fidelis dispensator præstare tenetur. Cum hoc consonat sententia Basilii in regul. fus. disput. reg. 10. *Cum Christus prædicet, ac dicat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, non fit sine periculo, si qui ad Dominum per nos accedere in animo habent, à nobis reiiciantur.* Dixi autem, *nisi causa legitima excuset*, quia hæc obligatio non est de re adeo necessaria, quin multis de causis cessare possit, vt si pro tunc religio non habeat sufficientem commoditatem temporalem, vel non sine graui onere possit nouum religiosum alere. Item si multi alias æquales petant religionem, & non possint omnes simul recipi propter dictam causam, liberum erit (existente qualitate) hos reiicere potius, quam illos. Denique quoties res fuerit dubia, vel vtrinque probabilis, an expediat talem personam recipere, nec ne, liberum etiam est illam non admittere; imo eo facilius tunc licet, quo in maiorem religiosis fauorem, & securitatem cedit. Quocirca si quis bona fide absque odio, vel alio prauo affectu procedat, & mediocrem diligentiam adhibeat, secure potest suffragium suum concedere, vel negare.

## Caput XI.

### *Quos effectus habeat religiosus ingressus.*

1. EXpediuimus omnia; quæ de substantia, & causis huius ingressus nobis occurrerunt, superest nunc videamus, an hic ingressus aliquos habeat morales effectus. Et primo quidem ac præcipue inter hos effectus constitui potest, quod ab hoc ingressu computandum est tempus probationis nouitii ad professionem requisitum, & consequenter quod in tali ingressu legitime facto fundanda est valida professio. Hæc insinuata sunt in omnibus, quæ hactenus diximus, magisque constabunt ex his, quæ sequentibus capitibus dicemus; & ideo de hoc effectu plura hic dicere non est necesse, magis enim pertinet ad effectum formalem eiusdem ingressus explicatum per respectum ad nouitiatum, & professionem, quam vt aliquid nouum vltra illum addat. *Primus effectus.*

Secundo numerari, vel potius dubitari potest, an hic ingressus habeat effectum alicuius obligationis moralis. Ad quod breuiter respondeo, duplicem posse hic excogitari obligationem, vnam absolutam ad perseuerandum in statu inchoato, & profitendo in illo; aliam ex suppositione, scilicet, quandiu in nouitiatu vult perseuerare nouitius. De hac posteriori dicam inferius; de priori autem certum est non inducere talem obligationem ex cap. *statuimus*, de regular. ibi, *ad pristinum statum redire posse libere infra annum.* Nam si liberè redire potest: ergo nulla obligatio permanendi ex vi ingressus inducta est. Atque ita notant ibi Innocent. Panormit. & alii. Angel. verb. *Nouitius.* num. 9. Sylvest. verbo *religio.* 5. quæst. 8. qui etiam aduertunt posse exire sine licentia, nec propterea incurrere aliquam inhabilitatem, vel incapacitatem ad Ecclesiastica beneficia, iuxta cap. *postulasti*, de regular. Ratio vero est, quia nulla est lex, quæ talem obligationem inducat, neque etiam ibi intercedit aliquod votum, vel promissio, vt supponimus, quia hoc per se non spectat ad talem ingressum. 2. *Secundus effectus. Notatio.* *Assertio, ingressus religionis non obligat ad perseuerandum, & professionem.*

Dices, esto non oriatur absoluta obligatio, oriri saltem obligationem non relinquendi religionem, nisi ex iusta causa. Primo quidem respectu Dei, quia oppositum esset resistere inspirationi eius, & magnam ingratitudinem committere. Secundo respectu religionis, tum quia ab illa non potest dimitti, nisi ex iusta causa: ergo vt sit vtrinque æqualitas, neque ipse potest illam dimittere sine rationabili causa. Eo vel maxime, quod eo tempore eius expensis nutritus est: ergo debet illi satisfacere permanendo si nullam iustam causam abeundi habeat. Tertio etiam respectu Ecclesiæ videntur multa iura hanc obligationem exigere non redeundi ad sæculum, sed permanendi vel in illa, vel saltem in alia religione; cap. *super eo*, de regular. quod expresse loquitur de suscipiente habitum religionis, & ante professionem volente eum dimittere. 3. *Argumenta pro parte contraria, saltem quando non datur iusta causa.*

Propter primam rationem Sylvest. dicta q. 8. in fine concedit in eo casu esse peccatum ingratitudinis, si quis sine iusta causa, *Ex solo tædio sanctæ vitæ, vel huiusmodi*, egrediatur. Non explicat autem an sit peccatum mortale, vel veniale, neque an sit formalis ingratitudo, vel materialis; nam formalis profecto non est per se loquendo, quia licet vocatio ad religionem fuerit beneficium diuinum, non tamen propterea obligat ad hunc modum gratitudinis perseuerantiam in illa: quo enim iure vel ratione probari potest hæc obligatio? Poterit enim quis se ostendere gratum, proponendo vel seruire Deo in sæculo, vel imitari religiosorum mores, seu aliquem spiritualem fructum capere ex illo ingressu, quamuis propter animi infirmitatem nolit in eo perseuerare. Si autem illa non est formalis ingratitudo, nec materialis esse potest, quia hæc non est respectu Dei, nisi adiuncta alicui culpæ, quæ supponatur; hic autem nulla supponitur, sed hæc dicitur esse prima. Adde eodem modo posse dici ingratum, si vocatus à Deo ad religionem, nolit ingredi sine alia causa rationabili, sed solum ex animi infirmitate. Vnde licet admitteremus hunc modum culpæ, non esset proprie ex speciali obligatione orta ex ingressu, sed 4. *Opinio sylvestri fauens impugnatur.* *Ad primum argumentum.*

sed ex generali ratione beneficii diuini, & debito, q ex illo nascitur. Ego vero existimo in huiusmodi rebus interuenire ingratitudinem Dei negatiuam, potius quam priuatiuam per se loquendo; negatiuam vero, quia homo non correspondet beneficio diuino quantum posset, & deberet, vt meliori modo se gereret. Dico autem non esse priuatiuam, quia in rigore non priuat honestate, neque est culpa per se loquendo. Neque etiam aliud genus culpæ hic necessario interueniat, dummodo seruetur generalis ratio operandi propter honestum finem, vt supra notauimus, illa autem seruari potest, etiamsi non sufficiat ad iustam causam dimittendi religiosum statum.

Ad secundum iam supra dictum est, nullum pactum de perseuerando interuenire inter religiosum, & religionem ex vi solius primi ingressus, & ideo ex ratione iustitiæ nec ingredientem obligari ad permanendum, nec religionem ad illum retinendum. Ex alio vero capite oriri, vt non possit, religio licitè illum dimittere sine iusta causa, scilicet, quia in hoc casu non se gerit vt domina, sed vt dispensatrix; ipsa vero particularis persona, quia est sui domina, potest liberè de se disponere; sicut paulo antea dicebamus teneri prælatum religionis ad recipiendum eum, qui ingredi desiderat, quando est dignus, & nulla occurrit iusta ratio non admittendi illum, quanuis ipse ingredi non teneatur. In his enim obligationibus quæ non sunt iustitiæ commutatiuæ, sed distributiuæ, vel charitatis, non oportet obligationem esse mutuam. Addit præterea Sylvest. supra, etiam ratione expensarum non teneri aliquem non solum ad permanendum, verum etiam nec ad aliquam satisfactionem faciendam, quod probat ex cap. *non solum*, de regular. in 6. quatenus ibi dicitur, *Nec infra annum aliquatenus impediri*, &c. Nam si monasterium possit recuperare expensas à nouitio, multum posset eius ingressum impedire, quæ probatio satis remota est. Nam si expensæ illæ essent ex iustitia debitæ, illas postulare non esset morale impedimentum. Vera ergo ratio est, quia nulla est talis obligatio iustitiæ, vel quia reditus, aut eleemosynæ monasterii non tantum sunt ad alendum professos, sed etiam nouitios; vel quia is qui ingreditur, statim se offert seruitio, & vtilitati religionis, & ideo debitum est, vt eius bonis alatur. Et vtrunque satis confirmat vsus, & omnium religionum institutio, quæ optima fuit, vt probatio nouitii liberior esset. Addo nihilominus, si is qui ingreditur religionem in sustentationem suam pro tempore nouitiatus aliquid religioni donet, non teneri postea religionem illi egredienti restituere, nisi eam partem, quam non consumpsit pro rata temporis. Nam quod hoc recipere religioni liceat, constat ex Trident. sess. 25. cap. 16. de regular. ibi, *Excepto victu, & vestitu nouitii, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione est.* Ergo non tenetur religio reddere quod eo tempore consumptum est. Sed quid si à principio nihil donauit ingrediens, obligauit autem se ad soluendam certam summam pro sumptibus nouitiatus. Respondeo obligationem per se loquendo esse iustam, & validam: nam si donatio est iusta, cur non obligatio? Poterit ergo tunc religio exigere obligationis implementum, non tamen poterit eo titulo impedire liberum nouitii egressum, sed illo sine impedimento concesso, iuxta dictum cap. *non solum*, postea potest suum debitum postulare; quod si forte timeat impotentiam, vel difficultatem recuperandi, sibi imputet, quod vel à principio non postulauit, vel quod non maiorem cautionem adhibuit; neque enim propterea potest in religione, tanquam carcere, vel morali coactione ad debitum recuperandum detineri.

In tertia ratione petitur, quid intelligant iura per propositum mutandi vitam, quando dicunt eum, qui cum tali proposito habitum religionis suscepit, non posse postea licite illum dimittere; quia certum est iura non intelligere professionem tacitam, vel expressam: nam expresse distinguunt iura illud propositum ab vtraque professione, vt patet ex cap. *consulti*, & ex cap. *statuimus*, de regular. & cap. *non solum*, eodem titulo in 6. Certum autem est solum propositum non inducere obligationem, etiamsi multi Canonistæ oppositum ex illis textibus collegerint; contra quos disputauimus supra lib. 1. de voto in communi cap 3. vbi tandem concluximus, necessarium esse, vt votum simplex intercedat, votum, inquam, non solum ingrediendi, sed simpliciter permanendi in religione, omnino cedendo iuri suo quoad tempus probationis. De quo voto quantum, & quo modo obligaret tunc, vel obligare nunc possit, satis in superioribus dictum est. Diximus de ptiori obligatione. 6. *Ad 3. argumentum.*

Dicendum superest de posteriori, de qua hoc loco solum occurrit inquirendum, vtrum ex suppositione, quod quis religionem ingressus illius habitum assumit, & in nouitiatu se exercet, aliqua morali obligatione teneatur, quandiu ibi perseueret. Hæc tamen quæstio quatenus ex parte coincidit cum illa, an ad obseruantiam regularem teneatur nouitius, inferius est latè discutienda; solum ergo hic breuiter est inquirendum, an ingressus religionis, & habitus illius susceptio ante professionem impediat matrimonium, licet non dirimat. Et ratio pro negatiua parte esse potest, quia talis habitus, & ingressus ex eo impediret matrimonium, quia pro tunc illud redderet illicitum, & peccaminosum; sed non apparet, vnde reddatur illicitum; ergo. Minor, in qua est difficultas probatur, quia nouitius contrahendo non agit contra votum, neque contra aliquod præceptum, alioquin vero ille potest liberè religionem dimittere, iuxta cap. *statuimus*, de regularibus; sed matrimonium contrahere in hoc casu est in actu exercito religionem dimittere; ergo. Præterea Doctores in materia de matrimonio non numerant habitus susceptionem inter impedimenta: ergo. 7. *Agitur de altera obligatione posita num. 2.* *Dubitatio. An ingressus & habitus religionis impediant matrimonium.* *Pars negatiua suadetur primo.* *Confirmatur.*

Nihilominus dicendum est, nouitium quandiu religionis habitum retinet, non posse licitè contrahere, quanuis si de facto contrahat, valide contrahat. Ita tenet glossa in cap. *beneficium verbo, conferendum*, de regularibus in 6. Et est textus expressus in cap. *consuluit*, de regular. Ex quo intelligi potest, quanuis hoc impedimentum expresse non numeretur, ad votum simplex castitatis reduci, sicenim ait Pontifex, *sicut votum simplex matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit iam contractum, ita habitus sine professione susceptus ne contrahatur, impedit, sed contractum nequaquam dissoluit*; meritoque hoc præcepit Ecclesia in reuerentiam habitus religiosi, & ad vitandas fraudes, & scandala; quia vero tale matrimonium validum est, si quis illud contrahat, tenebitur, ad dimittendam statim religionem, cum primum commodè possit, quia iam faceret illi iniuriam fictè in ea manendo, cum sit iam matrimonio ligatus, & non possit in ea profiteri, ac proinde tenetur restituere quidquid postea consumeret, quod maxime procedit, si matrimonium consummarum fuit, quia tunc persona est omnino inhabilis ad professionem. At vero si matrimonium tantum esset ratum, & nihilominus nouitius vellet perseuerare cum animo profitendi, vel saltem expectandum, si forte à Deo moueatur, vt tandem professionem faciat, non peccabit perseuerando; sed potius rectè faciet: nam vtitur nouitiatu ad aliquem finem, propter quem institutum est. 8. *Resolutio vera est pro parte affirmatiua.* *Notatio prima.* *Notatio secunda.*

Tertius

9. *Tertius effectus.* Tertius effectus ingressus in religionem esse potest, libertatio ab omni priori voto, vel promissione. De quo effectu agentes de professionis effectibus inferius dicemus. Solum nunc asserimus talia vota non proprie auferri, sed suspendi, quando ex se diuturniora sunt. Vnde post tempus illud obligare possunt, si religionis habitus dimittatur. Asserimus item etiam hanc suspensionem non fieri ipso facto, sed per modum commutationis, vel à prælato, aut confessore facta, vel etiam propria voluntate, quia est commutatio in bonum euidenter melius. Quoad alias vero promissiones humanas, si impleri possint commodè, vel ante, vel post ingressum religionis, certum est non auferri, sed esse implendas; quia diuinus cultus non tollit quin iustitia, & fidelitas ad homines seruanda sit. Si vero non possit impleri promissio, seruanda est doctrina supra tradita, de eo qui habet debita, vbi obiter exposuimus.

10. *Quantus effectus. An dissoluat sponsalia. Negant aliqui. Affirmant alii. Negatio. Assertio prima quod manentem in seculo.* Specialiter tandem dubitari solet, an hic ingressus dissoluat sponsalia, ita vt hic sit veluti quartus effectus eius. Quidam doctores negant, Durand. in 4. dist. 27 quæst. 3. art. 3. Palud. in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. concl. 5. Couarr. 1. p. 4 cap. 1. num. 11. Veracruz in speculo 1. p. art. 21. Armil. verbo *sponsalia*, num. 12. Turrecrem. cap. *vbi non est*, 30. quæst. 2. art. 4. num. 5. & Petrus Ledesma de matrim. quæst. 43. idem probabile censet. At contrarium tenet Sylueſt. verbo *sponsalia* quæst. 10. Sot. in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 5. Nauarr. cap. 22. num. 26. indicat supplem. Gabr. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 14. num. 3. & Sanch. plures allegans lib. 1. de matrim. disp. 42. num. 2. Sed in sponsalibus distinguenda est duplex obligatio: altera illius qui manet in seculo; altera illius, qui religionem ingreditur. Prior videtur ipso iure auferri per alterius ingressum saltem quoad hoc, vt non teneatur spectare, sed possit statim cum altero contrahere, si velit. Ratio est, quia ipsa non se obligauit cum tanto onere, sufficitque illa mutatio rerum, vt obligatio cesset. Item quia is qui ingreditur, eo ipso satis significat se mutare voluntatem, & remittere alteri obligationem. An vero in aliquo casu talis persona adhuc teneatur, statim dicam. In altero vero, qui ingreditur; non cessat ipso iure hæc obligatio donec profiteatur; nam si postea non perseueret in religione, & altera pars expectet, & velit in eo casu sponsalia impleri, altera etiam tenebitur. Ratio est, quia altera pars nunquam cessit iure suo. Dices, eo ipso, quod ex vna parte cessat obligatio, cessat ex alia, quia est mutua, & reciproca. Respondeo falsum esse assumptum, quia vna obligatio non pendet ab alia, neque est necessario coniuncta cum alia; quia ergo obligatio promissionis tollitur per remissionem alterius partis, & fieri potest vt ab vno remittatur, & non ab alio, ideo potest etiam obligatio in vno cessare, & non cessare in alio, & ita contingit in præsenti. Vrgebis, per professionem simpliciter, & omnino soluitur matrimonium ratum; ergo per ingressum religionis, qui est via ad professionem, soluentur sponsalia de futuro. Respondetur negando consequentiam, nam est multiplex differentia. Primo quoad ius Ecclesiasticum, quod in professione illud statuit, de ingressu autem nihil. Secundo etiam quoad fundamentum iuris naturæ, tum quia matrimonium ratum non est solubile ex vna parte, & non ex alia; sponsalia autem de futuro possunt dissolui ex vna parte tantum, sicut à principio potuisset esse simplex promissio tantum ex vna parte. Item etiam quia professio statim inducit firmam, & immutabilem obligationem repugnantem matrimonio; ingressus autem religionis nullam inducit, sed pendet semper ex futuro euentu professionis, vel egressus.

*Assertio secunda quoad ingredientem.* *Instantia diluitur.* *Secunda instantia soluitur. Primò Secundò.* *Tertiò.*

11. *Dubium in hac materia.* Circa hoc tamen quæri potest, an si eo tempore, quo deserit habitum religionis, qui illum assumpsit, alterum adhuc solutum inueniat, & aptum ad matrimonium secum contrahendum, redeant sponsalia ad pristinum statum, ita vt vtrinque sit obligatio. Videtur enim id consequi: nam licet alter per ingressum videatur remisisse debitum, alter tamen non acceptauit, cum illa remissione vsus non fuerit; ergo quando alius egrediendo reuocat priorem remissionem, manet in alio integra obligatio, sicut à principio erat, quia iam tunc par videtur vtriusque conditio, cum vterque sit aptus ad matrimonium sine illa mora, & prior promissio vtrinque rata permaneat, cum remissio, quæ ab altero videbatur facta, effectum non habuerit. Respondeo satis probabile hoc esse, maxime si is, qui in sæculo mansit, etiam animo, & proposito nunquam remissionem acceptauit, sed expectauit successum alterius, vt de se disponat. Verum fieri potest, vt quamuis talis persona matrimonium cum alia statim non contrahat (quia non semper occurrit commoditas vt breui tempore hoc fiat,) nihilominus statim se agnoscat liberam obligatione sponsalium, & proponat non amplius cum illo, sed cum alio contrahere; & tunc existimo reuera manere liberam in conscientia; etiamsi alius postea egrediatur; quia id potuit in conscientia facere acceptando remissionem ab alio tacite factam, quæ proinde habuit effectum, ac propterea extincta obligatio non reuiuiscit. Si autem illa persona nunquam habuit tale propositum, sed potius voluit expectare alium vt cum eo perficeret sponsalia, si posset; probabile est ita perfici propter rationem factam. Nihilominus non censeo tantam obligationem esse imponendam personæ manenti in sæculo, idque propter mutationem ex altera parte factam, quæ sufficit excusare ab obligatione promissionis, etiamsi sine remissione alterius acceptata. Est autem illa magna mutatio, assumpsisse habitum religionis, & retrocessisse; inde enim secundum moralem æstimationem quædam nota, & quasi infamia contrahitur, quæ sufficiens esse solet ad auertendam alterius voluntatem, & consequenter ad excusandum à promissione facta. Et quia hæc mutatio facta est in vno extremo, & non in alio, ideo etiam obligatio potest in vno cessare, licet non cesset in alio. Atqui hæc vera sunt in foro conscientiæ; in foro autem Ecclesiæ putant aliqui petendam esse facultatem à pastoribus Ecclesiæ, maxime si sponsalia sint publica, & is, qui in sæculo mansit, velit contrahere ante quam alius profiteatur, vel etiam ipso inuito postquam iam ingressus est. Veruntamen licet hoc consultius videatur ad tollendam occasionem scandali, vel rixæ; non video tamen cur sit per se necessarium, cum nulla lege cautum sit.

*Pars affirmatiua suadetur.* *Est probabiliter tenendum.* *Resolutio vera est, absolutè dissolui sponsalia ex parte manentis in sæculo.*

12. *Quintus effectus.* Quintus effectus huius ingressus est, gaudere priuilegio clericali quantum ad immunitatem, vt in canonem incidere censeatur, qui talem personam percusserit, iuxta cap. *religioso*, de sentent. excommun. in 6. de qua extensione videnda sunt dicta in 5. tomo; specialiter autem aduertit Angelus verbo *Nouitius* num. 21. hunc effectum non solum oriri ex proprio ingressu, à quo incipit nouitiatus, sed etiam de illo, quo impubes ante legitimam ætatem ad educationem religiosam recipitur sub habitu religioso, eo fine, vt debito tempore probetur, & profiteatur, quod quidem ipse nec ratione, nec textu probat, neque in dicto cap. *religioso*, declaratur. Quia tamen textus ille absolute loquitur de ingredientibus religionem, & materia est fauorabilis, ideo ampliatio illa merito admitti potest. Huc autem effectui

*Hoc priuilegio Canon præbuit gaudere etiam ingredientes religionem sub habitu religioso ad educationem.*

dùl adiungi præterea potest, quod ex vi huius ingressus persona etiam gaudet priuilegio fori, quia pro tunc persona Ecclesiastica reputatur. Et ideo Sixtus V. in prædicta Bulla de illegitimis, postquam quorundam criminosorum receptionem in religione irritam fecit, declarat iudices sæculares in eos retinere potestatem, supponens non esse illam habituros, si receptio valida fuisset. Sed de hoc priuilegio videri possunt quæ diximus in defensione fidei lib. 4. de immunitate Eccles. cap. 29. Denique inter hos effectus possunt multa alia numerari, quæ ad statum nouitiorum pertinent, & melius tractabuntur inferius.

## CAPVT XII.

### *Vtrùm ante professionem necessarius sit integer probationis, seu nouitiatus annus.*

1. INtet primum religionis ingressum (de quo hucusque in hoc libro egimus) & secundum, quæ fit per professionem, mediat tempus probationis, de quo proinde consequenter dicendum est, an, & quantum necessarium sit, & qualis in eo debeat fieri probatio ad reliqua, quæ ad actiones illius temporis spectant.

2. De religione vero, seu statu religioso agere possumus, aut stando in solo diuino iure, & sic certum est, nullam determinatam probationem necessariam esse ad religiosum statum assumendum, neque duplicem ingressum; sed solum fuisse requisitam eam examinationem diuinæ vocationis, & personæ, & aliarum circumstantiarum, quæ pro negotii qualitate prudentis viri arbitrio sufficiens videretur. Qua deliberatione facta posset quis statim admitti ad statum religiosum sine alia dilatione; quia de hac re nullum est diuinum ius scriptum aut traditum, neque ex sola ratione posset aliquid certum in hac parte colligi. Vnde si consideretur hic status, vt extra congregationem aliquam, & absque determinatione ad certam regulam, olim assumi poterat, & solebat vel in aliquibus Virginibus sacris, vel in eremitis, & solitariam vitam agentibus; ad illum nullus nouitiatus proprie dictus, nullaue certa probatio esse poterat necessaria; totum enim hoc committendum erat arbitrio Episcopi, vel eius qui potestatem habebat admittendi oblationem. Propriè ergo videtur requiri hæc probatio per nouitiatum in statu religioso cœnobitico, & congregatione religiosa. De qua agens Basilius (qui primus antiquam monachorum viuendi rationem ad meliorem formam redegit, magisque religioni congruentem, vt in eius vita refertur) ille ergo in regul. fusi. disputat. regul. 10. de hac re differens ait, eos, qui recipiendi sunt, ad idoneas exercitationes duci debere, & adhibito temporis spatio, grauioribusque impositis laboribus, periculum esse faciendum de illorum natura, constantia, &c. Videtur tamen ibi sentire totam hanc probationem extra religionem fuisse faciendam, nam subdit, *Sin minus adhuc extra sunt, repudiemus, neque ex istiusmodi perditatione detrimentum vllum in fratres redundet.* Videtur ergo loqui de probatione ad primum ingressum, quanquam in fine subdat, si ex hac probatione constet, personam esse dignam, tunc debere adscribi, *ad illorum numerum, qui sepios Domino consecrarunt.* Vnde colligi potest, illo tempore non fuisse necessariam probationem intra religionem, & in habitu illius ante professionem. Inferius vero regula 15. differit laudem Basil. de pueris educandis in monasterio ante professionem, non tamen declarat in quo habitu essent educandi, nec illam educationem ponit vt necessariam viam ad professionem, sed pro illis tantum pueris, qui ante perfectum rationis vsum religioni à parentibus offerebantur. Idem autem Basil. in regul. breuior. in 95. nouitios in monasterio suo tempore fuisse supponit, & in regul. 97. non solum ait esse admittendos, qui volunt religionem experiri, sed etiam eum, qui solum vult recipi vt aliquo tempore proficiat, quod tamen modò in vsu non est. Ex his ergo constat etiam in congregatione religiosa nullum certum probationis tempus, aut modum esse ex natura rei, aut ex diuino iure definitum, quod ex sequentibus iuribus constabit amplius.

3. *Assertio secunda. Extare positiuo certum probationis tempus postea biennium ad probationem, iuxta caput si quis ignotus 17. quæst. 2. & caput Monasterii 19. quæst. 3.*

Alio ergo modo considerari hoc potest de iure positiuo, & sic certum est, requiri ante professionem definitum probationis tempus; hoc tamen ius non vnum semper fuit, & omisso priuato religionis statu, de quo nihil reperio fuisse vnquam determinatum, ac definitum in cæteris religiosis; aliqui existimant olim fuisse necessarium triennium, & postea biennium ad probationem, iuxta caput *si quis ignotus* 17. quæst. 2. & caput *Monasterii* 19. quæst. 3. Veruntamen in illis iuribus neque est vniuersalis sermo de omnibus recipiendis, nec constat, an sit sermo de probatione ad professionem, vel ad primam habitus collationem. Prima ergo determinatio huius temporis fuit ad probationem vnius anni, & prius videtur iure proprio, & priuato religionum hoc fuisse introductum, vt patet ex regula B. Benedicti cap. 58. postea vero iure communi receptum est, vnde Alexander II. in cap. *Gonsaldus* 17. quæst. 2. *Quia & Beati Benedicti regula, & præcipue patrius, & prædecessorii nostri Sancti Gregorii canonica institutio interdicit monachum ante vnius anni probationem effici, iudicamus, &c.* Quod ius confirmatum postea est in cap. *ad Apostolicam*, de regular. & cap. *non solum.* eodem titulo in 6. Et hoc etiam retinet nunc Ecclesia stando in iure communi, & specialiter renouatum est in Tridentino sess. 25. cap. 15. de regular. & cap. 16. statuit, vt probatio vltra annum non differatur, & solum excipit Societatem Iesu, de qua postea dicemus; nunc solum ius commune explicamus, quod constat esse generale.

*Determinatio ad annum probationis facta est, & quomodo.*

4. *Quid de necessitate huius anni dicendum?*

Veruntamen in necessitate huius temporis etiam fuit varietas. Nam Sanctus Benedictus statuit quidem, vt tempus illud iuxta regulam esset necessarium, non tamen declarauit quanta esset illa necessitas, nec an professio aliter facta esset inualida. Nec etiam Alexander II. aliquid in hoc distinctè declarauit. Alexander autem III. in cap. *ad nostram*, de regular. declarat, professionem ante annum probationis factam, esse nullam, nisi is qui illam emisit, intra triduum pœnitentiæ signa ostenderit, factum retractando; in cap. vero *ad Apostolicam*, eodem titulo, dicitur, si religio, & nouitius suo iuri renuntient, velintque probationis tempus breuius esse, posse id facere, quia id tempus in fauorem vtriusque partis concessum est, vnusquisque autem potest fauori suo renuntiare. Vnde in eo casu professio antea facta valida iudicatur; imo etiamsi in ipso primo ingressu prædicto modo fiat, quia qua ratione potest pars anni ex consensu mutuo prætermitti, potest etiam totus, & ita habetur in cap. *constitutionem.* de regular. in 6. Tempus ergo vnius anni non erat iure antiquo simpliciter necessarium, sed tantum sub ea conditione, nisi religio, & nouitius renuntiarent iuri suo; sub illa vero erat simpliciter necessarium, adeo vt professio antea facta esset nulla, vt ex eisdem iuribus colligitur. Quapropter si per quãcunque coactionem cogeretur nouitius antea profiteri, professio esset nulla, quia qui loquitur, non cedit iuri suo: idemque, si per ignorantiam facti vel iuris probationis integrum tempus omitteretur: in quo erant nonnullæ differentiæ inter professionem expres-

*Assertio 3. Tempus vnius anni ex iure antiquo non erat simpliciter necessarium.*

expressam, vel tacitam, quas sequenti libro melius tractabimus. Duæ vero erant præcipuæ. Vna, quod professio expressa obligabat ad hanc religionem in particulari: tacita solum in communi, dict. cap. *constitutionem*. Secunda, quod professio expressa quocunque tempore fieret, statim obligabat; tacita vero (quæ censetur fieri induendo particularem habitum professorum) non statim, sed post triduum perseuerantiæ obligabat, vt dicitur in eodem cap. *constitutionem*, & in hoc sensu declarari videtur cap. *ad nostram*, supra citatum, de cuius sensu magna erat controuersia, sed iam non necessaria. Addo vero in hoc puncto ab hac generali regula exceptas fuisse religiones mendicantium per dictum cap. *non solum*. & cap. *constitutionem*, de regular. in 6. ita vt in eis integer annus probationis fuerit simpliciter necessarius, neque locum haberet renuntiatio proprii iuris, seu fauoris.

*Limitatio quoad religiones mendicantes.*

Nunc vero hoc iam est statutum, vt ordinarium ius pro omnibus religionibus sine vlla exceptione, quantum ad hanc partem per Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. de regular. vbi generaliter dicitur, *In quacunque religione tam virorum, quam mulierum nullus ad professionem admittatur, qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit.* Et subditur, *Professio autem antea facta sit nulla, nullosque habeat effectus, &c.* Nec dubitandum est, quin per illud ius reuocata sint antiqua, quæ concedebant facultatem renuntiandi huic fauori, quanuis hæc reuocatio ibi non sit expressa, non enim fuit necessaria, nam in ipsa forma legis satis continebatur, alioqui illud ius nihil noui adduxisset, neque vllius fuisset vtilitatis. Et ita explicatum est per congregationem Cardinalium, & vsu declaratum ac receptum. Et latè id confirmat Nauarr. consil. 62. de regular. quod incipit, *an Franciscanus*, vbi ait, licet disputando possit aliud defendi, non tamen consulendo, aut iudicando; Sed reuera, si probabiliter loquendum est, nec probabiliter potest aliud defendi, quia hoc voluit Concilium addere antiquo iuri, & verba eius sunt satis expressa. Tria vero circa hoc decretum explicanda supersunt. Primum, quando incipiat hic probationis annus. Secundùm, quid necessarium sit, vt aliquis dicatur esse in probatione. Tertium, an hic annus debeat esse continuus, & omnino integer: hæc enim tria à Concilio in prædictis verbis insinuantur.

5. *Assertio 2. Annus pro probatione post Conc. Trident. est necessarius pro omnibus religionibus.*

*Ratio dubitandi diluitur.*

*Nauarri opinio reicitur.*

*Tria dubia inferius explicanda.*

## Caput XIII.

### *Quando nouitiatus incipiat, & an regularem habitum requirat.*

1. *Primum dubium circa verba Conc. Trident. habens duo puncta.*

PRimum eorum, quæ proposita sunt, videtur ab ipso Concilio declaratum in illo verbo, *post susceptum habitum*. In quo duo contineri videntur. Vnum est, ante habitum susceptum non inchoari annum probationis, seu nouitiatum. Aliud est, ab illo susceptо statim inchoari. Circa vtrunque autem difficultates occurrunt. De primo quidem, quia magis est ingredi religionem, vt aliquis sit religiosus, quam vt sit nouitius; sed ad illud prius non est necessaria susceptio habitus, sed potest aliquando fieri in proprio habitu seculari, vt expresse dicitur in cap. *constitutionem*. de regular. in 6. Et ratio est, quia habitus non facit monachum, sed professio, cap. *porrectum*, de regular. ergo maiori ratione poterit probatio, & nouitiatus fieri sine habitu religionis. Vnde in cap. vlt. 53. dist. Gregorius dicit, *Debent in suo habitu per triennium probari*. Et in cap. *multos*. d. 54. *Probetur* (inquit) *prius in laico habitu constitutus*. De secundo vero etiam est dubium, quia non satis est induere habitum religionis, vt probationis annus inchoetur, tum quia si impubes ad habitum recipiatur, non statim fit propriè nouitius, nec probationis annum inchoat, vt in superioribus ostensum est: tum etiam, quia licet fœmina, v.g. suscipiat habitum monialis, & in propria domo maneat, non poterit tempus illud in probationis anno computari statim.

*Rationes dubitandi.*

*Pro primo.*

*Pro secundo.*

Circa priorem punctum antiqua dubitatio fuit, vtrum ad proprium nouitiatum, quem ius requirit, requiratur habitus religionis. Et aliquorum opinio fuit, non esse de substantia nouitiatus, seu probationis, vt fiat in habitu regulari, sed fieri posse in habitu proprio. Ita tenet Abbas in cap. *super eo*, de regular. n. 7. quem sequitur Gregor. Lopez in lib. 3. tit. 7. p. 1. glossa vltima. Cuius fundamentum est, quia nullibi hoc præcipitur, nec ex tenore regulæ, ait Panormitanus, id percipi potest. Vnde supra aduertimus Basilium in suis regulis nunquam de hac re expressam fecisse mentionem, quod etiam obseruari potest in regula Sancti Benedicti cap. 58. vbi agens prius de anno probationis, nullam mentionem facit habitus regularis; quin potius post professionem emissam dicit, exuendum esse professum propriis vestibus, & religionis habitu induendum; & per proprias vestes manifestè intelligit sæcularem habitum, quem seruandum esse dicit, vt si religiosus inconstans fuerit, illis induatur iterum, ac emittatur; fauet etiam Gregor. citatis locis.

2. *Circa primum. Opinio illi aliquorum non esse de substantia nouitiatus, vt fiat in habitu regulari.*

*Fundamentum.*

Nihilominus communior sententia est de substantia probationis esse, vt fiat in proprio habitu illius religionis, ad quam aliquis probatur, & consequenter nouitiatum non incipere, donec quis habitum induat. ita tenet glossa in cap. *super eo*, de regular. & in cap. vlt. dist. 53. vbi etiam Turrecrem. art. 2. glossa ea in cap. *si quis incognitus*. 27. q. 2. & habetur etiam in dict. l. Hispaniæ, & tenet Syluester verbo *religio*. 5 q. 5. & Angelus verbo *nouitius* n. 16. Et videtur supponi in cap. *statuimus*, de regular. vbi Pontifex statuit, vt habitus professorum sit aliquo modo distinctus ab habitu nouitiorum, saltem in benedictione. Ratio etiam in multis religionibus esse potest; quia probatio nouitii ordinatur, vt ipse experiatur religionis austeritatem, sed magna pars huius austeritatis solet consistere in proprio habitu religionis: ergo. Quæ ratio est optima congruentia, non tamen per se est satis conueniens secluſa lege, & præsertim non probat, nouitiatum non posse incipere absque habitu, si alio modo nouitius verè admittatur ad probationem; quia non est necesse vt nouitius experiatur singulas asperitates religionis per totum annum continuum: ergo neque erit necessarium, vt per totum annum experiatur asperitatem habitus, sed sufficiet, vt aliquoties illum deferat. Aliquando etiam poterit ciliciis, vel aliis modis maiorem asperitatem experiri. Maxime ergo fundatur hæc sententia in consuetudine omnium religionum, quæ hoc obseruare videntur, estque optima legum interpres. Hanc igitur censeo seruandam esse in hoc casu; vt dixit etiam Antonius in dicto cap. *super eo*.

3. *Communior sententia asserit, esse de illius substantia, vt fiat in proprio habitu illius religionis.*

*Fundamentum sumptum ex quadam cognitate.*

*Vera ratio huius sententiæ.*

Dubitari autem hic specialiter potest, an aliquid nouum circa hoc statutum sit à Concilio Trident. per illa verba, *post susceptum habitum*; videtur enim voluisse prædictam controuersiam dirimere, & statuere, vt sine habitu non intelligatur probationis annus inchoari. In contrarium autem est, quia verbum illud solum videtur obiter dictum, in re autem adeo graui, in qua & diuersæ sunt Doctorum sententiæ, & iura videntur variè loqui, non est verisimile voluisse Concilium obiter, & quasi aliud agens rem definire, aut nouum aliquod introducere; sed expressius saltem diceret, probationis annum à susceptione habitus inchoari. Vnde valde

4. *Dubium speciale, & resolutio difficultatis propositæ.*

mihi

mihi verosimile est, per illa verba nihil aliud voluisse Concilium dicere, quam annum esse computandum ab eo die, in quo aliquis in religionem admittitur, vt nouitius. Quia vero hæc receptio ex communi consuetudine fit per collationem habitus; ideo illam significauit Concilium per illam phrasim; *post receptum habitum.* Vnde si in aliqua religione esset consuetudo recipiendi ad probationem, & vestium nouitiatum in proprio habitu sæculari, non crederem hoc esse derogatum per Concilium, vt de nostra Societate inferius dicemus. Addo insuper, quamuis religio non habeat specialem habitum pro nouitiis, sed in sæculari habitu eos probet, nunquam tamen fieri posse, quin nouitius probetur in eo habitu, quem vel regula religionis præscribit, vel eius consuetudo habet, & hoc satis est, vt verba Concilii locum habeant.

Quapropter difficultates priori loco positæ non procedunt, quia supponunt Concilium hic specialiter statuere, vt annus probationis non incipiat ante susceptum habitum religionis, quod non concedimus, sed loquutum esse ordinario modo, quia receptio ita fieri soler, & debet ratione consuetudinis, per quam multi censent derogata esse iura, quæ in contrarium ibi citantur, quanquam dici etiam posset, vt supra insinuatum est, ibi non esse sermonem de probatione ad professionem, sed de probatione quæ fieri solebat aliquando ad primam receptionem ad nouitiatum. Iuxta quam expositionem potius inde colligitur receptionem ad nouitiatum solitam fuisse fieri per mutationem habitus; quia ob hanc causam videtur specialiter cautum, vt in illa priori probatione habitus non mutetur. Quia vero argumentum ibi sumptum ex professione, procedere potest contra prædictam consuetudinem, vel obligationem ex illa prouenientem: responderi potest primo, magis esse de substantia nouitiatus induere habitum nouitiorum, quam sit de substantia professionis induere habitum professorum: nam in professione hoc est quid posterius. Vnde sine dubio est quid accidentarium, & supponit probationem iam factam. Quapropter, licet id omittatur, vel licitè, vel sine culpa, ob vrgentem necessitatem, valida erit professio; at vero respectu nouitiatus susceptio habitus videtur esse primum signum talis receptionis, & ideo magis videtur esse de substantia eius. Nihilominus non nego vbi vel ex lege, vel ex consuetudine, vel ex dispensatione fuerit aliud signum sufficiens, habitum etiam non omnino esse de substantia probationis, seu inceptionis eius.

Hinc ad secundam partem difficultatis dicitur, formaliter, ac præcisè loquendo, annum probationis incipere ab eo puncto, in quo, & ex intentione religionis, & ex consensu nouitii aliquis admittitur ad talem religionem in statu nouitiorum, & vt in ea probari incipiat. Patet, quia hic est veluti quidem contractus inter religionem, & futurum religiosum, per quem conueniunt in sumendo experimento de se inuicem in ordine ad talem finem, & tali modo, & pro tali tempore: ergo ex eo puncto, in quo talis contractus perficitur ex mutuo consensu, & tempus designatum inchoatur, incipit probationis annus; ex natura vero talis pacti consequitur necessario supponi, vt persona ipsa, quæ recipitur, sit habilis, & in ætate conuenienti ad talem probationem.

Dubium vero est, quæ nam ætas requiratur ad inchoandum probationis annum; nam aliqui postulant, in nouitio decimumquintum annum expletum, idque supponi videtur à Concilio sess. 25 de regul. c. 15. cum dicit, probationis annum post susceptum habitum inchoari; duo enim in eo capite à Concilio præcipiuntur. Primum, vt professio non fiat ante decimumsextum annum ætatis impletum. Secundum, vt præcedat integer annus probationis. Hinc ergo intelligitur, hunc annum debere esse non solum in ætate pubere, iuxta antiquos Canones, sed etiam post decimumquintum annum ætatis expletum: nam probatio debet proxime præcedere professionem, seu professio immediate subsequi, vt ex c. 16. eiusdem Concilii sumitur, & infra dicetur. Vnde etiam aliqui Doctores aduertunt, vbi professio vsque ad decimumoctauum ætatis annum danda non est, iuxta cap. *Quia in iuuenili.* de regular. vel iuxta particularia statuta alicuius religionis, annum probationis futurũ esse in decimoseptimo ætatis. ita Angelus verbo *Nouitius* n. 7. Sylvest. *Religio.* 5. q. 3. & *Religio* 2. q. 10. Cum ergo Concilium ait, *post susceptum habitum*, si absolute loquamur, videtur habere conditionem subintellectam, scilicet in ætate legitima: quæ autem sit hæc legitima ætas, Concilium non explicat, quia de hoc non agebat; obiter tamen insinuare videtur, debere esse annum immediate ante professionem, nam probatio coniuncta, & continua cum professione debet fieri.

Nihilominus annum probationis posse inchoari ante decimumquintum, & consequenter expleri ante decimumsextum, sentiunt communiter Doctores, qui post Tridentinum de hac re scripserunt. ita Nauar. lib. 3. consil. tit. de regular. consil. 30. n. 1. in prima editione, Sorbus in priuileg. mendic. verbo *Nouit us*, notabili 4. Azor rom. 1. lib. 11. institut. moral. cap. 4. q. 9 Henriquez lib. 13. Excommunic. c. 40. num. 2. Lessius lib. 2. c. 41. dubit. 7. n. 59. Sà verbo *religio* n. 3 Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 37. n. 49. Miranda in Manuali præl. tom. 1. q. 22. art. 3. prima concl. ad finem. Nam in primis posse annum probationis inchoari ante decimumquintum expletum, dummodo incipiat post annos pubertatis, seu decimumquartum, probatur, quia iure antiquo poterat annus probationis inchoari ante decimumquintum annum, Concilium autem nihil circa hoc innouauit; nec item est opus vt statim expleto anno decimosexto nouitius ad professionem admittatur, nam licet Concilium c. 16. disponat, *vt finito tempore nouitiatus, superiores, nouitios, quos habiles inuenerint, ad professionem admittant, aut è monasterio eiciant.* Id tamen intelligendum est, nisi aliquid obstet, & qui probantur habiles tunc inueniantur, vel inhabiles è contra iudicentur. Nam si vel annus decimussextus ab ipso Concilio omnino requisitus non sit completus, vel alia iusta, & rationabilis causa occurrat professionem differendi, qualis esset, verbi gratia, si nouitius morbo aliquo laboret, vel si in probatione sufficienter non satisfecerit, vel aliquid obstiterit ad rectam suorum bonorum dispositionem; quod post aliquod tempus elapsum non impediat, licite potest professio differri, & in hoc conueniunt non solum citati Doctores, sed etiam Congregatio Cardin. ad quam decretorum Concilii declaratio spectat, quæ ad illa verba Concilii c. 16. sess. 25. *Finito autem tempore nouitiatus, superiores, nouitios*, ita declarauit. *Hæc verba respiciunt tantum ad habiles, & ita ex licentia Sanctissimi Domini nostri, explicante hunc textum Illustrissimo Cardinali Clareualensi, censuit congregatio dictum tempus Nouitiatus esse arbitrarium.*

Vltimo expediendum est aliud dubium quod vltimo loco ponebatur de susceptione habitus in propria domo. Nam in primis manifestum est, Concilium loqui de susceptione habitus collati ab ipsa religione: nam si quis propria voluntate, seu authoritate induat illum, illa susceptio habitus nihil ad probationem, vel religionem confert, vt notant Sylvest. & Angel. supra argum. Clement. *Eos* de regularibus.

*Prima sententia.*

*Notatio.*

8.

*Secunda & communis sententia.*

*Finito nouitiatus anno potest differri professio, si rationabiles occurrant causæ.*

*Declarat. Congreg. Cardin.*

9.

*Resolutio vltimi dubii.*

Ratio autem, quæ ex supradictis sumitur, est manifesta, quia nouitiatus & religionem, & nouitium respicit, & ideo ex consensu vtriusque partis debet inchoari. Neque oportuit in Concilio hoc amplius explicari, quia satis per se notum erat, maxime cum dixerimus, per habitus susceptionem descripsisse Concilium primam receptionem in religione. An vero gestatio habitus nouitii debeat esse intra claustrum, quod in dicta obiectione etiam tangitur, non pertinet ad præsens, sed ad sequens punctum. Nam licet supponeremus, viuere intra claustrum esse necessarium ad debitum probationis modum, hoc nihil obstaret, quominus receptio, vel collatio habitus posset fieri extra claustrum, & si oportuerit, in priuata domo. Siue enim hoc licitè, siue illicitè fiat, non erit contra substantiam probationis, neque obstabit quominus inde incipiat nouitiatus, dummodo statim probatio in loco debito, & modo, ac tempore necessario subsequatur.

## CAPVT XIV.

### *Quænam sint de substantia, seu necessitate probationis, vel nouitiatus.*

1. *Secundum dubium circa verba Conc. Notatio.*

SEcundo loco exigit Concilium, vt professionem emissurus per annum, *in probatione steterit*. Et hanc conditionem vt necessariam ad valorem professionis ponit. Explicandum ergo necessario est, quid sit, in probatione stare. Vt autem intelligatur ratio dubitandi, supponamus in religione qualibet esse definitum modum, seu ritum probandi nouitos sub certo habitu in tali loco, & habitatione separata, sub proprio magistro, & sub tali disciplina, & exercitio talium actionum. Inquirimus ergo an sit de substantia probationis, & vt impleatur verbum illud à Concilio positum, *in probatione steterit*, vt nouitius per integrum annum hæc omnia seruet. Et ratio dubitandi est, quia non est maior ratio de vna circunstantia ex dictis, quam de aliis: ergo vel omnes sunt de substantia nouitiatus, vel nulla, dicere autem omnes esse de substantia, scrupulosum valdè, ac plane incredibile est; quis enim dicat, non egisse integrum probationis annum, qualem Concilium requirit, eum, qui vel in domo nouitiorum non habitauit, sed in alia cella; vel nouitiorum ministeria non exercuit, &c? E conuerso etiam dicere, nullam talium circunstantiarum esse de substantia, inuoluit repugnantiam, alias posset quis esse nouitius, & nihil eorum habere, quæ nouitii sunt propria; quia ablatis omnibus, quæ non sunt de substantia nouitiatus, poterit nouitiatus manere.

*Sensus dubii, & ratio dubitandi.*

2. *Adnotatio pro resolutione dubii proposiți.*

In hac re dicendum necessario est, aliquid esse de substantia nouitiatus, quo ablato non poterit quis vere dici esse in probatione, vt ratio facta conuincit; quæ etiam cogit, vt dicamus, non omnia illa simul sumpta, quæ in nouitiatu concurrere solent, & debent; esse de substantia nouitiatus. Addo insuper, quamlibet earum circunstantiarum, sine qua probatio hæc potest esse sufficiens, vt probatio sit valida, simpliciter non esse de substantia nouitiatus, siue determinatè sumatur, siue disiunctim, siue confusè, vt sic dicam; quia illud dicitur esse in his rebus moralibus de substantia, sine quo res esse non potest. Dico autem, *nec determinate, nec confuse*, quia posset quis cogitare, esto non sit de substantia nouitiatus habitare inter nouitios, vel tales actus illorum exercere, vel tale signum nouitiatus deferre, vel aliquid simile determinatè, nihilominus de substantia illius esse confusè, & indefinitè aliquid horum, vel omnia simul facere. Hoc autem non ita est, tum quia substantia vniuscuiusque rei pro sua capacitate, & natura debet esse determinata: tum etiam, quia multæ ex illis circunstantiis tales sunt, vt per se sumptæ non sufficiant ad nouitiatum constituendum sine quibusdam aliis; aliæ vero sunt, quæ sufficiunt sine reliquis: oportet ergo vtrasque designare, & in hoc consistit punctus huius difficultatis, quæ mihi eo obscurior visa est, quo non inuenio illam in terminis tractatam, quod in re morali non parum difficultatem auget.

3. *Distinctio præmittenda.*

Vt autem, prout mihi occurrit, difficultatem explicem, distinguo vlterius inter statum probationis, vt sic dicam, & actualem probationem. Hæc enim duo, & secundum se facile distingui possunt, & ad rem præsentem maxime necessarium est, quia de substantia nouitiatus, est status probationis: actualis autem probatio, vel nulla, vel parua, vt ostendam. Dicitur ergo esse in statu probationis, qui ad hoc alicubi existit, vt probet, & probetur, estque idoneus, & expeditus ad hunc finem; actualiter autem probatur per actiones, vel passiones, per quas experimentum de persona sumitur.

4. *Assertio prima.*

Dico ergo in primis, statum probationis, seu nouitiatus substantialiter includere aliquid negatiuum, & aliquid positiuum. Negatiuum est, quod aliquis non fecerit professionem per vota, & traditionem acceptatam in tali religione. Hoc manifestum est tum ex verbis Concilii, quod vult vt totus probationis annus professionem antecedat: tum etiam ratione physica pro capacitate materiæ; quia statim ac res peruenit ad terminum, definit esse in via, præsertim in successiuis; Vnde sicut de necessitate motus est, peruenisse ad terminum, ita de substantia nouitiatus non emisisse professionem; comparato enim fine, definit inquisitio, & formato iudicio, cessat consultatio: probatio autem ordinatur ad professionem, vt ad finem, & est veluti inquisitio ad iudicandum de futura professione; ergo statui probationis directe repugnat, professionem esse factam. Et ideo vel talis professio nulla est, vt nunc post Concilium Tridentinum, vel quando erat valida interueniente renuntiatione, eo ipso cessabat probationis status.

*Fundamentum primum.*

*Secundum.*

5. *Corollarium primum.*

Hoc autem adeo verum est (estque valde notandum) vt non solum professio reipsa valida, sed etiam existimata valida, sit contra substantiam nouitiatus, seu status probationis. Itaque si quis exterius professionem emittat, reuera existimans valide profiteri; eo ipso desinit esse in statu probationis, quanuis professio nulla sit, & quandiu in ea fide manet, tandiu probationis status esse non potest. Ratio est, quia probatio supponit libertatem assumendi, vel relinquendi statum, cuius gratia fit probatio: nam ad hoc ordinatur, vt qui probatur, experimento discat, an sibi expediat talis status; ergo probationi, vt sic, repugnat professionis vinculum, non solum reipsa vere contractum, sed etiam existimatio eius; qui enim existimat se esse tali vinculo ligatum, iam non est in religione, vt probet illam, sed ex necessitate, vt debitum suum impleat. Dices, esto non sit ex intentione & voluntate probandi, tamen reipsa probat, & experitur asperitatem religionis, quod satis esse videtur ad finem huius probationis. Respondetur reuera formaliter, ac proprie non esse in nouitiatu, ac probatione, vt Concilium requirit, quod satis patet ex modo loquendi, & communi consuetudine omnium religionum; nam qui existimatur professus, eo ipso vt professus tractatur, & tractari debet, & ideo pro tunc nec probari dici potest, nec esse in statu de se apto vt probetur. Et morale etiam est, vt vnusquisque alia animaduersione, & circunspectione operetur, & obseruet res omnes religionis, quando ibi existit animo probandi, vel quando existit vt habens iam illum statum firmum, & immutabilem.

*Ratio assignatur.*

*Instantia.*

*Diluitur.*

Vnde

6. Corollarium primum. Vnde etiam vlterius elicio, non solum impedire hunc statum probationis existimationem professionis ex parte ipsius religiosi, sed etiam ex parte religionis, quia hæc probatio reciproca est, vt iura docent, ordinatur enim non solum vt nouitius experiatur religionis modum, & asperitatem, sed etiam ipsa religio probet, an persona nouitii idonea sit ad religionem: ergo si ab ipsa religione iam professus existimatur, eo ipso desinit esse in statu, in quo possit ab ipsa probari. Hæc igitur est prima conditio necessaria ad statum probationis, scilicet, vt qui probatur, nec professus sit, neque sub existimatione professi in monasterio existat, vel teneatur; & ideo vocamus conditionem hanc priuatiuam. Necessarium autem est, vt habeat coniunctam cognitionem libertatis, quam nouitius habet ad assumendam, vel relinquendam religionem, & consequenter vt tam ex parte nouitii, quam religionis sit merè spontanea, & non ex obligatione, aut cogitatione obligationis status iam permanentis.

7. Assertio secunda probatur primo. Præter hoc vero dicimus requiri aliquid positiuum, quod exterius fiat, & moraliter duret inter nouitium & religionem. Declaratur primo generatim, quia nouitius quandiu talis est, & verè existimatur, aliquam habitudinem, & vnionem habet cum religione, quam non habebat quando nouitius non erat, neque habent alii, qui religionem nullo modo ingressi sunt, vt in ea probentur. Hæc autem vnio, & habitudo contrahi non potest sine aliquo positiuo actu humano: nam prior illa negatio cum cognitione eius, prout explicata est, non sufficit, nam illa communis est omnibus, qui in religione nullo modo existunt, neque probantur; ergo præter illam necessarium est aliquid positiuum. Secundo in particulari declaratur, quia ad hunc statum probationis necessarius est primus ingressus religionis supra explicatus, quia per illum acquiritur dicta vnio, seu habitudo cum religione, ingressus autem ille fieri non potest sine aliqua exteriori oblatione, & quasi traditione ex parte nouitii, & acceptatione ex parte religionis ad prædictum finem sumendi experimentum: ergo huiusmodi actio, seu datio, & receptio, & omnia signa sensibilia, quæ ad illam necessaria fuerint, sunt de substantia talis status, & quia collatio, & receptio habitus regularis inter illa signa moraliter reputatur modo superius explicato, ideo cum eadem proportione erit de substantia huius status. Ex illa vero receptione acquiritur religioni ius aliquod imperandi, & imponendi homini sic recepto ea onera, quæ iuxta modum religionis ad eam probationem, & experientiam faciendam fuerint accommodata. Et è contrario ex parte nouitii oritur aliqualis obligatio parendi, ita vt cogi possit, nec valeat ipse iure resistere, nisi statum inchoatum omnino deserat. Et hac ratione dicitur prima receptio moraliter permanere, quandiu non retractatur. Vt autem non retractetur, non videtur per se necessarium aliquod nouum signum externum positiuum exhibere, sed satis erit non exhibere signum nouum contrariæ voluntatis, seu retractationis, vel, quod perinde est, non reuocare, vel auferre signa prioris ingressus, & receptionis, quando eorum duratio, & conseruatio moraliter necessaria est, vt talis status dures. Ratio omnium solum est, quia cum hic aliqualis status non consistat in voto, vel promissione, neque in firma, & immutabili obligatione, solum potest consistere in significatione permanente prioris voluntatis cum aliquali iure, & obligatione ad exercendam, & sustinendam probationem; ad hoc autem, & necessarium est, & sufficit id, quod explicuimus, vt per se satis constat: ergo.

8. Assertio tertia. Fundamentum primum. Secundum. Tertium. Dico secundo. Nulla actualis probatio est de substantia anni probationis præter voluntariam permanentiam in prædicto statu cum sufficienti exteriori significatione eius, prout explicatum est. Probatur primo, quia finis legis, seu præcepti non est de substantia legis, & finis alicuius status, verbi gratia, matrimonii, qui est filios procreare, non est de substantia eius: sic ergo in præsenti, quanuis actualis probatio, & experimentum mutuum sit finis anni probationis, & illius quasi status, nihilominus non erit de substantia eius. Secundo declaratur, quia si nouitius perseuerat in statu probationis, quanuis fortasse à religione, vel prælato eius non probetur, ipse ex se expositus est, vt probetur, & per illum non stat quominus probetur: ergo non debet illi nocere, neque impedimento esse ad professionem validè suo tempore faciendam; & hoc sensu dicimus actualem probationem non esse de substantia nouitiatus, etiamsi fortasse possit esse in præcepto respectu prælati, qui male faciet dissimulando, & conniuendo, vt statim amplius explicabitur. Quod si fortasse nouitius ipse resistat huic actuali probationi, non quidem retrocedendo omnino, sed impatienter eam ferendo, & detrimentum, potius quam fructum ex ea capiendo, per hoc ipsum sufficienter probatur, satis enim per hoc cognosci potest, illum non esse aptum ad religionem, & nihilominus si hoc non obstante, à religione retineatur, & ad professionem tandem admittatur, professio est omnino valida, & annus probationis sufficiens: ergo actualis probatio per actus positiuos, vt sic dicam, non est de substantia nouitiatus. Simileque argumentum sumi potest ex parte ipsius nouitii, nam licet ipse voluntariè fugiat experiri asperitatem religionis, quantum potest, retentu statu, imo licet experimento aliquo cognoscat, se esse moraliter ineptum ad talem religionem, vel impotentem ad sustinendos labores eius, si tamen in statu perseueret, ac tandem profiteatur, sufficit ad valorem actus: ergo signum est, actualem probationem non esse de substantia, iusque ac Concilium solum voluisse, vt tam religio, quam persona habeant potestatem, & tempus sufficiens, & statim aptum ad experimentum vtrinque sumendum; Quod si in illo sumendo negligentes fuerint, sibi imputent; non enim debuit valor professionis ex tot particularibus circunstantiis dependere. Nam si contrarium experimentum, ex probatione resultans, non impedit valorem probationis impudenter factæ, & receptæ, cur impediet defectus experimenti ex negligentia, vel alia causa prouenientes. Tertio hoc probari potest ratione dubitandi in principio posita, quæ magis vrgebitur ad particularia descendendo.

9. Dubitatio, an deferre habitum nouitiorum sit de substantia nouitiatus, seu anni probationis. Partem enim affirmantem videtur docere Iacobus de Graffis in decisionibus aur. lib. 3. cap. 5. num. 15. vbi dicit, qui non detulit habitum nouitiorum per integrum annum continuum, non facere postea validam professionem. Tribui etiam solet hæc opinio Nauarro in variis Consiliis sub titulo de regular. Sed in nullo eorum de hac circunstantia in speciali loquitur, sed solum de anno integro, & continuo probationis, vt infra videbimus. Probari autem potest hæc opinio, quia sicut induere habitum nouitiorum est de substantia initii nouitiatus, ita continuatio sub eodem habitu erit de substantia anni probationis. Pars affirmatiua. Probari potest.

10. Pars negatiua est certa. Nihilominus non censeo habitum nouitiorum, etiam vbi distinctus est ab habitu professorum, esse de substantia probationis, seu nouitiatus, ita vt necessarium sit illum deferre, vt quis dicatur in pro-

batione stare, quod Concilium requirit. Hæc assertio non videtur mihi habuisse dubium ante decretum Concilii Tridentini, quia nullum est ius (de communi loquor) quod talem conditionem requirat. Et Doctores qui inquirunt, an deferre habitum sit de necessitate nouitiatus, non tractant de habitu nouitiorum, sed de habitu religionis, seu regulari, quem conferunt cum proprio habitu seculari, vel ad summum cum habitu alterius religionis; nunquam tamen quoad hoc distinguunt inter habitum eiusdem religionis nouitiorum, vel professorum, & ad summum dicunt habitum regularem eiusdem religionis esse necessarium. Post Concilium autem nihil circa hoc innouatum est, nam ipsum etiam ab habitu nouitiorum abstinuit, & simpliciter dixit, *Neque in minori tempore, quam per annum post susceptum habitum*; Si autem Concilium voluisset in hoc aliquid peculiare addere præter ius commune, debuisset illud in specie proponere, ac declarare, cum res sit valdè grauis, & pertinens ad legem irritantem grauissimum professionis actum, aliter factum. Accedit, quòd cap. 19. silentium imponit omnibus, qui post quinquennium à professione facta, contra valorem eius litem mouere voluerint: supponit ergo professionem expressam, quando contingit nullam fuisse, posse ratificari, deferendo habitum professorum, alias non potuisset iuste silentium illud imponere: ergo etiam supponit non esse de substantia probationis deferre habitum professorum, quia, vt infra ostendemus, licet professio expressa nulla possit per tacitam ratificari, etiam post Concilium Tridentinum, nunquam tamen sine integro anno probationis: ergo quando aliqua pars illius anni defuit sub habitu nouitiorum, poterit suppleri sub habitu professorum, si alia necessaria concurrant.

*Ante Conc. non erat circa hoc quæstio, nec difficultas.*

*Probatur primò, neque post Conc. requiri.*

*Secundò.*

II. Vt autem ratione etiam hoc ostendamus, exemplo prius rem declaremus. Recipiatur ergo in aliqua religione vir grauis sub habitu nouitiorum, & post duos, vel tres menses honoris causa, vel alia ratione simili decoretur habitu professorum, ita tamen vt neque ipse nouitius propterea existimet se iam esse professum, aut ligatum, neque etiam religio eo animo talem habitum conferat; si ergo talis nouitius in eo habitu vsque ad completum annum perseueret, & tandem professionem emittat, interrogo, an illa professio valida sit; nec ne? Profecto negare illam esse validam improbabile est, quia nullum habet impedimentum irritans vel ex iure antiquo, vt per se notum est, vel ex Cõcilio Tridentino; nam ille verè fecit professionem, postquam per integrum annum post susceptum habitum in probatione stetit. Dicere enim quod stare in probatione essentialiter includit portare habitum nouitiorum, nullo iure probatur, neque ab ipsomet Concilio Tridentino insinuatur, vt declaraui. Vnde quicunque in religione cum eius habitu existit sub obedientia prælati ad eum finem, vt & ipse experiatur religionis vitam, & religio etiam ipsum agnoscat, verè, & propriè dicitur stetisse in probatione per annum, vt sumitur ex cap. *ad Apostolicam.* de regularib. cum similibus, & in superioribus satis declaratum est; quæ omnia in illo casu concurrunt. Si autem professio in eo casu valida fuit, aperte concluditur, deferre habitum nouitiorum per annum non esse de substantia annuæ probationis.

*Confirmatur exemplo.*

12. Atque hæc resolutio sumitur ex Nauarro consil. 28. 44. & 89. de regularibus, si attentè legatur; cuius sententiam, & aliorum modernorum expendemus latius libro sequenti agentes de professione tacita. Neque etiam Iacobus de Graffis, vt existimo, vim fecit in habitu nouitiorum, sed pro habitu regulari sumpsit, & ex eo quod frequenter obseruatur, ita nominauit, inferius vero num. 24. apertè dicit, posse ratificari professionem, & suppleri defectum probationis integræ deferendo habitum professorum. Ad rationem autem in contrarium factam negatur assumptum. Nam si quis in casu proposito reciperetur statim sub habitu professorum, non animo renuntiandi iuri suo, aut faciendi professionem, sed solum ad probationem in eo habitu faciendam propter honorem, vel aliam humanam causam, illa etiam esset sufficiens receptio, & nouitiatus inchoatio, vt eisdem rationibus facilè probari potest, & ex dictis etiam in capite præcedenti est satis manifestum, neque in hac re nouam difficultatem inuenio. Magis posset vlterius dubitari, an continuè, & sine intermissione differre habitum regularem, sit de substantia anni probationis: Sed hoc partim ex puncto sequenti, partim ex capite sequenti explicabitur.

*Est sentent. Nauarr.*

*Respondetur ad arg. contraria opinionis.*

13. Secundo ex dicto principio expeditur aliud dubium, scilicet, an commorari intra claustrum per annum probationis, sit de substantia eius. Multi enim authores ita sentire videntur, Syluester verbo *religio.* 5. quæst. 5. Angelus verbo *nouitius* num. 16. Nauar. consil. 9. de regul. num. 2. & sæpe in aliis consiliis; imo inter declarationes Cardinalium ad dictum cap. 15. Concilii Tridentini expressè additur, quod probatio debet esse intra claustrum per annum continuum. Veruntamen hæc conditio materialiter sumpta, vt sic dicam, necessaria non est, formaliter autem intellecta est vera, & admittenda, quod iidem authores sentiunt. Et explicatur in hunc modum à Panormitan. in cap. *cum illorum*, de sent. excomm. dicente, vbicunque fuerit monachus, si sit sub obedientia Abbatis, semper fingi esse in claustro; sic ergo si esse in claustro intelligatur vere, & sine fictione, quod nos approbamus esse materialiter, non est de substantia nouitiatus, nullo enim iure hoc postulatur. Item quia si nouitius à Superiore suo mittatur alicubi, licet per multos menses ibi degat sub obedientia eius, vere est in probatione; quæ enim maior probatio, quam obedire? aut quomodo potest quis iure dici, probationem fugere, cum non deserat obedientiam, & subordinationem ad prælatum suum? Hinc à congregatione Cardinalium merito responsum est, si nouitia curandæ valetudinis causa de licentia superiorum monasterio exeat, & in domo parentum curetur, non propterea interrumpi nouitiatum, sed eodem tempore posse professionem emittere, ac si è claustro non exiisset. Hinc etiam Nauarr. consil. 32. de regularibus recte respondit, si nouitius de mandato prælati per magnam partem anni extra monasterium versetur, etiam in curia Principis tractans negotium religionis, semper esse in probatione sine interruptione, & posse suo tempore professionem emittere, quia non est de ratione anni probationis manere semper intra septa monasterii, sed ad probationem sufficit manere sub obedientia sui superioris, vbicunque nouitius fuerit; vbi ad hoc etiam allegat cap. vlt. qui clerici vel vou. Ex quo potius colligitur, professionem fieri posse valide extra septa monasterii, imo etiam ab illo, qui in monasterio nunquam vixit; non constat autem quod in causa illius textus nouitiatus præcesserit, tunc enim voluntariè eo fieri poterat professio sine præuio nouitiatu. Recte autem inde à fortiori colligitur, potuisse tunc etiam nouitiatum fieri extra monasterium. Vnde cum nullo nouiori iure aliquid quoad hanc partem innouatum sit, recte infertur, etiam tunc non esse illam conditionem necessariam simpliciter, quod satis etiam consuetudo confirmat.

*Dubitatio secunda, an commorari intra claustrum per annum probationis sit de eius substantia. Affirmant multi. Resolutio habens duas partes. Explicatur mens Concil. greg. Card. Probatur prima pars in sensu materiali. Secundò, Tertiò ex declarat. Congreg. Cardinal. Confirmatur ex Nauarr.*

A4

14. Probatur secunda pars conclusionis formalis.

At vero formaliter sumendo existentiam in claustro, vel fictione iuris, vt Iuristæ loquuntur, sic quidem de necessitate probationis est, esse in claustro, ita vt si quis illud deserat propria voluntate, & extra obedientiam prælati, eo ipso extra probationem fieri censeatur. Et hæc est sententia Angeli, Sylvestri, & Nauarri supra, quod mihi videtur cum grano salis esse intelligendum, quia non videtur verisimile per omnem exitum extra septa monasterii, retento habitu, & cum animo redeundi, interrumpi nouitiatum, etiamsi fiat indebitè, & sine licentia prælati, quia etiam hoc nullo iure cauetur. Item quia professus exiens illo modo non est apostata, etiamsi grauiter peccet, quia non deserit religionem; ita ergo nouitius tunc non deserit religionem, nec propriè, ac verè retrocedit: manet ergo suo modo in religione; licet in ea leuiter, & inordinate se gerat: ergo in nouitiatu, & probatione manet, quia non habet in religione alium gradum, & quia propter vnam culpam etiam grauem non statim interrumpitur probationis annus. Et confirmatur, quoniam alias si nouitius de licentia prælati iret extra monasterium ad certum locum, ipse vero absque licentia ad alia loca transiret, eo ipso desereret nouitiatum, & interrumperet annum probationis, quod est profecto valde rigorosum, & sine fundamento iuris, vel efficacia rationis. Sequela autem patet, quia tunc etiam formaliter constitueretur extra claustrum, quia non esset in illis locis de licentia prælati. In his ergo casibus poterit quidem nouitius digne puniri, vel etiam dimitti, si prælato visum fuerit; tamen donec dimittatur, non desinit esse in probatione propter solam huiusmodi culpam. Vt ergo dicatur nouitius formaliter, seu omnino claustrum dimittere, necesse est vt recedat, vel alio diuertat, animo non redeundi, seu, quod perinde est, vt non solum sine licentia exeat, sed etiam vt per exitum intendat constituí extra obedientiam prælati; nam tunc eo ipso desinet esse nouitius, vt per se constat. Ex quo à fortiori colligo, si nouitius exeat de licentia prælati illicitè & sine rationabili causa data, tunc multo minus interrumpi probationem. Quod ideo aduerto, quia Nauarrus supra videtur requirere licentiam iusta de causa datam, quod nimis etiam est rigorosum, & non potest etiam iure fundari, nec ratione, quia talis nouitius non deserit religionem; imo fieri potest, vt licet superior peccet, dando licentiam, ipse nihil peccet exeundo. Item quia licet prælatus sine iusta causa eximat nouitium à quocunque onere nouitiorum, vel det illi licentiam, verbi gratia dormiendi plusquam oportet, non interrumpitur probationis annus, vt est per se notum: ergo idem est in præsenti, est enim eadem ratio; alias si prælatus sine causa iusta daret licentiam nouitio, vel sæpius eundi in agrum, vel visitandi amicos, (quæ sunt exempla ipsius Nauarri) toties interrumperetur nouitiatus; quod profecto nulla probabilitate dici potest, tam cum licentia est iniusta, quam cum est iusta; neque enim hæc debet nouitius discernere; nec magis est vnum consuetudine receptum, quam aliud. Denique rationes factæ de nouitio exeunte sine licentia; a fortiori hoc probant. Et iuxta hæc posset cum proportione definiri dubium proxime relictum in superiori puncto de gestatione habitus continua. Sed de hoc plura infra.

15. Dubitatur in hac materia.

Tertio ex dictis definitur, quod dubitari solet in hac materia, si nouitius statim, ac monasterium ingreditur, in lectum incidat ægrotus, & ita duret per annum integrum, an possit dici, in probatione fuisse, & completo anno statim profiteri. Dicendum est ergo posse profiteri, & illum fuisse verum annum probationis, quod ex mente omnium Doctorum asseruit Nauarrus dicto consil. 32. num. 5. Et ratio est, quia quantum est ex se, verè manet in statu probationis in tali religione, & sub obedientia illius. Quod autem actu probari non possit, est per accidens, nec refert, quod annus probationis datus est ad sumendam experientiam, tum quia finis legis non est de substantia legis: tum etiam, quia in eo casu nouitius satis probatur per infirmitatem, in qua sufficienter poterit religio cognoscere naturam eius, & aptitudinem ad religionem; ipse vero, & charitatem, & mores religionis poterit cognoscere; & quanuis non valeat vitæ austeritatem in se formaliter, vt sic dicam, experiri, aliunde tamen poterit sufficientem notitiam comparare. Vnde ex hoc casu colligit Nauarrus tanquam certum, & manifestum, non esse necessarium experiri omnes austeritates in specie. Ego vero vlterius colligo nullam esse necessariam, neque aliam actualem probationem, præter illam, quæ est in perseuerantia in tali religione per annum sub obedientia illius, vt explicatum est.

*Probatur ratione.*

## Caput XV.

### *Vtrùm de substantia nouitiatus sit, vt annus sit continuus.*

1. *Tertium dubium circa primum Conclus. Tertium dicendum. Assertio prima. Probatur primò. Secundò. Tertiò.*

IN hoc capite explicanda est illa particula, *per annum*. De qua in primis certum est, intelligendam esse de anno integro, & perfecto, ita vt neque vna dies illi desit. in quo Doctores omnes conueniunt, tum quia iura antiqua supra citata ita de hoc anno loquuntur, Concilium autem iuxta antiqua iura loquutum est: tum etiam, quia consuetudo ita hoc interpretatur; tum denique quia lex, quæ taxat, vel tempus, vel pretium, vel aliquid huiusmodi; præcise, & quasi in indiuisibili constituit talem mensuram. Nam etiam Philosophi dicunt, mensuram debere in indiuisibili consistere; itaque hic annus perfectus esse debet. Addo vlterius cum Sancio lib. 1. de matrimon. disputat. 24. num. 22. & Lessio lib. 2. de iustitia cap. 41. dubit. 7. num. 59. annum probationis ita computandum esse de momento ad momentum, vt si habitum nouitius assumpserit prima die Ianuarii, v. g. post meridiem, non possit eadem die recurrente termino anni profiteri ante meridiem, sed expectandum esse proiectum suscepti habitus, quia in eo completur, & perficitur annus à Concilio requisitus. Non tamen opus est addere anno vnum diem, cum nullo iure id præcipiatur, vt bene obseruat citatus Sanchez. Quod vero attinet ad integritatem, aduerto duobus modis posse hunc annum integrum computari; primo per continuationem vnius, & eiusdem anni naturalis. Secundo per computationem seu aggregationem partium discretarum, vt si quis per sex menses, v. g. fuit in nouitiatu, & postea est egressus, & in seculo mansit per aliud tempus, ac deinde iterum religionem ingressus per sex alios menses probetur, & hi cum prioribus coniungantur, & computentur ad integrum annum constituendum.

*Additio assertionis positæ. Notandum. Annus integer duplicitèr potest computari.*

2. *Dubium in hac materia. Prima sententia affirmatiua.*

Fuit ergo aliquorum sententia, non esse continuationem anni de necessitate probationis, sed posse prædicto modo compleri, supplendo tantum id quod declarat. ita tenuit glossa in regula, *Eum qui.* de regul. iur. in 6. qui refert aliquos antiquos pro hac sententia. Quam etiam sequutus est Speculator tit. de statu Monachor. §. 1. vers. 37. n. 43. & Bonifac. in Clem. *Eos*, de regular. n. 47. cum hac moderatione, vt tempora anni sint diuersa, v. g. æstatis, aut hyemis. Et primo glossa citata conatur regulam illam ad hoc inducere, quæ sic habet. *Eum, qui certus est, certiorari vlterius non oportet*, quæ parum profecto probat; potest autem sic induci. Nam annus probationis ordina-

*Probatur primò.*

ordinatur ad sumendum iudicium certum de religione, & de persona, sed hæc certitudo sufficienter sumitur per annum directè compositum : ergo non oportet maiorem certitudinem postulare. Secundo. Secundò possumus argumentari, quia nullum est decretum, quod expressè requirat annum continuum, nec Concilium Tridentinum illam particulam addidit : ergo non est à nobis addenda, præsertim ad restringendam legem, quæ ex hac parte odiosa videtur : ergo sufficit esse in probatione per annum, id est, per duodecim menses, siue continuè, siue interpolatè illi numerentur. Tertiò. Tertiò addere possumus iuxta aliam sententiam difficiliorem, ac valde onerosum fieri religionis ingressum ; nam si contingat aliquem per vndecim menses religionem probasse, & posse per diem exire, difficillimum illi esset iacturam factam reparare, integram probationis annum iterum inchoari. Accedit quartò, quod difficile potest designari, quæ interruptio sufficiat impedire debitam huius anni continuitatem. Quartò.

3. Secunda sententia, negatiua, & certa. Nihilominus contraria sententia tanquam certa tenenda est cum Panormit. in cap. *ad Apostolicam*, de regular. numero 9 vbi pro ea refert Ioannem de Lignano in Clem. *Eos*, de regular. & Bartolum in l. *interdum*. §. *quoties* ff. de publ. Idem tenet Angelus verbo *Nouitius* num. 15. & Sylvest. verbo *Religio* 5. num. 4. Nauarr. consil. 9. 34. & in aliis multis de regular. vbi pro eadem sententia refert Ancharr. & Philippum Francum, plures refert Bertachin. verbo *Annus*, sequuntur etiam communi consensu recentiores Theologi, Sà verbo *Religio* num. 9. Henriquez lib. 13. de excommunicat. cap. 40. num. 2. Azor tomo 1. lib. 12. instit. moral. cap. 2. quæst. 8. Lessius lib. 2. cap. 41. dubit. 7. Eman. Rodrig. 2. tomo 3. quæst. regul. quæst. 15. art. 8. & Miranda in Manuali tomo 1. quæst. 22. art. 4. concl. 1. Fundamentum præcipuum est, quia quando in iure tempus certum ad aliquid requiritur, intelligendum est de tempore continuo. Ad hoc autem principium probandum citat Angel. cap. *cupientes*. vers. *Caterum* de elect. in 6. sed ille textus nihil probat, nam in eo additur, *per triennium continuum ex tunc inchoandum*, &c. Ex quo potius posset argumentum sumi in contrarium. Nam ideo videtur addita particula, *continuum*, quia in ipso tempore non satis videbatur inclusa. Quanuis neque hoc argumentum sit efficax, nam potuit addi ad maiorem declarationem, quia in cap. 1. eiusdem tituli in simili pœna, & clausula non additur illud verbum, & nihilominus certum est, intelligendam esse de tempore continuo, vt ibi Ioannes Andreas, & alii notant, & principium illud tradit glossa in rubr. ff. de diuer. temp. præsc. & in l. *genero* ff. de his qui not. infam. Et quanuis nullo iure expressè probetur, est per se valde consentaneum rationi, quia tempus, & præsertim definitum vt dies, vel annus, & est continuum, & in hoc sensu regulariter significatur; qui enim legat, vel donat alteri vsum domus per annum, de anno continuo intelligitur, alias esset valde incerta, & arbitraria donatio, posset que alius nunc vno mense, & postea alio suo arbitrio annum complere cum notabili grauamine alterius, vel è conuerso posset hæres, aut donatarius prout vellet annum interpretari. Vnde etiam sumitur alia moralis coniectura, nam oportet, vt tam in iure, quam in contractibus humanis aliquid definitum, ac certum designetur, quando annus, vel aliud simile tempus præscribitur, quod esse non posset, nisi continuum tempus intelligeretur. Et videtur ad hoc optimus textus in Clement. *Eos qui*, de regular. vbi professionem tacitam facere dicuntur, qui habitum professorum, *per annum* portant, quod sine vlla controuersia de anno continuo intelligendum est. Fundamentum primum à iure. Secundum fundam. à ratione. Tertium à moralium scitura.

Hoc autem principium euidentius est, quando in lege designatur dies, ex quo tale tempus computari debet, vt si lex dicit, ex tunc sit suspensus per triennium, vel ex quo die accipit tale officium, teneatur per annum hoc, vel illud facere, sine dubio hæ, & similes leges intelliguntur de tempore continuo, vt constat ex communi omnium intelligentia, & vsu, & quia non possunt alias commodum habere sensum. Propter quod censeo post Concilium Tridentinum multo certiorem esse hanc sententiam, quam antea, prius enim solum dicebatur, vnius anni probationem esse necessariam, vt in cap. *Gonsaldus*. 17. quæst. 2. & cap. *ad Apostolicam*, de regul. Vel vt professio non fieret ante annum probationis elapsum, vt in cap. *Non solum*, de regular. in 6. Concilium autem Tridentinum supra expressè addidit, *Nec quidem nori tempore, quam per annum post susceptum habitum probationis*; vbi designat tempus, ex quo talis annus computandus est, intelligit ergo de anno continuo ; atque ita declaratum est in congregatione Cardinalium. Addunt præterea rationem dicti authores, quia intermissum tempus minuit asperitatem probationis, nam difficilius est perseuerare per annum continuum, quam per partes interpolatum. Sed ad hoc dici posset, esto hoc ita sit, nihilominus non cogi nos ad intelligendum illum annum eo modo, quo maiorem rigorem, & difficiliorem perseuerantiam postulat, nam potius videntur huiusmodi leges onerosæ liniendæ. Addit vero Sylvest. annum hunc dari ad experiendas omnes asperitates regulæ, quod non semper fieri posset, nisi annus requireretur continuus, quia in vna parte anni, v. g. in Aduentu, vel in quadragesima plura, & asperiora sustinenda sunt ; posset autem quis interpolatè esse nouitius per annum, vitando illa tempora. Sed ad hoc etiam dici posset, accidentarium id esse, nam ostensum iam est, non esse necessarium actu experiri omnes religionis labores. Nihilominus suppositis prioribus fundamentis, quæ sunt præcipua, hæ sunt etiam probabiles coniecturæ, & congruentia dictæ legis. Nam licet simpliciter necessarium sit actu experiri omnes religionis labores, nihilominus necessarium est, esse in statu idoneo ad experiendos illos ; ad hoc autem per se loquendo accommodatus est annus continuus ; & inter hæc experimenta præcipuum esse debet in perseuerantia, & constantia, & ideo merito ad hanc probationem annus continuus postulatus est.

Post Conc. est res extra controuersiam, & certior. Ita declarauit Congreg. Cardinal. Aliæ coniecturæ & rationes probabiles afferuntur ab auctori. bus.

4. Respondetur ad argumentum primum. Ad primum ergo argumentum contrariæ sententiæ sumptum ex regula iuris, negatur per interrupta tempora sumi sufficientem experientiam, satisque certam, tum quia non sumitur illa, quam lex requirit, quæ sola debet censeri sufficiens : tum etiam, quia constantia, & perseuerantia non satis probatur, vt dictum est. Ad secundum iam ostensum est quomodo ex vi iuris necessarius sit annus continuus, etiamsi hæc vltima particula in iure non exprimatur. Ad tertium respondetur, concedendo illud grauamen sequi, sed illud est priuatum, & parui momenti respectu vniuersalis commodi religionis, quod ex prædicta lege in dicto sensu intellecta resultat. Ad secundum. Ad tertium.

5. Ad quartum & resolutio dubitationis propositæ. Opinio Sylvest. Opinio Nauarr. In quarto vero puncto petitur, vt explicemus, quibus modis hic annus interrumpatur, ita vt necesse sit iterum illum inchoare. Sylvester enim supra indicat, modicam interpolationem ad diem, v. g. non sufficere, dicit enim annum debere esse continuum, eo modo, quo solent austeritates in religione continuari, scilicet modicò, & ad diem interpolandum. Nauarrus autem dicto Consil. 32. num. 1. & 3. dicit nouitiatum interrumpi per exitum nouitii à Claustro per tres, vel quatuor dies sine licentia superio-

superioris. Dicendum verò est, duobus modis posse interrumpi hunc annum. Primò faciendo professionem ante completum illum, cum voluntate, & existimatione faciendi veram professionem; ex tunc enim iam non manet nouitius amplius in probatione, iuxta dicta sectione præcedenti: ergo interruptus fuit annus probationis; nam iuxta Concilium, in toto illo anno debet in probatione stari. Secundò potest interrumpi per dimissionem habitus, seu exitum à religione, quia per hoc etiam desinit nouitius esse in probatione, & in statu idoneo, vt etiam ex præcedenti capite patet: ergo desinit esse nouitius: ergo interrumpitur annus. Quocirca continuitas huius anni per se loquendo non est moralis, aut per paruas morulas discretionis, vt Syluester voluisse videtur, sed est propria, & physica, quanta esse in tempore, vel in anno potest, quia non est continuitas actionis, sed status, vel quasi status, vt explicaui; duratio autem in statu omnino continua est, siue homo actu experiatur asperitatem regulæ, siue non. Dixi autem *per se loquendo*, quia ex se potest hic annus habere hanc continuitatem perfectam.

*Interruptio duplex.*

*Secunda.*

Dubitari autem potest, an quælibet Physica interruptio sufficiat, vt moraliter censeatur annus non esse continuus ad effectum sufficientis probationis, & validæ professionis, ita vt omnis interruptio physica sit etiam moralis, vel distinguendæ illæ sint. Nauarrus enim Consil. 32. de Regular. significat, interruptio sit momentanea, id est, breuissima, non esse considerabilem, id est, moraliter non interrumpere probationem; Concilium autem 32. ait, interruptionem trium, vel quatuor dierum esse sufficientem, significans, si sit vnius, vel duorum dierũ, nõ sufficere. Mihi autem videtur magis esse considerandam grauitatem actionis, per quam interrumpitur probatio nouitiatus, quàm temporis diuturnitatem, quia alias nihil certum de hac interruptione, eiusque sufficientia dici poterit, sed relinquendum erit vniuscuiusque arbitrio; alicui enim videbitur parua mora trium, vel quatuor dierum, alii verò magna. Quocirca censeo si quis dimisso religionis habitu, egressus est, eo ipso interrumpi annum probationis, etiamsi paulo pòst intra diem pœniteat, quia eo ipso amisit statum, quem habebat, & indiget noua receptione, & admissione, vt possit iterum nouitius esse. Sicut ergo hæc posterior receptio distincta est à prima, ita nouitiatus incipit esse distinctus. Atque hæc regula videtur mihi satis probabilis, vt quoties iuxta consuetudinem, & modum religionis censetur noua receptio necessaria, annus etiam probationis sufficienter interruptus existimetur. Vnde quod Nauarrus ait, annum interrumpi per exitum trium, vel quatuor dierum è monasterio sine licentia superioris, si intelligatur de exitu totali, id est, animo non redeundi, & dimisso habitu, non solum verum est, sed etiam sine limitatione temporis fuisse asserendum, quia actus ipse per se sufficit, & moraliter interrumpit perseuerantiam, & constantiam, propter quam continuitas in probatione postulatur. Si verò sit sermo de exitu animo redeundi, præsertim cum habitu, non credo interrumpi nouitiatum, etiamsi sit per aliquot dies, nisi recognita, à prælato dimittatur propter ea, quæ superius adduxi.

*Speciale verò dubium habet, an per quamcunq; dimissionem habitus interrumpatur annus probationis. In quo aduerto aliud esse exuere habitum, aliud dimittere; exuit enim habitum, qui ad tempus illud deponit; dimittit verò qui omnino mutat animo non amplius induendi illum. Exuere ergo habitum non satis est ad hanc interruptionem: nam primò aliquando fieri potest de licentia prælati, vel pœnitẽtiæ, aut humiliationis causa, vel gratia dispẽsationis, siue iustè, siue iniustè datæ; propter hoc enim non censetur nouitius moraliter mutare statum suum. Secundò potest hoc fieri ab ipso nouitio sine licentia, & contra regulam: vt, v.g. si ad dormiendum spolietur habitu, & omni parte eius contra propriam regulam; imò licet spolietur, vt induatur vestibus secularibus ludi causa, vel fortasse liberiùs committendi aliquod peccatum, etiam extra monasterium, non existimo per hos actus interrumpi nouitiatum, quia reuera non mutatur status vitæ, qualis in nouitio esse potest, nec est inconstans in vocatione, & perseuerantia (quod in hac continuatione maximè attendendum est) licet in illo statu male viuat, vt suprà etiam dixi. Per dimissionem autem habitus consummatam, & perfectam fit interruptio, quia mutatur status. Dico autem *consummatã, & perfectam*, non solùm quia necesse est, vt fiat animo mutandi statum, sed etiam quia oportet, vt moraliter consummetur talis mutatio, & egressus à monasterio: vt, v.g. si prælatus decreuisset nouitium dimittere, & ea intentione eum religionis habitu exui, & proprijs vestibus indui fecisset, postea verò priusquam egrederetur monasterio, mutasset sententiam, nouitioque iterum habitum restitueret, non crederem fuisse interruptum nouitiatum, quia non fuit actus dimittendi consummatus. Quod maximè verum habet, si nouitio reluctante id agebatur, nam si ipso petente id fieret, maior videretur facta mutatio; nihilominus tamen etiam in hoc casu dissimulari posse opinor, quia contrarium est nimis rigorosum, & non potest iure, aut ratione sufficienter conuinci, & alioqui satis rationabiliter dicitur illam non esse interruptionem moralem, cùm nondum actus omnino consummatus sit. Et iuxta hoc existimo iudicium ferendum in casu illo, quem attingit Nauarr. dict. Consil. 33. de nouitio qui se intra monasterium abscondit animo fugiendi, & fortasse mutato iam habitu (licet hoc ibi non exprimatur) postea verò inuentus à superiore, & blanditiis illectus manst in monasterio, & sic professus sit. Probabilius enim censeo tum non fuisse interruptum nouitiatum, non propter momentaneam moram, vt Nauarrus dicit, sed quia actus non fuit consummatus, vt explicatum est.*

*mittere habitum.*

*Resolutio prima.*

*Resolutio secunda.*

*Ponuntur duo casus in parisibus.*

*Ratio resolutionis tradita*

Superest verò hic alia difficultas, an hæc continuitas probationis debeat esse vsque ad professionem intrinsecè, vt sic dicam; vel sufficiat annum ipsum esse integrum, etiamsi proximè non sequatur professio; & consequenter, si expleto anno probationis, nouitius nolit profiteri, sed monasterio egrediatur, & postea iterum redeat, an prior annus probationis sufficiat ad professionem emittendam. Hoc dubium attingunt Angelus, & Syluester suprà, censentque esse necessariam continuationem probationis cum professione, ac proinde in dicto casu probationem illam fuisse insufficientem ad professionem emittendam. Et ita explicant, & probant opinionem Speculatoris suprà citatam, nullam verò probationem afferunt, nisi fortasse quòd ille annus probationis verè fuit integer, & continuus, & nullum est ius, quod postulet continuari etiam cum professione, aut quod vetet professionem fieri, si inter nouitiatum, & illam tempus aliquod secularis vitæ intercedat. Veruntamen hæc sententia mihi non placet, neque dictos auctores in ea consequenter loqui censeo; ex illa enim sequitur, posse nunc inchoari annum probationis decimoquarto anno ætatis, & finiri initio decimiquinti, & postea redire ad sæculum vsque ad complementum ætatis sexdecim annorũ, & tunc regredi ad monasterium, & sine alia probatione profiteri. Quod profectò

8.

*Vltima difficultas.*

*Opinio Angel. & Syluest.*

*Non placet hæc opinio.*

*Primum inconueniens, quod ex illa sequitur.*

Secundum. statim per se absurdum apparet. Et eadem ratione potuisset quis ante Concilium probationem facere duodecimo anno ætatis, & postea simili modo professionem facere, quia nullum erat ius designans, in qua ætate nouitiatus esset peragendus. Consequens autem est falsum, & contra eosdem auctores, qui aliàs dicunt, annum probationis non posse inchoari nisi vno anno ante legitimam ætatem à jure designatam ad professionem, adeò vt etiam dicant, vbi necessaria est ætas decem & octo annorum, probationem non posse inchoari ante decimumseptimum, vt etiam suprà animaduerti cap. 11. hujus libri.

9. Tertium. Præterea sequitur, licet quis redierit ad sæculum per decennium post integrum annum probationis factum, posse cum illo anno postea profiteri, quod plane absurdissimum est, & contra omne prudens judicium. Nam intermissione temporis diuersificantur mores, & opera hominum, vt dicitur in l. *Si non sortem.* §. *libertus.* ff. de condictione indebiti. Quo principio vtitur Angelus ad probandum interruptionem anni probationis esse contra substantiam eius; æquè autem efficaciter procedit ratio de interruptine inter probationem, & professionem, quia qui in hoc anno, vel hac ætate recte se gessit in nouitiatu, potest iam esse habilis ad religionem, & è contrario. Quòd si quis fortasse dicat, hoc solùm esse verum, quando nimium tempus interpositum est; respondetur in primis idem dici posse de interruptione ipsius anni probationis. Deinde dicitur id esse accidentarium, & aliquando in paruo tempore magnam posse fieri rerum mutationem; aliquando verò nullam, etiam in tempore longo, & admissa interruptione, nullam moralem regulam relinqui; ideoque vel nullam admittendam esse, vel certe nullo fundamento dici maiorem, vel minorem impedire, aut non impedire. Existimo ergo eadem iura quæ statuunt, vt annus probationis præcedat, consequēter velle, vt finito anno statim de persona iudicium feratur, & ad probationem admittatur, si admittenda sit; vel saltem in eodem statu probationis vsque ad professionem perseueret, nam si illum mutet, moraliter mutat fundamentum iudicii, quoniam multum potest mutare mores, propter quod moraliter etiam loquendo, noua probatione indiget. Atque hoc tandem mihi persuadent verba Concilij Tridentini, *per annum post susceptum habitum*; quibus indicatur, non debere ante professionem plures receptiones ad habitum antecedere. Facit etiam quod cap. 16. monet religionum prælatos, vt finito anno probationis, aut nouitios ad professionem admittant, aut eos eiiciant, quis autem dicat, si semel eos eiiciant anno expleto, posse iterum illos recipere, & valide ad professionem admittere cum eadem probatione? Vel etiam, si nouitius ipse noluit profiteri, etiam si religio illum admitteret, quomodo potest admitti sine nouo experimento?

*Instantia Diluitur.* *Sententia auctoris.* *Probatur ex Conc.*

10. *Hæc sententia est probabilior.* *Notādum.* Propter hæc ergo probabiliorem hanc partem esse censeo, quamuis non sit tam certa, sicut alia de interruptione anni nouitiatus; quia & pauci Doctores hoc in specie disputant, & affirmant, & fundamentum iuridicum non est tam manifestū, licet sufficiens videatur. Non omittam etiam aduertere, prædictam sententiam, & fundamentum eius maximè procedere, quando interruptio fit per egressum à religione; contingere autem potest, vt fiat emittēdo professionem nullam cum existimatione, quòd valida sit; tunc etiam suprà diximus, probationem interrumpi, & tempus illud, pro quo aliquis viuit in habitu, actione, & existimatione professi, non posse tempus probationis appellari. Difficile ergo creditu est, propter moram interpositam inter annum probationis, & veram, ac validam professionem ita interrumpi tempus debitum, vt intellecto postea defectu professionis, non possit iterum valida fieri sine nouo anno probationis, quod videtur plane sequi ex dictis. Sed hoc genus interruptionis non videtur eiusdem rationis quoad omnia, de qua re dicam commodiùs librò sequenti, vbi explicabo quo modo professio nulla iteranda sit.

## CAPVT XVI.

### *Vtrùm nouitius ad obseruantiam regularem teneatur; & vtrùm officia, beneficia, ac dignitates Ecclesiasticas habere possit.*

QVæstio intelligitur, vt suprà dixi, quasi in sensu compositō, dum nouitius in eo statu existit; nam simpliciter certum est non obligari: Ratio autem dubitandi pro parte negatiua est, quia nouitius nullum votum emisit: ergo ad nihil amplius tenetur ex vi illius status, quàm ante illum teneretur, quia non est vnde oriatur talis obligatio, si ex promissione non nascitur. In contrarium verò est, quia nouitius fruitur bonis, & priuilegiis religionis; ergo debet etiam eius onera sustinere: ergo debet ad hoc esse obligatus, quia aliàs non posset conuenienter dirigi, & gubernari à prælatis religionis. 1. *Sensus quæstionis.* *Ratio dubitandi.*

Nihilominus simpliciter dicendum est, nouitium non obligari in conscientia ad obseruantiam regularem, quamuis aliquo modo debeat subesse disciplinæ religiosæ, quamdiu à monasterio non recedit. Vtramque partem probant rationes dubitandi, vt tamen res tota explicetur, & breuiter exponamus nonnulla breuia dubia, quæ de nouitiis tractari solent, reuocemus omnes obligationes proprias religiosorum ad tria vota, & per illa breuiter discurramus; supponimus enim hîc solum esse sermonem de obligationibus, quas religio addere potest, & solet; nam de aliis, quæ communes sunt omnibus Christianis, non dubium est, quin maneant in nouitio, neque illæ proprie pertinent ad obseruantiam regularem, sed generaliores sunt. 2. *Resolutio.*

### *Ad quid teneatur nouitius in materia castitatis.*

Quod ergo spectat ad votum castitatis, clarum est, si aliàs nouitius priuata deuotione votum castitatis non emisit, nulla noua, seu speciali obligatione teneri ad seruandam castitatem, sed solùm illam, quæ ex iure naturæ nascitur, quia nec religiosus professus tenetur, nisi ex ratione voti, nec potest excogitari alia ratio huius obligationis. Solum potest obseruari, ratione scandali vitandi, & honoris religiosi habitus, & totius religionis, maiori quadam obligatione teneri nouitium ad castitatem seruandam quandiu talem habitum portat, & in illo quasi statu perseuerat; hanc verò obligationem existimo esse accidentariam. Vnde si in indiuiduo nouitius peccet contra castitatem præcauendo sufficienter ne sequatur scandalum, vel infamia religionis; non incurrit specialem malitiam, imò neque existimo illam circumstantiam personæ, scilicet quòd sit nouitius religionis, ita aggrauare peccatum, vt sit necessarium illam in confessione explicare, quia nullum est sufficiens fundamentum talis grauitatis: nam licet ille dici possit magis ingratus Deo, vel ex maiori malitia peccare, qui maiorem habet cognitionem, & pauciores occasiones; nihilominus hæ sunt circumstantiæ valde generales. 3. *Prima assertio.* *Secunda.* *Circumstantia nouitii non est necessario explicanda.*

Denique à fortiori colligitur, non peccare nouitium, si relicta religione, etiam in sæculo constitutus, matrimonium contrahat, & consummet, semper e- 4. *Tertia assertio.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

per enim supponimus non esse factam professionem ve expressam, vel tacitam, & ita est res manifesta. Et eadem ratione, si contra castitatem peccet in eo statu, non aggrauatur eius culpa, saltem notabiliter præcisè ex ea circumstantia, quòd religiosus aliquo modo fuerit, vulgari modo loquendo; nulla enim obligatio inde manfit, nec iam id cedit in infamiam religionis. Solùm potest augeri peccatum propter maiorem scientiam, vel resistentiam diuinæ gratiæ, quæ sunt accidentaria, & communia, vt dictum est. Et huc etiam spectat, quòd potest deferre quascunque vestes sæculares, quibus vtuntur mereclaici, & coniugati. Dixit autem Ioannes Andr. debere vitare vestes nimis lasciuas in signum antiquæ religionis, quod est sanum, & prudens consilium, non tamen præceptum, nec maior obligatio rigorosa, quàm ex natura rei nascatur, vt bene notauit Panormit. in cap. *consulti*. de Regular. in fin. Et hęc sufficiunt de voto castitatis, quæ magna ex parte applicari possunt ad alia peccata, quæ nouitius potest committere, vel perseuerans in eo statu, vel post illum relictum contra alia præcepta Ecclesiastica, vel diuina; parum enim ex ea circumstantia aggrauantur per se loquendo.

Religiosus debet vitare vestes nimis lasciuas in signum antiquæ religionis.

### *Ad quid iam obligetur in materia paupertatis.*

Circa obligationem paupertatis certum est ex vi illius ad nullam actionem, vel omissionem teneri nouitium, cùm votum non emiserit. Dico autem *ex vi illius*, quia aliunde poterit in hac materia delinquere. In quo oportet distinguere de bonis religionis, & de bonis ipsius nouitii, quæ secum attulit, vel quouis modo retinet. Circa priora licet non teneatur nouitius ad vsum paupertatis ex voto, quia illud non fecit, tenetur tamen ex lege iustitiæ. Primùm, talium bonorum dominium non vsurpare, quia sua non sunt. Deinde neque ampliorem vsum eorum accipere, quàm ei à religione concedatur, ob eandem causam, quia non vtitur illis bonis, vt dominus eorum, sed ex concessione domini: ergo non potest licite excedere eius voluntatem, & facultatem. Vt autem in tali materia, & grauitas culpæ, & obligatio restituendi, quæ inde resultare potest, discernatur, distinguere oportet duplicem vsum talium bonorum. Vnus est intra eandem religionem, vt quando ordinatur ad vtilitatem, vel commoditatem propriæ personæ. Alius est extra religionem, vt quādo talia bona exteris donantur, vel alio modo extra religionem distrahuntur. Hic posterior vsus propria auctoritate, & sine licentia factus, vt supponitur, reuera habet rationem furti sacrilegi in tali persona, quia est acceptio rei inuito domino, & ita habet rationem furti, & aliunde est circa materiam aliquo modo sacram, & dedicatam, & ideo participat malitiam sacrilegii; est ergo tale peccatum mortale ex genere. De quantitate autem materiæ ad illud sufficiente perinde iudicandum est de tali persona, ac de qualibet alia; nulla enim particularis ratio in ea interuenit. De priori autem vsu vlteriùs distinguì potest, an sit talis, vt per eum res consumatur, vt est vsus ciborum, vel talis vt res permaneat, vt est vsus libri. In hoc posteriori rarò erit grauis culpa ex parte nouitii, quia materia illa sistendo in rigore iniurię leuis est, quia paruum nocumentum inde infertur religioni, etiāsi res, ad quæ ad vsum vsurpatur, pretio æstimabilis sit, dummodo ex illo vsu non grauiter lædatur, aut minuatur eius gradus, neque aliqua extrinseca incommoda, seu nocumenta sequantur. In alio verò vsu, quo res consumitur, potest esse maior scrupulus grauioris culpæ si nimium exedatur; tamen si res quæ vsu consumuntur, non sint pretiosæ, aut extraordinariæ, & alioqui excessus non sit nimius, licet sit frequens in modica quantitate panis, seu vini, aut rerum similium, non existimo committi grauem iniuriam, aut peccatum mortale, quia secundùm prudentem, & moralem æstimationem non æstimatur illud nocumentum graue, nec moraliter censetur religio in vita in eo gradu, seu ratione nocumenti, sed magis ratione indebiti ordinis, seu modi. In quo idem ferè iudicium esse censeo, siue hic vsus in propriæ personæ vtilitatem vsurpetur, siue tribuatur alteri eiusdem religionis, quia neutro modo fit alienatio extra religionem, & bona illa semper ipsi religioni inseruiunt, & in eius vtilitatem aliquo modo cedunt.

*6. Secunda assertio circa bona propria ipsius nouitii.*

Circa alia bona propria ipsius nouitii, regula generalis sit, æque posse nouitium talia bona habere, aut de illis disponere, ac antea poterat. Itaque præcise ex parte religionis neque impedimentum vllum appositum est ad huiusmodi vsum, si antea plenam, & expeditam facultatem illius habebat, neque etiam noua illi facultas addita est, si non habebat, vt si erat sub cura tutoris, vel aliquid huiusmodi. Ratio est, quia per solum ingressum ad nouitiatum nec aliquam obligationem contraxit, per quam dominium vel eius liber vsus impediatur; neque etiam nouum dominium, aut libertas requiritur, neq; exemptio ad prioris subiectionem quoad talium rerum administrationem. Atque hinc etiam fit, vt possit nouitius, & valide, & licite aliquid de nouo acquirere, etiam sine licentia prælati, siue per testamentum, siue per donationem, siue quolibet alio modo illi statui non repugnante, quia nec voto, nec iure aliquo impeditur; neque absolutè, & simpliciter potest prælatus hoc prohibere nouitio, ita vt in conscientia illum obliget, tum quia nihil fortasse potest ei hoc modo præcipere, vt statim tractabimus; tum etiam, quia sicut non potest illum compellere ad relinquenda ea bona, quæ priùs habebat, ita neq; prohibere quominus de nouo acquirat, dummodo acquisitio non fiat per actiones, vel negotiationes sæculares, vel statui talis religionis repugnantes. Similiter etiam sequitur, licitè, & validè posse nouitium de bonis suis disponere sua voluntate ex eodem principio.

*Ratio assertionis.*

*Primum Corollarium.*

*Secundum.*

### *De his, quæ ad testamentum, seu vltimam voluntatem nouitii spectant.*

Ex quo etiam decidenda sunt alia dubia, quæ circa materiam paupertatis, & bonorum temporalium de nouitiis tractari solent. Vnum est, an nouitius ante factam professionem moriens in monasterio, possit, cui voluerit, sua bona testamento relinquere, omnino prætermisso monasterio. Dicendum est enim, libere posse, nisi priùs ea donasset, vel obtulisset monasterio. ita docuit Immola in cap. *in præsentia*, de probat. & sequitur Nauarr. Comment. 2. de regular. num. 49. vbi ait tam liberè testari posse nouitium infra annum probationis, ac si extra Monasterium esset, & non teneri quidquam Monasterio relinquere si nolit. Ratio prioris partis est, quia retinet dominium, & possessionem suorum bonorum, & nullo nouo vinculo habet ligatum vsum, vel dispositionem eorum. Ratio verò alterius partis est, quia neque aliquid promisit Monasterio vt supponimus, neque alio iure Pontificio, vel Cæsareo talis obligatio nouitio imponitur, & ideo à nobis imponenda non est, iuxta regulam textus in cap. *consuluisti*. quæstione 4. Et in Authentica de Triente, & semiss. §. *consideremus*. Quæ ratio non solùm probat de nouitio, qui occasione mortis testamentum condit, sed etiam de illo qui ante professionem, vel quocunq; tempore probationis illud vult instituere: nam

*7. Primum dubium.*

*Resolutio duplex.*

*Probatur prima.*

*Secunda.*

*Notandum.*

re: nam idem habet dominium, eandemque libertatem.

8. *Secundum dubium.* Dubitari autem potest, an possit licite religio illum prohibere, vel minis cogere, vt vel testamentum non condat, vel monasterium relinquat hæredem, alioquin eiiciendum esse, & ad professionem non admittendum. *Ratio dubitandi.* Habet autem hoc aliquam rationem dubitandi in his religionibus, quæ succedunt in iure filiationis, seu hæreditatem obtinendi nomine, & loco suorum religiosorum. Aliæ enim religiones, quæ hoc ius non habent, vt est Societas, vel religio Minorum, nullam probabilem, vel apparentem causam habent impediendi liberam nouitii voluntatem, & dispositionem, quia neque sua interest, neque aliàs inueniri potest, vnde tale ius vel facultatem habeant. Aliæ item religiones, quæ illud ius habent, si nouitius condat testamentum occasione mortis naturalis, nullum habent apparentem titulum ad impediendam nouitii voluntatem per comminationes, v.g. illum statim eiiciendi, vt extra monasterium moriatur, vel similes, quia illud est moraliter cogere voluntatem eius in eo, ad quod religio nullum ius habet. At verò quando testamentum fit, vt postea sequatur professio, videtur religio habere apparentem titulum, nam habet ius succedendi, si per testamentum nouitii non excludatur: ergo graue nocumentum illi infert nouitius alium hæredem instituendo, & illam excludendo. Et præterea irrationabiliter vult onus se perpetuò alendi imponere religioni, & bona sua aliis, fortasse non indigentibus relinquere. Et in hoc etiam non parum ingratum se religioni ostendit: ergo his rationibus potest religio comminari eiectionem, si tale testamentum condat. Atque vsu ipso aliquando intellexi fieri à viris, & doctis, & timoratis in religione satis graui. *Resolutio tenenda. Primò.* Mihi autem huiusmodi coactio semper displicuit, & scrupulosa valde visa est. Primò, quia non videtur carere iniustitia, si talis persona aliàs professione digna; omnes enim rationes, vel potiùs excusationes adductæ non ostendunt nouitium condendo tale testamentum, & instituendo alium hæredem prætermisso monasterio; facere illi aliquam iniuriam, quia non tenetur ex iustitia monasterium relinquere hæredem vel ex testamento, vel ab intestato, nam licet monasterium sit capax huius iuris, & hæreditatis, non tamen inde fit, nouitium teneri ex iustitia eam relinquere monasterio. *Secundò.* Neque apparet alius titulus, quo obligari possit, neque enim sub eo pacto in principio receptus est, vt supponimus; nec enim id simoniæ labe caruisse videretur. Vnde sumitur secunda ratio, quia extorquere ius hæreditatis sub cõminatione denegandi professionem, videtur esse quædam tacita venditio professionis, nam inuoluit pactum dandi professionem, si hæreditas detur, & non aliàs. Et declaratur, nam si priùs in receptione ipsa id fuisset deductum in pactum expressum, simoniacum extitisset, idem autem fit postea implicitè, & virtute. *Instantia.* Respondeti potest, sicut moniales recipiuntur cum expresso pacto tantæ dotis, & nisi postea soluatur non admittuntur ad professionem, & vtrunque fit sine iniustitia, vel simonia, ita etiam posse illud fieri. *Diluitur.* Veruntamen id, quod in monialibus propter præscriptam consuetudinem, & specialem fœminarum necessitatem admittitur, non est facile ad religiones virorum extendendum, cùm huiusmodi pacta adeò sint sacris canonibus prohibita; & ideo non est similis ratio. Ac deinde licet alicubi propter præscriptam consuetudinem, vel specialem indigentiam permitti possit aliquam sufficientem sustentationem religiosi exigere, cogere tamen ad relinquendam religioni totam hæreditatem, vel aliquid vltra congruens sustentationi, non video quo titulo honestari possit.

Huic dubio annexum est aliud, si nouitius ante professionem moriatur infecto testamento, an religio illi ab intestato succedat. In quo dubio dubius videtur fuisse Bartolus in Authent. *Si qua mulier.* C. de Sacrosanctis Ecclesiis, eiusque decisionem Canonistis reliquit. Ex quibus Decius in dicta cap. *in præsentia* numero 73. id affirmat, nullum verò affert probabile fundamentum. Et ideo verior sine dubio est contraria sententia, quam tenet Panormit. in eodem cap. *in præsentia* num. 68. & ibi Immola num. 67. Philippus Francus in rubr. de testam. n. 67. & Nauar. Comment. 2. de Regular. n. 49. Idem tenuit Syluester verbo *religio*. 5. quæstione 12. Angel. verbo *Nouitius* num. 11. Ratio est, quia nouitius ante professionem non est verè religiosus, cap. *Religioso*, de sentent. excommunicat. in 6. & cap. *porrectum*, de regularibus: ergo non habet religio vnde illi ab intestato succedat, quia tunc solùm habet hoc ius, quando religiosus factus incapax ius suum transtulit in religionem. Confirmatur, quia nouitius retinet dominium, & dispositionem suorum bonorum: ergo si neque in vita, neque in morte per testamentum, vel sufficientem declarationem suæ voluntatis, (quæ si probetur in causa pia, sufficit etiam in foro exteriori) illa non contulit monasterio, non est vnde possit ei succedere.

9. *Tertium dubium.* *Sententia negatiua est vera.* *Probatur primò.* *Secundò.*

### *De donationibus nouitii inter viuos.*

Sed quid de bonis, quæ nouitius in vita Monasterio donauit? Respondet Panormit. supra, quem Syluest. Angel. & alii sequuntur, talia bona retineri posse, & debere à monasterio, quia sufficienti titulo donationis factæ à vero domino illa posset. Dices, donationem illam habuisse subintellectam conditionem subsecuturæ professionis: ergo illa non secuta morte, non habet effectum. Antecedens patet, quia si nouitius nolit profiteri, sed egrediatur religione, potest reperere talia bona: ergo signum est, donationem non fuisse absolutam, sed sub illa conditione. Respondetur primò illud etiam quod assumitur, non esse in vniuersum verum. Panormit. enim in cap. *statuimus*, de Regular. num. 4. docet. si prior donatio simpliciter facta fuit sine vlla protestatione, & appositione conditionis, absolutam esse donationem, & non posse reuocari etiam si nouitius egrediatur; secus verò esse, quando tempore donationis illa protestatio facta est. Et hæc quidem posterior pars manifesta est, quia tunc satis constat de intentione donantis. Priorem verò meritò limitat idem Panormit. in cap. *quod à te*, de cleric. coniug. n. 5. vbi distinctione vtitur, nam si donauit omnia bona sua, censetur donasse sub prædicta conditione futuræ professionis, quia non est verosimile voluisse se spoliare omnibus bonis, etiamsi ibi non esset permansurus; at verò si donauit tantùm partem aliquam, & nihil aliud expressit, videtur simpliciter, & absolutè donasse; quia cessat illa præsumptio, & nulla conditio exprimitur, & alioqui ipse ingressus, & sumptus faciendi in tempore probationis, potest esse sufficiens ratio talis absolutæ donationis. Quæ maxime locum habent in ordine ad forum contentiosum; nam in foro conscientiæ intentioni donantis standum est, vt bene notauit Angel. verbo *Nouitius* n. 1. Est autem valde probabile quando donationes sunt moderatæ, considerata personæ qualitate, esse omnino absolutas; at verò si donatio est copiosa, & magna, etiamsi non fit de omnibus bonis, verosimilius est, regulariter habere subintellectam conditionem, & posse in conscientia reuocari, quoties nouitius aliunde certus non est, habuisse contrariam intentionem.

10. *Prima opinio Panor.* *Declaratio & limitatio.*

Nihilominus tamen, quando nouitius non recedit, sed

11.

dit, sed moritur ante professionem, & expresse non revocat priorem donationem, existimo firmam, & ratam manere donationem, siue fuerit moderata, siue copiosa, atque etiam de omnibus bonis. Quia licèt habuerit subintellectam conditionem perseuerantiæ, satis tamen perseuerauit, qui in religione mortuus est, etiamsi ob temporis defectum professionem emittere non potuerint. Vnde licet illa donatio facta fuerit causa mortis ciuilis, quæ in professione esse intelligitur, tamen satis censetur compleri per anticipationem mortis naturalis, quæ multo magis perseuerantiam, atque adeò perpetuitatem donationis complet; præsertim quia dum nouitius moriendo tacet, donationem factam confirmare videtur. Est autem vltimò in hoc puncto considerandum, hæc omnia maxime habere locum iuxta antiquum ius; nam iuxta nouum ius Concilii Tridentini sessione 25. cap. 16. de regularibus huiusmodi donationes, & dispositiones inter viuos nouitiis prohibitæ sunt, nisi cum certa solemnitate ibi perscripta, & cum illa etiam statuitur, vt effectum non habeant, non secuta professione. Atque ita videtur nó habere locum omnia, quæ diximus. Quod quidem verum est, quando professio non subsequitur, nec mors naturalis nouitii intercedit, & donationes sunt magni momenti, vel bonorum immobilium; nam si donatio sit de re parui momenti, & quæ non excedit expensas nouitiatus, non videtur à Concilio reuocata. At verò quando intercedit mors naturalis, non prohibet Concilium quãcunque donationem à nouitio factam saltem causa mortis, ficut etiam dixit Nauar. dicto Comment. 2. de Regul. num. 51. per illud decretum non prohiberi nouitio, quin possit ante professionem testamentum facere, siue ante, siue post ing essum primum religionis, quod proinde testamentum morte ciuili postea per professionem subsecuta confirmabitur interueniente morte naturali ante professionem. Sic ergo donatio causa mortis naturalis non videtur prohibita à Concilio, est enim fere eadem ratio, tum quia illa non potest dici alienatio, vel renuntiatio simpliciter, de quibus Concilium loquitur: tum etiam, quia in illa omnino cessat ratio Concilii, non enim ob eam causam, vel minimum minuitur libertas in professione facienda, vel omittenda. Tum denique, quia ad huiusmodi donationem per accidens omnino est habitus religionis, seu status nouitii, cùm naturalis mors communis omnibus sit. Quocirca si nouitius expresse vel tacite cum sufficienti, & morali præsumptione tempore mortis, vel causa eius aliquid monasterio donauit, existimo iusta, & tuta conscientia retineri posse.

*Secundo de mortis naturalis.*

*Tertio de donatione causa mortis.*

*Vtrùm nouitius habere possit beneficia, officia, vel alias dignitates Ecclesiasticas.*

12. Hoc tertium dubium, ab pupertatem etiam nouitii spectans, est, & ideo hîc locum habet, in eo vero quatuor præsertim puncta continentur. Primum est, an nouitius retinere possit Ecclesiastica beneficia vel illis sit priuandus, aut priuandus. In quo est expressa iuris decisio, nouitium non posse iuste priuari beneficio suo sine eius consensu, cap. *Ben. fic.num.* de regular. in 6. vbi adduntur limitationes, scilicet, *nisi constet, quòd votum voluerit absolute mutare vel professionem expressam fecerit, seu sicuti habitum recepit professorum.* Hodie autem limitationes hæ non habent locum intra annum nouitiatus, de quo loquimur, nec professio expressa, vel tacita antea facta valida est; neque habet locum renuntiatio iuris proprij, & ideo etiam nunc non refert, vt opinor, quòd euidenter constet, voluisse vitam mutare, quia necessariò debet subintelligi conditio, seu dependentia, vt sic dicam, ab anno probationis propter decretum Concilii Tridentini dicto cap. 15. Imò existimo propter aliud decretum eiusdem Concilii cap. 16. etiam ex consensu nouitii non esse validam renuntiationem beneficii à nouitio factam, nisi fiat cum solemnitate ibi perscripta, & ita vt non habeat effectum, nisi subsecuta professione, quapropter etiam ex proprio consensu non poterit beneficio priuari. Dices, ergo tenebitur nouitius inseruire tali beneficio, vel saltem poterit fructibus eius priuari. Respondeo primùm, teneri ad illud seruitium, quod per se potest in tali statu exercere, vt est officium Canonicum recitare. Deinde debet per alium inseruire quoad cætera omnia quantum fieri possit, assignata huiusmodi Vicario congruenti portione, in eodem cap. *beneficium*, declaratur. Vnde constat, per se loquendo non esse nouitium priuandum omnibus fructibus, quos percipit ratione tituli, & ratione quorum ad recitandum obligatur. Denique, si aliquod sit seruitium, quod per alium suppleri non possit, vt est, v. g. residentia in choro, si sit canonicus, tunc nullum est incommodum, quòd tali seruitio vacet, nam per alios sufficienter suppletur; priuabitur autem tunc nouitius distributionibus, quæ requirunt residentiam personæ. Et hæc est communior doctrina in hoc puncto, vt intelligi potest ex Nauarro supra & Syluestro *Religio* 2. quæ 8. quamuis Angelus, & nonnulli alii senserint oppositum, quoad fructus beneficii; sed sine fundamento iuridico, cùm nouitius sit verus dominus, & non debeat iure suo priuari: non est ergo cur priuetur fructibus, nisi vbi iure, vel recepta consuetudine constiterit, non posse illos facere suos, nisi personaliter resideat, tunc etiam ita priuabitur fructibus, ac si ob quamcunque aliam causam non resideret: nec enim possumus quoad hoc maius aliquod priuilegium nouitio concedere, quia nullo etiam iure fundatum est.

*Additio.*

*Instantia soluitur, & asseritur etiam fructus suos facere, qui non requirunt personalem assistentiam, vt distributiones in choro assistentibus.*

Hîc verò consequenter quæri solet, an nouitius possit denuò beneficium seculare acquirere, seu de illo prouideri. Quæstionem breuiter attigit Angelus verbo *Nouitius* numero 23. & respondet negando simpliciter, quem sequitur Tabiena quæst. vltima; nullum tamen ius, nec rationem adducit, neque ego inuenio ius aliquod, ratione cuius nouitius fiet inhabilis ad beneficium recipiendum, aut collatio ei facta nulla sit. Et ideo existimo, si nihil aliud obstet, factum tenere, si ei beneficium sæculare conferatur, & ipse illud accepter; nam sicut potest acquirere alia bona temporalia, ita etiam hæc spiritualia, seu mixta. Et ideo hanc partem tenentur. Tiraquel. de retract. lignagier. glos. 8. § 1. num. 37. Azor tomo 1. instit. Moral. lib. 12. cap 3. quæstione 1. & alii. Sentio tamen regulariter, non rectè nec licitè tale beneficium conferri: nam vel ei datur, vt illo beneficio prouocatus religionem deserat, & hoc contra charitatem est, & contra ipsam religionem; vel datur vt illis fructibus fruatur, vel ipse vel religio quandiu professionem non fecerit; & hoc tam ex parte dantis, quàm ex parte recipientis est illicitum, quia est contra institutionem, & finem beneficii. Et ideo iuxta communem sententiam Doctorum, accipere beneficium sine animo seruiendi solùm ad fruendum fructibus aliquo tempore illicitum est, & consequenter etiam est illicitum dare illud cum eadem intentione, vel ei, quem constat non aliter illud accipere. Non videtur tamen hoc ita intrinsece malum, quin in fauorem religionis indigentis possit superior habens potestatem, in hoc licitè dispensare. Et iuxta hæc intelligenda, vel limitanda est glossa in cap. *beneficium*, verbo *conferendum*, de regular. in 6. De pensione autem non videtur esse eadem ratio, quia

13. *Difficultas exponendo exprae-cedentia.*

*Assertio proposita ad validitatem collationis. Secunda quòd licitam collationem, & receptionem beneficii.*

*Limitatio.*

quia non datur proprio titulo spirituali, etsi quod onus habet adiunctum, illud est valde simplex, nimirum officium Virginis recitare, quod optimè potest à nouitio impleri; & alioqui recipere pensionem animo retinendi illam breui, seu definito tempore, non est contra legem aliquam, vel in detrimentum Ecclesiastici seruitii, sed potiùs est in fauorem beneficij, in quo pensio posita est.

14. *Secunda difficultas. Pars negatiua est vera stando in iure cõmuni*

Dixi suprà validè posse nouitium beneficium sæculare acquirere, quia de regulari maior est difficultas, in qua negantem partem sequuntur Lapus, Dominicus, & Francus, quos refert, ac sequitur Garcia parte 7. de Beneficiis cap. 10. num. 4. quibus adde Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 3 quæst. 1. Quidquid Garcia pro contraria parte illum alleget; & quidem stando in iure communi hæc sententia certissima est, vt constat ex Clement. *Quia regulares*, de supplenda negligentia prælat, & Clement. *Nein agro*. §. *Sanè priorato*, de statu monachorum, vbi decernitur, quòd solis professis beneficia regularia conferantur. At iuxta decretum Concilii Tridentini sessione 24. de reformat. cap. 10. potest dari beneficium regulare nondum professis, imò & his, qui religionis habitum nondum susceperè, modò habitum suscipere, & professionem emittere teneantur; ita enim statuit loco citato Concilium. *Regularia*, inquit, *beneficia in titulum regularibus professis prouideri consueta, cùm per obitum vacare contigerit, religionis tantùm illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino susceperint, & professionem emittere teneantur, & non aliis*, &c. Nam si his, qui nondum religionem sunt ingressi, licet conferre regulare beneficium, dummodo ad habitum suscipiendum, & professionem emittendam obligentur, cur non licebit conferre nouitio sub eodem onere, obligatione, & conditione? Notandum verò primò, licet nouitio, vel alij nondum ingresso deferere habitum, vel obligationem ad illum, & ad professionem, antequam illam emittant, relinquendo beneficium, in tantum enim ad vtrumque obligantur, in quantum beneficio potiri volunt, & non ampliùs. Notandum secundò hanc facultatem, quæ per Concilium fit sæcularibus, ac nouitiis sub prædicta obligatione, seu conditione, ita limitari, seu declarari per quãdam declarationem Cardinalium, vt non de omnibus beneficiis regularibus, sed simplicibus tantùm sit intelligenda; verba enim dictæ declarationis ita referuntur in declarationibus Marzillæ, ac Farinacii typis iam mandatis. *Viso hoc capite Concilii congregatio censuit posse etiam ordinarios collatores, portiones monachales, & Canonicales, & similia simplicia beneficia regularibus prouideri consueta conferre, nedum eius ordinis professis, sed etiam sæcularibus, qui habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur, Abbatias tamen, & beneficia administrationem habentia non nisi professis iuxta Canones per ordinarios inferiores conferri posse.*

*Pars affirmatiua est certissima post Conc. Trident.*

*Notatio prima.*

*Secunda notatio, & limitatio.*

15. *Punctum 2. Assertio prima negatiua quoad degentes religionis.*

Circa secundum punctum distinguendum est de dignitatibus religionis, vel extra illam: nam ad priores eligi non potest nouitius, ita enim statuitur in ca. *nullus*, de elect. in 6. vbi sic dicitur. *Nullus religiosus ad Abbatiam, seu prælaturam suæ, vel alterius religionis de cætero eligatur, nisi antea fuerit ordinem regularem expressè professus; quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur.* Vbi non solùm nouitij excluduntur, sed etiam illi qui non expressè, sed solùm tacitè professi sunt; quod de monialibus in particulari repetitur in cap. *indemnitatibus*, eodem titulo, nec enim otiosè additur illa particula, *expressè*, nam ad eligendum actiuè differte postulatur solùm professio tacita, vel expressa; vt verò passiuè eligi possit, expressa postulatur, & meritò, quia is, qui in prælatum eligitur, debet esse omni exceptione maior, & ideo eius professio debet esse extra omnem ambiguitatem, & controuersiam. Vnde fit, vt à tali electione à fortiori excludantur sæculares, de quo aliàs. At verò quoad dignitates extra religionem in eodem cap. *nullus*, dicitur, nouitium posse ad Episcopatum eligi. De aliis autem inferioribus dignitatibus nihil ibi expressè dicitur; quia verò Episcopalis dignitas specialiter conceditur, videntur aliæ prohiberi. Et ita senserunt multi interpretes, vt ibi glossa refert. Aliunde verò cùm in priori parte illius capitis nouitij solùm prohibeantur eligi ad prælationem religiosorum, consequenter videntur admitti ad quamcunque aliam electionem, quia per se, & ex natura rei excluſi non sunt: ergo eo ipso quòd non excluduntur, admittuntur. Censeo ergo idem esse iudicium de his dignitatibus extra religionem, quod de beneficiis; non debent enim eligi nouitij, si tamen eligantur, nõ est electio irrita, ad Episcopatum autem & validè, & licitè eliguntur. Ratio autem assignari potest, quia Episcopatus est status maioris perfectionis, & ad cõmune Ecclesiæ bonum maxime necessarius; & ideo si nouitius aliquis dignus sit, & Ecclesiæ opportunus, statim prouocari potest ad Episcopatum, non expectata professione. Addo etiam, post electionem posse, si velit, profiteri, & postea Episcopus consecrari, & simul esse religiosus, & Episcopus. At verò quælibet alia dignitas sæcularis infra Episcopatum est inferior quoad statum perfectionis, imò & de se repugnans illi; & ideo non debet nouitius per electionem ad illam à proposito religionis distrahi; si tamen eligatur; quia persona non est incapax, neq; vllo iure irritatur electio, valida erit.

*Secunda affirmatiua quoad Episcopatũ.*

*Quoad alias inferiores dubium.*

*Tertia affertio quoad alias eligi valide, sed non licite.*

*Ratio assertionis 2. & 3.*

16. *Punctum 3. Opinio aliquorum sub distinctione.*

Tertium punctum de electione actiua tractat Sylu. *Religio*. 5. q. 11. & Angel. verbo *Nouitius* n. 24. cum Ioanne Andr. qui latè hoc tractat. in d. cap. *beneficium*, de Regul. in 6. & sub distinctione respondent, quia vel ius eligendi competit nouitio, vt est pars alicuius Collegij, vel Capituli, vt habet Canonicus ad eligendum Episcopum, v. g. aut competit illi ex iure speciali, & personali, & convenit patrono ius nominandi. In priori verò casu dicunt, non esse nouitium vocandum ad electionem; in posteriori autem posse, & debere; neutrum autem aliquo iure confirmant, sed congruentiis, quarum summa esse videtur, quia quando ius est communitatis, vel ratione illius, per ipsam communitatem sine nouitio potest commode fieri electio; aliunde verò non potest nouitius conuenienter vocari sine dispendio religionis. At verò quando ius est speciale, per se loquendo magis est necessarium suffragium patroni, vel alterius habentis tale ius, & regulariter etiam id potest facilùs fieri sine exitu nouitij à claustro, atque sine multa distractione, vel dispendio religionis. Atque in hac posteriori parte mihi non est dubium; prior autem videtur minus certa; quia cùm nouitius retineat suum ius eligendi propter congruentias, & sine lege non est illo priuandus; ipsius enim, & religionis erit iudicium, an sibi expediat, necne, electioni adesse. Eò vel maximè, quòd posset suffragium suum alteri committere, iuxta cap. *quia propter*. §. *Illud*, de electione. Nihilominus placet sententia communis, ita illam intelligendo, vt si nouitius velit electioni adesse, excludi non possit; hoc enim probat efficaciter ratio facta, quia non potest priuari iure suo; alij tamen non tenentur eum vocare, quia ille regulariter non potest commodè adesse: ergo neque alij tenentur illum vocare, argumento dict. cap. *quia propter*.

*Fundamẽt.*

*Resolutio 1.*

*Resolutio 2.*

17. *Punctum 4*

Quartum punctum de ordinatione nouitij proprie non spectat ad obligationes eius, neque ad obseruantiam paupertatis, vel materiæ alterius voti, sed magis pertinet ad materiam de irregularitate, vbi de illa re diximus. Videantur Angel. supra n. 20. & Syl-

& Syluest. quæst. 10. & cap. *Monasterium* 19. quæst. 3. v-bi Doctores de hoc tractant, & communiter textus ille allegatur ad probandum prohibitum esse nouitium ordinari; mea tamen sententia de hac re non loquitur, sed de receptione ad habitum religionis, ad quam voluit ibi Greg. præcedere biennium probationis, vt superiùs explicatum à nobis est; estque manifestum ex contextu. Quocirca nullum ius ego inuenio, in quo sit interdictum nouitium ordinari, & ideo tom. 5 in 3 partem disput. 50 sectione 5. numero 13. absolutè docui posse intra annum, seu tempus nouitiatus ordinari; à quo verò prælato dependeat, seu facultatem, & litteras demissorias habere debeat, vt legitime ordinetur, alibi ex professo est disputandum; nunc breuiter dico, quamuis probabile sit, satis esse habere facultatem ab Episcopo, in cuius diœcesi est monasterium, in quo probatur, vt opinatur Sancius in Decal. lib. 4. de voto cap. 39. numero 20. probabilius tamen credo id spectare ad Episcopum, in cuius diœcesi domicilium habebat, quando ingressus est religionem; quod obiter attigi tomo præcedenti tractatu de voto lib. 6. cap. 12. num. 9. Et ratio est, quia nouitius dum est in probatione, non commutauit priorem statum simpliciter in statum religiosum, & consequenter nec mutauit domicilium; ergo adhuc manet sub prioti Episcopo in his, quæ absolute respiciunt personam suam: ergo ab illo adhuc pendet in literis dimissoriis. Ex quibus sequitur attento iure communi in hoc minimè pendere à prælato religionis, cùm pro eo tempore non habeat iurisdictionem simpliciter quasi Episcopalem in illum, sed magis limitatam, ad finem scilicet, probationis. Dixi, *attento iure communi*, quia si religio habuerit circa hoc speciale priuilegium, cum ampliatione illud communicandi nouitiis, sicut habet Societas Iesu, vt constat ex compendio priuilegiorum eiusdem, verbo *Communicatio*. §. 5. Tunc poterit illorum prælatus has litteras eis concedere demissorias, sicut aliis professis, vel religiosis; similiter hoc priuilegio vti poterunt aliarum religionum prælati, qui cum Societate in priuilegiis communicant erga suos nouitios. Addo quamuis in priuilegio religioni concesso hæc extensio non exprimatur, probabile est ita ex legitima interpretatione ad nouitios posse extendi, cùm probabilis sententia doceat nouitios priuilegiis religionis gaudere, quam sequitur Molina tomo 1. de Iustitia, disput. 139. & alii.

### *Ad quid teneatur in materia obedientiæ.*

A. Tertiò dicendum est de his, quæ ad obedientiæ votum spectant, sub quibus totum onus regulæ comprehenditur. De quo generaliter dicendum est, nouitium per se, & directe non posse obligari in conscientia præcepto superioris. ita docent omnes, & patet, quia nondum illi obedientiam promisit. Eadem ratio probat, non obligari in conscientia ad obseruationem regulæ, quia nondum illam professus est, nec seipsum religioni perfectè tradidit. Dico autem, *per se, & directè*, primò, quia tenetur non præbere aliis religiosis scandalum, vel prauum exemplum, & ex hac parte obligari poterit aliquando vel statum illum relinquere, vel saltem in rebus publicis, & communitatis regulam obseruare. Secundò id addidi, quia licet non teneatur sub culpa obedire, vel seruare regulam, tenetur nihilominus ita subiacere religiosæ disciplinæ, vt per violentiam non resistat; nam hoc necessarium est ad conuenientem gubernationem, aliàs sequi posset in monasterio magna inordinatio, & confusio. Vnde quando primò habitum suscepit, ad hoc se virtute obligauit, pactum ineens cum religione, vt quandiu ibi permaneret, sicut ab ea sustentari, doceri, & dirigi debet, ita etiam religiosè corrigi posse. Dices, posset nouitius nolle castigationem admittere, sed habitum potius dimittere. Respondetur, probabile esse tunc etiam superiorem debere, aut castigationem remittere, aut eum liberè dimittere. Illud autem prius sæpius fortasse expedit, vt maiori bono nouitii consulatur, si alioqui commune bonum religionis non periclitatur. Et hac ratione videtur dixisse Angelus verbo *Nouitius* num. 18. licet nouitii non teneantur ad obseruationem regulæ, debere ad eam induci, aliquid tamen esse illis indulgendum, ne retrocedant; sæpè verò propter commune exemplum, vel quia eo ipso, quòd ita resistit disciplinæ, se ostendit ad religionem ineptum, maxime si non semel ex passione, sed sæpe ex praua natura id faciat; aliquando, inquam, expediet potius illum dimittere, quàm conniuere, nec tunc eneruatur disciplina, quia ipsa dimissio est satis magna pœna. Addo insuper, sæpe expedire in tali casu priùs castigare nouitium, & postea illum dimittere; tum quia tale potest esse delictum, vt per dimissionem non sufficienter puniatur; tum etiam ne detur aliis nouitiis occasio liberè peccandi, & deficiendi in vocatione sua. Et ita limitandum videtur, quod Syluest. ait verbo *Religio* 5. quæst. 7. posse nouitium ad tempus detineri in carcere si ipse velit, & non aliter; quia non potest impediri, quin religionem dimittat, si velit: hoc enim tunc procedet, quando ipsa dimissio reputatur sufficiens pœna; alioqui ne delicta maneant impunita, & nouitii sumant occasionem perpetrandi similia delicta, censeo posse detineri nouitium, donec sufficienter puniatur, & postea dimitti; neque hoc erit contra capitulum *statuimus*. vel cap. *non solùm*. De regularib. extra, in 6. quæ præcipiunt libere dimitti nouitium volentem discedere; illa enim loquuntur per se, seu re integra, seu in ordine ad statum, non verò impediunt iustam punitionem delicti, ratione cuius nouitius specialiter subditus est iudici Ecclesiastico, & prælato suo, à quo, & puniri, & torqueri potest, si necesse sit, vt recte docuit Nauarr. alios referens Consil. 5. de foro comper. Vltimò in hoc etiam animaduerto, prælatum religionis respectu nouitii, & durante illo statu sustinere curam proprii parochi, & Episcopi, & ideo quamuis non possit illum sub præcepto obligare ad opera confitiorum, posse tamen ea omnia præcipere etiam sub censuris, si necesse sit, quæ parochus, vel Episcopus præcipere possunt, quia tale præceptum non fundatur in voto obedientiæ, sed in iurisdictione Ecclesiastica per summum Pontificem concessa. De qua iurisdictione, quantum se extendat tam in casuum, vel censurarum reseruatione, eorumque absolutione, quàm in externa punitione, dicemus infrà tractando de iurisdictione prælatorum.

Tandem ex dictis resoluitur dubium, an teneatur nouitius canonicum officium recitare. Partem enim affirmantem tenuit Palud. in 4. dist. 15. quæstione 5. propter rationem in principio tactam, quòd nouitius gaudet priuilegiis religionis, & alitur eius rèditibus, vel eleemosynis fidelium: ergo tenetur saltem ad hoc onus, quod est veluti officium publicum, propter quod religiosi ab Ecclesia aluntur. Nihilominus certum est, non obligari nouitium ad recitandas horas ex proprio præcepto, vt melius docuerunt Din. Antonius 3. part. titulo 13. cap. 4 § 1. Syluest. verbo *Hora* quæst. 2. Caietan. in 2. num. eodem verbo, Soto libro 10. de

Iustitia quæst.5.art.3.in fine, Lessius lib 2.cap.37. dubit.9.n.49.Sà verbo Horæ canonicæ n.1.Et ego tom. 2.de religione lib. 4. de Horis canonicis cap.17. n.2. aliquid de hoc puncto attigi. Ratio verò est, quia illi verè non sunt religiosi, & ideo nullus est titulus, quo possint obligari, cùm alioqui etiam non sit de hac re vllum præceptum, nec consuetudo præscripta. Nec refert quod gaudeant priuilegiis, nam vt rectè ait Nauarr. etiam clerici in minoribus, si defe-

*Probatur Primò*

*Secundò.*

rant habitum clericalem, gaudent priuilegio Canonis, & tamen ad recitandum canonicum officium non tenentur, sed sufficiens ratio illius priuilegii reputatur, quòd sint in via ad altiora ministeria, idem ergo est de nouitio, qui iam est in via, & quodammodo incipit consecrari Deo. Et hoc etiam sufficit vt alatur Ecclesiasticis bonis, seu eleemosynis, præsertim quia non est illa proxima ratio, vnde obligatio hæc oriri solet, de quo aliàs.

# INDEX CAPITVM LIBRI SEXTI.

## DE PROFESSIONE RELIGIOSA.


CAP. I. VTRVM professio sit, fueritque semper necessaria ad religiosum statum.

II. Quid sit formaliter, ac substantialiter professio religiosa, & quis sit formalis effectus eius.

III. Vtrùm ad valorem professionis necessarius sit consensus omnino liber, & in ætate perfecta.

IV. Vtrùm ad valorem professionis necessarius sit consensus ita liber, vt non ex metu tribuatur.

V. Vtrùm ad professionem necessarius sit consensus ita liber, vt non per dolum, vel ignorantiam detur.

VI. Vtrùm ad professionem necessaria sit libertas à seruitute.

VII. Vtrùm libertas à matrimonii vinculo ad professionem necessaria sit.

VIII. Vtrùm Episcopus, vel in alia dignitate constitutus possit religionem profiteri.

IX. Vtrùm obligatio filii ad parentem, vel alia similis professionem impediat, vel potius per eam tollatur.

X. Vtrùm ad professionem necessaria sit libertas à quocunque debito, vel vinculo, & ad quid postea teneatur, qui debitis obnoxius profitetur.

XI. Quæ conditiones ex parte religionis necessariæ sint, vt professio rectè, & validè fiat.

XII. Quæ forma seruanda sit, vt professio validè, & rectè fiat.

XIII. Quos effectus habeat valida professio.

XIV. Vtrùm per professionem commutentur, seu extinguantur omnia vota, quæ ipsam præcedunt.

XV. Vtrum professio religiosa quatenus contractum humanum includit, sit indissolubilis per contrahentium voluntatem, & vnde id habeat.

XVI. Vtrum professio sit vinculum omnino indispensabile etiam per potestatem Pontificis.


LIBER

# LIBER SEXTVS.

## DE PROFESSIONE RELIGIOSA.

POST nouitiatum completum, sequitur religiosa professio, per quam religiosus status substantialiter consummatur, & ideo de illa consequenter dicendum est. Primò, quàm sit necessaria ad religiosum statum. Deinde, in quo substantialiter consistat, & quas causas, vel conditiones requirat, vt valida sit, & quot modis fieri possit, seu quotuplex sit. Ac deinde, quas proprietates, & effectus habeat. Quia verò professio, & expresse, & tacite fieri potest, & illa, quę est expressa, & quasi exemplar alterius, & professio simpliciter, ideo de illa priùs, & præcipuè hic disputamus; postea verò quæ ad aliam pertinent, addemus.

### CAPVT I.

### *An professio sit, fueritque semper necessaria ad religiosum statum.*

1. Tres significationes professionis.

PRofitendi verbum, & eadem proportione professionis nomen latissimè patet apud Latinos, significare enim solet publicam testificationem, seu confessionem, seu alicuius muneris assumptionem, præsertim si cum speciali solemnitate, & obligatione fiat. Sic dicitur aliquis profiteri malitiam, dicebantur etiam olim profiteri nomina apud Prætorem; & in Euangelio legimus, ascendisse Ioseph, vt profiteretur cum Maria, Lucæ 2. Sic etiam dicimur profiteri, & à Concilio Trident. sess. 24. cap. primo de reformatione præcipitur aliquando fieri professio fidei. Ac denique Diuus Thomas 2. 2. quæstione 184 articulo 5. eodem ferè modo dixit, cùm aliquis assumitur ad Episcopale munus, adhiberi aliquam solemnitatem cum professione, qua se obligat ad tale ministerium. Iam verò communi vsu Ecclesiæ accommodata est hæc vox, vt significet actum illum, quo is qui vult religiosus fieri, statum illum publice, solemniter, ac firmiter assumit: quo sensu est frequentissima hæc vox in iure Canonico, & decretis. Est autem hæc significatio in prædicto sensu generalis, abstrahit enim à professione facta per vota solemnia, vel simplicia, & à professione omnino absoluta, & irreuocabili ab ea, quæ includit conditionem, & dissolui potest. Quia verò nunc agimus de ordinario iure religionum, prout nunc est in vsu Ecclesiæ, ideo in præsenti ferè semper loquemur de professione omnino absoluta, & irreuocabili, aliam reseruantes in postremam partem huius materiæ, quæ est de Societate in particulari, cuius ille modus profitendi proprius est.

2. Assumitur definitio.

Sic igitur declarato quæstionis titulo dicendum est, professionem veram, ac validam ita esse de substantia religiosi status, vt ante illam non sit aliquis verè, ac propriè religiosus, per illam autem fiat. Hæc assertio iuxta proximè notata intelligi posset cum proportione: nam si sit sermo de statu religioso in generali, prout à nobis in superioribus explicatum est, professio etiam in eadem generaliter est sumenda. Si autem è contrario sermo sit de professione per vota solennia, status etiam religiosus cum proportione sumendus est: vt autem omnis tollatur æquiuocatio, sensus debet esse formalis, vt, iuxta proportionem status, modus etiam professionis necessarius sit. Loquendo ergo, vt dixi, de communi more religionum, conclusio intelligi potest de solenni professione. Vt autem conclusio sit in vniuersum vera, necesse est intelligi de professione valida, vt abstrahit à tacita vel expressa; & ideo liret de expressa hîc præcipue disseramus, de vtraque probabimus. Et probatur primò ex cap. *Religiosi*, de sentent. excomm. in 6. §. *Quamuis autem is qui religionem ingreditur, religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacitè, vel expressè professus*, &c. & idem habetur in cap. *porrectum*, de Regular. cùm monachum non faciat habitus, sed professio regularis. Quod etiam sumitur ex cap. *exparte*, eod. tit. & in Concil. Matiscon. cap. 5. & Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. de Reformat. & ideo etiam in cap. *consuluit*, qui cler. vel vouent. dicitur habitum sine professione, non impedire quominus matrimonium postea contractum valeat. Et Sixtus V. in declaratione suæ constitutionis de illegitimis, eodem sensu dixit, *Quia tunc verè, & propriè religiosi effici dicuntur cùm professionem emittunt*, &c. Atque in hac veritate conueniunt Doctores superiùs præcitata, & Theologi & Summistæ quos infrà referemus.

*Notatio pro explicanda assertione tradita.*

*Probatur ex iure.*

3. *Probatur ex perpetua Ecclesiæ traditione.*

Secundò principaliter potest probari assertio ex perpetua Ecclesiæ traditione: nam ex quo tempore incepit religiosus status, incepit etiam professio, cuius antiquissima mentio inuenitur in sanctis Patribus interdum sub nomine consecrationis, aut benedictionis, interdum nomine iuramenti, aut voti, & sæpe etiam professionis. Dionysius enim cap. 6. de Eccles. Hierarch part. 2. ita monasticæ professionis ritum describit. *Stat quidem Sacerdos ante sacrum altare monasticam impetrationem psallens.* Et infrà. *Ea verò finita sacerdos ad eum accedens* (ad eum scilicet, qui monachus efficitur,) *interrogat primùm an renuntiet visibilibus omnibus, non solùm viris, verùm imaginibus quoque, ac phantasiis. Deinde exponit illi perfectissimam vitam, illum apertè contestans, oportere illum mediam* (id est, communem vitam) *longè antecedere. Vbi verò ille ista omnia intente promiserit, consignans cum crucis signo sacerdos tondet tres diuinæ beatitudinis personas inclamans, exutumque veste omni, aliam induit, & cum sanctis aliis, qui adstant viris, ipsum salutans diuinorum mysteriorum participem efficit.* Præterea Eusebius lib. 9. de Præparat. Euang. cap. 1. institutionem Essenorum referens ex Porphyrio inter alia inquit, *Qui in eam sectam veniunt, non statim*, &c. (quæ infrà agentes de probatione Societatis referemus) & infrà, *Antequam comiter cum eis vescantur iureiurando confirmant primò pios se erga Deum futuros*, &c. Similia refert Cyrill. lib. 5. contra Iulian. & sumuntur ex Iosepho lib. 2. de bello Iudaico c. 7. Diximus autem suprà ex eodem Eusebio lib. 2. histor. cap. 16. hos Essenos fuisse monachos, qui in Alexandria sub Marco

*Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.*

Christianam perfectionem profitebantur: vnde per illud iusiurandum religiosa professio significari videtur. Verum est diuersam videri narrationem Porphyrii, quam Eusebius priori loco refert à narratione Philonis, quam refert posteriori loco. Vnde licet Philo de Christianis loquatur ex Iudæis conuersis, Porphyrius autem multa narrat, quæ ad Iudaicos ritus ita pertinent, vt non possint commodè religiosis Christianis attribui: vnde ille vere loqui videtur de antiquis Essenis, qui in Iudaismo erant, quibus non possumus propriam religiosam professionem attribuere. Vnde in superioribus etiam aduertimus illud iuramentum non fuisse de obseruandis propriis consiliis Euangelicis, sed de pietate erga Deum, & similibus, quæ per se ad honestatem seruandam, vel vitandum peccatum necessaria sunt. Nihilominus per se credibile est Essenos Christianos sicut antiquorum mores ad perfectionem Christianam transtulerunt, & subleuarunt, ita altiorem modum professionis iuxta Ecclesiasticum morem obseruasse.

*Essæi non fuerit proprie religiosi professi.*

4. Præterea in Regula Pacomii (quam ab Angelo eireuelatam historiæ referunt) cap 95. habetur monachos nouitios priusquam ad secretiorem fratrum conuersationem susciperentur, promittere solitos seruare regulas monasterii, per quam promissionem regularis professio significari videtur. Imò & August. cùm lib. 17. de Ciuit. cap. 4. dicit Apostolos votum magnum emisisse, per illud votum religiosam professionem planè intelligere videtur. Expressiùs Basilius sæpe huius professionis mentionem facit, nam epist. ad Conon *Non vnus*, inquit, *agon immunet ex pacto profitendi*, quod vitæ genus, inquit inferiùs esse conueniens Euangelio; & in Regula 14. & fus. disput. fusè de hac professione disserit. Et inter alia ait, *Qui intra reliquorum fratrum societatem assciptus, factam iam à se professionem rescinderit, is perinde aspiciendus est, vt qui in Deum peccarit, quem videlicet professionis suæ testem adhibuerit, cuique solennis se voto obligarit.* Quod ibi & regula 15. latè prosequitur. Et sermone de Inst. monach. *Ante religiosæ*, inquit, *istius vitæ professionem liberum est vnicuique communem cum cæteris viuendi normam sequi. Vbi verò iam quis sponte sua ipse professus est, hic Deo custodire seipsum debet, veluti eorum aliquid, quæ dicata sunt Deo, ne sacrilegii iudicium incurrat.* Et Epistola ad Amphilochium Ionii Episcopum can 19. *Virorum*, inquit, *professiones non nouimus, præterquam si qui seipsos monachorum ordini adiudicarint, qui tacite videntur cœlibatum admittere, sed in illis quoque illud existimo præstare oportere, vt ipsi interrogentur, & euidens ipsorum accipiatur professio.* Vbi indicat etiam diuisionem professionis in tacitam & expressam, de qua infra latiùs. Quod verò ait in solis monachis professionem inueniri, de laicis intelligendum puto, nam in clericis regularibus verisimile est etiam eo tempore inuentam fuisse, vt in superioribus attigimus. Multo autem id certius est de tempore D. Augustini; nam licet in sua regula expressam non faciat mentionem professionis, postulat tamen à suis obseruantiam paupertatis, castitatis & obedientiæ, ad quam eos teneri supponit. Vnde in sermone 2. de comm. vit. cleric. *Qui societatem*, inquit, *communis vitæ iam susceptam, qua laudatur in actu Apostolorum, deserit, à voto & professione sua cadit, & Deum habet iudicem.* Et sermone 60. ad fratres. *Sic & tu monache, antequam promitteres, in tua erat potestate facere quod volebas, vox tua ligauit te mihi:* vbi expendenda illa particula *mihi*, recte enim explicat vim professionis, vt infrà dicam. Similia habet in ea verba Psalm. 75. *Vouete & reddite Domino Deo vestro.* In regula etiam S. Benedicti cap. 58. expressa est forma profitendi.

*Metaphrastes in vita eius Niceph. lib. 9. hist. c. 14. Sozomenus lib. 3. hist. c. 13.*

*Explicatur verba D. Basilii.*

Eadem traditio confirmari potest ex Cassiano li. 4. de Instit. renunc. cap 33. 5.

Pœnæ, inquit *grauissimæ præparantur iis, qui tepide & negligenter institutionis regulam fuerint executi, & secundùm hoc quod professi sunt, fructus etiam congruæ sanctitatis eidem exhibere neglexerit, melius est enim secundùm Scripturæ sententiam non vouere, quàm vouere & non reddere.* cap. 36. *In hac nuditate, quam coram Deo & Angelis eius professus es, ad finem vsque perducas.* Et Isidorus in sua regula cap. 4. *Conuersus*, inquit, *in monasterio recipiendus non est, nisi prius ipse se scriptis spopondrit permansurum: sicut enim hi, qui ad secularem promouentur militiam, in legionem non transeunt, nisi ante in tabulu conferantur, ita & hi qui spiritualibus castris cælesti militia sunt signandi, nisi prius professione verbi, aut scripti teneantur, in numerum & societatem eorum, qui seruunt Christo, transire non possunt.* Cum quibus verbis illa duo expressè posuit, scilicet, & sine professione non posse esse religiosum, & per illam constitui. De eadem que professione loquitur Hieron. cùm epistol. 8. ad Demetriadem dicit, *Quando eras in seculo, ea quæ erant seculi diligebas.* Et infrà. *Nunc autem quia seculum reliquisti, & secundum post Baptismum gradum misti pactiũ cum aduersario tuo, dicens ei: renuntio tibi diabole, & seculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, seruæ fœdus quod pepigisti.* & epist. 1. ad Eliodor. *Animaduerte frater, non tibi licet de tuis quidquam habere rebus.* & infrà, *Sed forsitan dicturus es, quid ergo? quicunque in ciuitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa quæ cæteris: Dominum auscultæ dicentem: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia tua, & da pauperibus, & veni & sequere me. Tu autem perfectum te fore pollicitus es: nam cùm derelicta militia te castrasti propter regnum cælorum, quid aliud quàm perfectam sequutus es vitam?* Tandem confirmari potest hæc traditio ex his quæ antiqui Patres tradunt de velandis virginibus: nam veli impositio professio quædam religionis fuisse videtur saltem in aliquibus, vt in superioribus attigimus ex Innocent. I. epist. 2. ad Victricium c. 11. & 13. & ex Tertulliano lib. de Velandis virginibus, & videri possunt Optatus Milleuit. lib. 6. de Schismate, vbi hoc velum fuisse dicit insigne quoddam quo sacræ virgines à non sacris discernebantur. Quod etiam sumitur ex Ambros. lib. 3. de Virginib. & Chrysost. in serm. Quòd regulares fœminæ viris cohab. tom. 5. & videri possunt alia quæ congerit Gratianus 20. q. 1. & 27. q. 1.

*Veli impositio in virginibus erat professio religionis.*

6. In his ergo Patrum testimoniis obseruandum est, quamuis ex eis euidenter constet in religionis statu semper fuisse necessariam professionem aliquã, quæ obligationem induceret ex voto aliquo, promissione, aut pacto, præsertim ad illa tria consilia paupertatis, castitatis & obedientiæ; non tamen ex illis satis colligi qualis fuerit illa obligatio, vel promissio, quoſve effectus habuerit, ideo que non satis etiam constare, an loquantur de professione solenni, qualis est illa, quæ nunc regulariter fit. Satis ergo nobis fuerit nunc ostendisse professionem generatim sumptam semper fuisse ad religiosum constituendum necessariam. Ad quod etiam adduci possent, quæ de sacrandis & velandis virginibus apud antiquos Patres inueniuntur: hinc enim satis constat professionem esse de ratione status religiosi, modus autem eius pertinebit ad modum status, qui accidentarius illi est. Atque hinc etiam sumitur ratio à priori conclusionis, quia de ratione status religiosi est firmitas, seu stabilitas in eo genere vitæ, quod per talem statũ assumitur; sed hæc firmitas non est sine professione, & per illam contrahitur. ergo professio necessaria est ad statum religiosum. Maior demonstrata in superioribus est tam de statu in genere, quàm de statu perfectionis, & religionis; vbi conclusimus ad hunc statum non satis esse voluntatem seu propositum, nisi obligatio aliqua intercedat. Et inde facile etiam pro-

*Notatio circa professionem ab antiquis Patribus desideratã.*

*Probatur assertio prima à priori.*

iam probatur minor, quia ante professionem nihil est firmum, & stabile, cum nouitius possit liberè recedere: per professionem autem firmitas quædam & immobilitas acquiritur, cùm iam non sit in libera voluntate professi, statum susceptum dimittere, vt iura, & Patres citati docent, & ex vsu ac sensu Ecclesiæ constat. Vnde autem hæc firmitas proueniat, & quanta sit, statim explicabimus: nunc satis sit dicere in ea intervenire votum & promissionem, quæ obligationem atque adeò firmitatem inducit.

7. Ex quo intelligere licet, professionem hãc, quam necessariam & sufficientem ad statum religionis esse diximus, debere esse validam, nam si inualida sit, non inducit obligationem, & consequenter nec religiosum facit. Distinguenda itaque est professio (loquendo de professione quæ est prima diuisio eius) in validam & nullam, seu inualidam, quæ est diuisio pluspquam analogia analogata, vt sic dicam; nam professio inualida cùm nulla sit, professio non est, sed solùm apparet. Dicitur autem professio inualida, quæ licet exteriùs fiat eo modo quo solet fieri vera professio, re tamen vera talis non est, nec vim habet obligandi; cùm ergo illa non sit professio (sicut homo pictus non est homo,) mirum non est quòd religiosum non constituat, scilicet verè & in re, sed ad summum apparenter etiam & in existimatione. Quibus autem modis contingat professionem esse inualidam: vel, quod perinde est, quæ sint necessaria, vt professio sit valida, in sequentibus videbimus. Præterea solet professio diuidi in expressam & tacitam. Expressa est, quæ fit per formalia & expressa verba, qualia sunt: Ego professionem facio, vel alia æquiualentia, iuxta varios modos religionum, quos infrà indicabimus. Tacita verò appellatur, quæ factis potius quàm verbis fit, scilicet, gestando habitum, vel exercendo actus professorum, vt infrà latè declarabimus.

1. Conclusio ergo posita de professione quacunq; dummodo valida sit, intelligenda est, nam sola professio valida potest esse necessaria, & ideò ex hac parte non potest verificari assertio de sola professione expressa, cùm etiam tacita verum religiosum constituat, vt multa iura testantur, vt patet ex ca. *statuimus*, de Regular. cum similibus, & sumitur etiam ex cap. *viduæ*, eod. tit. & ex cap. *non solùm*, cap. *constitutionem*. & cap. *beneficium*, de Regular. in 6. & Clem. *Eos qui*, eod. tit. Quod ius per Concilium Trident. reuocatum non est etiamsi sess. 25. de Regularib. cap. 15. annum integrum ante professionem requirat: nam id solùm habetur, ante professionem etiam tacitam, requiri etiam nunc probationis annum, non tamen excluditur, quin illo præmisso fieri possit, & ideo ius antiquum integrum manet, cùm non sit reuocatum, & ita declarauit Congregatio Cardinalium, & Sixtus V. manifestè supponit in declaratione suæ constitutionis de Illegitimis, dum ait, *Sed cùm eadem ratio vigeat in professione tacita emittenda, quæ militat in expressa, statuimus quòd in quibuscunque ordinibus & religionibus, nequetiam tacita professio quoramcunque religiosorum induci possit, nec inducta intelligatur nisi in receptione, constitutionis forma seruata fuerit*; ergo si receptio legitima fuerit, poterit ex mente Pontificis etiam nunc subsequi tacita professio. Vnde eadem verba applicare nos possumus ad Concilium interpretandum exillo eodem principio, quòd eadem ratio vigeat in tacita professione emittenda, quæ militat in expressa. Ac denique in sequenti §. qui incipit. *Si quis verò nec litem nostram constitutionem iam tacite professus expressè cupiat profiteri*, &c. aperte supponit Pontifex nunc etiam professionem tacitam habere locum, & tam esse validam, vt non sit necessaria noua acquisitio ad faciendam expressam. Ratio autem huius communis iuris est, quia interior voluntas, à qua maximè pendet professionis efficacia & obligatio, vt infrà dicam, non solùm verbis, sed etiam factis sufficienter declarari potest, vt per se constat: ergo quamuis non intercedant verba expressa, si per facta sufficienter declaretur voluntas profitendi, & mutandi statum, id satis erit ad veritatem professionis: hæc autem est quæ professio tacita vocatur, vt dixi: ergo illa per se sufficit ad religiosum statum constituendum.

*Probatur secundò ratione.*

Quamuis autem circa explicationem huius doctrinæ plures difficultates inferiùs tractandæ occurrant, circa veritatem tamen eius non se offert difficultas alicuius momenti. Duo enim diximus, vnum est per veram professionem constitui aliquem verum religiosum, & contra hoc nihil video quod obiici possit, cùm non possit cogitari vera professio quę non inducat obligationem, quæ ad talem statum constituendum sufficiat. Aliud est sine vera professione non fieri verum religiosum. At contrà obiici potest, quia multi in iure vocantur religiosi, qui professionem non emittunt, vt in cap. *Saluator*. 1. q. 3. clerici omnes dicuntur religiosi, & in iure omnes personæ Deo dicatæ aliquo speciali modo religiosæ dicuntur, ita vt priuilegio clericali gaudeant, quamuis professionem non emittant. Difficilius autem est, quòd in aliquibus iuribus præter professionem tacitam & veram, propositum mutandi vitam cum susceptione habitus sufficere dicitur, vt quis religiosus fiat, vt patet in c. *beneficium*, & cap *super eo*, in 6. & extrà de Regular.

9. *Prima pars assertionis posita.* *Secunda pars. Argumẽt contra 2. partem.*

Respondetur ad priorem partem, vocem illam *religiosus*, æquiuocam esse in iure, de qua multa tractant Iurisperiti in rubrica de Regularibus, vbi Panormit. late hoc tractat, & refert alios, & ibi in addit. plures referuntur; quæ in summam redigunt Syluest. & Angel. verbo *religio* 1. Breuiter autem dicitur, religiosum proprie esse qui tria vota substantialia in religione approbata emittit, vt ex superiùs à nobis tractatis satis constat, & omnes auctores docẽt, & ita loquimur in præsenti. Sic ergo cessat difficultas tacta, nam si interdum alii nõ professi religiosi dicuntur, sumitur vox in latiori significatione; nam quia religio est virtus præbens cultum Deo, omnis persona, quæ in hoc munere aliquid speciale habet, potest religiosa appellari. Quomodo autem in iure accipienda sit, an strictè vel latè, communis resolutio esse videtur, in dispositione odiosa sumendam esse strictè, in fauorabili late. Ego verò censeo non posse hoc generaliter definiri, sed materiam, finem, & alias circumstantias, ac verba legis esse obseruanda, vt mens legislatoris vel Pontificis percipiatur. Ad do etiam frequentiùs obseruari vt vox *rel gios* substantiue sumpta, strictè sumatur pro religioso proprio, qui aliàs dici solet regularis; adiectiue autem faciliùs solet late sumi.

10. *Responsio ad primam partem argumenti.* *Vox religiosus quo modo in ista re accipienda.*

In secunda obiectione petitur difficultas bis iam in superioribus tacta, quid nimirum in iure significat suscipere habitum cum proposito mutandi vitam, vel quam obligarionem inducat, si non est professio expressa, vel tacita. Hoc autem supponendo, dicendum est talem personam non esse religiosam; quia illud in vniuersum est verum, habitum sine professione non facere religiosum, qualecunq; propositum habeat. Et ideo talis persona proxime & immediate non manet obligata ad obseruantiam regularem, sed ad summum poterit esse obligata ad religionem profitendam, ratione voti simplicis, quod per illud propositum significatur, vt suprà declarauit. Tale verò votum ingrediendi religionem, etiam cũ simplici habitus susceptione non sufficit ad

11. *Ad secundam.* *Habitus sine professione non facit monachum.*

verum religiosum constituendum, vt per se notum est. Alia grauis difficultas hîc tractari poterat, quoniam olim fiebant religiosi non tantùm professione, sed etiam parentum donatione, hanc tamen commodiùs tractabimus infrà.

## Caput II.

### *Quid sit formaliter, ac substantialiter professio religiosa, & quis sit formalis effectus eius.*

1. *Rationes dubitandi proponuntur,*

Ratio difficultatis est, quia vel religiosa professio consistit in votis Deo factis, aut in pacto aliquo humano, vel in vtroque simul: nihil autem horum dici posse videtur; ergo. Sufficientia partitionis positæ per se nota videtur, nam per professionem religiosam nihil aliud intelligimus, nisi id vnde manat obligatio ad religiosum statum retinendum, quæ non potest oriri nisi ex promissione ad Deum, aut pacto cum homine: nulla enim alia causa excogitari potest, quia talis obligatio non potest ex nudo præcepto seu lege oriri, quia materia eius, non est materia præcepti, sed consilii. Minor autem quoad primam partem probatur, quia sola vota etiam de tribus consiliis, paupertatis, & castitatis, & obedientiæ, non sufficiunt facere religiosum: ergo non consistit in illis tota substantia professionis religiosæ. Consequentia euidens est, quia professio est veluti forma constituens religiosum; & ideo sicut impossibile est formam inesse, & non constituere formaliter tale, ita impossibile est in aliquo esse totum id quod est de substantia religionis, & non esse religiosum. Antecedens autem patet, quia potest quis illa tria vota priuatim emittere, & tamen non erit religiosus: nouitius autem ante expletam probationem eadem potest emittere, & non propterea professionem fecisse censetur. Item aliàs non esset ad professionem necessaria hominis acceptatio contra cap. *ad Apostolicam*, de Regular. Sequela patet, quia vt vota illa fiant ac valida sint, satis est quod fiant Deo à quo sine interuentu hominis acceptantur.

*Probatur primò sola tria vota non sufficere.*

2. *Probatur secundò solum pactũ humanum non esse satis. primò. Secundò.*

Secunda pars probatur, quia solum etiam pactum humanum non sufficit ad constituendum religiosum. Primò quidem, quia pactum humanum non est satis firmum, quia per voluntates contrahentium dissolui potest, professio autem religiosa videtur maiorem firmitatem postulare. Secundò, quia pactum humanum non inducit obligationem religiosam, sed iustitia, vel fidelitas, ac professio debet inducere obligationem religiosam; & ideo Patres suprà citati transgressionem eius sacrilegium vocant. Basilius autem Constit. Monast. cap. 22. professionem ipsam pactum cum Spiritu sancto appellauit. Tertiò, quia ex solo pacto humano non nascitur obligatio ad seruandam castitatem, vel paupertatem, sed ad summum possit oriri obligatio ad obediendum; de substantia autem status religiosi est obligatio ad castitatem, & ad paupertatem, vt suprà ostensum est.

*Tertiò*

3. *Probatur tertiò neque vota, neque pactum humanum simul sufficere. Primò. Secundò.*

Tertia pars probari potest primò, quia professio debet esse aliquid simplex, & per se vnum: non est ergo aggregatum ex pacto humano, & promissione diuina; quomodo enim ex his aliquid per se vnum fiet? Secundò, quia & in iure, & in forma vouendi videtur professio à votis distingui, sic enim in cap. *vnico*, de Voto in 6. votum continentiæ dicitur solennizari per professionẽ, & sacram ordinationem: sicut ergo sacra ordinatio non includit substantialiter votum, ita nec professio, nam æque condistinguitur à voto, & dicitur esse vt forma dans esse solennitati. Vnde in forma profitendi sic dicitur, *Ego professionem facio, & promitto paupertatem*, &c. ergo si propria verba sunt vera & efficacia, promissio subsequẽs non est de substantia professionis. Tertiò argumentari possumus, quia prima & secunda ratio in secundo membro factæ non solùm videntur probare pactum humanum non esse totam substantiam professionis, sed etiam non posse esse de substantia eius. Vnde in forma profitendi aliquarum religionum nulla illius mentio fit, vt Carthusiani sic profitentur. *Ego promitto stabilitatem, & obedientiam, & conuersionem morum meorum coram Deo & sanctis eius, & vel quius istius Eremi in præsentia Domini nostri Prioris*, &c. Quartò argumentamur è contrario, quia sæpe videtur facta in Ecclesia religiosa professio sine illis tribus votis: sic enim olim virgines profitebantur in manibus Episcopi, à quo velamen nigrum aut rubeum recipiebant, vt sumitur ex Concil. Tolet. 10. cap. 8. & ex Ambros. ad Virginem lapsam cap. 5. & de Instit. Virgin. ca. 8. & ex Hieronymo epist. 8. ad Demetriadem, & epist. 48. ad Sabinam aliquantulum à principio, & tamen illæ vel nihil vouebant, vel ad summum solam Virginitatem. Nunc etiam in aliquibus religionibus solùm fit professio cum voto obedientiæ, vt in religione Prædicatorum, qui solùm profitentur obedientiam secundùm regulam Sancti Augustini, vt constat ex lib. earundem Constitutionum distinct. 1. c. 15.

*Tertio.*

*Quartò.*

### *Traditionem esse de substantia professionis religiosæ.*

4. Primùm omnium dicendum est de substantia professionis religiosæ esse traditionem quam religiosus facit de seipso religioni, seu Deo in tali religione, & per prælatum eius, cuius acceptatio etiam est de substantia professionis. Antequam probetur assertio, recolendum est quod in superioribus dixi, statum religiosum de se & stando diuino iure non esse limitatum ad congregationem religiosam, quæ vnum corpus morale efficiat, sed posse fieri priuatim & solitariè. Quamuis autem frequenter ita fortasse fieret in exordio Ecclesiæ, postea verò reuocata est vita religiosa ad cœnobiticam, & iam nunc, iuxta Ecclesiæ decreta hic status verè ac propriè non habet locum extra religionem approbatam. Quia ergo proposuimus loqui de hac professione secundùm ordinarium ius Ecclesiæ; ideo dicimus substantialiter ac formaliter postulari traditionem religioni factam: seruata autem proportione, applicari hoc potest ad traditionem factam in manu Episcopi, vel alterius qui potestatem habeat acceptandi illam. Iam ergo assertio posita communis doctrina est Scholasticorum. D. Thom. enim in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 2. quæst. 3. ita professionem religiosam explicat, *Sicut*, inquit, *seruitutem alicui pollicitus, conf stim sese ei in seruum daret: sic facit qui se in præsenti dat Deo, diuinæ seruituti mancipando.* Ob eandem causam dixit Bonauent. ibi art. 2. quæst. 1. qui professionem emittit, non solùm castitatem promittere, sed etiam sui corporis dominium in alium transferre. Similiter Richardus ibi art. 7. quæst. 2. & 3. *Qui solenne* (inquit) *votum emittit, dat alij dominium super seipsum, & ponit se sub alterius potestate.* Item Duran. ibi q. 1. art. 2. in voto solenni aut fieri traditionem in seruitium Dei. *Vnde professentes*, inquit, *actualiter ponunt in manu prælati vice Dei.* Item Carthusianus ibi. quæstione 2. de eo qui profitetur, *Præsentialiter*, inquit, *seipsum offert & dat Deo, diuinæ seruituti se mancipando in manu eius qui recipere potest.* Item Soto ibi q. 2. art. 2. *Reuera*, inquit, *se tradit*, loquens de religioso profitente. Et lib. 7. de Iust. q. 2. art. 5. ad 6. ponit substantiam in hac traditione, vt ipsam censeat esse formaliter votum solenne, quod nobis suprà displicuit, & statim pauca addemus. Meliùs Hispalensis in 4. dist. 33. q. 1. a. 3. notab. 4. non votum ipsum, sed

*Notatio præmittenda.*

*Assertio traditionis communis.*

sed voti solennitatem essentialem esse dixit, quod quis se Deo donet, tradens se purè, realiter, & actualiter Dei seruitio ei qui vicem Dei habeat. Idem sentit Petrus Soto lect. 5. de Matrimon. in fin. cum dixit in voto solenni esse traditionem suiipsius, & Caietan. tom. 1. Opusc. tract. 7. de professione loquens, ait, *Ponit ipsum Deum & Ecclesiam in professionem corporis, non enim solum promittit, sed mutat de facto statum, & exhibet se ad religionis statum.* In eadem sententia fuit Altisiodor. lib. 4. Summæ tract. de matrim. cap. 7. quæst. 4. Tolet. lib. 4. cap. 18. Sanchez lib. 7. de Matrim. disput. 25. Et Basilius Ponce tom. 1. Variar. disput. quæst. 3. Scholast. cap. 5. Nauar. consil. 16. de Regul.

Probatur autem hæc sententia ex Innocentio III. in cap. *ad Apostolicam*, de Regularib. vbi primum ait probationem ordinari in fauorem conuersi, & monasterii, vt sese inuicem experiantur. Quod non alia ratione necessarium est, nisi quia professio traditionem vnius, & acceptationem alterius substantialiter requirit. Vnde statim subdit, *Si vtraque pars renuntiet iuri suo, & conuersus professionem emittat, & Abbas acceptet, obligationem oriri.* Ergo intelligit professionem substantialiter fieri per traditionem. Hoc etiam confirmari potest ex constitutione Gregor. XIII. in confirmationem instituti Societatis, *Ascendente Domino*, vbi declarat Scholares in Societate approbatos esse verè religiosos, tria substantialia vota emittentes, *Quippe qui* (inquit) *per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in ea mancipant*: Supponit autem Societatem esse religionem approbatam, ac proinde (vt ait) talia vota à Sede Apostolica fuisse admissa: manifeste ergo sentit hanc traditionem esse de substantia religiosi status. Confirmari etiam hoc posset ex antiqua consuetudine quæ fuit in Ecclesia, vt filios suos religioni traderet, vt per eam donationem religiosi efficerentur: sed ea consuetudo indiget expositione, de qua infra dicemus.

Ratio autem adiungi potest, quia vt aliquis in statu religioso constituatur, non satis est vt quomodocumque promittat, sed necesse est vt se priuet iure, quod in seipsum habet in ordine ad actiones, & ad omnia sua, illudque transferat in alterum, scilicet in religionem, vel prælatum (nullus enim alius excogitari potest.) Hæc autem translatio non fit nisi per traditionem religiosam, non enim est translatio coacta, qualis fit in captiuitate, vel alia seruitute pœnali; neque etiam est præcepta, quæ per legem fiat, quia nec de facto est talis lex, neque ista est materia præcepti; sed est voluntaria non per contractum temporalem, vt sic dicam, vt est emptio & venditio, nam hic potius repugnat religiosæ professioni, eamque simoniacam facit: ergo per traditionem omnino spontaneam, & suo modo spiritualem, vt statim explicabimus: est ergo hæc traditio de substantia professionis religiosæ. Maior probari potest argumentis factis in principio in primo membro, quibus etiam supra probauimus ad statum religiosum aliquid amplius requiri vltra tria vota, quod nihil posset esse, nisi prædicta proprii iuris abdicatio, & in alium translatio; vbi etiam adduximus Basilium qui aperte ita loquitur in reg. 14. ex fus. & in c. 12. Constit. monast. vbi donationem hanc comparat illi quæ in matrimonio fit, & non minus indissolubilem esse sentit: & similia habet serm. de Instit. renunt. & epist. ad Canonicam. Atque eodem modo Chrysostom. epist. 6. ad Theodorum monachum, *Nihil in te penitus tui iuris est, quippe qui tanto imperatori militare cœpisti, nam si mulier proprii corporis potestatem non habet, sed vir, multo magis qui Christo potius quam sibi viuunt, conditionem sui corporis habere non possunt.* Et eodem ferè modo loquitur Hieronym. in epist. 4. ad Rustic. monach. Gregor. lib. 1. Registri cap. 33. *Si ille* (inquit loquens de Anania) *mortis supplicio dignus fuit qui eos, quos dederat numos Deo abstulit, considera quanto periculo tu diuino iudicio dignus eris, qui non numos, sed teipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti.* Et refertur 17. quæst. 1. cap. *Ananias*. Hinc etiam Benedictus in regul. cap. 58. *Ex illo die nec corporis sui potestatem se habiturum sciat.* Quomodo etiam loquitur Cassianus lib. 2. de Instit. renunt. cap. 3. *Nec cui ipsius se Dominum, vel potestatem habere cognoscat.* Et Bern. serm. 19. in Cantica, *Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursus de vobis vos ipsos intromittitis?* Multa etiam in hanc sententiam sumi possunt ex D. Thom. 2. 2. quæst. 88. articul. 8. ad 3. & Opuscul. 18. de Perfect. vit. spir. cap. 8. & sequentibus. Plura ex Bonauent. lib. de Inform. nouit. cap. 2. *Te*, inquit, *dedisti ei propter Dominum, & iam non es tuus.* Et lib. de processu relig. cap. 28. sic explicat consilium Christi de propria abnegatione. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Et in speculo discipl. 1. p. cap. 4. hac ratione vocat religiosum statum felicem seruitutem, & gloriosam libertatem.

Præterea ex hoc principio docent Theologi omnes esse in prælato religionis potestatem irritandi vota religiosorum, vt in superioribus visum est, qui actus non præbent potestatem iurisdictionis, vt ibidem est ostensum: prouenit ergo ex potestate dominatiua, quam prælatus acquirit in religiosum ex vi traditionis ab eo factæ, & à se acceptatæ. Dices, ad hunc effectum, imo & ad saluanda omnia dicta Sanctorum adducta, sufficere obedientiæ votum, ratione cuius dicitur religiosus abnegare seipsum, quia sua libertate se priuat, & alterius voluntati illam submittit. Respondetur, si votum obedientiæ præcisè sisteret in ratione promissionis siue Deo, siue homini etiam factæ, reuera non esse sufficientem vt religiosus dicatur nullum habere ius in seipsum, quia per promissionem non transfertur dominium in alterum, nec datur ei ius in re, sed ad summum ad rem, & ideo promissor adhuc retinet ius in rem promissam. Quocirca si votum obedientiæ intelligatur factum soli Deo, illud non posset dare alteri potestatem ad irritanda vota, sed solum præcipiendi hoc, vel illud, iuxta amplitudinem voti, & tunc votum illud non obligaret circa talem materiam, quia non esset licita: votum autem in se ratum maneret, & vim haberet obligandi quoties cum præcepto alterius, cui obedientia promissa est, non opponeretur. Si vero obedientia includeret etiam promissionem factam homini cui obediendum est sine translatione iuris in ipsum, adhuc non sufficeret ad plenam irritationem voti in seipso, sed solum ad impediendam executionem eius ex parte materiæ, vt supra tractando de irritatione late ostendimus illa duo distinguendo. Vt ergo hic effectus locum habeat, necesse est fateri talem esse obedientiam religiosam, vt non solum promittatur, sed etiam tradatur ipsa voluntas per quam obediendum est, & ita constituatur sub voluntate alterius, vt sine illius consensu nullam possit firmam obligationem sibi imponere. Cuius signum etiam est, quia quantumuis nouitius voueat obedientiam prælato, vel pœnitens confessori, nunquam potest eius vota ita simpliciter & absolute irritare, sicut prælatus religionis id potest facere circa religiosum professum. Ergo signum est aliud genus donationis seu translationis proprii iuris fieri in religione præter simplicem promissionem obedientiæ: & de hoc genere traditionis loquuntur sine dubio Patres locis citatis, & ita explicant perfectam sui abnegationem & renuntiationem.

7. *Confirmatur ex potestate irritandi vota subditorum.*

*Instantia.*

*Dissoluitur.*

*Confirmatur exemplo.*

8. *Confirmatur vlterius ex materia paupertatis.*

Possumus præterea hoc colligere ex alio effectu pertinente ad paupertatem : nam per professionem fit, vt cum persona omnia bona & omnia iura religiosi transferantur in religionem : ita vt quidquid postea religiosus acquirat, statim in religionem transferatur, siue hæreditario iure, siue per donationem, aut quolibet alio modo ei obueniat. Cuius fundamentalis ratio est, quia religiosus se totum religioni tradidit. Ac propterea in iure solet religiosus seruo comparari, vt notat Nauarr. Comment. 2. de Regular. num. 9. 33. & 42. & Molina lib. 1. de Iustitia disput. 140. pagina 147. in fine. in quo potius seruo, quam filio comparatur, quia filius aliquorum bonorum proprietatem potest acquirere sibi, quamuis vsumfructum acquirat patri; religiosus autem & proprietatem & vsumfructum, & quidquid aliud cogitari potest, religioni acquirit : ergo hoc manifestum signum est perfectæ traditionis factæ de suamet persona : nam ratione illius reliqua iura collata censentur, sicut seruus tradendo se in seruitutem, omnia tradit.

*Religiosus cur potius seruo, quàm filio à iure comparatur.*

9. *Probatur tertio ex potestate coactiua prælatorum.*

Tertio possumus idem probare ex alio effectu quem supra insinuauimus : nam prælatus religionis non solum potest præcipere religioso professo, sed etiam eum potest cogere ad obediendum, & punire illum si regulam transgrediatur: hoc autem non posset ei esse concessum ex vi solius promissionis. Vt si quis promitteret alicui se daturum aut venditurum ei in seruum, quamdiu promissionem non impleret, non posset eum vt seruum tractare, quia reuera nondum esset seruus, nec sub eius dominio, aut potestate. Imo nec posset sua auctoritate eum cogere ad implendum promissum, sed ad summum posset per iudicem seu potestatem publicam id postulare : at vero postquam se illi in seruum donauit, aut vendidit, potest sua potestate & dominio vtens seruum punire, & cogere vt officium suum impleat. Cum ergo videamus similem potestatem habere prælatum in religiosum ex vi promissionis, consequens profecto est, vt professio traditionem includat, per quam professus sub dominio sui prælati constituatur : nam traditionibus rerum dominia transferuntur, vt dicitur in l. *traditionibus*, C. de pactis.

10 *Instantia contra proximè dictum Diluitur.*

Dices hanc potestatem conuenire prælato religionis non ex vi professionis solius, aut traditionis in ea inclusæ, seu iurisdictionis Ecclesiasticæ sibi concessæ. Veruntamen licet hoc locum habere posset in religionibus, præsertim virorum, prout nunc in Ecclesia gubernantur; tamen per se & intrinsecè non est de essentia religiosi status, & tamen illa potestas intrinseca & inseparabilis ab eo est : ergo signum est intrinsecè oriri ex professione, & non ex sola iurisdictione. Antecedens patet, tum in religionibus monialium, in quibus Abbatissæ non habent propriam iurisdictionem Ecclesiasticam, vt est communis sententia, quam in materia de Pœnitentia & de Censuris, attigimus cum D. Thom. in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. ad 4. & d. 25. quæst. 2. art. 1. ad 2. & tamen habent prædictam potestatem coactiuam in subditas, coactione videlicet tali statui proportionata. Idem argumentum sumi potest ex antiquis religionibus monachorum, quæ per se ex hominibus laicis constabant, vt in superioribus tactum est, & infra latius dicetur, præsertim tractando de Varietate religionum : vnde in eorum prælatis non poterat esse propria Ecclesiastica iurisdictio, sed hæc erat apud Episcopum, qui eam presbytero aut vicario committere solebat, sicut nunc faciunt Episcopi circa monasteria monialium sibi subdita. Et ad hoc videtur alludere August. in regula sua, vbi præpositum & presbyterum distinguit cap. 23. & 25. & in 42. addit, maiorem fuisse presbyteri auctoritatem, significans habuisse iurisdictionem, & tamen etiam in prælatis seu præpositis erat illa potestas coërciua, vt manifeste constat ex eodem Augustino, & ex regula Sancti Benedicti, & omnibus : ergo illa per se non prouenit ex potestate iurisdictionis, sed ex vi professionis, & traditionis, quæ per eam fit. Quin potius vt talis iurisdictio conuenienter dari possit, supponitur altera potestas, & traditio.

*Primò.*

*Secundò.*

Quarto hinc colligitur ratio à priori huius veritatis; est enim necessaria hæc traditio ad religiosum statum, vt abnegatio sui & seculi abrenunciatio perfecta sit : & ita fundata est in illis verbis Christi, Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, quibus nos ad nostram abnegationem & perfectam renuntiationem inuitat. Et ita illam intellexerunt Patres citati, præsertim Basil. dicta epist. ad Canonic. vbi concludit hoc vitæ genus esse conueniens Euangelio, & serm. de Abdicat. rerum & reg. 6. ex fus. disput. Item fuit necessaria, quia vt D. Thom. docuit 2. 2. quæst. 184. artic. 4. & 5. status religionis est status seruitutis, & ideo necessaria est ex parte religiosi perfecta subiectio, & quasi seruitus, ex parte vero prælati potestas dominatiua, qua possit non solum dirigere, sed etiam coercere; hæc autem non fiunt, nec comparantur nisi media hac traditione, vt explicatum est. Desumunt præterea aliqui rationem ex solennitate votorum, quia hæc traditio necessaria est, vt vota sint solennia; nos vero hac ratione non vtimur, tum quia ex illa non concluditur traditionem esse de substantia professionis, cum vota solennia non sint de substantia status religiosi, vt supra ostensum est : tum etiam, quia traditio non est proxima & sufficiens ratio solennitatis, cum possint esse vota cum traditione sine solennitate. Aliæ ergo rationes factæ nobis sufficiunt.

11. *Probatur Quarto à priori.*

*Notandū.*

## *Tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ esse etiam de substantia professionis.*

Præter traditionem tria etiam vota paupertatis, castitatis & obedientiæ sunt de substantia professionis, siue illa explicitè, siue implicitè fiant. Hæc est certa & communis sententia omnium Doctorum, quos supra citaui. Et probatur, quia quidquid est de substantia status religiosi, est de substantia professionis; sed tria illa vota sunt de substantia status religiosi : ergo sunt etiam de substantia professionis. Minor in superioribus late probata est, & expresse asseritur à Gregorio XIII. in dicta constit. *Ascendente Domino* : Maior autem patet ex dictis cap. præced. nam professio præcise sumpta sumitur ad constituendum verum religiosum in vero ac proprio statu professionis : ergo necesse est vt quidquid est de substantia huius status, sit etiam de substantia professionis; aliàs ponamus fieri professionem quoad substantialia sine his quæ sunt extra substantiam eius, atque adeo sine illis votis, si illa negentur esse de substantia professionis: ergo iam tunc posset quis esse substantialiter professus, & consequenter substantialiter religiosus sine illis votis : quod tamen implicat; nulla enim res potest consistere, nec etiam concipi sine aliqua sui parte essentiali; sed tria illa vota sunt de essentia religiosi status; ergo sicut hæc non separantur à substantia status, ita nec à substantia professionis.

12. *Assertio communis.*

*Probatur prima pars assertionis.*

Dixi autem, *siue explicitè, siue implicitè fiant*; primo propter rationem generalem superiori cap. factam, quod implicita significatio per facta, vel alia signa externa sufficit ad obligationem inducendam, & consequenter etiam ad votum externum. Secundo propter exempla in rationibus dubitandi membro

13. *Probatur secunda pars. Primò. Secundò.*

bro vltimo adducta : non enim minus perfectam professionem faciunt religiosi Prædicatores quam alii, nec minus censentur tria vota emittere, quamuis non omnia exprimant, & ideo quædam solum implicite censeantur emittere, vt Caieran. etiam docuit: expresse enim solum vouent obedientiam secundum regulam sancti Augustini, tamen sub ea reliqua vota intelliguntur, licet hoc in dubium vertetit Cardinalis in Clem. *eos*, de vsuris quæst. 1. sed immerito, cum id & vsu constet, & communi sententia, quam omnes Theologi admittunt cum D. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 6. & quodlib. 1. quæst. 9. art. 2. Canonistæ cum Innocentio in cap. *consuluit*, de Regular. Imò talis professio satis expressa censetur: nam cum fit expressa promissio obedientiæ secundum regulam, in illa regula continentur castitas, & paupertas, & ita magis est confusa significatio eius quod expresè promittitur. Et eodem modo interpretor verba illa professionis Carthusianæ, *Promitto conuersionem morum meorum*, scilicet quoad statum continentiæ & paupertatis secundum regulam. Tertiò hoc addidi propter illa antiqua exempla, quæ proferebantur de consecratione, seu velatione virginum. Quamuis enim mihi non constet omnes illas quæ velabantur fuisse plenè & perfectè religiosas, verius dicam tractando de voto simplici castitatis; nihilominus negari non potest quin plures fuerint vere & proprie religiosæ, vt eodem loco dixi, & sumitur ex Athanasio lib. de Virginitate, vbi inter alia inquit, *Va virgini quæ non est sub regula*, & ex Hieronymo epist. 48. ad Sabinianum increpatoria, eo quod ad virginem Deo cõsecratam accedere ausus esset, de qua dicit etiam votum perpetuæ clausuræ emisisse illis verbis, *Post Apostoli Petri basilicam, in qua Christi sit immeo consecrata est post crucis & resurrectionis & ascensionis dominicæ sacramenta, in quibus rursum se in monasterio victuram sponderat.* Hoc autem supposito dicendum est, illas vel expresse vel certe implicite vota omnia solitas fuisse emittere. Quod significauit Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromat. dicens, *Et continentia, corporis desponsantia, consumienter pactis conuentis cum Deo initis: non solum enim in rebus venereis, sed etiam in aliis quæ anima perperam concupiscit non contenta necessariis, versatur continentia*; significans eas quæ castitatem vouebant non vouisse continentiam rerum temporalium, quæ est paupertas, quod similiter de obedientia potest intelligi. Idem significat Hieron. dict. epist. 8. ad Demetriad. vbi cum illa loquẽs inquit, *Nunc autem quia seculum reliquisti, & secundo post Baptismum gradu inisti pactum cum aduersario tuo, dicens ei: renuntio tibi diabolo, & seculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis*: vnde inferius subdit, *Ex eo tempore quo virginitati perpetuæ consecratæ es, tua non tua sunt, imo vere tua, quia Christi esse cœperunt: quæ alia viuente, vel matre ipsarum arbitrio disponenda sunt.* An vero huiusmodi professio in qua non omnia vota expresè proferuntur, dicenda sit expressa, vel tacita, licet possit esse quæstio de nomine, tamen quia iura aliquid negant tacite professis, quod concedunt aliis, vt, v. g. eligi in superiorem, vt superiori cap. tactum est; ideo dicendum est talem professionem esse satis expressam, quia eo ipso quod vnum votum voce exprimitur, vel promissio alicuius obiecti (vt conuersionis morum) in quo alia confusè continentur, tota professio est satis expressa. Imo si verbis exprimatur consensus in pactum initum cum Deo & religione, sub ea forma & modo quibus secundum communem consuetudinem significatur religiosorum professio, erit satis expressa professio, quamuis vota implicite tantum emittantur; quia in eo maxime expressio professionis consistit, quod consensus in talem statum verbis expressis significetur iuxta morem & consuetudinem vniuscuiusque religionis, in qua consequenter necessarium erit, vt in tali professione dicta tria vota saltem implicite contineantur. Et ob hanc causam oblatio quam in aliquibus religionibus faciunt illi qui dicuntur conuersi, & per eam suo modo se tradunt monasterio, vt illi perpetuo seruiant, non est professio, & consequenter illi non sunt professi, quia nec explicite faciunt tria vota substantialia, neque etiam implicite, iuxta eorum intentionem & significationem talis actionis, quam habet iuxta communem consuetudinem. Iterum autem se insinuabat hic difficultas de pueris oblatis à parentibus ante vsum rationis, sed de hoc statim. Nunc dico breuiter eos nec esse, neque vnquam fuisse verè religiosos antequam perueniant ad ætatem, in qua possint tria vota explicite, vel implicite emittere.

## *Quæ, & qualis sit traditio, quæ in professione fit.*

Dicendum tertio, traditionem, quæ in professione fit, etiamsi homini immediate fiat, non esse pactum, aut donatio merè humana, sed esse religiosa & sacra, nam aliquo modo fit principaliter Deo ad quem specialis obligatio ex illa nascitur. Hanc assertionem propono, tum vt aliqua argumenta in principio facta dissoluam, tum vt explicem, quomodo ex hac traditione & votis vna professio coalescat. Prior ergo pars, scilicet traditionem hanc immediatè fieri homini, vsu ipso manifesta est, necesse est enim in manibus alicuius fieri, & ab ipso acceptari, vt ostendimus; ergo signum est traditionem illi proxime fieri. Deinde lib. 2. ostensum est Deo ipsi immediatè, & in se non posse fieri traditionem, aut donationem, per quam nouum aliquod dominium acquiratur: ergo hæc traditio, per quam, vt ostendi, vere transfertur aliquod ius & dominium, necesse est vt immediate fiat alicui homini, vel religioni. Atque hoc etiam significarunt Theologi, qui dixerunt in professione religiosa non solum fieri Deo promissionem, sed etiam ipsi prælato; immo prius fieri prælato de obediendo illi: deinde autem fieri Deo de seruanda promissione facta prælato circa obedientiam illi præstandam, vt patet ex D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 5. ad 3. & Caietan. ibi. & tom. 2. Opusc. tract. 11. quæst. 3. Soto lib. 7. de Iustit. quæst. 2. art. 3. ad 3. & insinuat Nauarr. consil. 8. de Voto: expressius Medina loquens in particulari de sua, id est, de Minorum professione lib. 5. de Continent. cap. 27. & ex formis profitendi vsitatis in multis religionibus, & supra relatis id colligi potest, expressius vero quam in cæteris in forma profitendi Societatis ita dicitur 3. p. Constit. cap. 3. §. 3. & 6. *Ego N. professionem facio, & promitto omnipotenti Deo coram eius Virgine matre, ac vniuersa cœlesti curia, & omnibus circunstantibus, & tibi R. P. Præposito Generali.* Quamuis autem dicti auctores nomine promissionis vtantur, non excludunt tamen traditionem quam aliis locis expresse posuerunt, vt vidimus: non autem ex vna ad aliam argumentum facimus. Nam si promissio humana seu homini facta potest in professione religiosa interuenire, poterit etiam traditio. Imo hæc magis est necessaria, quia reuera promissio illa, vt facta homini, ex se non videbatur esse de substantia professionis: nam supposita traditione ex vi illius oritur in religioso obligatio iustitiæ respectu prælati ad parendum illi, & in prælato potestas ad præcipiendum, & corripiendum: sicut si quis donetur aut vendatur in seruum, licet aliam promissionem non faciat parendi domino, ex vi prioris contractus tenetur, quia ex vi illius est seruus, & potestare

14. *Assertio duas continens partes.*

*Probatur prima pars.*

*Forma professionis Societatis Iesu.*

*Notatio*

statę domini: sic ergo in præsenti sola traditio sufficit ex hac parte, ad substantiam professionis, quia sufficit ad subiectionem vnius, & potestatem alterius. Promissio vero si additur vt quid distinctum à traditione, etiam respectu hominis solum additur ad maiorem firmitatem, pluribus titulis obligationem augendo. E contrario vero sola promissio simplex in futurum facta prælato de parendo illi, adiunctis etiam tribus votis ad professionis substantiam non sufficeret, quia per eam non daretur prælato sufficiens potestas, nec fieret perfecta renuntiatio, vt in prima assertione explicatum est.

15. *Probatur secunda pars assertionis posita.*

Altera vero pars conclusionis, scilicet quod hæc traditio non sit merè humana, sed aliquo modo fiat Deo, in primis à fortiori sumitur ex omnibus Theologis, quos in prima assertione citaui, quin potius nos hoc modo eorum sententiam moderamur, nam ipsi fere nihil distinguunt inter traditionem & votum solenne; vnde indicant ita fieri traditionem immediate Deo, sicut votum: ergo ad nimium sentiunt traditionem hanc ad Deum ipsum spectare, & religiosam esse, atque adeo principaliter fieri Deo. Hoc ipsum colligimus ex Patribus supra citatis, qui hac ratione vocant professionem pactum cum Spiritu sancto initum, vel cum Deo, & per professionem aiunt personam Deo donari, consecrari, dicari. Et è conuerso aiunt eum qui à professione facta recedit, sacrilegum esse, *& seipsum Deo subfurari*, vt loquitur Basilius in regul. 14. & fusioribus. Confirmari etiam hoc potest ex quibusdam verbis Pii V. in quadam Bulla contra Apostatas in fauorem Societatis, quæ inquit, *Æquum reputamus*: vbi de Apostatis ait, *postquam se Deo dedíderant seculi libertatem quærentes, ad illud reuerti, & in illo palàm degere non dubitauerant*: vbi traditionem religiosam vocat donationem sui Deo factam. Idem colligitur ex Gregorio XIII. in dicta constit. *Ascendente Domino*, vbi de emittentibus vota in Societate dicit in statu religionis vere constitui, & subdit, *Quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in eo mancipant.* vbi duo dicere animaduerto: vnum est traditionem fieri religioni, mancipationem autem fieri diuino seruitio: quod plane est dicere, traditionem fieri Deo in ipsa religione; religioni autem, vt per eam talis traditio tendat in cultum Dei. Potestque explicari ex differentia ad seruitutem humanam: nam qui se tradit alicui in seruum, & se tradit ei, & in seruitium & vtilitatem eius; religiosus autem licet se tradat prælato religionis, non tamen in eius vtilitatem, sed in cultum Dei: & hoc etiam modo explicat seruitutem religiosam Magnus Gregorius lib. 4. Regist. cap. 88. epist. 44. relatus in cap. *multos* distinct. 54. *Multos*, ait, *de Ecclesiastica familia, seu seculari militia nouimus ad omnipotentis Dei seruitium festinare, vt ab humana seruitute liberi in diuino seruitio valeant familiarius in monasterijs conuersari*; & infrà, *Absque vlla retractatione seruire omnipotenti Deo in monasterio promittatur, vt à seruitio humano liberè recedat, qui diuino amore districtiorem subire appetit seruitutem.* Vbi semper seruitutem, quæ per religiosam traditionem contrahitur, ad Deum refert; quamuis circa monasterium proxime versetur.

*Confirmatur ex verbis Pontificum.*

*Declaratur exemplo seruitutis humanæ.*

Ratio autem huius partis sufficiens redditur ex primo & secundo argumento tactis in secundo membro in principio quæstionis, quorum prius sumebatur ex indissolubilitate pacti professionis, quæ apud me non est parum efficax; indiget vero multa expositione, quam infra in propria sectione trademus. Secundum vero argumentum sumebatur ab effectu, quia talis traditio inducit obligationem religionis, & ideo violatio eius sacrilega est, non solum propter transgressionem voti obedientiæ, sed etiam, quia furtum rei sacræ, & Deo donatæ. Ex quo elici etiam potest ratio à priori, quia in hoc negotio nihil agitur intuitu hominis, sed totum intuitu Dei. Vnde illamet traditio quæ fit homini, non est actus liberalitatis ad hominem, neque obseruantiæ, neque alterius virtutis, quæ circa hominem versetur, sed est actus virtutis religionis: ergo signum est principaliter fieri ipsi Deo. In qua multum differt hæc traditio ab eleemosyna, v. g. quæ fit propter Deum; nam ibi largitio proxime est ex misericordia, licet imperetur à charitate; hic autem immediate est ab ipsa religione, vel charitate erga Deum, magisque assimilatur illi donationi qua aliquis confert calicem, vel rem sacram Ecclesiæ, quamuis dominium, quod inde acquiritur, sit diuersum ab eo, quod confertur per hanc traditionem, vt statim declarabimus.

16. *Probatur ratione.*

*Ratio à priori pro dicta assertionis.*

Neque obstat, Deum non posse acquirere nouum dominium ex traditione hominis, quia licet non possit ipse immediate acquirere, potest in homine & per hominem. Dices, quî fieri potest vt homo acquirat nouum dominium vice Dei, & quod ipse Deus principaliter non acquirat? Inter homines enim si procurator aliquod dominium accepter vice alterius, tale dominium principaliter transfertur in eum cuius procurator vices gerit: quod si in eum transferri non posset, neque per procuratorem acceptari posset: nam qui vicem alterius gerit dum contrahit, solum est instrumentum quoddam, per quod obligatio vel effectus contractus ad alium transit. Respondeo tale dominium non transferri in Deum in seipso, licet detur ministro eius in obsequium ipsius Dei, quia simpliciter est dominium participatum, & imperfectum: quod Deo in seipso conuenire non potest. Neque oportet illa humana exempla in omnibus accommodari diuinis rebus, quia homo est capax noui dominii imperfecti, & illud intendit in se recipere, quando per procuratorem illud acceptat. Item procurator humanus ex vi illius muneris non potest vti illa potestate seu dominio acceptato, neque enim est minister ad hoc institutus. At vero Deus, vt diximus, non est capax noui dominii imperfecti, neque ad illud acquirendum constituit prælatum religionis tanquam procuratorem, sed potius vt nomine suo illud in se accepter tanquam minister ad hoc deputatus. Posset autem ex humanis aliquod exemplum sumi, si, v. g. in aliquod regno nobilis non teneretur seruire Proregi, sed tantum personæ Regis in seipsa, ex amore autem ad regem se traderet in seruitium Proregis, non vt dux, vel comes, vel Petrus vel Paulus est; sed vt Prorex est: illa traditio principaliter quidem fieret Regi, quia solum fit alteri vt repræsentat personam eius, & in cultum eiusdem. Nihilominus tamen Rex deinde non acquireret nouam potestatem per se exercendam, sed a quireret nouam potestatem in alio futuram, & per alium exercendam. Verum neque hoc exemplum oportet esse simile in omnibus; nam res diuinæ cum altioris ordinis sint, semper habent aliquid singulare.

17. *Obiectio dissoluitur. Instantia.*

*Illius solutio.*

*Declaratur exemplo.*

Ex hac vero assertione (quo ea magis explicabitur) intelligi potest, qualis sit effectus quasi formalis professionis quatenus traditionem includit; si enim per eandem vocem quasi denominatiuam id explicare velimus, formalis effectus traditionis est esse traditum seu donatum: quod in re nihil aliud est, quam esse translatum in alterius potestatem. Vnde ad hunc effectum pertinet & potestas data prælato seu religioni in eum qui se illi tradidit, & passiua subiectio eius qui se tradidit: hæc enim duo quasi correlatiua sunt, simulque oriuntur posito fundamento, & termino. Quærere autem aliquis, qualis

18. *Circa illud. Qualis sit effectus formalis professionis.*

qualis sit hæc subiectio. Quidam enim existimant esse eiusdem rationis cum subiectione serui ad dominum, atque adeo esse propriam seruitutem, quia est vel subiectio filiationis, vel seruitutis; nam potestas superioris quæ non fundatur in propria iurisdictione, solum esse potest aut patris aut domini, vel etiam viri in vxorem, quam omitto, quia nullam habet proportionem cum re de qua agimus: ergo hæc subiectio aut filii aut serui esse debet, non est autem filii: est ergo vera seruitus. Probatur minor, tum quia filiatio illa non est naturalis, vt per se constat, neque etiam est adoptiua, quia hic reuera non interuenit adoptio, sed donatio, & ideo ex illa potius resultat seruitus, quam filiatio: tum etiam, quia religiosus per traditionem se donat strictiori modo quo potest, strictior autem est obligatio seruitutis, quam filiationis.

A posteriori etiam potest hoc confirmari, nam religiosus ex iustitia tenetur non recedere à religione, & si quis illum extrahat, ita peccat contra iustitiam, vt teneatur restituere, etiam donando seipsum si aliter non potest, vt est multorum sententia, Paludan. in 4. dist. 15. quæst. 15. art. 2. ibi Gabr. quæst. 17. art. 3. dub. 1. Antonin. 2. p. tit. 2. c. 2. §. 1. Adrian. in 4. materia de restitut. quæstione de bonis animæ, Sylvest. verb. *restitutio* 3. quæst. 1. qui refert alios; sicut etiam qui prouocat seruum, vt à Domino fugiat, tenetur damnum resarcire, l. *qui seruo*. ff. de furtis. l. 1. fi. seruo corrupto. ergo signum est religiosum vere ac proprie esse sub dominio religionis, ac proinde esse seruum. Tandem confirmatur, quia per alias donationes factas religioni acquiritur ei proprium dominium, siue sint per se primum dicatæ in cultum Dei, vt est calix, & similes res sacræ, siue in seruitium, & vtilitatem religionis: vt si equus, vel seruus donetur religioni; at religiosa traditio est vera & propria donatio, & ad vtrumque fit, scilicet, in cultum Dei, & in vtilitatem ac seruitium religionis: ergo acquiritur religioni proprium dominiu in ipsum: ergo è contrario in religioso nascitur propria relatio seruitutis.

19. Veruntamen licet hic modus loquendi ad profitendam religiosam humilitatem accommodatissimus sit, nihilominus in rigore & proprie loquendo hæc subiectio non est proprie seruitus, eiusdem scilicet rationis formalis cum illa quæ est in mancipio. Aut enim comparamus subiectionem hanc in ordine ad Deum, vel ad religionem, siue prælatum eius. Priori modo est quidem strictissima seruitus, multo tamen nobilior & altioris ordinis, sicut terminus eius & obligatio ad Deum longe maior est: illa tamen seruitus non excludit filiationem adoptiuam, nam potius per se ordinatur ad profitendam illam; quia status religiosus ad perficiendam charitatem, & gratiam institutus est; illis autem efficimur filii adoptiui. Sicut ergo gratia efficit filios & efficit seruos, & illa duo non repugnant respectu Dei, quia filiatio non est naturalis sed minus perfecta, & seruitus non est nobilissima, & ideo in Scriptura vtroque modo iusti vocantur, ita status religiosus & est perfectioris seruitutis, & perfectioris filiationis ad Deum. Neque in his respectibus ad Deum repugnant simul donatio & adoptatio, quia neque adoptatio adultorum fieri potest, nisi ipsi velint se donare in eo gradu in quo adoptantur, neque donatio fit nisi Deo ipso, & operante vt donentur, & donationem acceptante. Est ergo status religionis respectu Dei & status seruitutis, & status filiationis: seruitutis, quia totus ordinatur ad reddendum Deo debitum cultum & seruitium, & quia ad hunc finem speciali modo se tradunt religiosi homini vicem Dei gerenti: filiationis autem est, tum quia totus ille cultus maxime esse debet ex amore, & quia per illum magis ac magis perficitur filiatio adoptiua, maiusque ius acquiritur ad hæreditatem paternam, & quia ad hos fines ordinatur, & acceptatur à Deo talis traditio, magis habet de filiatione, quam de seruitute.

20. At vero comparando hanc subiectionem ad religionem, seu prælatum eius, omnino dicendum est, non esse proprie ac formaliter seruitutem, qualis est in mancipio, sed magis accedere ad subiectionem filii, quamuis neque naturalis, neque adoptiua proprie sit, sed alterius rationis, quæ spiritualis appellatur. Declaro singula, & prima quidem pars ex eo patet, quod seruitus mancipii respectu alterius hominis est vilissima conditio, per se loquendo, inuoluntaria, & in grauissimam pœnam introducta, vtpote multum repugnans naturali dignitati hominis: subiectio autem religiosa nobilissima est, non eleuans, sed extollens potius ac perficiens naturalem hominis dignitatem. Quamuis enim religiosus eo ipso dicatur nobilitatem amittere, illud autem intelligitur de nobilitate carnis & sanguinis quoad temporalia emolumenta quæ ex illa prouenire possunt, & à religioso contemnuntur, & renuntiantur: loco autem illius acquiritur maior quædam nobilitas spiritualis quæ consistit in speciali dedicatione & subiectione ad Deum, & ad hominem propter ipsum.

21. Secundo declaratur hoc discrimen duplici signo, vnum est, quia mancipium potest à domino liberè vendi ac distrahi, non habet autem religio talem potestatem in religiosum. In quo cernitur clara differentia inter traditionem religiosi & serui; nam si quis habens mancipium illud donaret religioni, posset ipsa illud vendere, quod non potest facere in religioso qui se illi tradidit: est ergo diuersa traditio, & diuersa potestas dominatiua ex illa resultans. Vnde non est de ratione status religiosi vt in eo sensu sit strictissima traditio, id est, vilissima; neque vnquam in Conciliis Euangelicis positum est, vt qui vult perfectus esse, se tradat alteri, seu religioni in mancipium, neque id vnquam in Ecclesia fuit vsitatum. Potest autem religiosa traditio dici strictissima, quia inducit obligationem longe perfectissimam, & altioris rationis, atque etiam de se perpetua, ita vt non solum non valeat religio religiosum semel sibi traditum alienare; verumetiam nec manumittere: in quo multum etiam differt hæc subiectio à propria seruitute. Aliud discrimen est, quod seruus non potest se in alterius dominium transferre, etiamsi ab illo melius tractandus sit, & quodcunque aliud maius commodum inde speret; religiosus autem quantumuis vni religioni se tradiderit, potest (quantum est ex vi traditionis, & secluso iure prohibente) se transferre in aliam religionem arctiorem, in qua maius spirituale commodum speret: signum ergo est ex hac traditione non resultare seruitutem eiusdem rationis.

22. Tertio hinc potest intelligi ratio à priori. Vt enim recte notauit D. Thom. 1. p. quæst. 96. artic. 4. tunc aliquis est subiectus homini propria seruitute, quando eius subiectio primario ordinatur ad hoc, vt subiectus in suum proprium vel commune bonum à dominante dirigatur. *Cuius ratio*, inquit D. Thom. *est, quia liber est causa sui, vt dicitur in principio Metaph. seruus autem ordinatur ad alium.* Ex quo infert D. Thom. primo priorem seruitutem esse conditionem pœnalem, & ignobilem, quia per illam fit vt bonum quod deberet esse proprium cedat alteri, quod de se contristat, cum vnusquisque appetat suum bonum. Posteriorem autem subiectionem non esse ignobilem, nec pœnalem, nec per accidens introductam, quia per se tendit in bonum naturæ, & eiusdem qui sic subii-

*Prima opinio.*
*Probatur ratione.*
*Probatur à priori.*
*Probatur ordine ad Prælatum, seu religionem non esse seruitutem*
*Probatur assertionis primæ pars primò.*
*Probatur secundò.*
*Differentia prima inter traditionem religiosi & serui.*
*Secunda differentia.*
*Probatur ratione à priori.*
*Seruitus propria qualis sit.*

subiicitur. Ex quo vlterius concludit priorem seruitutem non fuisse futuram in statu innocentię, quia nobilissimus erat, & omni pœna immunis: posteriorem autem futuram fuisse in illo statu, quia per se est conueniens humanæ naturæ, cuius vita socialis est. Ex quibus omnibus nos argumenta desumere possumus ad rem de qua agimus. Nam in primis dominatiua potestas, quæ est in prælatis religionis, non ordinatur ad commodum vel vtilitatem ipsorum, sed ad bonum subditorum: ergo horum subiectio non est propria seruitus, sed nobilior quædam conditio.

23. *Instantia duplex. Respond. ad primam*

Dices, etiam ordinati ad vtilitatem religionis: ergo respectu illius erit hæc vera seruitus. Item tota illa dominatio magis tendit in gloriam Dei, quam in bonum ipsius subditi. Ad ptiorem partem virtute respondet D. Thomas cum dixit, per nobilem subiectionem, quæ à seruitute distinguitur, dirigi subditum, vel in bonum proprium, vel in commune: ita enim religiosus dirigitur in bonum religionis, tanquam in bonum commune, quod magis proprie vnusquisq; religiosus reputare debet, quam suum priuatum commodum. Eo vel maxime, quod nunquam potest bonum religionis separari quantum est ex se, à vero bono proprio ipsius religiosi, quod est spirituale bonum; & ideo licet prælatus vtendo sua potestate dominatiua intendit primario bonum religionis, non potest excludere bonum religiosi, sed potius debet etiam illud intendere, alias non bene vteretur sua potestate: imo si aliquid præciperet titulo boni religionis, quod non posset cedere in bonum spirituale religiosi, abuteretur sua potestate, & non esset illi parendum, sed id impossibile est, nisi id quod præcipitur malum sit. Ad alteram partem hinc etiam responsum est, quia gloria Dei est commune bonum. Concedo tamen subiectionem hanc esse seruitutem non hominis, sed Dei, cui seruire regnare est: vnde seruitus regia dici potest, non est enim seruitus ignobilis, aut pœnalis, sed per se cedens in maximum bonum naturæ. In qua illud etiam considerandum est, quod licet vltimate cedat in gloriam Dei, non tamen in vtilitatem, sed ipsiusmet serui; & ideo ex hac parte non infert tædium illud & tristitiam, quam affert seruitus humana, & ignobilis.

*Respond. ad secundam.*

24. *Probatur vlterius.*

Ex quo etiam potest alia ratio confici, quia hæc subiectio religiosa non habet rationem pœnæ, nec potest contristare subditum secundum rectam rationem, cum non minuat, sed perficiat libertatem eius, totaque ordinetur in eiusdem bonum. Nec potest dici per accidens introducta ratione culpæ, & in pœnam eius, seu per se in maius bonum subditi: est ergo longe diuersa à propria humana seruitute.

*Additio, & notatio circa subiectionem religiosi, potuerat esse in statu innocentiæ.*

Addo etiam, vt hoc magis declarem, subiectionem hanc & potestatem dominatiuam illi correspondentem, quantum est ex vi status seruitutis, potuisse habere locum in statu innocentiæ; in quo alia seruitus esse non poterat. Dico autem, *quantum est ex vi status seruitutis*; quia ex parte voti castitatis, aut paupertatis, non esset status religiosus, prout nunc est, accommodatus statui innocentiæ, quia illa duo, quæ nunc sunt media moraliter necessaria ad perfectionem, in statu innocentiæ nec necessaria, nec accommodata essent, ac obedientia, & subiectio in eo statu esse posset, vt citato loco recte D. Thom. probat: ergo etiam posset per votum & traditionem Deo consecrari, & illa tunc sufficerent ad statum perfectionis, vbi paupertas & castitas necessariæ non erant. Quod autem per se & ex vi illius status hoc non repugnauerit, patet, quia nullam includit imperfectionem illi statui repugnantem, & aliunde addit perfectionem propter maiorem dedicationem in cultum Dei: quod obiter adnotaui, non vt contendam in statu innocentiæ futurum fuisse statum religiosum, id enim incertum est, sed solum vt declarem subiectionem religiosam esse adeo nobilem, vt statui innocentiæ non repugnauerit, vt hinc clare constet illam esse longe diuersam à conditione seruili propria seruitute humana.

25. *Probatur secunda pars assertionis.*

Qualis autem hæc subiectio sit, in altera parte responsionis nostræ declarauimus. Distinguit enim Arist. lib. 3. Polit. c. 4. duplicem potestatem priuatam, scil. domesticam, scilicet pure dominatiuam, qualis est domini in seruum, & œconomicam, qualis est patris in filium. Potestas ergo hæc prælati religionis œconomica est, non tamen omnino eiusdem rationis cum illis quas Arist. posuit: non enim potuit ipse hoc genus potestatis agnoscere, attingit enim aliquo modo ordinem supernaturalem, pendetque ex diuina institutione: est ergo hæc quædam potestas eminentior, & illas virtute continens. Maiorem autem habet similitudinem, simpliciter loquendo cum patria potestate, quia quidquid perfectionis in patria potestate inuenitur, in ordine ad bonum filii procurandum, excellentiori modo reperitur in hac potestate, & propterea prælatus religionis patris nomen obtinuit, & ita à sanctis Patribus vocatur, quod adeo verum est vt dicant Theologi simpliciter & in rebus altioris ordinis plus debere huiusmodi patrem diligere spiritualem filium, quam carnalem, vt cum Ambros. 1. de Offic. docuit D. Thom. 22. quæst. 26. art. 8. ad 2. Sic ergo in his quæ ad perfectionem & proprium bonum spectant, habet hæc subiectio religiosa maximam similitudinem cum paterna subiectione, ita vt per traditionem illam, quam includit professio, patria potestas in prælatum religionis transferatur, quam ipse acceptando suo modo adoptat, seu accipit alium in filium, ipse vero filius se tradendo eam donat, neque enim repugnat se donare in filium, & non proprie in seruum. Quatenus vero hæc traditio habet adiunctam paupertatem cum incapacitate habendi proprium, habet hæc subiectio maiorem similitudinem cum seruitute; & quoad hoc solet iure religiosus magis æquiparari seruo quam filio, vt supra adnotaui: sed hinc solum sequitur subiectionem hanc eminentiori modo continere id quod potest esse perfectionis sine conditione serui, & quoad aliquid, seu secundum quid, habere cum illa maiorem similitudinem. Et ita satisfactum est fundamentis prioris sententiæ (si tamen in re diuersa est) fatemur enim per hanc donationem acquiri aliquod dominium religioni, seu prælato, non tamen pure dominatiuum, vt sic dicam, sed gubernatiuum (neque enim traditiones omnium rerum eiusdem rationis sunt,) & illud sufficit ad obligationem iustitiæ. Opinio vero quæ ibi tangitur, de obligatione restituendi, si quis consilio suo fecit religiosum fugere, infra in proprio loco tractabitur.

*Potestas prælati religionis œconomica est pars spiritualis, & supernaturalis.*

*Notatio prima.*

*Notatio secunda.*

*Satisfit magnum primæ opinioni.*

## *Concluditur ex traditione, & tribus votis coalescere substantiam religiosæ professionis.*

26. *Prima pars assertionis pro. sum.*

Dico quarto, ex dictis omnibus concludendum, est, quamuis traditio, & tria vota substantialia secundum se, ac formaliter diuersa sint; ex illis coalescere professionem quoad substantiam suam per modum vnius moralis contractus perfecti & consummati. Hæc assertio ponitur ad satisfaciendum aliis difficultatibus in principio tactis in tertio membro rationum dubitandi. Prior autem pars videtur discrepare à communi modo loquendi Theologorũ quos supra citaui: nihil enim ipsi distinguere videntur inter traditionem & votum solenne, quibus fauere videtur modus loquendi Gregorii XIII. in dicta constit.

fit. *Ascendente Domino*, definiens enim emittentes tria vota in Societate verè constitui in statu religionis, subdit rationem, *Quippe qui per ea ipsa se Societati dediderunt, atq; actu tradunt.* Expendendum enim est illud verbum, *per ea ipsa*, significare enim videtur in illis formaliter consistere hanc traditionem. Nihilominus pars illa satis à nobis in superioribus probata est, vbi ostendimus omne votum essentialiter esse promissionem, & ideo licet aliquod votum possit habere traditionem adiunctam, non tamē posse esse formaliter traditionem ipsam: ergo cum vota religiosorum sint vota vera, necesse est secundum se ac formaliter distingui ab ipsa traditione. Item id patet ex effectibus quasi formalibus: nam traditio dat alteri potestatem dominatiuam, quam votum per se non dat; & è contrario votum obligat ex speciali fidelitate ad Deum, respectu vero hominis non inducit specialem obligationē; traditio vero specialiter obligat respectu hominis ex iustitia propter proprium ius, quod ex traditione acquisiuit. Denique illa in rigore separabilia sunt: nam conuersus non professus se donat religioni, & non emittit tria vota, & multi etiam credunt in filijs infantibus donatis à parentibus religioni esse veram traditionem sine prædictis votis & è contrario etiam possunt esse vota sine traditione, quæ licet non sint solennia, tamen in sua substantia & specie sunt eiusdem rationis.

17. Dices, quomodo potest traditio à voto obedientiæ separari, cum per traditionem obligetur quis religioni & prælato eius ad obediendum illi tanquam patri? Respondeo primo, licet illæ duæ obligationes in materia conueniant, tamen formaliter esse diuersas ac separabiles: nam potest quis promittere seruirealtem, non tamen se se in seruum tradere: & è conuerso, potest quis se in seruum tradere, & non adiungere promissionem, sed esse contentum obligatione, quæ ex traditione nascitur: potest denique ad maiorem firmitatem vtrumque adiungere. Ita ergo in præsenti intelligendum est. Vnde vlterius dico, etiam in professo habente vtramque obligationem in vim posse separari vnam ab alia: nam ex vi traditionis, quam ineludit professio, tenetur religiosus seruare regulas sui ordinis secundum gradum & modum quo propositæ sunt, & facere ministeria quæ ei præcipiuntur, etiamsi non proponantur vt præcisa materia voti obedientiæ. Sic ergo satis constat quomodo hæc formaliter distinguantur.

18. Altera pars facillima est; nam consuetum est inter homines vt moralibus contractibus plures firmitates addantur, cum enim iustitia & fidelitas humana valde sit defectibilis, vt maior firmitas & securitas addatur, plures tituli obligationum adiunguntur. Sic enim interdum facta donatione additur promissio non reuocandi illam, cui deinde adiungitur iuramentum, & si materia sit capax, addi etiam solet promissio ad Deum, seu votum. Ita ergo in præsenti professio potest traditionem & vota includere ad maiorem firmitatem. Accedit ex coniunctione horum non tantum crescere titulos obligationū, quasi intensiue in ordine ad idem, sed etiam extensiue in ordine ad res diuersas, sicut tria vota obligant ad distinctas materias, & traditio religioni facta vi sua obligat ad obseruantiam regularem, & ad reuerentiam præstandam prælato vt parenti, & ad parendum illi hoc titulo, etiam seclusa speciali obligatione voti obedientiæ. Status autem religiosus cum in hac vita sit omnium bonorum aggregatione perfectus (vt ita dicam) totam hanc extensionem, & obligationem includit, & ideo necesse non est vt professio sit vnicus simplex actus, sed potest ex multis coalescere quæ moraliter vnum per se faciunt, quidquid sit de physica vnitate. Et ita facile explicantur omnia quæ adducta sunt, & omnes difficultates soluuntur.

*Dubium de oblatis, an sint verè religiosi, veramque professionem emittant.*

Manet vero difficultas circa prædicta, quia non videntur illa duo, scilicet traditio & tria vota, sufficere ad substantiam professionis, etiamsi hæc fiant in religione approbata (vt supponitur ex supra dictis tam de statu religionis in communi, quam de primo ingressu.) Assumptum ergo patet in his qui dicuntur oblati integre, illi enim se & sua offerunt religioni approbatæ, & tria vota in illa emittunt, & nihilominus professionem veram non faciunt, neque veri religiosi efficiuntur. Antecedens declaratur ex Panormitani doctrina in cap. *vt priuilegia*, de priuileg. pro vt eam refert Syluest. verb. *Oblatus*, aliquos esse qui se tradunt religioni in seruitium eius, vota autem non emittunt, & vocantur ab eo non plene oblati, quia licet offerant se, non tamen sua, vel quia non se omnino & perfectè Deo consecrant: & de his nulla est difficultas, certum enim est non esse religiosos, vt supra tactum est. Alij vero sunt qui dicuntur plene se tradere religioni, & tria vota emittunt, qui nihilominus veri religiosi non sunt, vt idem Syluest. affirmat ex Abbate supra, & in cap. *non est*, de Regular. num. 2. & c. *cum dilectus*, de successi. ab inteſt. nu. 2. Cum quo idem sentit Syluest. verb. *Oblatus*. In his ergo inuenitur traditio cum tribus votis absque professione: ergo non sufficiunt illa duo. 29.

Hanc difficultatem attigit Nauarr. consil. 49. de Regular. quod incipit, *An fit*, & in primis negat se legisse in aliquo classico auctore, posse esse oblatum emittentem tria vota, nec Panormitanum, quem Syluest. citat, talium votorum meminisse, sed eum vocasse plene oblatum, qui se & sua omnia obtulit monasterio, nulla facta mentione de votis. Quam sententiam indicat etiam Couarr. in cap. *Alma* p. 2. §. 2 in fin. vbi conuersum dicit esse verum religiosum, quia tria vota emittat. Ille autem, inquit, est verus religiosus qui tria vota emittit, auctore D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 7. sentit ergo oblatos tria vota non emittere, quod si emitterent, futuros fuisse veros religiosos, etiamsi habitum non mutarent, vel intra claustrum non viuerent, aut alias cæremonias ordinis non seruarent; hæc enim non sunt de substantia religiosi status. Vnde inferius idem Couarr. referens Capellam Tholosanam dicentem, hos oblatos non fieri inhabiles ad matrimonium, ait, se idem sentire de quocunque oblato, qui votum castitatis non emiserit tacite vel expresse, etiamsi habitū mutauerit; indicans, si votum castitatis emittat, reddi inhabilem, atque adeo esse verè religiosum. Iuxta hanc ergo doctrinam respondendum erit ad difficultatem tactam, negando posse dari oblatum emittentem tria vota in manibus prælati religionis cui se offert, quin veram professionem faciat, veruſque religiosus efficiatur. 30. *Op nio Nauarr.* *Couarr. sequitur sententia Nauarr.* *Quid dicendum iuxta h. s authores.*

Nihilominus Nauarr. cons. 49. de Regul. quod incipit, *An sit verè*, proponit casum in quo quidam se obtulit monasterio in manu Abbatis per hæc verba: Ego N. me dono, & offero in oblatum monasterio S. Benedicti, vouendo paupertatem, castitatem, & obedientiam tibi eius Abbati; non autem profiteor regulam ordinis, nec me obligo ad cæremonias & obseruantias eius. Et postea non mutauit habitum, nec accepit regularem, præter scapularium patruum. Consultus ergo Nauarrus in eo casu, respondit, illum non esse verum religiosum, & consequenter ait illam oblationem non fuisse veram professionem; quia actus (ait) non excedit intentionem operantis. l. *non omne*. ff. si certum petatur. & cap. vltim 31. *Alia opinio Nauarr.* *Fobat suã opinionem.*

de præbend. sed ille non habuit intentionem profitendi verè, nec se tradendi in religiosum: ergo. Minor patet ex eius verbis, tum quia expresse dixit se tãtum offerre in oblatum, qui multum differt à monacho, cap. *vt priuilegia*, de priuileg. imo minus est quam conuersus, c. *ex eo*. §. 1. de elect. in 6. Tum quia dixit se non obligare ad regulam & cæremonias, quod est de ratione illius professionis. Tum quia habitum regularem nõ suscepit. Iuxta quam resolutionem manere videtur integra difficultas tacta, quia ibi est traditio cum tribus votis sine vera professione. Vel potius hinc potest argumentum retorqueri contra Nauarrum, quia in illo actu nihil videtur defuisse ad substantiam & veritatem religiosi status: ergo nec professionis. Nam intentio illa sic operantis videtur fuisse ex quadam ignorantia, nam ille deceptus videtur, putans in eo casu aliud esse oblatum, quam religiosum, quæ ignorantia non obstat quominus res intenta habeat effectum, vt per se constat. Assumptum vero patet, tum quia in iure oblatus cum tribus votis nunquam distinguitur à religioso, nec dicitur esse minus quam conuersus, vt ex ipso Nauarro, & ex dictis constat. Tum etiam, quia religiosus non vouet seruare regulam, nec ad hoc specialiter se obligat, nisi quatenus ad obedientiam obligatur, quam etiam ille vouit: ignorauit etiam propriam vocem cum dixit se non profiteri regulam, si putauit aliquid speciale reseruasse; quia nec alii religiosi regulam profitentur. Tum denique, quia habitus non est de substantia, vt infra dicetur.

*Retorquetur argum.*

32. His vero non obstantibus dicendum censeo posse inueniri oblatum cum tribus votis, qui non sit verè religiosus, neque emittat veram professionem. Quod explicatur respondendo ad difficultatem factam; quia non quæcunq; traditio sufficit ad veram professionem, sed traditio in religione approbata cum voto obedientiæ secundum regulam approbatam. Vnde ad veram professionem, verumque religiosum statum, non satis est vota fieri in religione approbata, sed oportet fieri in ea prout approbata est. Contingere autem potest oblationem, ac votum fieri in religione alias quidem approbata, non tamen prout approbata est, id est non ad illum viuendi modum, qui approbatus est, sed ad alium voluntarium, seu deuotione priuata inuentum: & tunc ille modus viuendi aut coniungendi se illi religioni non magis sufficit ad professionem, quam si illa religio approbata non esset. Ita videtur accidisse in casu illo quem Nauarr. refert: tunc enim fiunt vota in religione prout approbata est, quando fiunt secundum regulam talis religionis, ita vt traditio sit ordinata ad obseruationem regulæ, & obedientia sit secundum regulam, & similiter paupertas & castitas. At vero in illo casu non videntur facta vota hoc modo, sed perinde ac si illa religio non haberet regulam approbatam, vt ex forma vouendi constat: & ita quoties ita factum fuerit, professio non erit vera. Vnde infero (quod etiam à posteriori rem explicat) in eo casu illa vota non fuisse solennia, nec reddidisse illam personam inhabilem ad matrimonium, aut incapacem proprius dominij, quia in hoc genere non est votum solenne, nisi sit annexum professioni factæ in religione approbata, iuxta cap. vnic. de voto in 6. illa autem vota non fuerunt facta in religione approbata vt approbata est, quia non fuere facta secundum regulam, vt patet ex verbis expressis vouentis: ergo.

*32. Resolutio difficultatis. Probatur.*

*Nota dum circa huiusmodi oblatos.*

33. Atque ita satisfactum est principali difficultati; omnis enim traditio cum tribus votis factis in religione approbata, sufficit ad veram professionem: intelligendum est autem formaliter, quatenus approbata est, alias materialiter tantum & per accidens se haberet approbatio: ita autem fieri nihil aliud est quam fieri secundum regulam approbatam. Ita vt licet quis non voueat directe obseruationem regulæ, voueat obedire secundum illam, id est, quoties secundum illam fuerit præceptus, & profiteatur obseruare illam, ita vt subiectus maneat correctioni religiosæ, si illam violauerit, & obligetur etiam ad deferendum habitum regularem, & similia. Non potest autem inueniri oblatio cum tribus votis hoc modo facta in religione approbata, quin vera professio sit, quod si aliquando non est professio, aliquid horum ei deficiet, vt in illo casu Nauar. explicatũ est.

## Caput III.

### *Vtrum ad valorem professionis necessarius sit consensus omnino liber, & in ætate perfecta.*

EXplicata professionis substantia dicendum sequitur de causis eius: inter quas primum locum obtinet finalis, sed de illa nihil speciale dicendum occurrit: nam per se satis notum est quem finem ex se habeat, & in operante habere debeat religiosa professio, habet enim eundem quem status ipse religiosus, scilicet perfectionem charitatis & diuini cultus: imo si velimus subtiliter hæc distinguere, ipse status religionis est proximus finis religionis, sicut terminus actionis, medio autem statu habet eundem finem cum illo. An vero ex fine operantis vitiari possit professio, dicendum est posse quidem vitiari vt male fiat, non tamen vt inualida sit; quia licet ipse habeat prauum finem in profitendo, quod profitetur, & vouet bonum est. De qua re videri possunt dicta supra lib. 1. de Voto in genere cap. 5. nec de hac causa plura videntur necessaria. Vide Palud. in 4. d. 26. quæst. 3 Syluest. verb. *religio* 3. quæst. 6. Panorm. in cap. *vt clerici*, de Regul. Causa autem formalis videtur satis explicata in his, quæ de traditione & votis dicta sunt; ipsa enim professio est quædam moralis forma, quæ non videtur habere aliam formalem causam præter suam substantiam. Quia vero in his actionibus moralibus modus se habet tanquam forma, ideo inferius explicando hunc modum, etiam hanc causam amplius declarabimus. Supersunt ergo causæ efficiens & materialis, quæ simul explicandæ sunt, quia in eandem personam coincidunt, quia professio est veluti actio immanens, quæ in operante manet.

1. *Causa finalis professionis assignatur.*

*Dubium resolutur.*

*Causa formalis quænam sit.*

In præsenti ergo capite inquirimus proximum principium efficiens validam professionem, quod est consensus operantis, de quo nonnulla potest esse ratio dubitandi, quia quod non est necessaria causa religiosi, non est necessaria causa professionis, cum ille status non nisi per professionem fiat: sed liber consensus non est necessaria causa status religiosi: ergo nec professionis. Minor probatur ex antiqua consuetudine, de qua nonnulla adduximus disputando de primo ingressu. Per illam autem donationem perseuerantem per tempus sufficiens, saltem vnius anni, constitui infantem verum religiosum absque proprio consensu, ex eo colligitur, quod non liceat illi ad seculum reuerti, imo nec ad aliam religionem transgredi, vt colligitur ex Concil. Tolet. IV. Can. 40. & refertur 20. q. 1. cap. *Monachum*, & à Burchardo libr. 8. sui Decreti cap. 6. *Monachum* (dicitur ibi) *aut paterna deuotio, aut propria professio fa it, quidquid horum fuerit, alligatum tenebit, proinde hu ad mundum reuertendi inter Iudimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressus*: Similia refert Burch. lib. 8. c. p. 1. ex Conc. Tolet. XI. c. 6. vbi explicatè dicitur, si in qualibet minori ætate parentes induerint filium religionis habitu, vel in hoc consenserint, non posse

2. *Causa efficiens proxima professionis qualis sit. Ratio dubitandi.*

posse filios retrocedere. Vnde Isidorus relatus à Gratiano in c. proximè sequenti. *Quicunque* (inquit) *à parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, noluerit se ibi perpetuo mansurum, exemplo Samuelis, qui à matre oblatus in monasterio permansit.* Conc. autem Wormat. can. 5. alias 22. expresè addidit, etiam postquam ad pubertatis annos peruenerunt non posse egredi. & *Quanefas est*, ait, *vt oblatus à parentibus Deo filius vo'untatis frena laxentur*; & infra concludit, *velint nolint, permanere cogantur.* Hæc ferè refert Gratianus ex Gregor. ad August. Anglorum Episcopum d. 10. q. 1. c. 2. non inuenitur autem in Gregor. I. sed in epist. 4. Greg. III. ad Bonifacium Legatum Germaniæ, & in citato Conc. Wormat. Similia refert ex Conc. Tribur. Gratianus ibid. c. 6. Ex quo etiam colligi potest hos adeo fieri veros religiosos, vt fiant inhabiles ad matrimonium: nam ibi dicitur, *vxorem si vsurpauerit dimittere compellatur.* Denique historia quam Bern. refert epist. 1. ad Robertum nepotem suum valde notanda est pro hoc puncto: fuerat enim Robertus ille oblatus à parentibus monasterio Cluniacensi, nondum vero habitum Cluniacensem induerat, neque eis fuerat in professionem datus, sed tantum donoblatus (vt ex sequentibus colligitur.) dictus enim Robertus in seculo manens Cisterciensem habitum à Bernardo petiit, qui eius vocationem per biennium probauit, propter eius teneram ætatem: tandem vero ipso efflagitante eum recepit, & post annum probationis ad professionem admisit; postmodum autem idem Robertus ad Cluniac. transit eorum inductione, ibique professus est. Mota est lis & ad Pontificem delata, qui pro Cluniacensibus sententiam tulit contra Bernardum; tantam enim vim habere voluit Pontifex parentum oblationem, vt per subsequentem professionem rescindi non posset: non ergo semper est necessarius proprius consensus ad statum religiosum.

Nihilominus dicendum primo est, veram ac validam professionem non fieri sine libero consensu eius qui religiosus efficitur. hæc est communis & certa sententia, quam tradit D. Th. 2.2. q. 189. a. 5. & omnes Doctores statim citandi, & habetur in c. 1 de Regular. ibi, *& spontanea voluntate.* & in c. 4. *Vidua si sponte*, & à fortiori sumitur ex multis iuribus quæ statim referemus. Ratio est, quia professio est quidam contractus humanus, contractus autem humanus sine consensu non perficitur: ergo. Item de substantia professionis sunt tria vota, sed votum est actio personalis, nec fieri potest sine propria voluntate, & consensu: ergo. Tandem matrimonium sine proprio & libero consensu valere non potest: ergo multo minus professio; nam est quodammodo arctius vinculum, tum quia potest ipsum matrimonium ratum dissoluere, tum etiam, quia obligat ad vitam arctiorem, & magis carni repugnantem, ad quam homo sine propria voluntate obligari non potest.

Dico secundo: Non qualiscunque, sed perfecta libertas consensus necessaria est ad valorem professionis, & ideo vsque ad puberem ætatem professio valida non est, nec consensus efficax. ita D. Thom. supra, & omnes. Vt autem probetur, aduertendum est aliud esse loqui ex natura rei, aliud ex iure positiuo. Priori modo solum esset necessaria illa perfectio libertatis ad professionem quæ ad votum emittendum, vel ad donationem validam faciendam sufficit. Diximus autem supra ad vouendum sufficere illum liberum consensum, quæ ad peccandum mortaliter satis est: ergo idem sufficeret ex natura rei ad valorem professionis, quia ex sola rei natura nulla alia certa perfectio assignari potest, quæ necessaria sit. At vero ex iure positiuo necessaria est ætas pubertatis, ita vt, licet antea habeatur sufficiens libertas ad peccandum, imo licet in particulari individuo malitia, vt aiunt, suppleat ætatem, professio valida non sit. Hoc constat ex iure antiquo in c. *firma* 20. q. 1. Adulta ætas iam perfecta & nuptiis apta postulatur. idem ferè in cap. *in præsentia*, de probation. & cap. *ad nostram*, de Regular. & cap. *significatum*, & c. 1. cum gloss. eod. tit. Quod ita exposuit D. Thom. supra ad 1. Olim autem ætas pubertatis quoad hunc effectum erat post annum 14. ætatis completum, vt dicta iura declarant. Et hanc vocauit ætatem discretionis Clem. III. in c. *cum virum*, & Cæles. III. in c. *cum simus*, de Regular. nunc autem ætas hæc non completur vsque ad 16. annum perfectum ex decreto Conc. Trid. sess. 25. c. 15. de Regularibus. *Quanam sit ætas pubertatis necessaria.*

5. *Assignatur ratio, quare Ecclesia hanc ætatem determinauerit.*

Ratio huius institutionis supponit in primis Ecclesiam habere potestatem ad irritanda vota, quando non fiunt cum legitimis conditionibus ab ipsa præscriptis, quod est certissimum, vt supra probauimus, & in præsenti est multo clarius; quia professio non potest esse valida nisi sit acceptata, debet autem acceptari per Ecclesiam, aut eius auctoritate: ergo si ipsa non acceptat, non potest professio esse valida. Eo autem ipso quod statuit legem ne talis professio facta ante legitimam ætatem valida sit, non acceptat illam: sic ergo optime potest illam irritare, quod ita in præsenti fecisse constat ex citatis iuribus. Congruentia autem, seu ratio motiua ad hanc legem fuit grauitas, & difficultas status religiosi, quanto enim est fructuosius cum sufficienti cognitione & libertate sumptus; tanto est periculosius si alter assumatur: & ideo merito postulata est maturitas maioris ætatis, vt cum maiori discretione, & perfectiori libertate fiat. Accedit quod omnia simplicia vota impuberum infirma sunt, ita vt possint à parentibus irritari, propter imbecillem vsum rationis, qui in eo statu præsumitur; ergo multo magis votum solenne non poterat esse firmum: non expediebat autem ita esse infirmum, vt posset à parentibus irritari, quanuis esset validum: merito ergo prouisum est ab Ecclesia, & præuentum, ne valorem haberet. Vnde hic non habet locum illa regula, quod qui se potest obligare diabolo, potest se etiam Deo obligare; quia hæc procedit considerata solum rei natura, Ecclesia vero speciali prouidentia potuit hic limitationem adhibere in obligatione professionis propter maius Dei obsequium, cui placent sacrificia voluntaria, & ad cauenda maiora mala.

6. *Malitia in hac materia non supplet ætatem.*

Quod autem in hoc negotio malitia non suppleat ætatem, olim ab aliquibus iurisperitis dubitatum est, vt refert Sylvest. verbo *Religio* 2. q. 12. quia in matrimonio malitia supplet ætatem, cap. *à nobis*, & cap. *tuæ*, de despons. impub. & præterea ex cap. *postulasti*, de Regular. Nihilominus res certa est quam proposuimus, vt docuit gloss. in Clem. *eos*, de Regular. verb. *ætate*, & communiter Doctores in cap. *postulasti*, de Regular. vt ibi notat Abb. num. 2. Ratio vero est, quia iura absolute & sine tali exceptione irritant professionem antea factam, vt pater ex cap. *ad nostram*, de Regularib. & c. 1. eod. tit. in 6. & aliis iuribus citatis, maxime ex Concil. Tridentino: non possumus autem nos sine lege vel cogente ratione legem limitare, aut exceptionem ei adiungere. Præsertim, quia in dict. cap. postulasti, olim addebantur hæc verba, *nisi prudentia forte supplenerit ætatem illis, vt transire debeant ad regulam laxiorem.* in quibus veterum Canonistarum opinio fundata est, postea vero illa verba sublata sunt, vt intelligatur etiam hæc limitatio, seu exceptio sublata, vt ibi gloss. & Doctores notant. Nec argumentum à matrimonio sumptum, validum est, tum quia in his rebus, quæ pendent ex iure positiuo, argumen- *Probatur.*

tum à simili est efficax, tum etiam, quia professio religiosa est longe altior, ac difficilior, quam matrimonium, & ideo necesse non est illa æquiparare. Vnde Basil. in Regul. fus. disput. Reg. 15. ait, pueros non esse ad professionem admittendos, *nisi vbi rationis vsus accesserit, & habitum illum rerum iudicandarum ætas maior attulerit.* & infra, *quo sanè tempore admittenda est virginitatis professio tanquam firma iam, & eiusmodi, quæ à proprio Concilio, iudicioque proficiscatur, ratione iam probe adulta.* in quibus verbis particulas illas ponderandas aduerto, *maior ætas*, & *probe adulta ratione*. vide cap. 1. 20, q. 1.

7. *Dubium primum.* Tandem vero circa hoc inquiri potest, an sicut hodie non potest professio valide anticipari ante 16. annum expletum, ita non possit impediri, quin si post 16. annum fiat concurrentibus alijs conditionibus necessarijs, valida sit? *Resolutio.* Respondeo minime posse hanc regulam constitui: nam Concil. Trid. solum negatiue statuit, vt professio antea facta, valida non sit; non tamen etiam affirmatiue præcipit, vt illa ætas sufficiat, ita vt nullo alio iure maior requiri possit. Quod aperte supponit Nauarr. consil. 24. de Regular. num. 2. & est per se euidens tum ex verbis Concilij, tum ex ratione illius: nam per illam legem solum intendit fauere professioni in hoc, quod cum perfecta deliberatione fiat; cui rationi non obstat, sed potius fauet, quod maior ætas requiratur. *Quid de insulanis dicendum.* Quocirca per hoc decretum reuocatum non est statutum Gregor. libr. 1. Registri epistol. 48. quod refertur à Gratiano in cap. *qui autem* 20. q. 1. & habetur in cap. *quia in insulis*, de Regular. vbi prohibet in insulis recipi pueros in monachorum monasterijs ante 18. annum, *quia in insulis*, ait, *dura est congregatio monachorum.* *Notatio prima.* Circa quem tamen textum mihi placet animaduersio Abbatis, solum esse prohibentem, non irritantem professionem factam antea; quamuis Hostiens. & alij oppositum dixerint; sed immerito, quia in illo textu nullum ponitur verbum irritans, & simplex prohibitio non sufficit, maxime in re tam graui, & quæ ius diuinum attingit. Quid vero insularum nomine ibi sit intelligendum, difficile est, quia non apparet, cur in insula Siciliæ, v.g. aut Angliæ, & similibus durior sit congregatio monachorum. Et ideo Panormit. supra decretum illud solum intelligit de insulis, in quibus vnicus tantum est locus solitarius, & mari circumdatus intra angustum territorium: nam in illis propter pericula, & alias difficultates, merito dici potest durior congregatio monachorum. Quod, coniectura vtendo, rationabile apparet: nam quando insulæ sunt ampliores, habentes prouincias, & regna, nulla est in eis difficultas, aut ratio ob quam inter eas, & alias prouincias differentia *Notatio secunda.* constituatur. Sed quia Gregorius in particulari loquitur de insula Orphiana, & Palmaria, ex qualitate earum videndum est, an coniectura quadret: nam licet Gregorius addat particulam generalem, *aliisque insulis*, optime de alijs similibus illud interpretãdum est. Veruntamen quod ad rem spectat consulenda est consuetudo, dicit enim ibi Ioan. Andr. diligenter inuestigasse, & nunquam inuenisse legem illam in aliqua insula seruari; vbi autem talis fuerit consuetudo, illa lex non obligabit.

8. *Opinio, & restrictio Panorm. improbatur.* Addit vero Panormit. citato loco, cum alijs, decretum illud Gregorij extendendum esse ad omnes religiones monachorum, quarum dura est congregatio, & specialiter ponit ipse exemplum in mendicantibus. Ratio eorum est, quia dispositio legis ampliari & restringi debet iuxta rationem in ea expressam, l. *cum pater.* §. *dulcissimis.* ff. de legatis 2. Veruntamen hanc extensionem merito reijcit Syluest. verb. *religio* 3. quæst. 2. tum quia illud generale principium *vel non est verum*, vel solum in fauorabilibus admittendum est, nõ vero in odiosis & restrictiuis: tum etiam, quia illa lex fundatur non in quacunq; asperitate religionis, sed ex illa quæ specialiter oritur ex arctitudine insularis loci. Itaque seclusa illo textu, qui consuetudine creditur reuocatus, nullum inuenio casum in quo iure communi maior ætas, quam sexdecim annorum, necessaria sit. Obseruanda autem præterea sunt regularia statuta, nam Carthusiani dicuntur nõ admittere aliquem ad professionem ante 20. annum, vt refert Panormitanus; & Prædicatores dicuntur habere constitutionem specialem, vt ante 18. annum laicos ad professionem non admittant; & Nauarr. supra refert similem regulam cuiusdam religionis, quam non nominat. Vbicunque autem talis lex fuerit, non repugnat Concilio, autiuri communi, & ideo seruanda est, si per contrariam consuetudinem non est reuocata. An vero talis lex sit irritans, vel solum prohibens, non potest resolui, vt recte dixit supra Nauarr. nisi lecta illa, & recte intellecta. *Notandum.*

9. *Dubium secundum.* Aliud vero dubium supererat hic, scilicet, an professio facta ante legitimam ætatem aliquam obligationem relinquat. Sed hoc dubium quantum ad eos, qui ratione iam vtuntur, licet impuberes sint, infra in generali tractabitur de professione inualida. Quantum ad eos vero, qui ante vsum rationis donati sunt religioni à parentibus, de quibus ratio dubitandi supra est proposita, dicendum est nullam obligationem eis relinqui, si quando perueniunt ad annos pubertatis, contradicant, nolintque religionem profiteri. nam libere possunt matrimonium contrahere, aut quemcunque alium statum assumere, vt expresse docuit Marcell. Papa in cap. *illud autem* 20 q. 1 vbi de his pueris dicitur, *anno 15. ætatis* (inchoato intelligo) monendos esse à prælatis ut permanere velint, & si annuerint, vlterius retrocedere non posse, si autem renuerint, liberos relinquendos esse, vt ad seculum reuertantur, si velint, *quia satis inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur.* *Resolutio.* Quæ sententia proportione seruata, nunc locum habet: solũ mutando decimum quintum, in decimum septimum annum; quia nunc professio non fit valida, vsque ad illum annum inchoatum, & ideo tunc danda est illa optio. Addo vero insuper necessarium *Notatio 1.* esse vt saltem ab initio 15. anni puer intelligat se esse liberum ad non profitendum, vt possit illum integrum annum probationis habere, in xta superius dicta de nouitiatu. An vero possit etiam huiusmodi puer ante illam ætatem relinquere religionis habitum inuito parente, supra lib. præcedenti de primo ingressu agentes, dictum est. *Notatio 2.*

10. *Responsio prima ad decreta supra posita.* Ad illa ergo decreta in principio citata respondent aliqui, iure antiquo potuisse infantem fieri vere religiosum absq; proprio consensu per voluntatem parentis, qui consequenter dicent vel professionem non esse simpliciter necessariam ad statum religiosum, nisi in his qui propria voluntate vti possunt, quod videtur insinuari illis verbis Concilij Toletani, *Monachum vel professio facit, vel paterna deuotio*: vel certe dicetur ad professionem necessarium esse liberum consensum vel proprium in eo qui est capax illius, vel (secundum illud antiquum ius) etiam alienum respectu filij non habentis proprium, quia voluntas patris tanquam eius reputatur. Quod si quis instet, quia in illa donatione parentis non poterant interuenire tria vota substantialia religionis. Respondent aliqui implicite interuenisse ex declaratione vel constitutione Ecclesiæ. At profecto mihi hoc incredibile est, & extra facultatem Ecclesiæ esse censeo, ideoque non potuisse ex efficacia Ecclesiasticæ legis fieri, ac proinde nec declarari, aliquid declaratio falsa esset. Assumptum probo primo *Respondetur, & impugnatur.* *Primo.*

ex

ex illo principio, quod votum proprie sumptum ita pendet ex intrinseca voluntate, vt non possit ab extrinseco prouenire, etiam per diuinam potentiam, quia dicit intrinsecam habitudinem ad actum immanentem, & vitalem. Secundo, quia si nomine impliciti voti intelligatur obligatio extrinsecus imposita circa tales materias in ordine ad diuinũ cultum, etiam non habet Ecclesia potestatem imponendi talem obligationem circa materiam integræ, ac perfectæ castitatis, seu virginitatis, & alias similes, quæ solum ad perfectionem necessariæ sunt. Et eadem ratione dici non potest parentem ex naturali dominio, quod habet in filium, habere vim imponendi talem obligationem, quia neque illa parentis facultas in puro naturæ ordine spectata tam excellentem habet virtutem, tum quia illa non excedit naturales terminos (hæc autem vota altioris ordinis sunt,) tum etiam, quia licet talia vota considerentur, quatenus ex naturali lumine rationis elici possunt, ettam excedunt paternum regimen, & potestatem naturalem, maxime vt perpetua, & pro toto vitæ tempore, sed solum quandiu illi subiectus est. Neque vero in lege Euangelica potestas parentum ita eleuata est, vt iure ipso diuino sit illis talis potestas concessa, nulla enim scriptura aut traditione hoc constat, & ideo gratis asserendum non est.

Aliter ergo responderi posset, verum quidem esse in illa donatione filii non adiungi tria vota substantialia, etiam implicite, & consequenter illam non fuisse veram professionem, vt etiam Concil. Tolet. indicat, dum distinguit professionem à paterna deuotione. Habuisse nihilominus vim professionis quoad traditionem, seu donationem, quæ per illam fit, ita vt ex vi illius acquireret monasterium verum dominium in infantem, & infans maneret postea obligatus ex iustitia ad seruiendum monasterio, idcoque nec posset iustè, nec permitteretur retrocedere: sicut si pater proprium filium vendidisset, aut donasset, verè maneret seruus, & teneretur postea seruitutem seruare. Vnde sic oblatus à parentibus non esset quidem in rigore religiosus quoad perfectionis statum, sed largo modo posset dici monachus (prout videtur Concilio Tolet.) quia est verè traditus, & in illa traditione diuino obsequio mancipatus. Ad quod confirmandum conferre potest doctrina glossæ in c. *vt lex continentia* 27. q. 1. quam allegat & multum commendat Abb. in cap. *non est*, de Regular. num 3. quod generatim de oblatis dicit astringi monasterio magis quam monachos, quia etiam causa arctioris vitæ non possunt transire ad alia monasteria, quanquam petant licentiam à superiore: nam oblati dicuntur qui se & sua dedicant monasterio, & ita efficiuntur quasi serui illius. His ergo oblatis videntur posse comparari hi filii donati à parentibus, quod videtur etiam confirmare illa sententia prolata à Pontifice in causa Roberti, vt supra citatum est. nam fortasse ob eam rem non est permissus transire ad aliam religionem.

Veruntamen licet hæc sententia hoc modo explicata probabilis sit, nihilominus non existimo fuisse vnquam in Ecclesia obseruatum, vt filii à parentibus traditi monasteriis in infantia, cogerentur postea permanere in monasterio, siue vt monachi, siue vt oblati: etiam illis volentibus, cum peruenerint ad adultam ætatem. Quia, vt dixit Marcellus Papa, *inuitis coacta Deo non placent*: est autem illud decretum Marcelli valde antiquum, nam anno 304. Domini ille floruit, & idem sumitur ex decretis Leonis & Eugenii quæ refert Gratianus in cap. *puellæ*, & cap. *sicut* 20. quæst. 1. & idem statuit postea Cœlestinus III. in cap. *cum simus*, de Regular. vbi glossa & Doctores ita sentiunt. & in c. 1. & 2. eod. tit. Item glossa & doctores in cap. *Clericus* 2. de Vita & honestate cler. Ratio autem addi potest primo, quia ex natura rei non videtur esse tanta potestas in parente, vt possit liberè donare filium, aut obligare, prout voluerit, etiam in obsequium Dei: nam licet hoc possit pro ea ætate, pro qua non censetur filius habere voluntatem propriam, aut non perfecte liberam, iuxta dicta in lib. de primo ingressu: non tamen pro illo tempore, pro quo iam est perfecte sui iuris. Et licet iuxta ius naturale, & expositiuum etiam commune possint parentes aliquando vendere filium in seruum; illud tamen erat in aliquo raro casu, & propter aliquam grauem necessitatem parentis, ad quam subleuandam concedebatur illis tanta in filium potestas, quia in ordine ad corporalia subsidia magna est obligatio filii ad parentem, & magnum ius parentis in filium: & ideo non solum ante vsum rationis, verum etiam post illum habebat pater hoc ius quando filium sub ea potestate retinebat. At in ordine ad diuinum obsequium nunquam occurrit talis necessitas, neque existimo fuisse vnquam in Ecclesia tale ius, neque etiam esse consentaneum rationi aut diuinæ voluntati; nam Deus vult vt ab vnoquoque vtente ratione liberum sibi fiat obsequium, vel oblatio. Et confirmatur, nam vel puer sic oblatus à parentibus poterat postea resiliens in annis discretionis licitè, & valide contrahere matrimonium, vel non poterat: si primum dicatur, repugnat aperte antiquis decretis supra citatis, & consequenter interpretanda erunt, non esse loquuta in eo sensu, sed de infantibus qui postea liberè consenserunt traditioni parentum; si vero dicatur secundum, repugnat dictis contra præcedentem sententiam, quia sequeretur obligari quempiam ad seruandam Virginitatem sine propria voluntate, quod est contra intentionem Christi, in Euangelio, & Pauli ad Corinth. & perpetuum sensum Ecclesiæ, vt patet ex multis decretis distinct. 32. & 20. q. 1 & 2. & est optimus textus à simili in c. *de his* 28. d. qui est Concil. Tolet. II c. 1.

*Secundò.*

*Confirmatur.*

Dico ergo prædicta iura intelligenda esse de filiis oblatis in infantia, qui postquam ad annos discretionis peruenerint, oblationi de se factæ à parentibus expresse vel tacite consenserunt. Quæ limitatio quanuis non expresse addatur in Concilio Tolet. IV. ex aliis iuribus subintelligenda est, cum Concilium illud post tempora Marcelli Papæ congregatum sit, & ita interpretatur ibi glossa, & in cap. *cum virum*, de Regular. & colligitur ex illo textu si attente ponderentur illa verba, *habitum religionis induens benedictionem accepit*. Quod etiam notauit gloss. in c. *addidistis* 20. quæst. 1. Idemque dicendum est ad Isidorum, quanuis textus ille non habeat tantam auctoritatem, tum quia sit priuati doctoris, tum etiam, quia etiam in ipso Isidoro inuentus non est, vt in Codice Gregoriano notaui. Idem dicendum est ad Concilium Wormat. seu Gregor. III. quanquam testimonium illud specialem habeat difficultatem, quia expresse quærit, an liceat his infantibus oblatis egredi, & matrimonio copulari, postquam pubertatis annos impleuerint; & respondet, *hoc omnino deuitamus*. Significat ergo nullam eis relinqui optionem quando peruenerint ad annos pubertatis. Ea auget difficultatem ratio quæ subditur, *quia nefas est vt oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur*. Vbi non redditur causa ex consensu, & ratihabitione filii, sed præcisè ex oblatione paterna, cui contraire nefas censetur. Nihilominus priora etiam verba intelligenda sunt hoc modo, vt post completam puberem ætatem, v. g. 14. ætatis annum iam non liceat filio oblato retrocedere, quia perseuerando in illo statu toto tempore vsque ad pubertatem completam, & non reclamando cum primum illam impleuit, satis

13. *Vera responsio.*

videtur ratam habuisse oblationem paternam; quia vero Marcellus Papa statuit vt in 15. ætatis anno à prælatis interrogentur velint permanere necne, existimo non fuisse hoc reuocatum à Gregorio, sed ita semper fieri debuisse: ideoque cum Gregorius dixit, postquam impleuerint pubertatis annos, vel supponere etiam interrogationem illam iam factam, & pueri electionem, vel certe addidisse, etiamsi interrogatio illa prætermissa fuisset per solam perseuerantiam vsque ad adultam ætatem completam, tacite censeri confirmatam oblationem. Atque ita etiam exposuit ibi glossa, fortasse tamen Marcellus loquitur quando professio tantum sit tacita, nam tum necesse est vt post pubertatem completam, annus integer transeat, quod etiam nunc obseruatur, iuxta cap. 1. de Regular. 6. vt infra videbimus. Alia vero iura quæ solum requirunt annum pubertatis completum, intelligenda erunt quando fit expressa professio, & ad eundem sensum accommodata est ratio textus: nam licet in hoc negotio multum deferatur reuerentiæ debitæ parentibus, nunquam excluditur id quod ex parte filii necessarium est, vt non possit licitè retrocedere, scilicet proprius consensus in ætate sufficienter adulta. Eadem responsio datur ad Concilium Triburiense, quæ fundari potest in illis verbis eius, *& in Ecclesia cœpit canere & legere*, vbi glossa aduertit, ideo esse posita, quia non solum verbis, sed etiam factis propria declaratur voluntas. Denique historia illa Roberti apud D. Bernardum ex vna parte videtur multum augere difficultatem, ex alia non videtur ad præsentem quæstionem pertinere, cum ibi non fuerit oblatio, vt ita dicam, consummata, sed solum promissa, & religionis habitu nondum accepto: in quo casu nullus hactenus dixit quempiam fieri religiosum per solam parentis promissionem, & ita relinquitur difficultas communis in omni opinione. Videtur ergo mihi Pontificem in eo casu voluisse confirmare secundam professionem, non quia prima valida non fuisset in Cisterciensi ordine; nec quia per solam parentis oblationem filius factus esset monachus Cluniacensis; sed solum, quia aliquod ius illi fuerat acquisitum ad talem personam, vnde accedente postea illius consensu per professionem iam ibidem factam, merito noluit Pontifex aliam mutationem fieri, maxime cum status esset ferè æqualis, & ad bonum ipsius religiosi præcipue ordinatus: & si quis intercesserat defectus, facile poterat per ipsummet summum Pontificem suppleri.

14. *Assertio vltima.*

Vltimo addendum est in hac quæstione, hunc liberum consensum necessarium esse non solum ex parte religiosi, sed etiam ex parte religionis. ita sentiunt Doctores omnes supra citati, & specialiter videri potest Panormitanus in cap. *porrectum*, de Regular. num. 10. & in cap. *consulti*, eodem tit. & Nauarr. consil. 26. de Regular. n 1. & Gregor. Lopez in l. 7. tit. 7. part. 1. & colligitur aperte ex cap. *ad Apostolicam*, de Regularib. Vbi ad valorem professionis requirit Innocent. III. tam liberam acceptationem ex parte religionis, quam oblationem ex parte religiosi. Et in cap. *porrectum*, eod. tit. dicitur professionem regularem fieri ex qua conuertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate, quod ibi etiam glossa ita intelligit. Ratio autem est manifesta ex dictis iuribus, & ex supradictis de ingressu religionis & de traditione quæ in professione fit. Nam ex his omnibus habetur professionem religionis includere pactum quoddam inter religiosum & religionem; tum quia omnis donatio quatenus requirit acceptationem alterius, est pactum quoddam: tum etiam, quia, vt Nauarr. supra dixit, professio est contractus quidam obligatorius ex parte religionis & religiosi, quia religiosus se obligat monasterio ad seruiendum ei secundum regulam, monasterium autem ad tractandum eum secundum regulam, ergo tam est necessarius liber consensus ex parte religionis, quam ex parte ipsius religiosi. Neque in hoc difficultas vlla occurrit.

*Probatur primò ex iure.*

*Secundò probatur ratione.*

Hinc vero à fortiori sequitur, necessariam esse potestatem in recipiente, seu acceptante professionem, quia parum conducet consentire, nisi persona quæ nomine religionis consensum præbet, ad hoc habeat potestatem, quia alias non haberet consensum efficacem. Occurrebat tamen statim quæstio apud quem sit hæc potestas. Sed hæc eodem modo expedienda est, quo aliam similem supra resoluimus de potestate recipiendi ad habitum religionis. 15. *Notandum.*

## CAPVT IV.

### *Vtrùm ad valorem professionis necessarius sit consensus ita liber vt non ex metu tribuatur.*

QVoniam ea quæ ex metu, vel ignorantia fiunt, simpliciter libera & voluntaria iunt, quanuis secundum quid sint inuoluntaria, & coacta, ideo inquirendum relinquitur, an professio ita debeat esse perfecte libera, vt has etiam imperfectiones excludat: prius ergo dicemus de metu, & deinde de ignorantia. Circa metum autem considerandum est, non esse quæstionem quando quis ex metu professetur exterius, interius vero non consentit, sed solum fingit: nam tunc certum est professionem apud Deum esse nullam, quia sine voluntate & intentione profitendi non potest valida esse professio, *secundum omnes*, vt dixit Nauarr. consil. 15. de Regular. & per argumentum à simili sumitur ex cap. *tua*, & cap. *is qui*, de sponsalib. & consonat sententiæ Gregorii in cap. *humanæ aures* 22. quæst. 1. *quod homines verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant, diuina vero iudicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* & supra tractando de voto in genere, hoc latius probatum est. Vnde ad hoc non refert quod timor sit magnus, vel paruus, imo absolute non refert ex qua causa proueniat defectus consensus; sed sufficit illum non esse, vt actus sit inualidus, siue ex metu graui, aut leui, siue ex alia praua intentione, aut malitia non habeatur: quacunque enim ratione id contingat, illo deficiente deficit anima contractus, vt sic dicam, & ideo nihil fit. Solum poterit conferre consideratio causæ ad explicandum quæ obligatio manere possit in eo qui ita finxit, vel ad iterandam valide professionem cum vero consensu, vel ad aliquod damnum resarciendum. De qua re nonnulla diximus tractando de voto in genere, & in sequentibus aliquid fortasse attingere necessarium erit. 1. *Notatio.* *Notatio secunda.*

Quæstio ergo huius loci est, quando quis profitendo verum consensum interius præbet, extortum tamen per metum, an reuera professio valeat, verumque religiosum constituat. Et ratio dubitandi esse potest, quia ille tandem simpliciter vult se tradere religioni, & obligari Deo: ergo facit quod vult, nam potestatem habet, cum sit Dominus sui: nam qui potest & simpliciter vult, volitum facit; in hoc enim distinguitur absoluta voluntas, quæ etiam efficax dicitur à voluntate inefficaci. 2. *In quo sententiæ supradictæ difficultas. Ratio dubitandi.*

Nihilominus res certa est talem professionem nullam esse. Quod docent omnes Doctores super iura statim citanda. & Sot. lib. 7. de Iust. q. 2. art. 1. ad 2. & in 4. d. 29. q. 1. art. 3. & Nauarr. Comment. 4. de Regular. n. 76. & consil. 9. de his quæ vi. vbi duo fundamenta generalia assumit, vnum est, nullum votum factum ex graui metu validum esse, iuxta gloss. in c. *Abbas*, de his quæ vi. aliud est, nullum actum metu factum ligare agentem in conscientia, iuxta communem opinionem Hostiens. Adrian. & aliorum, quos ibi refert, & seipsum etiam citat in Ma- 3. *Conclusio vera, & certa.*

sio Manual. c.27.num.29.&30. Sed ibi nihil dicit de hoc tam generali principio, & in cap. 22. num. 50. contrarium principium statuere videtur: illud etiam generale principium de voto nobis suprà probatum non fuit. Probatur ergo primò ex cap.1. de his quæ vi, &c. ibi. *Si legitimè probatum fuerit non timore mortis præditam mulierem religionem intrasse, aut quod fecit postmodum ratum habuisse*: ergo si professio fuisset facta ex metu, & postea libere confirmata, seu rata habita non fuisset, valida non æstimaretur: & in cap. *cùm dilectus*, eod. tit. cùm proposita est quæstio de voto quodam seruandi regulam Cistercien sem & per violentiam facto: respondet Pontifex seruandum esse, non obstante violentia, *quæ præponebatur iurata, cùm neque metum mortis, neque cruciatum corporis continuerit, & idcirco non deburat cadere in constantes*: ergo si metus fuisset grauis, & cadens in constantem virum, votum non obligaret, iuxta mentem Pontificis. Confirmari etiam hoc potest ex aliis iuribus irritantibus matrimonium metu factum cap. *significauit*, de eo qui duxit in matrim. &c. cap. *veniens* 1. cap. *locum*, de sponsalibus, item quia electio facta ex metu nulla est, cap. *vbi periculum* §. *aterum*, de electione in 6. Quę exempla conuincerent, si in illis casibus actus essent inualidi ex natura rei, quia non minor libertas requiritur ad professionem, quàm ad illos actus. Tamen si illi actus solùm sunt irriti iure positiuo, non est tam efficax argumentum, est tamen optima congruentia, seu coniectura idem in præsenti casu fieri debuisse.

4. Vt autem rationem huius veritatis reddamus, inquirendum superest, an talis professio sit irrita ex natura rei, vel ex iure positiuo. Quidam censuit ex natura rei esse tale votum inualidum, quod indicat Soto suprà, & idem sentit lib 8. de iustitia quæst. 1. art. 7. versus finem. Idem tenet Philiarch. lib. 3. cap. 18. tom. 1. Nauarr. dict. comment. 4. de Regular. idem sentire videtur cùm solùm argumentetur à simili, vel etiam à fortiori, quia professio maximè ligat, & ideo perfectam libertatem requirit. Idem plane sentit Panormitanus in c. *sicut nobis*, de Regularibus num. 5. de cuius opinione plura statim. Hoc ergo est fundamentum præcipuum huius sententiæ, quod ita amplius explicari potest: nam professio primariò fit ipsi Deo, cui se homo obligat, & principaliter tradit: ergo non est verisimile Deum acceptare traditionem sibi factam coactè: est ergo inualida ex natura rei. Accedit maximè, quia si ex natura rei professio non est inualida, neque ex iure positiuo erit, quia nullum est ius positiuum expressum, in quo talis irritatio fiat. Nam priora capita, quæ de votis specialiter loquuntur, hoc non statuunt, sed ad summum supponunt, & non satis clarè, vt statim dicam. Alia verò iura, quæ non in hoc casu in specie, sed in aliis loquuntur, non sunt efficacia, vt dixi.

Aliorum verò sententia est, professionem non esse irritam iure naturæ. Sed quidam ex illis propter argumentum proxime factum dicunt consequenter talem professionem in conscientia validam esse, & obligare, quamuis Ecclesia non cogat ad illam seruandam. ita tenet Syluest. verb. *Metus* quæst. 8. *Quia nullibi* (inquit) *authenti è legitalem irritationem*. Citatque Abbatem in cap. *cum locum*, de sponsalibus. Sed pro Cardinali citauit Abbatem, nam Cardinalis id asserit, non verò Abbas. Idemque Syluester verb. *Votum* 2. q. 12 in contrarium citat Panormit. in c. *sicut nobis*, de Regularibus. & meritò, quia ibi num. 5. & aliis locis tenet votum metu factum irritum esse, vt patet ex cap. *Abbas*. de his quæ vi, &c. num. 11. præter Syluestrum ergo nullum auctorem inuenio huius sententiæ. Suaderi autem potest, quia si professio hæc non est nulla ex natura rei, oporteret legem canonicam irritantem actum adeò grauem, esse expressam; non autem ita est: nam in cap 1. de his quæ vi, id non exprimitur, præcipit enim ibi Pontifex, vt quædam mulier per censuram Ecclesiasticam compellatur professionem seruare, nisi legitimè probetur factam esse per metum. Ex quo in primis directè non habetur quid esset agendum, si constaret interuenisse metum: deinde ad summum colligi potest, tunc non esse aliquem compellendum ad seruandam professionem, non verò sequitur illum non teneri in conscientia ad illam seruandam. Multoque minùs probat cap. *cùm dilectus*, in quo non est sermo de professione religionis, sed de quodam voto simplici, seu promissione iurata, quam non dicit Pontifex futuram inualidam si metus fuisset grauis, sed colligi fortasse potest quòd hinc fuisset irritanda, quod Pontifex noluit tunc facere, quia metus non fuit grauis.

Nihilominus dicendum censeo, talem professionem esse validam ex natura rei, iure tamen Ecclesiastico irritam esse. hæc sententia sumitur ex Nauarro in summa c. 21. numero 50. & aliis qui de matrimonio ita sentiunt; & insinuat etiam Soto in 4. d. 29. q. 1. art. 3. ad 4. Eandem expresse ex recentioribus docent Sanchex in Decal. lib. 4 cap. 3. num. 9. Aragon. 22. q. 88. art. 3. Henr. lib 1 de matr. cap. 9. num. 1. & 3. & Less. lib. 2. cap. 40. dubit. 3. num. 18. quatenus asserit grauem ac iniustum metum solo iure positiuo irritum reddere votum. Idem tradit cap. 41. dubit. 7. n. 61. de professione. estque hæc sententia frequentiùs recepta in scholis. Et quoad priorem partem mihi sufficienter probatur rationibus, quibus idem in superioribus ostendi lib. 1. de voto in communi, cap. 7 & 8 Summa earum est quia in hoc metu duo possunt considerari, vnum est quòd inferatur per iniuriam, quod maxime est verum, quando incutitur ad extorquendum consensum in professione: aliud, quod vel tollit, vel nimiùm minuit libertatem. Primum est quidem verum, & posset fortasse valere ad irritandum contractum cum homine factum, & in tali iniuria fundatum, vt multi probabiliter opinantur; tamen respectu Dei hæc iniuria nihil facit, quò minùs promissio, vel traditio illi facta valida sit, tum quia ipse non est auctor talis iniuriæ, tum etiam quia si ipse velit malum illud, vel timorem inferre, aut permittere, vt homo induceretur ad professionem faciendam, iure merito posset id facere. Secundum autem quoad oblationem liberratis falsum est, quia voluntas non cogitur sinpliciter, nec necessitatur ad interiorem consensum, liberumque esset homini velle potius mori, quàm profiteri. Quoad diminutionem autem libertatis verum est illum prum; tamen inde inferri non potest actum esse nullum ex natura rei, quia nulla sufficienti ratione hactenus probatū est, ad valorem huius actus ex natura rei necessariam esse libertatem ita perfectam, vt nullo ex capite minuatur, aliàs professio facta importunis precibus, vel ex vehementi passione, non esset valida. Accedit plures esse metus nō minùs minuentes libertatem, de quibus certissimum est, non inualidare ad professionem, huiusmodi est metus mortis naturalis, ex infirmitate, vel violentæ ex naufragio. Optimusque casus esse solet de adultera, quam maritus iuste vult affici pœna mortis, nec parcit nisi religionem profiteatur; quia certissimum est talem professionem esse validam. Idemque censeo si quis timens violētam mortem sibi imminentem ab inimico, quem vt fugiat, religionem ingreditur, non quia metus in hunc finem immissus sit, sed in odium, vel vindictam alterius rei. In quo casu Panorm. in d. c. *sicut nobis*, significat professionem esse inualidam, sed immeritò, quia nullo iure id probari potest, nec

6. *Vera resolutio duarum partium amplectens.*

*Probatur prima pars.*

*Confirmatur.*

*Reiicitur Panorm.*

ratione. Quid enim interest respectu Dei, quòd talis metus iustè incutiatur per publicam iustitiam, aut iniustè per priuatam personam? nam sine dubio vtroque modo, æque minuitur libertas, & ratio iniuriæ, vt dixi, impertinens est: ergo vlteriùs quamuis metus directe inferatur ad extorquendum consensum in professione, non propterea ex natura rei vel consensus est inefficax, vel professio nulla.

7. *Instantia contra proximè dicta à confirmationem*

Respondeti potest, quando metus directe incutitur ad extorquendum consensum, esse speciali quandam diminutionem libertatis, quæ non est in quocunque alio metu ex numeratis: nam in aliis non determinatur voluntas ex vi metus ad eligendam professionem, tanquam medium necessarium ad vitandum malum, quod timetur; sed cùm malum alioqui immineat, voluntas ipsa ex sua libertate se determinat ad eligendum hoc medium, vel vt à Deo imploret auxilium, vel vt securiorem viuendi rationem habere possit. At verò quando metus directe incutitur ad extorquendum consensum, voluntas ex vi illius quodammodo determinatur ad eligendam professionem tanquam medium necessarium ad vitandum malum illud, quæ determinatio longe maior est, magisque contraria libertati: nam suppositâ intentione vitandi illud malum est quædam necessitas simpliciter. Vnde cùm homo habeat intrinsecum & naturale ius ad vitandum malum illud, imò etiam voluntas vitandi illud quodammodò naturalis sit, voluntas etiam talis medii non censetur sufficienter libera. Atque ex hac differentia oritur alia ad morales effectus valde notanda: nam quando metus non est directe immissus ad extorquendum consensum moraliter nulla est occasio faciendi fictam professionem, sed regulariter fit vere, & ex animo, quia hoc modo facta est medium vtile vel ad placandum Deum, vel ad consequendum finem intentum, non autem si fictè fieret. At verò quando timor est directè immissus ad extorquendum consensum, regulariter est occasio faciendi potius professionem fictam, quàm ex vero consensu, quia ipsum externum opus reputatur sufficiens medium ad vitandum periculum.

*Notandum pro metu annullãte, vel non annullante professionẽ.*

8. *Responsio ad instant*

Sed licet hæ differentiæ meritò consideratæ sint, & sint vtiles ad intelligendum quare iura non irritant, nec in vniuersum prohibent professiones ex priori metu factas: summè autem detestatur directas coactiones, & extorsiones professionum; nihilominus non sufficiunt, vt propterea dicamus professionem factã ex metu directè immisso esse ex natura rei nullam. Primò, quia tota illa differentia est secundùm magis & minus, seruata semper libertate simpliciter ita perfecta, vt ad peccandum mortaliter sufficiat: nullo ergo sufficienti fundamento dicitur, diminutionem illam, quæ accidentaria semper dici potest, in vno gradu annullare actũ ex natura rei, & non in alio: maxime cùm pro regula habeatur libertatem, quę sufficit ad peccandum mortaliter, sufficere ex natura rei ad votum emittendum. Secundò, quia ex eo potiùs quòd talis professio frequenter ficte fit, colligitur ipsum consensum internum non esse medium simpliciter necessarium ad vitandum timorem illum, quia actus externus ficte factus sufficeret: solùm ergo eligitur ab operante ne talem externum actum indebito modo faciat, qui est magnus, & perfectus vsus libertatis. Tertiò, quia ratio suprà facta semper retinet vim suam, quæ apud me est maxima, quia talis voluntas potest se obligare, & hic & nunc simpliciter & absolute vult: ergo quantum ex sese, seu ex natura rei, id facit, nisi extrinsecus iure aliquo impediatur. Propter has ergo rationes censeo ex sola rei natura professionem talem non esse inualidam.

*Primò*

*Secundo.*

*Tertiò.*

Altera verò pars, scilicet quòd iure canonico inualida sit, euidenter sequitur ex prima assertione a nobis posita: nam si professio est inualida, & non iure naturæ, necesse est vt id sit iure canonico, quia nullus alius modus probabilis excogitari potest. Ipsa autem prima assertio non videtur hactenus sufficienter probata, quia illa iura quæ adduximus, videntur valide infirmari obiectionibus factis. Nihilominus probatur primò ex communi consensu Doctorum, vt citatum est, nam & Sylues. qui videtur contradicere aliis locis in verb. *Religio* 3. quæst. 11. hanc plane sequitur sententiam. Imò videtur etiam esse communis sensus totius Ecclesiæ, quo huiusmodi professiones inualidæ iudicantur, qui consensus magni ponderis est in hac materia, vel quia consuetudo est optima legum interpres, vel quia licet illud tale ius non esset scriptum, ex tali consensu communi posset intelligi esse traditum, & vsu receptum in Ecclesia. Maximeque confirmari hoc videtur ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 19. de Regular. vbi sic inquit, *Quicunque regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse religionem aut etiam dicat ante debitam professum fuisse, aut quid simile,* &c. Vbi clare supponit ex hoc capite inualidatam fieri professionem, non solùm existimatione Ecclesiæ, sed re ipsa; nam concedit tempus quinquennij ad allegandam hanc nullitatem professionis: item æquiparat hoc impedimentum cum defectu ætatis legitimæ, quem constat esse contra valorem professionis, & addit illam particulam generalem, *& quid simile,* vt comprehendat omne aliud impedimentum irritans. Denique in hoc sensu seruatur in Ecclesia hoc decretum, nam si quis ante elapsum quinquennium post professionem factam in Ecclesiastico iudicio sufficienter probet per metum fuisse coactum ad professionem emittendam, liber ab omni obligatione iudicatur. Quod nullo modo fieri deberet saltem ita simpliciter, & absolute, si in sola præsumptione, quòd professio ficte fuisset facta, sententia fundaretur: debuisset enim Ecclesia explicare modum sententiæ, seu libertatis, & onerare conscientiam professi, quòd si interiùs consensit non obstante metu, non potest religionem dimittere, etiamsi ab Ecclesia non cogatur; non autem ita fit, sed simpliciter liber iudicatur: ergo sensus est, siue consenserit, siue non, professionem fuisse nullam, eo ipso quòd ex metu processit. Atque hæc eadem praxis Ecclesiæ, & mes Concilii Trident. ostendit hunc esse verum sensum dict. cap. 1. de his quæ vi, &c. Hinc denique sumitur ratio, ob quam fuit valde expediens Ecclesiam tales professiones irritas facere, quia non poterat alio modo animarum periculis & necessitatibus sufficienter succurrere: cùm enim ipsa non posset conuenienter cogere ad professionem seruandam eum, qui metu coactus illam fecisset, sed periculum magnum erat, quod multi viri religiosi statum suum non seruarent, & ideo conuenientissimum fuit talem professionem irritam facere, ita vt in hoc negotio hæc duo conuertantur ab Ecclesia non cogi ad professionem tenendam, & ipsam non obligare.

9. *Probatur secunda pars resolutionis posita quòd sit irrita iure Ecclesiastico.*

*Primò ab auctoritate.*

*Probatur secundo ratione.*

10. *Instantia.*

Dices nonne potuisset Ecclesia professionem illam postquam iuridice probatum fuerit ex metu esse factam, postea irritam facere, etiamsi priùs rata fuisset? cur ergo non ita factum est? sæpe enim lex non irritat actum, disponit tamen vt irretur, quod in præsenti videtur futurum fuisse melius, vt post professionem hoc modo factam nemo posset illam deserere sine sententia, & irritatione Ecclesiæ, & interim ad eam seruandam vere obligaretur. Respondeo, mea sententia hunc modum fuisse possibilem, tamen res est incerta, & sub opinione, nam multi putant

putant professionem semel ratam non posse per Ecclesiam dissolui, & hoc satis erat vt Ecclesia modum illum per generalem legem non statueret : maxime, quia si dissolui potest, solum est per summum Pontificem, & ideo nec fuit conueniens vt talis irritatio omnibus iudicibus committeretur; nec etiam fuit expediens vt in omnibus similibus causis iudicium esset Sedi Apostolicæ reseruatum. Melius ergo fuit præueniendo incommoda, talem professionem irritare, & per hæc sufficienter, vt existimo, satisfactum est aliarum opinionum fundamentis.

Statim vero occurrit inquirendum de quo metu intelligendum hoc sit. Potest enim esse vel gratuis, vel leuis. Prior appellatur communiter cedens in constantem virum, quia talis tantusque est, vt vir etiam fortis & constans illo moueri possit. Aliqui vero declarant, illum esse metum cadentem in virum constantem, cui vir constans cedit, vt aliquod malum faciat : quo sensu nullus metus etiam mortis acerbissimæ cadit in virum constantem, quod tamen falsum est. Item, quia alias siquis faceret professionem factam ex metu mortis, ille non esset metus cadens in virum constantem; si autem faceret professionem veram, quantum est ex se, esset metus cadens in constantem virum, quia prior ex metu fecit aliquod malum ; posterior vero minime : at hoc falsum est, cum sit metus æquè grauis. Non est ergo hæc circunstantia explicanda per respectum ad opus seu ad subiectum, sed per respectum ad obiectum seu malum quod timetur, quod tam graue est quod merito vir fortis timere potest, non vt ob illud vitandum aliquid ex se malum faciat, hocenim propter nullum metum licet ; sed quod merito illud timere potest, & fugere, fugiendo talem actum, vt est in præsenti professio. Quod autem malum censendum sit ita graue vt ad hunc metum sufficiat ferè, iudicio prudentis arbitrandum est, argumentum l. *metus*. ff. quibus ex causis, &c. licet in dict. cap. *cum dilectus*, de his quæ vi. dicatur non obstare violentiam quæ metum mortis aut cruciatum corporis non continet; nihilominus vt glossa ibi & omnes aduertunt, non tantum illa duo sufficiunt ad hunc metum grauem, tamen ex illis sumitur regula vt omne malum moraliter æquiualens sufficiat, vt diuturnus carcer, verbera, vel ignominiosa, vel acerba; item grauis infamia, vel honoris iactura, quam homines præferunt corporis incommodis, & similia, sed vt breuius, & generalius res explicetur, dico metum vt dicatur cadere in virum constantem, duo prærequirere ; & quod malum quod timetur sit graue iudicio prudentum; & quod graui, seu probabili ratione timeatur tanquam imminens. Quæ autem mala non sunt ita grauia, non sufficiunt ad metum cadentem in constantem virũ, propterea leuis dicitur. Præter mali vero grauitatem oportet vt metus etiam sit rationabilis, id est, in vero & morali periculo fundatus, nam vir constans non timet nisi vbi de periculo satis constat; inconstans autem, aut leuis homo facile trepidat vbi non est sufficiens ratio timoris. In quo etiam non potest vna formis regula tradi, sed pro capacitate subiecti : aliam enim constantiam requirit recta ratio in viro quam in fœmina; & aliam in matura ætate, quam in puerili, vt latius tractant Doctores in materia de Matrimonio, & videri possunt Couar. in 4. p. 2. c. 3. §. 4. Nauar. c. 22. n. 51. Syluest. verbo *Matrimonium* 8. q. 11. Soto in 4. d. 28. q. 1. art. 2. & lib. 7. de Iustitia q. 2. art. 1. ad 2. Sanchez lib. 4. de Matrim. disput. 3.

In præsenti ergo omnes requirunt metum cadentem in constantem virum, vt professio sit irrita. Et colligitur ex cap. 1. de his quæ vi. vbi solum de metu mortis fit mentio, & à fortiori ex cap. *cum dilectus*, vbi metus non grauis quasi nihil reputatur. Omnia etiam iura, quæ in casu matrimonii, & similibus de metu irritante loquuntur, & in hunc modum, illum explicant, vt patet in cap. *veniens* 2. & cap. *consultationi*, de sponsalib. & alias dicitur in iure quod vanus timor non excusat. l. *metum* 2. ff. quod metus causa, & l. *si quis ab alio*, ff. de re iudic. Et ratio est, quia metus leuis non immutat multum voluntatem, & consequenter non diminuit notabiliter libertatem eius. Dices, etiamsi fortasse malum in se graue non sit, aut periculum in re non immineat, si in apprehensione operantis vt talia iudicentur, non minus mouent, quam si in re existerent : ergo non minus libertatem minuunt : ergo non minus impediet valorem professionis. Et è conuerso licet malum sit graue, & vere imminens, non tamen apprehendatur vt tale; vel licet apprehendatur, non tamen multum moueat, quia ex fortitudine operantis simul apprehenditur vt superabile, tunc metus parum diminuet libertatem, tunc ergo non irritabit actum. Circa hoc Nauarr. in Summa c. 17. n. 30. & c. 22. num. 51. vers. *Septimum*, & consil. 9. de his quæ vi, indicat illam distinctionem metuum solum procedere in foro exteriori, nam in foro conscientiæ putat expendendum esse, an & quantum metus mouerit : potest enim alicui inferri metus grauis, & nihilominus ipse non operari ex metu, sed quia placet res ipsa quæ postulatur, & tunc non videtur in conscientia posse discedere ab actu, seu professione sic facta, licet si in foro exteriori probet metum, iudicandus sit liber. Simili ergo ratione, si quis non amplius moueatur ex metu graui, quam alius ex leui, non videtur in conscientia propter talem metum irritari actum ; & è conuerso si aliquis non minus moueatur interius ex obiecto leui, quam vir constans ex graui, non minus irritabitur actus in conscientia, licet in exterioti foro aliter iudicetur.

*Obiectio.*

Atque hæc sententia fortasse haberet probabilitatem, si verum esset metum natura sua irritate professionem, quia priuat aliqua libertate : tunc enim reuera non tam esset considerandum, qualis sit causa metus, quam qualis sit apprehensio eius, vel potius quantus sit ipse metus, quia non causa vel obiectum metus secundum se, sed formalis metus est, qui tollit & minuit libertatem : ergo in foro conscientiæ hoc esset attendendum, si ex natura rei professio esset nulla ob defectum liberratis, sicut de dolo & ignorantia statim dicemus. At vero, quia fundamentum illud falsum est, vt ostendi, dicendum in præsenti censeo non solum in foro exteriori, sed etiam in conscientia leuem metum ex parte causæ & obiecti non irritare professionem, quantumcunque moueat vel perturbet profitentem, dummodo non tollat vsum rationis, nec libertatem sufficientem ad peccandum mortaliter. Probo, quia Ecclesia nunquam irritauit talem professionem, sed illam simpliciter voluit esse validam, nulla ratione habita apprehensionis, vel perturbationis ipsius profitentis. Merito autem ita statuit, tum quia lex generalis non respicit particulares casus, tum etiam, quia illa apprehensio, vel perturbatio, non potest moraliter probari in foro Ecclesiæ; & ideo non potuit iuxta illam recte fieri irritatio, sed iuxta rei habitudinem, seu qualitatem. 13.

Atque eadem ratione non refert quod ex magnitudine timoris, seu obiecti eius parum aliquis perturbetur, satis enim est quod vere timeat, & quod ex timore profiteatur; quia tunc etiam actus cadit sub legem irritantem vniuersaliter latam. Dico autem satis esse quod timeat, & quod ex timore profitea- 14. *Prima limitatio, & assertio circa metum graue.*

tur.

tur, nam hæc duo in conscientia necessaria sunt, in quo sententiam Nauarri maximè probo. Si quis enim non obstante exteriori causa, & comminatione, quæ iudicio prudentum esset sufficiens, vt vir, vel fœmina constans timeret, nihilominus ipse interiùs, & in re timeret, & nihilominus vellet religionem ingredi, non ex timore, sed propter alias causas, professio esset valida, nec posset talis persona tuta conscientia liberari iugo religionis per sententiam: nam licet fortasse in foro exteriori obtineret intentum suum, probando sufficientem causam timoris, tamen apud Deum non obtinebit, cùm reuera ex tali causa non fuerit ortus timor, qui est vera & proxima ratio huius irritationis.

15. *Secunda ratio, & assertio.* Idem similiter censeo etiamsi ortus sit timor, quando ille non est causa profitendi, vt contingeret in eo qui dum timeret, haberet expressam voluntatem profitendi, etiamsi nulla esset timendi ratio propter bonum ipsius religionis. Contingit enim vt vexatio det intellectum, & timor mali imminentis sit occasio concipiendi bonum religionis, ita vt iam homo ex amore illius, & non tantùm ex timore incusso ad profitendum moueatur: & tunc assero professionem in conscientia esse validam, etiamsi in exteriori foro apparenter probari possit nulla. Ratio est, quia reuera tunc qui sic profitetur, ita se gerit, ac si non haberet metum, qui ibi omnino per accidens ac concomitanter se habet. Item, quia si professio priùs facta ex metu, postea interiùs ratificetur, incipit esse valida, vt postea dicam, quamuis in foro exteriori iudicanda esset inualida; sed in prædicto casu in eodem momento quo fit professio, rata habetur per voluntatem tam liberam, quàm postea esse posset transacto metu: ergo in conscientia ex tunc est valida talis professio. Neque est inconueniens quòd interdum possit in hoc discrepare iudicium externi fori à foro conscientiæ, quia leges humanæ non iudicant de internis, & secundùm id iudicant, quod regulariter euenire solet: quando autem interuenit grauis causa metus, actus regulariter fit ex metu, & ideo in foro exteriori, vt talis iudicatur.

16. *Dubium de timore reuerentiali.* Solet autem hîc specialiter dubitari, an metus reuerentialis fœminæ, v.g. sit sufficiens ad irritandam professionem ex illo factam. Et ratio dubitandi est, quia id simpliciter asserit glos. in cap. *præsens* 20. q. 3. quam glossam vt singularem commendat. Nauarr. in summ. cap. 22. num. 51. vers. 8. & consil. 9. de his quæ vi. q. hoc eliciunt ex dict. c. *præsens*. In contrarium autem est, quia timor reuerentialis non videtur grauis, nec cadens in constantem virum, quia regulariter loquendo, neque obiectum eius graue est, neque ratio timendi sufficiens. Vt verò respondeamus, cauenda in primis est ambiguitas in significatione illius vocis, *timor reuerentialis*; aliquando enim significat solam interiorem reuerentiam ad aliquam personam, vt patris, tutoris, &c. cum quadam verecundia, quæ puerum detinet ne voluntati patris audeat contradicere. Et hunc metum reuerentialem minime sufficere existimo ad irritandam professionem. Quod contra prædictam glossam, & plures alios, quos refert, tenet Couarr. in 4. p. 2. cap. 3. § 6 num. 7. Salzedo super regula 532. Bernard. Dias ampliatione 1. Henr. lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 5. Ludou. Lopez 2. p instruct. in materia cap. 40. §. primò igitur. Et plures iuristæ, quos allegat & sequitur Sanchez. lib. 4. de matrim. disp. 6. n. 18. Et quidem ad hominem magnum argumentum est, quòd metus non irritat matrimonium carnale, vt prædicta glossa fatetur, & est communis sententia Doctorum, quos referunt citati auctores: ergo nec professionem irritabit. Patet consequentia, quia quoad hoc æquiparantur hi actus ab omnibus ferè iurisperitis, nec potest verisimilis ratio differentiæ assignari. Ratio verò à priori est, quia nullum est decretum canonicum irritans tale matrimonium: ergo non habet vnde sit nullum, iuxta superiùs dicta. Antecedens probatur, quia in primis dictum cap. *præsens*, nihil probat, quia ibi non solùm interuenerat timor reuerentialis, sed etiam absoluta coactio, vt patet ex illis verbis, *sub testificatione iuriurando firmauit* (scilicet pater Artho) *quod quando primitus ei cucullam induit, idem Lambertus semper restitit, & nunquam se fieri monachum consensus, sed demum ab insequentibus monastico habitu violenter est indutus*. Non fuit ergo timor reuerentialis, sed coactio manifesta, præter multa alia, quæ ibi interuenerunt, propter quæ euidens erat, illam non fuisse professionem. Apparentius argumentum pro illa sententia sumi solet ex cap. *puella* 20. quæstione 1. vbi dicitur, *Puella quæ non coacta parentum imperio*, &c. Significatur ergo parentum imperium, cui puella propter reuerentiam non audet contradicere, moralem coactionem sufficere, quæ excuset ab obligatione voti. Veruntamen textum hunc exponere videtur Clemens III. in cap. *cum virum*, de Regularib. ibi. *Non videtur ille monasticæ professioni à se iugum posse cutere, cùm eam non constet euidenter contradixisse.* & iterum infrà, *si eam quandoque contradixisse constiterit.* Et inferiùs allegat verba Leonis in dict. cap. *puella*; & intelligenda dicit de fœmina constituta in ætate nubili, quæ non potest cogi vt parentum se quatur voluntatem, coactionem autem tunc fieri intelligit, quando ipsa contradicit: quando ergo non contradicit, licet tacear fortasse ex reuerentia, non cogitur, nec in foro exteriori ex solo principio potest talis professio nulla iudicari; & in interiori valida est, si reuera profitens internum consensum adhibuit. Præterea in d. c. 1. de his quæ vi. non irritatur hic consensus, nisi intercedente metu mortis, sub quo omnis metus cadens in constantem virum ad summum comprehenditur; ille autem timor reuerentialis non potest dici metus cadens in constantem virum, sed ad summum reputari solet leuis, seu modica coactio, quæ non sufficit, vt dicitur in cap. *insinuante*, qui cler. vel vouent. & notauit Panorm. in cap. *cùm virum*, de Regular. in fin.

17. Alio verò modo timor reuerentialis includit non solùm imperium paternum, cui ex reuerentia non contradicitur, sed etiam coactionem aliquam, per quam puer cogitur eam reuerentiam patri præstare, vt etiam in hoc negotio eius non audeat contradicere voluntati: hic autem timor non est nisi præcesserint minæ, vt Abb. suprà notat ex Innoc. in c. cùm *causam*. de Offic. deleg. & Bartol. in lib. 1. §. *quæ onerandæ*. ff. quarum rerum actio non datur, & ex multis aliis idem notat Couar. suprà num. 4. Sic ergo sumptus metus reuerentialis sine dubio sufficit ad irritandam professionem, vt iidem auctores docent; quia etiam sufficit ad irritandum contractum matrimonii, & vt alii contractus irritentur. Proprium verò fundamentum esse debet, quia talis timor est cadens in constantem virum; & ideo necesse est, vt malum, quod pater comminatur, sufficienter graue sit, & quòd ipsa comminatio sit sufficiens, iuxta superiùs dicta de metu graui. Existimo autem non esse necessarium quòd minæ formales sint, vt sic dicam, sed satis esse quòd filius habeat sufficientem causam, & indicia, ob quæ timeat à parente graue aliquod nocumentum, si ei contradicat. Et hoc videtur significare Abb. suprà cùm ait, *Quando præcesserunt minæ, vel verbera, vel pater erat terribilis.* Quare ad discernendum in particulari, quando est sufficiens comminatio, & de malo satis graui iudicium prudentis viri maxime necessarium est.

Circa

18. Circa hanc vero partem occurrebant tractanda duo decreta Concilii Tridentini. Vnum est de pœna imposita his, qui per metum cogunt aliquem profiteri. sed hoc sufficienter tractatum est supra præcedenti libro. Aliud decretum est, quo præscribit modum & tempus, quæ seruare debent professi, si velint propter hanc nullitatem habitum deserere. Sed illud melius explicabimus infra.

19. Vltimo ergo inquiri hic potest, an si ex parte religionis acceptatio, vel receptio sit facta per vim, seu metum cadentem in constantem virum, irrita fiat professio. De qua re nihil inuenio expresse tractatum in citatis auctoribus, cum tamen vtraque ex parte dubia videatur. solus Lessius, ex his quos vidi, quæstionem quasi obiter attigit, & pro affirmatiua parte resoluit lib. 2. cap. 41. dubit. 7. num. 61. quæ suaderi potest in hunc modum, nam in contractu, vt iustitia seruetur, æqua debet esse vtriusque partis conditio, sed hæc professio est quidam contractus inter religionem & religiosum, vt sæpe dictum est, & ideo non potest fieri sine vtriusque partis consensu, vt rectè notauit Abbas cum Innocentio in c. *per.tum*, de Regular. n. 10. Ergo si ex parte religiosi requiritur consensus omnino liber à prædicto metu, etiam ex parte religionis eadem immunitas concedenda est, alioqui non esset æqualitas. Confirmatur à simili de matrimonio: iniquum enim fuisset ex parte fœminarum irritare consensum datum ex metu, & non ex parte virorum, aut è conuerso. Contraria nihilominus pars ex eo suadetur, quod talis irritatio nullo iure habetur: vnde cum ex sola rei natura non habeatur, vt supponimus, non possumus illam cum fundamento asserere. Etenim quod ex parte professionis consensus per metum irritus factus sit per legem, non satis est vt idem ex parte religionis dicamus, quia in materia adeo speciali, & odiosa, non possumus per argumentum à simili extendere ius. Maxime quia etiam de persona professionis non est ius adeo expressum, quin oporteat ex consuetudine, & aliis coniecturis, illud ita interpretari: ex parte vero religionis, nec sunt aliquæ coniecturæ, nec talis consuetudo locum habet: nam fortasse nunquam visum est in Ecclesia quod professio iudicata sit nulla propter metum religioni, seu prælato eius incussum; nec quod religio eo titulo aliquem à se expellere voluerit. Vnde additur seu augetur ratio, quia hic non intercedit ratio similis, vel æqualis, etiamsi ab illa argumentari velimus: nam in primis vis, & metus facile infertur pueris, & iuuenibus ingredientibus religionem, & ideo necesse fuit canonicum ius huic malo succurrere. Religioni autem vix potest talis vis inferri, vel licet possit, casus est tam rarus, vt non oportuerit in vniuersali lege illius rationem habere. Deinde professio ex parte ingredientis est longe difficilior, & onerosior, quam ex parte religionis, vt per se constat, & ideo merito fieri potuit hic fauor se tradenti, non vero acceptanti. Etin his multum differt inter professionem & matrimonium, ac propterea argumentum etiam inde desumptum efficax non est.

20. Quapropter pensatis omnibus hanc posteriorem partem existimo veriorem. Itaque necessarius quidem est voluntarius consensus religionis per eum qui profitetur habet, vt professio teneat, vt probat ratio facta de mutuo contractu, & est communis sententia in cap. *ad Apostolicam*, & cap. *porrectum*, de Regular. ex quibus iuribus id etiam sumitur. Quamsum superior fingat se recipere professionem, re tamen vera non habeat animum, neque intentionem admittendi, professio valida, & consummata non erit, quia actio exterior in his contractibus nihil effecit, sine consensu, vt est in iure notum. Nec mirandum hoc est, nam si Baptismus qui adeo ad salutem necessarius est, est nullus, si minister nō habet intentionem dandi, quid mirum si professio non perficiatur, si minister non habet intentionem acceptandi? Verum est in foro exteriori causam hanc nullitatis non esse admittendam, quia probari non potest. Existimo etiam religiosum ipsum non teneri credere prælato hoc asserenti, quia indignus est de fide, qui in negotio tam graui dicit se fictum fuisse: imo ob eandem rationem credo non posse illi credere in eum finem vt religionem deserat in religionis iniuriam, & cum graui periculo frangendi fidem Deo datam, quam certus est se dedisse quantum est ex parte sua, & sufficientem probationem non habet, vt credat non fuisse acceptatum, neque vt sua auctoritate illam frangere audeat. Si autem velit fidem adhibere, vt remedium quærat, non male facit. Quid autem remedii superest, infra suo loco dicam.

21. At vero si prælatus non ficte, sed vero consensu professionem acceptauit, etiamsi ex quocunque metu id fecerit, valida est professio. Probatur argumento supra facto, quod videtur conueniens supposita sententia, quam omnino veram existimo, metum ex sola rei natura non reddere inefficacem talem consensum, cum non habeamus ius Ecclesiasticum, nec consuetudinem, aut aliud principium, vnde id colligamus factum esse ab Ecclesia. & hoc maxime videtur certum, quando persona recepta non est indigna, nam tunc licet is qui religionem cogit, iniuste faciat, tamen in effectu ipso non infert grauem læsionem religioni, cum persona recepta non sit ad illum statum inepta, & ideo tunc nulla videtur esse sufficiens ratio irritandi talem contractum. At vero *Dubium speciale.* si persona esset indigna, propter grauem læsionem religionis videretur esse maior ratio huius irritationis: sic enim dicunt communiter Doctores, sæpe contingere vt contractus ex metu factus, si grauem etiam læsionem contineat, rescindatur, qui alias non rescinderetur, vt videre licet in Couarr. in 4. parte 2. cap. 3. §. 6. num. 4. Quod autem in aliis contractibus irritatur, in his quæ rescindi non possunt postquam rata sunt, sufficere solet, vt à principio non valeat. Veruntamen etiam in eo casu non existimo hoc esse verum, quia etiam in illo nullum est ius irritans, sine quo congruentiæ non sufficiunt. Imo fortasse quia hæc læsio rara est, & moraliter vix potest esse adeo grauis, quin aliis modis præueniri, aut reparari posset, ideo iure communi considerata non est, nec sufficiens existimata ad talem legem ferendam. Verum est si religio ob eam causam temporale damnum patiatur, vel alendo personam inutilem, vel vltra numerum eorum quos potest sustentare, teneri eum qui metum intulit ad hoc damnum resarciendum, & hæc de metu.

## Caput V.

### *Vtrùm ad professionem necessarius sit consensus ita liber, vt non per dolum, vel ignorantiam detur.*

SVpereſt dicendum de professione facta per errorem, vel ignorantiam, an scilicet valida sit. Et est ratio dubii, quia vel talis professio esset irrita ex solo naturali iure, vel ex positiuo canonico; neutrum videtur dici posse: ergo minor quoad priorem partem, ex dictis in præcedenti puncto patet, quia non minus causat inuoluntarium metus, quam ignorantia, vt constat ex doctrina D. Thom. 1. 2. q. 6. ergo si metus ex natura rei non irritat professionem, quantumcunque grauis sit, nec ignorantia irritabit. Altera vero pars minoris probatur, quia nullum est ius irritans talem consensum, seu professionem; imo

1. *Resoluitur pro vtraque parte.*

imo cap. vlt. 20. q. 3. significatur professionem per dolum factam validam esse, quanuis bona talis religiosi in religionem non transeant, sed hæredibus reddenda sint.

2. Circa hoc varias sententias inuenio: nam Hostius & Raymundus, quos refert Sylvest. verb. *Religio* q. 11. dixerunt, non obstante deceptione, vel ignorantia, validam esse professionem, quia conditio eius, qui sic decipitur intrando religionem, melior facta est. Allegatur etiam cap. *ex parte* 2. de conuers. coniug. ibi, *Quanuis falsa sit causa per quam ad susceptionem veli prædicta mulier est inducta.* & cap. *veniens* eod. tit. vbi non obstante quodam dolo, professio quæ omnino valida & rata habenda dicitur. Denique allegatur cap. *cum dilectus* de his quæ vi. vbi glossa vltima dixit, licet dolus interueniat in spiritualibus, & det causam contractui, non subueniri dolum passo. Vbi Panorm. n. 12. rationem addit, quia ille est bonus dolus, iura autem non subueniunt, nisi contra malum dolum. Denique Nauarr. consil. 46. de regularib. quod incipit, *Herus*, absolute dixit, quod professio facta per dolum valet in vtroque foro quoad professum, & quoad monasterium, citatque cap. *constituit* 20. q. 3. vbi glossa idem affirmat, & Angelus verb. *Religiosus* n. 21. Confirmari potest hæc sententia, quia si deceptio annullaret professionem, etiam importunæ preces, & blanditiæ illam annullarent: consequens autem est plane falsum: ergo. Sequela patet, quia in diminuendo voluntario dolus, & blanditiæ, seu preces importunæ, æquiparantur, quia reuera virtualiter nonnulla deceptio & dolus in importunis precibus in blanditiis inuoluitur, nam mens eius, qui blanditiis afficitur, aliquo modo obscuratur, & impeditur, ne seuentatem religionis apprehendat.

3. Nihilominus hæc sententia in vniuersum, & sine vlla restrictione defendi non potest, vt ex dictis supra in simili quæst. de voto in genere manifestum est, nam quoad hoc eadem est profecto ratio de professione. Dico ergo aliquam ignorantiam seu deceptionem reddere professionem nullam, non vero omnem. ita sentit Innoc. in cap. *cum dilectus*, de his quæ vi. quem sequitur ibi Ab. n. 12. & Sylvest. supra qui in hunc modum hoc declarant. Nam si ignorantia talis est, vt in pertissimum quemque cadere possit, vitiat (inquiunt) religionis ingressum, non vero illa quæ minor fuerit, seu quæ facilius à quolibet percipi posset. Quæ distinctio, seu explicatio mihi non placet, quanuis videatur posse fundari in dict. cap. *cum dilectus*, ibi, *Nec obstante dolo, quo se proponebant fuisse seductos, cum talis dolus non tam ad circumuentionem prædictorum Cisterciensem, quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri*: de quorum verborum sensu statim dicam. Eandem opinionem tenuit Soto lib. 7. de Iustit. q. 1. art. 2. & in 4. d. 35. q. 1. art. 2. & eandem sententiam reperio in Nauarro consil. 46. de Regular. *Herus*, ad secundam quæstionem vbi adhibet limitationem prioris sententiæ quam in præcedenti quæstione asseruerat, scilicet, nisi dolus sit tantus, qui tollat omnem consensum, quia tunc ad religionem (inquit) non obligaret professio, nec perpetua, nec per aliquod tempus. Denique sententia hæc sumi potest ex his, quæ in 4. d. 30. & 36. de Matrimonio notant Doctores. Vnde eadem proportione, qua ipsi ibi loquuntur, & distinguunt errorem in rebus substantialibus matrimonii, vel in accidentalibus, ita hic distinguendum censeo. Potest enim error, vel deceptio contingere, vel in rebus substantialibus religionis, vel adeo grauibus, vt moraliter ad substantialia reuocentur, vel deceptio tantum in accidentalibus, seu in rebus quæ sunt minoris momenti. Exempla sunt, si quis inducatur ad religionem profitendam, quia putauit, se non obligari in perpetuum, vel per eam non priuari dominio rerum, aut aliquid simile, quod est contra substantiam religionis. Idem censet Soto esse, si quis decipiatur circa asperitatem & difficultatem religionis, quando tanta est, vt moraliter superet vires eius, qui profitetur, tum quia licet ille modus viuendi non sit de substantia professionis, vt sic, videtur esse de substantia professionis secundum talem regulam, atque adeo de substantia huius professionis in particulari, tum etiam, quia ad valorem professionis maxime spectat, vt sit de re possibili. Accidentaria vero, seu minoris momenti censentur alia omnia, quæ vel sunt extrinseca, vt sunt motiua, seu causæ extra honestatem religionis; vel si sunt intrinsecæ, illum gradum non attingunt, vt sunt aliæ obseruantiæ religionis.

*Error, seu ignorantia duplex esse potest in hac materia.*

Igitur quando ignorantia vel deceptio est in rebus substantialibus & prioris ordinis, reddit professionem nullam. Probatur primo ex iisdem iuribus, quæ pro priori opinione citantur. Nam in dict. cap. *cum dilectus*, dum pro causa redditur, quod dolus ibi non fuerit, quia potius fuit quædam fatuitas, satis insinuatur æliquem dolum grauiorem, seu magis apparentem potuisse sufficere. Deinde in cap. *veniens*, de conuers. coniug. causa ob quã deceptioni mulieris non defertur, redditur, quia postmodum non continuit, & quia fuit in mora repetendi virum: ergo potius ibi significatur si res fuisset integra propter consensum per deceptionem extortum, non fuisset cogenda carere vsu viri. Fuerat autem deceptio illa in re maxime substantiali, iuxta negotii qualitatem: postulatum enim fuerat ab vxore, vt daret viro licentiam profitendi religionem, & non fuerat ei declaratum, quod si talem licentiam daret, oportebat eam seculum relinquere; & captiosè vir ei asseruerat quod nisi licentiam daret, & sibi, & toti mundo inutilem redderet. Petebat ergo postea mulier illa virum suum, allegando se fuisse deceptam; repellitur autem, quia & diuturnitate temporis videbatur vulgata iam deceptione consensum confirmasse, & maxime, quia interim adulterata fuerat: ergo ex illo textu potius colligitur deceptionem in re substantiali potuisse excusare, nisi mulier illa aliis titulis amisisset ius suum. Secundo probatur à simili de matrimonio, in quo error personæ, quia substantialis est, impedit matrimonium, & idem est de quacunque alia re substantiali matrimonio, vt ex communi sententia suppono in 4. d. 30 & aliis supra citatis, & supplem. d. 21. quæst. 1. Ledesm. q. 33. art. 1. Victor. relect. de matrimonio p. 1. num. 10. Tolet. in summa lib. 7. cap. 3. ex multis aliis, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 18. à numero 18. Ergo idem dicendum est de professione seruata proportione, quia in postulando libero consensu patria iudicantur, vt supra ostensum est. Tertio probatur ratione, quia ignorantia causat inuoluntarium, vel saltem non voluntarium, quia eo ipso quod obiectum non est cognitum, non est volitum: ignorantia autem facit, vt obiectum non cognoscatur: ergo facit vt operans non consentiat, nec velit illud, sine consensu autem in voluntate non potest professio esse valida, vt supra ostensum est.

4.

5. Dices, in præsenti casu nunquam ignorantia ita occulcat obiectum, quin homo apprehendat, & velit profiteri. Respondeo aliquando ita occultare, vt nomine potius quam re professionem apprehendat, quia non veram professionem, qualis in re esse potest, & debet, sed aliam, qualis non est, neque esse potest, sibi fingit, vt, v.g. professionem sine obligatione perpetua, vel alio simili substantiali defectu. Ita aliquando contingit, vt licet non contingat

deceptio,

deceptio, vel error circa professionem in communi, contingat circa hanc particularem religionē, quam quis profitetur in re; ad substantiam eius pertinente, & tunc licet non occultretur vera professio in communi, occultatur tamen vera professio in particulari, & quia actiones versantur circa particularia, & voluntas sic profitentis non fuit profitendi religionem in genere, sed hanc in particulari, si in ea substantialiter errauit, reuera non habuit verum consensum, aut voluntatem eius, & ideo talis professio nulla fuit, nec mansit obligatio ad religionem in genere, quia homo non habuit talem voluntatem, sicut supra in similibus dictum est.

Quando autem ignorantia vel deceptio accidentalis, seu inferioris gradus est, constat non irritare professionem, quia non excludit substantialem, atque adeo nec sufficientem consensum. Et hoc probat argumentum proxime factum, & omnia quæ in confirmationem primæ sententiæ adducta sunt. Quibus quatenus priori assertioni repugnare possint, per hanc satis fit; quia omnia iura quæ ibi adducuntur de hoc dolo sufficienter explicantur, vt de cap. *cum dilectus*, & de cap. *veniens*, satis ostensum est. In cap. autem *ex parte*, manifestum est interuenisse deceptionem solum circa motiuum extrinsecum, non circa proprium obiectum, circa quod versari debet consensus ad professionem necessarius. in cap. autem *constituit*, primum dici potest, ibi esse sermonem de ordinatione clericali, quæ in hoc differt à professione, quod imprimit characterem indelebilem, & facta tenet si homo habeat intentionem suscipiendi Ecclesiasticum ordinem, quantumuis ex metu, vel deceptione illam habeat; & ideo sic ordinatos in suscepto ordine permanere cogit, quanuis ad castitatem seruandam, vel ministrandum in ordine suscepto cogi non possint, vt inferius dicetur: & quoad hoc est similitudo cum professione, ex qua similitudine data doctrina confirmari potest. Secundo dicitur, verisimile esse in illo cap. *constituit*, esse sermonem de professione quæ nomine tonsuræ ibi significatur, quia ibi dicitur includere paupertatis obligationem; non dicitur autem ibi interuenisse grauem deceptionem, nam verba sunt, *Hi vero, qui illecti comam deposuerunt, &c.* verbum autem illecti. non significat deceptionem circa professionem ipsam, sed falsas promissiones aut blandimenta quibus ad veram professionem potest aliquis induci.

Rationes etiam prioris sententiæ parum probant contra priorem assertionem nostram, & ad summum possunt confirmare hanc posteriorem. Nam quod hæc deceptio tendat in maius bonum eius, qui decipitur, non satis est (in quo videntur decepti multi ex Iurisperitis supra citatis, nisi sano modo explicentur, vt infra dicam) non satis, inquam, hoc est, nisi bonum illud sit voluntarium, quando ex se necessarium non est, vt est hoc bonum religionis, quod sine proprio consensu sub obligationem cadere non potest: si ergo dolus impediat consensum, vt reuera aliquando potest, parum refert quod deceptio tendat in maius bonum decepti, ad hoc vt valeat professio.

7. Ad confirmationem autem vltimam non defuerunt qui dicerent, idem esse iudicium de professione facta ex blanditiis, seu importunis precibus. Quod significat Matthæus de Afflictis decisione 69. quem referens non reprobat Couarr. in 4. 2. p.c.3.§. 6. in fin. Dicendum vero est importunas preces & blanditias, & quæcunque similia, quæ concupiscentiam augent, si non includant simul deceptionem occultantem substantiale obiectum consensus, non impedire professionis valorem. Est enim aperta

*Fr. Suarez. de stat. relig. tom. 3.*

dissimilitudinis ratio, quia tales preces, vel blanditiæ non impediunt consensum absolutum, & voluntarium, imo proprium voluntarium non minuunt, sed augent potius, vt de concupiscentia dixit alibi D. Thom. Et quanuis libertatem minuant quoad indifferentiam eius, hoc nec ex natura rei sufficit ad irritandum actum, vt à fortiori patet ex supradictis de metu, neque etiam est vllum canonicū ius quod illum irritet. Atque ita sentit de blanditiis Angelus verb. *Religiosus* n. 23. citans dict. cap. *constituit*, quem sequitur Sylvest. verb. *religio* 3. q. 11. in fin. Nec Couarr. & Matth. de Afflictis loquuntur simpliciter de importunis precibus, sed quando adiunguntur timori reuerentiali. Volunt enim quod sicut minæ adiunctæ reuerentiali timori obstant valori professionis, ita etiam importunæ preces. Veruntamen neque hoc modo eorum sententiam probo, quia neq; id verum est ex iure naturali: quandoquidem nec minæ ipsæ, sine positiuo iure id facere possent, vt ostensum est, neque etiam ex iure positiuo, nullum enim afferunt, neque extat: nec denique ex similitudine rationis, quia & est argumentum infirmum, & hic reuera non est similitudo, quia minæ, & timor reuerentialis sunt eiusdem ordinis, & constituunt vnum timorem grauem, & cadentem in constantem virum: de quo habemus positiuum ius. Preces autem importunæ, ac blanditiæ, & timor reuerentialis sunt diuersarum rationum, mouentque diuersimodè, scilicet inferendo metum, & augendo concupiscentiam, & ita nec completur metus grauis, vt locum habeat commune ius, nec ex duabus illius causis leuibus consurgit vna grauis, quæ notabiliter ita libertatem minuat, vt ex se possit actum irritare.

8. *Differentia inter dolum, & metum.*

Ex his sequitur primo differentia notanda inter metum & dolum; quia dolus non ex iure positiuo sicut metus, sed ex natura rei actum irritat. Hoc patet in primis, quia in rigore nullum est ius canonicum ex quo sufficienter hæc irritatio colligatur, licet in aliquibus insinuetur, magis præsupponendo, quam efficiendo illam, vt vidimus. Ratio vero differentiæ est, quia metus non occultat obiectum, sed inclinat ad illud per intrinsecum motiuū, quod non tollit veram, & absolutam voluntatem: deceptio autem occultat obiectum, tollitq; consensum, & voluntatem directam illius. Ex qua differentia nascitur, quod iura ciuilia irritos iudicant contractus ex dolo factos: factos autem per metum non irritos, sed irritandos decernit per actionem, Quod metus causa, vt notauit gloss. in d. c. *constituit* 20. q. 3. ius autem canonicum licet irritet aliquando contractum factum per metum vt professionem, de qua agimus; factam autem per dolum non irritat, sed reliquit naturæ suæ. Vnde si dolus tantus sit, vt occultet obiectum, & tollat consensum, de illo iudicandum relinquit secundum illam regulam, quod sine consensu nihil humanum fit: si autem dolus sit de aliis circunstantiis, vel motiuis, nolluerunt iura ex illo capite irritare professionem dolo factam, fortasse ob illam rationem Canonistarum, quia talis deceptio non nocet, sed est in manu bonum eius qui decipitur.

9. Secundo infero ex dictis, doctrinam datam non solum procedere, quando error vel ignorantia contingit per iniuriosam deceptionem, sed etiam si ex quacunque alia causa naturali, seu extrinseca contingat. Ratio est, quia impedimentum professionis in eo casu non prouenit ex iniuria, sed proxime ex defectu consensus, non solum autem impedit consensum iniuriosa deceptio, sed etiam ignorantia si- *Duplex ignorantia.* ue per errorem sit, siue per scientiæ priuationem: nam quilibet ex his modis impedit consensum; quanuis moraliter contingere non possit in hoc negotio

gotio ignorantia purè priuatiua, quia necesse est apprehendi professionem aliter quam in re sit, vt impediatur consensus. Sicut etiam in matrimonio ignorantia circa personam impedit illud, etiam secluſa iniuria, quia ipsa sufficit ad impediendum consensum, quanuis illa ignorantia moraliter non contingat per solam priuationem, sed per errorem circa personam. Quin potius dicta etiam ratio probare videtur parum referre in præsenti quod ignorantia sit probabilis, vel quod negligentia aliqua intercedat, dummodo ignorantia affectata non sit, quod supra dixi tractando de voto in genere, & nunc etiam verum videtur de professione ob similem rationem, scilicet, quia ignorantia etiamsi crassa, vel supina sit, impedit verum consensum & directum in professione, qui necessarius est ad illius valorem. Nec quoad hoc est similis ratio de peccato, & professione, nam ad peccatum sufficit indirectum voluntarium, & moralis imputatio, in hoc fundata, quod potuit quis, & debuit, negligenter tamen omisit: in præsenti autem non sufficit hæc indirecta voluntas, seu imputatio, quia non agitur de culpa, sed de voluntaria obligatione, quæ circa rem alias non præceptam oriri non potest, nisi ex vera, & propria voluntate, maxime quia si in expellenda tali ignorantia, aliqua negligentia interuenit, illa non est culpabilis ex speciali ratione professionis, nec ex aliqua obligatione iustitiæ, sed solum est contra prudentem modum operandi; quod non videtur sufficiens, vt propterea quis censeatur præbere interpretatiuum consensum circa rem ignoratam. Secus autem est, quando ignorantia est affectata, nam tunc interuenit voluntas directa ignorando, & consequenter virtualis consensus in talem actum, confusè volendo illum prout in re ipsa fuit: nam reuera ita est ille consensus interpretandus, nisi aliud constiterit de expressa intentione vouentis. Et iuxta hoc potest exponi dict. c. *cum dilectus*, quod videri potest huic parti repugnare, quatenus ille dolus non reputatur excusare, quia fuerat imprudens, tanta enim fuerat illorum canonicorum fatuitas, vt consulto voluerint & affectauerint sinere se decipi. Quanuis generalis & vera responsio esse videatur in foro exteriori non admitti excusationem fundatam in deceptione nimis crassa, & negligenti: nihilominus tamen in interiori, si reuera ob eam causam defuit verus consensus ad impediendum sufficit, quia iudicium in hoc foro non in præsumptione, sed in re ipsa fundatur.

10. Vltimo concluditur ex dictis, impedimentum hoc non solum ex parte professentis, sed etiam ex parte religionis posse interuenire: nam consensus ex parte eius etiam est necessarius, vt sæpe diximus; sed si deceptio sufficiens intercedat ex parte religionis, vt sæpe accidere potest, impeditur talis consensus, vt ex ratione facta per se constat: ergo. Atque hoc tanquam manifestum supponit Nauarr. consil. 26. de Regular. & sumitur ex Panormit. in cap. *porrectum*, de Regular. numero 10. Solum oportet explicare, quando deceptio ex parte religionis tanta est, vt sufficiat eam reddere simpliciter inuoluntariam. Sed hoc eadem proportione explicandum est, nimirum si contingat error in persona, vel in conditionibus substantialibus eius iuxta ritum, vel consuetudinem talis religionis, ita vt consensus virtualiter sit conditionatus, admittendi scilicet hanc personam, si vere talis est, seu talem proprietatem habet, qua deficiente non impletur conditio, & ideo consensus efficax redditur.

## Caput VI.

### *Vtrùm ad professionem necessaria sit libertas à seruitute.*

1. HActenus explicuimus conditiones aliquas ad professionem requisitas ex parte ipsius consensus, quæ omnes eo tendunt, vt illa sit ex plena libertate in differentia, seu deliberatione: cuius occasione de ætate requisita, & de anno probationis etiam diximus. Nunc explicandæ supersunt aliæ conditiones requisitæ ex parte personæ professentis ad liberum etiam consensum, non quatenus libertas soli naturali necessitati opponitur, sed etiam quatenus opponitur cuicunque repugnanti obligationi, quorum maxima videtur esse seruitus, de qua proinde statim est dicendum. *Notatio circa libertatem vt. quisitam.*

2. Statuendum igitur est vnam ex conditionibus ad religiosam professionem requisitis esse, vt persona sit libera à statu seruitutis: nam seruus manens seruus non potest religionem profiteri. Dico autem, *manens seruus*, quia si herus illi concedat licentiam profitendi, poterit quidem profiteri; tunc autem iam liber reputatur, vel tanquam liber operatur, quia secundum quandam rationem dimittitur: seruus autè in eodem puncto, quo dimittitur, liber fit, argumento text. in Authent. de nuptiis. §. *Et multo potius*. Et eorum, quæ notat Bald. in l. 1. C. de manumissis, & Nauarr. comment. 3. de Regul. num. 44. Abul. in Num. cap. 30. quæst. 89. Sylvest. verbo *seruitus* quæst. 6 seruus enim sine licentia domini religionem profiteri non potest cap. *qui verè* 16. quæst. 1. vbi Conc. Chalced. cap. 4. excommunicat prælatum, qui recipit seruum in Monachum sine licentia domini. Et in Conc. Gangren. cap. 3. excommunicatur, qui suadet seruum contemnere dominum causa religionis. Idem habetur in can. 43. Martin. Brachar. Episc. cap *si quis seruum* 1. & 2. 17. quæst. 4. cap. *nullus Episcoporum* 54. dist. vbi Leo Papa non de professione in particulari, sed de officio clericatus in genere loquitur, dicens, seruum alterius ad officium clericatus assumi non debere, nisi vel pretio dato ipsi domino, vel de eius voluntate; rationem vero generalem reddit, quæ videtur religiosos comprehendere; *Debet enim* (inquit) *esse immunis ab aliis, qui ad vnam latiùs aggregandus, vt à castris dominicis, quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur*. Expressius id prohibet Gelasius Papa epist. 1. c. 16. Et in cap. *generalis* dist. 54. vbi sub disiunctione dixerat, solitos fuisse seruos ad monasteria sese conferre, vel ad Ecclesiasticum famulatum, & à prælatis indifferenter recipi, & subdit, *Quæ modis omnibus est amouenda pernicies, ne per Christiani nominis institutum ad aliena pertrahi, vel publica videatur disciplina subuerti*. Ex cuius verbis ratio huius veritatis constat, quia seruus est res aliena, & ideo contra iustitiam est inuito domino profiteri. Vnde 1. Petri 2. dicitur, *serui subditi estote*. & 1. Timoth. 6. *Quicunque sunt sub iugo serui*, & vide Basil. in Regul. fus. disputat. reg. 10.

3. Difficultas vero est an talis professio sit valida. Negat Palud. in 4. dist 38. quæst. 4. D. Anton. 2. p. titul. 11. cap. 2. & Azor lib. 12. instit. Moral. cap. 1. quæst. 3. At affirmatiua sententia, quæ censet professionem serui esse validam etiam inscio, vel inuito domino, probabilior, & communior est. ita docent Archid. cap. *si quis incognitus*. 17. quæst. 2. num. 1. & ibi Turrecr. num. 3. Angel. verbo *Religiosus*. num. 5. Sylvest. verbo *Religio*. 2. quæst. 3. Greg. Lopez, leg. 6. in fine tit. 7. p. 1. Lessius lib. 2. cap. 41. dubitat. 3. num. 31. Probatur, quia nullum inuenitur ius canonicum, quod irritam illam faciat, neque etiam ex natura rei videtur esse nulla, cum vota seruorum valida sint quan- *An talis professio valida sit.*

quandiu non irritantur. Dices professionem habere vim speciale, quod si semel rata fuerit, non potest à domino irritari, & ideo si ratione dominii potest herus alia vota serui irritare, hoc irritabitur, vt ita dicam, antecedenter, ne herus grauem iniuriam patiatur. Confirmatur ac declaratur, quia quod vni traditum est, non potest alteri valide tradi, seruus autem traditus est domino: ergo traditio religioni facta ex natura rei est inualida. Respondeo herum non posse omnia vota serui absolute irritare, sed solum ex parte materiæ, quod potius est vsum, vel actum eorum impedire, quatenus suo dominio repugnant, & non amplius, quod supra probatum est. Sic ergo in præsenti necesse non est, vt possit professionem irritare, nec quod per se irrita sit, sed solum ex lege iustitiæ suspendi poterit, vt sic dicam, quoad actualem vsum in his quæ iuri domini repugnant. Potent ergo dominus non obstante professione seruum repetere, & sibi, & non religioni seruire cogere, argumento cap. *nulli*, cum similibus dist. 54. nihilominus tamen ille verus religiosus erit, quia extra monasterium potest esse verus religiosus, & seruare tenebitur castitatem, & paupertatem, obedientiam autem cuius vsum habet impeditum, in animi præparatione seruare tenebitur: vnde quacunque ratione liber fiat, vel facultatem à domino habeat, ad religionem redire tenebitur. ita colligitur ex variis iuribus c. *Si quis incognitus* 17. quæst. 2. vbi statuitur, vt seruus incognitus non admittatur intra triennium; si vero intra illud tempus à domino non petatur, admitti posse ad professionem, nec postea reddendum esse domino, etiamsi illum quærat, sed tantum res quas secum attulit. Additur vero limitatio, *Nisi sit tam longe quod inueniri non possit*: nam tunc quia dominus non censetur fuisse in mora, & consequenter nec consensisse, illi reddendus est seruus, quamuis professio legitima fuerit. Inde ergo recte colligimus, & professionem serui esse validam sine consensu domini, & nihilominus dominum non priuari iure vtendi seruo suo. Quod autem post triennium priuetur, quando commode potuit illum repetere, & non fecit, videtur in fauorem religionis introductum ex pia præsumptione, & interpretatione iuris, quod potuit concedere domino illud tempus ad contradicendum sub ea lege, vt si id omittat iuri suo renuntiare censeatur. Quod etiam Iustinianus Imperator concessit in Authent. de Sanctissimis Episc. §. *si seruus*. & in Authent. *si seruus*. de Episcop. & cler. & habetur in cap. *si seruus*. 2. dist. 54. Atque ita sentiunt Angel. verb. *religiosus* num. 5. & Syluest. *religio* 2. quæst. 3. qui referunt Hostiens. & alios. Vnde vt Dominus censeatur consentire, satis est, quod sciat, & non contradicat; ex iisdem iuribus, & doctoribus. Vnde in dicto cap. *Qui verè*. 16. quæst. 1. vbi Latinè dicitur *sine licentia*. Græcè habetur, *sine conscientia*. quia in fauorem religionis tacitus consensus est.

Quæri vero potest an possit satisfieri domino post professionem serui iam factam, dando illi pretium, ita vt veluti cogatur ad vendendum seruum; & è contrario, an possit herus cogere religionem, vt sibi redimat seruum iusto pretio datum, & nolle personam serui iam religiosi. Ad priorem partem respondeo dominum cogi non posse ad seruum suum vendendum, seu redimendum, quia, vt supponimus, non præcessit eius consensus, nam si præcessisset ille, sufficeret, nec esset necessaria redemptio. Quod si forte consensit in professionem, sub ea conditione vt pretium sibi soluatur, tunc poterit quidem cogi ad acceptandum pretium, non tam ratione professionis de qua hic agimus, quam ratione pacti. Quod si consensus non præcessit, nec culpa præcedere potuit in hoc præcisè, quod seruum non prohibuit profiteri, quia vel non potuit, vel certe non tenebatur nisi intra tempus à iure præscriptum: ergo nullo titulo cogi potest ad vendendum seruum si nolit. Et confirmatur, quia ante professionem factam non potest cogi vendere seruum vt religiosus fiat: ergo nec post factam professionem, quia illa per iniuriam facta est; ex iniuria autem nemo debet fructum aut ius aliquod acquirere, alioqui daretur locus fraudibus, & deceptionibus. Ad alteram vero partem sub disiunctione respondendum videtur, nam si religio bona fide & ignorans conditionem seruti, illum recepit, non cogetur illum redimere, sed reddere domino petenti, quia nec ratione iniuriæ, nec ratione rei acceptæ tenetur, cum satis sit reddere rem ipsam: nec etiam in pœnam, quia culpa defuit, & quia nullum inuenitur ius imponens illam pœnam. Si autem scienter & cum iniuria domini seruus admissus est, videtur cogenda religio ad reddendum pretium, si herus contentus sit, & in honorem religionis, & in satisfactionem domini, quia aliquod grauamen illius est habere seruum religiosum. Et ita tenet Syluest. cum Raymundo citans cap. *si seruus* 1. dist. 54. vbi est sermo de Episcopo ordinante seruũ. Quod autem ibi dicitur de duplicata satisfactione, non censeo extendendum ad præsentem causam, quia pœna est. Neque inuenio aliquam pœnam ipso iure latam in prælatum religionis in hoc delinquentem, vel suspensionem vel excommunicationem ferendam in dict. cap. *generalis* d. 54. *Quæ pœna imponitur recipienti seruum.*

## CAPVT VII.

### *Vtrùm libertas à matrimonii vinculo ad professionem necessaria sit.*

1. ALtera conditio ad professionem requisita solet assignari, vt persona quæ professionem emittit sit libera à vinculo, vel obligatione matrimonii consummati: nam si solum ratum sit, non impedit quominus liberè possit quilibet coniugum professionem emittere, cum per illam vinculum talis matrimonii dissoluatur, vt nunc supponimus, & infra probandum est. Sermo ergo tantum est de matrimonio consummato, quod impedire censetur professionem. Dixi autem necessarium esse, vt sit liber *à vinculo, vel obligatione*, quia non semper est necessarium, vt vinculum dissolutum sit (quod fieri non potest nisi per mortem alterius coniugis,) sed satis erit si coniux sit liber in perpetuum ab obligatione talis matrimonii, id est, ab obligatione reddendi debitum. Et hac ratione si alter coniux adulteretur; alter liberè potest religionem profiteri, cap. *Agatho* 27. quæst. 2. & cap. *Veniens*, & cap. *Gaudemus*, de conuers. coniug. & idem existimo quoties causa perpetui diuortii intercessit, & per Ecclesiam declarata est, interuenit enim eadem ratio, vt magis ex sequentibus constabit. Oportet ergo vt & matrimonium, & obligatio eius integra sit. *In quæ sensu procedat quæstio.*

2. Et nunc vlterius aduertere oportet, tribus modis posse aliquem sic ligatum profiteri post tale matrimonium, eoque durante. Primo absque licentia alterius coniugis, secundo de licentia eius, & illo etiam suam conuersionem iuxta ius requisitam promittente. Tertio de licentia coniugis manentis in seculo absque vlla conuersione. In primo casu certum est professionem esse nullam; ita enim manifeste colligitur ex cap. *quidam*, de conuers. coniug. vbi non solum dicitur tale votum non tenuisse, scilicet quatenus solenne fuit, quod est dicere professionem non valuisse, sed etiam ratione voti non teneri ad monasterium redire, de qua posteriori parte infra dicam. Idem habetur in cap. *placet*. eod. titulo. *Tribus modis duplex quæstio excitari.*

3. *Difficultas, an sit talis professio nulla ex natura rei, vel ex iure Ecclesiastico.*

Ad reddendam vero rationem huius decisionis, quærere oportet, an hoc impedimentum sit ex natura rei, vel ex iure Ecclesiastico. Videtur enim primum dicendum, quia traditio de re aliena ex natura rei nulla est; sed huiusmodi est talis professio: quia, vt ait Paulus 1. ad Cor. 7. *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: nec mulier sui corporis potestatem habet, sed vir*; ergo traditio illa, quæ in tali professione fit, cum sit de re aliena, & inuito domino, est nulla. Nihilominus existimo seclusa lege Ecclesiæ, talem professionem non esse omnino ex se nullam, sed perinde fuisse de illa iudicandum ex sola rei natura, ac de professione serui facta inuito domino: nam eadem ratio in illa militare poterat; & nihilominus diximus talem professionem validam esse quoad vinculum, licet quoad vsum suspendatur, quantum dominium alterius in seruum ex iustitia requirit. Ita ergo dicendum videretur de coniuge, quantum est ex vi rationis factæ, quia si à coniuge vsus ei debitus non auferatur, quod vinculum professionis teneat, nihil obstat dominio eius, vt per se constat, quia non obstante tali vinculo, non fraudatur iure suo: sicut votum simplex religionis cuiuslibet coniugis validum est, quamuis non possit impleri viuente alio, eo inuito: ita ergo & traditio posset esse valida, quamuis professio, & vsus non posset iustè religioni concedi, altero coniuge viuente, & inuito. Nec tale vinculum esset parui momenti si professio valida fuisset, vt infra in tertio puncto manifeste constabit.

4. Completa ergo ratio, ob quam talis professio etiam quoad vinculum non teneat, est, quia Ecclesia ita statuit. Quod merito fecit ad euitanda sacrilegia, atque etiam diffidia inter coniuges. Cur autem ita annullauerit hanc professionem, & non professionem serui, ratio reddi potest, vel quia casus de seruo profitente rarus esse potest, & ideo sufficienter iudicatum fuit ei esse promissum dicto modo. Item ex valore professionis serui non redundat in dominium magnum grauamen, in coniugem autem redundat, propter rigorosam, & quasi mutabilem obligationem castitatis, & suo etiam modo propter votum paupertatis, vt starim dicam. Addi etiam potest, quod vinculum inter seruum & dominum non est ita indissolubile, sicut vinculum matrimonii consummati, potest enim pretio dato seruitus tolli, vel aliis modis, & ideo non debuit ob eam rem omnino impediri perpetuum vinculum professionis, quod secus est in matrimonio.

5. *Dubitatio.* Sed quæres vnde sufficienter probetur hanc irritationem factam esse in Ecclesia: nam licet iura dicant, votum non tenere, intelligi posset, non tenere simpliciter, seu quoad obligationem reddendi debitum, vt ibidem postea significatur, cum quo tamen stat vt professio fuerit valida, vt ex sequentibus constabit. *Responsio.* Respondeo id sufficienter colligi ex eo, quod in prædictis iuribus dicitur, non teneri talem personam mortuo coniuge ad ingrediendum monasterium, at si professio fuisset valida, ex illa sine dubio huiusmodi obligatio oriretur. Hanc vero deductionem declarat gloss. in cap. *quidam*, verb. *non tenetur*, ita illud exponens, id est, non debet ab Ecclesia compelli, *ipse tamen* (inquit) *peccat si non perficit quod vouit, ex quo impedimentum cessabit.* Veruntamen falsa est hæc interpretatio, vt Panormit. & alii notarunt: quod patet primo ex proprietate verbi, *non tenetur*, quod sine causa restringitur, vel potius detorquetur ad impropriam significationem. Secundo, quia in ipso textu pro ratione redditur, *quia votum non tenuit*. Tertio, quia infra distincte explicatur in quo votum tenuerit, scilicet quoad non petendum debitum: ergo in omnibus aliis non tenuit. Quarto, quia in cap. *placet*, distincte explicatur, hanc esse materiam consilii, non præcepti. *Dicimus* (inquit Cælestinus III.) *ei congruentius ad salutem esse, vt ad monasterium redeat, si vero ad hoc inducinon poterit, ipsam inuitam credimus non cogendam.* Quinto id conuincitur manifeste ex gloss. vlt. eod. cap. *placet*: nam talis persona licet male faciat, si matrimonium contrahat post mortem coniugis, si tamen contrahit, factum tenet, quia eius persona non est facta inhabilis ad matrimonium, vt ibidem glossa fatetur: ergo signum est professionem fuisse nullam, nam si valida fuisset, personam redderet inhabilem ad matrimonium. Vnde in hoc posteriori capit. glossa illa concedit ibi non fuisse votum solenne, sed in priori textu videtur voluisse manere obligationem ingrediendi religionem per modum voti simplicis religionis, quod etiam falsum est, quia talis persona nunquam promisit religionem ingredi, sed se tradidit religioni; quod si eius traditio acceptata non est, non relinquitur obligatio se iterum tradendi, nec de hac re facta est vlla promissio, vt in omni alia donatione constat, & infra generatim dicemus de professione inualida.

Hinc vero nascitur alia difficultas circa prædicta iura, quia docent votum castitatis fuisse validum, & viuente coniuge obligasse ad non petendum debitum, & illo mortuo ad non contrahendum iterum matrimonium; hoc autem esse non posset, si professio fuisset valida, quia quod nullum est, nullam inducit obligationem; quando autem professio est nulla, etiam votum castitatis est nullum, quia non fit, nisi vt annexum professioni, & ablato principali, accessorium etiam tollitur. Hæc difficultas confirmat verum esse quod diximus, hanc nullitatem non esse intrinsecam, & ex natura rei, sed ex iure Canonico: nam si priori modo fuisset nulla, profecto etiam votum castitatis fuisset nullum, propter rationem factam, & quia animus vouentis non fuit obligare se ad castitatem seruandam per se, ac separatim, vt sic dicam, sed solum vt coniunctam statui religioso. Quia vero Ecclesia est quæ fecit hanc professionem inualidam, ipsa potuit non omnino illam annullare, sed aliquid illius ratum habere, quod sine præiudicio coniugis, & sine vllo dispendio, seu incommodo matrimonialis status validum esse posset. Huiusmodi autem est votum castitatis, cum ea limitatione, quæ de eisdem iuribus proponitur, neque quoad hoc est simile de voto simplici religionis: nam qui profitetur, non facit vllam promissionem in tali religione, & ideo si de facto non ingreditur, quia professio non tenuit, non potest in eo manere talis promissio, quia non potest extrinsecus imponi, & ab intrinseco non processit: facit autem formalem promissionem castitatis, quæ in professione quidem habet solennitatem adiunctam ex professione, & ideo annullata professione tollitur solennitas: nihilominus tamen ipsa promissio castitatis valida retineri potest, quia Ecclesia noluit illam omnino irritare.

6. *Difficultas: an ex professione nulla maneat aliud votum castitatis.*

7. *Non ita in voto paupertatis, & obedientiæ.*

Vnde obiter colligo vota paupertatis & obedientiæ in huiusmodi casu omnino irrita facta esse, & ad nihil postea obligare, quamuis de illis nihil inueniam ab interpretibus adnotatum. Ratio vero est, quia in illis iuribus solum de voto castitatis mentio fit, & videtur mihi esse veluti exceptio quæ firmat regulã in contrarium, & applicari potest difficultas tacta, quia annullata professione, annullatur quidquid illi annexum est, nisi ex intentione annullantis aliquid relinquatur, hic autem solum votum castitatis in dictis iuribus relinquitur: ergo omnia alia inualida fiunt. Et quidem merito, quia votum obedientiæ in professione solum fit secundum regulam, & ideo ablata regula non est quod maneat; paupertatis

tatis autem obligatio multum aliena est à statu matrimonii: imo vix habet materiam certam in eo casu, annullato statu religionis, extra quem regulariter forte non expedit, votum autem castitatis per se magis accommodatum est, seruata proportione pro quolibet statu.

8. Circa secundum modum profitendi, nihil dicendum occurrit: nam certum est professionem ab vno coniuge factam de licentia & legitima conuersione alterius validam esse, vt constat ex cap. *cum sis* & cap. *significauit*, cum similibus de conuers. coniugat. Ratio autem clara est, quia talis professio non est irrita ex natura rei, neque ex iure canonico: ergo est simpliciter valida. Minor constat ex iuribus citatis: maior etiam à fortiori sequitur ex dictis in præcedenti puncto, & quia cessat omnis iniuria vtriusque coniugis, quia volenti & consentienti non fit iniuria. Cessat deinde omne periculum, quia vterque conuertitur, vt castitatem seruet. Denique cessat omne impedimentum religiosi status, quia ex tunc neuter coniugum manet obligatus ad vsum matrimonii: ergo omnibus modis talis professio non solum valida, sed etiam licita est. Vnde intelligitur vinculum matrimonii, & vinculum professionis religiosæ, etiam cum votis solennibus non esse formaliter repugnantia; nam in eo casu vinculum matrimonii non dissoluitur, sed quasi sopitur, & impeditur, quoad vsum per vinculum professionis ei superadditum, solumque manet quoad hunc effectum, vt neuter coniugum possit aliud matrimonium contrahere, etiamsi per dispensationem vel quacunque alia ratione à vinculo professionis liberari contingeret: hoc autem nihil repugnat vinculo professionis; & ideo nihil est vnde illa duo vincula habeant formalem repugnantiam ex natura rei, sed solum illam habent in casibus à iure expressis. Quomodo autem conuerti debeat alter coniux vt alter profiteatur, infra explicabitur, disputando de voto continentiæ clericorum; idem enim cum propositione hic dicendum est. Vbi etiam obiter dicemus an maneat aliqua obligatio in marito, v. g. iam ordinato ad subueniendum vxori, si in necessitate corporali, vel spirituali existat. Idem enim quæri potest de marito iam professo, idemque cum proportione dicendum est. Dico autem, *cum proportione*, quia professus iam est mortuus, & ideo minus obligatur, semperque salua obedientia, & sub ordinatione ad suum superiorem, vt paulo inferius dicemus de obligatione subueniendi parentibus.

9. Circa tertium modum profitendi de licentia alterius coniugis sine conuersione eius, tria colliguntur ex iure, quorum ratio & concordia nonnullam habet difficultatem. Primum est talem professionem esse validam. Secundum est, nihilominus si alter coniugum, qui licentiam dedit, & non fuit conuersus, suum socium iam professum petat, illi esse reddendum ad vsum matrimonii. Tertium est, mortuo illo coniuge tenere eum, qui professionem emisit ad religionem redire. ita colligitur ex cap. *ex parte*, 1. & aliis, de conuers. coniug. quamuis enim ibi expresse non dicatur illam professionem esse validam, dicitur tamen maritum sic professum, mortua vxore teneri ad religionem reuerti; ad quod tamen non teneretur, nisi professio fuisset valida, iuxta dicta in primo puncto. Vnde in eodem c. *ex parte*, aperte significatur secundum matrimonium à tali professo factum mortua prima vxore fuisse nullum, nam præcipium separari à secunda coniuge, & religionem ingredi: ergo supponitur professio valida. Atque in hoc consentiunt omnes Doctores, paucis exceptis, vt infra dicam. Ratio est, quia nullum est ius positiuum, quod talem professionem irritet, vt ex dict. c. *ex parte*, & ex aliis, quæ solum requirunt licentiam, vt valida sit professio, cap. *Agathosa* 27. quæst. 2. & cap. *Qui vxorem* 33. quæst. 5. imo in c. *consuluit*, de conuers. coniug. significatur, sufficere consensum tacitum, qualis est quando sciente vxore, vir ingreditur religionem, & in ea permanet vsq; ad professionem tacitam, vel expressam: nam si contingat (vt est in casu illius textus) vxorem eo tempore mori, non potest maritus ad seculum redire, vt ibidem dicitur. Ergo per iura non irritatur talis professio. Vnde recte colligit Panormit. ibi conuersionem alterius coniugis, quæ in aliis iuribus postulatur, non requiri ad valorem professionis, sed vt recte fiat.

10. Aliunde vero ex natura rei non potest cogitari inualida talis professio, vt à fortiori constat ex dictis, & quia in hoc casu nulla fit iniuria coniugi, cum ille consentiat; & in hoc conueniunt Doctores omnes infra citandi. Dubitari vero potest an requiratur expressa licentia, vel sufficiat tacita, quæ intelligitur esse, quando alter coniux scit factum alterius, & non prohibet: nam Panormit. in cap. 1. de conuers. coniug. num. 7. quem sequitur Syluest. *Matrimonium* 8. quæst. 12. & 4. significant non sufficere talem consensum, donec per mortem coniugis tacentis confirmatum sit, iuxta cap. *consuluit*, de conuers. coniug. Ego vero existimo illum consensum sufficere ad valorem professionis, quod ex eodem cap. *consuluit* colligo: nam propterea non potest vxoratus in illo casu mortua vxore ducere aliam, vt ibi dicitur, nimirum, quia professio valida fuerat. Nec enim verosimiliter dici potest ab eo puncto, quo mortua fuit vxor, cœpisse esse validam, cum antea non fuisset, nihil enim referret mors vxoris ad nouũ valorem tribuendum professioni, nisi nouus viri consensus, & sufficiens signum eius acceptisset. Mors ergo illa solum operatur, quod iam repeti vir non possit, cum tamen antea posset, licet professio fuisset valida, iuxta ea quæ statim dicemus. Et confirmatur, nam secundum commune ius talis consensus sufficere solet in casibus similibus, vt ex multis decretis sumi potest 20. q. 1. & 2. & sumitur ex regulis iuris, 27. in 6. *Scienti & consentienti non fit iniuria*, addita 43. *Qui tacet, consentire videtur*; erit ergo talis professio valida.

*Dubitatio, qua licentia requiratur.*

11. Hinc vero nascitur difficultas circa secundum punctum: nam si coniugi manenti in seculo facta non est iniuria, cur ei repetenti suum coniugem reddendus est? Nam restitutio solum habet locum vbi præcessit iniuria, vel in re ipsa existit. Declaratur, nam ille cessit iuri suo, & aliunde statim acquisitum fuit Deo, & religioni per professionem: cur ergo priuanda est religio iure acquisito, quod simul illi donauit, quantum ad ipsum spectabat coniux qui licentiam dedit. Nihilominus ita hoc statutum in c. 1. de conuers. coniug. vbi Alex. III. in prædicto casu ita concludit. *Ducimus quod nisi vxor ad religionem transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit, vir potest, & debet de monasterio reuocari.* Quo textu non obstante aliqui antiqui fortasse moti ratione dubitandi proposita dixerunt, si licentia sit valida, nunquam posse reuocari coniugem professum: Pontificem autem in eo textu loqui quando licentia per vim vel metum extorta est, iuxta cap. *accedens*, eod. tit. Veruntamen hæc opinio ab omnibus statim citandis reiicitur, quia reuera diuinat, imo loquitur contra expressa verba textus, *de licentia, & permissione vxoris*, quæ supponitur valida, alias nulla fuisset ratio dubitandi, an maritus reddendus esset vxori, cum professio omnino fuisset nulla.

12. Nihilominus aliqui propter difficultatem tactam, hanc decisionem limitant, quia vel coniux, qui licentiam dedit, sciebat ius, statuens, vt vnus coniugum

gum profiteri non posset sine alterius conuersione, vel illud ignorabat: in hoc posteriori casu dicunt procedere decisionem Alex. III. quia tunc ratione ignorantiæ non potest in tali coniuge præsumi voluntas vouendi perpetuam castitatem, aut religionem; & ideo non cogitur ad vouendum, & quia alias permitti nō debet liber permanere in seculo sine suo coniuge, illi reddendus dicitur. At vero secluſa ignorantia negant dicti auctores coniugem professum posse reuocari, sed potius alium esse cogendum, vt ipse etiam voueat, vel profiteatur secundum iura, quia tacite, & virtualiter id promisit, quando licentiam dedit sciens ius, ad quod talis obligatio sequitur; nam qui vult antecedens, virtute vult consequens. ita refert glossa in cap. *qui vxorem* 33. quæst. 5. & videtur sequi, nam ponit hanc opinionem vltimo loco, & non refellit, expressius tenet glossa in cap. *Agathosa* 27. quæst. 2. & in cap. *seriatim* 22. d. & in cap. *exparte* 1. de conuers. coniug. Et eandem opinionem sequitur Panormit. in dict. cap. 1. num. 5. & Sylvest. verb. *Matrimonium* 8. Angelus verb. *Matrimonium* 4. num. 9. & Soto in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. in fine. Vide Turrecrem. in cap. *quod Deo* 33. quæst. 5.

13. Hæc vero limitatio mihi non placet, quia Alexand. III. absolute, & indistinctè respondet, vbi autem ius non distinguit, nec nos distinguere debemus, præsertim vbi ratio non cogit, nec est aliud decretum, in quo illa limitatio fundari possit: his autem omnia hæc concurrunt, vt facile consideranti patebit, & ex dicendis amplius constabit. Præterea ignorantia iuris raro, aut nunquam in iure ipso præsumitur, quomodo ergo credibile est propter solam ignorantiam iuris absolute, & sine vlla distinctione respondisse Pontificem, restituendum fuisse virum illum vxori suæ nulla facta mentione, vel examinatione talis ignorantiæ. Præterea sicut citati auctores reprehendunt eos qui textum illum exponebant de licentia extorta per metum, quia de suo hoc habebant sine fundamento in textu qui simpliciter dicit, *de licentia & permissione vxoris*; ita nos arguere possumus dictos auctores, cum exponunt, loqui textum de vxore ignorante, de suo etiam loqui sine fundamento in textu, qui simpliciter dicit, *Monasterium ingressus, professionem fecit vxore in seculari habitu remanente, nec transeunte ad religionem, aut perpetuam castitatem vouente.* Deinde gratis etiam dicitur præsumi vxorem vouere castitatem, aut religionem, eo quod sciat ius hoc præscribens, tum quia fieri potest, vt ipsa nolit implere tale ius, sed solum dare licentiam, vt alter videat quid facere possit, aut debeat, vel relinquendo prælatis eam curam, vt ipsi videant an talem professionem debeant admittere. Imo in hoc non videtur vxor multum peccare, quia non induxit maritum ad talem professionem faciendam, sed solum quantum in ipsa est, permittit, (hoc enim verbo vtitur ibi Pontifex) non tamen tenetur facere omne id, quod necessarium est, vt maritus licite profiteatur, nec etiam tenetur contradicere, aut resistere, quia hoc non spectat ad officium eius: cur ergo præsumendum in illa est tale votum continentiæ, & religionis? Quod si illud sufficienter non præsumitur, certe ad illud emittendum cogi non potest propter scientiam iuris magis quam si illam non habuisset, quid enim illa refert? Imo etiamsi in eo peccasset, non propterea cogi posset, non est enim hæc pœna proportionata tali culpæ.

14. Existimo ergo decisionem Alex. III. per se intelligendam esse, & non ratione alicuius accidentis, quale est ignorantia, timor, vel dolus. Fundarique solum in hoc quod licet coniux licentiam dederit, si non vouit, non potest ad vouendum cogi; nec censetur vouisse, eo quod licentiam dedit, quia hæc duo non sunt per se connexa. Et licet ius statuat, vt illa licentia non habeat effectum, nisi vxore ipsa vouente, si tamen hoc ius seruatum non est, non propterea debet alter compelli, quia illa transgressio iuris magis est in prælato, vel in altero coniuge profitente, quam in alio, qui licentiam dedit: vel si in eo etiam fuit aliqua culpa, illa non est pœna proportionata, vt dicebam, neque vllo iure inuenitur imposita. Si autē coniux, qui in seculo manſit, non cogitur vouere, æquum est, vt ei reddatur coniux, ne liber in seculo manens relinquatur in periculo viuendi cum iniuria creatoris. Vnde fit resolutionem hanc solum habere locum quando alter coniux nihil vouit, nam si feciſſet votum simplex religionis, & postea illud implere nollet, sed repetere suum comparem, non est illi dandus, sed potius ille cogendus est, vt suum votum impleat, vt omnes fatentur, & est per se satis notum. Quin potius etiamsi non religionem, sed castitatem simpliciter voueat, non poterit repetere suum coniugem, tum quia non potest licitè ab illo debitum petere, tum etiam quia in dict. cap. 1. expresse dicitur, *Nec perpetuā continentiam vouente.* Tunc ergo potius ille compellendus est, vt suum votum seruet. Quod si sit senex, illud satis est, etiam secundum ius cap. *cum sis*, & cap. *vxoratus*, eod. tit. Si autem est iuuenis, non est per tale votum iuri satisfactum, & ideo dubitant doctores, an possit ab Ecclesia compelli, religionē ingredi. Et omissis variis sententiis quæ in Panormit. videri possunt dict. cap. 1. mihi videtur simpliciter non posse compelli ad religionem, sed solum ad seruandum quod promisit, & ad eam clausuram, quæ ad tollendam suspicionem, vel periculum sufficiat. Atque resolutionem sumo partim ex glossa in dict. cap. *vxoratus*, partim ex Innocentio in dict. cap. 1. & fauet etiam Calderinus.

15. *Difficultas specialis.*

Disputant autem doctores, an in eo casu possit is qui licentiam dedit, nullum tamen votum religionis, vel castitatis perpetuæ emisit, suum coniugem repetere? & Calderinus ait non posse, propter difficultatem tactam, scilicet, quia ille iam renuntiauit iuri suo, & ideo non videtur habere ius repetendi. Ait vero posse implorare officium iudicis, ipsumque iudicem illi debere suum coniugem reddere ex vi illius cap. 1. De conuers. coniug. Quod fortasse ad formam fori contentiosi refert, res tamen ipsa eodem reuolui videtur, nam illo modo sufficienter quis petit coniugem suum, & obligat iudicem, vt illam sibi reddere debeat. Est autem accommodatus ille loquendi modus ad respondendum in forma difficultati propositæ; concedimus enim eum non posse suo iure hoc postulare, nihilominus posse petere, vt Ecclesiasticum ius circa id obseruetur. Innocentius vero simpliciter concedit posse hunc repetere coniugem suum, quia hoc videtur ei dicto canonico iure concessum. Nec contra illud obstat difficultas proposita, nam quantumcunq; ille voluerit suo iuri renuntiare, Ecclesia non vult illam renuntiationē acceptare, nisi sub ea conditione, vt ipse eriā conuertatur, quę conditio ex voluntate ipsius semper pendet, & ideo si illam implere non vult, renuntiatio manet non acceptata, atque ita non habet effectum: neque quidquam obstat, quominus ille retineat ius suum, quod postulare posset. Et hoc significauit Alex. III. cum dixit, *Nisi vxor ad religionem transierit, aut perpetuam castitatem seruare promiserit, vir potest & debet de monasterio reuocari.* Et ideo etiam nihil obstat ius, quod per professionem acquisitum videtur Deo, & religioni, quia non potuit ei maius ius acquiri, quantum ad actualem professionem, vt sic dicam, vsum, & retentionem coniugis professi, quam sub ea conditione, si alter coniux conuerti voluerit, cum renuntiatio eius aliter acceptata non sit, quia non potest

religio

religio aliter acceptare professionem, quam ei per Ecclesiam concedatur, vt ex superioribus cõstat. Nec denique obstat quod per talem professionem coniugi facultatem concedenti non fuit facta iniuria, satis enim est quod non fuerit priuatus iure suo, quia, vt dictum est, eius renuntiatio non est aliter acceptata. Quod quidem nõ fit ab Ecclesia in fauorem eius, sed in fauorem, vt ita dicam, pudicitiæ, & castitatis coniugalis, nam cum illius læsione vel periculo morali, non placet separatio alterius coniugis. Atque ita potest facile sententia Innocẽtij defendi, & quidquid sit de forma exterioris fori, quæ ad me non pertinet, in foro conscientiæ non est dubium, quin talis coniux possit petere ab alio cohabitationem, & debitum, quia ex interpretatione, vel modo acceptationis iuris licentia illa solum fuit ad professionem faciendam, saluo suo iure, quod est ad petendum: vnde fit, vt alter reddere teneatur, & monasterium similiter obligetur eum restituere, seu liberam facultatem ei facere, quamuis propter scandalum vitandum id fieri debeat auctoritate Ecclesiastici iudicis competentis.

Superest dicendum de tertio puncto, quod absolute spectatum non habet difficultatem: nam si professio valida fuit, & impedimentum est ablatum, nihil est quod ab hac obligatione reuertendi in religionem excuset. Item si alter coniux, qui licentiam dedit, quocunque tempore vellet conuerti, alter teneatur vel in monasterio permanere, vel ad illud reuerti, si exisset: ergo idem est, si coniux de medio tollatur, per se loquendo, & ablatis impedimentis, quæ per accidens attingere possunt. Dubitabit vero fortasse aliquis, an in eo casu teneatur ille professus redire ad eandem religionem, vel satis sit redire ad aliam, etiam laxiorem: nam aliquando professio indebito modo facta non obligat cum tanto rigore. Nihilominus respondeo tenere ad eãdem religionem redire, nam professio valida ad totum obligat, ad quod potest obligare, quia in totum valida est, & non tantum in parte, quia non est maior ratio de vna parte, quam de alia. Confirmatur, nam votum simplex religionis factum de tali religione in particulari ad illam obligat, & non impletur in laxiori, & è conuerso, si fortasse ad illam non obligat, quia in ea implere non potest, neque ad laxiorem obligat: ergo pari ratione votum solenne factum in particulari religione ad illam in particulari obligat, neque in laxiori impletur, vel è conuerso, si ad illam in particulari non obligaret, non esset cur ad alias obligaret. Denique hoc ex iure communi probari potest auctoritate negatiua, quia nullum est Ecclesiæ decretum statuens vt talis professio in religione laxiori possit obseruari. quod argumẽtum erat in præsenti sufficiens, quia ex natura rei non poterat hoc esse licitum, vt in superioribus ostensum est. Vnde quod in professione tacita aliquando hoc liceat, est ex speciali permissione, vel dispensatione Ecclesiæ, vt infra videbimus, quæ in præsenti non inuenitur. Quin potius in citatis iuribus significatur oppositum, nam in cap. *ex parte*, compellendus dicitur sic professus, vt mutare demissa ad suum monasterium reuertatur, & in cap. *consulti*, dicitur in eo casu non posse aliquem dimittere habitum quem assumpsit.

## Caput VIII.

### *Vtrum Episcopus, vel in alia dignitate constitutus possit religionem profiteri.*

Aliud libertatis genus in persona, quæ professionem emissura est, solet requiri; nimirum, vt libera sit ab Episcopali obligatione, vel dignitate: nam Episcopus per se, & sua voluntate, non potest professionem emittere. Dico autem, *per se, & sua voluntate*, quia de licentia Papæ potest profiteri, quia per illam licentiam ab speciali obligatione liberatur. Quæ omnia habentur in cap. *nisi cum pridem*, de renunt. & sumuntur ex cap. *licet*, de Regular. quibus locis omnes interpretes hoc docent, & D. Thom. 2. 2. quæst. 185. artic. 4. Sot l. b. 10. de Iustit. quæst. 2. art. 4. & Sylvest. *religio* 2. quæst. 8. Angel. verb. *religiosus*. num. 12. Circa quam resolutionem dubitari potest in primis, de quo Episcopo intelligenda sit: potest enim esse Episcopus tantum electus, & nondum cõfirmatus, vel potest esse iam confirmatus, nondum vero consecratus: potest item esse electus confirmatus, & consecratus. Vel denique esse potest consecratus tantum, & cum nulla Ecclesia desponsatus: vel certe licet aliquando desponsatus fuerit, potest iam per renuntiationem legitimam à Papa acceptatam quasi diuortium factum esse. Resolutio ergo posita maxime, atque indubitanter locum habet in Episcopo confirmato, & consecrato, & actualiter habente suam Ecclesiam cuius curam gerit: nam de hoc maxime loquitur dict. cap. *nisi cum pridem*, & in eo præcipue locum habet omnis ratio, quæ in hoc impedimento assignari potest, vt videbimus. De alio vero extremo, vera mihi videtur pars contraria, seu negatiua, nam Episcopus electus, nisi speciali, ac personali præcepto prohibitus sit, optime potest religionem profiteri. Probatur, tum quia ille nondum est Episcopus simpliciter, sed secundum quid, id est, electus, quod potius est futurum esse Episcopum, quam iam esse: dicta autem iura loquuntur de Episcopo simpliciter, imo cap. *nisi cum pridem*, aperte loquitur de Episcopo iam desponsato suæ Ecclesiæ. Tum etiam, quia Episcopus electus etiamsi acceptauerit, potest sua voluntate libere retrocedere antequam confirmetur, & Episcopatum nolle, quia nec perseuerare promisit, neque vllo præcepto cogitur, vt sumitur ex cap. *inter corporalia*, & glossa ibi verb. *confirmatus*, de translat. Episcop. ergo etiam potest si velit religionem ingredi, & profiteri.

*De quo Episcopo procedat assertio posita.*

*Quid de Episcopo solum electo.*

De Episcopo autem iam confirmato, nondum vero consecrato, potest esse maior dubitandi ratio. Primo, quia etiam hic Episcopus videtur esse tantum secundum quid, cum Episcopus magis sit nomen ordinis, quam iurisdictionis; iura autẽ quæ de hoc impedimento loquuntur, videntur restringenda ad Episcopos simpliciter, & omnibus modis consummatis: nam quoad hanc partem videtur hæc materia odiosa, vtpote tollens libertatem. In contrarium vero est, quia Episcopus semel confirmatus iam est verè Episcopus, & sponsus talis Ecclesiæ, & ideo dicunt iura illum iam habere iurisdictionem, cap. *transmissam*, de electione, dicunt etiam illud esse velut matrimonium spirituale ratum, quod per consecrationem consummatur, cap. *licet*, de translat. Episcop. ergo comprehenditur sub dicta generali regula cap. *nisi cum pridem*, quod aperte videtur definitum in cap. *inter corporalia*, de translat. Episcop. vbi citur, *Sicut Episcopus consecratus sine licentia Episcopi Romani suam non debet Ecclesiam derelinquere, sic nec electus confirmatus, cum non debeat in dubium reuocari, quin post electionem & confirmationem canonicam inter personas eligentium & electi, coniugium sit spirituale contractum.* Et infra dicitur non esse maius vinculum inter Episcopum consecratum cum sua Ecclesia, quam inter Episcopum confirmatum, & ideo idem ius in vtroque seruandum esse. Ex quibus intendit Innocent. III. concludere Episcopum confirmatum, etiamsi consecratus non sit, non posse cedere Episcopatui, neque ad alium transire, nisi ex licentia Romani Pontificis. Hinc autem recte colligitur non posse etiam ad religionem transire, nam ob hanc causam idem Innocent. III. in dict. cap. *nisi cum pridem*. negat

*2. Quid dicendum de Episcopo confirmato, & non consecrato.*

Episcopum posse transire ad statum religiosum, inconsulto Romano Pontifice, quia non potest suam Ecclesiam deserere. Atque hæc pars sine dubio vera est. Et ad difficultatem in contrarium dicendum est, Episcopi nomen, non minus proprie significare pastorale munus, quod ex se consecrationem requirit, quam ipsam ordinis dignitatem, & in præsenti præcipue accipi ratione muneris Episcopalis.

3. *Instantia.* Dices, Episcopus tantum confirmatus æquiparatur ei qui matrimonium tantum contraxit, dict. cap. *licet*; sed qui matrimonium ratum contraxit, & non consummauit, libere potest ad religionem transire: ergo & Episcopus confirmatus. *Solutio.* Respondetur negando consequentiam, nam Innocent. III. in dict. cap. *inter corporalia*, vult quoad hoc fortius esse vinculum spirituale, quam carnale, & æque indissolubile esse spirituale coniugium tantum ratum, ac consummatum per consecrationem. Item est differentia, quia religio est perfectior status, quam matrimonium; est autem minus perfectus, quam Episcopalis. Denique Episcopale munus ad bonum commune, & regimen animarum ordinatur, & ideo ex se præfertur priuato commodo quod per statum religiosum intendi videtur.

4. *Assertio quarta quid de Episcopo consecrato.* Hinc vero per argumentum à contrario colligi potest, Episcopum consecratum, si nullius Ecclesiæ Episcopus sit, non contineri sub hac prohibitione, sed posse libere religionem ingredi si velit, quia in eo cessat tota ratio huius prohibitionis, scilicet, quia Episcopus non potest cedere Episcopatui, aut suam sponsam deserere, vel quia vinculum spiritualis coniugij indissolubile est propria auctoritate: hæc autem omnia cessant in hoc Episcopo, quia neque habet Ecclesiam, cui cedat, vel sponsam, quam deserat, & quia vinculum iam supponitur legitime dissolutũ, quãdo Episcopatui renuntiauit. Est ergo tunc veluti factum diuortium, & persona illa est quasi vidua: ergo potest libere religionem ingredi. Accedit quod Innoc. III. in d. c. *inter corporalia*, inde probat cõsecrationem nihil addere vinculo confirmationis, quod potest sola sine Episcopatu reperiri, *vt in eo* (inquit) *qui oneri renuntiauit Episcopali, non honori*: ergo sentit cõsecrationem per se solam nullum afferre vinculum, vel impedimentum. Deniq; ex d. c. *nisi cum pridem*, solum colligitur Episcopum non posse sua auctoritate renuntiare Episcopatui, vt ingrediatur religionem; ergo vbi necessarium nõ est renuntiare Episcopatui, nihil est quid impediat. Est ergo hoc sine dubio verum, eum qui legitime renuntiauit Episcopatui, esse omnino libetũm ordine ad professionẽ emittẽdam.

5. *Assertio quinta. Quid de Episcopo titulari, vel relegato.* Aliquando vero potest contingere, vt aliquis Episcopus videatur carere sponsa, non quia Episcopatui renuntiauerit, sed quia fortasse tota illa Ecclesia, vel prouincia à fide defecit, sicut nunc videmus plures Episcopos à suis Episcopatibus relegatos: vel etiam videtur ita accedere in Episcopis titularibus, qui non consecrantur nisi titulo alicuius Ecclesiæ, quam semper respiciunt vt sponsam, etiamsi illi inseruire, & cohabitare non possit, eo quod ab infidelibus occupata sit. De his ergo non censeo esse eandem rationem, sed comprehendi sub dicta lege, & impedimento, quia licet videantur separari à sua sponsa, quoad totum, vt sic dicam, non quoad vinculũ: vnde in c. *post translationem*, de renunt. vers. *ceterum*, etiam in eo casu, in quo Episcopus nõ potest proficere in regimine pastorali propter rabiem persecutionis, superioris auctoritas postulatur, vt possit ad monasticam vitã descendere. In hoc etiam consideratur id quod est per se, scil. vinculum, & obligatio, non quod est per accidens, quale est quod propter impedimenta extrinseca non possit obligatio illa executioni mandari.

6. Vt autem huius impedimenti ratio, & qualitas magis explicetur, dubitari potest, an hoc impedimẽtum tale sit vt irritet professionem. *Dubitatio, an hoc impedimentũ sit irritans.* Videtur enim ita esse dicendum. Primo, quia vinculum Episcopi cum sua Ecclesia iure diuino indissolubile est, vt affirmat Innoc. III. in d. c. *inter corporalia*, & ideo ait quãdocunque dissoluitur, non humana, sed diuina auctoritate dissolui, scilicet auctoritate Pontificis, quæ diuina est, cum ipse sit Christi vicarius, cui ex institutione diuina talis dissolutio reseruata est: ergo seclusa auctoritate Pontificis, nõ potest esse valida professio Episcopi, quia non potest esse valida Episcopatus renuntiatio. Et confirmatur ex c. *licet*, de Regul. vbi in hoc æquiparatur transitus Episcopi ad religionẽ cum transitu ab vna religione ad aliam; sed professio facta in religione laxiori, ab eo q̃ in arctiori est professus, nulla est, si fiat sine legitima licentia superioris: ergo similiter, &c. Ratio autem vtriusque est, quia qui se tradidit alicui, & iam non est sui iuris, non potest valide se alteri tradere.

7. *Resolutio.* Nihilominus non censeo esse hoc impedimentum irritans omnino professionem, sed tantum prohibens, atque etiam impediens vsum eius. Vt autem hoc explicem & probem, aduerto duo hic esse distinguenda, scilicet, professio, & renũtiatio Episcopatus, seu dissolutio vinculi spiritualis, quod est inter Episcopum, & suam Ecclesiam. Quoad hoc ergo secundum certũ est, talem professionem esse inualidam, id est, non habere talem effectum, quod probat sufficienter prima ratio in contrarium proposita; siue hoc sit, quia Episcopale vinculum proprie, & in rigore est indissolubile iure diuino, id est, ex immediata institutione diuina, siue sit indissolubile ex voto speciali ipsius Episcopi, cuius dispensationem sibi Pontifex reseruauit, vt D. Thom. & Sot. supra citati, significãt: siue id sit, quia ex Ecclesiastico præcepto tale intercedit pactum inter Ecclesiam & Episcopum, vt Episcopus omnino obligetur, & se priuet potestate rescindendi contractum, quod nobis probabilius videtur, vt supra diximus, satisque est, vt iure diuino dicatur prohibitum Episcopo cedere Episcopatui iure suo: nam in sensu composito (vt sic dicam) id est, supposito tali genere contractus, illud est contra ius diuinum, & naturale. Hinc igitur recte concluditur, quantumuis Episcopus prohiteatur religionem, non propterea manere liberum onere Episcopali, atque adeo quantum ad hoc nullam esse professionem. Et hoc modo dixit Innoc. in dict. cap. *nisi cum pridem*, & si pennas habeas, quibus satagas in solitudinem aduolare, ita tamen astrictę sunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas, absque nostra permissione volatum.

8. *Probatur prima pars.* Nihilominus tamen professio ipsa quoad substãtiam suam intelligi potest valida sine hoc effectu, & in hoc sensu dicimus esse validam quoad vinculum, licet non omnino quoad vsum. Probatur quoad priorem partem, quia non est inualida ex natura rei, neque ex iure positiuo: ergo est valida. Probatur maior, quia si ex natura rei esset inualida, maxime quia non potest esse valida, nisi dissoluat vinculum inter Episcopum, & Ecclesiam, nulla enim alia ratio excogitari potest; illud autem verum non est, quia vinculum professionis, & vinculum Episcopale, non sunt formaliter repugnantia: ergo potest esse validum vinculum professionis, etiamsi aliud non dissoluat. Antecedens patet, quia quando religiosus professus assumitur ad Episcopatum, non tollitur prius vinculum, sed superadditur aliud, & simul manent: ergo signum est non esse formaliter repugnantia: ergo licet mutetur ordo & prius inducatur vinculum Episcopale, & postea religiosum, poterunt simul manere quantum est ex natura rei. Et quoad hoc est magna differentia inter transitum religiosi *Notandum religiosus*

ligiosi ad laxiorem religionem. & Episcopi ad statum religiosum, nam religiosus non potest esse simul valide professus in duabus religionibus, Episcopus autem potest simul esse religiosus & Episcopus. Item dum professus religiosus religioni laxiori se tradere vult, offert Deo aliquid minus gratum ipsi, & simpliciter minus bonum, quia incompossibili maiori bono; & ideo sicut votum quod non est de meliori bono validum non est, ita neq; illa professio: at vero Episcopus professionē faciens, non offert Deo aliquid minus gratum, sed simpliciter aliquid melius, quia offert quoddam bonum per se optimum, & meliori non repugnans, cum simul esse possit cum Episcopatu, & simpliciter melius sit esse Episcopum, & rel giosum, quam Episcopum tantum.

3. Tandem id declaro exemplo matrimonij carnalis: diximus enim supra professionem factam durante matrimonio cōsummato, etiam sine debita licentia, non esse nullam ex natura rei, quia illa duo vincula matrimonii & religionis nō sunt formaliter repugnantia, & quia potest habere suum effectū quasi formalem in huiusmodi coniugato, etiamsi quo ad plenum vsum maneat impedita. Ita ergo in præsenti dicendum est, iam enim ostensum est illa duo vincula Episcopale, & religiosum, non esse formaliter repugnantia, & facilè ostendi potest, personam Episcopi nō esse incapacem formalis effectus professionis. Quod patet discurrēdo per singula vota: nam de castitate constat, posse ad illam nouo titulo obligari; paupertatem autē potest de nouo promittere, quia nec quoad obligationem, nec quoad actualem observantiam statui eius repugnat; vnde non est dubiū quin possit, & licite, & valide simplex votū paupertatis emittere. In obedientia autem videtur esse nonnulla maior difficultas, expedietur autem facilè si duo considerentur. Vnum est ad substātiam religiosi status satis esse habere obedientiam, & obligationem in animi præparatione. Aliud est posse dari aliquem vsum & exercitium obedientiæ non repugnans muneri Episcopali. Sic ergo non est Episcopus simpliciter incapax voti obedientiæ, etiam emissi, seu emittendi post Episcopatum acceptum. Denique eodem modo non est incapax Episcopus illius traditionis quæ per professionem fit, saltem quoad translationem dominii, seu proprietatis, vt sic dicam, in religionem. Quod per hunc effectum rectè explicatur: nam facta illa traditione per professionē, si talis persona renuntiet postea Episcopatui cum debita facultate, eo ipso statim incipiet teneri ad obseruantiam regularem, quod non repugnat: ergo non est incapax talis persona formalis effectus professionis: non est ergo cur ex natura rei sit inualida.

10. Hinc vero probatum relinquitur, quod secundo loco dicebamus, talem professionem esse impeditam quoad vsum, hoc enim habet ex natura rei, supposita conditione talis personæ, quia non potest per professionem priuare suum Ecclesiam iure, quod in ipsam, eiusque actiones habet, quia non potest professio dissoluere spirituale vinculū inter Episcopum & Ecclesiam, & ideo necessario professio illa manet impedita quoad omnem vsum religionis, qui Episcopalem muneri repugnat, sicut in exemplo de professione coniugis seruata proportione apparet. Atq; hinc tandem probari facilè potest altera pars, nimirum hanc professionem non esse irritam iure Ecclesiastico quoad substantiam suam, sed solum quoad hunc effectum dissoluendi Episcopale vinculum, nec tollendi eius onus, & obligationem: nullum enim est in iure verbum ex quo amplius colligi possit, vt patet ex dict. cap. *nisi cum pridem*, & d. cap. *licet*, & simul cum sequenti difficultate melius declarabitur.

11. Oritur tamen ex dictis noua difficultas circa hoc punctum, nam videtur sequi hanc professionem in Episcopo non solum inualidam non esse, verum etiam neque illicitam, quia ex se mala non est, quid enim habet contra rectam rationem, aut contra debitum Dei honorem, cum per illam aliquid simpliciter melius, & Deo gratius offeratur: Si autem ex se mala non est, cur per Ecclesiam prohibetur? Addo nullum esse Ecclesiasticum ius, quod satis apertè hanc professionem prohibeat, nam in d. c. *licet*, quod videtur in hac re expressius loqui, pro regula solum ponitur, vt nullus absq; licentia Romani Pontificis præsumat occasione quacunque deserere p ęsulatum, vt ostensum est, valide fieri posse, illa certè prohibetur ex vi illius regulæ. *Difficultas an sit illicita talis professio.*

12. Nihilominus communis sententia, vt diximus, est, prohibitum esse Episcopo religionem profiteri. & ita colligunt ex d. cap. *licet*, gloss. Innoc. Panormit. & omnes qui pro eodem dicunt, transire ad religionem, & deserere Ep scopatum illa de causa, nullus autem meminit illius casus, in quo retento Episcopatu aliquis fiat religiosus per veram professionem. In quo significant hunc casum nō esse moralem, nec secundum Ecclesiæ consuetudinem, quod satis est vt non liceat; item quia est indebitus ordo, cum dignitas Ep scopalis altior sit. Vnde Innocent. III. in dict. cap. *nisi cum pridem*, *Facilius*, inquit, *indulgetur vt monachus ad præsulatum ascendat, quam vt præsul ad monachatum descendat*. Denique considerato modo assumendi religiosum statum, & quæ ad illum necessaria sunt, secundum presentem Ecclesię consuetudinem, facilè intelligitur, hoc fieri non posse, nec decere. Ac denique consuetudo, quæ est optima legum interpres, ita prohibitionem hanc declarauit, quia probabile etiam est hoc non solum esse malum, quia prohibitum, sed ex se esse inordinatum, quia is qui secundum præsentem statum est incapax munerum, & actionum alterius status, non potest conuenienter hunc posteriorem statum assumere, si non potest deserere priorem. In quo est magna differentia inter hos duos status, Episcopalem, & religiosum, quando contrario ordine assumuntur: nam quando aliquis prius fit religiosus, tunc capax est muner ū illius status; & quādo postea fit Episcopus, etiam potest exercere munera, ad quæ per Episcopatum obligatur. Et licet ex parte impediatur ab actual i vsu religiosi status, id non est inconueniens, quia fit propter perfectiorem statum. Quando vero è conuerso prius fit Episcopus, & postea religiosus manens Episcopus, accipit statum inferiorem, cuius vsum habere non potest, quod inordinatum esse videtur. Nec satis est dicere assumi tunc statū religiosum propter perfectionem quasi habitualem, tum quia status est propter vsum, & ideo qui est incapax vsus, non debet accipere statum, tum etiam, quia si aliquid perfectionis ex assumptione illius status adiungi posse videtur, per vota simplicia paupertatis, vel obedientiæ, vel per animi præparationem, & desiderium fieri potest. Merito ergo talis profitendi modus nō permittitur.

13. Posset vero hic vlterius inquiri, an quilibet status perfectior impediat valorem professionis in religione; quia vero nullus est status perfectior simpliciter professione, seu religioso statu in tota sua latitudine sumpto, nisi status Episcopalis: ideo solum potest illa quæstio locum habere intra statum religiosum, comparando strictiorem ad laxiorem, & ita pertinet quæstio ad disputationem de transitu ab vna religione ad aliam, quam infra trademus. Nunc autem supponimus professionem in vna religione impedire professionem non solum in laxiori, sed etiam in æquali, idque non solum ex statuto Ecclesiæ, sed etiam ex natura rei, vt probabilius existimamus: professio autem in vna religione non impedit pro- *Vltima dubitatio. Quid dicendum de professis in vna religione.*

*Quid de Prælatis Episcopo inferioribus.*

professionem in altiori, quia in hoc sequitur naturam voti, quod non impedit melius bonum. Atque hinc facile expeditur quod vltimo circa hanc conditionem inquiri solet, an extendatur ad inferiores prælatos præter Episcopum: quod tractat D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 7. & ibi interpretes. Panormit. cum alijs in dict. cap. *licet*, Sylvest. & Angel. supra, & omnes vno vel alio excepto conueniunt hoc impedimentum non habere in inferioribus locum. Ratio D. Thomæ est, quia illi non obligantur speciali voto perpetuo ad pastorale munus, & ideo nulla indigent dispensatione Papæ: possunt ergo sine licentia Papæ relinquere dignitatem, vel beneficium, & religionẽ profiteri. Addẽdum vero est hoc nullo iure illis esse prohibitum: imo cap. *licet*, de Regular. specificam mentionem faciens de Episcopis, & Archiepiscopis, plane significat, inferiores omnes illa licentia non indigere. An vero hi clerici inferiores debeant licentiam petere à suis Episcopis, supra tractatum est, cum de voto in genere ageremus, tom. 2. lib. 3. cap. 4. num. 10. vbi diximus in his requiri licentiã petitam, quamuis non obtentam: idque docent cõmuniter Theologi, & Canonistæ, quos late refert Sanch. in Decal. lib. 4. de Voto cap. 25. num. 48. Vnde constat talem licentiæ petitionem ad summũ esse necessariam propter quandam decentiam, & bonum ordinem, non vero ad valorem professionis.

14. *Specialis difficultas est, de quibusdã habentibus iurisdictionem Episcopalem.*

Specialis vero ratio dubitandi est de quibusdam Abbatibus immediate subiectis summo Pontifici, & habentibus iurisdictionem Episcopalem: nam si petant licentiam à Papa, & non obtineant, non poterunt ingredi religionem, quia Papa potest impedire ingressum, quamuis alij Episcopi non possint; si vero expectare debent consensum Papæ, iam erunt æquales in hoc Episcopis. Propter quod ita sentit Hostiens. in dict. cap. *licet*. nam cum sint veri prælati, & iurisdictionem habeant Episcopalem, & exemptam, aliquando solẽt nomine Episcoporum comprehendi: ergo mirum non est, quod in præsenti Episcopis æquiparentur. Nihilominus in rigore censeo non æquiparari, quia inter illa duo cogitari potest medium, vt si Papa petitioni eorum nihil respondeat, tunc enim profiteri poterunt licentia petita, & non obtenta, vt sensit Panormit. supra, citans Ioann. Andr. in cap. *cum non fiat*, de Regul. iuris in 6. Fortasse his prælatis sufficiet licentiam petere à suo Archiepiscopo, vel ab illo Episcopo cui de iure deberent esse subiecti, si non essent exempti, nam in suum commodum videntur posse non vti exemptione in eo casu, in quo nullum dignitati præiudicium fieri videtur.

*Resolutio*

## CAPVT IX.

### *Vtrum obligatio filij ad parentem, vel alia similis professionem impediat, vel potius per eam tollatur.*

1. SVpponimus solam patriam potestatem, vel subiectionem filij, seu obedientiam parenti debitam, non impedire liberam filij professionem, quia in his quæ ad Deum pertinent, atque adeo in votis emittendis, maxime post pubertatem (ita enim nunc loquimur) filius est sui iuris, vt supra ostensum est, & ideo de hoc negotio agens dixit Hieronym. epistol. 4 ad Nepotian. *Per calcatum perge patrem.* Solum ergo superest quæstio de casu speciali, in quo pater grauiter indiget ope filij: & hoc modo inter conditiones ad profitendum necessarias ponitur libertas ab speciali obligatione subueniendi, vel obsequendi parentibus, nam cum hoc debito, vel obligationem profiteri nemo potest. De quo puncto videnda sunt supra dicta de ingressu religionis, nam illa necessitas impedit professionem, quæ primum ingressum impedire valet: nec de hac obligatione, seu gradu necessitatis hic plura dicere necesse est. Solum ergo addendum est, licet hæc causa sit sufficiens ad obligandum sub mortali, nec professio fiat, non tamen esse sufficientem ad irritandam illam, si fiat, vt est communis sententia; quam tenet Nauarr. libr. 3. Consil. titul. de Regul. Consil. 26. alias 3. Sanchez in Decal. libr. 4. de Voto. cap. 20. numer. 10. Less. libr. 2 cap. 41. dubit. 3. numer. 34. & alij. Et ratio est, quia talis professio non est irrita ex solo iure naturali, vt à fortiori patet ex his, quæ in similibus, in superioribus diximus, quia talis persona non est incapax illius obligationis, quæ per professionem religiosam suscipitur, quamuis fortasse non possit statim illam exequi, de quo mox dicemus: neque etiam inuenitur ius canonicum, quod talem professionem irritam faciat.

*Dubium in hac materia an filius professus teneatur succurrere parentibus,*

Hinc vero nascitur dubium, si non obstante hoc debito aliquis profiteatur, an post professionem teneatur succurrere parentibus, relicto, si opus sit, religioso habitu, seu statu, quantum ad actualem obseruantiam & obedientiam, & an ab ipsis parentibus iuste repeti possit. Videtur enim ita esse asserendum. Primo, quia hoc est consentaneum iustitiæ, & *&c.* pietati, quibus religio repugnare non potest. Secundo à simili de professione coniugum; nam si coniux potest repetere compatem indebite professum, quia habet ius in illum, quo non potuit priuari per professionem; cur non poterit pater reuocare filium, in quem habebat actuale ius? non enim magis potuit suo iure priuari, & ob eandem causam manebit filius in conscientia obligatus, & religio etiam ad reddendum illum, vel sufficienter parentibus eius subueniendum. Tertio, quia filius sic profitendo facit iniuriam patri: ergo non potest illi prodesse, vt liberetur ab obligatione, quam antea habebat.

2. In contrarium autem est, quia per professionem persona censetur ciuiliter mori; ergo etiam per professionem liberatur omni obligatione ciuili, aut humana, quia cum morte omnia finiuntur. Et ideo exemplum quod de coniugibus afferebatur, vel non est simile, vel in quo est simile, oppositum persuadet, quia vel in eis professio valida non est sine licentia facta, vel si habeatur licentia, & valeat in rigore, cessat obligatio in professo, quamuis in alio casu Ecclesia aliud prouideat ex officio suo, quod in præsenti cum fundamento dici non posset. Confirmatur tandem, quia alias, etiamsi quis professus esset eo tempore, quo parentes non indigebant, propter exercitam postea parentum necessitatem, teneretur relicta religione parentibus subuenire, quia etiam non potuisset illos priuare iure suo. Consequens est falsum, & cõtra doctrinam Sanctorum, vt videre licet, præsertim in Basilio, regula 32. ex fusioribus. vbi inquit omnem affectionem, & curam erga parentes exercendam esse, quia hæc ad viuos spectant, non ad mortuos, inter quos religiosi computantur: vnde concludit eos ab omni prorsus huiusmodi debito liberos esse.

3. Hoc dubium tractari solet à Doctoribus, tam de illo casu, in quo necessitas parentis antecedit professionem, quam de illo, in quo subsequitur: & quamuis prior tantum in rigore ad hunc locum pertineat, tamen quia commode separari non possunt, de vtroque dicemus. Quidam enim nihil inter hos duos casus distinguendum putant, & in opiniones extremè contrarias diuisi sunt. Prima ergo opinio dicit in eo casu filium iam professum, solum obligari ad subueniendũ parenti, seruata obedientia, & professione religiosa: tenebitur ergo à suo prælato facultatem petere,

*Prima opinio.*

rere, & illa obtenta, & habitu, ac religione retenta, ei subuenire prout potuerit; si autem superior facultatem neget, alter excusabitur. ita sentit D. Thom. 2.2. q.10. art.4. ad 4. & quodlib.3. art. 6. vel 16. & quodlib.10. art.9. quibus locis licet non apertè distinguat inter illos duos casus, tamen indistinctè, & sine exceptione loquitur. Et ratio eius vniuersalis est, quia in religione professus reputatur iam quasi mortuus mundo, & ideo nō debet se iterum occasione parentum negotiis secularibus implicare. Quæ ratio variis modis confirmati, & declarari potest. Primo, quia per professionem validam maior obligatio inducitur, quia est ad Deum, quam fuit illa, quæ est ad parentes; vnde illa spectat ad primum præceptum primæ tabulæ; hæc ad primum præceptum secundæ tabulæ. Secundo confirmatur, quia religiosus iam non habet voluntatem propriam, neque est sui iuris, & ideo iam non est capax talis obligationis: sicut vxoratus non potest inuita vxore illam relinquere, vt subueniat parenti; quia iam sui corporis potestatem non habet: si quis etiam se in seruum vendidit, vel alio iusto titulo seruus effectus est, non potest inuito domino illum relinquere, vt patri subueniat: ergo similiter in præsenti. Tertio confirmatur, quia commune bonum religionis præferendum est priuatis incommodis vnius, vel alterius parentis; at vero si iam, vel occasio religiosis aperiatur, intra incommoda & perturbationes, & interdum etiam scandala orti facile possunt: nam etiam monialis egredi cupiēs monasterio, titulo, & colore subueniendi parentibus, ab eo exeret: expedit ergo vt hæc ianua omnino claudatur. & hanc opinionem sequitur Lyra, Matth. 5. & Abul. Matth. 4. q.12. Alens. 3. p. q. 33. membr. 4. art.1. & plures, quos sequitur Sanchez lib. 4. de Voto. cap. 20. num. 17.

Alii è contra indistincte affirmant teneri filium professum ad subueniendum parenti in necessitate constituto, etiam inuito prælato, & relicto habitu, si necesse sit; quamuis necessitas parentis professioni superuenerit. Inter eos autem qui ita sentiunt est diuersitas, nam quidam sentiunt ad hanc obligationem sufficere eam grauem necessitatem parētis, quæ si antea fuisset, obligaret filium ad non profitēdum. quod sentit Maior in 4. dist. 38. quæst. 16. videib. Richard Henric. quodlib. 6. vel 12. q. 18. Medin. quæst. 3. de Restitut. fol. 19. Adrian. quodlib. 1. artic. 3. ad 7. & quodlib. 2. quæst. 1. sine argum. Anchar. de potestate Papæ. quæst. 5. artic. 1. Et fundamentum esse potest, quia professio non potuit præiudicare parenti, nec priuare illum iure suo, vt supra argumentabamur. Alij vero hoc limitant ad casum extremæ necessitatis: nam tunc aiunt sufficere petitam licentiam, licet non obtineatur; in quacunque autem minori necessitate, quantumuis graui, putant procedere priorem sententiam. ita tenet Caiet. 2. 2. quæst. 111. art. 4. qui ita exponit D. Thom. & eum sequuti sunt multi ex modernis Theologis. Ratio eius est, quia extrema necessitas præfertur omni voto, & obligationi, præsertim humanæ, vel voluntate propria assumptæ. Ratio vero alterius partis, est eadem quæ tacta est.

Ne vero tot distinctionibus confundamur, hanc omittamus, quæ in hac materia semper mihi displicuit, vt supra insinuaui, tactando de primo ingressu, non quia primum huius membrum de extrema necessitate falsum sit, sed quia est impertinens; nam illa obligatio non est spectans ad parentes sed ad omnes proximos, vt Caietan. fatetur, & ideo merito D. Thom. nullam illius specialem mentionem fecit. Fundamentum autem illius partis est, quia tunc prælatus irrationabiliter est inuitus, & rem iniquā præcipit, aut necessariam prohibet. Hæc enim de causa possumus alienum accipere, inuito domino, vt proximo extremè indigenti subueniamus; & seruus inuito hero potest illi subuenire; & maritus potest relinquere vxorem nolentem, vt ei subueniat. Omissa ergo necessitate extrema, difficultas præsens solum versatur de illa necessitate, quæ in alio homine existens non obligaret, nec sufficeret, quæque ante professionem obligare filium ad non profitendum, an etiam obliget post professionem factam.

Est ergo tertia opinio quæ distinguit duos casus supra positos, quando necessitas parētum antecessit professionem, vel subsequuta est; & in priori affirmat teneri filium ad subueniendum parenti, etiam inuito prælato, & relicta religione, si opus sit. Ratio huius partis esse potest, quia filius tunc profitendo fecit specialem iniuriam parēti, ratione cuius manet semper obnoxius eidem obligationi, nec enim potuit per ipsammet actionem iniuriosam ab illa liberari, hoc enim omni ratione, & iustitiæ repugnat. Declaratur etiam, nam cum illa persona iam esset actualiter obnoxia illi obligationi, non potuit ipsa aliter se tradere religioni, nisi cum illo onere: ergo non obstante traditione professionis, manet semper illa obligatio, nec acquiritur ius religioni ad impediendam executionem eius. Et hoc confirmat exemplum de coniuge supra positum, & melius exemplum de seruo, qui ab hero repeti potest, vt sibi seruiat, non obstante professione. 6. *Tertia opinio duas partes includens.*

In altero vero casu concordat hæc opinio cum prima, potestque ex dictis eius fundamentum amplius explicari; quia quando pater non est in necessitate, tunc filius nō est ita actualiter obligatus ad obsequium eius, vt ob eam causam teneatur non profiteri, quia illud præceptum affirmatiuum esset, & non obligat pro semper: tunc ergo nullam facit iniuriam parenti, ex qua nasci possit specialis obligatio. Rursus ex vi illius quasi habitualis obligationis, quæ est in filio, quando pater in necessitate non existit, licet filius in præparatione animi præparatus esse debeat ad subueniendum patri, si indiguerit, prout ipse potuerit; non tamen tenetur ex vi illius obligationis se conseruare in eo statu, in quo possit parenti subuenire, si forte ad necessitatem deueneret; esset enim hoc magnum grauamen, quod nulla potest sufficienti ratione fundari, quia filius non tenetur thesaurizare patenti, quia non tenetur, per se loquendo eum alere; ergo propter casus contingentes, qui non veniunt in considerationem, vel prouidentiam humanam, quandiu probabiliter non iam imminent, non tenetur filius se seruare in eo statu, in quo possit parenti subuenire, alias non posset omnes diuitias contemnere, nec posset in longissimas regiones discedere, nec in desertum abscondi, vbi nihil de parente sciat, quæ plane absurda sunt, & plane contra communem vsum. Sic igitur quando pareus non indiget, potest filius absolute ita se tradere religioni, suamque voluntatem ita abdicare, vt iam sit omnino impotens ad subueniendum parenti, aliquid agendo contra statum, vel religionem suam. Vnde licet postea oriatur parentis necessitas, non aget contra præceptum subueniendi parentibus, si hoc omittat, quia ei non permittitur, quoniam inuenit eum impotentem, & præceptum affirmatiuum non obligat, nisi eum, qui potest. Et hoc confirmant exempla supra adducta de statu coniugii, aut seruitutis, qui possunt dici status impotentiæ respectu parentis, quando ei subuenire non potest sine p æiudicio obligationis coniugii, aut seruitutis. Et hanc opinionem tenuerunt Angel. verb. *Religiosus* numer. 32. vbi vtramque partem variis iuribus & rationibus bene confirmat, & citat Nicolaum de Lyra Matthæ. 15. eumque in omnibus sequutus est Syluester verb. 7.

*Reli-*

*Religio* 6. q. 9. qui ita etiam interpretatur opinionem D. Thom. Idem tenet Nauarr. in Summa c. 14. n. 14. & Comment 3. de Regular. n. 48. Tolet. l. b. 5. cap. 5. Less. lib. 2 cap. 41. dubit. 3. n. 34. & alij.

8. Hæc vltima opinio mihi videtur probabilissima, multumque rationi consentanea, & si attente legantur auctores, est communior inter illos: nam qui indistincte dicunt teneri filium professum ad subueniendum parenti, à fortiori hoc dicent, quando necessitas parentum antecessit professionem. Qui vero indistincte negant filium ad hoc teneri nisi seruato suo ordine religionis, nihil de illo speciali casu dicunt, vt patet ex D. Thom. Caiet. & alijs, & ideo verisimillimum est eos loquutos esse de religioso legitime, & debito modo professo, cui superuenit necessitas parentis: nam de alio casu potius supponunt filium non debere fieri religiosum. Mihi ergo hæc opinio placet, oportet tamen rem totam distinctius exponere.

## *Quænam sit obligatio filij subueniendi parenti grauiter egenti, si imminente iam illa indigentia professus est.*

9. *Prima resolutio quatuor partes continuens.* Dico ergo primo, quando filius professus est religionem cum iniuria parentis iam existentis in graui necessitate, tenetur petere facultatem ad subueniendum illi, & religio, seu prælatus, tenetur eam dare: si autem neget, & aliud remedium commodum non sit, potest etiam licentia non obtenta subuenire parenti, secluso scandalo, vel notabili indecentia religiosi status. Quæ omnes particulæ & circumstantiæ notandæ sunt, quia inde morali sunt maxime necessariæ. Prima ergo pars apud omnes, & in omni casu certa est, nam obligatio ad parentes non extinguitur omnino per professionem religionis, cum sit intrinseca, naturalis, & honestissima. Vnde quando Basilius, vel alij Sancti per exaggerationem videntur dicere oppositum, intelligendi sunt per se ac regulariter, vel quando cura parentum reuera esset perfectioni contraria: non est autem huiusmodi quando est recta ratione regulata. Nec etiam quoad hoc obstat, quod professio sit quædam ciuilis mors, quia sicut non tollit naturalem vitam, ita neque intrinsecam, & naturalem obligationem omnino auferre potest. Manet ergo in religioso hæc obligatio naturalis: ergo ad minimum tenetur facultatem petere à suo superiore ad implendam illam, quia nullo meliori modo potest illam implere; nec vero potest licite hunc modum prætermittere, quando actio, per quam parenti subueniendum est, iuxta religiosum institutum sine facultate superioris fieri non potest, quia cum illa persona iam religiosa sit, debet seruare suum institutum, quantum possit sine præiudicio alterius obligationis naturalis: in præsenti autem nullum sequitur ex petitione talis facultatis.

10. Secunda pars de obligatione religionis ad concedendam talem facultatem, videtur mihi indistincte, & in vniuersum vera, & ad minimum probati argumentis tertiæ sententiæ: nam religio iniuriam fecit parenti, recipiendo filium tali obligationi iam obnoxium: ergo non potuit acquirere ius in filium (vt sic dicam) contra ipsum parentem: ergo non potest propter suum seruitium, vel vtilitatem eum impedire, quominus parenti succurrat: ergo tenetur facultatem concedere. Dices: Fieri potest, vt bona fide religio illum admitteret; ideoque parenti non fecit iniuriam. Respondeo hoc esse accidentarium, nam in re facta est iniuria, licet operans ob ignorantiam excusatus fuerit à culpa, & ideo semper tenetur (vt sic dicam) ratione rei acceptæ, etiamsi excusetur ratione acceptionis. Sed quid si ex tali exitu religiosi, magnum detrimentum religionis sequatur: durum est enim obligare tunc religionem ad dandam talem facultatem. Quid etiam si religio ipsa velit subuenire parenti, & non dare facultatem filio? Respondeo incipiendo ab hoc secundo, non esse dubium quin possit id facere; tunc enim eo ipso cessat necessitas parentis: nam, vt supra dixi, disputando de primo ingressu, vera necessitas respectu filii non est, nisi quâdo nullus est alius, qui possit, & velit subuenire parenti: in illo autem casu iam est alius; cessat ergo necessitas, & consequêter obligatio, quæ intelligi semper debet existente necessitate. Vnde ad aliam partem respondeo primum, si detrimentum religionis solum est carentia talis personæ, & omnis commodi, quod ex illa posset religioni prouenire, hoc non esse considerabile, quia religio nunquam acquisiuit ius in talem personam cum iniuria parentis, & illud non est detrimentum priuatiuum, vt sic dicam, sed merè negatiuum. Si vero aliud esse cogitetur (quod vix potest contingere moraliter loquendo) tunc fusciperet in se religio onus filij; non enim debet cum præiudicio tertij damnum suum vitare. Quod si casus ita restringatur, vt etiam ipsa religio dicatur non habere facultatem sufficientem ad subueniendum parenti, tunc habere posset locum prudens arbitrium, an cum tanto detrimento suo teneatur quasi restituere alienum. Ego vero existimo moraliter non posse contingere talem excusationem.

11. Tertia pars assertionis positæ continetur in illo verbo, *Si aliud remedium commodum non sit.* Censeo enim teneri huiusmodi religiosum tentare omnia media quæ moraliter, & commode possunt, vt seruata obedientia, & obligatione suæ religionis, parentis necessitati subueniat. Itaque si intra religionem manens & religiosè viuens potest ex eleemosynis, vel alium de parenti subuenire, non potest religionem dimittere; cum medium necessarium non sit. Imo in eo casu nec superior tenebitur facultatem dare ad talem exitum, sed sufficiens ad actiones necessarias ad satisfaciendum prædictæ obligationi. Quod si forte iudicauerit hoc non expedire religioni, tunc tenebitur personæ concedere aliquem viuendi modum in quo possit suæ obligationi satisfacere, vt in secundo puncto dictum est. Deinde si necessarium sit extra clausuram religionis viuere, fieri autem id possit habitu retento, non est maior licentia procuranda nisi in eo casu, in quo religioni non iudicetur expediens aliquem cum habitu religionis extra religionem diutius viuere. Itaque ea tantum facultas petenda est, quæ & fini intento sit satis, & religioni minimum noceat; vtrique enim tenetur satisfacere, quantum possit persona in tali statu constituta. Quod si hæc facultas cum hac iustificatione petita à superiore aliquo modo denegetur, curandum omnino est vt non possit per ignorantiam iuris, aut facti excusari, vtriusque perfectam probationem seu informationem illi tribuendo. Si autem in sua sententia perstiterit, ad superiorem prælatum vsque ad Generalem, recurrendum est. Imo si de dimittenda religione agitur, existimo necessarium esse ad summum Pontificem accedere, & licentiam postulare, quia ipse est supremus prælatus omnium religionum, & quia vbi dispensatio, vel facultas obtineri potest, non est temerè aliquid agendum contra obligationem status religiosi. Omnia autem hæc intelliguntur cum illo addito, si commode fieri potest, in quo duo continentur; vnum est vt recursus ad superiorem, vel Papam non sit adeo difficilis, vt moraliter possit reputari impossibilis: quia nemo cum tanto onere obligatur ad facultatem procurandam, præsertim quando aliunde

*Quomodo licentia superior danda.*

aliunde obligatio naturalis vrget. Aliud est, vt non sit periculum in mora, alioqui illud non esset morale remedium. Dixi etiam, *si de dimittenda religione agitur*; quia si alijs remedijs occulte potest religiosus suum habitum, & statum retinens necessitati parentis subuenire, facilius poterit id agere petita facultate, & nõ obtenta à proximo prælato, sine recursu ad superiorem, vel interim dum ab eo conceditur, quia hoc neque ita spectat ad substantiam religionis, neque dirimit votũ obligationem, quod à fortiori ex sequenti assertione constabit.

His ergo positis quarta pars assertionis, scilicet, quando aliud remedium non supereſt, posse, & debere huiusmodi religiosum subuenire parenti, etiam sine licentia prælatorum, & relicta religione, si medium necessarium sit, videtur mihi sufficienter probari rationibus factis pro tertia sententia, & in initio dubitationis, quibus nihil addendum occurrit. Addidi vero duas circumstantias, quę omnino seruandę videntur. Vna est vt scandalũ non sequatur; nam hoc semper præfertur alijs obligationibus particularibus, dummodo verum scandalum sit, & graue, quodque alia ratione vitari non possit, quod prudentis viri iudicio in particulari iudicandum est. Alia est, vt id fiat sine notabili indecentia religiosi status, nam hoc ex suo genere maius malum est, quam detrimentũ temporale parentis, magisque spectat ad Dei honorem illud vitare; & religiosus ex vi sui status speciali obligatione tenetur illud cauere. Et quantum ad hoc nõ refert quod inique, vel cum iniuria parentis acceperit illum statum, quia illa culpa non debet redundare in graue detrimentum religiosi status, seu totius religionis: maxime cum illius iniuriæ particeps non fuerit.

Sed supersunt duæ obiectiones. Prima est, quia si quis donauit pecuniam, v.g. eo tempore, quo debitũ soluere tenebatur, & ideo impotens factus est ad soluendum, quamuis & ipse dando, & alter accipiendo peccauerit; nihilominus donatio valida est, & q donauit, non potest sua auctoritate pecuniam iterum arripere, neque alius eam dare tenetur: ergo similiter in præsenti.

Secunda obiectio est, nam si alius filius clericus ordinetur eo tempore, quo eius pater illius ope, & auxilio indigebat, quod non potest in clericatu præstare, ita vt ponamus, vel fingamus in suscipiendis ordinibus grauiter peccasse filium ob dictam causam, nihilominus non teneretur postea talis filius clericatum deserere, & militiam, vel artem medicam exercere, vt patri subueniat, quamuis in clericatu nõ possit, sed solum tenetur intra suum statum agere quod potuerit: ergo similiter, &c.

Ad priorem partem respondetur primo negando assumptum, si in exemplo seruetur proportio, scilicet, quod accepiens talẽ pecuniam, per se loquendo, iniuriam faciat creditori, eam acceptando, nam cum ea ratione iniuriæ, & cooperationis ad damnum alterius, restituere tenebitur: sed de hoc alias. Secundo, quidquid sit de veritate exempli, negatur similitudo, quia in debito reali non res ipsa, sed tãtum persona ipsa est obnoxia tali obligationi, & ideo quãuis res detur, non transit cum illa obligatio: at vero obligatio ad parẽtes inest ipsi personæ, & ideo quando ipsa persona se donat religioni, cũ illa transit obligatio. Vnde si filius existente patre in graui necessitate, donaret monasterio res suas, quibus tenebatur ex præcepto subuenire patri, licet peccaret, donatio esset valida, nec posset postea reuocari, quia non esset simpliciter contra iustitiam, sed contra charitatem, & quia obligatio non inest ipsi rei, sed redundat in eam ratione personæ; ideoque postquam separatur à persona, nullo modo manet obnoxia obligationi: at vero persona filij quantumcunq; se tradat, non potest à se separare illam obligationẽ. In quo est etiam considerandum pecuniam, v. g. non esse sub actuali dominio creditoris, sed debitoris (in eo enim casu loquimur) & res, quibus filius teneretur subuenire parenti, non sunt etiam sub actuali dominio parentis, sed filij: at vero ipse filius est quodammodo sub actuali dominio, seu iure parẽtis, nam immediatum ius parentis est in ipsum, & non res eius, & ideo semper ipsum comitatur talis obligatio.

Ad secundam obiectionem respõdetur, eo exemplo confirmari vltimã partem conclusionis. Quamuis enim casus ille moralis non videatur, illo tamen admisso, dicendum est clericum illum teneri ad subueniendum parenti in primis in his rebus, vel reditibus, quos titulo, & ministerio clericali obtinere potuerit; quod si non sufficiant, tenebitur etiam proprijs manibus laborare, exercendo actum non repugnantem, neq; indecentem statui clericali: ad actiones autem repugnantes, vel non decentes statui, non tenebitur, quia etiam filius nobilis, nõ cogetur mendicare, vt subueniat parenti; potest enim vnusquisq; consulere decentiam sui status; clericus autem (& idem de religioso) non solum potest, sed etiam debet, quia per hoc non consulitur principaliter personali honori eius, sed totius ordinis, seu religionis. 15. *Respõsio ad secundam.*

## *Quæ sit obligatio filij subueniendi parenti in grauem necessitatem post eius dem filij professionem incidenti.*

Dico secundo, quando filius professionem fecit antequam pater in necessitate existeret, & postea necessitas suborta est, teneturne illi subuenire, seruato suo statu, & substantiali ordine religionis, non tamẽ potest eam ob causam mutare statum sine legitima facultate Pontificis, aut suorum Prælatorum. Probo singula. Et in primis quod teneatur subuenire, omnes Doctores sine dissensione docent. Et à fortiori probant quæ dicta sunt in prima assertione; & inde sequitur teneri huiusmodi religiosum ad petendã facultatẽ ad ea media adhibenda, quę sufficiãt, non vero debere maiorem libertatem expetere, q̃ ad prædictum finem necessaria sit. Quod explicãdum est eodẽ modo, quo in superiori assertione, qa quoad hæc omnia nulla est ratio differẽtię inter hos duos casus. 16. *Secunda resolut. duas partes continens.*

Difficultas autem esse potest, an prælatus in eo casu teneatur facultatem dare, sicut in præcedenti. Et quidem si necessitati parentis subueniri possit per media, quæ ab ipso religioso, retento habitu, & intra religionem manente, decenter, & sine notabili grauamine religionis, ac sine morali periculo ipsius religiosi, adhiberi possunt, nullus prudens dubitabit, quin teneatur prælatus talem facultatẽ dare, quia & charitas illum obligat, cum & proximus sit in graui necessitate, cui vnusquisq; tenetur subuenire ex superfluo, & multo magis non impedire licitam subuentionem alterius. In hoc autem casu actiones illæ, quibus talis religiosus potest subuenire parenti suo, dici possunt quasi superfluæ ipsi religioni, & prælato; tenebitur ergo ex charitate per illas subueniẽ parẽti eius, vel saltem non impedire quominus ille subueniat. Imo videtur etiam teneri ex iustitia, quia pater habet hoc ius in filium, vt saltem iuxta modum possibilem, & commodum statui illi subueniat: ergo iniuriam ei facit hoc impediendo. 17. *Difficultas an prælatus teneatur facultatem dare.*

Dubium vero supereſt quando necessaria est facultas diu viuendi extra monasterium, vel etiam dimittendi habitũ, vel certè si intra monasterium, necesse sit priuare monasterium vtilitate aliqua, quæ ex actionibus religiosi in ipsum redundabat; an teneatur tunc prælatus dare talem facultatem? In quo Nauarr. d. ct. Comment 3. de Regular. numer. 49. negat 18.

prælatum teneri in hoc secundo casu, ad dandã hanc facultatem, licet in priori teneatur. Nullam vero affert rationem, suaderi tamẽ potest, quia nec tenetur ex iustitia, nec ex charitate. Primum patet, quia religio acquisiuit ius absolutum in talem personam, sine vllo onere, vel debito iustitiæ, vt supra explicatum est, & alioqui pater non haberet ius in filium, qui iam mutauit statum; cum detrimento vero ipsius status, vel cum læsione eius, cui est acquisitum ius per talem statum, non tenetur subuenire; sed solum ad ea quæ statui non repugnant aliquo ex dictis modis. Nec etiam tenetur ex charitate, quia iam illa subuentio non est ei superflua, sed est veluti abscissio membri corporis ad subueniendum alteri; vel est ex actionibus necessarijs, seu valde commodis suo monasterio. Alij nihilominus censent teneri prælatum ad dandam huiusmodi licentiam, dummodo aliud detrimentum religioni non sequatur, nisi carere ad tempus vtilitate talis personæ; quia hæc non est res tanti momenti, vt propter eam impediri debeat naturalis obligatio subueniendi parenti. & quia filius religiosus debet subuenire parenti, nihil agendo contra statum suum, exire autem ad tempus propter talem causam, & cum debita facultate, non est contra statum: ergo non habet prælatus rationabilem causam negandi talem facultatem.

19. Mihi prior sententia simpliciter ac moraliter loquendo videtur verior, quia ratio facta efficaciter probat, non esse hanc obligationem iustitiæ. Ad obligandum autem ex charitate oportebit, vt sine incommodo religionis, & quasi ex superfluo possit illa subuentio fieri, quod moraliter dici non potest, præsertim quando necessarium est religionem egredi, vel retento habitu, vel relicto, quia in vtroque solet esse magnum dispẽdium religionis, & ideo existimo nunquam ad hoc teneri. At vero si incommoditas religionis tantum esset priuari aliqua vtilitate temporali, vt, v.g. eleemosynis missarum religiosi, vel aliquibus operibus artis, quæ ab eo fieri possent, & essent pretio æstimabilia; tunc considerare oportebit, an illa vtilitas sit veluti superflua monasterio quod alias diues est, vel copiosas habet eleemosynas, vnde alatur. Quod si ita sit, tenebitur ex charitate ob generalem quidem obligationem eius, specialiter tamen applicatam in hoc casu propter specialem coniunctionem personæ indigentis ad religiosum, qui est membrum talis monasterij, & propter specialem obligationem ipsiusmet religiosi, quam non debet impedire prælatus si commode potest.

20. *Probatur secunda pars resolutionis tradita.* Ita ergo exposita prior assertionis pars satis probata est ex dictis in præcedenti assertione. Altera vero, in qua cum doctoribus tertiæ opinionis differentiam inter hunc & præcedentem casum ponimus, & primam opinionem amplectimur, ex fundamentis circa illas opiniones adductis, satis probata videtur. Solum superest pauca in particulari declarare: nam in religionis statu quædam sunt principalia, quæ ad substantialem, vt sic dicam, obseruationem eius pertinent, quale est habitum religionis retinere, sub actuali obedientia prælatorum eius viuere, intra claustrum permanenter habitare, & similia. Alia sunt magis particularia & secundaria, vt obseruantia huius vel illius cæremoniæ, aut regulæ, cuius transgressio non est directe cõtra substantiam status, aut alicuius voti. Cum ergo dicimus non posse religiosum contra voluntatem prælati, & religiosum institutũ subuenire parenti in necessitate post professionem subortã; id intelligendum est, quando ad eum finem necessarium est, religionem deserere, ac præcumpere in his, quæ ad priorem ordinem spectant, quod in conclusione explicamus illis verbis, *seruato statu, & substantiali ordine religionis*. Et ratio ex dictis est, quia contrarium agendo censetur quis retrocedere, & apostatare statum religiosum, & occupare iterum quod Deo absolute tradiderat, quod est veluti alienum furari ad subueniendum existenti in graui necessitate, quod nec propter parentem licet, & maximè furto sacrilego, quale est illud quod committitur vsurpando rem semel Deo dicatam, iuxta regulam iuris in 6. *Semel Deo dicatum non est ad vsus humanos vlterius transferendum.* Item, quia ostensum est superiorem non teneri ex iustitia ad dandam hanc facultatem: ergo potest iuste violenter cogere subditum, vt non egrediatur, vel aliquid simile faciat ad subueniẽdum parenti: ergo è conuerso nõ potest subditus licite id facere inuito prælato, alias esset bellum iustum ex vtraque parte, non fundatum in ignorantia, neque in alia probabili excusatione alter us partis, q̃ repugnat. Nec vero tunc filius omittens parentem in eo statu agit contra quartum Decalogi præceptum, quia est impotens ad subueniendum illi, cum iam non sit sui iuris, & quia præceptum illud cum affirmatiuum sit, solum obligat pro capacitate, & possibilitate status, in quo filius inuenitur eo tempore quo occurrit patris necessitas.

21. *Instantia pro parte affirmatiua.* Dices, Filius naturali vinculo, non solum habet obligationem ad patrem quasi ad quendam creditorem, sed tanquam ad eum sub cuius dominio est, & è conuerso pater non solum habet ius ad filium, vt sic dicam, sed in filium, tanquam in rem aliquo modo suam: ergo nunquam potuit filius se ipsum ita tradere religioni, quin illud ius paternum integrum maneat, & consequenter pro suo tempore obliger. Tale est enim illud ius, vt licet sit perpetuum, vsus eius non sit perpetuus, sed pro certis temporibus, & cum certis circumstantiis. Et comparari potest cum iure seruitutis, quod quis potest habere in domum, v.g. ad habitandum in illa, in hac, vel illa occasione, si occurrerit: quantumcunque enim Dominus domum vendat, aut donet, secum ferre debet illam seruitutẽ: hæc ergo obligatio filii ad parentem est veluti quædam seruitus: non videtur ergo posse extingui, aut diminui propter quamcumq; voluntariam traditionem ipsius filii. Confirmatur primo, quia hoc principio vsi sumus supra in priori assertione ad probandam illam; ad illud autem parum referre videtur quod necessitas parentis actu iam esset, quando facta est professio; nam actualis necessitas non præbet parenti maius ius radicale (vt sic dicã,) sed præbet quasi actualem vsum eius; & ideo non minus videtur obligare filium quando postea exoritur necessitas, quã cum præcessit. Confirmatur secundo, quia esto possibilis sit hic modus contrahendi cum religione, videtur tamen nimis durus, & parum consentaneus fini, & perfectioni religionis, & ideo nec videtur hæc esse intentio profitentium, nec Ecclesiæ instituentis, vt approbantis statum religiosum. Quid enim derogat religioni, aut perfectioni, quod traditio quæ in religione fit, intelligatur facta sub hac conditione, vt ius paternum illæsum seruetur, ideoq; semper filius teneatur subuenire parenti grauiter eius ope indigenti; ac proinde religio etiam teneatur ei facultatem dare, vel si iniustè neget, ipse liberè possit eam accipere.

22. *Et probatur hæc opinio.* Hæ difficultates ostendunt hanc sententiam non esse adeo certam, quin contrariæ probabiles sint. Nam prima & tertia apparenter suadent secundam opinionem: secunda vero obiectio impugnat distinctionem tertiæ opinionis, quam nos sequimur. Nihilominus ad primã respondetur, parentem habere quidẽ naturali titulo ius in filium, non tamẽ semper idem, & inuariabile, quia filius ipse immutabilis non est, sed successione temporis variationem recipit, tum in ætate, & consequenter in libertate: tum etiam in

, in statu. Constat autem euidenter maius ius habere pater in filium infantem, quam in iam adultum, & maius ante puberratem, quam post illam, præsertim intercedente positiuo iure. Et eodem modo maius etiam habere ius in filium ante emãcipationem, quam in iam emancipatum. Item (sicut supra argumentabamur) per cõiugium filij quodammodo minuitur ius patris in ipsum, quia iam incipit esse alterius, & idem est de statu seruitutis. Ita ergo in præsenti dicimus de statu religioso, qui est quidã status seruitutis. Nõ ergo obstat vt ius patris in filium sit à natura datum, quia naturalia etiam iura variantur, variatis materijs, seu obiectis eorum. Propriè ergo loquendo, non priuat filius parentem aliquo iure sua voluntate, sed mutat statum, quo mutato ius etiam ipsum paternum aliquo modo mutatur, & statui accommodatur: est enim hoc ius veluti relatio, quæ variato termino, variatur. Et ideo non fit recta comparatio cum seruitute prædij, aut domus, quando res illa, quæ seruituti subiecta est, quasi immutabilis perseuerat, teneret autem similitudo, si res illa variabilis esset, sic enim de facto contingit secundum varios status eius, etiam ius seruitutis variari: nam res quamdiu fructifera est, subiecta est tali pensioni, quę cessat, si fiat sterilis.

Quod vero status religionis non solum huiusmodi esse possit, sed etiam sit, probatur tum ex eius excellentia, tum ex absoluta forma viuendi & se tradendi, tum ex testimonio grauissimorum Patrum, qui in hoc negotio ad eos maximè pertinẽte, videntur testes omni exceptione maiores: huiusmodi sunt Basilius (cuius sine dubio hæc fuit mens,) D. Thom. Caiet. & alij supra citati. Nec videri debet dura hæc conditio in hoc spirituali matrimonio, cum in carnali non videatur, maxime cum non deobligetur religiosus filius subuenire parenti modo suo statui accommodato; qui, regulariter loquendo, est sufficiens, nec propter raros euentus mutandus, aut diminuendus fuit status religiosus, aut perturbationibus subiciendus; ex quo maiora sequerẽtur incommoda, quam ex prædicta cõditione talis status sequi valeãt. Et ideo falsum est, non pertinere ad maiorem perfectionem huius status, quod sub hac lege, & perfectione institutus sit; per quod ad secundam etiam confirmationem responsum est.

14. Prima ergo confirmatio, vt dixi, non tam impugnat hanc conclusionem, quam superiorem, & distinctionem datam. Vnde qui indistincte deberet primam tenere sententiam, concederet totum illud, quod in confirmatione sumitur, & probabiliter responderet, quamuis peccet filius profitendo, quando pater in graui necessitate esse supponitur, peccasse quidem contra charitatem, nihilominus tamen fatum tenuisse, & statum filij fuisse mutatum, & consequenter ius paternum fuisse variatum, & obligationem filij diminutam, quia ex priori culpa, cum solum contra charitatem fuerit, non manet obligatio nisi à pœnitente agenda. Nihilominus sententia posterior semper magisque pietati consentanea videtur, quia non est fauor religionis defendere id, quod cum impietate fit, neque est rationabile, vt fraus & dolus alicui patrocinẽtur. Dico ergo culpam illam non tantum esse contra charitatem, sed etiam contra pietatem, cuius obligatio in respectu ad alterum deficiat à formalitate iustitiæ, in rigore, & excellentia obligationis superat illam, & ideo non minus obligat ad reparandum damnum illatum, quã quæcommissa est enim similis ratio seruata proportione. Quocirca quamuis mutato statu filij ius etiam paternum mutetur, si autem illa mutatio facta est cum actuali iniuria patris, cessat ratio talis mutationis ex parte patris, quia non in grauamen eius, sed illius qui talem iniuriam intulit, debet illa mutatio redundare. v.g. si res aliqua esset subiecta certæ pensioni quãdiu esset fructifera, vel vtilis, & dominus talis rei per malitiam, vel iniuriam eam redderet inutilem, non liberaretur obligatione soluendi pensionẽ, sed quod videbatur cessare ex mutatione rei ratione iniuriæ, seu modi, retineretur: ita ergo in præsenti dicimus filium ratione iniuriæ paternæ quasi reincidere in obligationem, qua per mutationem status auferẽda videbatur, seu, quod perinde est, non quamcunq; mutationem talis status, sed illam quæ sine iniuria patris fit, sufficere ad ius paternum variandum.

Obiici tamen potest ex prima conclusione contra hanc secundam ex illo principio D. Thom. & communi, illud impedimentum, quod à principio impediret votum, excusare postea ab obligatione eius; sed necessitas parentis, si antea existeret, impediret obligationem professionis; ergo postea exorta excusat ab eadem. Respondetur tamẽ primo, illud principium habere locum in votis simplicibus, non vero in professione, quia illa continent puram promissionem, hæc addit traditionem: multa autem impediunt, & excusant ab obligatione promissionis factæ, quæ nullam habent efficaciam, si donatio, & traditio iam facta est, vt in superioribus etiam diximus cum communi sententia, ita respondet Cordub. loco infra citando. Addo vero vlterius illud principiũ non semper habere locum in impedimẽto, quod à principio existens, reddit quidem votum illicitum, non tamen nullũ, quia tunc nõ semper cessat obligatio eius, nisi specialis ratio intercedat: hic autẽ professio non est nulla ratione talis impedimẽti. Denique dicere possumus, illud esse verũ si cætera sint paria, vel si sit eadem proportio, quãdo impedimentũ antecedit, vel subsequitur, q̃ in p̃senti non ita est, vt satis declarauimus. 25. *Obiectio.* *Respondetur.*

Superest solum dicendũ de secundo genere actionum, quæ retento religioso statu, & substantiali ordine eius fieri possunt in subsidium patris indigentis. De quibus dubitari potest, si ad illas etiam denegetur facultas à superiore an possit, vel debeat filius illas efficere contra voluntatem prælati. In quo in primis supponendum est, nihil esse agendum cum scandalo, vel cum offensione religionis, quia hæc maiora sunt mala, & ideo si prohibitio prælati publica sit, ordinarie non licebit publice agere contra illam, quia non fit sine scandalo, neque sine graui offensione, multoque minus licebit per vim aliqua conari contra præceptum superioris. Difficultas ergo solum est, an occulte, & caute possit in eo casu subuenire parẽti. In quo ego absolute & simpliciter censeo, licite posse. Quia vero non in omnibus est æque certum, distinguamus duplices actiones. Quædam enim sunt directè contra regulam, ad quas propterea necessaria est prælati dispensatio, quam concedere non vult, vt esse potest, v.g. petere ab amico eleemosynam, vel in religioso Minori erit manibus accipere pecuniam, & sub hoc ordine comprehenduntur actiones quæ factæ sine licentia essent contra votum, vt vendere libros, & pecuniam dare alicui. Aliæ sunt actiones quę non sunt directe contra regulam, nec contra votum, etiamsi absque licentia fiant, sed licentia requiritur propter bonum ordinem. 26. *Vltima difficultas.*

Quoad has ergo posteriores actiones certum censeo posse fieri in eo casu, vel licentia non petita, si nõ sit moralis spes eius, vel etiam denegata. Ratio est, quia tunc immerito, & fort. esse etiam iniuste denegatur, & alioqui ius paternũ viget. Item, quia ex duobus malis minus est eligendum; tunc autẽ detrimentum paternum graue est, religionis autem nullum, vel ferè nullum, quia regula non violatur, & ita in rigore nihil fit contra ius acquisitum religioni per 27.

professionem. Dices fieri contra regulam, quæ licet non prohibeat simpliciter actionem, prohibet tamen sine licentia fieri. Vnde etiam sit contra ius prælati, quod habet vt sine sua voluntate id non fiat. Respondetur regulam postulare licentiam, vel dandam, vel secundum rectam rationem debitam. Quod maximè verum est quando illud opus subest altiori obligationi naturali, quæ alioqui religioni non opponitur: & ideo nec fit contra regulam, nec contra ius superioris, quia tunc nō vtitur iure suo, sed abutitur. Quapropter etiamsi prælatus in hoc casu, non solum facultatem neget, sed etiā sub precepto prohibeat, ne religiosus aliquid huiusmodi faciat in subsidium patris, non tenetur religiosus ei obedire, quia præceptū plane iniquum est, & inualidum. Oportet tamen vt ius religiosi, seu parentis sit clarum, & certum: nam in dubio superiori fauendum est, vt est generalis regula. Deinde timendus est nimius, vel inordinatus affectus ex parte filij; & ideo non solum suo iudicio, sed prudentum consilio, & qui priuata affectione careant, gubernetur.

28. At vero de alio genere actionū Cordub. in summ. q. 141. (vbi hanc materiam latius quam alij disputat) sentit non esse licitum, quia illud iam est agere contra regulā, quam professus est, & exemplum ponit in religioso S. Francisci, qui pecunias acciperet. Mihi tamen nimis scrupulosa hæc sententia videtur, si pro generali regula accipiatur: nam quamuis regula id prohibeat, propter talem causam potest ita postulare iustam dispensationem, vt prælatus teneatur illam petenti concedere: ergo si iniustè deneget, licebit occultè, ac sine scandalo ita operari propter eādem necessitatem; nam licet materialiter videatur tunc fieri contra regulam, non tamen verè, ac formaliter, quia tunc ex epiikia, non censetur talis regula obligare. Confirmatur ac declaratur, nam si religioso S. Francisci occurreret occasio subueniendi parenti reuera grauiter indigenti, accipiendo pecuniam, & tunc nō habet opportunitatem accedendi ad superiorem, & occasio sit talis, vt si illam amittat, non habeat moralem spem alterius similis, nonne poterit tunc ille secum ipso (vt sic dicam) dispensare, vel proprius interpretari hic & nunc eam regulam non obligare? Quia quod pro charitate institutum est, contra charitatem seruari non debet, vt Bernar. dixit, & quia vero similiter iudicat prudentem prælatum si ibi adesset, fuisse dispensaturum. In eo igitur casu sine dubio licebit talis epiikia; ergo quamuis petita fuerit à superiore dispensatio, & iniustè illam negauerit, si de hoc manifeste constet, vt semper supponimus, id non obstabit, quo minus eadē epiikia vti liceat. Probatur consequentia, tum quia iniusta negatio dispensationis non potest facere, vt lex magis obliget, quā ex se obligaret; nec potest tollere quin interpretatio illa ex se iusta sit, & conformis intentioni legislatoris: tum etiam, quia perinde est habere prælatum abutentem sua potestate, & iniustè nolentem vti illa, cum possit & debeat, ac non habere copiam prælati.

29. *Regula vniuersalis in hoc dubio.* Quocirca pro regula in hoc puncto ego assignarem, si iudicio prudentum prælatus iniuste agit, non dispensando, posse religiosum subuenire in illo casu parenti, si potest occultè sine scandalo, quia reuera non agit contra statum suum. Si vero casus non est talis vt prælatus obligetur ad dispensandū, tunc non censeo posse fieri ipso denegante dispensationē, quia tunc est vehemens argumentum, obligationem regulæ per se non cessare, neq; habere tunc locum prædictam epiikiam, & ideo non licebit agere contra regulam, quam alias supponimus obligari sub morali, nam si minor esset obligatio, non posset esse dubium quin in eo casu cessaret. Non possumus autem in vniuersum dicere prælatum iniustè agere negando talem dispensationem, quia materia regulę potest esse adeo grauis, & iuxta morem, & institutum religionis, vt talis dispensatio censeatur cedere in magnū dispendium religionis, & ideo prudentis viri arbitrium in particulari necessarium existimo. De illo autem casu (vt ex illo ad alios fiat coniectura) scilicet quod monachus S. Francisci pecunias recipiat, non existimo tem esse tam grauem, quin secluso scandalo, in eo casu liceat: suppono enim ibi non agi contra substantiā voti, quia non intelligitur tunc monachus accipere pecuniam, vt eius dominium, seu proprietatem, imo nec liberum vsum habeat, sed solum vt sit veluti quidam minister, per quem dominus pecuniæ illam parenti tribuit, seu ad vsum eius; hoc enim sufficit ad succurrēdum necessitati eius: solum autē illi monacho licet quod ad eum finem necessariū est. Solum ergo potest ibi esse violatio regulæ, quoad materialē, vt ita dicam, contractionem pecuniæ, illam apud se habendo dum patri eam tradit, vel in vtilitatem eius eam expendit. Hæc autem non videtur esse res adeo grauis, neq; ita pertinens ad rigorem, & integritatem religionis, quin propter tam grauem necessitatem, & obligationem pietatis, cesset illius obseruantiæ obligatio, quamuis alioqui sancta. & valde religiosa sit. Et per hæc responsum est sufficienter fundamentis secundæ opinionis, nam cæteras non existimamus doctrinæ à nobis datæ in superioribus esse contrarias.

## *Quid de parente respectu filiorum, ac de fratribus dicendum.*

Ex his constat quid dicendum sit de parente respectu filiorum: nam generalis regula statuenda est, ad omnia ad quæ in prædicto casu tenetur filius respectu parentis, teneri parentē respectu filii, quia quoad hoc maior est, magisq; per se obligatio parentis ad filium, vt supra visum est. Vnde hic specialiter addo in parente probabilissimam esse sententiam quæ asserit tenere absolute & simpliciter ad succurrendum filio grauiter indigenti, etiamsi in principio licite profusus fuerit, illi sufficienter prouidendo, si, hoc nō obstante, filius postea in grauem necessitatem incidat. Quia obligatio parentis ad alendum filium est per se, & ideo videtur non variari. nec mutari, etiam ratione status religiosi assumpti. Maxime autem posset hoc defendi respectu filii nondum emancipati: nam per emancipationem sine dubio magna ex parte extinguitur obligatio parentis, quia iam videtur functus munere suo; postea vero solum manet naturalis obligatio, quæ ex casu necessitatis oriri potest, & ita quoad illum satis est quod eius obligatio sit quasi reciproca, & æqualis. Respectu vero filii non emancipati magis videtur vrgere dicta ratio. Sed nihilominus non videtur sufficiens ad faciendam exceptionē, nam quando pater licite profitetur, supponitur sufficienter prouidisse filiis, vsque ad emancipationem, & ideo si necessitas postea suboritur, est per accidens: satis ergo est quod in eo casu ita obligetur parens ad filium, sicut filius ad parentem. 30.

Vltimo interrogari potest, quid in hoc dicendum sit de fratre respectu fratrum, vel sororum. Sed ad hoc quantum attinet ad impediendam professionē, idem dicendum est quod de primo ingressu diximus. Post professionē vero iam factam etiamsi fingamus peccatum aliquod in ea interuenisse, nulla potest esse obligatio succurrendi fratribus cum detrimento, vel diminutione status religiosi; quia illud vinculum ad summum obligat ex charitate, & non cum tanto rigore. Vnde D. Thom. & auctores ferè nullam mentionem illius faciunt; intra religionem vero seruato ordine eius, manebit obligatio charitatis maior, quā ad alios proximos, quanto est maior con unctio. 31.

CAPVT

## CAPVT X.

### *Vtrum ad professionem necessaria sit libertas à quocunq; debito, vel vinculo. Et ad quid postea teneatur, qui debitis obnoxius profitetur.*

HÆc quæstio eadem proportione, qua præcedens, expedienda est. Et in primis, supponenda sunt, quæ superius de primo ingressu diximus: tunc enim alia debita, vel obligationes impediunt facere professionem, quando primum ingressum iuste impediunt. Si vero primus ingressus propter talia debita non impeditur, nec professio impeditur: nam hæc duo quoad hoc tanquam vnum reputantur, cum vnum sit propter aliud. Quando vero propter hæc debita impediatur homo à religione, supra tractatum est. Hic ergo solum addendum est hoc impedimentum, licet aliquando tale sit, vt reddat illicitam professionem, nunquam vero irritat illam. Itaque licet aliquis sit obnoxius rationibus reddendis, vel multis debitis soluendis, & ideo non possit licite professionem emittere in religione, aut ad eam recipi, nihilominus si profiteatur, valida erit professio, ita docuit in specie Nauarr. consil. 3. de Regular. *secundum notata*, inquit, in rubric. & cap. 2. de obligat. ad ratiocin. Ratio est eadem quæ sæpe tacta est, quia talis professio non est irrita ex iure naturæ, vt sæpe probatum est: nam quoad hoc eadem, vel fortior ratio hic interuenit, quam in debito filii, aut coniugis; neque etiam est prohibita aliquo iure positiuo, nullum enim asseri potest. Nam quamuis Sixtus V. in quodam motu proprio inhabiles redderet ad religionem, & irritam faceret professionem illorum, qui magno ære alieno oppressi, aut ad ratiocinia etiam grauia reddenda essent astricti; præsertim si non haberent facultates, quibus se ab his debitis haud difficile possent exonerare; nam si illas haberent, nec eorum religionis ingressus, nec professio per illum motum proprium impediebatur. Quamuis, inquam, per hanc Sixti constitutionem inhabiles ad religionem, & eorum professio irrita censeretur, qui his debitis essent obnoxii: postea tamen Clemens VIII. alio motu proprio, anno 1602. edito constitutionem Sixti moderatus est quoad hoc, vt professio illorum valeret, quoad illicitam vero receptionem eorum, & pœnas recipientium in suo vigore eam reliquit, vt tam supra lib. 5. c. 6. ad finem notauimus.

Tota ergo difficultas quæ superest est circa secundam partem quæstionis, an si de facto profiteatur huiusmodi debitor, post professionem teneatur laborare, vel quærere vnde soluat. In quo puncto non videtur posse dubitari, quia si in principio licite professus fuit, non obstante debito, postea non tenetur egredi ad soluendum debitum: imo nec ad hoc petere licentiam, neq; illam acceptare, quamuis offeratur: nam si à principio idem debitum non potuit impedire licitam professionem, quomodo poterit postea obligare ad egressum? cum turpius egrediatur religiosus, quam in seculo sine professione antea maneret. Dices fieri posse, vt antea non posset in seculo securus manere propter periculum, postquam vero iam religiosus est, & per aliquot annos in virtute exercitatus, possit sine periculo exire, & satisfacere creditoribus. Respondeo concedendo accidere posse, vt illa ratio excusationis cessauerit, tamen occasione illius aliæ grauiores exortæ sunt, quæ vel eandem excusationem conseruant, vel potius debitum extinxerunt, vt à fortiori ex dicendis constabit.

Solum ergo dubitari potest, an in eo casu teneatur debitor iuxta monasterium, vel propriis manibus laborare si possit, vel aliis mediis licitis procurare, vnde suis creditoribus satisfaciat, vel petendo eleemosynam, vel ex his quæ ad proprium vsum sibi à religione conceduntur, aliquid cum licentia subtrahendo, &c. Videtur enim ex dictis in superiori puncto sequi ad hoc obligari, quia filius religiosus sic obligatur patri: ergo & debitor creditori, quia hæc etiã est obligatio naturalis, & iustitiæ, quæ obseruãda est, quando religioni non repugnat, vt in casu prædicto. Atq; ita sentit Maior in 4. d. 38. q. 17. qui consequenter ait teneri prælatum ad dandam huiusmodi facultatem tali religioso, quod etiam sentit Palat. 16.

Nihilominus probabilius censeo in eo casu nullã specialem obligationem iustitiæ manere in creditore, sed per professionem omnino extingui debitum, & obligationem. Ita sentit D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. & Palud. in 4. d. 38. q. 3. art. 2. concl. 3. Supplem. q. 2. art. 3. concl. 3. Sylu. *religio* 2. q. 4. Angel. verb. *religiosus* nu. 7. Tabiena n. 12. Armill. nu. 5. Ratio est, quia professio religiosa habet vim extinguendi talem ciuilem obligationem, nam si per eam homo ciuiliter moritur, quid mirum quod etiam ciuiles obligationes eius extinguantur. In quo est magna differentia inter illam obligationem, & hanc quæ est ad parentem, quod illa ciuilis est, hæc vero naturalis, illa est quasi seruitus, & veluti personæ inest, hæc vero vel magis cadit in res ipsas, vel si redundat in personam, solum est obligatio quædam in futurum quæ extinguitur cum persona desinit esse sui iuris. Vt si quis in statu libertatis existens, esset debitor, & postea in seruitutem iustam redigeretur, præsertim sine sua culpa, iam nihil soluere teneretur, quia nõ habet vnde soluat. Et confirmatur ac declaratur, quia omnes actiones religiosæ, & quidquid ex eis resultare potest, sunt religionis, & ideo ipse nec tenetur, nec potest ex illis soluere sine voluntate superioris, nec religio tenetur eam dare se priuando suo temporali commodo, quia ipsa nihil debet, nec obligario personæ transibit in illam ex vi solius professionis; quia suppono ipsam nõ acceptasse, nec se voluntarie obligasse ad tale debitum, nam tunc ipsa teneretur soluere ex nouo titulo, siue ex actionib. religionis, siue aliunde: suppono etiã non accepisse simul cum persona bona temporalia eius, alioquin iam talis persona non fuisset impotens ad soluendũ, vt supponitur, & tunc ipsa religio ratione talium bonorũ potius quam ipse religiosus teneretur, nec religiosus potest soluere ex lucro suarum actionum defraudando religionem. Si quid vero ei conceditur in proprium vsum, durissimum est, eum obligare ad soluenda inde debita, quia illa vix solet esse sufficientia ad commoditatem humanam, & ad decentiam status; nemo autem cogitur restituere ex his, quæ ad transigendam vitam, & ad decentiam status sibi necessaria sunt, præsertim si absq; culpa, in eo statu constitutus est. Neque etiam cogendus est religiosus ad mendicandum, vt soluat talia debita, quia hoc est grauissimum onus, quod aliis hominibus cõmuniter non imponitur, neq; ipse ad hoc teneretur in seculo manens; non est autẽ obligatio aucta propter statum religiosum. Quod si contingat religiosum venire ad eum gradum, in quo multa habet ad suum vsum superflua, de quibus ex facultate superiorum libere potest disponere, probabile est tunc teneri ad soluendum, & non seruare rectum ordinem, si ea potius gratuito donet, vel in alios supernacaneos vsus expendat. Ego vero etiã in casu non censeo obligari ex iustitia, propter primã rationem fundamentalem, quod per talẽ statum extinguitur omnis huiusmodi cura, & obligatio. Et quia hoc est per se conueniens tali statui, vt religiosus omnem hanc curã & solicitudinẽ deponat. Quod autẽ in aliquo casu habeat illam rerum copiam, & vsum, est per accidens.

Superest vero dicendum de alio casu, in quo huiusmodi debitor peccat grauiter contra iustitiam respectu

*Probabilior sententia negat.*

*Secunda difficultas.*

*ad quid teneatur si illicite professus sit.*

spectu creditoris profitendo, quia nimirum tenebatur expectare, donec prius solueret: supra enim diximus tales posse esse circumstantias, vt insit hæc obligatio. In illo ergo casu quidam dicunt teneri ad soluendum vel intra religionem, si possit, vel relicta religione, si necesse sit ex facultate quidem superioris, si eam possit obtinere, vel si non possit, etiam sine illa. Ita sentit Nauarr. Comment. 1. de Regular. n. 7. & Comm. 2. n. 42. & 47. & Palat. supra, Medin. Cod. de Restit. q. 3. art. 8. ad 5. Angles de Restit. art. 2 difficult. 9. dub. 6. & videtur sequi ex dictis cap. præcedenti; quia hic fecit iniuriam creditori profitendo; ergo per talem iniuriam nō potest liberari à debito, quo tempore ipsi ipsimet professionis tenebatur. Item quia nō potuit se donare nisi cum onere quod tunc acta habebat. Item quia posterior obligatio, cum iniuria facta non potuit præiudicare priori, cap. *veniens*, & cap. *intellecto*, de iureiur. Item quia votum factum cum iniuria tertii, non obligat ad suam obseruantiam, quantum ad eam partem, in qua est iniuriosa, vt patet de voto coniugis, & de professione serui. Denique omnes rationes factæ in superiori puncto videntur hic posse accommodari.

6. Alij per contrarium extremum sentiunt post factam professionem, non teneri huiusmodi religiosum ad soluendum tale debitū, neq; egrediendo religionem, neq; intra illam. Ita sentiunt Palud & Supplem. locis supra citatis, & Sylu. religio 2. q. 4. Verum est hos auctores, non distinguere an ingressus fuerit licitus, vel illicitus, quia potius sine distinctione supponunt licitū esse ingressum nulla habita ratione talium debitorū. Suaderi autē potest hæc opinio, quia per professionem extinguitur obligatio ciuilis, vt dictum est: sed talis professio est valida: ergo nō obstante culpa quæ in ea interuenit, habet eundem effectum. Probatur consequentia, quia illa culpa, etiamsi contineat iniuriam creditoris, non potest excedere vim obligationis ciuilis: ergo illa etiā cessat ratione professionis. Declaratur, nā si illud debitū ortum fuisset ex aliqua iniuria facta ante ingressum religionis, cessasset ratione professionis; ergo etiāsi fiat in ipsamet professione. Et ex hoc principio respondet hæc sententia rationibus præcedentis, constituendo semper in hoc differentiam inter hoc debitum ciuile, & debitum filii ad patrem.

7. *Assertio prima.* Mihi autē media quædam sententia placet, quam indicat Maior & alii ex supra citatis. Primo ergo asséro in eo casu nō teneri religiosum egredi religionem vt debitum soluat, neq; aliquid agere contra decentiam, vel substantiā illius status. In quo cōstituo differentiam inter hunc debitorem respectu creditoris, & filiū respectu patris. Ratio me mouens est, quia hæc debita ciuilia non obligant cum tanto rigore, vt teneatur quis à suo statu cadere, vt patet etiā in homine, & in statu seculari: ergo multo min⁹ religiosus ad hoc tenebitur, quia multo maius est detrimentū, & periculum in deserendo talem statum, vel aliquid contra decentiam aut substantiā illius agendo. Confirmatur, quia satis probabilis opinio est propter hæc debita, si homo non sit actu potens ad soluenda illa, non teneri ad omittendum, vel differēdum statum religionis: ergo postquam cōstitutus est in illo statu, esse debet multo probabilius, neminem obligari ad relinquendum illū propter tale debitum, quia multo grauius & onerosius est cadere ab statu semel sumpto, quam illum non assumere. Vnde in materia de restitutione cōmuniter docent Doctores, sæpe teneri hominem non ascēdere ad statum aliquem, donec restituat debitum. Si tamen iam in illo statu constitutus est, non obligari ad descendendum, etiamsi forte aliqua culpa in eo ascensu interuenerit: ergo multo magis in præsenti dicendum est.

*Assignatur ratio.*

8. *Assertio secunda.* Secundo vero asséro teneri huiusmodi religiosum in eo casu soluere illa debita, si aliquo modo commode posset intra religionem manens, & regularem disciplinam obseruans. Et quoad hoc differentiam constituo inter eum qui sine iniuria creditoris, & eum qui cum illa ingreditur. Et probatur, quia quoad hoc cessat difficultas mutandi statum, quæ illum excusare posset, & alioquin ratio iniuriæ ex se obligat ad satisfactionem possibilem intra decentiam status. Confirmatur, nam si religiosus post professionem furatur, vel iniuriam facit, licet non teneatur egredi monasterium ad restituendum, tenetur nihilominus illi restituere, quoad commode possit. Hæc autem iniuria facta creditori in ipso ingressu, & professione, reputatur moraliter tanquam facta postingressum ab homine iam religioso, vel non minus graue est per ipsammet professionem. Quapropter nulla ratio patitur, vt ipsamet professio extinguat talem obligationem. Denique iustitia seruanda est præsertim vbi non repugnat religioni, in præsenti autem nihil repugnat; quia non pertinet ad fauorem religionis, vt qui iniuriose statum illum assumit, omnino liber maneat ab obligatione reddendi debitum.

9. *Vltima difficultas, an censura impediat professionem.* Per hæc ergo sufficienter explicatæ videntur conditiones omnes pertinentes ad libertatem eius, qui religionem ingressurus est. Solum poterat hic dubitari de vinculo censuræ, an illud etiam impediat professionem. Sed hoc quātum attinet ad interdictum, & suspensionem (& eadem ratio est de irregularitate, quamuis censura non sit) certum est non impedire professionem, non solum vt valide, verum etiam vt licite fiat, quia illæ censuræ non prohibent communicationem, vel participationem rerum spiritualium quæ per professionem fit. De excōmunicatione vero dubitari potest, eo quod priuet omni communicatione, & præsertim spirituali. Quæ ratio probat quidem durante excommunicatione neminē licere se ingerere professioni faciendæ, neq; etiam licite ad illam admitti si excommunicatio denuntiata sit, vel lata contra notorium clerici percussorem; iuxta Extrauag. *Adeuitanda*, & communē doctrinam de excōmunicatione. Nihilominus tamen talis professio ab excommunicato facta, valida est, vt in specie docuit Nauarr. dict. conf. 3. de Regular. citans cap. *cum illorū* de sent. excomm. vbi de hac re firmo non est, neque videō probabile argumentum, quod inde sumi possit, nisi hoc solum quod fauor religionis maxime est à iure intentus. Idem tenet Couarr. in 4. p. 2. c. 6. nu. 3. & citat eundem textum, dicēs esse optimum, *vbi professio* (inquit) *facta ab excommunicato omnino valida est*. Quod Abbas ibidem notat, & post eum Felinus, dicens illum textum singularem. Sed mihi, vt verum fatear, textus ille parum probat. Eandem tamen sententiam sequitur Sylues. verbo, *Absolutio* 5. Vgolin. de Cens. tabul. 2. num. 10. Henr. lib. 13. de excomm. cap. 7. nu. 7. Azor. tom. 1. lib. 12. instit. Moral. cap. 3. q. 9. Paulus Comitol. lib. 2. Respons. Moral. quæst. 8. §. vltimo. Ratio tamen sufficiens est, quia nullo alio iure talis professio fit irrita, nec ex generalibus regulis de excommunicatione colligi potest.

## Caput XI.

### *Quæ conditiones ex parte religionis necessariæ sint vt professio recte & valide fiat.*

1. *Supposito præmittitur.* PRincipio supponendum est de necessitate professionis esse, vt ex parte religionis aliquis ad eā concurrat, qui traditionem ab eo qui profitetur, suscipiendam acceptet: quod satis ex superioribus constat, cum ostensum sit professionem essentialiter requi-

requiere traditionem, quæ consummata esse non potest, nec habere effectum, nisi acceptata sit, acceptatur autem à religione per aliquem qui possit incorporare professum religioni: est ergo hæc conditio omnino necessaria ad valorem professionis. Et ita notarunt Cardinal. in Clem. 1. §. *quia vero*, de statu monach. idem & Innoc. Panormit. & alii in cap. *porrectum*, & in cap. *ad Apostolicam*, de Regular. Ex quibus iuribus id etiam manifestè colligitur, vt notauit etiam Nauarr. consil. 40. de Regular. quod incipit *Matthæus*, num. 2. & Comment. 4. de Regular. num. 74. Vbi recte infert nullam professionem religiosam posse constare, nisi duæ personæ concurrant, quarum altera se obliget religioni, altera religionem obliget. Quod etiam notauit Gregor. Lopez in lib. 7. tit. 7. partit. 1. Includit enim professio reciprocam obligationem ex parte religionis, & religiosi, nam est contractus mutuus inter illa duo extrema, vt ex eisdem iuribus colligitur, & iidem auctores adnotarunt, & præterea Nauarr. cons. 26. de Regular. Ergo ex parte religionis necessaria est acceptatio & susceptio talis obligationis.

Atque hinc fit primo, necessarium esse vt professio fiat in manibus eius, qui potestatem habeat incorporandi aliquem tali religioni, qui actus non erit validus, nisi supponatur potestas, vt est per se notum, & præter auctores citatos notat Sylvest. verb. *religio* 3. q. 18. Angel. & alii verb. *religio*. Dubitari autem potest apud quem sit huiusmodi potestas. Sed in hoc idem censendum est quod supra de potestate recipiendi ad habitum, seu nouitiatum diximus, eadem enim est vtriusque ratio. Imo auctores ibi citati magis loquuntur de hac receptione ad professionem, quam de priori ad habitum, quia per hanc fit propria vnio ad corpus religionis, & per eandem magis obligatur religio. Est ergo hæc potestas regulariter in tota religione, vel in eo prælato, cui vel ab ipsa religione, vel immediatè à Summo Pontifice tradita est. In quo censeo consulendam esse vniuscuiusque religionis institutionem & approbationem, nam ex solo iure communi nihil fere certum in particulari accipi potest vt ibidem dixi. Hinc vero etiam fit ad valorem professionis esse necessariam ex parte ipsius religionis, approbationem Pontificis, quia sine tali approbatione non est potestas admittendi aliquem ad statum verè religiosum, vt colligitur ex cap. vlt. de Religiosis dom. & cap. vnico eod. tit. in 6. & cap. vnic. de voto in 6. notat Sylvest. verb. *religio* 3. quæst. 18. cum communi sententia Canonistarum in locis citatis, quæ confirmari latius potest ex his quæ de necessitate Pontificiæ approbationis ad religiosum statum supra diximus.

Atque ita cessat quæstio, quam Canonistæ Sylvest. Angelus, Nauarr. & alii tractant, an professio facta in manibus Episcopi sine consensu religionis valida sit. In qua Innocent. simpliciter affirmat, quem alii sequuntur in d. c. *porrectum*. Antonius autem & alii negant. Sed prior sententia procedit iuxta morem antiquum Ecclesiæ, quando expressa approbatio Pontificis ad statum religiosum non postulabatur, sed ex vsu, & tacito consensu Episcopis erat commissa, à quorum iurisdictione religiosi non erant exempti. Tunc enim dubium non est, quin iure ordinario & quasi proprio haberent Episcopi potestatem admittendi ad professionem, siue professio fieret in vita priuata, & extra communitatem religiosam, siue in illa, quia Episcopi tunc erant veluti supremi prælati religionum: & ideo ad eos maxime pertinebat hæc receptio. Imo licet nunc sit quæstio inter Doctores, an Abbas possit admittere ad professionem sine consensu sui Capituli; de Episcopis mihi non est dubium, quin eo tempore id facere possent; sicut nunc potest summus Pontifex admittere ad professionem quemcunque voluerit in quacunque religione, sine illius consensu vel consilio, quia habet in illam superiorem potestatem, & ad illum spectat modum recipiendi in religione statuere, aut mutare: simili enim potestate ex tacito, vel expresso consensu Pontificis vtebantur eo tempore Episcopi, nam ad eos pertinebat religiones approbare, & consequenter instituere modum admittendi ad professionem, & vtendi potestate ad hunc effectum, quæ in ipsis primario existebat. At vero nunc non potest hoc generaliter affirmari, nec etiam vniuersaliter negari, nam standum est institutioni, & approbationi Pontificiæ, & ideo dixi cessasse quæstionem hanc, vel certe esse inutilem, quia si religio sit exempta à iurisdictione Episcoporum, manifestum est non posse Episcopum auctoritate sua admittere aliquem ad professionem in tali religione, quia non habet in illam iurisdictionem quæ ad hunc actum necessaria est. Item, quia talis religio semper habet proprium recipiendi modum à Pontifice probatum. Si autem religio non est exempta, clarum est posse Episcopum auctoritate sua admittere ad professionem in tali religione, quia est proprius prælatus eius, non minus quam Abbas, vel prouincialis, in religione exempta.

4. *Specialis dubitatio, an ad hoc requiratur consensus, vel consilium capituli, seu monasterii.*

At vero præter auctoritatem Episcopi, etiam necessarius sit consensus, vel saltem consilium Capituli, seu monasterii; ex peculiari institutione talis religionis, seu monasterii, eiusque approbationis seu confirmationis definiendum est; quia in communi iure nihil inuenio in hoc statutum, & ideo ex vi iuris communis non censeo huiusmodi consensum, vel consilium esse necessarium: quapropter vbi ex peculiari constitutione, vel consuetudine religionis non constiterit hanc conditionem esse necessariam, & sub illa datam esse Episcopis potestatem admittendi ad professionem, & non aliter, valida erit professio, sola eius potestate admissa, quia nullo iure ad talem modum limitant. At vero si religio ex peculiari institutione illam formam vel solennitatem requirat, illa conditio seruanda est, vt professio valeat, vt in simili potest ex cap. vlt. de Regular. in 6. cum his quæ glossa & Doctores ibi tradunt, & quæ Nauarr. tractat consil. 36. & 40. de Regul. Ratio vero est, quia licet nunc religio aliqua sit subiecta Episcopo, nihilominus institutionem & approbationem non habet ab Episcopo, sed à summo Pontifice, & ideo Episcopus immutare non potest modum professionis in tali religione institutum, & approbatum, tanquam necessarium ad ordinem eius, neque aliter censetur recipere potestatem, nisi ea conditione, vt tali modo ea vtatur.

5. Hæc autem omnia intelligenda sunt de Episcopo sua propria potestate vtente: nam, vt Sylvest. supra notat, si Episcopus nomine alterius, qui potestatem habet incorporandi religioni; professionem admittat, valida erit professio. Cuius ratio à priori est, quia potestas hæc admittendi ad professionem delegabilis est, sicut alia iurisdictio, quia nullo iure hoc prohibetur, neque inuenitur in tali potestate specialis aliqua conditio, ob quam delegari non possit. Hinc vero constat primo, oportere vt hæc commissio fiat ab eo qui talem potestatem iure ordinario habeat: nam si solum ex commissione, seu delegatione illam haberet, non posset illam subdelegare, iuxta commune ius, nisi hoc etiam illi esset specialiter commissum. Constat deinde hoc non esse speciale in Episcopo, sed esse commune cuicunque alteri, cui talis potestas commissa sit ab eo qui iure proprio illam possidet, quia in eo casu non

est potestas in Episcopo ex dignitate, vel munere Episcopali, sed ab extrinseco delegante, quæ delegatio alteri, qui non sit Episcopus, etiam fieri posset: nam Episcopalis dignitas non est etiam necessaria conditio, vt persona sit capax huius commissionis, seu delegationis, nullo enim iure vel ratione hoc probari potest. Vnde Innocent. Panormit. & alii in dict. cap. *porrectum*, generaliter dicunt professionem debere admitti ab eo qui potestatem habet incorporandi religioni, vel ab alio de licentia eius, siue ille alius Episcopus sit, siue non.

6. *Speciale dubium circa ratihabitionem.*

Addunt denique Sylvest. verb. *religio* 3. & Angel. verb. *Profess.*, si Episcopus quamuis non habeat facultatem à prælato religionis, nihilominus non suo, sed nomine ipsius prælati, & sub spe ratihabitationis eius professionem admittat, illam esse validam, ratihabitione secuta. Ego vero existimo talem professionem nullius esse momenti, quatenus sub spe ratihabitionis de futuro facta est. Nam in primis certum est pro illo tempore, pro quo nondum est ratihabitio exhibita à prælato habente potestatem, nullam esse, nec constituere illam personam in statu religioso, ita vt si interim dum accedit consensus prælati matrimonium contrahat, factam teneat, quia persona non mansit inhabilis ex vi illius professionis, cum reuera traditio eius non fuerit acceptata ab habente potestatem. Et ita fatentur etiam prædicti Doctores, solum enim aiunt talem professionem incipere esse validam post ratificationem, & non antea. Hinc autem vlterius fit, vt secuta ratihabitione superioris, necessaria sit iteratio consensus ex parte professi, vt professio valida esse incipiat. Probatur, quia prior consensus non fuit validus, neque habuit effectum: ergo vt professio incipiat esse valida, necessarius est nouus consensus professi. Respondeti vero potest, quamuis prior consensus non fuerit statim efficax, non tamen fuisse omnino inualidum, sed fuisse ad modum consensus conditionati, qui suspensus manet quandiu conditio non est impleta; illa autem posita transit in absolutum, & statim habet effectum sine nouo consensu. Ita enim in prædicto casu, qui professus est consentit professioni, sub ea conditione expressa, vel tacita, si prælatus, qui potestatem habet admittendi, eam ratam habuerit, & ideo adimpleta conditione non videtur necessarius nouus consensus.

7. Sed licet hoc probabiliter defendi possit, nihilominus probabilius existimo quod dictum est. Et in primis pro certo habendum est, necessarium esse, vt talis persona non reuocet consensum, nam si eam pœniteat professionis factæ, & nolit illa ligari, quantumuis prælatus eam ratam habeat, profecto ratihabitio postea subsecuta nullum habebit effectum, quia eo tempore quo illa exhibetur, & quo professio deberet incipere esse valida, non inuenit permanentem consensum alterius partis, sine quo non potest hoc mutuum vinculum perfici. Sicut in matrimonio sub conditione contracto, si ante conditionem impletam, alter contrahentium reuocet consensum, licet postea conditio impleatur, non perficitur matrimonium, quia prior consensus sub conditione prestitus per contrarium consensum absolutum reuocatus, non potest habere vim, & efficaciam ad perficiendum contractum: igitur necessaria saltem est moralis perseuerantia in priori voluntate. Deinde necessarium etiam est, vt de hac perseuerantia exterius constet, nam interior consensus non sufficit ad humanum contractum perficiendum, nisi de illo sufficienter constare possit, eo tempore quo perficitur contractus; hoc autem est moraliter irritare consensum, siue id fiat per expressum signum perseuerandi in priori voluntate, siue per tacitum. Quod ita declaro, quia in illo casu, etiamsi prælatus religionis, suum præbendo consensum ratam habuerit professionem, non statim incipit professio esse valida, donec professi de tali ratihabitione constet: vel ergo tunc ipse retrocedit, & sic non perficitur professio, vel consensit saltem tacendo, & tacite approbando, & hoc perinde est ac si de nouo professionem emitteret. Denique in re tam graui non videtur admittendus talis modus professionis tanquam validus, etiam sub conditione prædicto modo explicata, cum ex parte admittentis nulla supponatur potestas, alioqui posset professio fieri, non solum in manu Episcopi, sed etiã cuiuscunq; alterius priuatæ personæ, sub spe talis ratihabitionis, quod concedere planè absurdum est: talis ergo professio nullam vim habet traditionis, nec potest huiusmodi traditio esse suspensa. De quo plura dicam cap. seq. An vero ex tali professione relinquatur aliqua obligatio saltem promissionis simplicis, dicam cap. seq.

8. Vltimo ergo necessarium est, vt is qui ex parte religionis professionem acceptat, præter potestatem habeat etiam liberam voluntatem acceptandi, & obligandi religionem eo modo, quo obligari debet. Probatur, quia professio non consistit in potentia, sed in actu humano, & voluntario. Item, quia professio est, seu fit ad modum cuiusdam contractus humani, qui mutuo partium consensu perficitur. Vnde fit si prælatus, qui professionem admittit, licet exterius eam recipiat, interius non habeat intentionem, illam admittendi, nec voluntatem incorporandi talem personam religioni, professionem non esse validam, ita vt si postea constare possit sufficienter de tali fictione, qui talem professionem emiserat, liberè possit talem statum relinquere, & alium assumere, seruata tamen forma iuris, vt id licitè fiat. Ratio est, quia eo ipso quod contractus claudicat ex altera parte, est simpliciter inualidus: tunc autem ille contractus ex parte religionis non tenet, neque illam obligat, quia obligari non potuit, nisi per voluntatem eius, cui data est potestas; ille autem voluntatem non habuit, vt in casu supponitur: ergo professio simpliciter non tenuit. Quod autem remedii hic adhiberi possit, infra dicetur. Quanta autem libertas ex parte religionis ad hunc consensum requiratur, explicatum obiter est in his quæ de libertate professi diximus; & ideo de his conditionibus ex parte religionis requisitis nihil amplius dicendum occurrit.

## Caput XII.

### *Quæ forma seruanda sit vt professio validè, & rectè fiat.*

1. *Ad validam professionem est necessaria forma exterior.*

Ex causis quæ ad professionem possunt concurrere, aut requiri, hæc sola superest explicanda, quæ rationem causæ formalis iuxta materiæ capacitatem obtinet; de qua in primis certum est, exteriorem aliquam formam, quæ mutuum consensum religionis & religiosi sufficienter explicet, necessariam esse vt perficiatur professio, & vt vinculum eius consurgat. In hoc conueniunt omnes Doctores, & patet primo ex generali ratione contractus humani, qui licet requirat consensum interiorem, non tamen illo solo perficitur, quia sine externis signis non possunt homines inter se mutuos consensus agnoscere, aut acceptare; professio autem, vt diximus licet principaliter contineat obligationem ad Deum, tamen non fit sine aliquo contractu inter homines; ergo non potest fieri sine sensibili signo ad modum matrimonii. Vnde confirmatur secundo, nam hac ratione votum solenne per se publicum est, vt in superioribus diximus, quia non purè internum, sed exter-

externum esse debet. Atque eadem ratio est de quocunque voto constituente religiosum statum; nam hic status non solum coram Deo, sed etiam coram Ecclesia perficitur, estque peculiaris gradus, seu ordo personarum Ecclesiæ visibilis, & ideo necesse est vt aliqua sensibili forma constituatur, & ita semper est in Ecclesia obseruatum, vt constat ex Dionys. c. 6. de Eccles. Hierarch. & ex aliis, quæ in primo & secundo cap. adduxi.

2. Quòd de-tur esse is forma. Secundo (quia in præsenti de professione expressa tantum agimus) necessarium est vt hoc signum sit tale expressum, qualis est vox humana: atque ita fieri consueuit iuxta communem vsum Ecclesiæ. In quo tamen solum occurrit obseruandum, ordinarie solum requiri hanc formam, seu expressionem verborum ex parte professentis, qui suam oblationem & vota propriis verbis solet exprimere. Ex parte autem prælati recipientis, ordinariè nulla verba requiruntur, sed solum aliquod signum, seu exterior demonstratio, qua significet se acceptare professionem. Vnde in nostra Societate, cum in 5.p. Constit. c. 3. particularis forma describatur, quam proferre debet is qui professionem emittit, nullum verbum adiungitur, quod ab acceptante proferendum sit. Et idem ferè colligitur ex Dionysio citato loco, & ex Benedicto c. 58 suæ regulæ, & ex consuetudine aliarum religionum. Posset autem hæc verborum expressio sufficienter fieri per interrogationes à prælato factas, quas olim etiam fuisse vsitatas Dionysius testatur, & tunc in rigore satis esse posset ad professionis valorem, si prompte annuat, & consentiat, quocunque signo exhibito, vt, v. g. inclinatione capitis, vel alio simili, sicut in matrimonio sufficit: est enim par ratio, vt in præsenti nullum possit ostendi speciale ius quod maiorem expressionem requirat. Quin potius si interrogatio sit satis expressa, huiusmodi assensus sufficiens erit etiam ad professionem expressam, quia illud signum coniunctum tali interrogationi totam eius significationem induit & participat.

1. Dubitatio an ad valorem professionis vllum scriptum requiratur. Quæri autem potest, an scriptura sit etiam necessaria, vel sufficiens, vt per illam expressa professio fiat. Respondeo quoad priorem partem iure communi non esse vllum scriptum necessarium, sed sufficere vt sola voce negotium totum transigatur, vt aperte colligitur ex c. *porrectum*, cum similibus, de Regular. Item, quia ex natura rei tale signum necessarium non est, vt per se constat, neque inuenitur aliquod decretum communis iuris quo hæc circunstantia præscribatur. Iure autem speciali aliquarum religionum requiritur vt professio in scriptis fiat, vt constat ex regula 58. sancti Benedicti, vbi ordinatur, vt qui profitetur, suam professionem scriptam & consignatam, seu subscriptam super altari ponat, & in nostra Societate dict. p. 5. Constit. c. 3. postulatur, vt votum scriptum sit, & ex scripto legatur. Quare vbi hæc forma vouendi præscripta fuerit, seruanda est, tum ob regulæ obseruantiam, tum etiam ad tollendam omnem ambiguitatem. An vero illa circunstantia scripturæ essentialis sit, non videtur posse vniuersaliter definiri: nam licet auctores dicant per quæcunque verba exprimatur professio sufficere ad valorem eius, etiamsi non seruetur forma in regula præscripta, quia regula ponens talem formam non videtur ponere illam vt substantialem, vt patet ex Panormit. in dict. cap. *porrectum* n. 3. quem sequitur Angel. verb. *Profess.io*, & Sylvest. verb. *religio* 3. q. 18. in fine: licet hoc (inquam) ab his Doctoribus dicatur, & regulariter verum sit quoties in ipsa regula aliud non explicatur, nihilominus hæc limitatio addibenda est: nam si in regula approbata, & confirmata à summo Pontifice talis conditio expressè ponatur, vt essentialis, talis profecto iudicanda est, nam iura humana possunt huiusmodi conditiones vt essentiales postulare. Quod quidem in prædicta constitutione Societatis factum esse videtur, nam cum in dict. c. 3. 5. p. constit. plures circunstantiæ proponantur in emittenda professione obseruanda, in declaratione (quæ vim etiam constitutionis habet) *scripta le-* lit. A. dicitur non omnes illas esse simpliciter necessarias, sed decentes: adiungitur tamen, *illud autem essentiale est, vt publicè votum legatur coram iis, &c.* nam verbum illud *l gatur*, in omni rigore & proprietate præsupponit debere esse scriptum quod legendum est, & ita videtur mihi omnino obseruandum; nec curere scrupulo nullitatis si aliter professio fiat.

*Professio in Societate Iesu necessario debet* *scripta le-* *lit.*

Atque eodem ferè modo expediendum est alterum membrum, an solum scriptum sufficiat ad professionem etiam expressam. In quo partem affirmantem significat Sylvest. verb. *Religio* 3. in prin. dum ait, professionem expressam fieri voce, vel scripto: sentit ergo quodlibet ex his signis per se sufficere. Quod quidem, stando in sola rei natura, vel iure communi, mihi videtur verum, nam scriptura est tam expressum signum sicut vox: & ideo si ex scriptura ipsa & ex modo exhibendi illam sufficienter constet de persona vouente, & quod illam scripturam exhibeat animo profitendi, & eodem modo ab habente potestatem recipiatur, ex natura rei ad professionem sufficiet: & in iure communi nihil amplius reperio, quod tanquam essentiale requiratur. Item, mutus in rigore potest emittere professionem, quam cum non possit verbo facere, nullo melioti signo potest illam emittere quam aliqua scriptura. Verum est iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem, legendam esse publicè talem scripturam ab ipso professente si id facere possit, aut sciat, esseque imprudentissimum professionem facere, aut admittere per solam oblationem, vel receptionem scripturæ, sine vlla expressione verborum: maximè si absque vlla necessitate fiat, tum propter communem consuetudinem, vt dixi, tum etiam, quia inde possent oriri dubia, & controuersiæ, quæ in re tam graui vitanda sunt. Addo etiam consulendas esse specialia iura religionum, nam interdum potest essentialiter requiri vt votum non tantum scribatur, sed etiam legatur, vt in prædicta Constitutione Societatis visum est.

4. *Resolutio ad secundū dubium.*

Atque eodem modo respondendum est, si quis interroget, an necessarium sit, vt professio hæc coram testibus fiat. In quo etiam nihil inuenio expresse definitum iure communi, aut ab auctoribus satis declaratum. Si autem naturam talis actus attendamus, sine dubio postulat vt coram sufficientibus testibus fiat, vt conuenienter fiat, quia cum per professionem assumatur specialis status Ecclesiæ, oportet professionem ita fieri, vt de illa possit Ecclesiæ constare. Et ideo sicut matrimonia clandestina semper fuerunt ab Ecclesia improbata, & prohibita propter sacrilegia, & adulteria, quæ occasione illorum consequuntur, ita etiam professiones clandestinæ, & sine test bus factæ, abominandæ, & vitandæ sunt, quia ex illis etiam sacrilegia, & apostasiæ f cile sequi possunt, cum Ecclesiæ de tali professione constare non possit. An vero professio sic facta inter eum qui potest incorporare, & qui profiteri vult, valida sit, dubitari potest: sed, vt dixi, nullum inuenio in communi iure decretum, quod illam irritet, vnde stando in iure communi apud Deum valida erit, sicut ante decretum irritans Concilii Trident. matrimonia clandestina valida erant; consulenda vero sunt particularia iura religionum, quale est illud quod ex constitutionibus Societatis supra citati, in quibus essentiale esse dicitur, vt vota legantur coram iis de Societate, & externis, qui adfuerint.

5. *Dubitatio, an requiratur, vt professio coram testibus fiat.*

*Notā illum pro Societate Iesu.*

Imo

Imo Palud. d. 38. q. 2. diuis. 8. dixit expressam professionem debere fieri præsentibus duabus partibus conuentus, & maiori parte consentiente, & non debere aliter fieri, nec factum teneri, quod solum erit verum vbi speciali iure talis religionis cautum fuerit.

6. *Assertio tertia duas partes includens.* Tertio dicendum est, de necessitate huius formæ esse, vt per eam exprimatur obligatio trium votorum cum traditione, seu respectu ad certam ac determinatam religionem. In hac assertione duo continentur: vnum est, vt professio fiat cum sufficienti expressione traditionis & trium votorum: aliud est vt fiat cum respectu ad certam religionem in particulari. De priori parte nihil ferè addendum occurrit his quæ in superioribus dicta sunt, nam ostensum est substantiam professionis tria vota requirere cum traditione: probatum est etiam votum hoc debere esse externum & publicum: ergo necesse est vt signum illud quo fit professio totum illud sufficienter significet. Aduertimus autem supra varias esse formulas profitendi in diuersis religionibus, & in aliquibus non distinctè exprimi singula vota, aut traditionem, vt quid distinctum à votis, sed id non refert, satis enim est quod per modum vnius exprimatur ipsa professio, quæ in sua ratione hoc totum includit, vel tradendo se in monachum, & in fratrem, iuxta cap. *porrectum*, de Regular. vel profitendo talem regulam, vel promittendo obedientiam, aut tria vota secundum talem regulam, vel alio simili modo: nam tunc satis expresè fit professio, quamuis non distinctè explicentur singula, quæ in professione includuntur, non est enim hoc necessarium ad expressam professionem.

7. Posterior pars satis etiam est certa, sumiturque ex D. Thom. statim citando, & eam tradunt ferè alii auctores supra allegati, & specialiter Angelus verb. *Professio* cum Antonio in cap. *ruršus*, qui cler. vel vouent. Nauarr. Comment. 2. de Regular. n. 5. vbi refert Ioan. Andr. communiter receptum in cap. *constitutionem*, de Regul. in 6. & Calder. Consil. 27. de Regul. & probatur primo ex verbis Bonifacii VIII. in cap. vnic. de voto in 6. vbi inquit votum solemnizari per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis. Vbi significat non satis esse profiteri religionem in communi, sed aliquam in particulari ex approbatis. Vnde D. Thom. 2.2. q. 88. art. 7. etiam dixit, votum solemnizari per professionem certæ regulæ: ergo solemnitas voti pendet ex valore professionis: ergo si votum non est per se solenne, nisi coniunctum professioni certæ regulæ, ideo est, quia professio non potest esse valida, nisi fiat in certa, ac determinata religione approbata. Denique hoc videtur satis expressum in cap. vlt. de Religios. domib. ibi, *Qui unquam ad religionem conuersi voluerit, vnam de approbatis assumet.* Declaratur etiam ratione ex dictis: nam de ratione validæ professionis est, vt fiat in manibus eius, qui potest incorporare religioni, sed nullus est qui possit incorporare religioni in genere, sed huic, vel illi in particulari: ergo necesse est vt traditio fiat determinando religionem, cui fit. Quin potius si per proportionem ad res physicas, & morales hoc expendamus, videtur repugnare aliter fieri: nam per professionem incorporatur quis, seu vnitur corpori religionis, vt actuale membrum eius: non potest autem membrum particulare vniri realiter corpori in communi, sed certo, ac determinato corpori: nec potest quis actualiter esse ciuis ciuitatis in communi, & nullius in particulari, aut esse seruus hominis, & non huius, vel illius. Quocirca quamuis ponamus aliquem prælatum habere potestatem admittendi professos ad varias religiones, nihilominus quando in particulari aliquam personam admittit, necesse est vt ad aliquam determinatam ex illis religionibus, illam admittat, alias non erit valida professio. Ad quod etiam confirmandum, applicari potest illud axioma, quod actiones versantur circa particularia.

8. *Argumenta in contrarium.* Sed contra hanc partem, vt amplius explicetur, obiici potest primo, quia aliquando est valida professio, & tamen ex illa non oritur obligatio ad determinatam religionem, sed solum ad religionem in communi, vt constat ex cap. *constitutionem*, de Regular. in 6. ergo potest fieri professio cum intentione se tradendi, & obligandi religioni in genere, & non alicui in particulari: ergo si talis intentio per signum expressum proferatur, & præcisè significetur, erit valida professio, quamuis non fiat cum respectu ad particularem religionem. Secundo, olim quando fiebat professio religiosa in manibus Episcopi, per eam dedicabatur homo statui religiosi in communi, & non huic, vel certæ regulæ, aut religioni in particulari: ergo non repugnat professionem validam fieri ipso modo: ergo si de facto ita fiat in manibus Episcopi, vel alterius potentis incorporare religioni, erit valida professio. Quod argumentum videtur conuincere saltem futuram esse validam professionem sic factam, si in manibus Pontificis fiat, vel alterius de licentia eius, quia ex parte professionis non repugnat, vt ostendit ratio facta, potestas autem in Pontifice deesse non potest. Tertio argumentor, quia non est maior ratio de conseruatione rei, quam de effectione; sed religiosus professus potest conseruari in statu religioso, ita vt vere religiosus sit, etiamsi non maneat vnitus, & incorporatus alicui religioni in particulari: ergo potest etiam à principio ita fieri religiosus per veram professionem. Minor patet in religioso electo per sententiam iustam, & definitiuam, nam ille verus monachus manet, & est certum, & tamen iam non manet verbum illius religionis à qua electus est, vt docet Nauarr. Comment. 3. de Regular. n. 44. & 45. quia omnino est præcisus ab illa, nec tenetur ad obedientiam eius, multoque minus est membrum aliarum religionum, quibus nunquam vnitus fuit.

9. Circa primum argumentum Bart. in c. *quod seruus* ff. stipulat. seruor. censet aliquem posse esse professum religionis in genere; ponitque exemplum in eo qui ante completum annum probationis aliquam ex religionibus mendicantibus profitetur, nam licet illa professio sit inualida respectu talis religionis, iuxta cap. *non solum*, & cap. *constitutionem*, de Regul. in 6. nihilominus est valida respectu religionis in genere. Sic etiam Geminianus in dict. cap. *constitutionem*, tum Lapo dixit, professionem factam in manibus habentis administrationem religiosam, obligare ad religionem saltem in genere, non tamen in specie. Quam sententiam referens Angel. in verb. *Professio*, dicit, esse veram, si ille administrator potest obligare religionem, quam administrat ei, quem recipit. Dico tamen nunquam professionem expressam validam esse, quin obliget ad certam & determinatam religionem, quia vel in principio fit sine habitudine ad certam religionem, & sic est nulla, vt in assertione demonstratum est, & consequenter nec obligat ad certam religionem, nec religiosum simpliciter constituit. Aut professio à principio facta est certæ religioni, & de illa rursus quæro, an fuerit valida vel nulla: nam si fuit valida, ad illam religionem in particulari obligat, in qua facta est; neq; in hoc inuentur in iure aliqua exceptio, nec per solum discursum rationis fieri, vel potius fingi potest. Si autem fuit nulla, non constituit religiosum, neque obligat per actualem traditionem religioni, aut in communi, aut

ni, aut alicui in particulari. Dico autem, *secundum actualem traditionem*, vt abstineam à quæstione, an professio inualida inducat saltem obligationem voti simplicis religionis, quod est promissio, & non traditio, nam de hoc infra in proprio loco agemus; nunc autem solum tractamus de vinculo professionis, quod ex traditione, vel ex voto etiam solemni oritur: & sic manifestum est professionem simpliciter nullam non posse hoc vinculum inducere, etiam respectu religionis in communi. Quocirca in illo casu, in quo Bartol. loquitur, falsum profecto est, per illam professionem constitui verum religiosum, etiam in ordine ad religionem in communi, vt recte notauit Nauarr. comment. 3. de Regular. num. 44. Quia in iure illa professio nulla est. Idemque docendum est de alio casu, in quo Angel. & alii loquuntur: nam vel ille, qui habet administrationem religiosam, habet potestatem incorporandi religioni, vel non; si non habet, impertinens est illa administratio ad effectum professionis, nec ratione illius plus valet, vel obligat professio, quam si nullam administrationem haberet: si vero habet dictam potestatem, professio non ad religionem in communi, sed ad illam in particulari obligabit, cui ille potest incorporare. Quod si circa plures religiones talem potestatem habeat, necesse est vt circa aliquam determinatè illam exerceat, alioqui nihil faciet.

10. In cap. autem *constitutionem*, citato in prima obiectione non est sermo de professione expressa, sed de tacita, de qua infra ex professio dicturi sumus. Nunc autem breuiter dicendum est illam per se, & vi sua, si coram Deo vera est, & valida, obligare ad eam religionem in particulari, in qua fit, prorsus enim repugnat nunc fieri talem professionem, & non fieri in aliqua determinata religione, quia oportet, vel deferre habitum professorum alicuius religionis, vel aliquas actiones exercere, quibus animus profitendi significetur, quæ non possunt non esse determinatæ, & in aliqua certa religione fieri. Ex iuris autem benignitate ita acceptatur, vt sic professus possit, si voluerit, ad aliam religionem transire. Cuius ratio, & verus sensus infra tractabitur. Quandiu vero talis religiosus illa concessione non vtitur, verè est addictus, & obligatus illi particulari religioni, in qua tacite professus est.

11. Circa secundam obiectionem, in primis dicendum est, non posse esse statum religiosum in reipsa suo modo existentem, quin sit in aliqua certa specie, eo modo, quo in his rebus moralibus inueniri potest, quia sicut in naturalibus, etiam in moralibus non potest aliquid in reipsa existere, aut fieri sine sufficienti, hoc est, speciali determinatione, vt in præsenti necesse est votum castitatis, v. g. esse vel simplex, vel solemne; & votum paupertatis habere hunc vel illum modum determinationis ex parte materiæ, & obedientiam promitti huic, vel illi prælato, & successoribus eius secundum aliquam certam mensuram; quia sine hac determinatione non potest esse certa, & moralis obligatio. Est autem vlterius considerandum determinationem hanc professionis, secluſa ordinatione Ecclesiæ, & stando in solo iure diuino, quoad aliquid posse esse per modum positiuum, vel solum quasi priuatiuum: vt, v. g. quod fiat professio in aliqua communitate, & secundum certam regulam, vel quod fiat in vita priuata in manibus Episcopi, sine determinatione ad certam regulam, vt olim sæpe fiebat in manibus Episcopi. Tunc ergo (vt obiectioni respondeamus) qui hoc modo professionem emittebat, non manebat obligatus alicui religioni, id est, communitati religiosæ, neque alicui regulæ, vel in communi, vel in particulari, quia nihil horum promittebat: neque etiam in statu religioso constituebatur in communi, seu in abstracto, sed in tali modo particulari, in quo priuatim viuere licebat secundum obedientiam eius, cui promittebatur, & iuxta intentionem, & finem præstitum ab ipso vouente, iuxta superius dicta de voto simplici obedientiæ.

Nunc autem ex speciali decreto Ecclesiæ constitutum est, vt professio religiosa fieri non possit, nisi in religione approbata, atque adeo in vita communi, & regulari: haec enim ratione religiosi in iure regulares appellantur. Et ideo iam nunc neque Episcopi, neque aliquis infra summum Pontificem, potest de professionem admittere, nisi incorporando professionem religiosæ communitati. Atq; ita supposito hoc iure, euidenter procedit ratio facta, quia iuxta ordinarium ius Ecclesiæ iam non potest quis admitti ad professionē manens in vita priuata, sed per incorporationem ad religionem aliquam sub communi regula approbatam: & ideo fieri non potest talis receptio, neque ab Episcopo, neq; ab alio aliquo infra summum Pontificem, nisi in ordine ad certum, & determinatum corpus religionis approbatæ. In summo autem Pontifice secus est, nam ipse potest dispensare in iure communi, & recipiendo professionem eo ipso approbat illum statum, & illum vitæ modum in particulari. Vnde si ipse nunc admitteret aliquem ad professionem religiosam sine vnione ad aliquam religionem ex approbatis, sic professus ad nullam earum; vel in communi, vel in particulari maneret obligatus, sed solum ad statum quem professus esset, nimirum ad statum religiosum sub obedientia summi Pontificis, vel alicuius specialis vicarii eius in priuato viuendi modo, sine obligatione ad certam regulam, quod non repugnat assertioni positæ, quæ secundum ius ordinarium in Ecclesia posita est, quamuis proportione seruata locum habeat in quocunque particulari statu religioso. 12.

Et hinc respondendum est ad tertiam obiectionem, circa quam disputari posset, an professus iustè eiectus à religione, omnino maneat separatus, & distinctus à tali religione, ita vt nullo modo censendus sit membrum eius, fortasse enim non ita abscinditur, quin aliquo modo maneat sub obedientia eius, quandiu alteri religioni non vnitur; quod si verum est, cessat obligatio. Quia vero illud est incertum, & infra est disputandum, ideo illo antecedente admisso, respondetur, non esse similem rationem de assumptione status religiosi, & de duratione illius: iure enim Ecclesiæ est eo solum statutum est, vt professio valida non fiat, nisi sub aliqua regula approbata; non est tamen statutum, vt semel professus sub aliqua regula, semper sub ea retineatur; ita vt nec ex iusta causa præscindi possit. Et ideo non est similis ratio de inceptione, & de duratione. In illo ergo casu eiectus ab aliqua religione, reducitur quasi ad statum religiosum vitæ priuatæ, quia per eiectionem non potuit priuari substantiali statu religioso, quia supponimus illum fuisse assumptum per solennem professionem: solum ergo priuari potuit speciali vnione, & obligatione ad talem religionem, non vero inde mansit obligatus alteri religioni ex approbatis, nec in particulari, nec in communi, vt per se constat: reducitur ergo ad illum statum vitæ priuatæ, qui vt diximus, non repugnat & esse, & fieri ex natura rei, licet secundum ius ordinarium Ecclesiæ iam non possit per se fieri, licet illo modo quasi accidentario possit tandem aliquis in eum statum incidere, seu prouocari. 13.

Vltimo dicendum est, necessarium esse ad valorem professionis, vt forma eius ita sit absoluta, vt non includat conditionem repugnantem substantiæ status religiosi. ita docent glossa in cap. vlt. de condit. appo- 14. *Assertio vltima, in forma pro-*

*fessionis non debet includi conditio repugnans substantiæ status religiosi*

app. sit. & ibi Cardin. & Panormit. quos sequitur Sylvæst. verb. *Religio* 3. quæst. 6. 7. & 18. & idem tenet Angel. verb. *Professio*, & verb. *religiosus* num. 19. Idem tenuit gloss. in cap. *Monachi*, verb. *administrationem*, de statu monach. Innocent. Hostiens. & Abb. in cap. *insinuante*, qui cler. vel vou. Idem Abb. in cap. *edoceri*, de rescriptis. Deci. num. 5. Turrecrem. in cap. *nondicatis* 12. quæst. 1. art. 4. Couar. 4. decret. 2. p. cap. 3. §. 1. num. 18. Azor lib. 12. Instit. Moral. cap. 5. quæst. 2. Lessius lib. 2. cap. 41. dubit. 7. num. 62. & Emman. Rodr. tom. 3. quæst. regul. quæst. 17. art. 6. Et ratio est clara, quia deficiente substantiali parte vel consensu in illam, non potest contractus, & consequenter nec professio perfici; argumento cap. *tua nos*, de sponsal. & quia quocunque substantiali, seu essentiali ablato, res tota destruitur; sed in prædicto casu aufertur aliquid substantiale, & consensus in illud: ergo. Exemplum est, si quis profiteretur sub ea conditione, vt sibi liceat proprium retinere, nam hoc est contra substantiam solennis professionis, iuxta cap. *cum ad monasterium*, de Regular. & idem est in similibus. Et confirmatur, nam in huiusmodi casu non intendit quis se obligare ad totum id quod est de substantia religionis; ergo neque intendit hoc promittere, imo contrariam intentionem per talem formam & pactum seu conditionem declarat: ergo.

15. *Opinio contraria proponitur, & impugnatur.*

Contra hanc vero assertionem tenuit glossa in c. 32. quæst. 2. in fine, quam sequuntur Innocent. Hostiens. & Ioan. Andr. in dict. cap. vlt. de condit. appos. & videtur eorum opinio probari ex cap. vlt. qui cler. vel vouent. vbi quædam mulier in manibus cuiusdam fratris sancti Augustini professa est, *Eo adiecto tenore, vt in domo propria eum omni substantia sua remaneret*: Et nihilominus illa professio iudicatur valida, & ad illam obseruandam persona illa cogenda esse dicitur. Ratio adiungitur, quia per professionem acquiritur speciale ius in obsequium Dei, cui non debet nocere praua conditio apposita, cum ille qui sic profitetur, voluntatem habeat profitendi. Et in hoc constituunt dicti auctores differentiam inter matrimonium & professionem, quia per matrimonium obligatio fit homini, per professionem Deo, cuius pars semper fauorabilior est. Sed hæc ratio nullius momenti est, quia Deus non minus vult consensum liberum & verũ in pacto secum inito, quam homo: in eo autem casu non intercedit verus consensus, quia ille vult quandam professionem monstruosam, & impossibilem, & in ipso contractu illam exprimit, & ideo tam ex parte formæ, quam ex parte consensus talis professio inualida est: imo licet interius fortasse aliam voluntatem vel intentionem habuerit, ex solo defectu formæ talis professio esset inualida, quia ad valorem professionis non sufficit interior consensus, nisi exterior sufficienter exprimatur; quia, vt diximus, hic contractus, non fit cum Deo immediatè, sed mediante homine. Ad cap. autem, *insinuante*, dicitur primo ibi non fuisse appositam conditionem alicuius rei contrariæ substantiæ religionis, duo enim ibi exprimuntur, vnum est, vt liceret in domo propria manere, quod per se non est contra substantiam status religiosi, imo olim non erat præter vsum Ecclesiæ, cap. *de viduis* 27. quæst. 1. ex his quæ latius inferius dicemus. Aliud est, vt liceret de sua substantia in eadem domo viuere, quod non est intelligendum retento dominio, & proprietate talium bonorum, sed vsu, & consequenter administratione talium bonorum ex concessione, & licentia prælatorum religionis, quæ administratio non est contra substantiam professionis religiosæ. Et ita exponit illum textum glossa ibi, quam Innocent. Abb. & alii sequuntur. Deinde dicitur illam limitationem non fuisse ibi additam per modum conditionis, à qua penderet valor professionis, & consensus in illa, sed illud fuisse pactum, vt ibi exponit Panormit. sequutus Bartol. quos refert etiam & sequitur Nauarr. comment. 2. de Regular. num. 14. latè & bene Couarr. proxime citatus.

16. *Dubium, an professio sub conditione indifferente sit valida.*

Sed quæres an professio facta sub conditione indifferente, seu non contraria substantiæ religiosi status, valida sit. Respondeo conditionem esse posse aut de præterito, aut de præsenti, aut de futuro: de duabus prioribus non est difficultas, nam quando conditio est de præterito, si in re ipsa subsistit, consensus & forma transeunt in absoluta; si vero conditio non subsistit, consensus redditur nullus, quia conditionalis sicut veritatem, ita & actum suspendit, & ideo si conditio non existit, consensus redditur nullus; eademque ratio est de conditione de præsenti; quapropter recte dicunt Iurisperiti, conditionem de præterito & de præsenti non esse proprie conditionem, quia non suspendit actum; conditio autem proprie esse dicitur illa quæ actum suspendit, vt ex variis iuribus & Doctoribus notauit Couar. in 4. 2. p. c. 3. §. n. 9. Conditio autem de futuro, quæ propriissima conditio est, suspendit actum, & consequenter facit vt in præsenti professio non teneat, quia nondum exhibitus est consensus absolutus, seu simpliciter; & ideo si postea non impleatur conditio, manifestum est, professionem nullam esse, quia nullus consensus interuenit, vt per se notum est. Solum ergo inquiri potest, an impleta conditione talis professio incipiat esse valida. In quo in primis certum est, si consensus fuerit reuocatus ante impletam conditionem, non satis esse postea implere conditionem vt professio valida sit; quia dissensus subsequutus illius valorem impedit, vt supra dixi, estque in simili communis sententia in cap. *super eo*, de condit. appos.

17. *Difficultas, an requiratur nouus consensus.*

Difficultas ergo est, quando non reuocatur, an eo ipso quod impletur conditio, incipiat esse valida professio, & esse religiosus qui antea non erat, sine nouo actu voluntatis eius. Videtur enim per solam perseuerantiam in priori consensu impleta conditione perfici contractum, & illam expressionem traditionis, quæ conditionata fuerat, transire in absolutam: ergo ipso facto ex vi conditionis impletæ incipiet ille esse religiosus sine alio actu. Confirmatur primo à simili de voto simplici conditionato: nam impleta conditione, incipit absolute obligare, sine nouo consensu, aut voluntate: ergo idem est de professione, videtur enim esse eadem ratio. Aliud simile de aliis contractibus humanis, vt de donatione sub conditione facta, nam impleta conditione valere incipit absque nouo actu, vel consensu. Vltimum exemplum esse potest de matrimonio contracto per verba de præsenti sub conditione de futuro, nam incipit valere impleta conditione, vt significatur in c. *de illis*, de condit. appos. Vbi Iuristæ communiter hoc tenent, & in cap. *super eo*, eod. tit. iuncto cap. vlt. quos sequitur Palud. in 4. distinct. 29. quæst. 2. in fin. Soto lect. 3. de matrim. §. 4. Sanchez lib. 5. de matrim. disp. 8. num. 5.

18.

Nihilominus censeo professionem sub conditione de futuro esse nullam, quantũ ad proprium vinculum professionis, nisi illa conditio ita sit apposita, vt reducatur ad conditionem de præsenti; ita vt subsequuta conditione non incipiat esse valida, nisi denuo fiat. Pro hac sententia non referam auctores, quia non inuenio in specie punctum hoc ab eis tractatum; colligo tamen illam ex his quæ de matrimonio docet D. Thom. in 4. d. 27. quæst. 2. artic. 2. ad 4. & d. 29. quæst. 1. artic. 1. quæst. 3. Bonauent. in 4. dist. 29. quæst. 3. num. 13. Durand. ibidem quæst. 1. num.

num.5. & in solut. ad 1. Et Sot. quæst. 2. art 1. Maior dist. 27. quæst. 4. Adrian. in materia de matrimonio, & bene Couarr. in 4. p. 2. cap. 3. num. 5. Nauar. lib. 4. consil. titul. de sponsalibus. consil. 14. num. 7. Gutier. lib. 1. quæst. Canon. cap. 22. num. 21. Henric. lib. 11. de Matr. cap. 12. Alexand. Pezant. in addition. ad 3. p. quæst. 47. disputat. 3. Qui omnes dicunt matrimonium factum sub conditione, etiam per verba de præsenti, impleta conditione, non incipere esse matrimonium donec replicetur, & explicetur iterum mutuus consensus. Est enim quoad hoc eadem ratio de professione, nec video rationem differentiæ sufficientem, quæ assignari possit. Vna enim sola interesse videtur, quæ cum aliqua apparentia ad rem præsentem applicari posset, scilicet, quia matrimonium est sacramentum, & non professio. Sed hæc non satisfacit, quia in sacramento matrimonii ex iure diuino nihil requisitum est ex parte consensus, & significationis eius ad valorem sacramenti, nisi quod est requisitum ad valorem contractus. Si ergo ex natura rei conditio impleta posset consummare priorem consensum, & significationem exteriorem eius, ita vt statim perficeretur contractus, eadem ratione posset statim perfici sacramentum. Et ideo auctores citati fundantur in propria natura & conditione talis contractus, qui ex illis est, de quibus in regula iuris dicitur, actus legitimos non recipere conditionem, quia ad hoc institutus est vt statim sortiatur effectum, & ideo non admittit conditionem, quæ illum suspendat, nam eo ipso, quòd suspenditur, desinit esse matrimonium, & est alius modus contractus. Ac proinde consensus in illud non est verus cõsensus in matrimonium, neque vnquam esse potest, quantumuis impleatur conditio, & ideo illa impleta, vt matrimonium valere incipiat, necessarium est, vt denuò fiat: qui discursus totus locum habet in professione, quia seruata proportione consistit in actuali traditione, & ideo de illius substantia est, vt statim sortiatur effectum, ideoque illi repugnat suspensio per conditionem appositam; vnde consensus tunc datus re vera solùm est in aliquid de futuro, non de præsenti. quod significauit Vrbanus III. in c. *super eo*, de condit. appositis, dicens, *cùm huiusmodi consensus non sit de præsenti habendus, licet per verba de præsenti euidentius exprimatur, qui in alicuius arbitrio non habetur vel habendo consistit.* Quæ ratio in quacunque conditione de futuro procedit. Ac proinde, quamuis impleatur conditio, non sufficit prior consensus, sed nouus requiritur cum noua actuali traditione.

19. Potest hoc etiam confirmari ex consuetudine Ecclesiæ, quæ est optima legum & institutionum interpres: nunquam enim visum est fieri professiones illo modo sub conditione, sed solùm promissiones de futuro, de quibus alia est ratio; nam promissio licet inducat obligationem in præsenti, respicere potest executionem in futurum, & ideo admittit conditionem, quæ non proprie suspendit obligationem promissionis, sed executionem operis promissi, & ita potiùs differt obligationem, quæ dilatio terminatur impleta conditione tanquam in termino præfixo: at verò professio requirit actualem executionem per traditionem de præsenti, & ideo non admittit suspensionem per conditionem de futuro oportet ergo impleta conditione fieri de nouo traditionem, quæ absolutum consensum exprimat. Et ita facile expediuntur coniecturæ in contrarium factæ.

20. Quæret verò aliquis, an talis professio sub conditione facta aliquem effectum, vel obligationem inducat. Respondeo, vt consequenter loquamur, ita in hoc, sicut in matrimonio censendum esse. Docent autem D. Thom. & auctores citati matrimonium sub conditione factum æquiualere sponsalibus de futuro quoad vim obligandi ad contrahendum matrimonium impleta conditione, iuxta cap. *super eo*, de condit. appos. ibi, *Nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum*: ergo si voluntas patris interceßisset (hæc enim erat conditio apposita) ad matrimonium contrahendum cogendus fuisset. ergo ex priori contractu conditionato mansit ad hoc obligatus, aliàs iuste cogi non posset. Ergo idem in præsenti dicendum est de professione, quia illa obligatio in matrimonio non oritur ex peculiari conditione eius, sed ex natura talis contractus, qui licet videatur fieri, per verba de præsenti, ratione materiæ, & conditionis adiunctæ, resoluitur in contractum de futuro, & quia ad hoc intercedit consensus sufficiens, ideo inducit obligationem de futuro. Implera ergo conditione tenebitur, qui sic professus est ad profitendum, & ad id cogi poterit, si de priori professione sufficienter constiterit.

Hoc autem maxime procedit, quando professio conditionata fit in manibus eius qui potestatem habet admittendi ad professionem. An vero idem dicendum sit in casu suprà tractato, quando professio fit in manibus eius, qui non habet potestatem, sub conditione, si superior consenserit, seu ratum habuerit, aut potestatem concesserit, non facilè dixerim, quia nõ videtur omnino eadem ratio, eo quòd hic posterior contractus non fit inter personas habiles ad contrahendum in tali materia, & quia multum abutitur potestate, quam non habet, etiamsi id faciat sub ratihabitione, quia hic actus requirit potestatem habitam, non habendam. In contrarium verò est, quia cùm hic contractus resoluatur in obligationem de futuro, per adiectam conditionem videtur purgari omne vitium. Nam si expressè diceret: Promitto profiteri in manibus tuis, si prælatus tuas vices sibi commiserit; videtur promissio valida, & impleta conditione obligabitur quis profiteri; sed in hunc sensum reducitur alius contractus: ergo licet in modo excedatur, eadem obligatio inducetur. Atque hæc pars, omnibus pensatis, probabilior videtur, quamuis opposita non sine probabilitate possit disputando defendi, propter magnum abusum illius professionis inusitatum in Ecclesia, & valde repugnantem intentioni prælatorum, à quibus talis conditio pendet. Et iuuare possunt, quæ in simili de matrimonio suprà tractat Couarr. n. 7. & 8. & infrà agentes de professione inualida, aliqua addemus.

21.

22. *Dubium, an professio per procuratorem sit valida.*

Atque ex his expediri potest incidens dubium, scilicet an professio fieri possit per procuratorem: nam ex dictis videtur sequi, non posse, quia consensus per procuratorem datus videtur resolui in conditionatum, quando potestas procuratori committitur; & ideo quamuis per procuratorem fiat professio, non videtur valida, donec ipse religiosus iterum absolutè consentiat, & factum confirmet, quia antea solùm videtur impleta conditio, quod non satis est, vt professio valida esse incipiat, vt diximus. Nihilominus dicendum est professionem fieri posse per procuratorem. ita docuit Sylues. verb. *religio* 3. quæst. 15. Angel. verb. *Religiosus* Rosella, verbo *Nouitius*, num. 23. Armilla num. 14. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 5. q. 5. Sà verbo *Religio*, n. 14. Miranda in Manual tom. 1. quæst. 14. artic. 1. concl. 2. Et id tanquam certum supponit Nauarr. consil. 32. de Regular. quod incipit, *Nunc*, vbi tractans de professione facta per procuratorem ad id specialiter deputatum, quæ ex aliis capitibus videbatur dubia, ex illo tanquam certum supponit, fuisse validam. Ratio est, quia omnis contractus fieri potest per procuratorem, si non sit lege prohibitum; iuxta l. 1. §. *vnus* ff. de Procuratoribus &

regula 68. de reg. iuris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*: Sed professio perficitur per modum cuiusdam contractus, qui nullo iure à prædicta regula excipitur; vnde glossa super regula plures exceptiones adhibens, huius non meminit, quod etiam videre licet in glossa in cap. *Quid agendum*, de Procuratorib. in 6. Item matrimonium fieri potest per procuratorem cap. vlt. de Procurat. in 6. ergo & professio, quid enim magis obstat? Quocirca circa modum sic profitendi seruanda ferè sunt, quæ circa modum sic contrahendi matrimonium communiter traduntur; & in dict. cap. vlt. significatur, ex quibus *illud* maximè essentiale est, vt scilicet consensus non sit reuocatus ante vsum procurationis, quia postea iam deficeret consensus, vt in dict. cap. expressè dicitur, & est per se manifestum, & deo non esset valida professio. Deinde oportet vt procurator sit ad hoc munus specialiter deputatus, id est, ad professionem nomine alterius emittendã, & in tali religione, aut monasterio, quod insinuat Nauarr. suprà, & à simili potest colligi ex dict. ca. vlt. Verum est argumentum à simili non esse in hac materia multum efficax, si conditio illa non sit iure naturæ necessaria, sed ex speciali iure positiuo, & fortasse ob hanc causam Sylvest. nullam facit mentionem huius specialis conditionis.

*Duæ requiruntur cõditiones*

23. *Resolutio.* Nihilominus multo securius est illam seruare, & videtur satis probabile ex natura rei esse necessariam moraliter loquendo, quia emittere professionem, est actio adeò specialis, & difficilis, vt moraliter comprehendi non possit sub clausula generali: oportet ergo vt mandatum procuratori datum expresse sit ad professionem emittendam, & consequenter etiam ad determinatum locum, seu religionem, quia deliberatio circa religionem, & voluntas profitendi ad determinatam religionem haberi, & terminari debet. Quamuis autem moraliter hoc ita sit, si in rigore rem speculemur, non video, si mandatum daretur ad profitendum cum expressa indifferentia, & optione vt procurator eligeret religionem, cur in rigore non sufficiat, cùm ex natura rei nihil impediat, & nullo iure prohibitum inueniatur.

*Professio valide fieri potest per literas.* Hinc etiam videtur fieri consequens professionem posse fieri per literas, nam alii contractus etiam matrimonium, possunt hoc modo perfici. Neque hic occurrit aliquid speciale præter ea, quæ in simili de matrimonio tractari solent. Solùm aduerto vt considerentur specialia iura religionum, & obseruentur aliæ solennitates, vel circumstantiæ, quæ in vnaquaque tanquam essentiales declaratæ fuerint; vnde si aliquæ huiusmodi essent incompossibiles cum illo modo profitendi in absentia, non haberet locum in tali religione, ordinarie tamen nullæ videntur esse huiusmodi circumstantiæ.

24. *Vltima difficultas circa habitũ, vel locum.* Vltimò inquiri potest vtrùm habitus, vel locus pertineat ad necessariam formam professionis, & consequenter an professio fœminæ in religione seu in monasterio virorum, vel è conuerso, valida sit. In qua re certa, & communis resolutio est, susceptionem habitus, aut ingressum in monasterium, aut quòd professio intra religionem, vel in Ecclesia fiat, non esse de substantia, & valore professionis. ita docent omnes Doctores, & est satis expressum in cap. *insinuante*, qui cler. vel vou. & sumitur ex cap. *porrectum*, & aliis, de regular. Et ratio reddi potest, quia hæ circumstantiæ sunt valdè extrinsecæ, & ideo nulla fuit ratio, cur tanquam essentiales designarentur. Hinc verò inferunt aliqui Doctores professionem à fœmina factam in religione virorum validam esse, per eam tamen non obligari ad habitandum cum illis, sed ad seruandam religionem in domo sua, vel in alio conuenienti loco. ita Panormit. in dict. cap. *insinuante*, Angel. verbo *professio*, n. 3. Sylvest. *Religio* 3. quæst. 9. qui hoc colligunt ex dict. cap. *insinuante*. Sed quamuis fortasse quæstio pertineat ad modum loquendi, non existimo propriè dictum, fœminam posse valide profiteri in religione virorum, & è conuerso; & ita communiter sentiunt Doctores, qui de hoc dubio disputant, Nauarr. lib. 1. consil. titulo de ætate, & qualitate, consil. 8. num. 10. & lib. 3. titul. de regular. consil. 47. num. 1. Henriq. lib. 14. de irregul. cap. 8. num 6. in Comment. lit. A. Sà verb. *Religio* num. 30. & alii. Neque oppositum colligitur ex dict. cap. *insinuante*, nam ibi solùm dicitur fœminam vouisse in manibus fratris sancti Augustini, & postea habitum illius religionis gestasse, habitum scilicet ad fœminas pertinentem. Vnde non sequitur fœminam professam fuisse religionem virorum, sed religionem, cuius regula pro viris, & fœminis approbata est, & in qua viri præsunt fœminis, ideoque fœminæ in prælati manibus profiteri debent.

25. *Resolutio difficultatis.* Proprie ergo professio fœminæ non potest esse in religione virorum, sed ad summum in religione suo modo vtrisque communi, & in ea parte, quæ ad fœminas pertinet, & seruato decenti modo. Cùm enim professio fieri non possit nisi in religione approbata, aut approbata est pro solis viris, vt est, v.g. Societatis, & sic nullo modo poterit professio fœminæ in tali religione valida esse, etiamsi in domo propria, vel quacunque alia ratione fiat, nisi fortasse ex speciali concessione Pontificis, quia facultas admittendi ad professionem vltra approbationem non extenditur. Et eâdem proportione, vel maiori ratione, si religio approbata sit pro solis fœminis, non poterit professio viri in ea esse valida; at si religio complectatur suo modo viros, & fœminas, & pro vtrisque partitione accommoda approbata sit, poterunt quidem in illa recipi & viri, & fœminæ, sed non propterea profitetur fœmina religionem virorum, nec quatenus virorum est, sed religionem communem, quatenus ad fœminas accommodata, & approbata est.

## CAPVT XIII.

### *Quos effectus habeat valida professio expressa.*

HActenus explicuimus omnes causas professionis, & consequenter conditiones omnes necessarias, vt valida, & expressa sit. Nunc dicendum est de effectibus, quod amplissimam nobis posset præstare materiam, si omnia illa, quæ ex professione religiosa consequuntur, numerare velimus; nam reuera illa omnia possunt inter effectus professionis computari: sed quia in discursu materiæ illa omnia explicanda sunt, ideo in præsenti solùm est breuiter notandum in professione duo includi, scilicet traditionem, & tria vota, & ex vtroque proprii effectus oriuntur. Ex voto enim castitatis sequitur inhabilitas ad matrimonium, & irritatio matrimonii rati, & non consummati, si præcessit; & ita hi possunt inter effectus professionis computari; tamen quia specialiter annexi sunt voto castitatis, ideo melius de illis dicemus infrà de voto castitatis solemni religionis in speciali disputando. Atque idem dicendum est de aliis effectibus annexis professioni ratione voti paupertatis, vt est inhabilitas ad habendum proprium, translatio omnis iuris proprii in religionem, &c. Idemque est de effectibus, qui consequuntur ratione voti obedientiæ, si qui fortasse sunt præter obligationem parendi prælato, quos postea inquiremus.

*Ponuntur effectus professionis ratione trium votorum.*

Eodem modo intelligere possumus aliquos effectus sequi ex professione ratione traditionis. Quorũ primus

Effectus qui ex professione quatenus naturalis.

primus, & quasi formalis est, vt homo non maneat sui iuris, sed sub dominio, & potestate religionis, cui etiam incorporatus tanquam verum membrum politicum eius; quamuis enim hæc non fiant nisi per professionem validam, quæ traditionem, & votā includit, tamen sicut aliqui effectus accommodantur illi ratione vnius, vel alterius voti, ita etiam aliqui ratione traditionis, cui maxime correspondet translatio dominii, seu iuris in propriam personam, in religionem ipsam, & consequēter quasi priuatio iuris in se ipsum, ad quam consequitur obligatio ad seruandam regulam religionis; sicut membrum reipublicæ tenetur seruare leges eius ex vi vnionis politicæ, quam cum illa habet. Deinde ex eadem radice sequitur dominium, seu ius, quod religio habet ad omnes actiones religiosi, quia se illi donauit in quandam honorificam seruitutem, vel spiritualem filiationem. Fortasse etiam potestas irritandi vota, quæ est in prælato religionis, hanc traditionem proximè consequitur, quamuis soleat etiam voto obedientiæ tribui, vt suprà diximus, quatenus per illud subiectio, & abnegatio propriæ voluntatis, quæ per hanc traditionem fit, prædicto voto firmatur, propter quod solent hæc duo tanquam vnum reputari, vt infrà tractando in speciali de voto solemni obedientiæ videbimus. Item posset inter hos effectus computari absolutio ab omnibus prioribus votis, vel etiam ab omnibus debitis, quam ipso facto consetur religiosus per professionem obtinere. De quo effectu, quo sensu verus sit, & quomodo ad professionem consequatur, capite sequenti dicendum est.

2. Aliqui non effectus professionis quanquam professionis, sed ex priuilegio

Præter hos autem effectus, qui sunt magis intrinseci, & reputari possunt quasi propriæ passiones professionis, alii cogitari possunt magis extrinseci, quanquam hi nulli esse videntur ex sola vi & natura professionis, sed ex aliquo priuilegio illi adiuncto: nam ex sola rei natura nihil aliud sequi videtur ex professione præter id, quod intrinsecè spectat ad obligationem talis seruitutis, seu subiectionis cum obligatione trium votorum; de quibus obligationibus sigillatim postea dicendum est; quin etiam impedimenta illa, quæ specialiter sequuntur ex votis, non censentur esse intrinseca ex natura rei, sed iure Ecclesiastico adiuncto, nisi aliquod eorum habeat aliquam necessariam connexionem cum ipsa obligatione, & materia voti, vt in particulari postea videbimus. Ex priuilegio autem potest intelligi aliquis effectus sequi ex professione, vel Ecclesiastica consecratione, vel diuina. Priori modo potest inter hos effectus poni, si verum est, per professionem auferri inhabilitates, vel irregularitates, quod de aliquibus affirmari potest; non de omnibus, de quo in materia de irregularitate dictum est, & attigit Nauar. comment. 2. de Regular. num. 60. Deinde hinc etiam spectat exemptio personæ religiosæ à iurisdictione iudicum ordinariorum, nam hoc non sequitur intrinsecè ex promissione. Quod est certū, si loquamur de exemptione à iurisdictione Episcoporum, nam olim religiosi erant Episcopis subjecti, & nunc sunt aliqui; nec poterant ipsi se eximere à iurisdictione ordinaria Episcoporum per suam propriam voluntatem, quidquid ipsi vouerent, nisi sedes Apostolica eos eximeret, & sub sua speciali gubernatione susciperet; eisque propriam iurisdictionem conferret. Si verò sit sermo de exemptione à iurisdictione temporali, magis dubitari potest, an sequatur ex vi solius professionis, attento tantùm iure diuino; cum qua dubitatione alia coniuncta est, scilicet, an ex vi professionis religiosus fiat persona Ecclesiastica ratione diuini iuris, vel humani Ecclesiastici, nam quod ita fiat, certum est, argumento cap. *Si quis suadente.* 17. quæst. 4. & aliorum iurium, quæ attigit Nauar. dicto num. 60. Sed hæc, & similia infrà disputabuntur commodiùs tractando de priuilegiis religiosi status in genere. Et de hoc multa diximus lib. 4. de defensione fidei disputando generatim de exemptione Ecclesiastica. Verisimilius enim est, quamuis hæc ducant originē ex diuino iure, non consummari nisi Ecclesiastico. Ne igitur hîc cogamur omnia, hæc priuilegia explicare, satis sit in vniuersum dicere, omnia, quæ specialiter conceduntur personis religiosis, eo quod professæ sunt, inter hos effectus professionis computari.

4. Ex iuuino attributur indulgentia plenaria, & quatis.

Ex diuino autem iure potest professioni attribui effectus obtinendi remissionem totius culpæ, & pœnæ, quasi ex opere operato: hunc enim effectum videtur illi tribuere D. Thom. 2. quæst. 189. art 3. ad 3. vbi cum formidine ait, *Rationabiliter dici potest, quòd per ingressum religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum; vnde* (subdit inferius) *legitur in vitis Patrum, quòd eandem gratiam consequuntur religionem intrantes, quam consequuntur baptizati.* Vnde Bellarmin. lib. 2. de Monach. cap. 6. inquit hoc non esse certum, sed pie credi, & ad id confirmandum adducit congruentia testimonia Athanasij, Hieronymi, & Bernardi. Nauar. etiam in comment. 2. de Regular. num. 60. ait professionem indulgentiam plenariam operari. Consentire videntur communiter Theologi, ac Summistæ de hac remissione & condonatione generatim loquendo. D. Anton. p. 3. c. 3. Palud. in 4. d. 4. quæst 3. Angelus verbo *religiosus* nu. 46. Sylvest. *religio* 3. quæst. 23. Bernard. Senens. allegatus ab Angelo supra Hieronym. Platus de bono statu relig. cap. 13. Wald. de sacramental. tit. 9. cap. 80. Azor lib. 12. instit. moral. cap. 5. quæst. 11. Emman. Sà verbo *religio* num. 17. Less. lib. 2. cap. 41. dubit. 8. num. 72. & alij.

5. Est temerarium aliquipiare professionē vel martyrio.

Veruntamen nullus ex prædictis authoribus absolute æquiparat professionem baptismo, vel martyrio in hoc, quòd aliquando ex opere operato, vel ex speciali priuilegio primam gratiam conferat, vel faciat ex attrito contritum; imò Bellarm. in hoc expresse ponit differentiam inter Baptismum, & professionem, quòd Baptismus tollit culpam, & pœnā, professio autem non tollit culpam, sed pœnam. Et Nauar. cum limitatione loquutus est, dicens, *Professio regularis facta cum debita contritione indulgentiam plenariam operatur.* Caietan. etiam circa dictam solutionem ad tertium pro certo habet, eum, qui facit professionem in peccato mortali, non solùm non consequi tunc remissionem culpæ, aut pœnæ, verùm etiam quando postea conteritur, nullam remissionem pœnæ consequi ratione præcedentis professionis, quæ opus mortuum fuit, & sic ferme loquuntur cæteri. D. Thom. verò aperte loquitur de satisfactione pro peccatis, & de absolutione à reatu pœnæ, non culpæ. Quapropter temerarium censerem hunc effectum tribuere professioni; est enim res grauissima, & valde supernaturalis, quam sine reuelatione, traditione Ecclesiæ, ac Patrum doctrina asserere temerarium est. Maximè cùm hoc priuilegium necessarium non sit, cùm nec professio sit sacramentum habens vim ex opere operato, nec per se loquendo instet necessitas articuli mortis, neque finiatur vitæ tempus ad agendam pœnitentiam concessum, sicut finitur per martyrium, sed potiùs ibi quodammodo inchoatur status ad pœnitentiam agendam aptissimus.

6. Verus sensus.

Solùm ergo docent prædicti authores hanc gratiam esse diuinitus concessam professioni, vt si quis illam emittat in statu gratiæ, ei remittatur totus reatus pœnæ temporalis ex Dei liberalitate, vel quasi gratitudine, etiamsi ipse aliàs non reddat satisfactionem

nem condignam illi reatui. Quam assertionem piam esse fateor, & probabilem propter authoritatem tantorum Doctorum, & quia cedit in fauorem religionis, & quia congruum videtur, vt Deus ea liberalitate vtatur cum amico, qui se illi totum tradit. Fateor tamen me non videre probationem satis cogentem. Nam D. Thom. nullam mentionem priuilegij, aut diuinæ liberalitatis facit, sed in excellentia illius operis effectum hunc fundare conatur. *Rationabiliter autem dici potest, quod etiam per ingressum religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum, sicenim aliquibus eleemosynis factis homo statim potest satisfacere de peccatis suis multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter diuinis obsequijs mancipet per religionis ingressum, quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publica pœnitentiæ, sicut holocaustum excedit sacrificium.* Ex quo verborum discursu constat D. Thomam sensisse non ex priuilegio, sed ex virtute talis operis ad satisfaciendum hanc integram remissionem comparari, & virtute facit hanc rationem; Per magnam eleemosynam, vel per aliquam pœnitentiam publicam solent homines iusti condignè satisfacere pro suis peccatis, ita vt totus reatus statim eis remittatur: ergo multo magis id poterunt per professionem religionis. Quæ quidem illatio est per se probabilis ex genere talis operis, tamen quia illud opus potest esse magis, vel minus satisfactorium iuxta affectum, & dispositionem profitentis, & peccata præterita possent postea esse plura, vel pauciora, ideo illatio non est euidens, & ob eam causam dixit D. Thom. *Rationabiliter dici potest*; atque ita non ponit hanc tanquam certam regulam ex aliqua promissione Dei, ideoq; subiungit, *Sitamen non absoluentur per hoc ab omni reatu pœnæ, nihilominus vtilior est professio religionis, quàm peregrinatio Terræ sanctæ.* &c. Itaque mens eius fuisse videtur, tale esse, tamque excellens hoc opus, vt quamuis ordinario modo ex bono affectu charitatis, etiam sine extraordinario feruore fiat, ad satisfactionem pro omnibus peccatis regulariter sufficiat, nisi illa sint magna, & multa & pœnitētia de illis parua, moduſque profitendi valde remissus. Sed quia hæc omnia rarò concurrunt, ideo moraliter dictus effectus professioni attribui potest. Atque ita seipsum explicuit D. Thom. in 4. dist. 4. qu. 3. art. 3. q. 3. ad 3. & Nauar. comment. de indulgentiis in §. *In Leuiticum*, notab. 20. n. 17.

7. *Professio habet hanc remissionē ex se, nō ex priuilegio.* Atque hoc videtur mihi magis extollere, ac commendare religiosum statum, & professionem eius, quia non extrinseco priuilegio incerto, sed certæ perfectioni, & excellentiæ talis operis effectus ille tribuitur. Neque etiam ex Sanctis Patribus amplius colligi videtur; Athanasius enim in vita Antonii solùm refert Antonium tempore mortis audiuisse Sanctos Angelos dicentes omnia peccata sibi fuisse remissa, quando monasticam vitam professus est: ex quo non potest colligi speciale priuilegium, tum quia ibi magis agebatur de remissione culparum, quàm pœnarum; vel si de tota remissione intelligatur, sicut prior intelligitur comparata non ex priuilegio, sed per dispositionem proportionatam, & ita posterior per condignam satisfactionem; tum etiam, quia si in aliquo potuit professio habere hunc effectum modo à nobis declarato, maxime in Antonio, in quo peccata vitæ superioris leuiora erant, & feruor conuersionis maximus: Hieronymus autem epist. de Blasila solùm dicit, *Cum propitio Christo ante quatuor ferme menses secundo quodam modo se Baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo semper monasterium cogitarit.* Ex quibus verbis solùm colligi potest ingressum monasterij, cuius propositum Blasila habebat, Baptismo à Hieronymo comparari, & ideo

*Professio assimilatur baptismo.* secundum Baptismum illum appellare. Cuius simile refert D. Thom. ex vitis Patrum, sed non oportet comparationem fieri per similitudinem æqualitatis, alioqui tribuendum esset professioni, quòd faceret etiam ex attrito contritum, sed per quandam proportionem, ad quam sufficit prædictus effectus dicto modo explicatus. Vnde Bernar. lib. de præcepto, & dispensat. interrogans cur Monasteriales disciplina secundum Baptisma nuncupetur, respondet, *Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, quæ præeminet vniuersis vitæ humanæ generibus. Huiusmodi conuersatio profectores, & amatores suos Angelis similes, & dissimiles faciunt, imò diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar Baptismi, & quasi denique secundò baptizamur, dum per id quòd mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, Christum induimus, complantati similitudini mortis eius.* In quibus verbis in primis videtur comparationem illam attribuere non solùm professioni, sed obseruationi eius, & toti vitæ religiosæ, quam alibi martyrio comparauit; & deinde si ipsi professioni aliquid in hoc negotio tribuit, non illud fundat in priuilegio, vel promissione aliqua Dei, sed in ipsius operis excellentia.

Præterea non videtur ampliùs necessarium ad fauorem religiosæ professionis, cùm & ipsa habeat proportionem ad prædictam satisfactionem, quod melius est, vt dixi; & præterea quodammodo obliget hominem ratione status ad maiorem in dies satisfactionē exhibendam pro peccatis præteritis ratione status susceptī. Vnde, & tali operi, & statui magis accommodata ratio prouidentiæ videtur, vt religiosi pro peccatis præteritis, vel in ipsa professione, vel si tunc remissi fuerint, post illam pro peccatis præteritis condigne satisfaciat. Hæc autem dixerim, non vt priorem sententiam simpliciter reiciam, neque vt piam existimationem, aut deuotionem erga professionem religiosam imminuam; sed vt certa ab incertis distinguam, & religiosos admoneam ne spe illius liberalitatis incertæ, certam satisfactionem pro peccatis omittant. Addendum verò est ex concessione summorum Pontificum aliquibus religionibus concessum esse, vt omnes personæ in eis recipiuntur, plenariam omnium peccatorum indulgentiam in ipso ingressu, & iterum in morte consequantur, sicut conceditur religiosis Societatis Iesu, vt habetur in compendio priuilegiorum eiusdem Societatis, verbo *Indulgentia*, §. 4. qua cæteri mendicantes fruuntur. 8.

## CAPVT XIV.

### *Vtrùm per religiosam professionem commutentur, seu extinguantur omnia vota, quæ ipsam præcedunt.*

HIc est vnus ex præcipuis effectibus, qui tribui solent professioni religiosæ, quia verò res difficultatem habet, siue quæstio procedat de ipsa commutatione, an fiat generalis de omnibus votis, quæ professionem præcedunt, siue de modo, an scilicet fiat ipso iure, vel semper requirat actum hominis commutantis, ideo de illa sigillatim hîc disputabimus. Duobus verò modis potest Papa absoluere, vel ligare, scilicet, vel communi iure, vel ab homine, seu per proprium personalem actum in particulari. Hic autem posterior modus est vsitatus, & indubitatus, ac certus in huiusmodi actu commutandi vota. De priori verò est specialis dubitatio propter vota simplicia, quæ præcedunt professionē religionis, an ipso iure commutentur in statum religionis. Nam de cæteris omnibus votis certum est, nullam talem commutationē in illis reperiri; à nullo enim authore, quem ego viderim, asseritur, neq; 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non nō fo
ri iure

in iure scripta inuenitur, nec est introducta consuetudine aliqua, de qua nobis constet. Ex quo in primis colligimus, commutationem voti in minus bonum, imò & in æquale nunquam ipso iure fieri, quia si aliqua commutatio fit ipso iure, maximè est votorum simplicium in statum religiosum; at verò illa non est (si reuera est) nisi ratione melioris boni: ergo in minus, vel æquale nunquam fit ipso iure. Ratio etiam hoc suadet, quia ad faciendam huiusmodi commutationem licitè, & valide, necessarium est in particulari considerare circumstantias actionum, vel personarum, & ex eis colligere, tum causam, tum etiam modum commutationis, argumento cap. 1. de voto. Sed ad huiusmodi consideration em necessaria est hominis actio; non ergo potest talis commutatio rectè fieri ipso iure, sed debet fieri ab homine, id est, à Pontifice, vel immediatè, vel per alium, cui illam committat.

1. Commutatio votorum ipso iure non fit in melius.

Et hinc etiam fortasse est, vt extra illum casum de religione, certum sit, nullum alium reperiri, in quo vota commutentur, etiam in melius. Quia licet supposita certitudine de meliori bono non sit necessaria causa, vt commutatio fieri possit, tamen illa comparatio inter particularia bona in iure facta non est, quia vel moraliter non potuit, quia quod secundùm speciem suam est melius bonum, potest in individuo esse minus; vel certe non oportuit, quia nulla erat moralis necessitas talis commutationis; quia si in particulari constiterit de meliori bono, vouens si voluerit, potest illam facere, non potest autem cogi ad illam faciendam, quia voti obligatio voluntaria suscipienda est: si autem non constiterit in particulari de meliori bono, non expedit, vt authoritate iuris talis commutatio fiat. Neque in hoc æquiparanda est lex gratiæ legi veteri, in qua vota quædam necessariam, vel determinatam habeant iure diuino commutationem, vt patet Leuit. vlt. illa enim præcepta fuerunt eo tempore cæremonialia, & accōmodata illi statui propter genera sacrificiorum, & oblationum, quæ tunc erant in vsu; in lege autem noua nullum est ius diuinum de hac re, & humanum esse non oportuit propter dictas causas.

2. Commutatio votorum ipso iure non fit in melius.

In illo autem particulari casu de statu religionis est communis sententia, omnia vota præcedentia extingui per professionem religionis, veluti per quādam commutationem in quidpiam ita melius, vt vniuersaliter, & quasi eminenter omnia præcedentia comprehendat. ita tenet D. Thom. hîc art. 12. ad 1. & quæst. 189. art. 3. ad 3. quibus locis idem affirmat Caietan. Quod adeò verum censuit D. Thom. vt in eadem quæstione 189. art. 8 ad tertium dixerit, eum, qui vouit ingredi religionem arctiorem, & sua authoritate ingressus est laxiorem, & in ea professionē emisit, non teneri amplius transire ad strictiorem religionem, quia prius votum simplex extinctum fuit per subsequens solenne, etiamsi talis professio facta non fuerit sine peccato ratione præcedētis voti simplicis. Idem tenet Soto 7. de iustitia q. 4. art. 3. Palud. in 4. dist 38. q. 4 art. 2. & ibi suppiem. Summa confess. lib. 1. tit. 8. q. 78. Syluest. *Votum* 3. qu. 9 & *Votum* 4. q 3. vers. 4. & qu. 7. vers. 3. Tabiena *votum* 3 § 9. Nauarr. c. 12. n. 65 & 78. Couar. in cap. *Quamuis pactum.* 1 p. §. 3 n. 4 Armilla verbo *votum* n. 28. Significant Glossa, & Canonistæ in cap. *Scripturæ*, de voto. Ex quo textu sumitur præcipuum fundamentum huius sententiæ, sic enim ait, *Rursus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur in religione obseruantiam commutare.* Cuius etiam triplicem rationem indicat D. Thom. suprà. Prima, quia alia vota sunt de particularibus operibus; professio autem religionis est de tota vita hominis, & ideo in illa cætera includuntur, sicut particularia in vniuersali. Secūda, quia per professionem moritur homo priori vitæ. Tertia, quia singulares obseruantiæ religioni non competunt, satisque est illius onus sustinere.

Quia verò hæc fundamenta non videntur satis conuincere ad persuadendam dictam sententiam, vt constet, quid sit certum, quid verò dubium, aduertendum est primò, quædam esse vota præcedentia professionem, quæ non possunt simul impleri cum ipsa professione, vt vota peregrinationum, eleemosynarum, & similia; alia verò esse, quæ simul cum professione consistere, & impleri possunt. De prioribus res est certa commutari, & extingui per professionem religionis; & hoc maxime probat. ca. *Scripturæ*, & fortasse nihil aliud, in quo non tam conditius quàm declarat, vt patet ex ratione, quam adducit, quæ ita etiam formari potest. Quia votum natura sua includit conditionem, vt maius bonum non impediat; constat autem maius esse bonum religionis, quàm quodlibet aliud temporale, vel particulare, quod per alia vota vouèri solet, aut potest: ergo qui professetur religionem prætermissis prioribus votis, non agit contra illa, sed vtitur iure suo, quod in priori voto semper intelligitur reseruatum, & consequenter priora vota cessant, quia iam etiam cessauit conditio, sub qua intelligebatur esse factum. Maior supponitur in dicto cap. Et in integra eius lectione expressè sic habetur. *Scripturæ sacræ testimonio declaratur, quòd spirituali homo propositum non mutat, cum pro salute animæ suæ vtilius aliquid meditatur.*

4. *Vota præcedentia professionem, quæ cū illa simul impleri non possunt, per eam cōmutantur, & extinguuntur.*

Neque oportet ab hac generali regula excipere votum peregrinationis Terræ sanctæ, vt quidam voluerunt, tum quia ratio facta, & in textu expressa generalis est, nam etiam illa peregrinatio est temporale obsequium, & non debet impedire perpetuum; tum etiam, quia ex integra lectione illius textus constat de illo speciali casu loquutum fuisse Romanum Pontificem, verba enim sunt. *Inde est, quòd vestris iustis postulationibus alàs non indignati indulgemus, inclinati vobis indulsimus, quatenus si quis sepulchrum dominicum, vel alia limina sanctorum proposuerit visitare, & infirmitate, vel alia rationabili causa occurrente apud vos religionis habitum assumere, atque Deo seruire voluerit, libere eum recipere valeatis, nec voti facti reus habeatur, qui temporale*, &c. Constat ergo Pontificem idem censere quoad hanc commutationem de voto peregrinationis Terræ sanctæ, quod de aliis. Posset autem quis interpretari hæc verba de voto peregrinationis tantùm deuotionis causa, non tamen de alio voto in subsidium Terræ sanctæ. Et ita illud excipit Sylvest. *Votum* 4. quæstione 7. vers. 3. Angel. eodem verb. in principio. Alii verò Doctores communiter etiam hoc non admittunt, vel tacendo talem exceptionem, vel expressè illā excludendo, vt Caiet verb. *Voti dispensatio*, & Nauar numer. 79. Qui tamen absolutè loquuntur de voto Hierosolymitano; sine dubio tamen volunt excludere Syluestri limitationem. Et idem sentiunt Richard in 4. distinct. 38. & Angel. verbo *Votum* 4. Et cùm textus in hoc nihil distinguat, non est cur nos distinguamus, & materiam fauorabilem coarctemus; quod magis ex dicendis patebit. Considerari etiam potest in illis verbis, quæ ex integra lectione retulimus, in eis non significari hanc commutationem ex natura rei, vt dicebamus, sed ex speciali gratia, & nouo iure Pontificio; hoc enim significat verbum illud, *indulgemus*. Et ratione etiam declarari potest, quia votum peregrinationis non est simpliciter incompossibile cum voto religionis, posset enim priùs peregrinatio fieri, & postea religionis habitus suscipi: ergo quòd prætermisso hoc ordine liceat statum ingredi religionis, videtur esse indultū

5. *Etiam extinguitur votum peregrinationis Terræ Sanctæ.*

*An hæc cōmutatio fiat ex natura rei, vel ex gratia, & iure pōtificio.*

Pontificis. Respondeo priùs ad hanc rationem cõparatione facta ad idem tempus, melius esse ingredi religionem, quàm peregrinari; & ideo licet verum sit, eum qui habet peregrinandi votum, illud implere priùs debere, & postea ingredi religionem; melius nihilominus est statim ingredi, quàm illum ordinè seruare, quia in illamet anticipatione religionis, ex suo genere est maior spiritualis vtilitas; præterquam quòd interposito illo tempore possunt offerri occasiones, aut pericula, quæ propositum religionis impediant. Adde, quòd seruato illo ordine, iam non esset locus commutationi; nam post votum impletum, quæ esse potest commutatio? Igitur ad illud verbum textus respondeo, aut verbum illud solùm esse beneuolentiæ, & authoritatis, vel ad summum significare, Pontificem fecisse aliquam gratiam illis religiosis declarando talem esse illorum statum, vt præferatur cæteris actibus etiam voto promissis. Denique in collectione Gregoriana omissum est illud verbum tanquam non necessarium, & fortasse ad hanc ambiguitatem tollendam.

6. *Etiam extinguuntur purè vota realia.*

Rursus addendum est, non esse necessarium excipere vota realia, vt recte adnotarunt Caiet. Couar. & alii suprà. Idem Caiet. 2. tomo opusc. tract. 11. q. 3. Cuius fundamentum sumendum est ex dictis suprà tractatu præcedente, scilicet, quòd per votum reale non acquiritur ius ei, in cuius vtilitatem cedit; & ideo eo sistendum est in puro voto; quia si adiuncta est propria humana promissio, illa non commutatur, sed implenda est, sicut sunt alia humana debita soluenda, si fieri potest. Quando verò sunt pura vota, etiamsi realia sint, commutari possunt; vnde in verbis, & ratione textus allegati hæc etiam comprehenduntur; & ideo, etiamsi sit votum in subsidium Terræ Sanctæ, quod mixtum est, & quoad eam partem redimi posset, sub hac generali regula comprehenditur, & sufficienter commutatur in professionem religionis tanquam temporale obsequium in perpetuum. Oportet autem aduertere hîc solum esse sermonem de his votis quatenus eorum obseruantia incompossibilis est cũ statu religioso, in quo homo nihil habet proprium, ex quo possit vota realia implere. Vnde nũc solùm considerantur illa vota, quatenus obligare possent pro illo tẽpore, pro quo homo iam est religiosus, vt si esset votum dandi singulis diebus, vel annis talem eleemosynam, aut faciendi piam operã. Et idem censeo de quolibet voto reali, cuius obligatio non vrget ante illud tẽpus, in quo homo, vult fieri religiosus, quia non tenetur tunc homo anticipare solutionem; nec postea locum habet obligatio, vt declaraui. At verò si votum reale tale sit, vt possit, & debeat esse impletum eo tempore, tunc obseruantia talis voti non est incompossibilis cum ingressu religionis, vt per se constat; & ideo in eo non habet locum præsens regula, sed iuxta aliam partem propositam de votis incompossibilibus, de hoc iudicandum est.

*Promissio humana nõ commutatur, sed debet impleri.*

7. *Duplex genus Votorum, quæ possunt esse simul cum professione.*

Alia ergo sunt vota, quorum obseruantia & executio simul esse posset cum professione religionis. Quæ in duplici sunt differentia, quædam, quæ sufficienter impleri possunt, ante ingressum religionis sine vllo impedimento, vel dilatione eius, vt, v.g. quia licet homo velit hodie ingredi religionem, hodie etiam potest priùs facere eleemosynam, aut sacrificium, vel orationem, aut aliud simile, quod promisit. Alia verò sunt implenda in ipso statu religionis, quia & materia illorum in eo statu locum habet, vt sunt orationes, ieiunia, &c. Et duratio obligationis talis voti per se extendebatur ad totum illud tempus. Et in vtrisque intelligi potest duplex commutationis modus. Vnus ex voluntate, & intentione ipsius vouentis: alius ipso iure, seu facto, ipso etiam homine nihil de tali commutatione cogitante, aut volente.

8. *Vota, quæ vrgent ante ingressũ religionis, non commutantur ex vi iuris, possunt tamen commutari ex intentione vouentis, & quomodo.*

Hoc ergo posito, de prioribus votis res est facilis. Aut enim tempus, pro quo obligabat tale votum, impletum est ante ingressum religionis, vel nõ. Si iam est impletum, debet etiam statim impleri votum, etiamsi religionis ingressus proxime futurus sit; suppono enim non differri propter implendum aliud votum (hoc enim nunquam est necessarium, vt dixi) sed ex voluntate ipsius hominis religionem ingressuri; tunc autem nulla est ratio excusans ab obseruatione voti, quod iam obligat. Vt, v.g. habeo votum ieiunandi hodie, & decreui crastina die ingredi religionem, nihilominus teneor hodie ieiunare, neque obseruantia huius ieiunii est incompossibilis cum illo ingressu, nec est causa dilationis eius, neque ex vi iuris commutabilis in illum, quia eo tempore, quo ingressus religionis est futurus, iam erit violatum votum, & obligatio eius extincta propter lapsum tempus, pro quo obligabat. Solùm ex intentione vouentis posset ibi interuenire commutatio hoc modo, si nimirum talis persona hodie, & ex nunc habeat animum ad ingressum religionis, & in hanc obligationem commutandi ieiunium, vel aliud votum, quod pro hodie habetur. Quòd enim hoc modo fieri possit, manifestum est ex dictis, quia est commutatio in bonum euidenter melius; vtrunque autem necessarium est ad illam commutationem. Primum, vt habeat animum se obligandi ex tunc, quia in commutatione voti non auferetur eius obligatio, sed in aliam materiam mutari debet; & ideo non satis est habere propositum ingrediendi, sed etiam transferendi obligationem voti de actu præsenti in ingressum futurum. Secundò est necessarium non tantùm obligari ad religionem, sed etiam velle in hanc obligationem aliam commutare; nam qui habet vnum votum, & facit aliud melius, non statim ipso facto commutat vnum in aliud, nisi à principio habuerit animum suscipiendi posterius votum loco prioris, & non coniungendo vtrunque simul.

9. *Vota, quorum impletio non venget ante ingressum religionis, nõ sunt ex necessitate antea implenda.*

Ita ergo censendum est de his votis, quæ debuerunt, & potuerunt impleri ante ingressum religionis. Illa verò, quorum obligationis tempus nondũ aduenit ante prædictum ingressum, non sunt ex necessitate antea implenda, nec tenetur homo præuenire tempus propter futurum religionis impedimẽtum, quia neque ex vi illius intentionis, quàm habuit, cùm vouit, ad hoc se obligauit; neque est aliud caput vnde oriri possit talis obligatio cùm illud impedimentum futurum iustum sit, & licite possit voluntariè apponi, non obstante priori obligatione, eò vel maximè, quòd respectu eorum votorum, de quibus nunc agimus, religionis ingressus non est impedimentum absolutum, quia supponimus talia vota esse de actionibus, quæ in ipsa religione fieri possunt. Quapropter si vouens velit talia vota ante susceptũ religionis statum non implere, sine dubio licite potest. De obligatione autem eorum post susceptum illum statum eadem ratio erit, quæ de aliis votis, quæ nec debuerunt, nec potuerunt impleri ante ingressum religionis.

10. *Vota, quæ capiuntur cũ ipsa professione, etiam singuli pro singulis personis, si sint voti minoris.*

De his ergo postremis votis certum in primis censeo, si ipsemet vouens, & profitens religionem, habeat animum commutandi omnia priora vota sua in illam professionem, & ibi extinguendi omnem obligationem eorũ, posse licite, & valide id facere, tam in votis realibus, quàm in personalibus, & tam in minoribus, quam in maximis, etiamsi essent reseruata. Nunc enim reuera nulla sunt, quæ hîc comprehendi possint; nam vota peregrinationum incompossibilia censentur, vt iam dictum est. Votum autẽ conti-

continentiæ est pars, vt sic dicam, ipsiusmet professionis, vnde non tollitur, sed solennizatur; votum autem religionis non commutatur, sed impletur. An verò in aliquo casu commutari possit, iam suprà lib. 4. expendi. Ratio ergo huius assertionis est, quia talis commutatio est euidenter in melius: ergo licet intendere illam: ergo etiam talis intentio efficax est. Vnde quoad hanc partem non habet dubium, quòd Panorm. in dict. cap. *Scripturæ*, in dubium reuocat, an in eo casu ad hanc commutationem requiratur superioris authoritas, certum est enim non requiri, quam ipse ibi fatetur esse opinionem Innocentii, & communem, & in eam ipse tandem inclinat, addendo nihilominus tutius esse authoritatem superioris interponere. Sed neque hoc necessarium est, quia prior illa pars est tutissima, & sine vlla ambiguitate, vel quia commutatio in melius propria authoritate fieri potest, vt suprà dixi; vel quia præter hoc principium etiam iuuat authoritas iuris in dicto cap. *Scripturæ*, in quo declaratur, & bonum religionis esse melius quolibet temporali voto, & talis commutatio approbatur. Et quamuis in illo textu iuxta integram lectionem sermo fuerit de votis incompossibilibus, tamen ratio textus vniuersalis est, & Gregorius IX. omittens particularem casum, & sola illa generalia verba in textu illo ponens, videtur voluisse omnem huiusmodi commutationem approbare.

11. Obiectio fundatur. Quòd si quis obiiciat, quia vota præcedentia possunt esse tot, ac tanti momenti, vt possint superare statum religionis moraliter loquendo. Respondeo, non debuisse Doctores, qui hanc limitationem adhibuerint, vt videre licet in Richardo in 4. distinct. 38. & Angelo, *Votum*, 4. in principio, qui dicunt, quãdo aliud votum esset tanti momenti, vt conferri posset saltem sub dubio cum voto religionis, tunc consulendum esse Pontificem ad commutationem faciendam. Alii verò indistincte loquuntur, & melius, primò quia in voto principaliter considerari debet bonitas, & vtilitas in ordine ad spiritualem salutem vouentis, & in hoc excedit votum religionis. Secundò propter rationes D. Thomæ, quæ non tam probant commutationem hanc ipso facto fieri, quàm potestatem, vt fiat, quia honesta, & rationabilis est. Quocirca licet fingamus votum præcedens esse de quacunque asperitate vitæ priuatæ, & de maximis eleemosynis, &c. nihilominus totum hoc commutari potest in statum religionis, quia hoc non solùm securius est, & immobilius, sed etiam substantialiter melius; nam in eo offert homo Deo totum, quod habet, & habere potest, & ita in eo concluditur vel formaliter, vel eminenter, quidquid in aliis priuatis votis cogitari potest. Deinde etiamsi admittamus casum dubium, non esset necessarius nouus recursus ad Pontificem, sed sufficit authoritas iuris, quæ ex dicto cap. *Scripturæ*, sufficienter habetur; quidquid enim sit, an ipso facto commutet talia vota, saltem approbat commutationem, si eam vouens facere voluerit, & in votis incompossibilibus hæc duo fere idem sunt. Et hoc saltem sensu verum est, hanc commutationem non ex priuilegio iuris positiui, sed iure naturæ licitam esse, vt sentit D. Thom. 4. dist. 38. q. 1. artic. 4. quæstiuncula 4. ad 2. & Tabiena *Votum* 3. § 9.

12. Solutio quæstionis. Adhuc verò superest declarandum, an hæc commutatio fiat ipso facto virtute legis, etiamsi vouens, seu professus illam non intendat. In qua re videtur quidem valde probabilis sententia, commutationem hanc non fieri ipso facto, quia nullum est ius, cuius virtute fiat. Aut enim est ius naturale, aut positiuum diuinum, vel Ecclesiasticum; nullum autem horum ostendi potest. De primo patet, quia hæc vota non sunt incompossibilia ex naturâ rei: ergo non cur ex iure naturæ vnum excludat aliud, vel commutetur in aliud, secluso speciali intentione vouentis. Antecedens patet, quia illa vota non sunt incompossibilia ex parte materiali, vt in casu ipso supponitur; neque ex parte obligationis, quia illæ non sunt contrariæ, si materiæ repugnantes non sint. Nec verò propter solam multitudinem ex sola rei natura se excludunt, cùm nec simpliciter, nec moraliter impossibilis sit homini omnium illarum obseruatio. Vnde quantum ad actiones horum votorum non habent locum illæ rationes, quòd homo moritur priori vitæ, & quòd religio comparatur ad particularia vota, sicut totum ad partes; non enim ita moritur religiosus priori vitæ, quin licite, & sanctè possit multas actiones bonas efficere, in quibus priùs se exercebat; & quamuis hoc non possit tam libere, sicut antea, sed cum dependentia à regula, vel superiore; hinc tamen solùm sequitur priora vota non obligare ad illas actiones, quando regulæ opponuntur, quia quoad hoc iam sunt incompossibilia. Sequitur etiam non esse tam firma, sicut antea, non possunt irritarã à prælato; quia hoc secum affert status religiosus. Vnde etiam quoad hoc habet repugnantiam cum talibus votis, scilicet quoad firmitatem eorum; simpliciter tamen illam non habet cum obligatione illorum. Neque etiam quoad hoc includit illa tanquam totum partem; quia & potest esse status religiosus sine his votis, & illi possunt adiungi, vt manifestè patet, nam homo iam religiosus potest similia vota facere; quæ valida sunt, quandiu non irritantur, vt suprà visum est; ergo solo iure naturæ non fit hæc commutatio ipso facto. De iure autem positiuo diuino magis patet, quàm vt probatione indigeat; tum quia neque in diuina Scriptura habetur, neque ex traditione, aut Pontificum, vel Conciliorum declaratione de illo constat; tum etiam, quia licet status religionis ex iure diuino manauerit; tamen modus & circumstantiæ eius in particulari non fuerunt iure diuino præscriptæ. Vna autem ex his particularibus circumstantiis, satisq; incerta est hæc votorum commutatio, non est ergo cur diuino iuri attribuatur.

Venio ad ius Ecclesiasticum. nam si quod est, maxime dicto cap. *Scripturæ*, nullum enim aliud ab authoribus adducitur, aut à me inuentum est. Ex illo autem non satis colligitur: nam vt omittam incertũ esse, an textus ille intelligendus sit de omnibus votis, vel solùm de incompossibilibus propter antiquam lectionem integram, tamen illo etiam admisso nullum est verbum in illo textu, quod commutationem ipso facto, & ex vi iuris iudicet. In quo expendo verbum illud *commutat*, refertur enim ad ipsum vouentem, de quo dicit non fore reum voti, si hanc faciat commutationem; ergo ius illud non facit commutationem, sed sustinet, ac defendit, quam fecerit vouens. Ad quod etiam adduco generales regulas omnium interpretum ad intelligenda talia iura, nam quando lex vtitur verbo, quod requirit hominis actionem, non facit seipsa, vt cùm dicit, *excommunicetur*; vel faciat hoc, aut illud. Et idem est, si det licentiam faciendi, dat enim seipsa licentiam, non tamen per se facit actum, ad quem licentiam præbet: atque hic est modus loquendi in illo textu, tuncautem lex operatur seipsa, quando aut similibus verbis id exprimit, aut vtitur verbo indicatiui, vel æquipollentis, quod mediam actionem hominis non requirit, vt *excommunicatus fit*; de quibus regulis dixi latè in tomo de censuris, & lib. 5. de legibus. in illo autem textu nullum est simile verbum, vt ex dictis constat.

14. Hic discursus satis efficaciter probat, vt existimo, nullum esse ius diuinum, aut Ecclesiasticum scriptum, cuius virtute hæc commutatio ipso facto fiat. An verò tale ius fuerit consuetudine introductum, dubitari potest propter tot, & tantorum virorum authoritatem; sed quia hoc ad factum pertinet, de quo mihi non satis constat, nihil circa illud definio. Et ideo consulo, vt qui profitentur, admoneantur semper de huiusmodi commutatione facienda, vel certè vt superiores statim post professionem factam illa irritent, quod facere possunt, & propter hoc fortasse dixerunt Canonistæ, tutius esse, vt in hac commutatione prælati authoritas interponatur. Hinc etiam dixit Richard. in 4. dist. 38. art. 8. quæst. 2. quòd si volens facere professionem, actualiter, vel habitualiter vult manere obligatus ad vota, quæ fecerat in sæculo, non commutantur in votum religionis: si autem actualiter, vel habitualiter intendat absolui, manet absolutus; per habitualem autem intentionem necesse est, vt intelligat virtualem, quæ ex aliqua actuali relicta sit, alioqui solus habitus nihil operatur. Et idem sentit Summa Angelica verbo *votum* 4. n. 2. Sylvester verò suprà dicit, quòd licet profitens voluerit manere obligatus prioribus votis, si tamen hanc voluntatem habuit ante professionem, nihilominus ipso iure tolluntur per professionem. Sed certè quamuis al às de tali iure satis constaret, difficile creditu est, habere hanc vim etiam contra voluntatem virtualem vouentis, cùm ius non intendat beneficium inuito conferre, aut maius bonũ impedire, si aliquis vult voluntarie illud implere. Vnde ipse Sylvester fatetur, quòd si in ipso instanti professionis quis habeat talem voluntatem, vota non commutantur ipso iure; parum autem refert, quòd voluntas duratione præcesserit, si moraliter, seu virtualiter maneat, & retractata non est. Quocirca etiam admisso illo iure saltem ob consuetudinem intelligendum erit, dummodo quis non habeat cõtrariam voluntatem; nam tunc ex vi illius vota manebunt, irritati autem poterunt à prælato religionis, vt dicti authores fatentur.

15. *D. Th. asserit, votum religionis strictioris extingui per professionẽ in laxiori.* Ex his etiam videtur difficilis illa sententia D. Thomæ satis recepta, eum qui emisit simpliciter votum religionis arctioris, & absque dispensatione intrauit laxiorem, & in ea professionem emisit, ipso facto manere omnino liberum à priori voto, quia in ipsa professione extinctum est. ita sentit D. Thom. citato loco; hæc verò sententia dupliciter defenditur. Prior modus est, eum, qui profitetur, licite profiteri, & commutare priùs votum simplex in solemne. ita significat Sylvester verbo *votum* 4. quæst. 7. vers. 3. cum limitatione tamen, scilicet, quando votum arctioris religionis non fuit de profitendo, sed de assumendo habitum religionis. Idem tenet Palud. 4 distinct. 38. quæst. 3. num. 11. & supplem. ibi quæst. 1. artic. 3. Antonin. 2. part. tit. 11. capit. 2. §. 8. Alii verò absolute dicunt, tale votum solenne non fieri licite in religione laxiore. Ita tenet Nauarr. cap. 12. num. 48. loquens de eo, *qui vouit strictiorem ingredi religionem*, & non dixit, *vouens ingredi, & manere*, citatque D. Thom. in hanc sententiam dicta quæst. 189. artic. 9. ad tertium. vbi dicit non esse licitum inducere illum, qui habet votum ingrediendi maiorem religionem, ad minorem; quod non alia ratione non licet, nisi quia esset inducere illum ad malum. Denique hæc est nunc communis sententia, & est aperte declarata in cap. penultimo de Voto in sexto. in quo casus hic expresse tractatur, & Diu. Thomæ sententia definiri videtur, suntque expendenda illa verba, *Qui post votum à se de certa religione intrandæ emissum*, &c. Vbi glossa etiam notauit, textum illum non loqui de illo qui vouit intrare, & perseuerare, sed de illo, qui simpliciter vouit irritare, & tamen infrà subditur, *Pro voto tamen non completo, erit eidem pœnitentia imponenda.* Ergo supponit Pontifex, eum qui habet votum arctioris religionis; etiamsi illud sit ingrediendi, tantùm peccare, & violare tale votum profitendo religionem laxiorem. Et quidem immeritò Palud. & Sylvest. in hoc distinguunt inter votum profitendi, vel ingrediendi tantùm; nam etiam, qui vouit ingredi, ad hoc obligatur: ergo quando ingreditur laxiorem religionem peccat, quia commutat aliquid maius in minus sine dispensatione: ergo perseuerando in illo statu cum animo non implendi prius votum, etiam peccat; ergo etiam profitendo peccat, quia obligatio semper durat. Neque excusat solemnitas voti, aut perpetuitas religionis, quia etiam votum simplex ingrediendi religionem est perpetuum, vt suprà dixi, & quamuis non obliget absolute ad profitendum, obligat tamen ad ingrediendum animo profitendi, & ad professionem emittendam, si nullum rationabile impedimentum occurrat. Hoc ergo satis est, vt non possit aliquis sua authoritate absq; culpa profiteri in laxiori religione, desistendo simpliciter ab eo, quod promiserat, quod que simpliciter ad maius bonum tendebat. Vnde colligo, quod suprà in hunc locum remisi, non esse licitam commutationem voti ingrediendi religionem arctiorem in votum ingrediendi, & perseuerandi in laxiori, etiamsi Antonin. & alii suprà citati indicent, propria etiam authoritate posse hoc fieri. Hoc ergo existimo falsum, non solùm quia commutatio præsertim adeò grauis non potest propria authoritate fieri, sed etiam quia non censeo illam commutationem esse æqualem, maxime hodie quando inter illa duo vota ingrediendi, vel profitendi religionem, vel nulla est differentia, vel tam parua, vt nulla sit comparabilis cum inæqualitate religionum. Item quia, vt ostendi, prædictum caput loquitur generatim de voto ingrediendi religionẽ, & nihilominus definit peccare, qui profitetur in laxiori habens tale votum: ergo multo magis peccauit, qui sua voluntate illud commutat in votum profitendi. Imò hinc etiam fit, non posse ita commutari ab eo, qui habet potestatem purè commutandi, nisi vel addat aliquid, quo suppleatur inæqualitas, vel possit aliquam miscere dispensationem.

*Licita est hæc commutatio authoritate superiorum, seu ipsa dispensante.*

16. *Secunda difficultas, an sit professus teneatur ingredi religionem arctiorem.* Hinc ergo nascitur difficultas circa dictam resolutionem D. Thomæ. Nam si is, qui talem professionem emittit, est prioris voti violator: ergo cùm adhuc possit prius votum implere, & tempus habile non sit translatum, semper tenetur illud implere transeundo ad arctiorem religionem, cuius ingressum vouerat. Probatur consequentia, nam in primis constat, posse petita licentia, & non obtenta transire ad arctiorem. Deinde constat votũ ingrediendi religionem de se semper obligare, etiamsi per dilationem violetur; imo quo plus indebite differtur, eo plus obligat: ergo ibi inueniuntur, & persona, & tempus habilia ad implendam illam obligationem, cur ergo non implebitur? Et confirmatur: nam qui post votum simplex religionis illicite matrimonium contraxit, & consummauit, licet non teneatur ingredi durante matrimonio, quia persona pro tunc est inhabilis; tamen soluto matrimonio per mortem alterius coniugis, tenetur implere votum per se loquendo, & non insurgente de nouo alio necessario impedimento. Ergo similiter in præsenti, qui violauit simplex votum religionis profitendo minorem, semper tenetur prius votum implere; & quia persona per talem professionem non est facta inhabilis ad illud implendum, non est quod expectet, sed semper tenebitur.

*Tenetur transire ad religionem arctiorem.*

Ad

17. *Respons.* Ad hoc verò vltimum respondet, & bene Caiet. dicta quæst. 189. art. 8. per matrimonium non extingui votum, sed impediri; per professionem autem extingui. Huius autem rationem esse ait, quia professio est fortius vinculum alienans personam professi tali religioni; indicans hanc extinctionem sequi ex natura rei ex vi alienationis, quæ fit per professionem; sicut matrimonium consummatum quandiu durat, ex natura sua impedit votum religionis, non tamen ita extinguit, vel quia non est ita perpetuum, quin ex defectu alterius extremi tolli possit, quod non habet professio; quia ipsa religio, cui homo se tradit, perpetua est; vel etiam quia vinculum matrimonij substantialiter est inferioris ordinis: votum autem solenne est eiusdem ordinis; & alioquin superat in solennitate & professione. Sed nihilominus hæc ratio mihi non satisfacit, nec satis intelligo, cur secluso iure positiuo, & stando in sola rei natura, tale votum extinguatur per subsequentem professionem, quia obligatio transeundi ad arctiorem religionem non est incompossibilis cum valore professionis in inferiori religione; cur ergo ex natura rei vna excludet alterâ? *Nosquitur.*

*Votum religionis posterius professioni non obligat.* Præterea commutato ordine non repugnat ex illis obligationibus alteri adiungi; nam si quis professus in laxiori, promittat arctiorem, obligatus manet, ita vt neque irritari possit tale votum à prælato; cur ergo si votum simplex præcessit, & subsequuta est professio valida, non poterit cum illa simul manere obligatio transeundi ad arctiorem ex vi prioris voti? *Votum simplex præcedens professionem obligat ad arctiorem religionem.* Quin potiùs hoc argumento probari videtur, etiamsi qui professetur, intendat prius simplex votum cõmutare in solenne, seu in professionem laxiorem religionis, commutationem ex natura rei, & secluso authoritate superioris non esse validam; quia simpliciter, & absolute loquendo non est in melius bonum, imò potiùs de se impedit maius bonum, scilicet, similem professionem, vel viam ad illam in meliori professione; alioqui etiamsi illud votum simplex esset subsequutum post professionem in laxiori, posset commutari in perseuerantiam vel iterationem quandam eiusdem professionis.

*Votum simplex non obligat ad arctiorem religionem ex vi solius naturalis iuris.* Quocirca potiùs respondendum censeo, ex vi solius naturalis iuris non auferri priorem obligationem illius voti simplicis propter votum solenne subsequutum; iure tamen positiuo potuisse id statui, & ita esse statutum in dicto cap. penult. de Regular. in fauorem status religiosi. Quamuis enim votum arctioris religionis obligare possit etiam personam religiosam; facile tamen cum illa dispensari potest authoritate superioris propter bonum religionis, vel ipsius religiosi, vt quietiùs, & libentiùs Domino seruiat. Meritò ergo summus Pontifex ipso iure hanc dispensationem concessit ei, qui post votum simplex religionis arctioris in laxiori professus est. Nam quamuis id non fecerit sine culpa, tamen eo ipso ostendit maiorem quendam affectum ad talem religionem, & moraliter credi potest ibi maius obsequium præstaturum Deo, & ideo Ecclesia cum illo benignè dispensauit. Item fuit hoc rationabile in fauorem illius religionis, in qua facta est professio; quia aliàs deberet qui talem professionem emittit, in ipsamet professione habere animum non permanendi in illa religione, quia teneretur habere propositum implendi promissionem suam; hoc autem videbatur esse in fraudem, vel iniuriam talis religionis; & ideo meritò dispensauit Ecclesia, vt talis professio omnino firma maneret, & vt in ea prius votum extingueretur. Dices D. Thomam non potuisse in hoc iure fundari, quia suo tempore nondum erat constitutio à beneficio edita. Respondeo concedendo D. Thomam non fundari in illo textu, sed in sola ratione maioris obligationis voti solennis, quàm simplicis, quæ (vt verum fatear) apud me non concludit ex vi solius rationis, aliàs etiam probaret votum simplex arctioris religionis post professionem subsequutum non obligare, sicut votum religionis (quod est exemplum D. Thomæ) non obligat durante matrimonio, etiamsi post illud consummatum factum sit; & ideo existimo semper esse subintelligendum votum solenne ex Ecclesiastico iure saltem consuetudine introducto habere hanc vim. Nam quòd D. Thomæ tempore, & ante illum textum Bonifacii hoc ius iam in Ecclesia seruaretur, verba eiusdem Bonifacii multum indicant, quæ sic habent: *Voto non obstante priori, cui tanquam simplici per secundum nosci tur derogatum, potest in eadem licite permanere*; illa enim verba, *Nosci tur derogatum*, indicant planè ibi quantum ad hoc non condi nouum ius. Atque hic textus sic expensus videtur mihi melior, quàm alii, ad suadendam opinionem communem suprà tractatam, quòd vota simplicia per subsequentem professionem extinguantur, quam in praxi satis probabilem censeo, cum illa limitatione à Richardo posita, quòd vouens ipse non resistat per contrariam intentionem, quam etiam in præsenti adh bendam esse censeo. Nam si tempore emittendi professionem in religione laxiori vouens habet voluntatem permanendi in priori obligatione, & propositum implendi illud, non extingueretur obligatio, quia illa est virtualis quædam promissio noua transeundi ad strictiorem religionem, non obstante professione in laxiori, & ita iam se habet tanquam votum subsequens, quod validum est. Imò si id faceret ex necessitate aliqua, vt, verbi gratia, quia pro tunc non potest commodè ingredi religionem, quam vouerat, vel quia ex quacunque alia causa non est in mora culpabili, nihil in eo facto, & voluntate peccaret; quia nec violaret prius votum, nec poneret impedimentum executioni eius. Deberet tamen religionem illam, in qua profiteri vult, suæ obligationis, & propositi certiorem facere, ne illam decipere videretur.

19. Aliqui etiam limitant dictum cap. penult. vt procedat, quando prius votum solenne fuit ingrediendi religionem: nam si fuit etiam perseuerandi, & profitendi, putant non extingui per subsequentem professionem in laxiori. Quod significat ibi glossa verb. *intranda*; hæc tamen limitatio admittenda non est primò, quia non habet fundamentum in textu: nam licet verum sit in principio loqui de voto ingrediendi religionem; ratio verò illa, *Cui tanquam simplici per secundum nosci tur derogatum*, generalis est, & complectitur omne votum simplex religionis, siue sit ingrediendi, siue etiam perseuerandi. Secundo non habet fundamentum in glossa, nam illa non loquitur de voto ingrediendi, vt distinguitur à voto perseuerandi, sed vt distinguitur ab ipsomet ingressu consummato, qui est per professionem, & sic rectè dicit textum non loqui de voto, quod fit in ingressu religionis, id est, in professione ipsa. Tertiò non habet rationis fundamentum, quia, vt paulo antea dicebam, in præsenti nulla est differentia inter votum simplex intrandi, & perseuerandi in religione, quia vtrunque de se obligat ad non suscipiendam laxiorem religionem sine dispensatione, & vtrumque est æque simplex, & in vtroque procedunt omnes rationes, propter quas expedit, vt extinguatur persona eius. Et hoc significauit textus ille comprehendendo sub voto intrandi omne votum simplex religionis, quod antecedere potest solenne, quod glossa apertius declarauit, dicens, *Aliud est religionem profiteri, aliud*

*vouere*

*vouere de intrando, vel profitendo*; Vbi hæc duo, quæ sub disiunctione ponit, pro eodem reputat.

20. *Difficultas specialis circa Vota simplicia Societatis Iesu.*

Vltimò hîc obiter dubitari potest de votis simplicibus Societatis, quæ post biennium fiunt, nam per illa cum traditione, & incorporatione facta in tali religione etiam superiora vota cessant, & tamen huiusmodi religiosus potest dimitti omnino liber à votis illius religionis; resurgentne tunc priora vota, & præsertim Hierosolymitanum, vel aliud simile, quod non nisi per aliud votum perpetuum extinguitur, iuxta cap. *Scripturæ*, de voto? Responderi potest sub disiunctione; aut enim talis religiosus per dolum, & fraudem! dedit causam, ob quam iuste eiicitur, vel sine dolo processit; nam in priori casu videtur obligari, non verò in posteriori. Sed distinctio hæc non recte applicatur; aut enim talia vota fuerunt suspensa, vel omnino extincta (hæc enim distinctio multum est in hac materia obseruanda) si fuerunt tantùm suspensa, non fuit facta absoluta commutatio, sed solùm dilata obligatio durante illo statu, & ideo quacunque ratione cesset, etiam sine dolo obligatio redibit. Si verò fuerunt extincta, redire non possunt, etiamsi dolo malo exitus procuretur, quia obligatio extincta non resurgit; ille tamen non manebit tutus in conscientia quantum ad suum statum; & vota quæ in religione emisit; an verò de facto cætera vota in Societate per vota post biennium emissa sint extincta, vel tantùm suspensa, in tractatu vltimo de Societate dicemus. Nunc breuiter supponimus non extingui, sed manere tantùm suspensa ipso iure, iuxta Decretum 128. primæ Congregat.

21. *Quomodo commutetur Vota per ingressum religionis.*

Si verò loquamur de solo ingressu religionis per habitus susceptionem, per illum non commutantur vota ipso iure, vt suprà dictum est, sed ad summum suspenduntur, & ideo mirum non est, quòd per exitum à religione absque professione redeat obligatio. Potest tamen fieri ab homine commutatio in talem ingressum bona fide factum in ordine ad professionem emittendam, si post legitimam probationem iudicatum fuerit expediens. Et tunc etiam est verum obligationem extinctam nõ redire. Tunc verò optime applicatur distinctio data, an dolo, & malitia exeat omissa professione, vel bona fide vtendo facultate communi iure sibi concessa. Nam si procedat hoc posteriori modo, manet tutus, & liber ab hac posteriori obligatione, si verò mala fide exitum procurauerit, non tenebitur quidem obligatione prioris voti iam extincti, tenebitur tamen iterum ingredi religionem, quia ex vi prioris commutationis mansit obligatus ad religionem profitendam, quantum in ipso esset, vel saltem an non dimittendam illam per malitiam, & dolum.

22. Ex quibus facile etiam constat, quid dicendum sit si votum peregrinationis etiam Hierosolymitanæ, vel aliud commutetur in votum simplex religionis: nam hæc etiam commutatio non fit à iure, sed ab homine; & est sine dubio licita, quia est de melioti bono, & videtur probari in dict. cap. *Scripturæ*; intelligiturque non solùm de voto profitendi religionem, sed etiam de voto simpliciter ingrediendi iuxta formam iuris; nam etiam hoc est perfectius, vt suprà dixi, & sine dubio est de meliori bono. Per talem ergo commutationem extinguitur prius votum, nec resurgit vnquam, siue vouens perseueret in religione, siue non. Applicanda verò est distinctio data de exitu cum bona, vel mala fide, non vt in alterutro casu prioris voti obligatio resurgat; hoc etiam fieri non potest, cùm fuerit extincta; sed vt satisfactum fuerit, vel non fuerit voto religionis: nam qui mala fide exit, & sine causa rationabili, non liberatur ab obligatione illius voti. Si autem bona fide vtitur iure sibi concesso, liber manet. Eadem est si tale votum religionis dispensationem obtineat. Denique ita de illo iudicandum est, ac si à principio solum votum religionis emisisset.

## Caput XV.

### *Vtùm professio religiosa quatenus contractum humanum includit, sit indissolubilis per contrahentium voluntatem, & vnde id habeat.*

1. *In quo sensu quæstio existit.*

Supponimus in professione duo interuenire, scilicet traditionem religiosi cum acceptatione religionis, ac mutua, seu reciproca obligatione, & vota, quæ Deo immediatè fiunt, ac immediatam obligationem ad Deum inducunt, de cuius perpetuitate, vel possibili relaxatione postea videbimus, nam solius prioris vinculi indissolubilitatem, obligationisque perpetuitatem inuestigamus. Duobus autem modis potest simile vinculum relaxari, vel esse indissolubile, scilicet, vel ab intrinseco ex mutuo consensu contrahentium, vel ab extrinseco per dispensationem superioris, vel per alium excellentiorem modum, sicut matrimonium ratum tantùm, est ab intrinseco indissolubile, licet ab extrinseco per dispensationem solui aliquando possit, & per professionem religiosam irritari. Hi ergo duo modi in vinculo professionis considerati possunt, & de dispensatione dicemus postea. Nunc priori modo cõditiones huius vinculi cõsideramus; supponimusq; duobus modis intelligi posse contractum humanum inter duos esse dissolubilem ab intrinseco. Primò per mutuum consensum, & quasi contrarium pactum inter eosdem. Secundo per voluntatem vnius partis etiam altera inuita, quod potest contingere, vel ex parte vnius ex contrahentibus, vel ex parte vtriusq; ita vt vnusquisq; possit cogere alterum ad rescindendum contractum si voluerit: vt. v. g. cõtractus emtionis, & venditionis absolute factus, & consummatus potest dissolui ex consensu vtriusque partis, non verò per vnius tantùm voluntatem. Si autem alienatio facta sit cum pacto de retrouendendo ex parte emẽtis, poterit prior alienatio dissolui ad petitionem primi venditoris etiam inuito priori emptore. Si autem prior contractus est cum pacto tam de retrouendendo, quàm de emendo ex parte vtriusque contrahentis, tunc ad petitionem cuiuscunq; illorum alter cogi potest ad priorem contractum dissoluendum. In præsenti ergo omnes isti modi possunt cogitari, & ideo de singulis dicendum est.

*Duob. modis dissolui hoc vinculum dissimulatur.*

*Contractus humanus duplicitèr est dissolubilis ab intrinseco.*

2. *Professionis parte professi omnino indissolubilis.*

Dico primò vinculum professionis ex parte professi omnino indissolubile est, ita vt sola voluntas eius nunquam vel possit ad rumpendum vinculum, libertatemque recuperandam sufficere, vel religionem ad illam concedendam cogere. Hæc assertio extra controuersiam est; nam in primis ratione huius obligationis religiosi professi suam religionem deserentes apostatæ sunt, & grauissime puniuntur, compellique semper possunt, vt redeant. cap. *consulti*, cap. *ex parte*, & cap. vltimo, de Regular. & cap. vltimo de Apostatis, & cap. 2. ne clerici, vel monachi in 6. Deinde ratione probatur, quia religiosus per professionem fit seruus religionis, in quam sui dominium transtulit, sicut in seruitute ciuili videre licet. Idemque argumentum sumitur ex donatione alteri facta, quam donator reuocare non potest, sua sola voluntate, sic autem religiosus se donat monasterio; ergo nõ potest suo arbitrio reuocare donationẽ factã inuita religione; hoc enim est de ratione seruitutis,

uitutis, & donationis absolutè, ac voluntariè factæ. Denique idem est de qualibet promissione absolutè facta, præsertim quando supponit donationem, & cadit in perpetuitatem, & perseuerantiam in traditione factam, quomodo etiam in professione religiosa tacita, vel expressa fit.

Dico secundo. Post absolutam, & solemnem professionem à religione acceptatam non potest religio sua tantùm voluntate religiosum inuitum libertum à vinculo professionis dimittere, eumque religioso statu priuare; neque illum cogere, vt talem dimissionem acceptet. Circa quam assertionem notandum duobus modis posse religionem à se religiosum expellere, vno solùm quoad vsum (vt sic dicam) status religiosi, & vnionem cum ipsa religione. Alio quoad proprietatem, seu vinculum obligationis, & quoad ipsum religiosum statum. Nunc non tractamus de priori eiectione; nam licet illa nō possit fieri sine causa, fieri tamen potest per modum iustæ pœnæ, nisi iure Ecclesiastico prohibeatur, vt in fine huius materiæ videbimus. Hic autem de posteriori modo separationis, & abscissionis religiosi loquimur, & intelligitur assertio non solùm sine causa, sed etiam cum illa; & à fortiori colligitur hæc assertio ex cap. vlt. de regular. in quo iubentur prælati religionis omnes fugitiuos, & apostatas annuatim inquirere, & ad religionem aliquo modo reuocare. Item ex communi sensu, & praxi Ecclesiæ constat professum religiosum, etiamsi eiiciatur in perpetuum, & ab actuali iugo religionis eximatur, semper manere religiosum, & posse cogi vel à religione, vel saltem à Pontifice, vt ad habitum, & ad obseruantiam religionis redeat. Ratio autem est, quia huiusmodi professio fit cum obligatione inter religionē, & religiosum, vt suprà dictum est cum Nauarr. cons. 5. aliàs 16. de regularibus. Sanch. lib. 7. disp. 25. vbi alios allegat: ergo religio cùm acceptat traditionem religiosi, non pure (vt ita dicam) tanquam donationem omnino liberalem illam acceptat, sed vt onerosum, & mutuum contractum, ita vt simul se obliget absolutè, & simpliciter ad retinendum religiosum, & alendum, educandum, ac bene regendum illum: ergo non potest sua voluntate, siue illum inuitum dimittere.

Dices, hoc solùm probare de eiectione ita voluntaria, vt sine causa iusta fiat, secus autem si fiat ex causa rationabili, iuxta Ecclesiasticos Canones, vel propriam regulam, sicut habetur in regula Sancti Benedicti cap. 28. & 29. Tunc enim iustè, & valide eiicitur, quia & est pœna iusta, ad quam imponendā non deest, potestas in religione, & hæc ipsa conditio à priori pacto contenta est, vel subintelligi debet. Sed instabis, nam inde sequitur, posse prælatum religionis ex causa, & in pœnam, non solùm eiicere religiosum quoad actualem vnionem, & subiectionē, sed etiam ipsum religionis vinculum, & statū prorsus auferendo, quod admitti non potest. Probatur sequela, quia potest religio ita illum liberum à sua subiectione dimittere, vt illum ampliùs ad se reuocare non possit, nec iste ampliùs ad illam redire, vel ei parere teneatur; ergo tunc religio cessit iuri suo, totumque dominium, quod in religioso habebat, à se abdicauit, & ab omni obligatione alendi, & regēdi talem personam, seipsam liberauit; ergo pactum traditionis, & acceptationis, ac obligationis reciprocæ inter religionem, & religiosum prorsus fuit resolutum, & quierat seruus, factus est liber; sicut contingit in seruo ciuili, quando ita à Domino manumittitur, vt dominio in ipsum se abdicet. Hinc vero vlteriùs sequitur, talem sic eiectum omnino fieri non religiosum, & liberum ab omni obligatione etiam votorum euadere. Probatur, quia fundamentū primum totius status religiosi prout nunc fit, est traditio, & pactum inter religionem, & religiosum; ergo destructo fundamento, totus status tollitur. Item, ille est status seruitutis, sed tollitur seruitus, vt probatum est; ergo & status religiosus. Præterea tollitur votum obedientiæ, quia subtrahitur omnino materia eius; neq; enim ille promiserat obedientiam nisi prælatis illius religionis, quibus iam non tenetur obedire, quia iam non sunt sui prælati, neq; ampliùs ad id obligari potest, quia non potest vnquam cogi, vt illis subiiciatur; ergo materia illius voti omnino subtrahitur in eo casu, & consequenter votum irritatur: illo autem ablato cessant reliqua; tum quia illa non sunt facta nisi cum mutua dependentia ob conuenientiam ad professionem, quæ sublato quocunque essentiali requisito, tota destruitur: tum quia religiosus non emittit vota, nisi in statu religioso seruanda; ergo destructo religioso statu, omnia vota euacuantur.

2. *Vera responsio.*

Respondeo per eiectionem religiosi professi quātumuis iustam, & perpetuam, nunquam rescindi omnino prius vinculum, vel ex parte religiosi quoad traditionem, & seruitutem religiosam, vel ex parte religionis, quæ non omnino amittit ius, seu dominium, quod priùs habebat in religiosum eiectum, quandiu aliam religionem non ingreditur, & in ea profitetur. Nam religiosus sic eiectus verus religiosus manet, vt notat Archidiacon. in cap. *Abbates* 18. q. 2. n. 5. vbi etiam regulam Sancti Benedicti supracitatam sic exponit, & tenetur ad vota seruanda, & fortasse ad aliquas grauiores obseruantias suæ religionis, quatenus in tali modo viuendi seruari possunt, vt latè tractat Nauar. Commen. 2. de Regular. n. 33. & sequentibus, & in Comment. 3. num 44. & 45. & nos inferiùs disputabimus. Et præterea est valde probabile teneri ad religiosam communitatem reuerti, si à prælato reuocetur, quia hoc magis pertinet ad iustam pœnam, & non est necesse, vt religio se priuet suo dominio, & potestate in talem personam, licet possit illa nunquam vti in religiosum dimissum, si ita expedire iudicauerit, vel sibi licuerit. Et hoc maxime confirmat cap. vltimum de regul. vt supra citaui. Et potest exemplo confirmari. Nam hoc etiam modo posset Dominus temporalis mancipium eiicere non manumittendo illum, sed tantùm non vtendo dominio suo circa illum, vel illum à se separādo, vt suo arbitratu viuat, & de suis operibus alatur, quandiu Domino videbitur.

*Ad quid tenetur professus à religione dimissus, quandiu in alia non profitetur.*

Addo verò vlteriùs, licet demus posse aliquam religionem ita cedere iuri suo quoad gubernationem religiosi, vt nunquam possit ampliùs illum cōgere, vt ad suam obedientiam reuertatur, nihilominus semper manere sub obedientia speciali supremi prælati omnis religionis, qui est Summus Pontifex, respectu cuius semper manet in statu religioso, & sub peculiari eius potestate tam ratione traditionis, quàm ratione voti obedientiæ. Quia licet tantùm se obligauerit per votum illi religioni, & prælatis eius, sub illis Pontifex continetur, & ideo ab illo cogi semper potest, vt ad suam religionem reuertatur, non tantùm per potestatem iurisdictionis, vt Pontifex est, sed etiam per specialem potestatem prælati totius religionis. Quod maximè habet locum hoc tempore, in quo religiosi sunt exemti à prælatione Episcoporum. Nam olim illis erant subiecti non tantùm, vt Episcopis instar aliorum fidelium, vel clericorum, sed etiam tanquam propriis prælatis, & superioribus, vt sumitur ex multis decretis apud Gratianum 18. q. 2. præsertim à cap. *quidam monachorum*, ex Conc. Chalcedon. cap. 4 & c. *Abbates* 6. ex Concil. Aurelian. I. cap. 21. & cap. *Almonasteria*, ex Concil. Arelatensi, & cap. *cognouimus*, ex Gregor. l. 7. epist. 65. & ex Dio-

6. *Alia resp. sio. Sic eiectus semper manet sub obedientia speciali summi Pōtificis.*

ex Dionysio cap.6. de Ecclesiastica Hierarch. D.Th. 2.2.quæst.186.art.5.ad 3. Et inde etiam fit, vt ejecti à religionibus exemptis Episcopo tanquam prælato suo religiose obedire teneantur. Quia ejectus à religione, & habitu religionis priuatus priuilegium exemptionis amittit, ideoque redit ad ius antiquum, & Episcopo subiectus manet. Sic ergo constat per eiusmodi ejectionem, & separationem religiosi à corpore religionis nunquam auferri, aut rescindi fundamentum illud religiosi status, quod in traditione religiosa constituitur; nec etiam votum obedientiæ per subtractionem materiæ extingui; multoque minus cætera vota castitatis, & paupertatis. Atque ita certa, & indubitata relinquitur assertio posita, quòd in his religionibus, in quibus secundùm Ecclesiæ motem status religiosus per solemnem professionem constituitur, nulla est potestas in religione, vel prælatis eius ad liberandum religiosum ab ipso vinculo religionis, eiusque statu quoad substantiam eius, ipso religioso inuito. Quæri autem potest, quæ sit propria ratio huius impotentiæ, & an sit ex lege positiua Ecclesiæ, vel ex diuino, aut naturali iure, quod in sequenti assertione explicabitur.

*Ejectus à religione manet subiectus Episcopo.*

7. Dico ergo tertiò etiam ex mutuo consensu, & pacto contrario (vt sic dicam) religionis, & religiosi non potest religiosa traditio à religione inite accepta rescindi quoad vinculum eius. Hæc etiam est communis, & indubitata assertio, quam Nauarr. in comment. 2. de regular. num. 33. & in comment. 3. n. 45. ex Cardin. in cap. *si de regular.* q. 1. his verbis explicat. *Profess. o regularis producit in regulari quali quendam characterem indelebilem.* Et citat D. Thomam. 2.2. qu. 88 art. 11. addendo ampliationem, *per vllam potestatem etiam papalem*, quam ipse non probat cum Innocent. & aliis in cap. *cùm ad monasterium*, de statu Monach. in quo innuit omnes, qui putant vinculum professionis solemnis esse omnino indispensabile, à fortiori huic assertioni subscribere; & eos, qui admittunt dispensationem, saltem supponere nullo alio modo auferri posse. Habet autem hæc veritas fundamentum in primis in iure canonico in decretis citatis, præsertim in dicto cap. vltimo, de regular. Fauet etiam dictum cap. *cùm ad Monasterium*, de statu Monachorum. Deinde in vsu, & traditione omnium religionum; nunquam enim talis modus liberandi aliquem à vinculo religionis in Ecclesia visus est, nedũ permissus, vel probatus. Addo non solùm nunquã fieri dissolutionem vinculi religiosi isto modo, verùm etiam neque quoad actualem subiectionem, & vnionem cum ipsa religione; hæc enim per modum conuentionis, & pacti inter religiosum, & prælatum sine alia causa exigente talem separationem, per solam authoritatem prælati, seu religionis fieri non potest. Vnde ad summum fit per modum iustæ pœnæ, vt explicuimus.

*Neque ex mutuo cõsensu vinculum professionis à solus potest.*

8. Difficultas verò superest in explicanda radice huius indissolubilitatis, vnde quæstio est, an sit ex sola prohibitione Ecclesiæ addita tali contractui religioso tribus votis confirmato, vel sequatur ex natura rei, supposito pacto tali modo, & intentione inito? Quod enim priori tantùm modo fieri potuerit, suaderi potest primò, quia suprà lib. 2. diximus non esse de essentia status religiosi, vt hæc traditio sit ex vtraque parte irreuocabilis, & probauimus fuisse antiquum morem religionum dimittere religiosos liberos etiam quoad vinculum, & quoad totum religiosum statum. Et si ponderentur aliqua, quæ ex Basilio, Augustino, Benedicto, & Gregorio attulimus, perfectò indicant solitum esse id fieri ad solam petitionem religiosi consentiente prælato religionis, ergo dissoluebatur vinculum ex mutuo consensu; ergo signum est, non habere vinculum illud ex diuino iure naturali, vel positiuo tantam indissolubilitatem. Secundò idem suadetur, quia omnis contractus humanus, per quas causas nascitur, rescindi potest, iuxta regulam §. vltimi institutæ, quibus modis obligatio tollatur; sed hoc vinculum religiosi cum religione per contractum humanum, & mutuum consensum factum est; ergo per eosdem consensus dissolui potest. Confirmatur. Nam hac ratione multi, & grauissimi viri sentiunt matrimonium ratum non esse natura sua omnino indissolubile, nisi aliqua diuina institutio addatur, cùm tamen nullus contractus humanus sit natura sua indissolubilior, quàm sit matrimonium. Aliud simile exemplum est de seruitute humana ex voluntario contractu orta; nam licet ex se perpetua sit, nihilominus ex consensu partium dissolui potest; quod non obstat statui seruitutis, quia sufficit, vt natura sua ex parte serui perpetuus sit. Idem ergo erit in seruitute religiosa. Probatur consequentia ex similitudine rationis quoad hanc partem. Nam herus potest manumittere seruum, quia ratione dominii potest vti illo, vel renuntiare iuri, quod in illum habet: prælatus autem religionis habet dominium, vel ius peculiare in religiosum; ergo potest ius suum renuntiare si velit, & consequenter religiosum à iugo seru tutis religiosæ liberare; hac tamen intercedente differentia, quod in manumissione solus consensus heri videtur sufficere, quia illa seruitus est pœnalis, & onerosa seruo, & iam quasi naturaliter supponitur consensus illius, seruitus autem religiosa est honorifica, & commoda non solùm animis, sed etiam corpori, & vitæ humanæ, & ideo secundùm rectam rationem, & ordinarie non præsumitur, sed expectatur consensus religiosi, illo autem accedẽte nihil aliud ex natura rei desiderari posse videtur, vt fieri possit vinculi dissolutio; Vnde è contrario necessaria erit superior positiua prohibitio, vt talis dissolutio fieri non possit.

*Difficultas, quomodo se habeat hoc vinculum professionis ad dissolubilia.*

9. Aliunde verò potest contrarium suaderi primò, quia hoc vinculum de facto est indissolubile dicto modo, vt diximus, & non ratione alicuius prohibitionis positiuæ; ergo ex natura rei. Probatur minor, quia talis prohibitio non est iuris diuini positiui, nullibi enim ostendi potest, maxime cùm eiusmodi contractus, & traditio ab Ecclesia inuenta sit. Nec etiam est iuris Põtificii, quia nulla lex canonica proferri potest, per quam facta sit; nam cap. vlt. de regular. quod aliqui ad hoc citant, nihil probat; ibi enim potiùs supponitur immutabilitas status religiosi professi, quam religio, vel prælatus eius non potest auferre; & ideo præcipitur ibi prælatis, vt omnino procurent fugitiuos religiosos, & quomodocunque extra religionem vacantes ad illam reuocare. Neque ad hoc sufficit prohibitio canonica; aliàs enim esset in potestate Pontificis, vt est supremus religionum prælatus, hoc modo dissoluere illud vinculum per solam voluntatem suam de consensu religiosi sine vlla causa, atque adeò non dispensando, sed quasi irritando. Et consequenter licet fortè peccaret Pontifex, id faciendo cum damno spirituali subditi, nihilominus factum teneret, quia vtitur iure suo, remittendo, seu condonando illud, & consequenter etiam ius religionis tanquam supremus dispensator omnium bonorum eius, & non ageret contra iustitiam respectu religiosi, quia volenti, & consentienti non fit iniuria, nec prohibitio humana potest actum Pontificis irritare. Esset ergo valida ejectio, & translatio personæ ab statu religioso ad non religiosum sine causa, & dispensatione iusta, quod est absurdum, & contra omnem sensum, & vsum Ecclesiæ.

*Probatur vinculum hoc professionis esse naturæ rei indissolubile.*

10. Secundò probatur hæc pars à priori, quia ex hoc con-

inter religionem, & religiosum, quem professio solemnis includit, non solum nascitur reciproca obligatio inter religionem, & religiosum in eorum commodum, sed multo magis nascitur obligatio respectu Dei, in cuius honorem, & cultum ille contractus fit; ergo ex hac parte contractus ille natura sua indissolubilis est per solas voluntates contrahentium, quia diuinum ius vtique Deo acquisitum ex vi illius contractum resistit. Et confirmatur, ac declaratur, quia licet religiosus proxime se tradat religioni, principaliter se tradit Deo per religionem, seu in religione; & similiter licet prælatus proxime acceptet traditionem illam, Deus per illum principaliter illam acceptat: ergo post consummatum contractum non sufficiunt voluntates proxime contrahentium ad illum dissoluendum, nisi constet Deum etiam cedere iuri suo, ad quod necessaria est authoritas Pontificia, cui talis interpretatio diuinæ legis commissa est, qua vtitur quando in votis dispensat, & ideo si aliquo modo potest dissoluere hoc vinculum, solum est per modum dispensationis, vt mox videbimus. Non autem id potest facere quasi cedendo peculiari iuri, quod sibi, & religioni per talem professionem, & traditionem acquisitum est; cuius optima ratio est, quia hic modus distrahendi priorem contractum per mutuum consensum, est actus proprii, & absoluti dominii, quale habet dominus temporalis in seruum; at nec religio, nec prælatus eius, vel etiam Papa habet tale dominium speciale in religiosum, sed solum habet administrationem vice Dei proprii Domini; ergo non competit prælato, vel Papæ talis absoluta potestas renuntiandi, vel dissoluendi illum contractum, quasi per potestatem dominatiuam; ergo sub hac ratione natura sua indissolubilis est. Quod potest tandem explicari exemplo magis sensibili. Nam si quis donet calicem Ecclesiæ, non potest postea prælatus, vel etiam Pontifex donationem irritare, vel calicem reddere priori domino ex sola absoluta voluntate, ac si esset absolutus dominus calicis, quia reuera non habet tale dominium, sed prudentem administrationem per quam poterit de calice disponere, vt fidelis dispensator, & prudens. Ita ergo se habet persona religiosi Deo donata in seruitutem specialem, ideoque non potest in libertatem restitui per solam manumissionem, (vt sic dicam) voluntariam alicuius hominis, sed ad summum poterit per iustam dispensationem, de qua mox videbimus.

11. Hæc sententia valdè probabilis est, dummodo in eo sensu accipiatur, vt his, quæ de essentia huius status religiosi in lib. 2. diximus, non sit contraria. Atque ita recte intellecta poterit forte cum superiori conciliari. Itaque in primis duplex quæstio distinguenda est. Aliud enim est quærere, an religiosus status requiratur vinculum natura sua indissolubile per voluntates proxime contrahentium. Aliud vero est quærere, an posset interdum status religiosus fieri medio contractu natura sua per voluntatem proxime contrahentium indissolubili, ex vi contractus sine alio legis humanæ adminiculo. In hoc enim posteriori sensu dubitatio hæc accipienda est. Nam in priori pro certo supponimus non esse contractum sic indissolubilem necessarium ad omnem religiosum statum constituendum, neque esse illi essentialem secundum suam generalem rationem præcisè spectatam. Ratio patet ex dictis, quia potest fieri religiosa traditio, in qua acceptatio non fiat omnino absoluta, sed sub conditione limitante, ac potestate retractandi illam iustis ex causis secundum regulas, seu constitutiones religionis, & tunc clarum est ex dicta traditione non contrahi vinculum indissolubile, cum ex iusta causa dissolui possit, & cessare per solam reuocationem à prælato factam iuxta prioris pacti tenorem, & hic modus traditionis est nunc in vsu in Societate Iesu quoad aliqua membra eius, & nihilominus sunt veri, & proprii religiosi. Et forte etiam fuit in vsu in antiquis religionibus, vt in libro secundo tractatum est. Nihilominus tamen certum est, non hoc tantũ modo fieri posse, & nunc fieri religiosum statum, quin potius secundum præsentem Ecclesiæ morem frequentius fieri religiosum statum cum vinculo dicto modo indissolubili; ideoque in alio sensu supereſt quæstio, an sit possibile constitui etiam statum illum per talem traditionem, & acceptationem, quæ ex se, & natura sua inducat vinculum indissolubile, & consequenter an de facto professio solemnis ita fiat?

12. Pro cuius resolutione est vlterius considerandum sæpe, ac frequentius contingere, vt forma contractus, & modus, ac intentio contrahendi humano iure instituta sit, & nihilominus contractus semel factus natura sua inducat talem, vel talem obligationem, vel effectum magis, vel minus permanentem, vt, v. g. si lex statuat, vt acceptans semel Episcopatum, vel aliud munus, non possit illud sua authoritate, & libertate renuntiare, vel vt qui acceptauit hæreditatem, non possit illam repudiare; tunc quod ille contractus sub tali modo, & onere accipiatur, ex humana est institutione, & nihilominus contractus sub tali intentione factus inducit tale onus natura sua, quia non solum ex ciuili, sed maxime ex naturali obligatione ad illam seruandam cogit. Ad eum modum, quo votum, vel promissio est obligatio humana mere voluntate inducta, semel tamen posita ex natura sua talem obligationem inducit. Sic ergo illa professio solemnis dici potest habere indissolubilitatem à iure Ecclesiastico, quatenus quod tali modo fiat ex Ecclesiæ institutione introductum est, vt constat, tum quia poterat non ita fieri, si Ecclesia nollet, tum quia fortasse antea ita fiebat, & postea alia forma profitendi introducta est. Tum etiam, quia illa indissolubilitas omnino pendet ex modo, & intentione acceptationis, quæ per authoritatem Ecclesiæ fit nomine Dei: hic autem modus ab ipsa Ecclesia præscribitur, & determinatur: ergo talis modus contrahendi in ius Ecclesiasticum resoluitur, & nihilominus professio sic facta recte dici potest inducere vinculum indissolubile per voluntatem contrahentium, tum quia & religiosus sic se tradens omnino se priuat potestate retractandi tale pactum, vel talem donationem, quia ex parte sua totum ius suum absolute transfert in Deum; & religio ex vi institutionis suæ ita acceptat, vt absolutũ dominium, vel quasi dominium talis personæ, Deo principaliter, & sibi ministerialiter, vt sic dicam, acquirat, & ideo ex vi talis acceptationis illum amplius retracta re non valeat, quia nec suo nomine potest, nam ius transiuit specialiter in Deum, nec etiam nomine Dei, quia non est ad hoc ministerium constitutus prælatus, vel religio, sed pertinet ad vicarium Dei, qui altiorem potestatem habeat dispensandi bona, seu iura Deo specialiter acquisita.

*In quo sensu dicatur professio indissolubilis iure Ecclesiastico, & simul naturali.*

*Cur Prælatus religionis non possit dispensare in professione cum subdito.*

13. Et iuxta hæc facilis redditur ratio, quæ circa secundam assertionem quærebatur, cur scilicet non possit prælatus religiosus incorrigibilem religiosum sic professum ita dimittere, vt ipsum statum religiosi, & regularitatem, & quasi characterem eius (vt Nauarr. loquitur) illi auferat. Hoc enim non tribuitur sufficienter prohibitioni humanæ, tum quia aliter Pontifex id facere posset saltem valide, quamuis illicitè, sicut facere tollendo, vel dispensando sine causa in votorum solemnitate, de quo tamen maior est ratio, nam solemnitas voti est tantum de iure humano, vt ostensum est, professio vero seu traditio

ditio solemnis etsi iuxta conditiones iure humano constitutas emittatur, illis tamen positis iure naturali manet irreuocabilis, etiam per summum Pontificem, nisi per dispensationem quando iusta interuenit causa; tum etiam, quia posset contrarium lege humana induci, quod certe non potest nisi mutando modum acceptationis, & contractus, qui modo in professione solemni datur. Tum denique, quia inuoluit repugnantiam quod acceptatio sit omnino absoluta, & quod retineatur potestas eiiciendi religiosum, priuando illum tali statu, quia in hoc secundo inuoluitur conditio opposita absolutæ acceptationi. Vnde etiam sequeretur talia vota, quæ supponuntur, esse solemnia inducere conditionem repugnantem solemnitati vororum, iuxta dicta in libro secundo. Accedit denique quod iuxta consensum omnium Theologorum, & Iurisperitorum, votum solemne vel per nullum hominem auferri potest, vel non nisi per dispensationem; prælati autem religionum cum puniunt incorrigibiles religiosos, eiiciendo illos, non exercent voluntariam iurisdictionem, qualis in dispensando exercetur, sed exercent iurisdictionem inuoluntariam, & cogentem per pœnam; ergo non potest extendi ad ablationem votorum solemnium, & consequenter nec vinculi religiosi, sine quo illa vota non subsistunt.

14. Tandem ex dictis facile est vtriusque partis argumenta dissoluere, cum ipsi modi dicendi supra explicati contrarii non sint, etiam eorum fundamenta non concludunt contraria, sed diuersa.

## Caput XVI.

### *Virùm professio sit vinculum omnino indispensabile etiam per potestatem Pontificis.*

1. Hæc quæstio tractari solet de voto solemni, & in particulari, & specialiter de voto continentiæ; sed quia in singulis votis solemnibus infra à nobis tractanda est, quia in vnoquoque habet suam facultatem, ideo de ipsa professione præcipuè ratione traditionis, & emancipationis ad obsequium Dei, & consequenter de voto solemni, vt sic præcisè ex vi solemnitatis tractanda est, quoniam hinc pendet resolutio omnium dictarum quæstionum. Est ergo in hac re celebris sententia D. Thomæ asserentis professionem esse omnino indispensabilem, nec posse Pontificem ex monacho facere non monachum; quod tanta asseueratione affirmat, vt præter suam consuetudinem dicat, *Papam non posse facere quod ille qui est professus religionem non sit religiosus, licet quidam Iuristæ ignoranter contrarium dicant*, 2.2.q.188.art.11. Eius sententiam sequutus est Capreol. in 4. d.33. q. vnica ad argumenta Scoti, & Durandi contra secundam conclusionem, & Sylvest. *Votum* 4.q.3. Tabiena verb. *Dispensatio* §.7. Abulens. num.30. q.109. vbi quosdam antiquos Canonistas pro hac sententia refert, latè Soto lib.7. de Iustit. q.4.art.2. & in 4. dist.38.q.2.art. 2. vbi pro eadem refert gloss. in cap. *cum ad monasterium*, de statu monach. & in cap.1. de voto. & Altisiodorens. lib.3. Sum. tract. 22. cap.1. q.2. Sed licet verum sit ex opinione illorum posse hoc inferri à fortiori, tamen illi non hoc solum asserunt, sed in vniuersum votum perpetuum dispensari non posse, quorum sententiam in hac parte reprehendit D. Thom. & merito, quia improbabilis est. Vnde ex illa non potest huic opinioni, quam tractamus, authoritas conciliari; sed potius ex illa potest argumentum sumi à contrario sensu. Nam illi authores intellexerunt, nihil esse in voto solemni quatenus tale est, sed solam perpetuitatem, quæ illi cum voto simplici continentiæ communis est. Vnde si ex perpetuitate non est indispensabile, capax erit dispensationis, & eodem ferè modo procedit in hac quæstione Albertus Magnus in 4. dist. 35. art. 16. nam aliud generalius principium constituit, scilicet votũ perpetuum nunquam posse ita dispensari, vt liceat actus illi contrarius, qui per votum promissus fuerat; vnde etiam in voto temporali non videtur admittere dispensationem, sed commutationem in melius, quam etiam putat fieri non posse in voto perpetuo; quæ omnia plane falsa sunt. D. etiam Bonauentur. in 4. distinct. 38. quæst. vlt. generaliter negat posse Papam dispensare in votis, sed solum declarare, an obliget, necne; vel an in particulari casu sit maius obsequium Dei seruare votum, quam non seruare. Atque hoc modo de dispensatione loquendo sub problemate relinquit, an habeat locum in professione, quod etiam dicit de voto simplici continentiæ. Almainus autem in tract. de authoritate Ecclesiæ cap. 3. licet non admittat dispensationem voti, nisi per modum interpretationis, concedit in aliquo casu posse habere locum huiusmodi interpretationem circa votum solemne, seu religiosum statum.

*Proponitur sententia D. Thom. negantis posse Pontif. eum dispensare in professione.*

D. Thomas primo fundat suam sententiam in verbis Innocentii Papæ in cap. cum ad monasterium, de statu monach. *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* In quibus verbis aperte dicit Pontifex se non posse dispensare in actibus contrariis his votis: ergo multominus poterit dispensare omnino auferẽdo aliquod ex his votis: ergo multominus poterit dispensare in tota professione statum per illam acquisitum auferendo. Secundo argumentatur ratione, quia non potest Pontifex facere, vt res semel consecrata ad diuinos vsus permanens in esse suo, non maneat consecrata; sed per professionem consecratur religiosus diuino cultui, ita vt esse religiosum nihil aliud sit, quam esse consecratum Deo; ergo non potest Papa efficere, vt persona semel religiosa per professionem, quandiu viuit, non sit religiosa. Maior habetur in primis ex illo Leuit. vlt. *Illud quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios vsus commutari.* Vnde sumpta videtur illa regula iuris 51. in 6. *Semel Deo dicatum non est ad vsus humanos vlterius transferendum.* Item patet inductione, nam calix semel cõsecratus quandiu est, non potest non esse consecratus. Item crux illa, quæ semel fuit sanctificata per contactum corporis Christi, non potest non retinere semper illam sanctificationem. Ratio autem à priori esse videtur, quia hæc consecratio intrinsece oritur ex quadam actione, quæ iam præteriit, & ideo relinquit consecrationem indelebilem, perinde ac si characterem immutabilem impressisset: nam illa habitudo ad actionem præteritam, seu denominatio ab illa relicta magis indelebilis videtur, quam quælibet impressa qualitas, nam hæc quatenus in præsenti manet, auferri potest aliquo modo; illa vero quatenus consistit in habitudine ad actionem præteritam, non magis potest non esse, quam actio præterita potest non fuisse, postquam facta est.

2.

3. Vnde non videtur referre ad vim huius rationis, quod Caietan. & alii respondent, benedictionem non esse de essentia professionis; nam D. Thomas (vt credendum est in re tam clara) non facit vim in hoc quod benedictio fiat per rationes, aut per aspersionem aquæ benedictæ, signum crucis, vel alias similes cæremonias; nam per se euidens est has non pertinere ad substantiam professionis, vt in professione tacita constat, & ex hactenus dictis de substantia professionis manifestum est; & sumi etiam potest ex multis iuribus de regulat. & de conuers. coniugatorum, ac denique etiam Soto cum Caietano aduertunt in sua religione prius fieri professionem, postea sequi benedictionem. Consecratio-

nem

nem ergo vocauit D. Thomas ipsam emancipationem, per quam talis persona diuino cultui consecratur, quæ fit traditione ipsa, & dedicatione talis personæ ad diuinum cultum, quæ eo ipso quod semel facta est, irreuocabilis esse videtur. Vnde Soto supra tertiam rationem adiungit, quam putat esse eandem cum præcedenti, quia religiosus constituitur per actualem traditionem, per quam persona in alterius, scilicet religionis potestatem, & professionem traditur, sed qui sic traditur in alterius dominium, non potest illi subtrahi sine iniuria eius, sed traditio manet perpetua, & irreuocabilis: ergo huiusmodi est religiosa professio. Quam rationem confirmat idem author illo exemplo D. Matthæi, qui nefas putauit permittere Iphigeniam, quæ iam Christo consecrata, & desponsata fuerat, Regi mortali dari in sponsam, quamuis dimidium regni illi offerret.

4 Quarto argumentor, quia Summus Pontifex non potest dispensare in diuino iure, vt omnes supponimus, sed professio religiosa, eiusque obligatio est de iure diuino, quod à nobis in superioribus ostensum est. Quamuis enim modus profitendi in particulari sub hac vel illa regula, vel sub huius, vel illius potestate sit de iure Ecclesiastico, tamen substantia ipsius professionis de iure diuino est; ergo. Quinto confirmatur, quia professio religiosa dissoluit matrimonium ratum, non consummatum; ergo id facit virtute diuini iuris, nam ius humanum non potest dissoluere vinculum matrimonii, quod est ex iure diuino, ac naturali: ergo ex eodem diuino iure est hoc vinculum strictius, & indissolubilius, quam sit vinculum matrimonii; sed hoc indispensabile est per potestatem humanam; ergo & illud. Alias contingere posset, vt aliqua fœmina duobus viris vtroque superstite, & è contrario vnus vir duabus fœminis licitè, & validè successiuè in matrimonium daretur, vt si prius cum vna contraxit non consummando matrimonium, & postea religionem professus est, ac deinde dispensatus, & tandem matrimonium cum alia contraxit; hoc autem absurdum videtur; sic enim (aiunt aliqui) haberet simul quis duas vxores viuentes, vel vna mulier duos maritos, quod absurdum est. Tandem confirmari solet, quia Papa non potest dispensare in matrimonio consummato, decet autem, sicut est in Ecclesia aliquod vinculum carnale, quod postquam plene consummatum est, omnino est indispensabile; ita etiam sit aliquod spirituale vinculum cum Deo omnino indispensabile, & immutabile: hoc autem nullum potest esse maius, nec magis consummatum, quam sit in professione religiosa, quæ non indiget alia consummatione, quia ipsummet vinculum includit spirituale actum, ratione cuius qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum ipso, in carnali autem matrimonio vir & vxor non fiunt vna caro vsque ad vsum.

5 Dicendum nihilominus est primo summum Pontificem posse dispensare in professione religiosa, atque adeo efficere, vt qui hactenus fuit religiosus professus, amplius iam religiosus non sit. Hæc est sententia multo communior, quam præcedens, tenent enim illam quamplures Theologi. Et in primis tenuit illam D. Thom. in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 4 quæstiuncula 1. ad 3. & ex Thomistis sequitur eum Caietan. 2. 2. q. 88. art. 7. & 11. Palud. ibi q. 4. art. 4 concl. 11. Antonin. 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 10. & tit. 22. cap 7. casu 12. vbi varios pro hac sententia refert. Idem Hernæus quodlib. 11. q. 3. Ferrar. etiam 3. cont. Gent. cap. 124. in fin. hanc sententiam admittit vt probabilem, existimat tamen illam dispensationem solum esse per modum declarationis, quod in vniuersum de omnibus votis affirmat. Eandem opinionem sequitur Petrus Sot. lect. 5. de Matrimonio, in fin. vbi prudenter ait, necessaria & legitima causa intercueniente, non esse facile in his auctoritatem dispensandi restringendam. Eandem opinionem significat Ledesm. in 4. 2. p. q. 69. art. 7. in fine. Tenent eandem ferè alii Theologi in 4. d. 38. Scot. q. 2. Durand. q. 2. Richard. art. 9. q. 4. Maior q. 14. Supplem. q. 1. attic. 5. dub. pen. & ibidem Palar. Idem sentit Medin. Codice de Confess. q. de dispensat. confess. Angel. verb. *Votum* 4. num. 5. Angles art. 8. de Voto, difficult. 2. latè Medin. lib. 5. de contin. sacerdot. Accedunt communiter nostri Theologi; Tolet. lib. 4. cap. 18. num. 5. Henr. lib. 12. de matrim. cap. 5. num. 7. Valent. 22. disp. 6. q. 6. punct. 7. Azor tom. 1. lib. 12. inst. moral. cap. 7. q. 1. Eman. Sà verbo *voti irritatio, dispensatio, &c.* num. 13. Sanches lib. 8. de matrim. disp. 7. num. 7. Less. lib. 2. cap. 40 num. 141. Præterea tenent hanc sententiam communiter doctores vtriusque iuris, Innocent. Ioannes Andr. Hostiens. Panormit. & alii in cap. *cum ad monasterium*, de statu monach. Turrecrem. in cap. *de illo clerico* 32. d. Felin. in cap. *si quando*, de rescriptis, vbi plures refert, quos etiam ex parte commendat & sequitur Couar. in cap. 2. de testam. num. 10. Gregor. Lopez in l. 2. tit. 7. partit. 1. vbi adducit Bald. in l. *si pater*. §. vlt. ff. de adoptionib. cum aliis. Idem repetit tit. 8. l. 4. idem tenet Matienso in lib. 5. Recopil. tit. 7. l. 1. Gloss. 1. num. 20. Anton. Gom. l. 40. Taur. num. 66. vbi alios plures Iuristas referunt. Ac denique idem tenet Nauarrus in Summ. c. 11. num. 75. & in Comment. 2. de Regular. n. 35. & sæpe alias.

6 Ad hanc sententiam confirmandam afferunt multa exempla & antiqua & moderna plurimorum Pontificum, qui cum religiosis professis dispensarunt. Nam in primis in religionibus militaribus dispensatum est, vt possint matrimonium contrahere: & cum religione sancti Ioannis idem fieri posset non solum antecedenter pro his, qui in futurum illam professi fuerint, sed etiam consequenter, id est, cum iam professis solemniter dispensando, vt Soto supra concedit, licet, mea sententia, non satis consequèter. Deinde Matienso supra ex Anchar. consil. 339. num. 2. ad fin. refert dispensatū esse cum Ramiro Monacho, & sacerdote ex stirpe Regum Aragoniæ propter defectum successoris, vt monasterium relinqueret, & vxorem duceret, ex eaque habuisse filium qui successit in regno. Et idem exemplum esse videtur quod adducit Palud. supra. Refert etiam Surius tom. 1. ex Bernardo Iustiniano in vita S. Laurentii Iustiniani cap. 1. Alexandrum III. dispensasse cum quodam adolescente monacho Nicolao nominato Veneto de familia Iustinianorum, vt vxorem duceret ad familiam illam bello pene extinctam excitandam. Item ne hoc singulare videatur, refert ibidem eundem Alexandum III. dispensasse cum Constantia Guilielmi Siciliæ Regis filia monacha, vt nuberet Imperatori Henrico Frederici Barbarossæ filio ad sobolem Guilielmi patris excitandam. Idemque factum esse videtur quod Caiet. refert dict. artic. 11. quamuis differat, quia Constantiam illam dicit fuisse filiam Rogerii Regis, & non ab Alexandro, sed à Cœlestino III. dispensatam. Casimirum item Regem Poloniæ D. Benedicti monachum iam professum dispensatione summi Pontificis vxorem duxisse. Denique nostris etiam temporibus aliquando hoc factū esse dicitur. Faciunt etiam ad hoc dispensationes in matrimonio rato, quas constat aliquando esse concessas; & ego vidi Bullam Gregorii XIII. huiusmodi dispensationem continentem, & tamen ferè omnes auctores conueniunt, si matrimonium ratum dispensabile est, multo magis professionem. Neque hoc argumentum ab effectu parui pendendum

*Confirmat primo variis exemplis.*

*Confirmatur ex dispensatione matrimonii rati.*

dum est, non est enim verisimile Pontifices doctissimos & pios temere vsos fuisse sua potestate, in re tam graui; sed ad minimum existimasse hanc partem probabilissimam ac ferè certam, maxime cum hic non solum tractetur an hoc liceat, sed etiam an factum teneat. In quo genere quæstionum, aut dubitationum oportet semper in operando sequi id quod tutius, atque adeo quod probabilius est.

7. *Confirmat secundo ratione dictos auctores hanc sententiam.* Secundo solet pro fundamento principali huius sententiæ afferri; quod voti solemnitas Ecclesiæ institutione introducta est, vt dixit Bonifacius VIII. in cap. vnico, de voto in 6. & confirmarit Gregor. XIII. in Constit. *Ascendente Domino*, in confirmationem Instituti Societatis edita: nam summus Pontifex potest dispensare in quacunq; Ecclesiastica constitutione: ergo etiam potest dispensare in voto solemni. Quod fundamentum aliqui putant esse tam certum, & euidens quoad illationem, vt existiment iam non posse sine errore in fide contrariam opinionem defendi: sed de gradu certitudinis, & probabilitatis nostræ sententiæ infra dicam.

8. *Responsio aduersariorum.* Aduersarii ergo respondent Pontifices illos non potuisse loqui de substantiali solemnitate voti, nam hæc in ipsa traditione posita est, quam esse ex diuino iure supra à nobis est ostensum; & ex illa sequuntur effectus proprii voti solemnis: dicunt ergo Pontifices loqui de modo acceptandi talem traditionem vel approbandi religionem, in qua vota solemnia fiant, nam hoc est ex Constitutione Ecclesiæ. Posita autem approbatione Ecclesiæ vinculum ipsum professionis ex diuino iure existit. Sicut constituere modum & solemnitatem necessariam, vt contractus matrimonii validè fiat, per Ecclesiæ Constitutionem definiri potuit; nihilominus tamen vinculum matrimonii sic factum diuino iure tenuit: sic ergo sufficienter exponi putant dictum illorum Pontificum. Quam expositionem necessariam existimant, quia alias sequeretur non solum posse Papam dispensare in voto solemni, sed etiam dispensationem futuram esse validam, etiam sine causa datam, quia dispensatio in iure humano valida est; consequens autem est absurdum, & contra auctores etiam nostræ sententiæ, qui non solum causam sed grauissimam, & ad commune bonum necessariam requirunt.

9. Vt autem & veritas assumptæ propositionis, & mens Pontificum, & vis illationis, & certitudo doctrinæ, & solutio omnium difficultatũ perspicue intelligatur, quamuis multa de hac voti solemnitate in superioribus dixerim; hic aduerto aliud esse loqui de statu ipso religionis, & de traditione, ac votis, quæ in eo fiunt, quantum ad substantiam, & obligationem intrinsecam eorum; aliud vero de peculiari solemnitate huius professionis quoad hunc effectum inhabilitandi personam ad matrimonium subsequens. Quoad illud prius omnes conuenimus esse de iure diuino, prout statim magis explicabitur. De secundo autem est controuersia: nam quidam dicunt illum effectum de iure diuino esse coniunctum priori statui; alii vero solum de iure Ecclesiastico esse adiunctum. Et quamuis nonnulli defensores nostræ sententiæ in præsenti quæstione existiment ad illam tuendam necessarium esse dicere illum effectum adiunctum esse professioni de iure Ecclesiastico: ego vero existimo non esse necessarium; sed quamuis esset annexum iuri diuino, adhuc esse locum dispensationi, vt statim declarabo. Quamuis alioqui verum censeam illum iure Ecclesiastico esse adiunctum, & hanc fuisse intentionem dictorum Pontificum, vt supra tetigi, & infra in propria disput. iterum dicam.

10. Rursus aduerto dupliciter aliquid esse de iure diuino, scilicet vel naturali, vel positiuo. In hoc posteriori modo est de iure diuino confessio, quia & instituta & præcepta est à Christo. Priori autem modo est (exempli gratia) extrema vnctio, quia instituta est à Christo, forte vero non præcepta. Item, id quod est de iure diuino quoad institutionem, licet sit ex illo iure quoad substantiam, sæpe recipit modum & determinationem per Ecclesiam, vt quod consecratio fiat in pane, institutio diuina est, quod autem ille panis sit fermentatus, vel azymus, Ecclesiæ determinatio est. In præsenti ergo institutio religiosi status per traditionem, & tria vota de iure diuino est, non vero quoad aliquod præceptum positiuum, quia neque vsus, seu exercitium talis status sub præcepto est, neque etiam post assumptum illum statum, ius diuinum positiuum nihil circa illum præcipit, sed relinquit illum naturali obligationi, quæ ex illo nascitur, tam quoad durationem eius, quam quoad obseruationem. Explicatur breuiter, nam Christus Dominus instituit, & probauit hunc modum viuendi tanquam actum ad acquirendam perfectionem, non tamen præcipit illum assumere, neque supposita professione eius speciale præceptum positiuum posuit perseuerandi in illo statu assumpto, sed hoc naturali obligationi, quæ ex ipso statu sequitur, reliquit; sicut non oportet positiuum præceptum dare de obseruandis votis quæ in eo fiunt, quia hoc naturale præceptum est. Vnde quoties in Scriptura hæc obligatio proponitur, non additur positiuum præceptum, sed naturale ius intimatum. Et simili modo (huc enim hæc omnia tendunt) non præcepit Christus speciali præcepto positiuo hunc statum semel assumptum esse omnino immutabilem, nec vetat specialiter dispensationem eius; sed hoc etiam naturæ ipsius rei reliquit, quatenus cum illa habet, vel non habet repugnantiam. Denique nullum etiam specialem modum circa talem statum determinauit; neque etiam aliquam proprietatem, vel effectum illi adiunxit, præter id quod ex ipsa rei natura intrinsece sequitur. Quæ omnia existimo non negari ab auctoribus etiam prioris sententiæ, quia nullum tale Christi præceptum positiuum, neque alius modus diuini iuris ostendi potest in hoc negotio, nec ex Euangelio, nec ex decretis Pontificum, aut Conciliorum, neque ex sanctis Patribus, aut traditione, neque ex vlla ratione, aut necessitate, cùm ea quæ explicuimus, sufficiant ad omnem perfectionem, omnemque vsum huius status. Maxime, quia in lege Euangelica nulla sunt præcepta positiua diuina, præter ea quæ ad fidem aut sacramenta cum Missæ sacrificio spectant, vt ex materia de Legibus suppono.

*Status religiosus quomodo sit de iure diuino.*

11. Ex his ergo principiis infero primo fundamentum præcipuum nostræ sententiæ ita esse formandum; professio religiosa non est indispensabilis ex eo præcisè quod à iure diuino habet, & quidquid illi additum est, ex constitutione Ecclesiæ dispensabile est: ergo simpliciter potest summus Pontifex in ea dispensare. Consequentia hæc fundatur in illa vniuersalissima potestate, *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, &, *Pasce oues meas*. Nam inde habetur quidquid vel natura sua insolubile non est per publicam potestatem, & ab ipso Christo non est prohibitum solui, per potestatem Petro datam solui posse, quia ab illa vniuersali Christi loquutione non excipere possumus, nisi quod vel natura sua exceptum est, vel Christus ipse excepit. Imo addo, quia ad præsentem causam referre poterit, quando res fuerit dubia, & exceptione non constiterit, pro Petri potestate præsumendum esse, tum quia in dubiis melior est conditio possidentis, præsertim

sertim superioris: tum etiam, quia concessio Principis amplissime amplianda est, maxime quando verba eius sunt amplissima. Minor vt per se nota supponitur ex materia de Legibus, & de potestate Ecclesiæ.

11. Maior autem in qua est difficultas, probatur, quia in primis hic status non est immutabilis per dispensationem ex speciali præcepto positiuo diuino, addito institutioni, seu approbationi talis status, vt iam dictum, & probatum est, nec etiam sequitur intrinsecè ex natura talis status quod sit indispensabilis: ergo nullo titulo indispensabilis est. Minor probatur, quia omnis contractus humanus, & omne vinculum obligationis inter homines, quod mutuo consensu perficitur, præcisè stando in ratione vinculi, non est ita indissolubile natura sua, quin saltem per potestatem publicam, & maxime supernaturaliter concessam ex iusta causa dissolui possit; sed vinculum professionis per contractum humanum, & permutuum consensum contrahitur, nihilque habet speciale, ob quod ab illo generali principio eximatur: ergo. Maior probatur inductione in omnibus humanis contractibus. Solum instari potest in matrimonio consummato, ad illud tamen excludendum addidi, *præcisè stando in ratione vinculi*, quia illa immutabilitas non nascitur ex præcisa vinculi obligatione, sed adiuncto vsu, quo specialiter firmatum est vinculum, & ius acquisitum, vel proli generandæ, vel naturæ propagandæ, vt non disputem modo, an illa omnimoda indissolubilitas sit ex sola rei natura, vel ex speciali prohibitione diuina.

13. Instari etiam potest illa propositio in matrimonio rato, non consummato. Veruntamen ego existimo falsam esse exceptionem; nam verius censeo tale vinculum posse dissolui per potestatem publicam saltem supernaturalem. Addo propterea etiam si illa exceptio admittatur, non sequi idem esse dicendum de vinculo professionis, quia in matrimonio rato, si in illo esset talis proprietas, non esset ex sola mutua obligatione coniugum inter se, nam supra hoc ius facultatem habere posset potestas publica. In vinculo autem professionis, neque habet locum hæc ratio, neque alia similis, vel proportionalis, ob quam illa indispensabilitas intrinsecè oriatur ex natura talis vinculi professionis, vt in minori propositione dicebamus.

14. At vero hinc potest sumi occasio respondendi negando prædictam minorem: dicetur enim in hoc contractu professionis interuenire specialem causam indispensabilitatis, quia per illum non tantum homini, sed principalius Deo per hominem ius acquiritur, quod per hominem auferri non potest. Veruntamen hæc responsio ad summum concludit professionem esse indispensabilem per potestatem mere humanam, non tamen esse indispensabilem per potestatem supernaturaliter à Deo concessam, ad eum modum quo dixit Innocent. III. in cap. *inter corporalia*, de translat. Episc. *Non humana, sed potius diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Iesu Christi, Episcopus ab Ecclesia remouetur.* Sic ergo quamuis per spirituale vinculum professionis ius aliquod sit ipsi Deo acquisitum, nihilominus per vicarium suum, cui dispensationem iurium & bonorum suorum specialiter commisit, poterit dispensari.

Vnde confirmatur hæc ratio retorquendo aliam, quam ex natura traditionis Soto colligebat, scilicet quia per traditionem persona transfertur sub dominium alterius, à quo sine iniuria subtrahi non potest per dispensationem: aut enim dispensatio in professione esset iniusta propter ius religioni acquisitum, quo ipse priuatur, aut propter ius Deo acquisitum quod ei subtrahitur; neutra autem ratio est vllius momenti, vt propterea censeatur indispensabilis professio: ergo. Probatur minor quoad priorem de iure religionis: primo, quia summus Pontifex est etiam summus prælatus cuiuscunque religionis, & ex hac parte habet facultatem dispensandi quantum ad id quod ad religionem spectat, id est, cedendi iuri illius propter iustam, & rationabilem causam, nam tota religio potest hoc modo cedere iuri suo, & supra ex Nauarro referebamus aliquando id facere, vt à se omnino expellat putridū membrum, & religiosum incorrigibilem: ergo multo magis poterit summus Pontifex id facere propter bonum commune, vel causam quæ ad illud pertineat. Secundo non solum Pontifex est supremus prælatus religionis quoad potestatem illam dominatiuam, quæ ex vi professionis comparatur religioni, sed etiam quoad supremam iurisdictionem à Christo illi datam super totam Ecclesiam, ratione cuius est supremus dispensator omnium Ecclesiasticorum bonorum, & iurium, inter quæ hoc genus religioni acquisitum in talem personam computatur: ergo per hanc etiam potestatem potest sine iniuria religionis dare illam tali personæ, propter bonum commune.

*acquisitum religioni per professionē.*

16. Tertio confirmatur exemplis, nam hac ratione potest, vt ait Innoc. III. supra, ptiuare Ecclesiam aliquam suo Episcopo, & transferre in aliam Ecclesiam, vel in aliud munus, quamuis aliquod ius esset acquisitum Ecclesiæ in suum Episcopum. Potest etiam dispensare cum religioso, vt transeat ad religionem laxiorem; per quam dispensationem non minus priuatur religio iure sibi acquisito in religiosum, quam si omnino transiret ad statum secularem. Ex quo obiter infero ad hanc dispensationem, si ex hoc solo capite consideretur non esse necessariam causam publicam, aut communis boni, sed sufficere maius bonum ipsius particularis personæ, nam propter illud solet non difficile concedi transitus ad laxiorem religionem. Et ratio à priori est, quia ius illud, quod religioni acquiritur, non est proprium, & rigorosum dominium ad propriam vtilitatem ordinatum, sed magis ad bonum ipsiusmet religiosi, & ad obsequium Dei, & ideo propter hos fines facile potest per Pontificis potestatem auferri, & mutari.

17. Vltimum exemplum afferre possumus de his, qui dicuntur oblati religioni; nam illi se donant religioni, & efficiuntur quasi serui illius, adeo vt ob hanc causam dixerit glossa in cap. *vt lex* 27. quæst. 1. illos non posse transire ad aliam religionem etiam strictiorem, sicut supra de seruis diximus, de cuius dicti veritate non disputo: illud solum indubitatum censeo, acquirere scilicet religionem peculiare ius, & quoddam genus dominii in huiusmodi oblatum, vt affirmant Panormit. & alii in cap. *vt priuilegia*, de priuileg. Syluest. verb. *Oblatus*, & nihilominus certum est Pontificem posse cum huiusmodi oblato dispensare, liberando illum ab omni obligatione ad talem religionem. Quod argumentum nō affermus, vt vnum vinculum cum alio comparemus, fortius enim est vinculum professionis, quam oblationis, vt ex communi sententia dixit Nauarr. consil. 27. de Voto, & per se satis constat, sed solum vt explicemus posse interdum Pontificem sine iniuria religionis dispensare priuando illam aliquo iure sibi acquisito, atque adeo ex hoc capite non repugnare, quin in professione dispenset, nam magis, vel minus quoad hoc non variant potestatem. Et fortasse ex parte religionis non est minus ius acquisitum in oblatum, quam in professum, quamuis in ordine ad Deum sit malo maius professionis vinculum.

*Deoblatis religioni. Potest Papa dispensare.*

18. *Probatur non repugnare hanc dispensationem propter ius Deo acquisitum per professionē*

Superest ergo vt alteram partem probemus, scilicet non repugnare hanc dispensationem propter ius Deo acquisitum per professionem, vel (quod perinde est) quia ius acquisitum religioni totum est in ordine ad Deum; hoc autem iam ferè probatum est eo quod Deus vices suas commisit Pontifici circa omnia bona sua. Vnde sicut ipse Deus tanquam supremus Dominus potest cedere huic iuri sibi acquisito, ita Pontifex non vt dominus, sed vt dispensator potest illud remittere: & hoc est in professione dispensare. Confirmatur & declaratur ex dictis supra in dispensatione in voto simplici, quia non minus est de iure diuino, quam professio religiosa, quia etiam ius diuinum illud approbat, & confulit: Christus enim & Paulus simpliciter virginitatem & eius promissionem seu obligationem consulunt, siue in statu religionis, siue extra illum, & posito illo voto, etiam ex iure diuino obligat; & per illud aliquod ius Deo acquiritur, propter promissionem illi factam: & nihilominus est in Pontifice vt Dei Vicario potestas remittendi hoc ius, & ita dispensandi in illo voto; cur ergo non habebit etiam potestatem dispensandi ius illud acquisitum Deo per traditionem religiosam, qualecunque illud sit, nulla enim maior repugnantia assignari potest: sicut enim nullus potest rem alicui donatam donanti reddere, nisi ipsemet qui illam dono accepit, vel qui ab illo potestatem habuerit; ita nullus potest remittere promissionem alicui factam, nisi ipsemet, cui facta est, vel qui ab eo habuerit potestatem, cum illa autem vtrunque fieri potest: ita ergo in præsenti dicendum est. Neque afferri potest firmum principium, ex quo colligatur Christum dedisse Vicario suo potestatem ad remittendas promissiones sibi factas, & non traditiones ex causa proportionata. Imo nec congruentia sufficiens adduci potest, cur conueniens fuerit vnam potestatem dare, & non aliam, cum etiam post traditionem factam res humanæ mutari possint, & causa sufficiens offerri, vt propter maius Dei obsequium, & aliquod commune bonum, illud ius Deo acquisitum remittatur. Denique iuuat ad hoc explicandum, quod etiam per peccatum acquiritur Deo ius ad vindicandam iniuriam sibi factam, & nihilominus intelligitur Christus per illam vniuersalem concessionem dedisse Vicario suo potestatem remittendi hoc ius per indulgentias: ergo signum est hanc potestatem extendi ad ea, quæ respiciunt ius ipsum diuinum resultans ex aliqua hominis actione: sed tale est ius quod ex professione oritur; ergo nihil obstat quominus per hanc potestatem dispensabile sit.

## Caput XVII.

### *Soluuntur difficultates pro opposita sententia; Et explicatur in quo sensu dicatur hæc solemnitas voti à Summis Pontificibus de iure Ecclesiastico.*

1. RAtio supra posita, & explicata, videtur mihi esse fundamentum huius assertionis, & reuera sufficiens; magis tamen confummabitur responsionibus argumentorum: nam in hac materia sufficiens ratio afferendi potestatem dispensandi, est non ostendi repugnantiam, nec exceptionem ab vniuersali Christi concessione, in hoc enim suo modo, & per quandam participationem imitatur potestas Petri potentiam Dei, de qua dicimus posse quidquid non repugnat; ita enim illa potest quidquid non repugnat in ratione obiecti dispensabilis, quod de professione ostendimus, & clarius fiet solutionibus argumentorum. Prius tamen oportet ex dictis colligere vim illius rationis sumptæ ex illo principio, quod solemnitas voti est de iure Ecclesiastico, & declarare quo sensu id dictum sit à Pontificibus, cum dixerimus statum religiosum esse de iure diuino modo explicato. Certum autem videtur Bonifacium Papam loquutum fuisse de solemnitate voti quoad vim inhabilitandi personam ad matrimonium contrahendum. Quod patet primo, quia de sola hac solemnitate proposita erat quæstio. Sic enim ait, *Quod votum debet dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, nos consulere voluisti*; & statim subdit, *Nos igitur attendentes quod voti solemnitas, &c.* loquitur ergo de solemnitate quoad illum effectum. Secundo, quia inferius in responsione eandem declarationem expresse adhibet, dicens, *illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, &c.* Tertio, quia ibi in communi loquitur de voto solemni sacri ordinis, & religionis, cum tamen in voto sacri ordinis non sit alia solemnitas, quæ votum illud distinguat à voto simplici, præter efficaciam ad illum effectum. Sensus ergo Pontificis ibi sine dubio est solemnitatem hanc dirimendi matrimonium subsequutum, cuicunque voto conueniat, Ecclesiastica constitutione illi adiunctam esse. Neque ibi agebatur de approbatione religionis, nec de solemnitate exteriori, cum qua votum faciendum est, vt cum fundamento dicamus de illa loquutum esse Pontificem: nihil enim hoc ad quæstionem ibi propositam referebat, & tamen Pontifex illud assumit vt fundamentum decisionis suæ.

2. Gregorius autem XIII. cum Bonifacii sententiam tacitè insinuat, sine dubio ab eius sensu non discedit, & si contextus, & mens eius attente consideretur, ad hunc finem illam adducit, vt declaret, non pertinere ad substantiam status religiosi, vt vota eius habeant illam solemnitatem, quæ in dicta efficacia irritandi matrimonium subsequens consistit, nam ad hoc propositum illud fundamentum assumit, inde concludens vota quædam Societatis potuisse ab eadem Ecclesia vt substantialia religionis admitti sine dicta solemnitate, vt infra suo loco latius videbimus; quapropter supradicta euasio nullo etiam modo potest ad mentem Gregorii XIII. accommodari, quia ibi etiam non tractabat de exteriori solemnitate seruanda in admittendis votis religionis. Posset autem aliquis liberius respondere in his decretis Pontificiis illud solum esse certum, quod directe definitur, vel statuitur; rationes autem quæ obiter attinguntur, non semper esse solidas: illam autem sententiam obiter esse prolatā ab illis Pontificibus, & ideo neminem cogi ad admittendā illam. Veruntamen hinc ad summum habetur illam non esse quoad hanc partem definitionem fidei, quod facile concedimus; negari tamen non potest quin magnam habeat auctoritatem, neminemque posse sine magna audacia, ne dicam temeritate, dicere, illos Pontifices in ea sententia errasse, tum quia est coniuncta cum eo, quod principaliter intendunt, ac declarant, vt vix possit vnum sine alio consistere, tum etiam propter eorum auctoritatem, & quia verisimile non est proprio tantum iudicio, quamuis essent doctissimi, sine magna consultatione, ac deliberatione verba illa posuisse, præterquam, quod efficaci etiam ratione ostendi potest, illam sententiam in dicto sensu esse veram, quod supra tactum est agendo de distinctione voti simplicis & solemnis, & de solemnitate castitatis religiosæ.

3. *Probatur posse Pontificem dispensare in professione religiosa ex hoc principio, quia dispensare in voto solemni non obstante solemnitate voti*

Ex hoc ergo principio sic declarato, optime concluditur posse Pontificem in professione religiosa dispensare: nam si non posset, maxime propter voti solemnitatem; sed in hac solemnitate potest dispensare: ergo & in professione. Maior declaratur in hunc modum, quia Pontifex potest dispensare in omni voto non solemni, vt ex communi con

sensu

sensu suppono: ergo nihil cogitari potest in professione, quod dispensationem impediat, nisi solemnitas: ergo illa non impedit, nihil est quod impediat. Probatur ergo minor, quia quidquid per constitutionem Ecclesiæ introductum est, per Pontificis potestatem potest dispensatione auferri, vt etiam supponoex materia de legibus: sed solemnitas est addita per constitutionem Ecclesiæ, vt declarauimus: ergo per dispensationem potest auferri: auferatur igitur, & tũc quidquid reliquum est, ita poterit dispensari sicut votum simplex. Declaratur amplius: nam si hæc solemnitas est ex constitutione Ecclesiæ, poterit Ecclesia antecedenter illam auferre, vt Gregor. XIII. intulit, id est, potest facere, vt vota substantialia religionis m traditione fiant absq; tali solemnitate; sicut etiam posset facere, vt votum castitatis fiat in ordine sacro sine solemnitate: tunc autem dispensare posset Pontifex in professione illa, seu votis religiosis: ergo etiamsi iam facta sint cum solemnitate dispensando in hac, poterit consequenter in tota professione dispensare; sicut nunc potest dispensare in voto solemni sacri ordinis.

Videoresponderi posse, etiam secluſa solemnitate, quæ consistit in virtute irritandi matrimonium subsequens, professionem ipsam esse indispensabilẽ non propter vota, sed propter traditionem, & potius vota ipsa reddi indispensabilia ratione traditionis, quia per se illi annexa sunt, vt D. Thom. vult. Sed in primis nullus auctorum dixit, traditionem esse indispensabilem, si non sit talis quæ reddat personam inhabilem ad matrimonium: imo Soto ait, non sufficere vt ex statuto Pontificis reddat inhabilem, nisi id faciat ex natura status religiosi; vnde vlterius addit posse Pontificem dispensare cum milite professo S. Iohannis, vt vxorem ducat, etiamsi nunc sit inhabilis ad matrimonium, quia illa inhabilitas, ait, non est ex natura talis religionis, sed ex statuto Pontificis. quod an consequenti ratione, vel voluntarie sit dictum, infra in propria quæstione de Religionibus militaribus examinabitur: nunc solum id affero, vt intelligatur vinculum religiosum, nisi tale sit vt habeat illum effectum, à nemine positum esse indispensabile, nam reliqui auctores illius opinionis idem ferè sentiunt. Addo præterea superiori discursu satis ostensum esse traditionem ex vi sua, aut ex peculiari obligatione, quam inducit, vel ex iure quod alteri confert, non esse indispensabilem: si ergo ex votis, aut ex solemnitate illis adiuncta, indispensabilis non sit, non habet vnde sit indispensabilis.

Hoc ergo modo ratio illa satis efficax est. Vt autem res fiat euidentior, adiungo, quamuis professio, & traditio religiosa natura sua, & consequenter diuino iure naturali redderet personam inhabilem ad matrimonium, nihilominus fore dispensabilem, & per dispensationem consequenter tolli illam inhabilitatẽ. Explico in primis à simili, nam votum simplex religionis semel factum natura sua, atque adeo diuino iure naturali impedit matrimonium contrahere, non quidẽ irritando, sed pure impediendo, & nihilominus dispensabile est, & per dispensationem tolli potest illud impedimentũ, quantumuis ex iure diuino esse dicatur, quia illud ius diuinum non est absolute impositum, sed ex suppositione voti perseuerantis, quæ suppositio per dispensationẽ auferri potest. Ita est ergo in præsenti, nam licet (data hypothesi) traditio religiosa natura sua, & iure diuino reddat inhabilem ad matrimonium, nihilominus ipsa in se dispensabilis esse potest, vt conuincit fundamentalis ratio supra facta; illa autem ablata per dispensationem, consequenter tollitur impedimentum irritans, quia necessitas illius impedimenti non est absoluta, & cõsequentis, vt sic dicam, sed consequentiæ, & ex suppositione traditionis validæ, & in suo valore perseuerantis; quæ suppositio tolleretur per dispensationem, & consequẽter tolleretur illud impedimentum consequens. Quapropter ad præsentem quæstionem non multum referre existimo, quod ex professione religiosa sequatur hæc solemnitas ex natura rei, vel quod sit addita ex iure positiuo; & ideo Caiet. & alij vtrumq; posuerunt, scilicet, & professionem reddere inhabilem natura sua ad matrimonium, vt infra suo loco tractabo, & nihilominus esse dispensabilem, vt iam citaui. Nam ex illa naturali cõsequutione solum sequitur Pontificẽ non posse efficere, vt manente illa traditione in sua vi, persona sit habilis ad matrimonium, quia hoc esset immutare naturas rerũ data illa hypothesi, & dispensare contra ius diuinum naturale; sicut non potest Pontifex dispensare, vt stante voto simplici religionis in sua vi, licite qs matrimoniũ contrahat, quia hoc etiam esset contra ius diuinum naturale: potest tamen nihilominus ipsos contractus tam traditionis, quam promissionis dissoluere, quia illi non necessario constant, & durant iure aliquo diuino specialiter prohibente dispensationem eorum; atque ita potest auferre quidquid ex illis naturaliter sequebatur.

Atque ex his tandem intelligitur quale sit inconueniens illud, quod ex sententia prædictorum Pontificum, prout à nobis intelligitur, supra infere batur: nimirum si solemnitas voti est ex constitutione Ecclesiæ, dispensationem voti solemnis etiam sine causa datam esse validam. Nam supposita illa sententia quoad aliquid est bona illatio, non tamen simpliciter, & quoad omnia: aliud est enim tollere voti solemnitatem, aliud tollere totum votum solemnizatum. Primum factum teneret etiã sine causa dispensatione concessa, quãuis dispensans peccaret. Quoad secundum vero non teneret factum, quia votum iam carens solemnitate non potest auferri sine causa; potest tamen manere ablata solemnitate, & obligare per suam propriam, quamuis iam non inhabiliter. Quod ferè eodem modo infra dicetur de voto solemni sacri ordinis. Et quoad hoc multum refert, an inhabilitas ad matrimonium ex natura rei sequatur ex professione, vel ex constitutione Ecclesiæ. Nam iuxta priorem sententiam dispensatio in voto solemni sine causa data, quoad nihil tenebit, sed manebit persona æque inhabilis ad matrimonium, ac antea erat: iuxta posteriorem tamen sententiam, quã veram reputamus, valebit illa dispensatio quantum ad effectum auferendi solemnitatem, seu inhabilitatem ab Ecclesia additam (suppono enim dispensationem esse legitimè & sine subreptione obtentam) nihilominus tamen non valebit quoad tollendam omnem obligationem intrinsecè ortam ex traditione, & votis religiosis, quia hæc integra manerent. 6.

*Pontifex sine causa potest valide dispensare in solemnitate voti, non in ipso voto.*

Dices hinc saltem sequi non maiorem causam requiri, vt dispensatio in voto solemni sit valida, quam in voto simplici, quod est contra omnes. Sequela patet, quia in primis Pontifex potest valide dispensare in solemnitate voti, etiam sine causa. dispenset ergo existente illa causa quæ ad dispensandum in voto simplici sufficeret, & solemnitatem, seu inhabilitatem auferat ex absoluta sua potestate, & deinde dispenset in professione ex prædicta causa: tunc ergo tota dispensatio valida erit, quia quoad votum habet sufficientem causam, & quoad solemnitatem nullam requirit, saltem vt teneat. Respondeo primo idem argumentum fieri posse de voto solemni sacri ordinis, quod si in illo admittatur consequens, pari ratione admitti poterit in præsenti, quia vtraque solemnitas est ex constitutione Ecclesiæ. Nec videtur esse illud magnum inconueniens, quia satis 7. *Obiectio.* *Responsetur.*

est quod ad licite dispensandum sit maior causa necessaria: cum enim vnum votum non excedat aliud, nisi in quodam iure positiuo, solum requiret maiorem causam eo modo, quo ius positiuum il ā requirit, scilicet, vt licite dispensetur. Quæ responsio vera est considerando solemnitatem præcise quoad prædictam inhabilitatem. Addo vero vlterius, aliud esse loqui de voto simplici secundum se; aliud vero de traditione religiosa votis simplicibus, id est, non habentibus annexam illam inhabilitatem, confirmata. Dico ergo, etiam secluſa illa solemnitate, seu inhabilitate per Ecclesiam adiuncta, maiorem causam requiri ad dispensandum etiam valide in professione religiosa, quam in votis simplicibus nude sumptis, quia maius quid est rescindere donationem iam factam, quam promissionem remittere: & ideo maior etiam causa necessaria est ad dispensandum in traditione, quam in voto simplici, nam illa actualem donationem continet, per quam acquisitum est ius religioni, & Deo in re, & non tantum ad rem. Si ergo in prædicta illatione comparetur professio ad votum simplex purè sumptum, negatur sequela, quæ in hoc sensu non probatur argumento ibi facto, vt per se facile constare potest. Si vero comparetur professio, & traditio religiosa habens adiunctam solemnitatem legalem, id est, inhabilitatem ad matrimonium ex constitutione Ecclesiæ, ad seipsam præcise sumptam, sine tali solemnitate, sic concedimus sequelam, quæ nullū habet in eo sensu inconueniens, vt dictum est.

*Maior causa requiritur ad dispensandum in professione religiosa, quam in votis simplicibus nude sumptis.*

### *Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ positæ cap. 16. n. 1. & sequent.*

8. Iam respondendum est ad fundamēta prioris sententiæ. Ad primum ex cap. *cum ad monasterium*, respondetur ibi non esse sermonem de dispensatione in monachatu, auferendo illum de quo hic tractamus, sed esse sermonem de dispensatione in obseruatione votorum durante monachatu, & hoc sensu dicere Pontificem non posse dispensare cum monacho in sensu compositō (vt sic dicam,) id est, perseuerante monacho, vt aliquid faciat contra votum castitatis, vel paupertatis, qui sensus plane constat ex illis verbis, *Abdicatio paupertatis, & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontif. possit licentiam indulgere.* Illa enim ratio fundatur in connexione vnius cum alio, & ideo solum probat stante vno non posse auferri aliud, quod consequens est, non vero probat esse indispensabilem ipsum monachatum, nec probat quin illo ablato possit auferri id, quod consequens est. Atque hæc est communis expositio interpretum ibi, quam Palud. & alij sequuntur.

9. Obiicit vero Albertus, quia plus est dispensare in toto monachatu, quam in aliquo vsu eius, si ergo nō potest Pontifex dispensare in obseruatione monachatus illo durante, minus poterit in toto monachatu dispensare: plus est enim totam arborem eradicare quam fructum impedire, vel alienare. Respondetur ex supradictis, negando maiorem, nam quando consequutio vnius ex alio est iuris naturalis, & diuini, si fundamentum maneat, non potest consequutio per dispensationem impediri, vt durante matrimonio rato cum vna, non potest tolli inhabilitas ad ducendam aliam, & durante voto castitatis, non potest tolli obligatio ad seruandum illud, potest tamen per dispensationem vel matrimonium ratum solui, vel votum tolli, & sic etiam inhabilitatem, vel obligationem auferri. Ita ergo est in præsenti, quia durante monachatu seruare vota eius est de iure diuino naturali, & contrarium est intrinsecè malum, ideoque dispensationem non admittit, monachatum autem esse non est de præcepto diuino, & ideo dispensare in illo non est contra diuinum ius, neque habet intrinsecam malitiam. Sed licet hæc responsio satisfaciat illi textui, quantum ad præsentem quæstionem spectat, adhuc tamen manet circa illam quæstio, vtrum non ablato vinculo professionis, possit Summus Pontifex dispensare in vsu & obseruatione alicuius voti ex substantialibus religionis. De hac vero quæstione dicemus commodius tractando de singulis votis religionis.

Ad primam rationem variè ab auctoribus respon- 10.
sum est. Quidam dicunt, licet Papa non possit remsemel consecratam exsecrare, posse tamen illam ab vsu sacro omnino remouere, & ob grauem causam licentiam dare, vt ad vsus communes inseruiat, non quidem illicitos, quamuis non sacros. Et hoc modo aiunt posse efficere, vt religiosus licite ad vsum matrimonii ob necessitatem transferatur. Hæc vero responsio in præsenti satisfacere non videtur, & aliunde videtur repugnare sententiæ Innocent. III. in dict. cap. *cum ad monasterium*, prout explicata est. Primum patet, quia licet Papa dispenset, vt liceat vti calice consecrato ad communem potum ob aliquā vrgentem necessitatem (quod exempli gratia dictum sit) nihil ominus calix ille semper consecratus manet, & cessante necessitate, cesset dispensatio. Si ergo si consecratio religiosi tam immutabilis est sicut calix, & solum propter necessitatem dispensetur in vsum, data etiā tali dispensatione, adhuc ille manet religiosus: non ergo ex religioso fit nō religiosus per dispensationem, prout asseruimus: & ita quoad hanc partē non satisfit difficultati. Aliunde vero iuxta i lam responsionem admittitur dispēsari cum religioso, manente religioso, vt liceat illi non seruare castitatem, quod videtur repugnare dict. cap. *cum ad monasterium*. Sed de hoc posteriori puncto dicam infra. Nunc ratione prioris membri fateor dictam responsionem non satisfacere.

Caietanus ergo d. art. 11. respondet distinguendo 11.
duplex genus benedictionis; quandam vocat constitutiuam, aliam inuocatiuam, quas non in verbis exterioribus, sed in institutione ecclesiæ, & intentione benedicentis distinguendas dicit. Benedictio ergo constitutiua est illa, per quam res constituitur sacra ex institutione Ecclesiæ, & intentione ministri eius, id est, per quam ita manet depurata ad aliquē sacrum vsum, vt iam non liceat in alium profanum illam conuertere, quomodo benedicitur calix, corporale, &c. Benedictio autem inuocatiua, est illa, quæ solum fit ad impetrandum à Deo felicem vsum talis rei, etiamsi neq; vsus ille fit sacer, neque propter benedictionem res impediatur à quolibet vsu, quomodo benedicitur panis in mensa communi, vel nauis, aut domus, & alia multa etiam per specialem inuocationē Ecclesiæ. Hac ergo suppositā distinctione supponit Caiet. benedictionem, qua solet monachus in professione benedici, non esse constitutiuam, sed inuocatiuam, quia ante illam benedictionem, vel etiā sine illa potest esse monachus: vnde concludit huic benedictioni non obstare quominus persona sic benedicta ad profanos vsus per dispensationem auferatur. Et addit vlterius quidpiam valde singulare, posse scilicet Ecclesiam instituere benedictionem constitutiuam sacrarum virginum, qua posita non esset in potestate Ecclesiæ cum illis dispensare plusquam cum calice consecrato, neque impedire, quin essent inhabiles ad matrimonium, non ex vi voti, sed ex vi consecrationis.

Sed quod attinet ad priorem partem huius respon- 12.
sionis non est ad rem, nec satisfacit menti auctorum alterius opinionis: supponit enim D. Thomam loqui de consecratione religiosi per aliquas benedictiones cæremoniales Ecclesiæ, de quibus verissime dicitur illas

illas non eſſe conſtituiuas religioſi, ſed inuocatiuas: ſed D. Thom. non de his loquitur, ſed de cõſecratione ſpirituali, quæ per ipſammet profeſſionem fit, quę alias dicitur emãcipatio, ac dedicatio: & de hac proceditargumentum, quia non eſt minus conſtitutiua talis perſona ad vſus ſacros, & ex ſe prohibens vſus profanos quam ſit quælibet alia benedictio, quæ cõſtitutiua dicitur. Et inde ſumitur argumentum, quod illa non ſit minus immutabilis, quam quælibet alia. Quod vero attinet ad alteram partem, non exiſtimo poſſe inſtitui ab Eccleſia talem benedictionem conſtitutiuam alicuius perſonæ in eſſe perſonæ ſacræ, vt ex vi illius benedictionis ſit inhabilis ad matrimonium, niſi hoc ipſum in tali ritu, ipſamet Eccleſia expreſſe inſtituat, ac declaret; cum ſemper neceſſarius ſit voluntarius conſenſus perſonæ conſecrandæ, & tunc ſemper poſſet Eccleſia in tali ritu, & inhabilitate diſpenſare.

Probo ſingula: primum, quia nulla maior poteſt eſſe conſecratio, quam ſit ſacerdotalis, vel Epiſcopalis à Chriſto inſtituta, & tamen illa ex ſe non reddit perſonam inhabilem ad matrimonium, ſolum, quia in ipſa inſtitutione Chriſtus Dominus hoc non explicuit: ergo multo minus poteſt quælibet benedictio Eccleſię, quantumuis conſtituat, & deputet perſonam ad ſolos vſus ſacros, eam reddere inhabilem ad matrimoniũ, niſi in ipſa inſtitutione expreſſe declaret ſe adiungere hoc impedimentum. Si autẽ Eccleſia vellet hoc impedimentum adiungere tali conſecrationi à ſe inſtitutæ, & inuentæ, non dubito, quin poſſit, quia nulla eſt repugnantia, nec ratio ſufficiens ob quam dicamus hoc eſſe extra poteſtatẽ eius. Nam ſicut adiunxit ſacris ordinibus inhabilitatem ad matrimonium, ita ſi expedire iudicaret, potuiſſet illam addere minoribus ordinibus, quos aliqui putant ab Eccleſia eſſe inſtitutos, imo etiam poſſet eam adiungere primæ tonſuræ, quam cõſtat eſſe ſpeciem quandam conſecrationis conſtitutiuæ ab Eccleſia inuentam. Sic ergo poſſet illud impedimentum ponere omnibus virginibus, vel continentibus tali modo à ſe inſtituto benedictis, & per benedictionem ad diuinum cultum deputatis.

In omnibus autem his caſibus neceſſarius eſt voluntarius conſenſus ſuſcipientis conſecrationẽ, quia ſine illo nemo poteſt obligari ad perpetuam caſtitatem, hic autem conſenſus ſufficienter præſtatur voluntariè ſuſcipiendo conſecrationem, cui Eccleſia adiunxit talem obligationem, taleque impedimentum, ſicut ſupra dicebamus de continentia annexa ordinibus ſacris, & ideo neceſſe eſt, vt tale impedimentũ diſtincte, & clare ſit inſtitutũ, quia alias non poſſet voluntarie ſuſcipi illud onus, cum in præciſa conſecratione non contineatur, vt dictum eſt. Denique quod poſito illo caſu poſſit Eccleſia in tali impedimẽto diſpenſare, mihi euidens eſt, ſiue poſſit conſecrationem illam tollere, ſiue non, de quo ſtatim dicam. Probatur tum à ſimili, quia manente conſecratione ſacerdotali, vel Epiſcopali, poteſt Eccleſia tollere illud impedimentum, tum etiã, quia omnis res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolui poteſt, hoc autem impedimentum, vel obligatio ad ſeruandam caſtitatem fuiſſent ab Eccleſia impoſita, & annexa tali benedictioni: ergo per eandem Eccleſiam poſſent tolli, aut ſeparari, non obſtante benedictione priori.

Aliter ergo mihi reſpondendum occurrit, diſtinguendo vel declarando illam propoſitionem. Res ſemel conſecrata, dum manet, non poteſt execrari, ſeu conſecrationibus priuari. Omiſſis enim cõſecrationibus imprimentibus characterem, in quibus veritas illa certior eſt, & non tantum morale, ſed etiam phyſicum fundamentum habet in qualitate interna, & indelebili, quæ à ſolo Deo infundi poteſt, & ideo in ſolis cõſecrationibus ab ipſo inſtitutis hic modus immutabilitatis inuenitur. His, inquam, omiſſis duplex genus conſecrationis rerum, vel perſonarum diſtingui poteſt: vnum eſt, in quo aliquis dicitur conſecrari, ſeu dicari Deo, ſolum per deputationẽ quandam pacto aliquo, vel promiſſione firmatam. Aliud eſt in quo res aliqua dicitur ſanctificari vel conſecrari Deo ſolum per actionem aliquam ſacram, quæ circa rem talem facta eſt. Inter quæ duo genera talis intelligitur eſſe differentia, quod in priori licet res ſuo modo ſacrata fuerit per actionem, quę iam præterijt, non tamen res dicitur manere conſecrata per talem actionẽ, niſi quatenus relinquit in tali re obligationẽ moralem ad talem diuinum cultum, vel ſacrum vſum. Vnde fit, vt ſi illa obligatio auferri, vel reſcindi poſſit, res etiam illa poſſit conſecrationem amittere, quia non conſiſtit in ſolo actu præterito, vt præteritus eſt, ſed quatenus in effectu ſuo, qui eſt cõtractus, ſeu obligatio, moraliter permanet.

*Duplex conſecratio diſtinguenda.*

*Declaratur primum genus conſecrationis.*

Exemplis facile poteſt hoc declarari: nam per votum etiam ſimplex virginitatis ſuo modo conſecratur Deo perſona, & ita loquuntur frequenter Patres vocantes ſacras virgines, & Deo conſecratas, non ſolum ſanctimoniales profeſſas, ſed etiã alias quæ ſimpliciter virginitatem vouerunt, & maxime quando votum illud publice cum aliqua ſolennitate fit, vt conſtat ex multis teſtimonijs quæ infra adducemus diſputantes de voto ſimplici caſtitatis. Et tamẽ ſi votum illud per diſpenſationẽ auferatur, ceſſat ille modus conſecrationis, quia nõ durat, niſi quamdiu durat obligatio voti. Similiter perſonæ quæ ſe tradunt diuino obſequio, quamuis non in ſtatu proprio religioſo, ſed offerendo ſe, & ſua alicui religioni, qui cõmuniter dicuntur oblati, vel cõuerſi, ſuo modo ſunt perſonæ Deo conſecratæ, nam perſonæ ſacrę cenſentur, & priuilegio canonis fruuntur, vt in proprio loco diximus; & nihilominus certũ eſt poſſe cum eis diſpenſari in obligatione, vel donatione, quam fecerũt, & eo ipſo auferri illud genus dedicationis ad obſequium Dei, & perſonam de nouo eſſe ſacram. Nec ſolum perſonæ, ſed etiam aliæ res ſacræ & conſecratæ à Deo eſſe cenſentur, quando ita deputantur ad Dei cultum, vt ſint iuris, & dominij Eccleſiaſtici; quia vero ius illud, & dominium amitti poteſt ſtatim ac mutatur, res etiam illæ deſinunt eſſe ſacræ. Ad hunc ergo modum per profeſſionem dicitur perſona conſecrari Deo, ſolum quia ſub ſpeciali obligatione conſtituitur ſub ſpirituali iure, & dominio religionis; quia ergo hæc obligatio & ius ſeu dominium per diſpenſationem auferri poſſunt, ideo etiam talis conſecratio mutari & tolli poteſt. 16.

At vero in alio genere conſecrationis res dicitur manere conſecrata ex vi præcedentis actionis, non propter obligationem moralem, quæ in ea, vel circa eam maneat, ſed ſolum propter habitudinem quandam ad actionẽ præcedentem, quomodo dicitur cõſecratus calix, & aliæ res, aut veſtes ſacræ; ſic etiã per primam tonſuram quodãmodo conſecratur aliquis, & fit clericus. Et hæc conſecratio fortaſſe eſt omnino immutabilis, quia cum eius ſanctitas ſolum conſiſtat in habitudine ad actionem præteritam, ſicut iam nõ poteſt illa actio non præteriſſe, ita neque habitudo illa poteſt auferri, aut impediri. Quando autem talis eſt immutabilitas; non ſolum per diſpenſationem auferri non poteſt conſecratio, verum etiam per omnem potentiam implicat auferri, ſicut implicat non fuiſſe actionem, quæ præteriit: nemo autem dicet hoc modo eſſe mutabilem ſtatum religioſum, aut Deũ ipſum non poſſe facere ex religioſo nõ religioſum: ergo ſignum eſt, hanc conſecrationem perſonæ religioſæ non eſſe illius generis, & ideo ad illarum 17.

*Declaratur ſecundum genus conſecrationis.*

rerum

rerum immutabilem consecrationem non sumi efficax argumẽtum. Quanquam circa hoc etiam secundum genus rerum consecratarum, aduertendum occurrit, aliquando fieri, seu resultare hanc cõsecrationem ex natura alicuius actionis absq; alia impositione, vel institutione humana, aliquando vero pendere omnino ex institutione. Priori modo consecratur calix, eo ipso quod in illo sanguis Christi cõsecratur etiamsi ab Episcopo cõsecratus non sit propter contactum ad sanguinem Christi: sic etiam consecrata fuit terra quam Christus calcauit, & specialiter crux, claui, &c. reliquiæ etiam Sanctorum hoc modo sanctæ sunt. Posteriori autem modo sacrantur calices, vestes, &c. In rebus ergo prioris generis videtur consecratio esse prorsus immutabilis, ita vt nec Deus ipse possit facere, quin lignum quod Christus tetigit sanctum sit, & eo titulo peculiari veneratione dignum, quamdiu durat, quia sufficiens, actota ratio illius consecrationis est tactus præcedens, qui neciam potest non fuisse, nec eius effectus formalis potest impediri, quamdiu res durat.

*Netãdum, dupliciter posse fieri hanc consecrationem.*

18. In secundo autem genere consecrationis, quæ est per institutionem, immutabilitas potest etiam ex institutione pendere: nam sicut potest Ecclesia instituere, vt per has diuinas actiones res maneat consecrata, ita etiam posset inst tuere, vt per alias actiones quasi contrarias exec retur, & tunc prior consecratio non esset omnino immutabilis, sed quamdiu moraliter permãserit iuxta ritum institutionis. Sic legimus Num. 6. fuisse in lege veteri sanctificationẽ, & consecrationem Nazaræorum, quæ nõ perpetuo durabat, sed iuxta votum vniuscuiusque, & ita debito tẽpore per alias actiones auferebatur. Sic etiam nunc Ecclesia per degradationem quodammodo execratur clericum, quantũ potest, characterem enim auferre non potest, & ideo simpliciter non tollit ordinẽ; si tamen ipsa ordinatio solum esset sanctificatio extrinseca, vt sic dicam, ab Ecclesia instituta, posset Ecclesia per degradationem totam priorem consecrationem auferre, quia nihil repugnat effectum moralem pendentem ex institutione, vel aliam contrariam moralitatem auferre; sic enim potest Respublica exauctorare doctorem, non solum vsu gradus, quod facile est, sed etiam gradum ipsum radicitus auferendo, non ita vt non fuerit, sed vt iam nõ sit. Hoc igitur modo etiam non repugnat rem Deo consecratam execrari. Quod autem dicitur Leuit. vlt. quod Deo semel consecratum est non posse ad alios vsus conuerti: in primis non ponitur tanquam naturale ius, nec de omnibus rebus, sed de quibusdam iuxta speciales ritus illius legis, nã in aliis admittitur cõmutatio, vel redemptio in re Deo consecrata per votum. Deinde illa propositio, prout etiam in regula iuris acceptatur intelligẽda est, tum in sensu composito, vt sic dicam, id est, durante consecratione, tum etiam per se, ac secluſa necessitate, & auctoritate eius, qui possit dispensare.

19. *Responsio ad tertiam rationem initio allatam.*

Ad tertium argumentum ex dictis satis responsum est, concedimus enim (quod Soto vult) hanc consecrationem religiosam per ipsam traditionem, & vota fieri; tamen ex hoc ipso colligimus talem consecrationis modum auferri posse per dispensationẽ, nulla etiam iniustitia interueniente: vtrumque enim satis declaratum, & probatum est. Ad confirmationem autem ex facto Matthæi, ad quam inquit Soto Caietanum non potuisse respondere nisi negando historiam; veruntamen Caietanus vtrumque modum respondendi satis indicauit, non enim sine occasione de historia dubitauit, quia nec Simon Metaphrastes, nec alij antiqui auctores illam recensent. Quia vero Ecclesia in festo sancti Matthæi idem recitat, non esse negandam censemus; si autem illa quidpiam probat, nõ solum de professione religionis, sed absolutè de voto virginitatis, probat esse indispensabile, quia ibi solum legimus Iphigeniam feciſſe votum virginitatis, propter quod de illo scribit Hippolytus libel. de duodecim Apostolis, Matthæum fuisse victimam virginitatis: fingere autem Iphigeniam fuisse professam, & feciſſe votum solenne, voluntarium est. Matthæus ergo potuit non dispensare, quia non iudicauit fuisse legitimam causam dispensandi, vel certe, quia eo tempore, & occasione talis dispensatio fuisset in detrimentum religionis.

20. Ad quartum iam etiam respõsum est, cum explicuimus, quomodo professio, eiusq; obligatio sit de iure diuino. Hæc enim duo quæ ibi confunduntur, accuratè distinguenda sunt, scilicet professio, & obligatio, quæ ex illa nascitur: nam obligatio suppositæ professione de iure quidem diuino est, non quidem positiuo, sed naturali, sicut est etiã obligatio implendi id, quod per votum simplex promissum est: vnde sicut in obligatione voti simplicis non dispensatur, ita neque in obligatione professionis, quæ semper ipsam professionem supponit: sed sicut dispensatur in voto, tollendo illud, ita etiam dicimus dispensari posse in professione, professio autem licet sit de iure diuino quoad institutionem, & cõsilium saltem sub communi ratione status religiosi; nihilominus de facto, & in reipsa est quidam contractus voluntate humana perfectus, & ex hac parte dissolui potest per dispensationem, quia nullum est ius diuinum, quod hoc prohibeat, & potestas per quam hoc fit, etiam est de iure diuino, sicut de dispensatione in voto simplici dictum est.

*Differentia inter professionem, & obligationem ex illa resultante.*

21. Ad quintum de matrimonio rato negatur assumptum: nam verius est posse Pontificem in matrimonio rato dispensare, nec vinculum illud est omnino indissolubile in ordine ad potestatem supremam à Christo concessam, donec consummatũ sit; ita enim expo uit Alexander III. in cap. *ex publico*, de conuers. coniug. vel certè licet ante consummationem ita sit indissolubile, vt ab homine dissolui non possit, nihilominus si Papa in illo dispenset, non ab homine dissoluetur, sed à Christo, qui ei potestatem contulit, vt in simili exposuit Innocentius III. in cap. *inter corporalia*, de translat. Episcop. Addo præterea illationem non esse necessariam, nam si matrimoniũ ratum per Pontificis dispensationẽ dissolui non potest, consequenter dici posset professionẽ religiosam non dissoluere illud in virtute Ecclesiastici statuti, sed diuini iuris, nam si Papa non potest dissoluere illud vinculum per dispensationem, quomodo poterit per vniuersalẽ legem? potuit ergo Christus hoc priuilegium dare professioni, etiamsi non abstulerit potestatem dispensandi in illa, quia licet voluerit propter maiorem perfectionem in statu admittere dissolutionem in illo vinculo, & hoc ordinario iure approbare, quia frequenter in vsu venire poterat, & ita expediebat, nõ propterea necessarium fuit velle vt status ille perfectionis omnino esset immutabilis per dispensationem ex quacunq; causa grauissima; quia nec status ille natura sua hoc habet, nec oportuit speciali iure ab ipso addi. Quæ responsio disputationis gratia facilè sustineri posset.

*In matrimonio rato potest Papa dispensare, & quomodo.*

Aliter etiã dici posset, licet ecclesian õ possit dispensare in matrimonio iam contracto in sensu omnino absoluto, posse tamẽ quasi antecedẽter facere vt matrimonium contrahatur sub ea conditione tacita, vt vnicuiq; cõtrahentium liceat ante consummationẽ ad altiora vota transire: sicut enim potest Ecclesia creato nouo impedimẽto matrimoniũ ita impedire, vt rarum non fiat; ita etiã potest impedire ne fiat nisi sub illa conditione, qua posita, non per dispensationem, sed per se vinculum dissoluitur, eo ipso quod alter religionẽ profiteretur. Qui modus dicendi est probabilis,

habilis, sed non caret difficultatibus, vt infra attingemus. Quod autem tanquam inconueniens inferebatur posse eandem fœminam duobus viris viuentibus successiue nubere, ita vt vtrumque matrimonium sit validum: hoc, inquam, recte intellectum nullum inconueniens est, quia nō sequitur, quod simul habeat duos maritos, quia dissoluto primo matrimonio per professionem (& eadem est de dispensatione) iam ille nō est maritus, sed fuit sponsus; vnde quādo postea ablato vinculo professionis per dispēsationem, cum alio contrahit, illum solum habet sponsum: nunquā ergo habet duos, sed successiue habuit, nec duo matrimonia simul sunt valida, sed successiue fuerunt, ita tamen vt saltem primum non fuerit consummatum, & hoc nullum inconueniens est.

Ad vltimam confirmationem (quæ solum est congruentia quædam) negatur similitudo, nam in matrimonio carnali cōsummato fuit specialis ratio omnimodæ indissolubilitatis, vel propter perfectam significationem sacramentalem vnionis Christi cum Ecclesia, vel propter naturalē rationem, quæ sumitur ex damno vel iniuria, quæ inde redundaret in prolem; in vinculo autē professionis nulla similis ratio locū habet, neque alia quæ cogat, aut sufficientem congruentiam ostendat: nam ad perfectionem talis status sufficit ordinaria perpetuitas, & indissolubilitas, quā habet, & subordinatio ad potestatem Pontificis nihil diminuit de perfectione eius, & aliquando ad cōmune bonum potest esse necessaria. Cum vero instat Soto aliquando posse occurrere similē necessitatem dissoluendi matrimoniū cōsummatū; respondemus, illud esse specialē repugnantiam, & fortasse intrinsecam malitiā, qualis est in vago concubitu, ad quem quodammodo reuocaretur, seu reduceretur præcedens copula, si matrimonium dissolueretur, & ideo in illo euentu alio modo prouidendum est, non tamen propterea excludenda est dispensatio, in aliis casibus, aut vinculis.

### *Fertur iudicium ex censura de oppositā sententia.*

24. Vnum vero superest in hac quæstione inuestigandum, videl. quam sit certa hoc tempore hæc resolutio. Aliqui enim existimant, licet tempore D. Thom. qui Bonifacium præcessit, eius opinio probabilis fuerit, tamen à tempore Bonifacij VIII. qui declarauit solemnitatē voti esse de iure ecclesiastico, oppositam sententiam longe probabiliorem fuisse; nunc autem tanquam certam, & indubitatam tenēdam esse propter constitutionem Greg. XIII. in qua & confirmat dictam sententiā Bonifacij, & auget, illam definiens posse esse statum verè, ac propriè religiosum sine illa solennitate, vt de facto est in gradu scholarium approbatorum, & coadiutorum Societatis Iesv. Item (quod consequens est) posse per Ecclesiam fieri, vt is qui est verè, ac propriè religiosus, desinat esse religiosus; & vt is, qui ratione talis status erat inhabilis ad matrimonium, ratione status religiosi, per Ecclesiam fiat habilis sicut de facto iam fit. Quæ omnia videntur repugnare directe cum opinione D. Thomæ, & fundamēto eius: vnde cū illa iam sint omnino certa, videtur opinio D. Thom. nō posse defendi sine errore. Respōdeo, mihi quidē non videri nunc opinionē illam multū probabilē, in quo nulla fit D. Thom. iniuria, quia successu tēporis potuit hæc res magis declarari, maxime in erueniēte Summorū Pontificum auctoritate, ad quos magis spectat iudicū de sua potestate, quam ad vllum doctorem. Deinde dico grauissime erasse nonnullos modernos defensores D. Thom. qui vt illam opinionem defenderent, prædictam doctrinā Greg. XIII. labefactare, & seu expresse negare ausi sunt, non tantū dictum Pontificem iniuria afficientes, sed etiam eneruantes omnia similia statuta, & declarationes, aut approbationes editas à summis Pontificib. in aliarū religionū defensionem.

Addo vero vltimo illas declarationes Pontificum non omnino pendere ex hac sententia, q̄ professio religiosa dispensabilis sit, & ideo si quis conetur defendere opinionem D. Thomæ, non discedendo in aliquo à prædicta doctrina Pontificum, non esse dignum aliqua censura, licet fortasse minus probabiliter, aut minus consequenter loqueretur. Non existimo autem id esse impossibile, nam in primis nunquā D. Thomas expresse dixit (quod ego sciam) illam solennitatem voti, quæ consistit in vi irritandi subsequens matrimonium, esse omnino de iure diuino, sed solum dixit professionem esse immutabilem, & votum continentiæ ita esse illi annexum, vt non possit ab illa separari, quod verum esse potest, etiamsi tale votum non reddat personam inhabilem ad matrimonium. Vnde quod concludit, non posse in tali voto dispensari, intelligi potest de dispēsatione simpliciter, ita vt contrahere matrimonium, & violare castitatem liceat: non tamen propterea negat inhabilitatem illam posse per Ecclesiam separari à tali voto, quia nō repugnat hoc fieri sine illo, vt patet in dispensatione sine sufficienti causa data. Aliter etiam dici posset, cum Pontifices aiunt illam solennitatem voti esse ex constitutione Ecclesiæ, non propterea excludere, quin possit oriri ex natura rei ex aliquo voto, vel statu perfectionis, sed solum voluisse definire posse Ecclesiam hanc solennitatem adiungere, & nō extendi vltra constitutionem & declarationem eius. Itaque contendere quis posset iuxta opinionem D. Thomæ votū castitatis adiunctum professioni, quæ absolutam traditionem, & ex vtraq; parte obligatoriam includit, natura sua reddere personam inhabilem ad matrimonium, adiunctum vero traditioni aliter factæ, non habere ex se talem effectum, seu solennitatem, licet Ecclesia possit illā adiungere, quod D. Thomas nunquam negauit. Et hoc modo explicata illa sententia quidquid sit de eius probabilitate in vi rationis stando, non erit contraria Pontificibus, neq; illo titulo digna aliqua censura, dummodo non asseratur solennitatem illam siue ex natura rei siue ab Ecclesia adiunctam esse de substantia status religiosi verè ac propriè dicti, hoc enim aperte repugnat declarationi Gregor. XIII. & eodem modo dici posset ex sententia D. Thom. professionem factam cum traditione absoluta, & intrinsece indissolubilem ex vtraque parte religionis, & religiosi, etiam esse indispensabilem, & consequenter etiam votum illi per se annexum, contra quod nec dicti Pōtifices aliquid expresse dixerunt, neque etiam id habet aliquam repugnantiam euidentem cum instituto Societatis, prout à Greg. XIII. confirmatum & declaratum est: nam licet illa professio esset indispensabilis, potest esse alius modus professionis, seu vinculi, sufficiens quidem ad constituendum statum religiosum, quia & sufficientem traditionem, & tria vota substantialia includit, non tamen ita indispensabilis, quia traditio eius non ita est absoluta. Hæc enim doctrina licet fortasse non possit sufficienter fundari, vt latius dicam tractando de instituto Societatis, non est tamen directe contraria Pontificibus, vt ea ratione censuram mereatur.

Denique addo (quod fortasse nouum videbitur) etiamsi quis consequenter ad opinionem D. Thom. dicat omnia vota quæ cōstituunt verum religiosum, atque adeo vota scholarium Societatis esse indispensabilia, etiam à Romano Pontifice, non propterea directe repugnare, aut contradicere instituto Societatis, aut constitutioni Gregor. XIII. Intelligetur hoc facile si præ oculis habeatur distinctio inter irritationem

25.

26. *Vota scholarium Societatis possunt de cē indispensabilia, licet sine irritabilia.*

tionem & dispensationem, & inter potestatem ad vtrumque actum; quæ tanta est, vt possit aliquis habere potestatem ad irritandum, & non ad dispensandum aliquod votum, & è conuerso. Quod ergo per se directè spectat ad institutum Societatis, solum est quod tale vinculũ, & vota eius sunt irritabilia, quod est & certum & clarum, supposita conditione sub qua fiunt in suis constitutionibus satis expressa, & in Bullis approbata, quod suo loco latius dicemus. Quod vero talia vota sint dispensabilia, necne, nihil ad hoc institutum refert: imo si quis tentet defendere, per dispensationem tolli non posse, magis videbitur fauere stabilitati talis status, nõ repugnando cõditioni eius: non enim repugnat dicere donationem sub conditione factam irritari quidem posse ob defectũ conditionis, non tamen dispensari, si alias conditione existente firma permaneat. Hæc dixerim ne quis existimet aut institutum Societatis quoad hanc partem pendere ex prædicta doctrina de dispẽsatione professionis, aut nos impugnare opinionem D. Thomæ in hac parte, vt solum res nostras tueamur; nam reuera non ita est, sed quia nullum habet fundamentum sufficiens, vt ab vniuersali potestate Pontificis illum actum subtrahamus. Nec etiam negamus quin decreta Pontificum postea edita, & quæ de peculiaribus votis, & gradibus religiosorum Societatis in eis declarata, & approbata sunt, facilioti, & maiori consecutione in doctrina iuxta oppositam sententiam, quam hic defendimus, cohæreant, & intelligantur.

## Caput XVIII.

### *An potestas dispensandi in professione religiosa in solo summo Pontifice resideat.*

1. EX dictis satis probatum est esse in summo Pontifice potestatem ad dispensandum in professione religiosa; interrogari vero vlterius potest, an hæc potestas in solo summo Pontifice existat. In quo dubitari non potest de facto quoad potestatẽ ordinariam, cum solus ipse hanc potestatem habeat, nam id constat ex vsu, & consuetudine totius Ecclesiæ. Et ratio est, quia sicut potuit vota simplicia castitatis, aut religionis sibi reseruare, multo magis professionem religiosam. Quod autem ita fuerit, quamuis nullũ esset ius scriptum, sufficiẽter ostenderet consuetudo, sicut de alijs votis reseruatis diximus. Sed præterea constat ex eo iure, quo Pontifex sibi reseruauit approbationem religionum, & illas à iure ordinariorum exemit, & sub sua cura, & speciali protectione suscepit. Potest autem inquiri, an hoc fuerit semper obseruatum in Ecclesia, vel an Episcopi aliquando habuerint hanc facultatem, & consequenter, an secluſa reseruatione eis competat ordinario iure, quod si ita est, quando cœperit hæc reseruatio. De qua re tota iudicandum censeo, sicut de approbatione religionis, de qua supra dixi, quamdiu Apostolica sedes eam sibi non reseruauit, ad Episcopos pertinuisse saltem quantum ad efficacitatem instituendi, vt approbandi aliquod institutum religiosum, & acceptandi, vel dandi potestatem ad acceptandum nomine Dei traditionem, & vota religiosa.

2. *Ante reseruationem poterant dispensare Episcopi.* Existimo ergo toto tempore quo hic status rerum in Ecclesia durauit, quamdiu Pontifices vota perpetua sibi non reseruarunt, habuisse Episcopos potestatem dispensandi cum religiosis sibi subditis in professione, & votis monasticis, sicut poterant dispensare in voto virginitatis. Ratio est, quia nõ est minoris potestatis approbare religionẽ, quam dispensare in statu religioso; sed Episcopi iure ordinario habent priorẽ potestatem, nisi auferatur: ergo & posteriorẽ; non est autem verisimile prius factam esse restrictionem circa dispensationem, quam circa approbationem, tum quia hæc habet inter se quandã connexionem, imo negotium approbandi multo grauius est, quia propinquius respicit commune bonum; tum etiam, quia nullũ iudicium ex antiquitate habemus, vnde illa reseruatio pro illo tẽpore colligatur: quin potius multa sunt, ex quibus intelligi potest, eo tempore quo religiosi erant subiecti Episcopis, & ab eis solis pendebant in approbatione, confirmatione, & alijs ad eorum regimen pertinentibus, habuisse in illos plenã potestatem, etiam in dispẽsatione circa vota, quamuis incertum sit, qualia tunc essent illa vota, qualisve professio, prout sæpe in superioribus tactum est, & attingetur iterum infra in speciali Libro de Castitate religiosa.

3. Confirmatur tandem, quia iuxta opinionem multorum omnis potestas quę est in Pontifice ad dispensandum in votis iure diuino pro vniuersa Ecclesia, est etiã in Episcopis erga suos subditos, quamdiu à Pontifice non limitatur, vel certe licet nõ sit iure diuino, quod ego verius existimo, saltem est ex concessione, quæ ab Apostolorum tempore incepit, & perpetua traditione, & consensu tacito conseruata est, quia est necessaria ad ordinarium regimen animarũ, & ideo quamdiu nõ aufertur, concessa intelligitur. Quando autẽ hæc limitatio, aut reseruatio cœperit, nobis non constat, quamuis certum videatur non semper fuisse ex cõiecturis, & rationibus adductis. Verisimile igitur est incepisse ad minimum quando cœpit reseruatio perpetuorum votorum, vel quãdo Pontifices approbationem religionum sibi reseruarunt, ab ordinariorum iurisdictione eas eximentes. Neq; in hac re aliquid certius dicendum occurrit, neq; etiam video inconueniens vllum aut difficultatem, cur non potuerint Episcopi aliquando hanc potestatem habere, aut cur non possit Pontifex, si velit, etiam nunc illam cõcedere iure ordinario, vel omnibus (quamuis hoc non expediat) vel alicui Patriarchæ, aut Primati in aliqua prouincia valde distanti, in qua difficilis est ad Pontificem recursus. Quod etiam facere potest per delegationem, aut perpetuo annexam tali dignitati Episcopali, aut (quod facilius est) tali personæ cõcessam, cum enim hæc potestas iurisdictionis sit, quãuis sit valde grauis, sine vlla dubitatione delegabilis est.

*Potestas dispensandi de iure quo iure competat Episcopis.*

4. *Dubitatio an sint vrgentes grauitates propter quas Episcopi in votis potestatis reservatis, possint etiam in professione dispensare.* Vna vera hinc nascitur mihi dubitatio, an in hoc genere dispensationis adduci possit doctrina communiter recepta, Episcopos scilicet, posse dispensare in aliquo euentu, in votis Pontifici reseruatis, quando nimirum necessitas est valde vrgens, ita vt animarum periculum immineat, vel aliquod graue nocumentum contra bonum cõmune, & accessus ad Pontificem sit tardus, ac difficilis, sitq; prædictum periculum in mora. Auctores enim generatim loquuntur, & hanc exceptionem non faciunt. Rationes etiam, quæ illam regulã suadent, in hoc etiam euẽtu locum habent, si causa, & necessitas proportionatæ sint, ita vt ex ea parte sit certum legitimam esse dispensationem. Neque est verisimile eam potestatem relictam esse Episcopis ob necessitatem animarum, & limitatam fuisse quoad hunc effectum, existente simili, aut proportionata necessitate. Accedit quod multi auctores, qui nõ propriam dispensationẽ, sed interpretationem circa omnia vota admittunt, eandẽ fatentur habere locum circa professionem, seu votum solenne; vt supra retuli: potest ergo ex eorum sententia dari casus, in quo tanta sit necessitas boni communis, vt ex vi eius absq; vlla propria dispensatione cesset obligatio voti solennis, quia impediret maius bonum, vel quia intercedit naturalis obligatio tam grauis, vt in ipso voto censeatur talis casus exceptus: ergo licet ordinariè authẽtica interpretatio in tali casu pertineat ad Pontificem, si occurrant circumstantiæ dictæ,

dictæ poterit eam dare Episcopus: ergo idem dicendum est etiam in dispensatione propriè dicta.

Circa hoc nihil inuenio declaratum ab auctoribus, qui & potestatem dispensandi in professione, & voto solenni in summo Pontifice agnoscunt, & prædictam regulam generaliter, & sine exceptione admittunt, & rationes quibus illam regulã confirmant, videntur in hoc etiam casu procedere, & concedere prædictam facultatem Episcopis; specialius id concedere videtur Sanchez libr. 8. de matrim. disput. 8. num. 11. Nihilominus non censeo potestatem hanc extendendam esse ad Episcopos sine expressa Pontificis delegatione, in quocunque casu, & quantacunque necessitas excogitetur. Ratio est, quia in primis iuris principium est, generalem clausulam non comprehendere casus speciales, in quibus superior verosimiliter non esset aliquid concessurus: sed potestas dispensandi in voto solenni religionis, secundum præsentem statum, & vsum Ecclesiæ, est valde specialis, quam non legimus vnquam Pontifices inferioribus concessisse, habetque tam difficilem vsum, vt ipsi Pontifices raro illa vtantur: ergo nunquam licet per Epikiam interpretari in aliquo casu esse concessam Episcopo. Consequentia recte colligit, quia in voto castitatis simplici, & similibus reseruatis colligunt doctores posse Episcopos dispensare in casu vrgentis necessitatis, quia vsus, & antiqua consuetudo dispensandi in hac occasione indicat vel non fuisse à principio mentem Pontificis hæc vota in similibus casibus sibi reseruare, vel saltem postea ad dispensandum in eis tacite eam facultatem concessisse; ergo è contra si nunquam talis fuit vsus, & consuetudo dispensandi in votis solemnibus, nullam omnino in ordine ad illa facultatem habent. Et idem censeo dicendum de potestate dispensandi in matrimonio rato, & vtrumque potest ex ipso vsu, vel potius non vsu confirmari, nunquam enim legimus, vel audiuimus Episcopum aliquem in aliquo euentu vsurpasse sibi talem potestatem; vsus autem est optimus interpres legum & potestatum, &c. Indicat etiam hic vsus casum tam æ necessitatis adeo extraordinarium esse, vt moralis non reputetur, ideoq; propter illum non esse verosimiliter factam à Pontificibus hanc exceptionem, vel huius potestatis delegationem, sine qua nõ potest in inferioribus esse hæc potestas.

Ex quo tandem à fortiori constat hoc vinculum professionis religiosæ nunquam cessare ex natura rei seu per seipsum, propter aliquam occurrentem necessitatem, sicut vinculum matrimonii rati nunquã ex natura rei dissoluitur ex sese, propter insurgentem causam, nisi à superiore potestate dissoluatur, quia talia vincula ex sese & intrinsece sunt perpetua absolute, & simpliciter, nullamq; includunt conditionem, ratione cuius ex se possint cessare ob defectum conditionis, quod de vinculo matrimonij hic suppono, quia repugnat fini eius: de vinculo autem professionis constat ex dictis in superiore capite. Et ratio reddi potest ex dictis, quia moraliter nunquam potest occurrere casus, in quo malum sit per se obseruare tale vinculum non obstante occurrente necessitate: extra huiusmodi autem casum non potest tale vinculum per se cessare. Quæ ratio apud me sufficienter probat de vinculo ipso. An vero ptobet etiam de vsu ipso, & obseruatione omnium votorũ quoad vsum, dicam commodius infra disputando de castitate religiosa. Nunc ex dictis recte concluditur hoc vinculum professionis nunquam dissolui per solam interpretationem: nam quando interpretatio sufficit, supponitur effectus ex se talis, quia per interpretationem solum declaratur id quod in re est, & ideo etiam ex hoc capite non potest talis dissolutio huius vinculi ad Episcopos extendi p.o aliquo casu, alioqui etiam posset extendi ad viros doctos, maxime quando esset difficilis recursus ad superiorem, quod incredibile est.

## Caput XIX.

### *Quot modi fieri possit tacita professio secundum ius antiquum.*

1. SVpponimus ex dictis in præcedentibus, professionem duobus modis fieri posse, expresse, & tacite, quod etiam probant multa iura in sequentibus referenda, & quæ hactenus diximus de expressa professione tradita sunt. Hic ergo duo solum declaranda supersunt, scilicet, quomodo fieri possit professio tacita, & quam obligationem inducat: ex quibus etiam constabit, an hæ duæ professiones licet in exteriori signo differant, in morali vinculo sint eiusdem rationis, & consequenter, an omnia, quæ diximus de professione expressa, in tacitam conueniant, aut aliqua exceptio sit adhibenda, & quæ nam illa sit.

2. Prima ergo quæstio hoc capite agitanda, est quibus scilicet modis fieri possit tacita professio, quę tractari potest, aut secundum ius antiquum, aut secundum nouum Concilii Trident. Prioti modo tractatur à Canonistis in cap. *statuimus*, de Regulatib. & in cap. *constitutionum*, eod. titul. in 6. Summistæ omnes verb. *Professio*, & verb. *Religio*, qui omnes supponunt tacitam professionem esse veram professionẽ, quod etiam à nobis in præcedentibus probatum est. Eius autem veritas suppositis aliis ad veram professionem requisitis, maxime pendet ex interiori consensu, & ex sufficienti exteriori signo, quo ille significetur. Et de interno quidem cõsensu nihil speciale hic addendum occurrit, nam regula est generalis sine illo nullam professionem validam esse in conscientia, & coram Deo, quantumuis exterius præsumatur, ac iudicetur, vt bene notauit Nauarr. commen. 4. de Regular. num. 71. & 74. argum. cap. *tua*, de sponsalib. & cap. *humana aures* 22. quæst. 5. quia in his actibus moralibus signum externum nihil efficit sine interiori intentione, neque actus externus operatur aliquid extra intentionem operantis. Solum ergo superest explicandum, quod signum externum esset olim sufficiens ad professionem tacitam, supposito interiori consensu.

*Tacita professio est vera professio.*

3. Solent igitur tres modi præcipuè assignari tacite profitendi, scilicet, deferre habitum professorum, vel exercere actus professorum, vel vtrumque simul. Exclusis enim verbis, vel scriptis, quibus fit expressa professio, nullum aliud signum aptum ad iudicandum internum profitendi animum excogitari posse videtur, præter externum actum, vel habitũ seu vestitum. Hi autem si sint proprii nouitiorum, nõ possunt animum profitendi significare, vt per se constat. Imo licet habitus professorum, & nouitiorum idem sit, deferre illum non est sufficiens signum professionis, nisi aliquid peculiare adiungatur, quo professus à nouitio distinguatur, de quo statim dicemus; imo cum simili additione putant aliqui per solam susceptionem habitus nouitiorum posse aliquando fieri professionem tacitam secũdum ius antiquum, quod non credo verum, vt statim dicam. Solum ergo illa duo signa, scilicet, habitus, vel actiones professorum videntur esse posse apta ad professionem tacitam indicandam, quæ vel sigillatim, vel simul possunt concurrere, & ita insurgunt dicti modi professionis tacitæ quos breuiter explicare necesse est.

*Quot modi fiat tacita professio.*

4. Primus ergo modus professionis tacitæ olim erat, quando quis induebat habitu proprio professorũ, id est, distincto ab habitu nouitiorum: ita colligitur ex cap. *statuimus*, de Regular. ibi, *Statuimus nouitios in probatione positos ante susceptum religionis habitũ, qui sponte cum*

*Primus modus tacita professionis.*

*Solutus erat per habitū professorum.*

*dari professentibus consuevit, vel ante professionem emissam, ad priorem statum redire posse libere infra annum.* Ergo si talem habitum infra annū susceperint, non possunt ad seculum redire, sed censentur tacite professi: vnde ibi emittere professionem, idem est quod expresse profiteri. Loquitur autē ibi Pontifex de habitu professorum qui sit distinctus ab habitu nouitiorum, alioqui vbi esset habitus communis vtrisque, omnes nouitij susscipientes habitum religionis illius, statim fierent professi, quod absurdum est. Et ratio differentiæ est clara ex dictis, quia vbi est habitus communis, non potest statim à principio habere significationem propriam: quod secus est quando habitus est omnino proprius professorum; & ideo admonet textus in fine illius textus, vt si habitus non fuerit in figura distinctus, saltem habeat benedictionem aliquam, in qua distinguatur. Hoc ipsum statuitur in cap. 1. de Regular. in 6. vbi & distinctio seu proprietas habitus amplius declaratur, & additur, oportere, vt talis habitus susscipiatur post puberem ætatem, quia hæc etiam ad professionem expresse emittendam, necessaria est.

*Requirebatur tamē ætas pubertatis.*

5. *Non statuebatur quibus annus probationis.*

Dices etiam, erat tunc necessarius probationis annus ante professionem. Respondeo esse discrimen, nam annus probationis renuntiari poterat, cap. *ad Apostolicam*, de Regular. & ita renuntiari intelligebatur ab eo qui voluntarie professorū habitum induebat; ætas vero pubertatis renuntiari nunquā potuit, ex quo ad valorem professionis postulata est, quia cum fundetur in defectu intrinseco, qui in minori ætate ad perfecte deliberandum esse præsumitur, sicut ob eam causam iudicatur persona insufficiēs ad profitendum, ita etiam ad renuntiādum iuri suo. Solent autem ad hunc modum professionis tacitæ, requiri multæ conditiones, vt videre licet in Panormit. Sylvest. Angel. & alijs statim citandis; veruntamen illæ aut communes sunt omnibus professionibus, aut si aliqua est propria, explicabitur melius in puncto sequenti, & in discursu capitis omnes attingentur.

6. *Secundus modus erat per vsum actuum professorum.*

Secundus modus professionis tacitæ ab aliquibus fuisse creditur per vsum eorum actuum, qui professorum sunt proprij, etiam si illi actus fuerint in anno nouitiatus, & cum habitu tantum nouitiorum. Hoc genus professionis tacitæ colligi potest ex cap. *vidua*, de Regular. vbi dicitur, vidua quæ sua sponte velum conuersionis, *quamuis non sacrum*, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit Sanctimoniæ habitum retinere debere, vbi particula illa, *quamuis non sacrum*, indicat illud velum fuisse nouitiorum insigne, potius quam professarum, & nihilominus propter actum illum offerendi, qui videbatur esse proprius professarum, talis vidua censetur esse tacite professa. Potest etiam hoc probari à paritate rationis, quia non est minus proprium signum personæ professæ actus, quam vestitus, si vterque sit proprius, & illi soli debitus, sed per solum habitum significatur sufficienter tacita professio: ergo etiā per exercitium actus, qui de iure, vel consuetudine sit proprius professi; dummodo neque ignorantia, neque grauis metus intercedat, vt semper in huiusmodi præsumptionibus necessario supponitur. Nam si quis se ingeret et actui professorum, ignorans illud munus ad solos professos pertinere, magis indicaret ignorantiam suam, quam animum profitendi, vnde probata ignorantia cessaret omnis præsumptio: & idem est si per metum id faciat, quia tunc etiam solum indicatur animus vitandi nocumentum.

*Ignorātia, vel grauis metus impedit professionem tacitam.*

7. *Duæ conditiones requiruntur*

Et hanc sententiam tenet Ioan. Andr. in dict. cap. *vidua*, addit tamen in eo casu supponi debere saltem habitum nouitiorum, & debere subsequi perseuerantiam, saltem per triduum, vt intelligatur facta professio tacita. Ratio prioris partis est, quia tam in illo textu, quam in omnibus, qui de professione tacita loquuntur, primum omnium postulatur assumptio alicuius habitus religiosi, vt patet tum ibi, tum etiam in cap. *viduis* 27. quæst. 1. ex Conc. Tolet. IV. capit. 57. & ex Concil. Carthag. IV. cap. 104. & ex Concil. Triburien. cap. 10. cum similibus: ergo ad minimum requiritur habitus nouitiorum. Vnde si merè secularis cum religiosis professis se ingereret ad electionem faciendam, quæ solis religiosis competit, non propterea censebitur tacite professus, quia in seculari homine, qui voluntatem prius non ostendit assumendi illum statum, ille actus non est signum professionis, sed potius violentiæ illatæ religiosis, & vsurpationis alieni iuris: quando autem supponitur habitus nouitiorum, supponitur iam sufficienter demonstrata voluntas assumendi illum statum, & ideo sufficienter censetur significari eius professio per vsurpationem talis actus. Additur vero altera conditio de perseuerantia tridui propter argumentum à simili, ex cap. *ad nostram*, de Regular. vbi in primo modo professionis per susceptionem habitus professorum ante expletum nouitiatus annum, tridui perseuerantia postulatur: de qua conditione infra dicam. Sequitur hanc sententiam ibi Panormitanus & Sylvester verbo *Religio* 3. num. 19. quamuis subobscure loquatur. Idem tenet Angelus verbo *Nouitius* num. 12.

*adhuc ad hanc professionem secundo modo sufficit aliquorum sententia.*

8. *Iudicium auctoris circa præcedentia sententiæ. & veluti ea requirit præsumptionem professorum, aliā habitum proprium professi.*

Hæc sententia est probabilis, imo vix possumus ab ea discedere cum sit valde communis. Ego tamen, vt verum fatear, non inuenio sufficiens fundamentum eius in iure, præcipue si intelligatur de eo, qui exercet actum proprium professi, tamen in habitu proprio nouitij, id est, distincto ab habitu professorum; quia in nullo textu inuenio professionem tacitam sine habitu professorum, vel proprio, vel communi illis. Et in primis ex dict. cap. *vidua*, aliud non habetur: nam illud velum reuera erat eiusdem rationis cum illo quo vtebantur viduæ velatæ, quæ oblationem offerebant, de quibus ibi fit mentio: quod ibi notauit Antonius, & placet etiam Panormitano, & optima coniectura est, tum quod textus vniuoce, vt sic dicam, de illis loquitur: tum etiam, quia alias non fuisset ausa vidua publice cum alijs offerri: tum denique, quia velum viduarum non solebat sacrari, aut benedici, & ideo dicitur ibi, *non sacrum*; non quia esset distinctum à velo professarum, vtrumque ergo idem erat, & ibi appellatur velum conuersionis. Vnde ex alio etiam capite infirmum argumentum sumitur ex illo textu, quia non satis constat ibi esse sermonem de viduis professis, sed solum de emittentibus publice votum castitatis, quod fortasse regulariter simplex erat, vt superius adnotauimus agentes de voto simplici castitatis. Ex illo ergo textu solum colligitur signum in exteriori habitu alicuius status esse sufficiens indicium professionis tacitæ tali statui accommodatæ. Atque ita Panormit. cum Antonio fatetur in rigore ex illo textu solum colligi assumptionem habitus professorum cum vsu alicuius actus sufficere ad professionem tacitam, quod clarum est, vt statim dicemus. Quod ergo solus actus professi sine habitu professorum sufficiat, nullo iure probari potest: sine iure autem non videtur hoc asserendum, quia professio tacita non tam ex euidentia rei, quam ex præsumptione asseritur; nulla autem præsumptio videtur sufficiens nisi iuris auctoritate confirmata sit. Accedit, quod in dict. cap. *statuimus*, genera iter dicitur nouitios, qui habitum professorum proprium non receperunt, nec expressam professionem emiserunt, libere posse exire, si velint: ergo etiamsi actus quoscunque exercuerint sine illo habitu, poterunt libere exire; alioqui

alioqui vera non est illa vniuersalis propositio, neq; adæquata disiunctio. Eo vel maxime quod statim additur exceptio, *Nisi euident. r appareat, quod talis voluerit vitam mutare*, de qua statim. Exceptio autem (vt Iuristæ dicunt) firmat regulam in contrarium: ergo præter illam exceptionem bene intellectam non est alia admittenda. Colligitur ergo hinc vniuersalis regula sine voluntaria susceptione habitus proprij professorum nullam fieri solitam professionem tacitam intra annum nouitiatus, quæ etiam colligitur ex c. 1. de Regular. in 6.

9. Necrationes aliæ, aut indicia, secluso iure oppositum probant, quia non est omnino eadem ratio de susceptione habitus, & de exercitio actus professi. Primo, quia externus habitus post vocem & scripturam est signum magis certum & expressum professionis alicuius status, nam magis est institutus significandi gratia, quam actus; imo actus reuera non habet talem significationem ex impositione, sicut eam habet religiosus habitus. Secundo, quia licet habitus non faciat monachum, sed professio, dari tamen solet in ipsamet professione tanquam signum permanens eius, & ideo voluntaria susceptio talis habitus cum intentione ingrediendi religionem, censebatur merito sufficiens signum professionis: at vero actus solum est veluti quidam effectus qui subsequi solet ex professione, & ideo non tam significat eam fieri, quam supponi, ac proinde non videtur sufficiens signum ad emittendam professionem tacitam: maxime, quia etiam professionem factam non satis indicat, quatenus est talis actus, sed quatenus est iure factus: solent autem sæpe huiusmodi actus vsurpari contra ius, & sine potestate, & ideo solus actus non est sufficiens indicium professionis factæ. Et confirmo, nam vt ille actus iure fiat, debet supponere personam vnitam religioni per professionem: ergo non potest illam vnire, quia non potest esse causa sui principij. Dices, præsumitur supponere voluntatem profitendi. Sed contra, nam præterquam quod præsumptio est debilis, vt dixi, illud non satis est, quia voluntas non sufficit ad professionem, neque ad incorporandum hominem religioni, nisi sit exterius manifestata: illa autem voluntas, vt supponitur, ad talem actum, non est ex eius manifestata: ergo ille actus licet supponat talem voluntatem, non supponit hominem professum, necetiam potest constituere professum propter rationem factam, quia si est actus vsurpatus, non indicat professionem, si autem est actus verus, & iuridicus, supponit illam, & ideo non potest eam efficere.

10. Video responderi posse actum illum, v. g. electionem à nouitio factam non esse quidem in re iuridicum, & validum actum, satis vero esse quod ab ipso nouitio fiat animo faciendi verum, & legitimum actum, atque ita præsumi debere, quia nemo præsumitur velle iniuste operari. Potest etiam responderi, vt actus ille sit validus, satis esse quod supponat professum, vel faciat, quemadmodum vt sacramentum digne suscipiatur, sufficit quod suppo-natur hominem sanctum, vel faciat. Sed ego reuera existimo talem actum, vel suffragium, vel quidquid illud sit, non esse validum, neque in Ecclesiastico iure vt talem esse admittendum, quia non procedit ab habente potestatem, de quo alias. Vnde consequenter censeo illam præsumptionem esse valde infirmam, quia nunquam potest talis persona excusari à peccato male vsurpatæ potestatis, & ideo nullum est sufficiens principium ad præsumendum voluisse per illum actum profiteri.

11. Propter quæ omnia probabilissimum censeo non posse aliquem in foro Ecclesiastico iudicari verè professum propter solum illud signum intra annum nouitiatus, & sine habitu professorum. Quod certius mihi est, quando nec proprium, nec communem habitum professorum suscepit, quia tũc clarius vrgent rationes factæ. Idem tamen existimo dicendum, etiamsi habitus nouitiorum non distinguatur ab habitu professorum, quia sine habitu proprio, & distincto professorum, nulla erat professio tacita intra annum nouitiatus, vt mihi probat dict. cap. *statuimus*, & dict. cap. 1. & iuuant etiam coniecturæ adductæ. Et ita sentit Nauarr. comment. 4, de Regular. numer. 73. in fin. An vero post transactum annum professionis sufficiat exercitium talis actus sine habitu, infra dicam. In foro autem conscientiæ primum si talis persona non habuit animum profitendi, res est clara: veruntamen licet eum habuerit, etiam mihi est res dubia propter rationem factam. Sed quia nunc constat talem professionem esse nullam, saltem ex defectu anni nouitiatus, ideo in hoc nunc non immoror. Quid autem censendum sit si casus contingat post impletum annum probationis, infra dicam.

12. *Resolutio vera.*

Secundus ergo modus professionis tacitæ verus & certus erit, si quis & habitum professi assumat, & actum eius exerceat. Qui ad summum colligitur ex dict. cap. *viduæ*, & à fortiori ex priori modo, & ex iuribus ibi adductis: imo videri potest hic modus non esse distinguendus ab illo, quia & includit illum, & solum ratione illius fit hic tacita professio: nam quando quis in hoc casu exercet actum professi, iam supponitur professus per assumptionẽ habitus, iuxta priorem modum. Nihilominus iuxta communem sententiam potest aliqua differentia assignari: nam quando solus habitus professorum assumitur, dicitur requiri perseuerantia tridui post assumptum habitum, vt professio tacita facta censeatur, ex cap. *ad nostram*, de Regular. & expressius in cap. *constitutionem*, eod. titul. in 6. At vero quando adiungitur exercitium actus ad susceptionem habitus proprii professorum, tunc statim censetur facta professio, ob dict. cap. *viduam*, & ita tenent omnes citati Doctores. Et de priori quidem parte dubitari non potest quoad forum externũ, nam ius est expressum, quanquam de sensu illius dubitari possit, an semper requiratur illud triduum post susceptum habitum professorum, vel solum quando aliqua probatio, seu nouitiatus nõ præcessit, ita vt voluerint iura triduum expectare, quando primus actus qui accipitur est habitus professorum, seu quando illud, vel maius tempus non præcessit, sub habitu nouitiorum, quando vero al quis nouitiatus præcessit, & postea fit mutatio ad habitum professorũ, illud triduum non expectetur. Hic enim sensus insinuari videtur in dict. cap. *ad nostram*, in verbis illis, *Si post decimumquartum annum habitum ipsum sine probatione susceperit, & infra triduum deposuerit*: vbi duæ conditiones requiruntur, vt professio illa non censeatur valida, scilicet, quod sine probatione præuia talem habitũ susceperit, & ante perseuerantiam tridui demiserit: ergo è contrario quælibet conditionum positarum sufficiet vt professio sit valida. Nec deest congruentia, quia quando habitus professorum à principio sumitur, res est nimis repentina, & ideo non statim præsumitur vera, aut satis deliberata, ac propterea triduum prudenter expectatur. Quando autem præcessit aliqua probatio, iam supponitur aliqua experientia status religiosi, & maturior deliberatio, & ideo non videtur tunc adeo necessarium subsequens perseuerantiæ experimentum. Vnde hic sensus, attento dict. cap. *ad nostram*, nõ esset improbabilis, considerato autem dict. cap. *constitutionem*, in quo ius hoc quasi de nouo statuitur, vel declaratur, illa explicatio locum non

*Perseuerãtia tridui quomodo, & quando requiratur.*

habet, quia simpliciter, & sine limitatione hæc conditio postulatur in omnibus sic tacite profitentibus infra annum probationis etiam inchoatum, vt ex discursu textus manifeste colligitur, & ibi notat glossa & Panormit. in cap. *Ad nostram*, de Regularib. Vbi ob eandem causam merito reijcit quasdam exceptiones ab illa regula, quas aliqui adiungebant, scilicet, si habitus recipiatur in infirmitate, vel post votum simplex religionis: hæ namq; nec ratione fundatæ sunt, neque iuri consonant, nam vbi ipsum nihil excipit, non est admittenda exceptio, nisi vbi sit necessaria ad æquitatem legis.

13. *Dubium speciale, an ante hoc triduum sit valida professio coram Deo, & in foro conscientiæ.*

Adhuc tamen circa hoc punctum dubitari potest an illa conditio esset necessaria in foro conscientiæ. Fieri enim potest, vt aliquis vere sit professus coram Deo, & ab Ecclesia non iudicetur professus, quia coram ipsa non satis probatur. Ponamus ergo aliquem assumpsisse habitum professorum ex perfecta deliberatione, & voluntate profitendi, ac renuntiandi anno nouitiatus: nunquid statim obligatur, ac est verè professus coram Deo? Videtur quidem ita esse affirmandum, licet Ecclesia illam talem non iudicet, vsque ad perseuerantiam tridui, quia Ecclesia ducitur præsumptione, & ideo donec voluntas ita probetur, non iudicat esse sufficiens indicium ad illam præsumendam: Deus autem intuetur cor, & ita statim ac est, videtur apud eum obligare voluntas profitendi cum illo signo exteriori, quod de se iam sufficiens est. Nihilominus probabilius censeo professionem illam etiam coram Deo non cœpisse esse validam vsq; ad perseuerantiam tridui; quia in dict. cap. *constitutionem*, illa conditio ponitur vt simpliciter necessaria, vt talis professio obliget, scilicet, verè & in reipsa, non præsumptione tantum, tum quia verbum *obliget*, in rigore hoc significat, & debet fauorabilius intelligi, & vt magis interuiat ad securitatem animæ, & conscientiæ: tum etiam, quia aliæ conditiones ibi numeratæ, hoc modo sunt necessariæ, scilicet, quod sciens, volens, & in debita ætate id faciat. Potuit autem Ecclesia id multis modis facere, scilicet, vel non admittendo renuntiationem anni nouitiatus aliter factam, vel imponendo illud signum externum ad significandam professionem cum dependentia à triduana perseuerantia, vel non acceptando traditionem vsque ad complementum illorum trium dierum, etiamsi alius à principio illam facere voluerit.

14. *Idem dicendum de professione tacita facta per susceptionem habitus & exercitium actus professorum: nimirum ad illam etiam requiri perseuerantiam tridui.*

De posteriori autem parte mihi maius dubium est, quamuis Panormitanus, Anton. Innocent. & alij in dict. cap. *vidua*, Syluest. Angel. & alij Summistæ in ea asserenda fere conueniunt, quod sequitur Nauarr. dict. comment. 4. de Regular. numer. 73. qui fundantur in dict. cap. *vidua*, in quo eo ipso quod illa & habitum seu velum conuersionis susceperit, & actum velatarum exercuit in Ecclesia inter velatas Deo offerendo, professa censetur. Et quamuis ibi non exprimatur illa duo facta esse infra, vel ante triduum, satis tamen est quod illa duo ponantur tanquam sufficientia ad complendum professionis signum. Vnde colligunt dicti auctores exercitium illius actus professorum æquiualere triduanæ perseuerantiæ. Et potest hoc confirmari, quia alias superflue adiungeretur in illo textu actus offerendi susceptionem habitus, sic ad consummandam professionem nihil referre. Nihilominus contrariam sententiam tenuit Ioan. Andr. in dict. cap. *ad nostram*, cuius opinio mihi quidem valde probabilis est. Primo, quia in illo cap. *vidua*, vt dixi, non videtur agi de propria professione, sed de voto simplici castitatis, quod viduæ emittebant, & in eius signum aliquod velamen assumebant; quod ex Concil. Tribur. can. 25. vnde textus ille sumptus est, non obscure intelligi potest: nam ibi Concilium allegat decretum Gelasij Papæ 1. epist. Decret. cap. 21. alias 23. vbi de his viduis velatis dicit, si sponte castitatem professæ fuerint, & postea castitatem mutabili mente calcauerint, admonendas esse, non tamen cogendas: quod etiam refertur 27. quæst. 1. cap. *de viduis*, quo loco probabilissimum est, vt in superioribus adnotaui, non esse sermonem de viduis professis in proprio religionis statu, alioqui plus ad suum statum obseruandum cogerentur. Concilium autem Triburien. de eisdem omnino viduis loquitur, non ergo loquitur de proprie professis statum religionis, de quibus nunc loquimur: addidisse tamen videtur ad decretum Gelasij, quando vidua non tantum velum assumit, sed etiam publice in Ecclesia cum cæteris velatis viduis ad offerendum Deo accedit, tunc cogendam esse susceptum habitum retinere, & seruare. Quod fortasse factum est, non solum, quia actus ille erat proprius viduarum velatarum, sed etiam, quia erat actus sacer, & publicus in Ecclesia; quod etiam colligitur ex cap. *vidua*, 27. quæst. 1. ex Concil. V Vormat. cap. 21. in quo sermo est de vidua, quæ sacrum velamen capiti imposuerit, & ideo magis posset intelligi de vidua proprie religiosa, ibi tamen expressa professio requiri videtur, nam additur, si professa est, in eodem habitu permanere spondens nunquam religionis deponere velamen. Concilium autem Triburien. loquitur de vidua assumente velum non sacrum, & quæ alias iuxta decretum Gelasij non cogebatur ab Ecclesia ad continentiam seruandam, sed solum obligationis suæ admonebatur, cui illud Concilium addidit, in illo speciali casu cogendam esse.

15. Quapropter ex illo textu infirmum sumitur argumentum, tum quia hic agimus de propria, & solenni professione; tum etiã, quia ibi non est sermo de quocunque actu professorum, sed de illa oblatione propter specialem rationem, & consuetudinem eius: vnde glossa ibi inquit, quod licet diu ibi habitasset sine tali oblatione, non iudicaretur monacha, seu castitatem professa. Considero præterea decretum illud, præterquam quod solum fuit Concilij Prouincialis, antiquius multo esse quam cap. *constitutionem*, in quo noua forma tradita videtur profitendi tacite ante completum annum nouitiatus cum omnibus conditionibus ad talem professionem necessarijs, inter quas ponitur perseuerantia per triduum, & nulla fit mentio de exercitio actus professorũ: ergo iuxta hoc ius nouum & Pontificium interpretandum, & limitandum est illud antiquius: nullibi enim in iure declaratum est, exercitium actus professi æquiualere perseuerantiæ tridui, nec etiam est vlla ratio sufficiens propter quam hoc asseratur. Nam si talis actus statim, seu ante completum triduum factus est, æque inconsideratus, seu indeliberatus æstimabitur, ac ipsa professio: nam ob hanc causam requiritur tempus saltem trium dierum ad recogitandum, & approbandum factum, ideoque non est congrua illa compensatio. Si autem actus ille post expletum triduum factus est, iam supponitur professio consummata, & illud solum est maius quoddam signum obfirmati animi, & moraliter loquendo nunquam fit statim in tam breui tempore, & ideo est etiam indicium morale professionis tacitæ iam completæ, non tamẽ complens illam. Quod etiam confirmare possumus difficultate in superiore puncto posita.

16. Concludo ergo saltem à tempore Bonifacij VIII. auctoris dicti cap. *constitutionem*, vnicam fuisse formã profitendi tacite intra annum nouitiatus per susceptionem habitus proprij professorum in æquate legitima cũ perseuerantia tridui, & cum scientia sufficienti & voluntate libera. Hæc enim omnia in dict. cap. *consti-* *Conclusum.*

*constitutionem*, explicantur, & ideo aliæ conditiones quæ ibi non ponuntur, necessariæ non sunt. Illam vero scientiam ita explicant Syln. Angel. & Nau. cum Innocentio communiter recepto in dict. cap. *cum*, vt necessarium sit, quod professus sciat per talis habitus gestationem tali tempore, aut modo indici professionem. Sed hoc est verum in foro conscientiæ, vt dicam infra; in foro autem exteriori difficile admitteretur talis excusatio, quia in illo foro videtur sufficere vt sciat illum habitum esse proprium professorum, & illum voluntariè assumat, & in eo duret; nam in hoc solum fundatur præsumptio tacitæ professionis, & non in ipsomet iure, quod talem professionem constituit, aut declarauit. Et ita sentire videntur Panormit. & alij; quamuis non negauerim scientiam huius iuris plurimum augere præsumptionem. Denique aduertere oportet in eo cap. *constitutionem*, solum poni conditiones necessarias ex parte professionis, supponi autem requisitas ex parte religionis, quæ sunt duæ, scilicet, potestas admittendi talem professionem, & voluntas. Et potestas quidem erat tunc in omnibus religionibus, præterquam in Mendicantibus, vt in eodem cap. *constitutionem*, declaratur, & supra dictum est cum de anno probationis ageremus. Voluntas autem extendenda erat per aliquem habentem potestatem admittendi ad professionem, quia quoad hoc eadem est ratio de professione tacita, quæ de expressa, vt omnes tati auctores aduertunt; & merito, quia sine consensu vtriusque partis sufficienter declarato non potest contractus perfici. Tamen sicut ex parte professionis tacita sufficiebat professio, seu traditio, ita ex parte prælati, vel communitatis sufficiebat tacita admissio, quia scilicet, prælatus ipse videnti & tacente conuentu habitum professorum dedit, vel quia ipse nouitius videnti & tacente prælato ipsum habitum assumpsit, & ita per triduum perseuetauit.

17. Venio ad secundum modum principalem professionis tacitæ post expletum annum nouitiatus, in quo possunt etiam varij modi distingui. Primus autem & certior est gestare habitum professorum post expletum probationis annum. Quod dupliciter accidere potest, nam habitus professorum potest esse vel indistinctus ab habitu nouitiorum, vel distinctus: quando est prioris generis, necesse est per integrum annum & adhuc amplius illum gestare. Quando vero est posterioris generis, necesse est ad hunc professionis modum post expletum annum illum suscipere. ita sumitur ex cap. 1. de Regular. in 6. in quo textu nonnulla obseruanda sunt. Primum est hunc annum debere totum integrum computari post expletos annos pubertatis. Itaque licet quis recipiat huiusmodi habitum ante 14. annum ætatis expletum, totum illud tempus antecedens non computatur cum anno probationis, sed debet inchoari à principio 14. anni, ita vt professio expleto 15. anno consummetur, quod notauit Palac. in 4. dist. 38. disput. 1. sub 3. concl. Quamuis enim in superioribus dictum sit, professionem expressam valide fieri posse, statim ac annus 14. ætatis expletur, iuxta ius antiquum, & consequenter probationis annum posse fieri in anno proxime antecedente.

Nihilominus ad professionem tacitam perseuerantia vnius anni sub habitu religionis requiritur ex vi illius decreti, vt totus hic annus post expletam pubertatem transigatur. Cuius ratio reddi potest, quia in hoc genere professionis tacitæ signum expressium eius, non in vno, vel alio momento, sed quasi per discursum totius anni exhibetur, & ideo postulatur vt habitus ille deferatur per totum integrum annum in ætate perfecta, in qua secundum ius existimatur aliquis sufficiens ad perfecte deliberandum. Secundo obseruandum est in hoc iure solum requiri vt per annum integrum talis habitus deferatur; vnde recte colligit Sylvest. supra cum Summa Rosella contra Palud. & Angelum non requiri, vt vltra annum deferatur etiam per diem, nisi alioqui annus ex se aliunde illum habeat iuxta communem computationem, vt est annus bissextilis. Ratio est, quia textus solum dicit, *per annum*: ergo in primo momento, in quo impletur annus, consummatur professio. Tertio postulatur in eodem textu, vt habitus talis sit, vt in eo professi, & nouitij non distinguantur: nam si habitus nouitiorum sit distinctus ab habitu professorum, deferendo illum per annum, vel maius tempus, nunquam fit professio tacita, quia nunquam sufficiens signum exhibetur assumptionis talis status. Potest autem habitus professorum distingui ab habitu nouitiorum, vel exterius & sensibiliter, vel in figura, vel in colore, vel alio sensibili signo, aut quasi spiritualiter & insensibiliter, scilicet in aliqua benedictione. Declaratur ergo in dict. cap. 1. §. *distinctos*, oportere vt habitus professorum neutro modo distinctus sit, nam si vel in sola benedictione distinguantur, id satis est ad impediendum hunc modum professionis tacitæ. Tamen quoad hanc partem hoc ius limitatum est per Clem. *Eos*, de Regularib. in qua sic habetur, *Nisi huiusmodi habitus in colore, scissura, vel forma se distinctum patenter exhibeat ab habitu professorum.* Igitur si in sola benedictione distinguantur, id non obstabit quominus professio tacita fiat.

Dices, ergo iuxta illud nouum ius susceptio habitus professorum prop ij, distincti vero in sola benedictione, non sufficeret ad professionem tacite faciendam ante expletum annum nouitiatus, quia iam ille non censetur habitus distinctus, sed communis. Respondetur negando consequentiam, quia ille textus solum addidit limitationem illam quoad alium modum professionis tacitæ, & extendendus non est vt ibi notat glossa, quam bene confirmat Nauarr. quia textus ille noluit restringere, sed potius ampliare professionem, & ideo voluit vt fieret illo modo per habitum publice indistinctum, etiamsi haberet occultam differentiam: at si hoc extenderetur ad alium modum professionis tacitæ, restringeretur professio, quia non posset fieri per professionem habitus distincti occulte, sicut antea poterat, iuxta cap. *statuimus*, de Regular. 19. *Instantia.* *Diluitur.*

Quarto obseruo in præcicto cap. 1. distinctionem quandam fieri inter eos, qui ante pubertatis annos expletos, vel post illos communem religionis habitum suscipiunt. Ad quam differentiam assignandam alia distinctio communis habitus ibi supponitur: aliquando enim ita est communis professis, & nouitiis, vt illi soli eo vtantur, aliquando vero non solum illis, sed etiam aliis cum eis degentibus, qui nec professi, nec nouitij sunt, communis est, & breuitatis causa dici potest commun slimus. Est ergo differentia, quod si quis ante pubertatem suscipiat habitum communissimum, licet illum deferat per annum integrum post pubertatem, non censetur tacite professus, sed oportet vt habitus ab illo susceptus sit tantum communis. at vero si quis suscipiat habitum in pubere ætate, etiamsi habitus ille communissimus sit, fiet tacite professum per annum integrum illum deferendo. Cuius differentiæ ratio fuisse videtur, quia impuberes semper censentur operari cum imperfecta deliberatione, & ideo si communissimum habitum recipiant, non statim præsumitur, quod ex intentione status religiosi illum sumpserint, quod secus est in homine iam pubere. Hæc nihilominus differentia sublata censetur, nam in ea indif- 20.

ferenter sic statuitur, *Eos qui deinceps in discretionis constitui ætate nouitiorum habitum in aliqua religione per annum portauerint, hoc ipso religionem illam decernimus esse professos*; quando scilicet habitus est indistinctus modo supra dicto. cum enim ibi Pontifex nihil distinguat, sed absolute loquatur de omnibus, *qui portauerint*, & non dixerit, qui receperint, videtur plane distinctionem, seu differentiam illam abstulisse. Atque ita illum textum intellexit Nauarr. in dict. comment. 4. de Regular. num. 74. & citat glossam receptam in eadem Clement. Sed licet glossa referat hanc sententiam, illam tamen non sequitur, imo ait, *Sed non credo quod hec decretalis illud corrigat, quod probat litera supra nouitiorum habitum*; *facit cap. cum expediat*, de elect. in 6. scilicet; quia correctio iurium vitanda est quoad fieri possit: potest autem hic vitari, quia recte intelligitur dicta Clement. de habitu communi, & non communissimo, & ad hoc recte ponderatur illa particula, *habitus nouitiorum*: si enim habitus esset adeo communis, vt alij etiam non nouitij, nec professi illo vterentur, non diceretur proprie habitus nouitiorum. Et hanc sententiam sequitur Panormitanus ibi, mihique magis probatur.

*Fiendi tantum.*

21. *Dubium, an requiratur habitus proprius professorum.*

Præter hæc nihil aliud inuenio in iure statutum de hac tacita professione. Posset autem iuxta tractata circa priorem modum tacitæ professionis dubitari, an exercere actus professorum per annum integrum absque habitu illorum, sed cum habitu solum proprio nouitiorum, & patenter distincto, sufficiat ad professionem tacitam faciendam. Sed hæc dubitatio iam locum non habet, suppositis quæ diximus: nam sine habitu professorum nullus actus sufficit, nec de hoc vsu, seu exercitio talium actuum etiam per annum fit in iure aliqua mentio, sine iuris autem fundamẽto, nihil in hoc possumus affirmare, vt dixi. Accedit quod si actus ita conueniant professis, vt sint etiam communes nouitiis, manifestum est communicationem in illis per annum. & per viginti annos sine habitu professorum saltem communi, vel communissimo, non sufficere ad professionem tacitam, vt glossæ & interpretes circa dicta iura, Sylvest. Nauarr. & alii locis cita is, tanquam certum supponunt. Si vero actus sunt proprii professorum, vel vnus sufficit iuxta opinionem quandam superius tractatam, vel si vnus sine habitu professorum non sufficit, vt verius putamus, nec multiplicatio quælibet sufficiet, quia nullum est ius de vno casu potius, quã de alio, neque eet am ratio sufficiens. Sicut autem actus professorum per se non sufficiunt, ita neque necessarii sunt, nam in dictis decretis nulla eorum fit mentio, sed solum postulatur vt habitus per annum deferatur. Additur vero hæc particula, *in religione*, vt patet in dict. Clement, *Eos qui*, ex qua colligunt aliqui, oportere vt habitus ille intra monasterium feratur, vt significat glos. ibi, & latius Sylvest. *religio* 3. quæst. 19. citans Panormitan. in cap. *ex rescripto*, de iureiur. Recte tamen explicatur ab eodem hoc non esse intelligendum quasi materialiter de existentia intra clausttum, nam sufficit deferre habitum sub obedientia religionis, & in ordine ad incorporationem cum illa, hoc enim est formaliter deferre in religione: quod etiam Nauar. adnotauit. Quapropter necesse non est hanc ponere, vt specialem conditionem necessariam ad hanc professionem tacitam, tum quia communis est omni professioni, vt sic, siue sit tacita, siue expressa: tum etiam, quia continetur sub alio iam proposita, scilicet, quod omnis professio tacita requirit acceptationem ex parte religionis: hæc enim esse non potest, nisi sub obedientia eius habitus deferatur.

*Explicatur quid Clem. intelligat per deferre habitum in religione.*

22. *Secundus modus profitendi.*

Præter hos modos tacite profitendi assignari solet alius, quem aliqui putãt olim fuisse obseruatum, scilicet per solam susceptionem cuiuscunq; habitus religionis, etiam propr j nouitiorũ, si post publicum votum simplex religionis & relinquendi seculum assumatur. ita enim colligitur ex cap. *consulti*, de Regular. vbi proponitur quæstio, an qui sumpsit habitum nouitij, possit ante professionem emissam infra tempus probationis licite exire. Respondet autem Innocent. sub distinctione, nam aut ille, qui conuersus est, proposuit absolute vitam mutare, vel simpliciter ad probandum ingressus est; & omisso posteriori casu, in que non est difficultas, in priori ait Pontifex, *debet vt regulariter viuat, ad laxorem saltem regulam pertranſire*. Quibus verbis significat illum fuisse tacite professum: nam ille est effectus proprius tacitæ professionis, vt infra declarabo, & tamen illa professio dicitur fieri per solam assumptionem habitus nouitij, etiamsi sit omnino proprius, & distinctissimus ab habitu professorum, vt ibi glossa significat, & patet ex absoluta appellatione sine illa restrictione. Præterea hoc ipsum indicatur in cap. *statuimus*, eod. tit. ibi, *Nisi euidenter appareat quod talis voluerit absolute vitam mutare, & in religione perpetuo domino deseruire*, vbi hunc ponit tanquam tertium casum, in quo post susceptum habitum religionis non licet ad seculum redire. Primus autem fuerat de eo qui expresse est professus: alius de illo, qui habitum suscepit, qui dari profitentibus solet; ergo in illo tertio sermo est de illo qui suscipiendo quemcunque habitum etiam nouitiorum propter propositum mutandi vitam censetur stat m professus, nam ibi iudicatur tam ligatus, & addictus statui religioso, sicut alii. Et ideo pro ratione statim subiungitur, *cum quilibet renuntiare valeat ei quod pro se noscitur introductum*: quod ibi dictum videtur propter tempus probationis: significatur ergo in eo casu fieri aliquem verè professum, & renuntiasse iuri suo. Eadem sententia confirmari potest ex cap. *non solum*, de Regular. in 6. vbi hic casus æquiparatur præcedentibus de professione expressa, vel de tacita per susceptionem habitus religiosi. Idem significatur in cap. *beneficium*, eod. titul. & libr. vbi etiam æquiparat hunc casum cum professione quoad hoc, vt si suscipiens habitum religionis aliquod habeat beneficium, posset statim alteri conferre. Ad idem affert solet cap. *super eo*, de Regular. sed ibi per habitum religionis recte potest intelligi habitus professorum. In superioribus autem iuribus per propositum mutandi vitam, nihil videtur posse intelligi nisi votum simplex religionis, quia solum propositum non sufficit, vt in principio de voto in communi ostendi: votum etiam solenne non est, alioqui esses professio expressa: ergo solum esse potest votum simplex.

23. *Votũ simplex religionis nunquam solemnizatur.*

Hanc sententiam sic expositam tenuerunt multi Canonistæ, asserentes votum simplex intrandi certam religionem solennizari suscipiendo habitum illius, etiam nouitiorum proprium, ita vt eo ipso talis persona inhabilis maneat ad matrimoniũ, & si antea contraxerat matrimonium ratum, illud statim dissoluatur, & alter coniux liber maneat. ita sentit Ioan. Andr. in d. cap. *consulti*, referens Hostiens. & Innoc. & alios: idem in cap. *memminimus*, qui cler. vel vouent. Idem tenuerunt Dominic. Imol & Geminian. in cap. penult. de Regular. in 6. Veruntamen hæc sententia ita generaliter intellecta, adeo videtur mihi rectæ rationi repugnare, vt verisimile mihi non sit fuisse hanc mentem Pontificum in prædictis iuribus: vnde cum verba eorum non cogant vt hunc sensum amplectamur, alius probabilior erit inquirendus. Ratio autem est, quia votum simplex intrandi religionẽ nunquam solennizatur, tum quia sola vota paupertatis, castitatis & obedientiæ solennizantur per ordinat ã professionem iure communi, & antiquo, votum autem

autem simplex intrandi religionem est longe diuersum ab his: tum etiam, quia potius tali voto repugnat solennitas, quia nec est traditio, nec est coniunctum traditioni; sed potius quando fit traditio, & votum solenne, illud votum impletur, & desinit esse: imo aliquando licet non impleatur, finitur, vt in casu dict. cap. penult. de Regular. in 6.

Dicetur fortasse illud votum dici solennizari dicto modo, non quia ipsum manens fiat solenne, sed quia illi succedit votum solenne. Sed hoc nihil aliud est quam dicere tunc fieri professionem tacitam. Contra quod obstat primo, quia nullum ibi intenenit signum externum sufficienter indicans professionem vel ex parte religiosi, vel ex parte religionis: non est ergo illa professio tacita. Consequentia patet, quia cum professio includat contractum humanum essentialiter, requirit mutuum consensum aliquo sensibili signo sufficienter expressum. Antecedens autem quoad priorem partem probatur, quia ibi nullum est signum externum ex parte religiosi, nisi habitus nouitiorum voluntarie sumptus: ille autem habitus non est signum professionis, sed probationis. Dicetur fortasse in non habentibus votum simplex religionis id esse verum tamen in habentibus, eo ipso esse signum professionis, quia cum prius iam promiserint, censentur postea implere promissum, & ideo se tradere ac profiteri. Sed in primis hoc non est verisimile, nec probabile, quando prius votum solum fuit absolute intrandi talem religionem, quia, vt supra diximus cum D. Thoma, tale votum non est votum profitendi, sed simpliciter intrandi, & ideo impletur bona fide intrando ad probationem: ergo tunc nullum est verum indicium voluntatis profitendi per solam assumptionem habitus nouitiorum, nec ille debet esse peioris conditionis, quam illi qui sine voto ingrediuntur, cum reuera nihil plus faciat, quam illi, sed idem ex maiori obligatione. Si autem votum præcedens fuisset de profitenda religione, haberet illud indicium maius fundamentum, non tamen sufficiens, vt præsumptio iuris, quæ in tam graui negotio debet esse vehemens, in illo fundetur. Primo quidem, quia valde probabilis opinio est, etiam in eo casu obligari hominem ad perseuerandum in omni euentu in tali religione, sed posse eam sine culpa relinquere, si eam experiatur sibi nimis acerbam, & incommodam, quia quantumuis prius votum videatur fuisse de perseuerantia in religione, semper habet conditionem subintellectam secundum formam, seu ordinationem iuris: ergo non est cur censeatur talis persona profiteri statim ac suscipit habitum nouitiorum, neque amplius ligari, quam antea erat. Et ideo non satis est respondere per talem professionem non ita ligari quin possit ad laxiorem transire, si illam sentiat sibi incommodam: hoc, inquam, non est satis, quia si ille tantum vouit illam religionem in particulari, & in illa inuenit sufficientem excusationem, non tenetur aliam adire, etiam laxiorem ex vi prioris voti: ergo non est cur præsumamus illum voluisse amplius se obligare propter solam susceptionem habitus nouitiorum. Item, quid si experiatur se inhabilem, vel valde difficilem ad statum religiosum, vt sic; vel quia moraliter non potest esse continens, vel quia experitur se nimis debilem ad communem vitã religiosorum; certe tunc nec ad laxiorem religionem transire tenetur, etiamsi votum religionis in communi vouisset: non est ergo vnde præsumatur ita se voluisse ligare. Tum denique, quia licet admitteremus aliam opinionem asserentem, illud votum obligare absolute ad perseuerandum, ac profitendum; nihilominus certum est non obligare nisi ad profitendum tempore, & ordine ab Ecclesia statuto: cur ergo præsumetur voluisse anticipare tempus, & mutare ordinem, aut renuntiare iuri suo? Nam esto non valeat sua auctoritate licite retrocedere, nihilominus potest velle non statim immutabiliter, vel indispensabiliter, vt sic dicam, obligari: Sed prius experiri religionem, vt si minus sibi conuenientem eam inuenerit, vel per dispensationem, vel per prouidentiam eiusdem religionis, vel alio conuenienti modo possit sibi consulere; non est ergo rationabilis illa præsumptio, etiam ex parte religiosi.

25. Probatur secundo ex parte religionis.

Multo autem minus verisimilis ex parte religionis, quia illa nullum signum exhibet acceptandi talem personam ad statum religiosum, & veram vnionem secum, sed solum ad probationem, nihil enim amplius indicat dando habitum nouitiorum. Nec vero ex parte religionis quidquam refert votum simplex prius factum à nouitio, in quocunque sensu factum sit, id est, siue de intrando, siue de profitendo, quia hoc nullam obligationem inducit, vel imponit ipsi religioni, sed tam libere potest illum dimittere, si sibi non probetur, ac quemlibet alium nouitium: neque est vlla ratio fingendi ipsam sponte voluisse se amplius obligare. Atque ita saltem ex hoc capite ibi non fieri professionem veram, nec personam illam manere inhabilem ad matrimonium, nec dissolui matrimonium ratum, si præcessit, tenet Cardin. quem sequitur Panormitanus in dicto cap. *consuluit*. Quam sententiam sequuntur Sylvest. verb. *Religio* 3. & 5. & Angel. verb. *Nouitius* num. 12. in fin. qui citat cap. *ex transmissa*, de renunt. vbi quidam post votum religionis habitum suscepit, & post aliquod tempus egressus supponitur non esse religiosus sed secularis clericus. Idem tenet Nauar. comment. 4. de Regular. num. 74. Et potest etiam sumi ex cap. *Gonsaldus* 17. quæst. 2. & sumitur ex D. Thom. in 4 d. 38. q. 1. art. 2. q. 3. ad 2. vbi generaliter ait, *Per habitum qui solet dari non professis, non sufficit ad solemnizandum votum, etiam prius emissam.*

26. Ad prædicta ergo iura supra responsum est cum eisdem auctoribus, per propositum mutandi vitam, significari quidem votum simplex religionis, quod dici potest aliquo modo solemnizari per susceptionem habitus nouitiorum publicè factam cum sufficiente demonstratione talis propositi, ac voti, vt in eisdem iuribus supponitur: solemnizari, inquam, dici potest, non propria solemnitate legali, seu substantiali, qualis est in professione, sed solũ solemnitate accidentali, quatenus votum illud per illam susceptionem habitus fit publicum in foro Ecclesiæ, & ideo obligatur talis homo ab eadem Ecclesia ad implendum suum votum, non quia iam religiosus sit, sed quia ex priori promissione obligatus manst. Quæ quidem responsio non caret difficultatibus, quia si illud votum tantum simplex fuit, videri potest iam sufficienter expletum, bona fide intrando, & probando. Respondetur autem vel ibi supponi illud votum fuisse de perseuerando in perpetuum, vt verba illorum decretorum indicant, & ideo non iudicari sufficienter impletum; vel certe supponi fuisse votum religionis absolutè, & ideo manere obligationem ingrediendi aliam religionem, saltem laxiorem. Denique responsio hæc videtur necessario admittenda, quia in eisdem iuribus ponitur hoc membrum tanquam distinctum à professione tacita, & expressa, & ideo non videtur illa obligatio posse oriri nisi ex voto simplici.

27. Alia vero responsio nunc occurrit, scilicet ibi per propositum mutandi vitam non intelligi solum votum simplex Deo factum, sed habens coniunctam aliquam promissionem, vel oblationem factam ipsi religioni, quæ quidem non acceptabatur ab ipsa re-

ligione, & ideo nec faciebat hominem professum, neque obligabat ad talem religionem in particulari; acceptabatur autem ab Ecclesia veluti ipso iure, & ideo obligabat ad suscipiendum statum religiosum, saltem in laxiori religione. Fit autem hæc interpretatio verisimilis tum ex verbis ipsorum iurium, tum etiam; quia ex puro voto simplici religionis non videtur quis posse obligari ad perseuerandum in aliqua religione etiam laxiori, nisi interceserit aliqua maior causa obligationis respectu ipsius Ecclesiæ. Vnde quia hic modus obligationis iam non est in vsu, ideo propter votum simplex religionis, nunquam cogitur ab Ecclesia redire ad aliquam religionem ille, qui tantum habitum nouitiorum suscepit, & ante professionem illum relinquit. Neque in hac interpretatione inuenio difficultatem specialem, quamuis incerta sit.

## CAPVT XX.

### *Quibus modis fiat professio tacita post Concilium Tridentinum.*

1. SVpereſt dicendum quæ ratio professionis tacitæ nunc locum habeat post Concil. Trident. nam in principio huius libri ostendimus professionem tacitam non fuisse omnino exclusam per dictum Concilium, quia nec expresse illam aliquando annullauit, neq; ex aliis eius decretis id necessario sequitur, vt videbimus. Duo igitur dicenda videntur: primum est post Concil. Tridentinum iam non habere locum professionem tacitam intra annum probationis, seu quæ integrum probationis annum non supponat. Hoc certum est, tum quia professio expressa antea facta non valet post Concil. Tridentinum: ergo multo minus tacita: tum, quia Concilium simpliciter dixit, *Professio antea facta sit nulla*: ergo omnem professionẽ includit. Et ita declararunt Cardinales, & est res certa, & indubitata, quia iam nemo potest renuntiare annum probationis, vt supra dixi.

*Post Conc. Trident. non sit professio tacita intra annum probationis.*

2. Secundo dicendum est professionem tacitam, quæ fit, seu consummatur anno probationis expleto, habere locum post Concil. Trident. Tenet Nauarr. in dict. comment. 4. de Regular. n. 73. Probatur primo à sufficienti diuisione, quia non est professio tacita nisi ante vel post completum annum nouitiatus: ergo altera illarum habet locum post Concilium: nam ostensum est, non omnem professionem tacitam ab ipso esse reuocatam; sed intra nouitiatus annum non habet locum: ergo postea. Item, quia quidquid Concilium specialiter postulauit ad valorem professionis, seruari potest in hac professione tacita: ergo, si illa seruentur, quoad reliqua professio esse poterit tacita ex antiquo iure. Antecedens patet, quia in primis iam supponitur impleta conditio de anno probationis: deinde supponimus personam etiam esse in ætate à Concilio requisita, scilicet sexdecim annorum; sed Concilium non postulat alias speciales conditiones; ergo. Dices, saltem in professione monialium statuit Concilium cap. 17. vt præcedant quædam diligentiæ, quæ in tacita professione locum non habent. Respondetur, illas circunstantias non esse de substantia, seu valore professionis, & ideo quamuis omittantur, validam esse professionem expressam monialium, ac proinde etiam tacitam, vt bene adnotauit Palac. in 4. d. 38. disp. 1. post tertiam concl. & Sanchez lib. 4. de voto cap. 18. à num. 32. Præterquam quod non videtur repugnare, vt post præmissam illam diligentiam, quam Concilium postulat, non sequatur expressa, sed tacita professio.

*Anno probationis finito potest fieri tacita professio.*

*Instantia.*

*Dissoluitur.*

3. Tertio dicendum est seruatis illis circunstantiis integri anni probationis, & ætatis sexdecim annorum professionem tacitam tunc fieri posse illis duobus modis supra tractatis, & non aliis. Declaratur prior pars affirmans, nam vbi fuerit distinctio sufficiens inter habitum professorum, & nouitiorum, si quis completo anno probationis, & decimosexto anno ætatis sponte habitum professorum assumat, professus iudicandus est, dummodo ex parte religionis tacita acceptatio non desit, vt supra explicatum est. Ratio est, quia iuxta antiquum ius hoc erat signum sufficiens professionis, etiam intra annum nouitiatus: ergo multo magis post completum illum annum; sed quoad hanc partem non est hoc ius reuocatum per Concilium Trident. ergo nunc etiam est illud signum sufficiens: ergo iudicanda illa est tacita professio. Dico autem *iudicanda est*, quia hic magis agimus de sufficientia externi signi, & præsumptione in illo fundata, quam de rei veritate, & existentia, quæ pendet ex consensu interiori, cui in foro conscientiæ creditur, non in interno, argum. cap. *vidua*, de Regularib. Imo addit Nauarr. supra versic. *quoniam autem*, non satis esse, vt quis non habeat contrarium dissensum, seu animum non profitendi, sed necessarium esse vt habeat positiuum animum profitendi, quia si quis negatiue se habeat, neutram voluntatem habendo, sed solum sumendo illum habitum gratia alicuius honoris, vel auctoritatis, aut alia simili ratione, in conscientia non erit professus. Quod censeo verum, quia ad valorem voti, aut professionis non satis est non habere animum contrarium, sed oportet habere animum positiuum profitendi, vt in principio de voto diximus, & constat de quocunque alio contractu humano. Potest autem hic casus contingere vel ex ignorantia, vel ex inaduertentia. Primum affirmat Nauarr. supra, & est antiqua sententia, vt supra retuli, quia talis ignorantia licet non causet positiuum inuoluntarium, causat nihilominus non voluntarium, quod satis est ad impediendam professionem, vt dixi. Et eadem ratio est de totali inaduertentia, quia hæc etiam excludit positiuum consensum, nemo enim potest velle id, de quo non cogitat. Hoc autem procedit de totali inaduertentia, atque adeo de carentia voluntatis formalis, & virtualis: nam si præcessit aduertentia sufficiens, & intentio profitendi, quæ postea virtualiter mouet, illa sufficiet, vt constat ex doctrina communi de similibus actibus moralibus, quam latius tractaui in 3. tom. 3. partis. Potest autem quispiam interrogare, quanta distinctio habitus nunc requiratur ad hunc modum professionis tacitæ, an scilicet requiratur patens distinctio, vel sufficiat occulta per aliquam benedictionem. Sed in hoc ius etiam antiquum manet integrum, & ideo iuxta superius dicta quælibet distinctio sufficiet etiam occulta, dummodo ipsi professi, & admittentibus in indiuiduo nota sit, quia si ignoraretur illa ignorantia, excluderet necessarium consensum iuxta proxime dicta.

*Quomodo fieri possit.*

*Professio tacita, in quo dicit. cap. 19. num. 17.*

*Requisitum positiuum consensus, vt professio sit valida.*

4. Probatur eadem pars de alio genere professionis tacitæ, nam si quis per integrum annum probationis gestet habitum religionis indistinctum patenter, & alioqui habeat ætatem à Concil. Trident. requisitam, tacitam professionem faciet, eodem modo, quo antea, quia pro eo casu nihil innouatum est à Concilio, quod Nauarr. supra & consil. 9. de his quæ vi, & sæpe in consiliis de Regularib. tanquam manifestum supponit, & omnes viri docti ita sentiunt, & est satis euidens ex dictis. Vnde fit præter ætatem cæteras conditiones esse nunc necessarias ad hunc modum professionis, quæ antea erant. Solum potest dubitari an sit nunc necessarium, vt talis habitus deferatur per integrum annum inchoandum post expletum decimumsextum, ita vt professio non censeatur facta, vsque ad decimumseptimum. Nihilominus oppositum suadetur, quia cauenda est corre-

*Dub tatio, quando debeat inchoare, & finire hic annus.*

ctio

cilio iuris quoad fieri possit: ergo in quo ius antiquum non derogatur expressè per nouum, sed potest optime cum illo conciliari, suam vim retinet: at vero Concilium solum requisiuit 16. annum ætatis ad professionis valorem; ergo, cum indistinctè loquatur, omnem professionem comprehendit; & cum de sola illa loquatur, & non de probatione, nec de susceptione, aut gestatione habitus ad professionem tacitam necessaria, non est ad illam extendendum. Satis ergo erit quod habitus deferatur toto anno 16. ætatis; nam ille est etiam nunc annus vltra pubertatem, quoad hunc effectum, solumque ad valorem professionis dilata est pubertas vsque ad decimumsextum annum ætatis ex vi illius decreti. Atque ita hanc partem sustinet Nauarr. lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 30. aliàs 20. num. 1. Atque hæc posterior pars probabilis mihi aliquando visa est, postea vero legi inter declarationes congregationis Cardinalium quandam, in qua prior pars expresse tradebatur, declarando Concilium Tridentinum in hac parte cum proportione correxisse caput primum de regularibus in sexto, & annum hunc inchoandum esse post decimumsextum annum ætatis expletum, vt in illo possit professio tacita fieri; & ratio reddi potest iuxta superius dicta, quia illa professio censetur fieri quasi successiuè per discursum totius illius anni; & ideo oportet totum transigi in ætate apta ad profitendum secundum iura, qualis iunc est ætas 16. annorum.

1. Probatur ergo, & explicatur pars negatiua, quia cum solo habitu proprio, & omnino distincto nouitiorum, quidquid aliud ei adiungatur, etiam post expletum annum probationis, & decimumsextum ætatis, non fit tacita professio, id est, quæ uis exerceantur actus professorum post illum annum probationis cum solo illo habitu; vel etiam si præcesserit simplex votum religionis, vel quodcunque propositum mutandi vitam, non sufficit ad tacitam professionem. Nam supra ostensum est, hæc ante Concilium non fuisse sufficientia signa professionis tacitæ, siue intra annum probationis, siue post illum exhiberentur; ergo neque modò esse possunt. Patet consequentia, quia sicut professio tacita non est ablata per Concilium Tridentinum, ita neque fuit ampliata. Nec refert quod professio expressa substantialiter, & valide fieri potest sine habitu professorum, quia in illa intercedit aliud proprium ac per se sufficiens signum professionis secluso habitu; in professione autem tacita, quasi proprium signum eius à iure designatum est habitus professorum tali, & tali tempore gestatus. Vnde etiam fit, vt expressa professio sine habitu etiam Nouitiorum, seu totius religionis fieri aliquando possit; tacita vero minime ex omnium sententia. Atque ita ad hanc partem declarandam, & confirmandam applicanda sunt multa ex his, quæ de tempore ante Concilium Tridentinum diximus.

## Caput XXI.

### *Quos effectus habeat tacita professio, & quomodo in hoc differat ab expressa.*

1. Supponendum est professionem tacitam esse veram, & substantialem professionem, atque adeo constituere hominem verè, ac propriè religiosum, & tribus votis solemnibus obligatum, & expresse colligitur ex capite vnico de voto in sexto, vbi dicitur per talem professionem fieri personam inhabilem ad subsequens matrimonium, & ex Extrauag. *Antiqua* Ioannis XXII. de Voto, vbi dicitur per talem professionem dissolui matrimonium ratũ non consummatum, qui duo effectus simul sumpti conferunt certum, & infallibile indicium veræ, ac substantialis professionis. Ex quo principio inferunt Doctores omnes locis citatis in præcedentibus, conditiones omnes requisitas ad expressam professionem, requiri ad tacitam, excepta sola expressa, vel tacita significatione in signo externo, nam in hac sola earum differentia consistit: vt, v. g. in vtraque requiritur eadem probatio, eadem libertas & concursus vtriusque partis, & reliqua, quæ supra de expressa professione dicta sunt. Ratio est, quia illa omnia non requiruntur in professione expressa, propter specialem modum, quem habent in signo exteriori, sed propter vinculum, & quasi contractum per eam perficiendum, ac constituendum, in quo eadem ratio est de professione tacita. Quapropter de his omnibus conditionibus nihil hic addendum occurrit, sed applicanda sunt omnia, quæ de expressa professione dicta sunt, & quæ in præcedenti capite insinuata, iuxta caput *constitutionem*, de Regularibus in sexto. Posset hic addi limitatio quam in sequenti puncto declarauimus; nam hodie quoad præsens punctum non est necessarium. *Corollarium primum, ad professionem tacitam requiruntur omnes conditiones, quæ ad expressam necessaria sunt.*

2. Ex eodem ergo principio infero secundo habere professionem tacitam omnes effectus, quos habet expressa, his tantum exceptis, qui in iure fuerint declarati. Ratio generalis est, quia causa eiusdem rationis habet eosdem effectus, nisi fuerit impedita; professio autem tacita substantialiter est eiusdem rationis, & ex se non est impedita quominus habere possit omnes dictos effectus, quia illi non sequuntur ratione signi expressi, vel taciti, sed ratione substantialis vinculi, & status. Item, quia vel illi effectus sunt de iure naturali, & sic sequuntur intrinsecè ex traditione & voto, quæ sunt eiusdem rationis in professione tacita, vel effectus sunt de iure positiuo, & sic vbi ius non excipit, sed de professione loquitur, effectus communes sunt vtrique professioni. Secluſa ergo iuris limitatione nullum est principium ad negandum aliquem effectum professionis tacitæ qui conueniat expressæ. At vero ius ipsum cum ab illo pendeant multi ex his effectibus, recte potest in hoc limitationem adhibere & aliquem effectum excipere, seu tribuere professioni expressæ, & non tacitæ, vt per se constat. *Corollarium secundum. Professio tacita habet omnes effectus, quos expressa.*

3. Videndum ergo superest an in iure inueniatur aliqua huiusmodi exceptio. Ad quod breuiter respondeo duas exceptiones quoad hoc in iure inueniri. Prior est valde notanda, quod professio tacita non omnino obligat hominem illi religioni, in qua professus est, sed religioni in genere, ita vt illi liberum sit ad aliam transire, etiam laxiorem; ita habetur ex capite *statuimus*, de regularibus, & capite *consuluit*, eodem tit. Clarius in capite *constitutionem*, eodem tit. in sexto. Hæc autem iuris declaratio nonnullas habet difficultates. Prima est, qui fieri possit, vt aliquis veram professionem faciens in aliqua religione, illi in particulari non obligetur? Nam qui se tradit, & obedire promittit; non promittit autem, aut se tradit religioni in communi, sed huic in particulari; ergo illi obligatur. Minor patet tum ex habitu, quem assumit, quia significat incorporationem in tali religione, cui signo moraliter loquendo conformis est intentio profitentis; tum etiam, quia professio est quidam quasi contractus; contractus autem non fit cum homine in communi, sed cum hoc vel illo homine, & ita etiam professio non fit cum religione in communi, sed cum hac religione; ergo ad illam nascitur obligatio. *Prima exceptio, & limitatio à iure facta est, quod professio tacita solum obligat ad religionem in genere. Prima difficultas circa hoc punctum.*

Hinc secundo difficile est dicere liberum esse homini sic professo ad laxiorem religionem transire; nam hoc non pendet ex iure positiuo, sed ex iure naturali, ac diuino, quo tenemur reddere Deo, quæ promi- *Secunda difficultas.*

promissimus, nec possumus illa in minora bona commutare, sed qui profitetur etiam tacite in tali religione, promittit Deo obedientiam, ac perpetuam vitam in illa religione; ergo non manet liber, vt eam in laxiorem commutet. Item ille se tradidit, & obligauit tali religioni in particulari; ergo priuatur libertate transeundi ad aliam, nisi intuitu maioris perfectionis; non ergo potest ad laxiorem transire, nec ius humanum potuit hoc illi concedere, quia est contra diuinum, & licet per dispensationem, hoc concedi possit, tamen, vt illa valeat, requiritur specialis, & sufficiens causa, & ideo non videtur posse concedi generali iure, quia non in omnibus talis causa inuenitur.

5. *Tertia difficultas, an religio teneatur retinere, & conseruare sic tacite professum.*

Tertia difficultas est, an Religio, in qua aliquis tacite professus fuerit, obligetur illi, scilicet ad retinendum, & conseruandum illum tanquam membrum suum. Nam ex dicto iure videtur sequi illam non obligari, quia alias contractus claudicaret, ex parte religiosi, & in detrimentum Religionis, quod videtur absurdum, & contra iustitiam. Sequela patet, quia tunc religiosus non obligaretur tali religioni, & tamen Religio obligaretur Religioso, quod est grauamen religionis, cui ex alia parte non respondet aliud æquale, & hoc est claudicare contractum. Minor vero quoad priorem partem constat, quia bonum Religionis, vtpote commune, maius est, quam priuati vel giosi; ergo absurdum est, quod magis grauetur religio, quam Religiosus; quoad alteram vero partem de iniustitia, probatur, quia in contractu reciproco, vbi non est intentio gratuito dandi aliquid, aut liberaliter se obligandi, claudicatio contractus infert iniustitiã, quia inducit inæqualitatem. Quod si aliquando virtute alicuius legis talis contractus ex altera parte sustinetur, vt in pupillis, & similibus, iuxta legem *Iulianus*, § fiquis à pupillo, ff. de actione empt. & in §. 1. Instit. de authoritate tutoris cap. *de illis*, de desponsatione impuber. Hoc semper est in fauorem alicuius innocentis, seu personæ minus habilis ad contrahendum, & quasi in pœnam alterius, vt est optimus textus in capite primo, de eo, qui duxit in matr. m. quam pol. per adulterium; at in præsenti nulla ratio similis inuenitur ex parte religionis; ergo. Quod si ob has rationes altera pars eligatur, scilicet religionem non manere obligatam, intelligi quidem vix potest quomodo illa sit vera professio, quia tunc ex neutra parte est obligatio; ergo nec contractus, vel quasi contractus; ergo nec professio. Item absurdum videtur quod aliquis sit verus religiosus, & ad eum statum omnino obligatus, & tamen quod nulla religio teneatur eum recipere, vel retinere sine culpa, vel causa ex parte ipsius.

6. *Quarta difficultas, an hoc ius habeat locum in omni professione tacita.*

Quarta difficultas est, an hoc ius locum habeat in omni professione tacita; & ratio dubitandi est, quia dictum caput *constitutionem*, non loquitur generatim de professione tacita, sed in particulari de illa, quæ fit per susceptionem habitus proprii professorum intra annum probationis. In capite autem primo de Regularibus, in sexto, vbi ponitur alius modus professionis tacitæ, deferendo habitũ communem cum professis per integrum annum, non fit mentio huius limitationis, sed absolute dicitur, *per hoc professionem fecisse*; & iterum, *ex tunc religionem assumptam præsumitur veraciter esse professus*; in quibus verbis significari videtur, illi manere obnoxium, & obligatum; neque videtur sumi argumentum sufficiens in contrarium ex similitudine rationis, tum quia in his quæ continent ius adeo speciale, & odiosum, quia onerosum Religioni, & aliquo modo derogans iuri diuino, vt priora argumenta ostendunt, in his (inquam) non habet locum extensio per argumentum à simili, quia talia iura potius restringenda sunt; tum etiam, quia potest ratio dissimilis assignari: quando enim quis profitetur, & solum tacite, & ante sufficientem probationem, & experientiam talis religionis in particulari, est aliqua maior ratio indulgendi, vt ad religionem laxiorem possit transire, quam in eo, qui per integram probationem post annos pubertatis peractam voluntarie permanet in tali religione, atque eam profitetur, argument. dict. cap. primo de Regularibus in sexto ibi; *quoniam cum iam hic ad discretionis annos peruenit, quid agat agnoscit, & ideo susceptum discretionis tempore ordinem, postquam hunc anni probauerit spatium, intelligitur firmiter approbasse.* Quod ius confirmatum, & extensum est per Clementinam *eos*, de Regularibus, vt supra vidimus.

Atq; ex resolutione huius dubii pendet vltimum, videlicet, an hoc ius habeat nunc locum in professione tacita, quæ post Concilium Tridentinum fieri potest; nam cum hæc iam non fiat intra annum probationis, si ius illud non extenditur ad professionem post integrum annum factam, neque nunc locum habebit. 7. *Vltima difficultas quid dicendum post Concil. Trid.*

Resolutio harum difficultatum pendet ex vera illius iuris expositione. Duobus enim modis potest intelligi; primo in foro tantum Ecclesiastico, ita vt sensus sit, Ecclesiam non cogere sic tacite professum ad perseuerandum in eadem religione, sed tantum in religione saltem laxiori; non tamen per hoc approbare hoc factum in conscientia, sed solum permittere huiusmodi religioso, vt suæ conscientiæ consulat, si intentionem habuit strictius se obligandi. Quod si hæc expositio vera esset, facile expedirentur omnes difficultates tacitæ. Veruntamen expositionem illam falsam esse existimo: primo, quia est contra communem expositionem Doctorum in dicto cap. *constitutionem*; & in dicto cap. *consuluit*, vt patet ex Panormitano ibi num. 4. Ioanne Andrea, & aliis, Speculatore tit. de stat. regular. versicul. 43. Secundo, quia in dicto capite *constitutionem*, absolute dicitur; *Non illi specialiter, cuius habitus est susceptus, sed generaliter Religioni alicui recipientem obligat*, quæ verba non sunt permissiua, sed declaratiua obligationis, & statim adduntur conditiones requisitæ, videlicet, vt sciens, & volens, &c. sic profiteatur; & nihilominus declaratur, non contrahere maiorem obligationem. Tertio, quia si in conscientia obligaretur quis ad talem religionem, quando reuera habuit intentionem ibi profitendi, & non posset sine peccato, ad laxiorem transgredi sine causa, & in perniciem animarum tale ius fuisset conditum ab Ecclesia, cur enim Ecclesia generaliter permitteret huiusmodi transitum, si culpabilis esset? hoc enim nullam vtilitatem animabus afferret, sed potius periculum peccandi, maxime cum ius absolute dicat, sic professum non habere maiorem obligationem. Adde nullam esse rationem hoc asserendi, vel permittendi in hoc genere professionis, potius quam in aliis, si reipsa non ita esset. Itaque pro certo asserendum est, dicta iura simpliciter, & pure intelligenda esse vt sonant, nimirum hanc professionem tacitam in conscientia non obligare nisi ad Religionem in communi. Quo supposito magis videntur vrgere difficultates positæ. 8. *Primam positionem supra posuimus.* *Reiicitur primo.* *Secundo.* *Tertiò.* *Secunda vera expositio.*

9. *Doctrina generalis pro solutione difficultatum præmissarum.*

Dicendum vero est valorem professionis, & modum obligationis eius multum pendere ex Ecclesiæ institutione, cum constet posse Ecclesiam conditiones præscribere, sine quibus professio valida non sit, vel quia acceptatio professionis pendet ex potestate Ecclesiæ, vel quia quatenus includit quendam quasi contractum, potest Ecclesia ex causis iustis voluntates contrahentium irritas reddere. Vnde in præsenti casu, seu modo tacite profitendi, potuisset,

tuisset Ecclesia talem professionem tacitam prorsus non admittere, sed irritam reddere; sicut nunc de facto irrita est post Concilium Tridentinum, quamquam nunc irrita est ex defectu anni probationis; potuisset autem Ecclesia etiam ex parte ipsius signi illam irritare, & in vniuersum potuisset omnes professiones tacitas non admittere. Tunc ergo multo magis potuit hanc professionem tacitam, quæ ante annum professionis fiebat, admittere (vt sic dicam) tantum secundum quid; quia eo tempore nondum fortasse fuerat experientia satis cognitum, expedire, illam omnino irritare; moderari autem obligationem & vinculum, potuit iudicari expedire propter duplicem imperfectionem talis professionis simul iunctam, scilicet, quod & præmatura esset, & implicita, seu præsumpta, potius quam manifesta, & ideo noluit Ecclesia illum simpliciter acceptare, sed solum quoad valorem religiosi status.

Ex his ergo ad primam difficultatem respondetur primo, non repugnare, intentionem profitentis non esse obligare se huic religioni in particulari, sed solum assumendi statum religiosum reseruando electionem religionis in aliud tempus, vbi id posset facere cum maiori experientia, & consilio. Quod maxime locum habebit, si is, qui profitetur, intellexerit, hoc sibi per ius licere, nam profecto sine adminiculo iuris, talis intentio videretur esse contra substantiam, & valorem professionis, maxime postquam iure statutum est, vt nulla professio sit valida, nisi facta in aliqua religione ex approbatis, iuxta caput vltimum de Religiosis domib. ponderando illa verba, *Vnam de probatis assumat*, quæ non solum de assumptione quoad externum habitum, sed etiam quoad internum animum intelligenda videntur, cum omnes actus morales pendeant in sua veritate, & efficacitate, ex interiori intentione. Talis autem professio verè non fuisset in vna ex approbatis, quia in nulla determinatur, prout prædicta verba exigere videntur. Quod si quis concedat, ex vi illorum verborum satis esse intentionem confuse se obligandi ad aliquam ex approbatis, adhuc obstat aliunde, quia non est à quo talis professio acceptetur, quia religio in communi non potest illam acceptare, neque hæc religio in particulari illam vult acceptare, quia non acceptat nisi eum, qui se illi tradit ex animo, & hæc est tacita conditio inclusa in talia acceptatione. Item, quia religio nunc grauiter decipitur, & ex ignorantia procedit, quæ causat involuntarium. Secluso ergo iure valde verisimile est talem intentionem esse insufficientem, tamen supposito iure quod non maiorem obligationem imponat, sufficere censeo illam intentionem. Addo vero vlterius etiamsi ille intendat profiteri in hac religione particulari, & illi se obligare, nihilominus etiam in conscientia non manere obligatum ad illam religionem in specie, sed tantum ad religionem in genere. Ratio autem est, quia Ecclesia irritauit, seu non acceptauit illam professionem, quoad illam specificam obligationem, sed solum quoad genericam. Hoc enim potuisse facere Ecclesiam satis declaratum est; præcisè autem constat ex prædictis iuribus.

Et per hæc responsum est ad secundam difficultatem; aliud est enim loqui de illo, qui iam cum effectu se obligauit tali Religioni, & Deo, ad perseuerandum in illa, ita vt eius votum semel fuerit plene acceptatum, & validum. Aliud vero esse loqui de illo, qui licet habuerit affectum ita se obligandi, tamen impeditus fuit per legem, ne cum effectu sic obligaretur. Hic ergo non versamur in priori casu, vt difficultas illa supponit, sed in posteriori, & ideo mirum non est, quod talis persona non obstante tali professione, liberè possit tuta conscientia ad laxiorem transire religionem. Addo vero vlterius, etiamsi ante illud ius talis professio fuisset simpliciter valida; & naturali, ac diuino iure obligans ad talem religionem in particulari, nihilominus potuisse Pontificem per generale ius cum omnibus sic professis dispensare, vt ad laxiorem religionem possent transire; nam ad hoc genus dispensationis, seu commutationis posset sufficere generalis causa, nimirum, si ad tollenda animarum pericula, & ad quietem, & pacem sic professorum id censeretur regulariter expedire. Et tunc licet in vna, vel alia particulari persona cessaret necessitas, vel causa, nihilominus vti possent generali priuilegio; ad cuius absolutum valorem sufficit generalis causa.

*Qua causa sufficiat, vt Papa dispenset concedendo professis transire ad laxiorem religionem.*

12. *Responsio ad tertiam difficultatem.*

Circa tertiam difficultatem aliqui huius temporis Doctores pro comperto habent, ex parte religionis nullam oriri obligationem in tali professione, & putant hoc ipsum affirmari, in illis textibus, & necessario consequi ex eo quod religiosus non obligatur tali religioni in particulari. Hanc vero sententiam in nullo Theologorum Doctorum inuenire potui. Contrariam autem docet expresse Angelus verb. *Nouitius*, num. 14. dicens talem professionem tacitam obligare illam religionem, in qua facta est, quia non poterit professum expellere. Idem sequutus est Syluester *Religio* 3. q. 20 & Azor lib. 12. inst. Moral. cap. 4. q. 5. Quorum sententia mihi valde probatur, quamuis eorum ratio non conuincat. Solum enim hoc probant, quia alias posset ille à tali religione eiici, & à fortiori à nulla alia recipi; esset ergo religiosus, & nullius religionis, quod est impossibile. Vnde consequenter inferunt, hominem, sic extra omnem religionem relictum posse matrimonium valide contrahere, quia religiosus esse non potest. Quod ipsi inferunt tanquam absurdum, vt reuera est, quia repugnat dictis iuribus. Non videtur autem sufficienter inferri, quia ex natura rei non repugnat esse verum religiosum, & in nulla religione particulari recipi: nam, vt superius dictum est, in aliquo accidentali casu id posset accidere; ita ergo posset in præsenti concedi. Addo vlterius, non sequi illam personam non esse verè religiosam, & inhabilem ad matrimonium; sed solum sequi religiosum, qui non est obligatus ad certam regulam, non habere certam religionem, in qua necessario recipi debeat, & ideo si hoc illi contingat, vt à nulla recipiatur, debere statum religiosum seruare sub obedientia Episcopi ad eum modum, quo olim in Ecclesia fiebat, vt supra dictum est, & tetigit D. Thom. in 4. d. 38. q. 1. art. 2. q. 3. ad 3. Ratio ergo quæ magis me mouet, est, quia ius Ecclesiasticum, quod ex parte religiosi hanc obligationem quodammodo minuit, ex parte religionis nihil immutauit; cum tamen ex parte illius eadem acceptatio interueniat, in professione tacita, quæ in expressa, vt omnes Doctores supra citati docent; ergo non est vnde religio hac obligatione liberetur. Neque hoc est grauamen religionis alicuius momenti, quia potest huiusmodi religiosum cogere, vel vt statim professionem expressam faciat, vel aliam religionem eligat, & ita vel complebitur vtrinque obligatio, vel tolletur, quæ videbatur esse inæqualitas, neque iniustum videri debet, vel onerosum religioni quod cogatur professionem expressam admittere, si alter eam velit emittere, cum tacitam eiusdem professionem paulo ante acceptauerit. Aliunde vero magnum esset inconueniens, & indecens ad religiosum statum, si persona semel professa posset sine vlla causa repelli, & in nulla religione recipi, & obligari nihilominus ad seruandum religiosum statum

*Fundamentum hoc autorum non conuincit.*

*Vera ratio resolutionis.*

extra

extra omnem religionem. Quapropter virtute eiusdem iuris, quo talis modus professionis introductus est, hic modus contractus, & mutuæ obligationis claudicantis aliquo modo ex parte religionis, sustinetur, quod licet sit aliquo modo in fauorem ipsius religiosi, magis est in fauorem, & decentiam ipsiusmet status religiosi, maxime, cum nullum ferè intercedat ipsius religionis detrimentum, vt declarauí.

13. *Ad quartam difficultatem, & approbatur pars negatiua ibi tradita.*

Circa quartam difficultatem pars negatiua, quæ ibi sufficienter probatur, omnino eligenda videtur; nimirum hunc professionis modum non habere locum in illa professione tacita, quæ fit deferendo communem habitum professorum per integrum annum; quod aperte sentit D. Thom. in 4. d. 38. q. 1. art. 2. q. 3. ad 2. Clarius id tenet Syluester dicto verbo *Religio* 3. q. 20. & additio ad Angelum verb. *Nouitius* num. 14. vbi significatur hoc procedere in foro Ecclesiastico, nam in foro conscientiæ solum obligat talis professio religioni in genere, si professus non habuit animum obligandi se: sed immerito additur hæc limitatio, quia si nouitius deferendo habitum non habuit animum se obligandi, nullam professionem in foro conscientiæ facit; vnde neque ad religionem in genere, neque in specie obligatur, vt sequenti libro dicam. Si autem habuit intentionem, & vere professus est, eo ipso quod in foro exteriori obligatur tali religioni in particulari; obligatur etiam multo magis in foro interiori, quia si in foro Ecclesiastico obligatur; ergo signum est per ius Ecclesiasticum nihil innouatũ esse circa talem professionem; ergo est tam firma, & valida quoad omnem obligationem, sicut expressa professio; ergo obligat in conscientia ad talem religionem in particulari. Quod autem per ius Ecclesiasticum nihil circa hanc professionem innouatum sit, recte colligitur ex dicto cap. 1. de Regulatib. in 6. & ex Clement. *Eos*, eodem tit. vbi Panormitanus idem sentit, & satis in prædicta 4. difficultate confirmatum est.

14. *Ad vltimam difficultatem, professio tacita post Conc. Trid. obligat ad religionem*

Ex quo recte videtur colligi in vltima difficultate post Concil. Trident. nullam esse professionem tacitam, quæ obliget tantum Religioni in genere, quia nulla fit validè intra annum probationis; dictum est autem professionem tacitam, quæ fit per integrum annum non obligare tantum ad religionem in genere, sed in particulari; ergo ita dicendum est nunc. Atque hoc quidem est manifeste consequens, quando professio fit deferendo habitum communem professis per integrum annum. Diximus autem supra etiam fieri posse nunc tacitam professionem, assumendo proprium habitum professorum, dummodo sumatur post completum annum nouitiatus, & ideo de illa dubitari potest an ita obliget in particulari, quia illa non est professio deferendo habitum per integrum annum, de qua loquuntur iura proxime citata. Dico nihilominus illam professionem æque obligare, quia satis est, quod non est professio intra annum nouitiatus facta, tum quia iura omnia, quæ statuunt aliquam professionem tacitam, solum obligare ad religionem in genere, loquuntur de professione facta ante completum annum probationis, & ideo non comprehendunt vllam professionem, quæ post completam probationem fit: maxime cum vna ex præcipuis causis illius iuris sit ille defectus probationis integræ, vt declarauimus. Ergo non comprehenditur hæc professio sub illo iure; ergo eo ipso obligat, quantum natura sua potest, iuxta superius declarata. *in particulari. Dubitatio specialis.*

15. *Secunda exceptio, & differentia inter professionem tacitam & expressam. Non potest passiue eligi in prælatum sua, vel alterius religionis.*

Secunda principalis differentia inter professionem expressam, & tacitam est, quod expresse professus potest eligi in prælatum, seu Abbatem; tacite autem professus eligi non potest. ita decernitur in cap. *nullus*, de electione in 6. vbi non solum hæc conditio requiritur vt aliquis possit in prælatum suæ Religionis, sed etiam cuiuscunque alterius eligi, & electio aliter facta declaratur irrita ipso facto. Ita enim glossa ibi intelligit verba illa, *Eo ipso irritum habeatur*; & merito: nam hanc vim habet ea particula, *eo ipso*; & tollit ambiguitatem, quæ esse posset in verbo *habeatur*. Idem ius de Monialibus statuitur in cap. *indemnitatibus*. eod. tit. & lib. vbi ratio huius iuris redditur ad vitanda scilicet damna, & dispendia, quæ ex electionibus dubiis, & cum discordia factis oriri solent. Fuit etiam hoc expediens propter decentiam, & authoritatem illius muneris. Vnde quia ex parte eligentium cessat hæc ratio, ideo in illis talis conditio non postulatur, sed ille etiam, qui solum tacite professus est eligere valet, vt in dicto capite *indemnitatibus*, declaratur, & quamuis ibi sit tantum sermo de Monialibus, à fortiori procedit in viris religiosis; imo eo ipso, quod nullo alio iure excluditur tacite professus ab electione actiua, admitti debet, iuxta generalem regulam superius positam: neque specialis difficultas circa hoc occurrit.

# INDEX CAPITVM LIBRI SEPTIMI.

## DE PROFESSIONE INVALIDA.


CAP. I. QVIBVS modis possit professio esse inualida, & quomodo sit confirmanda.

II. Vtrum professio inualida habeat aliquos effectus.

III. An, & quomodo liceat religiosum statum relinquere post factam professionem nullam.

IV. De quinquennio à Concilio Trident. præscripto.


LIBER

# LIBER SEPTIMVS.

## DE PROFESSIONE INVALIDA.

QVAMVIS professio inualida, re vera professio non sit, nec religiosum faciat, nihilominus necesse est de illa in particulari dicere, tum vt sciamus, quid remedij illi possit, & debeat adhiberi; tum etiam, vt videamus, an aliquos effectus inducat, aliquamve obligationē relinquat?

### CAPVT I.

### *Quibus modis possit professio esse inualida, & quomodo sit confirmanda.*

QVòd sæpe professio possit esse inualida, per se notum est; tum ex proportione, ad alios contractus humanos, & ad alia vota; tum ex dictis de conditionibus necessarijs ad valorem professionis: nam vbi multa requiruntur ad valorem actus, sæpe contingit inualidè fieri. Ex quo facilè intelligi etiam potest, quot modis possit professio esse inualida, tot enim sunt, quot sunt conditiones requisitæ ad valorem eius. Vnde aliquando potest esse inualida ex iure naturæ, aliquando ex iure Ecclesiastico, videlicet si necessitas talis conditionis sit ex natura rei, vt est mutuus consensus sufficienter manifestatus, vel ex iure positiuo, vt est tāta ætas, vel annus probationis, vel quòd sit in religione approbata à Summo Pontifice. Aliter etiam potest generalis diuisio tradi, quòd aliquando est inualida professio, ex defectu meè interno, qualis est defectus consensus; aliquādo verò ex defectu aliquo exteriori, vt est defectus ætatis, & similes. Denique magis in specie diuidi potest hæc professio inualida per singulos defectus conditionum substantialium professionis; nam sicut ad valorem professionis requiruntur omnes simul, ita ad nullitatem sufficit vnius cuiusque defectus. Sunt autem illæ conditiones requisitæ quamplures; nam ex parte religionis tres, vel quatuor requiruntur, approbatio religionis, potestas in recipiente, voluntas, seu consensus interior, & sufficiens acceptatio exterior. Ex parte verò Religiosi plures sunt necessariæ, ætas, annus probationis, libertas per quam excludimus omne vinculum, quod secundùm ius impediat valorem professionis, vt est vinculum matrimonij consummati, Episcopatus, professio strictioris religionis, secluſa dispensatione, vel legitima facultate: item libertas, per quam excluditur metus cadens in constantem virum, & ignorātia sufficiens, vel dolus: deinde internus consensus, seu intentio profitendi: ac denique sufficiens manifestatio exterior, vel expressa, vel implicita; & quia illa prior fieri potest sine habitu, ideo in expressa professione non est necessarius, quod secus est in tacita, quia in illa significatio fit per ipsum habitum: nō tamen est in ea hæc conditio specialis, nisi materialiter, vt sic dicam, sed includitur in sufficienti manifestatione interioris consensus. Alia verò conditio, quæ de tacita etiam professione speciali ter tradi solet, scilicet, quòd habitus deferatur in monasterio, sub nouitatu nunc includitur. & ideo, vt suprà dixi, illa addere necesse non est. Quot ergo sunt cōditiones hæ, tot modis potest esse nulla professio ex defectu singularum, vt facile possunt enumerari. Nec circa hāc distinctionem, seu varietatem inualidæ professionis occurrit noua, aut specialis difficultas, sed in vnaquaque specie, vt sic dicam, prius stabiliendum est ex suprà tractatis, talem conditionem esse de substantia, & valore professionis; deinde verò solùm ad factum pertinere bene examinare, an illa deficiat, necne, nam si deficit, per euidentem illationem sequitur talem professionem esse nullam.

Ex his igitur primò sequitur, aliquando professionem ita esse nullam, vt rata, & valida nunquam fieri possit, vel simpliciter, vel secundùm ordinariam, aut intrinsecam potestatem; aliquando verò ita esse nullam, vt iterum possit validè fieri. Primum patet in professione facta in communitate, vel modo viuendi non approbato à sede Apostolica pro statu religionis; iuxta cap. vltim. de relig. dom. & primum in 6 talis enim professio etiamsi millies repetatur, erit nulla, quia habet defectum moraliter meuitabilem; nisi fingamus, religionem illam denuò approbari à Summo Pontifice, quod extra considerationem moralem est; & tunc tanta esset mutatio moralis in rebus, quod non ratificatio, sed noua omnino professio dicenda est; maior verò impotentia esset, ex parte religiosi, si fingamus professionem factam esse à perpetuo amente, seu habente perpetuum defectum vsus rationis, illa enim ratificari nullo modo posset. Minor verò est impotentia, & quasi media, quę pendet ex voluntate aliena, vt est in conjugato post matrimonium consummatum; vel ex dispensatione superioris, vt est in Episcopo, & de his & similibus quatenus durant in statu impotentiæ, eadem ratio est, quæ de præcedenti, quatenus verò datur alicui facultas, in posteriori mēbro annumerari possunt. De toto ergo illo priori membro, nihil dicendum superest, nisi professionem illam, quantū spectat ad vinculum professionis, nec esse vllius momenti, nec remedium aliquod habere. Dico autem, *quantum spectat ad vinculum professionis*, propter vota, quæ fieri possunt in aliqua religione non approbata, nam illa licet non inducat vinculum professionis, haberet valorem suum per se loquendo id est secluſis intrinsecis impedimentis, & maxime ignorantia, qua aliquis existimet illam esse religionem approbatam, nam tunc non solùm illa non esset professio, verùm etiam nec talia vota essent valida aut obligarent ex defectu intentionis, & voluntatis, vt à fortiori patebit ex dicendis sequenti capite. Per se autem loquendo talia vota valida esse possunt, imò cùm ibi non fiat professio, ad valorem talium votorum, non erunt necessaria omnia, quæ sunt de necessitate professionis, sed tantùm ea, quæ ex natura rei, vel ex iure communi ad valorem cuiuscunque voti simplicis necessaria sunt. Ad quod confirmandum conferre possunt, quæ de his votis tractat Caiet. 22. q. 188. art. 1.

Dicendum ergo superest de professione inualida, quæ capax est remedij, quomodo illi adhibendū sit.

*Assertio duas partes includens.*

*Ostenditur prima pars.*

*Quid de tertia de obligatione votorum quādo professio est inualida.*

*Secunda pars de professione rat. ficabili.*

In quo primùm statuenda est certa, & generalis regula, hãc professionem semel invalidam, solo tractu temporis nunquã confirmari, etiamsi ablatus videatur defectus, ratione cuius illa professio fuit inualida, vt, v.g. si nunc defectus fuit in ætate sexdecim annorum, licet illa ætas postea impleatur, perseuerante homine in eodem statu, non ideo fit statim rata professio In hoc conueniunt omnes, & sumitur ex regula 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Ratio etiã est clara, quia professio substantialiter perficitur per consensum; aliæ verò conditiones sunt requisitæ, vt consensus habeat efficaciam; quando igitur professio fuit nulla, defuit consensus vel simpliciter, vel qui habere potuerit efficaciam perficiendi vinculum, & inducendi obligationem, sed per solam temporis successionem non accipit efficaciam consensus, qui præcessit, tum quia ille iam non est, tum etiam, quia semper retinet illũ defectum; ergo sola temporis successio non facit ratam professionem illam. Quod etiam à simili confirmari potest de matrimonio; quod semel nullum fuit, nũquam enim incipit esse validũ propter solũ fluxum temporis. Necesse est igitur in primis vt ablato defectu, iteretur consensus, qui iam sit efficax ad inducẽdam obligationem. Vnde intelligitur obiter professionem nullam non dici ratificari, quia prior professio valida esse incipiat, id enim fieri non potest, quia illa prior non processit, nec iam procedere potest ex consensu efficaci ad inducendam obligationẽ, quod necessarium est, vt professio sit valida: dicitur ergo ratificari, quia loco illius alia noua rata, & valida efficitur, vt magis ex dicendis patebit, vbi etiã explicabimus, an talis professio aliquo modo retrotrahatur.

*Quid sit, & signi ficet ratificatio professionis.*

4. Atque ex hac prima regula colligitur secunda, scilicet, vt professio semel inualida iterum valida fiat, necessarium esse, vt de priori defectu, & nullitate postea constet ei qui talem professionem ratam habiturus est. Ratio est quia sine hac scientia non potest esse nouus consensus, & voluntas sufficiens ad professionem ratam habendam; quia ignorantia causat inuoluntarium, vel saltem non voluntarium; & ideo quandiu quis ignorat priorem professionem fuisse nullam, nunquam habet voluntatem iterum profitendi, quæ necessaria est ad ratam habendam priorem professionem. Nec satis est, quòd durante illa ignorantia sæpius habeat voluntatem permanendi in religione, quia illa nunquam est voluntas vouendi, seu profitendi, sed solùm voluntas implendi obligationem, quæ esse existimatur, quæ non satis est ad ratificandum votum, vt optime notauit Caietan. 2.2.q.189.art.5. & ex illo sæpius Nauarrus comment. 4. de Regul num. 75. & in Summa cap. 12. nu. 71. & in consil 23. 24. de Regular. ac sæpe in aliis.

## *Proponuntur, ac dissoluuntur aliqua dubia circa professionem inualidam ratificandam, seu confirmandam.*

5. His autem positis, quæ certa videntur, nonnulla dubia oriuntur. Primum est, an sufficiat interiùs tantùm consensum ratificari, vel necesse sit illum etiam exteriùs manifestare. Et ratio dubii est quia si cõsensus tantùm defuit, videtur sufficere si ille adhibeatur, quia per hoc suppletur, quod deerat. Sic enim in matrimonio contracto cum solemnitate Concilii Tridentini, si contingat aliunde esse inualidum, nõ oportet illam solemnitatem repetere, sed sufficit iterare consensum post ablatum impedimẽtum, quod fortasse interfuit, & hanc partem indicare videtur Caietanus d. art. 5. q. 189 dum ait votum solemne factum ante pubertatem, si non irritetur à parentibus statim, non posse irritari post expletam pubertatem; quia præsumitur interiùs ratificari; & eodem modo loquitur Nau. de professione quæ fuit nulla ex metu, si ablato metu interiùs ratificata est, vt patet Com. 4. de Reg. n. 71. Imò & iura videntur interdũ ita loqui, vt patet in c. 1. de Reg. in 6. & sumi potest ex Concilio Trident. sess. 25. c. 19. de Regularibus. In contrarium autem est, quia consensus interior non sufficit ad professionẽ, nisi exteriùs exprimatur; hic autem consensus, qui de nouo habetur, non fuit expressus per exteriorem actum, qui præcessit, vt per se notum vid. tur; ergo oportet, vt nunc denuo per nouum signũ manifestetur. Item quia consensus, qui postea datur, non facit, vt professio, quæ præcessit, illamet incipiat esse valida; illud enim repugnat; ergo oportet, vt de nouo fiat noua professio; sed professio non fit nisi per exteriorem actum, vt sæpe dictum est; ergo necessaria est noua expressio interni consensus. Tandem quando matrimonium fuit nullum, non satis est postea iterari internum cõsensum, sed oportet aliquo modo illum exprimi, & acceptari à coniugibus inter se, ergo similiter.

*Dubium primum an sufficiat interior solũ consensus.*

6. Respondetur, sine dubio necessariam esse nouam aliquam significationem talis consensus, quod probant sufficienter argumenta posteriori loco facta. Sed oportet aduertere, hoc signum externũ esse posse, vel expressum, vel tacitum, & vtrũque sufficere ad ratificandam professionem, sed diuerso modo, nam signum expressum sufficiet ad professionem tacitã, si alia necessaria concurrant, de quibus statim. Quòd autem alterutrum sit necessarium patet, quia ad minimum oportet voluntarie perseuerare, in obedientia talis religionis, sub eodem habitu, hoc autẽ ipso sufficienter significatur exteriùs, quod in animo habetur, significatur (inquam) saltem implicitò, & tacito signo. Vnde si aliquis post factam professionem nullam, relinqueret habitum etiam præter ordinem iuris, & cum apostasia, saltem in foro exteriori, quãtumcunque postea eum facti pœniteret, & haberet voluntatem ratificandi professionem priorem, extra religionem existens nunquam fiet verè professus, donec ad religionem reuersus, saltem deferendo habitum tempore sufficiente, illum consensum exteriùs profiteatur, quia aliàs nulla professio valida in tali homine intelligi potest, quia quæ præcesit, vt dixi, nunquam fit valida, & extra religionem, ac sine habitu illius noua fieri non potuit, cùm supponamus, non fuisse expresse repetitam, & implicitum signum nullum sit in eo statu. Quod autem quodcunque signum sufficiat, siue expressum, siue tacitum, manifestè supponitur in dicto capite 19. Concilii Tridentini, & in hoc sensu loquuntur Caiet. Nauar. & omnes. Hinc tamen clarè sequitur, quando professio solùm iteratur per consensum interum permanendo in externo habitu, & obedientia, illam professionem non esse expressam, sed tacitam, quia illud signum externum non sufficit ad aliam professionem.

*Resolutio Vna.*

*Nota bene.*

7. Sed obiici potest, quod habetur in dicto cap. 1. de Regular. in 6. in principio, vbi Pontifex loquitur de illo, qui professionem emisit ante annos pubertatis completos, & ait posse liberè exire, *nisi prius professionem à se priùs factam, ratam esse habeat.* Vbi glossa aduertit ad ratificandam illam professionem non sufficere professionem tacitam, sed requiri expressam, & in eam sententiam citat Hostiensem in capite *significatum*, de regularibus, vbi num. 2. id sentit. Respondeo primò, illum esse casum specialem, ex quo potiùs sumi potest argumentum ad generalem regulam in contrarium constituendam, nimirum professionem expressam, quæ priùs nulla fuit, ratificari per tacitam subsequentem, nisi vbi ius in aliquo casu requirit expressam ratificationem. Ita ergo in dicto

dicto textu, quia professio supponebatur facta ante annos pubertatis, postulatur expressa professio, vt statim post 14 annum expletũ ratificari possit. Dico autem *statim*, &c. quia si nõ ratificetur nisi per discursum vnius anni deferendo communem habitũ professorum, tunc poterit etiam per professionem tacitam ratificari, vt ex eodem textu constat, tunc autem necessarium erit, vt totus ille annus post pubertatem completam transigatur, vt in superioribus explicatum est; igitur professio nulla per tacitam ratificari potest. In modo autem faciendi tacitam professionẽ seruanda sunt, quæ iura statuunt de tali professione absolutè spectata, & absque suppositione alterius, quæ nulla fuerit. Ex vi autem huius suppositionis solùm hactenus additum est, necessariam esse scientiam nullitatis prioris professionis, vt secunda professio fieri possit, ex voluntate profitendi, quod necessarium est ad valorem eius.

1. Occurrit autem statim secundum dubium, an ad iterandam hanc professionem necessarius sit nouus annus probationis, & consequenter, an talis professio possit statim in vno momento iterum fieri per nouum consensum personæ iam existentis in sufficienti ætate, vel requiratur aliqua mora temporis. In quare omisso antiquo iure, nunc distinguendum est, quia vel ante professionem inualidam expresse emissam antecessit integer annus probationis, vel nõ. In priori casu constat esse necessarium nouum annum probationis, quia iam supponitur sufficienter factus, sine morali interruptione, & ideo in eo casu potest statim professio fieri, vel expresse, vel tacite modo infrà exponendo. In posteriori autem casu dicendum est non posse talem professionem ratificari, per aliam siue tacitam, siue expressam, nisi priùs iterum annus probationis integrè fiat. Hoc declaratum sæpe est à congregatione Cardinalium circa dictum cap. 15. Concil. Trid. sess. 25. ex quo hoc aperte colligitur: nam ibi ad valorem professionis simpliciter requiritur annus probationis; quod procedit, tam de tacita, quàm de expressa professione, & si nõ præcessit ille annus, necesse est vt iterum fiat; nam professio inualida, quæ interposita fuit, nihil refert quominus professionis annus ita præcedere debeat, ante professionem validam, ac si alia inualida non intercesserit. Atque ita docuit in terminis Nauar. in multis consiliis de Regular. q. 26. 31. 32. 34. 43. 62. iuxta editionem Lugdunensem anni 94. præsertim vetò in 26. quod incipit, *Orta sunt*, n. 17. & alii Moderni idem sentiunt.

2. Tertiò verò hinc oritur grauis difficultas, quomodo hic annus probationis repetendus sit. Quidam enim putant necessarium esse Nouitiorum habitum, vbi distinctus est, denuo suscipere, & modum viuendi Nouitiorum per integrum annum obseruare, iuxta religionis morem; quod aliqui credunt sensisse Nauar. citatis locis. Et pro eadem sententia afferri potest Iacobus de Graphis lib. 3. Decisionum cap. 5. num. 15. vbi de illo, 'qui ex defectu integri anni nouitiatus professionem nullam emisit, ait, esse ad pristinum statum quoad omnia constituendum, ac si nunquam talem professionem emisisset. Idem videtur sentire Emmanuel Rodericus 2. p. summæ cap 8. conclus. 3. & 5. Citari etiam possunt plures declarationes Cardinalium, in quibus declarant necessarium esse per annum continuum in probatione intra clausura versari; neque aliter posse professionem sic nullam ratificari, vel expresse, vel tacite. Denique Concilium etiam Trident. in verbis illis, *Nec minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione fuerit*: nam esse in probatione, idem est, quod esse in Nouitiatu sub habitu, & exercitiis Nouitii; ergo donec hoc fiat non potest professio valorem accipere. Et confirmatur ex ratione, & fine Concilij; nam ideo requirit annum probationis, vt & religio experiatur naturam Nouitii, & ipse regulæ asperitatem argum. cap. *ad Apostolicam*, de regularib. hoc autem non fit nisi per formalem probationem, quæ consistit in exercitiis nouitiorum; ergo hoc modo necessariò præmittenda est probatio iuxta mentem Concilii, aliàs sine causa exigeretur mora vnius anni, ad talem professionem iterandam.

Nihilominus dicendum censeo sufficere ad talẽ professionem iterandam, vel expresse vel tacite, perseuerare in tali religione sub habitu, & obedientia eius per annum integrum computandum ab eo tempore, in quo religiosus cognouit nullitatem priotis professionis, & decreuit nihilominus ex animo in religione perseuerare. Vnde siue in ea religione habitus professorum communis sit nouitiis, siue sit omnino distinctus, & talis persona iam gestet illum, quia in priori professione nulla illum accepit, non necesse est illum mutare, sed sub illo poterit supplerl defectus probationis, si cætera quæ dicta sunt concurrant. Idem censeo de aliis actibus, vel exercitiis nouitiorum, nã etiamsi illos non exerceant, sed actus professorum, poterit idem defectus supplerl. Quamuis enim ex alio capite teneatur per se loquendo talis persona pro illo anno abstinere ab illis actib. professorũ, qui vel valide, vel licite nõ possunt sine vera professione exerceri, nihilominus ad supplendum defectum anni probationis illud non est necessarium, sed solum id, quod dictũ est. Fũdamentum huius sententiæ est, quia neque habitus, neque exercitia nouitiorum sunt de substantia nouitiatus, quod suprà suo loco latè probaui, tam secundùm ius antiquum, quàm post Concilium Trid. ergo sine his potest suppleri defectus anni probationis, & consequenter ratificari professio, quæ ex defectu eius nulla fuit. Probatur consequentia, quia moralis actus valide fieri, vel iterari potest sine his, quæ sunt extra substantiam eius. Deinde li. 5. de ingressu ac nouitiatu, directe ostensum est, de substantia probationis tantùm esse existentiam in religione sub obedientia eius, animo probandi illam; sed hoc totum fieri potest si seruentur ea, quæ diximus, nec resumatur habitus nouitiorum, aut eorũ proprii actus exerceantur; ergo si illa fiant per annum integrum, satis erunt, vt professio valide iterari possit.

10. *Resolutio prima.*

*Notãdum.*

Et confirmatur hoc ex Concilio Tridentino sess. 25. de Regularibus cap. 19. vbi ait neminem post quinquennium admittendum esse ad allegandam nullitatem suæ professionis; supponit ergo posse talem professionem etiamsi nulla fuerit ratificari, vel expresse, vel tacite, perseuerando sub eodem habitu, & forma viuendi professorum in eadem religione; ergo ad validam professionem non requiritur annus probationis sub habitu, & exercitiis nouitiorum tãquam omnino necessarius. Respondent aliqui, Cõcilium ibi tantùm loqui de professionibus inualidis, & aliis causis; non verò ex defectu anni nouitiatus, quia expresse numerat professionem ex metu, & ex defectu ætatis, & addit, *aut quid simile*, sub quo verbo volunt comprehendi, non omnem causam nullitatis, sed solùm illas, quæ non excludunt annum nouitiatus, & sunt illæ, quæ in specie nominatæ sunt. Sed hoc nec iure, aut ratione fundatum est, nam similitudo illa sufficienter seruatur in quocunque defectu, annullante professionem; maximè cum Cõcilium statim addat, *velitque habitum dimitti quacunque de causa*. Atque ita generatim, & sine limitatione intelligunt decretum illud Nauarrus, & posteriores Doctores, & vsu etiam receptum est. Dicet forte aliquis, quamuis constet post quinquennium aliquem

11.

non fecisse integrum annum nouitiatus necessarium ad professionem, siue tacitam, siue expressam, nihilominus non esse audiendum, iuxta præceptum Concilii, non quia præsumatur verè religiosus; sed quia præsumitur potuisse antea, aut professionem iterare præmisso nouitiatu, aut jus suum postulare. Sed hoc certe verisimile non est; nam si vere constet Ecclesię vsque ad hunc diem hunc non esse professum vere, etiam tacite, non potest illum cogere ad profitendū propter aliquam culpam præcedētem, maxime quia in nostro casu, scilicet, quando defectus fuit in anno probationis, culpa, & negligentia non minus religioni, quàm Religioso imputanda sit.

12 Nec congregatio Cardinalium in suis declarationibus, nec Doctores supra citati aliud intendunt, sed solùm generatim dicunt probationis annum esse necessarium. Quid autem ad probationis annum necessarium sit, ipsi non tractant. Et inter eos Nauarrus, qui sæpius hanc materiam inculcat in suis consiliis, frequenter ait, etiam post Concilium Trident. professionem expressam, quæ priùs fuit nulla, posse per tacitam ratificari: ad quam tacitam professionem faciendam nunquam plus requirit, quàm scientiam prioris nullitatis, & voluntatem ratificandi illam perseuerādo sub eodem habitu, & obedientia, tempore necessario iuxta exigentiam defectus, seu nullitatis, ita, vt si hæc orta fuerit ex defectu anni probationis, saltem perseuerantia sit per annum integrum post prædictam scientiam, & cum dicta voluntate; & ideo in huiusmodi casu ex parte signi externi solum tria requirit ad tacitam professionem, scilicet, *habitum professorum in monasterio, per annum continuum*, vt videre licet consil. 17.32.34.41.44. num.3. 89.num.5. & in hoc vltimo loco distincte numerat causas, ob quas potuit professio esse inualida, *vel quia ante ætatem, vel quia ante finem anni nouitiatus, vel quia metu emisit*, &c. & cùm dixisset, quandiu durat ignorantia nullitatis non ratificari professionem, subdit, *Sed tunc tacite censetur profiteri, & reuera profitetur, quando sciens professionem factam esse inualidam ob aliquam præteritarum causarum, & ad ratificandam, & approbandam eam, perstitit in religione integrum annum à tempore, quo sciuit esse nullam*; vbi non plus requirit ad ratificandam professionem nullam ex defectu nouitiatus, quàm ex aliis causis; certum est autem, quando prouenit ex aliis causis, nō esse necessarium redire ad habitum proprium, & exercitia nouitiorum: ergo idem sentit de aliis. & consil.28.ad quæstionem 8.generalem regulam statuit, dicens, *post Concilium Tridentinum perinde sunt habendi tacitè professi illi qui per annum totum nullatenus interruptum gestarunt habitum indistinctum ab habitu professorum, ac ante illud.* Cùm autem in his locis Nauarrus loquitur de habitu distincto ab habitu professorum, non est putandum, ipsum in hoc vim constituere, quòd habitus ille communis sit nouitiis, ac si habitus professorum proprius, & distinctus non sufficiat; hoc enim verisimile nō est, alias in professione, in qua habitus sunt distincti, nunquam posset fieri professio tacita per gestationem habitus proprii professorum, quod plane falsum est; solùm ergo requirit, vt ad minimum sit distinctus, id est, non ita priùs nouitiorum, vt ab habitu professorum distinguatur; nam gestando illum habitum nunquam fit tacita professio. Et hanc doctrinam Nauarri sequuti sunt alii moderni suprà citati, & verba declarationum Cardinalium si recte expendantur, multum illis fauent. Nam in quadam earum dicitur, *Professio tacita, seruato tempore huius decreti non excluditur*; in alia, *professio tacita per hoc decretū non fuit abrogata, sed remanet in dispositione iuris communis sicut antea, scilicet seruato tempore hic præfixo*, vt iterum, atque iterum ibi dicitur. Loquuntur autem de tempore præfixo tā ætatis, quàm professionis; ad quam nullam aliam circumstantiam requirunt præter eas, quæ iure communi necessariæ sunt, & meritò, quia Concilium solùm de nouo specialiter perscripsit necessitatem temporis, & ideo solùm dixit, *Professio antea facta sit nulla*, quia solam hanc conditionem temporis specialiter requirebat; at verò si aliquid amplius addere voluisset, id clarè explicare debuisset in re tam graui.

13. *Dubium quantum ad requisitum scientiæ nullitatis, etiam ex parte religionis.*

Quoniam verò diximus, vt hic annus probationis iterum fiat, necessarium esse, vt religiosus priùs intelligat priorem professionem esse nullam. Oritur hinc quarta dubitatio, an hæc scientia necessaria etiam sit ex parte religionis, vel in Religioso sufficiat, ita vt, si solus ipse sciat priorem defectum, & voluntarie perseueret toto tempore necessario ad tacite profitendum, id satis sit vt dicatur per annum extitisse in probatione, & consequenter in fine anni sit tacite professus. Ratio autem dubitandi est, quia si ad probationem requiritur scientia nullitatis prioris professionis, ideo est, quia ad probationem requiritur libertas retinendi, vel relinquendi talem statum; sed non minus est ex parte religionis necessaria eadem libertas retinendi, vel relinquendi talem personam; ergo eadem scientia necessaria est ex parte religionis. Minor patet ex cap. *cùm ad monasterium*, de regularibus cum similibus, quia hæc probatio reciproca est, & mutua esse debet, quia tam religio, quàm persona probat, & probatur; vnde cùm Concilium Tridentin. dixit necessarium esse annum probationis, de tota probatione (vt sic dicam) seu tam ex parte religionis, quam religiosi, & actiue, & passiue intelligendum est; ergo tanta libertas & scientia requiritur, ex parte religionis, sicut ex parte religiosi. Secundò potest hoc suaderi, quia vt professio iterum valide fiat, necessarius est nouus consensus, nouaque acceptatio religionis, quia prior fuit inualida, & inefficax, & sine acceptatione efficaci non potest fieri valida professio; sed non potest religio denuo acceptare, nisi priùs intelligat priorem professionem fuisse inualidam; ergo necessaria est ex parte illius hæc scientia, vt professio ratificetur. Patet minor; nam ideo diximus ex parte religiosi esse necessariam hanc scientiam, vt possit denuo consentire in professione: ergo eadem ratione necessaria est in ipsa religione, vt possit denuo consentire, quia quandiu putat illum esse vere professum, non acceptat illum, sed tolerat, vel retinet quem existimat iam esse acceptatum.

*Ratio dubitandi pro parte affirmatiua.*

14. *Ratio dubitandi pro parte negatiua.*

In contrarium autem obstat, quia interdum defectus ex parte religiosi est valde occultus, est autem difficillimum obligare illum ad manifestandum religioni suum defectum, ita vt alia via non possit professionem ratificare; non est autem verosimile, Tridentinum Concilium, aut alia iura Canonica voluisse obligare ad rem adeò difficilem: ergo. Antecedēs quoad vtramq; partem probatur, tum quia difficillimum est suum defectum occultum prodere, præsertim cùm in eo potuerit culpa grauis interuenire; tū etiam, quia ille manifestando religioni suum defectū se exponit periculo, vel vt eiiciatur, vel certè, vt cogatur denuo esse in probatione per annum integrum, cum omni rigore, & exercitio nouitiorum, quod etiam satis durum est, multi enim exponentur periculo relinquēdi religionem, ne tot difficultates superare cogantur. Secundò potest hoc confirmari ex Conc. Trid. d.c.19 vbi post quinquennium neminem vult audiri circa nullitatem suæ professionis, supponens sine dubio infra illud tempus præsumi debere ratificatam; ergo consequenter supponit ex parte religionis nō esse necessariam aliquam specialē conditionē, vel scientiam, vt professio illa ratificetur.

Dices

Dices idem argumentū fieri posse ex parte religiosi. Respondeo non esse simile : nam ex parte religiosi, cùm res sit priuata, & occulta, de qua non potest Ecclesiæ satis constare, vtitur Ecclesia præsumptione, concesso sufficienti tempore ad illā probabiliter cōcipiendam ; at verò ex parte religionis scientia, vel ignorantia satis communis est, & publica, vt de illa sufficienter constare possit; ergo ex ea parte non oportebit vti præsumptione, sed certa scientia ; ergo cùm Concilium nullam exceptionē addat ex parte religionis, nec rationem habeat, an illa sciuerit, vel ignorauerit defectum, signum est id non fuisse ob aliquam præsumptionem, sed quia non censuit id referre ad ratificandam professionem.

In hac difficultate duæ tanguntur. Prima est generalis ad omnem professionem nullam ex quocunque capite. Secunda est specialis de defectu probationis. Prior igitur est, an ad iterandam professionem nullam, necessarium sit, vt religio sciat nullitatem, vt possit consentire. In qua re inuenio Nauarrum consil. 27. de Regul. n. 2. dicentem, non esse necessarium nouum consensum ex parte religionis; vnde optimè sequitur minus necessariam esse scientiam defectus ; loquitur autem de nullitate ex defectu ætatis, de qua nulla est specialis ratio, & ita videtur idem sentire de omnibus. Contraria autem sententia sumitur à simili, ex eodem Nau. in Summa ca. 11. n. 47. vbi in simili casu de matrimonio ait, necessarium esse, vt quando interuenit tale impedimentum irritans, & vnus coniugum illud agnouit, illud manifestet alteri, saltē in genere, vt fiat ei iusta libertas ad renuendum, si voluerit. In quam sententiam citat Innocentium, Scotum, & Caietan. estque frequentiùs recepta, vt intelligi possit ex Soto, & aliis Theologis d. 35. & Couarr. 2. p. 4. c. 4. n. 5. ergo ob eandem rationem idem dicendum est in præsenti, quia sicut matrimonium perficitur mutuo cōsensu, ita etiam professio seruata proportione.

Mihi verò distinctione vtendum occurrit ; aut etiam professio fuit nulla ex defectu irritāte solū consensum religiosi, vel ex defectu irritante vtriusq; partis consensum. In priori casu censeo non esse necessarium nouum cōsensum religionis, sed sufficere priorem, moraliter permanentem, atque ita in hoc casu procedere opinionem Nauarri. Nobiscum etiam sentit Sanchez lib. 7. de matr. disp. 37. n. 60. & 61. verbo *Religio* num. 15. Less. lib. 2. c. 41. dub. 7. num. 67. Ratio à priori est, quia in eo casu consensus à religione præstitus ; quantum est ex parte illius, validus fuit, & contractus solum claudicauit ex alia parte, manet autem ille consensus quātum est ex se semper exhibitus, vt adueniente ex parte Religiosi consensu sufficiente, cōtractus consummetur ; ergo vt ratificetur professio, non est necessarius nouus consensus ex parte religionis, nec etiam ( quod consequens est ) vt habeat noritiam prioris defectus. Exempla sunt. Primum si ipse religiosus, cùm nullū haberet impedimentum, ex sola libertate, & malitia fictè professus est sine consensu interiori ; tunc enim, vt ratificet professionem, nō est necesse, vt suum defectum manifestet religioni, neque, vt aliam diligentiam adhibeat præter ratificationem consensus. Hoc probat ratio facta, & quia de iure naturæ nihil amplius videtur necessarium ad ratificandum quemlibet contractum, ex eo capite nullum, adeò, vt etiam de matrimonio multi hoc affirment, vt videre licet in Richard. in 4. d. 29. art. 2. q. 1 & d. 40. art. 1. q. 6. Sylvest. *Matrimonium* 4. q 11. dicto 4. Petro Soto lect. 3. de Matrimonio, quam quam de illo sit specialis difficultas quatenus Sacramentum est.

Secundum exemplum est, quando professio est nulla ex metu cadente in constantem virum iniusto ipsi religioso ; nam si postea ablato metu libere ratificet consensum, nihil aliud necessarium est, etiamsi religio ignorauerit metum. ita sentit Nauar. suprà, & affert à simili cap. *ad id*, de sponsalibus. vbi ad ratificandum matrimonium contractum ex simili metu, indicatur sufficere similem ratificationem consensus post transactum metum. Verum est in illo textu non explicari, an alter coniux sciuerit metum ; satis autem nobis est, quòd ius illud distinctè loquatur, talem scientiam, vel consensum nouum ex parte alterius non exigendo. Tertium exemplum est defectus ætatis sexdecim annorum, in quo specialiter loquitur Nauarrus. Solùm autem probat à simili ex præcedenti. Possumus autem generalem rationem reddere, per quam etiam intelligatur, quando impedimentum annullet professionem irritādo consensum solùm ex parte religiosi. Quando enim talis irritatio respicit solum defectum libertatis, vel sufficientis facultatis ad liberandum ex parte religiosi, tunc solùm irritat consensum eius, quia ex alia parte cessat fundamentum, & causa irritationis ; quod manifestè patet in metu, & idem plane est in defectu ætatis. Confirmatur, ac declaratur, quia si defectus solùm fuit actualis, vt sic dicam, quia scilicet non præbuit consensum licet posset, tunc constat defectum solum fuisse ex parte personæ, quæ non consensit. Si autem inefficacia consensus est ex impotentia prouenient ab statuto Ecclesiæ, vt in aliis casibus positis, & si qui sunt similes ; tunc totum illud ius positum est in fauorem ipsius religiosi, & ad subueniendum imbecillitati eius ; ergo non debet illum impedire quominus recuperata, vel acquisita potestate perfectè deliberandi, perficere possit contractum, vel professionem, durante ex parte religionis consensu priùs præstito.

*Ponitur ratio cognoscendi impedimentū irritans cōsensum ex sola parte religiosi.*

Tria verò obiici possunt contra hanc partem. Primum est, quia sequitur professionem nullam ratificari, per solum consensum internum sine signo externo, quod repugnat superiùs dictis. Sequela patet, quia non est necessaria noua acceptatio, nec nouus consensus ex parte religionis ; ergo nec est necessaria manifestatio, seu consensus externus, quia manifestatio solùm est necessaria propter acceptationem. Secundum est, quia vt perficiatur quilibet contractus, necesse est, vt consensus contrahentium, moraliter loquendo, simul concurrant, quia aliàs non possunt contractum perficere, quia nec presens consensus retrotrahitur, vt contractus valeat ex eo tempore, quo priùs factus fuit inualidus, neque præteritus consensus qui iam non est, habet efficaciam in præsenti tempore, vt ex nunc incipiat valere contractus. Itē, quia illi duo consensus mutuò se respiciunt, tanquam actus, & obiectū, & ideo opottet, vt simul concurrāt. Tertium est, quia hoc cederet in iniuriam religionis, esset enim magna inæqualitas, quòd religiosus esset liber ad consentiendum, vel ad retrocedendum, & quòd religio maneret addicta priori consensui non concessa illi simili libertate. 18.

Ad primum nonnulli authores facile illud consequens admittunt in matrimonio, vt patet ex Richardo, Syluestro, Petro Soto, suprà, vnde idē consequenter dicerent in præsenti. Melius tamē respondetur negando sequelam, quia semper necesse est, vt ille consensus manifestetur aliquo externo signo religionis, saltem deferendo habitum eius, & persiuerando sub prælatorum obedientia. Cuius signum est, quia illa professio sic ratificata non est expressa, sed tacita, ergo non valet ex vi prioris signi expressi, debet ergo nouo signo tacito de nouo significari. Itē de nouo fit, non enim valet prout ex tunc, sed prout ex nunc, vt omnes authores loquuntur, ergo oportet nunc exhiberi signum externum, quia contra- 19.

ctus non perficitur per solum actum internum, sed per signa externa. Ad argumentum autem respondetur, licet consensus religionis priùs fuerit exhibitus, nunc autem professionem non incipere esse validam ex vi illius, prout nunc fuit, sed prout vsque nunc durat, neque ex vi acceptationis, quæ præcessit, quæ inualida tunc fuit, sed ex vi nouæ acceptationis tacitæ, quæ nunc fit, exhibendo semper eundem affectum ipsi religioso, & consentiendo traditioni, quæ de se tacitè facit in eodem statu exteriùs perseuerando. Et ita facilis est responsio ad secundum, ad quod in simili de matrimonio respondet Couarruuias suprà num. 7. non esse necessarium vtrumque consensum eodem tempore exprimi, sed satis esse eundem consensum præsumptiue concurrere, vt si quis (inquit) consentiat priùs, ac demum illo cõsensu non reuocato, sed tacite durante consentiat alter, etiam ex interuallo; vbi pro hac sententia refert plures, & dicit tandem esse communem; quamuis Panormitanus in cap. *dilectus*, de sponsalibus, dicat oppositum esse verius de rigore iuris. Ego verò censeo priorem sententiam in præsenti esse moraliter satis certam; tum quia prior consensus censetur moraliter durare, tum maxime, quia semper virtualiter operatur, nam in virtute eius fit noua acceptatio tacita, & quoad hoc simul moraliter concurrunt, cum consensu, & traditione ipsius religiosi, & hoc satis est, vt mutuò se respiciant inuicem consentiendo, & acceptando, ac denique sufficit, vt in præsenti incipiat valere professio ex vi prioris consensus ex parte religionis, quia non ita præcessit quin virtualiter maneat. Ad tertium verò respondetur, & inæqualitatem illam esse per accidens, & moraliter non esse alicuius momenti. Primum patet, quia solùm est ratione ignorantiæ; nam reuera si religio sciret impedimentum, vel defectum consensus alterius, eandem libertatem haberet; per accidens autem est, quòd id ignoret, neque alius tenetur ei manifestare, cùm illa libertas actualis seu expedita necessaria non sit ad veritatem, vel efficaciam prioris consensus, vt ostensum est. Secundum declaratur, quia defectus ille, qui interuenisse supponitur, non redūdat in damnum religionis; nam ex parte eius supponitur plena de persona satisfactio, & consensus satis legitimus, & voluntarius, & ideo ignorantia illa, nec inuoluntarium causat, nec in vllum grauamen religionis redundat.

20. *Assertio secunda.*

Secundò verò censeo quando impedimentum, quod præcessit, irritat consensum ex vtraque parte, necessarium postea est, vt vtraque pars notitiam habeat prioris defectus, vt possint de nouo nouum cõsensum legitimum, & efficacem præstare: ita tenet Azor tom. 1. inst. Mor. lib. 12. c. 4. q. 7. & Sanchez lib. 7. de matr. disp. 37. n. 63. quamuis etiam oppositum vt probabile, ac tutum in praxi defendat. Exemplum est in defectu anni probationis, nam cùm nouitiatus in fauorem vtriusque partis, tam religionis, quàm religiosi introductus sit, iuxta caput *cùm ad monasterium*, de regularibus. postquam tale impedimentum vt simpliciter irritans positum est à Concilio Tridentino, æque censetur irritare vtriusque partis voluntatem, & ideo tunc necessaria est noua voluntas ex parte religionis, quæ vim habeat denuo admittẽdi talem personam ad professionẽ, quę voluntas sine notitia prioris defectus haberi non potest. Et idem intelligendũ est, quoties defectus irritauerit consensum ex parte religionis. Ratio autem est, quia ad perficiendam valide professionem, non quicunque cõsensus, sed legitimus, & efficax necessarius est, argumento cap. *dilectus*, de sponsalib. ibi, *cùm legitimus non potuerit interuenire consensus.* & cap. *tua*, ibi, *per legit. mũ viri, & mulieris consensum.* In quibus locis notat Abbas

*Ratione probatur.*

legitimum consensum dici, qui legibus qualificatus est, & talem requiri ad matrimonium; ergo idem est de professione. At in nostro casu consensus qui præcessit ex parte religionis, non est legibus qualificatus; ergo nõ est legitimus: ergo inefficax; ergo quidquid virtute illius fit est inualidum: ergo necesse est nouum consensum præstare, qui per se legitimus sit, & vires habeat sine respectu ad præcedentem consensum.

*Consensus legitimus quales esse debeat.*

21. *Assignatur differentia inter duos casus proposit.*

Et in hoc est differentia inter hunc casum, & præcedentem; nam in illo consensus præcedens ex parte religionis legitimus fuit, & sufficiens, & ideo virtus eius influit in actum, quoties ex alia parte applicatur consensus, etiam legitimus. In hoc autem posterioti casu præcedens consensus religionis fuit illegitimus, & inefficax, & ideo ex vi illius nihil potest valide postea fieri, quia formaliter fuit inefficax, multo magis solùm virtualiter manens; necessarium ergo est, vt acceptatio religionis postea fiat ex vi noui consensus legitimi per se sufficientis, qui haberi non poterit sine notitia prioris defectus, iuxta suprà dicta, quia quandiu proceditur, sub eadem existimatione, totum quod fit, est veluti continuatio quædam prioris consensus, & ita in virtute eius omnia fiunt. Accedit quòd in hoc posterioti casu ignorantia illa censetur causare inuoluntarium, vel non voluntarium, ex parte religionis, quia cùm probatio in fauorem eius introducta sit, habet ius non admittendi ad professionem, donec ipsa legitime religiosum probauerit: cui iuri nec nunc renuntiare potest, nec quandiu ignorat renuntiare censeretur, licet posset, & ideo quandiu ignorat talem defectum, nunquam censetur satis voluntarie admittere talem personam ad professionem; ergo etiam ob hanc causam necessarium est, vt illi manifestetur defectus, vt professio ratificari valeat. Difficultates autem superiùs positæ secundo loco quatenus contra hanc partem procedere possunt, facilem ex dictis habent solutionem, & in sequentibus magis explicabuntur.

22. *Dubium quintum quando ita bona fides præsumenda manifestatio defectus religiosi.*

Statim enim occurrit secundum punctum suprà propositum, quod potest esse quintum dubium in ordine; an scilicet in eo casu necessarium sit defectum esse notum religioni propter solam professionem, an etiam propter probationem; quod est quærere, an possit religio statim, ac habet illam notitiam, admittere ad professionem tacitam, vel expressam huiusmodi religiosum, quem supponimus per annum perseuerasse in habitu, & obedientia religionis, postquam habuit notitiam prioris defectus; vel necesse sit, vt ex eo tempore, quo religio nouit talem defectum, nouus annus transeat, vsque ad professionem, vt in eo fiat probatio eo modo quo religioni placuerit. Quod sane ad rem moralem, & ad augendam, vel minuendam difficultatem eius non parum refert. Nam si primum dicatur, poterit religiosus, quamuis suum defectum intelligat, tacere, & perseuerare per annum animo supplendi nouitiatum, & postea rem totam superiori prælato, & his qui cũ illo habent potestatem admittendi ad professionẽ, manifestare, vt statim sine mora, & maiori nota ad professionem denuo admittatur; si autem dicatur secundum, oportebit statim rem totam proponere, ne maior fiat dilatio. Quamuis autem hoc posterius magis rigorosum sit, videtur in rigore verum, quia probatio non est sine libertate actuali, retinendi, & relinquendi quod probatur; ergo quandiu religio existimauit hunc esse professum verè, non habuit illũ in probatione, quia non habuit libertatem dimittendi illum; ergo ille dici non potest toto illo tẽpore expleuisse probationis annum, quia probatio non minus requiritur ex parte religionis, quã ex parte religio-

ligiosi; ergo oportet, vt impleri incipiat probationis annus post notitiam prioris defectus à religione comparatam.

Dicetur fortasse, satis esse quòd ante professionem religio obtineat libertatem dimittendi, vel retinendi talem religiosum; nam hoc sufficit, vt iudicium ferat de toto tempore præcedenti, & accepret illud vt sufficiens experimentum ad admittendam, vel dimittendam talem personam, & per hoc illa scientia quoad effectum quasi retrotrahitur, & æquialet, ac si toto tempore illo præcessisset, quid enim hoc refert ad moralem effectum probationis? Ad summum enim conferre posset, quia forte si religio antea cognouisset illum non esse vere professum, iam illum dimisisset, sed hoc parum interest, nam satis est, quòd hanc libertatem habeat antequam ad professionem illum admittat. Et potest hoc etiam suaderi, quia nullo iure sufficienter probari potest, aliud esse simpliciter necessarium ad ratificandam talem professionem; & alioqui res hæc de se est adeò difficilis, vt non sit difficilior reddenda, sine euidenti necessitate; hanc autem nullam esse videtur satis declarare responsio, seu ratio facta: ergo.

Nihilominus prior pars videtur mihi, non solùm securior, sed etiam vera simpliciter. Et ratio à priori est, quia probatio in religione debet fieri vel iuxta regulam, præscriptam à religione, vel saltem iuxta voluntatem superioris dispensantis in illa, vel concedentis alium probationis modum; hoc autem fieri non potest nisi religio, seu prælatus sciat hunc non esse professum; sed agere probationis annum; ergo necesse est vt hoc illi innotescat statim à principio talis anni, quia aliàs, non poterit vel iuxta regulam, vel suo arbitratu probare talem personam; neque satis est, quòd postea in fine anni voluntarie accepter perseuerantiam illius anni cum communi vita professorum, tanquam sufficientem probationem; nam hoc perinde est, ac renuntiare iuri sibi concesso ad probandam talem personam; quod post Concilium Tridentinum fieri non potest, Vnde confirmatur; nam de tali persona verè dici non potest quòd per illum annum *in probatione steterit*; ergo verè non habet conditionem necessariam à Cõcilio requisitam ad valorem professionis. Antecedés patet, quia stare in probatione ex parte religionis in rigore est esse sub potestate alicuius, qui nomine religionis eum probet, & de illo experimentum sumat; hoc autem intelligi non potest, nisi is qui habet potestatem probandi alium, habeat etiam notitiam, quòd ille nouitius sit, & non professus, nec consensus postea superueniens in fine anni potest efficere, quòd ille stetit in probatione, sed ad summum, quòd ex quadam indulgentia perinde habeatur ac si stetisset, per quod non fit satis Concilio Tridentino. Tandem confirmatur, quia aliàs etiam ex parte Religiosi non esset necessaria scientia illius defectus à principio illius anni ad probationem iterandam, sed sufficeret ipsa realis perseuerãtia sub habitu, & obedientia religionis, cum quacumque existimatione, dummodo postea ante repetitam professionem religiosus intelligat priorem defectum, & voluntariè accepet totum præcedens tempus, tanquam sibi sufficiens ad experimentum de religione sumendum. Atque ita si quis cognouit defectum post annum integrum, poterit statim sine alia mora professionem ratificare ex parte sui, & à religione etiam admitti, quãuis illi etiam tunc primo defectus manifestetur. Consequens autem est valde absurdum, nam in illo reuera nullo modo seruatur anni probationis conditio, quam Concilium requirit. Sequela verò pater, quia nulla est ratio ob quam talis scientia sit necessaria ex parte religiosi potius quàm ex parte religionis, cùm probatio in vtriusque partis commodum concessa sit, & eo magis in fauorem religionis, quo bonum eius maius est.

Huic verò resolutioni annexum est sextum dubium, scilicet, an in hoc casu, in quo defectus fuit in anno probationis, necessarium sit totum integrum annum repetere, vel sufficiat complere quod defuit: vt, v.g. si per decem menses fuit in nouitiatu, & ita professus est, an sufficiat postea duos menses probationis addere, vel necessarium sit, nouum annum inchoare. In quo oportet in primis supponere, vt talis professio fiat sub existimatione, & errore quòd sit valida, propter aliquam ignorantiam iuris, vel facti, siue illa inuincibilis sit siue non, quælibet enim ad præsens sufficiet, quia quælibet impedit probationis cursum, & animum probandi, aliqua verò necessaria est; nam si professio solùm fieret exteriùs, vel fictè, intellecta eius nullitate, tam ex parte religiosi, quam ex parte religionis illa non impediret cursum probationis, etiamsi esset aliqua mutatio in habitu professorum, & in exercitiis religionis, quia hæc non sunt de substantia nouitiatus, dummodo sub eadem obedientia, & regula in habitu religionis perseueretur. Et ita in eo casu non est dubium, quin per duorum mensium perseuerantiam compleatur annus probationis, & consequenter statim iterari possit professio valida, vel tacita, vel expressa. 25. *Dubium sextum an requiratur integrum annũ probationis repetere.*

In priori autem casu tota ratio dubitandi est, quia per professionem factam sub illa existimatione statim interrumpitur annus probationis; quia iam ille religiosus existimatur professus, & non nouitius, & consequenter desinit probari; ergo quando postea intelligitur defectus tam ex parte eius, quàm ex parte religionis, incipit nouum probationis tempus; ergo non potest coniungi cum præcedenti ad complendum annum probationis; quia annus probationis debet esse continuus, vt suprà ostensum est; illa autem duo tempora sunt discreta; ergo oportebit semper nouum annum integrum in probatione existere. Potest exemplum afferri de præscriptione, quæ secundùm iura debet esse continua, & ideo quamprimum interrumpitur, oportet illã denuo inchoare, & per integrum tempus in ea perseuerare, non computato priori, quod interruptum fuit; sic ergo in præsenti, &c. In contrarium autem statim occurrit difficultas sæpius indicata, quia hæc obligatio est nimis ardua, & multis periculis exposita, ideoque imponenda non est sine iure, aut euidenti ratione, quorum neutrum videtur in præsenti reperiri, nam ius non ostenditur; ratio autem facta non videtur demonstrare, quia negari potest illam esse interruptionem sufficientem, cùm in eadem religione semper perseueretur. 26.

Vt respondeamus huic dubitationi, aduertendũ est duobus modis posse contingere aliquem profiteri sine anno probationis. Primò, quia prima receptio ad habitũ religionis fuit nulla, & consequenter probatio etiam iuridice nulla fuit, etiamsi fortasse per integrum annum duraret. Alio modo potest annus probationis integer deesse solùm ex defectu alicuius partis temporis; nam receptio valida fuit, & probatio per aliquot menses recte facta est, non tamen fuit completa. Qui modus rarò iam accidere potest post Concilium Tridentinum, ex iuris ignorantia; aliquando verò ex obligatione, seu mala temporis cõputatione, quomodocunque autem contingat, annullat professionem. Deinde distinguendæ sunt duæ quæstiones. Vna est an tempus illud, pro quo aliquis perseuerat in religione, existimans se esse vere professum, sit vtile ad complendum annum probationis. Alia est, esto illud sit inutile, nihilominus tempus, quod præcessit ante professionem nullam 27. *Duæ difficultates in hoc puncto distinguendæ.*

posse esse vtile, & coniungi cum alio tempore subsequenti, quod vtile etiam esse posset.

28. *Assertio prima.* Dico ergo primò, quoties receptio est nulla, totũ probationis tempus, quod in ea fundatur, & quod subsequitur post factam expressam professionem, durante existimatione quòd illa valida sit, est vtile, ita vt nunquam possit validè ad complendum annũ probationis computari; ideoque, vt talis professio ratificetur, siue tacita vel expressa, necessarium semper est, vt noua receptio valide fiat, & post illam integer probationis annus, ac tandem sequatur professio. Hæc assertio intelligenda est de defectu per se ac simpliciter annullante receptionem; nam si directe solùm annullet professionem, non procedit conclusio, quia tũc non annullatur receptio in se, & consequẽter nec nouitiatus, sed impeditur solùm, ne ad effectum professionis possit deseruire, donec dispensatio obtineatur, vel alio modo defectus tollatur, iuxta superiùs dicta lib. 5. & sic facile probatur assertio, quia si receptio nulla est, nullum habet iuris effectum, sed vnus ex effectib. receptionis est, vt sit quasi fundamẽtum probationis, sufficientis ad professionem; ergo. Item quia Concilium Tridentinum, dicit annum probationis computandum esse à susceptione habitus, sed vbi professio est nulla, habitus ét susceptio reuera nulla est, etiamsi materialiter & exteriùs esse apparet. Tandem, quia si sola corporalis receptio habitus sufficeret, non posset Pontifex annullare receptionem, quem enim effectum haberet talis irritatio, si illa non obstante probatio in ea fundata esset valida? Dices habere hunc effectum, quod persona sic nulliter recepta, nõ gaudet priuilegio fori, nec canonis, vt declarat Sixtus V. infrà citandus. Sed hoc potiùs cõfirmat quod diximus, nam hic effectus indicat, & supponit alium; si enim talis persona non gaudet illis priuilegiis, signũ est non esse personam Ecclesiasticam; ergo non est nouitius religionis; ergo vere non probatur in ordine ad professionem, sed est ille sicut esse posset quidam secularis. Ex hoc ergo fundamento apertè concluduntur omnes partes assertionis; nam quantocumque tempore ibi existat non iterata receptione non est nouitius; ergo illud tempus nunquam potest computari in annum probationis, neq; in partem eius. Vt autem fiat noua receptio, necessarium est, vt cognoscatur defectus præcedẽs, & auferatur, ac deinde accedat consensus eorum apud quos est recipiendi potestas, satis verò est, vt consentiant religiosum manere in eodem habitu, aut absque alia exteriori cæremonia, per quam appareat de nouo habitum induere.

29. Nec in hac assertione inuenio difficultatem alicuius momenti, quantum ad speculationem attinet, vt sic dicam. In praxi autem his temporibus maximè inuenta est ob proprium motum Sixti V. 73. p. t. inter motus eius, in quo irritat receptionem factam, non seruata forma ab ipso ibi præscripta, his verbis, *Si qui eorum contra præsentem nostram constitutionem tempore admittantur, tam susceptionem habitus, quàm professionem, & inde sequuta, ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus, & annullamus viribusque, & effectu carere decernimus; ac iubemus eos, qui sic de facto recepti erunt, habitu spoliari, & à religione expelli, & nihilominus si expulsi non fuerint, volumus, & pariter declaramus, habitus susceptionem, & professionem penitus nullam esse, & censeri, ac propterea ad illa nullitate habitus, & professionis licere quibuscunque iudicibus,* &c. Quæ verba adeò sunt rigorosa, vt nulla possit esse magis directa irritatio receptionis; atque ita stante nostra assertione sequitur aperte, omnes sic receptos etiamsi per decem annos in religione steterint, non posse iterum expresse, vel valide profiteri, nisi priùs iterum seruata forma recipiantur, & nouum peragãt probationis annum. Quod adeò difficile, viris etiam doctis, in praxi visum est, vt interdum ac sæpius consuluerint satis esse, si cognito defectu suppleantur diligentiæ priùs omissæ, & statim iteretur professio. Sed fortasse animaduersum non est, quo verborum pondere talis receptio irriteturin se, & quoad *inde sequuta ex nunc prout ex tunc, & viribus ac effectu carere, & penitus nulla*; quæ omnia emphasim habent. Quare non dubito, quin consequens illud admittẽdum sit, & difficultas hæc superanda ab eo, qui voluerit professionem illam vere ratam efficere. Vnde idem Sixtus V. in declaratione illius motus proprii, quæ est constitutio 22. eius in parte secũda tanquam speciale declarauit, seu denuo decreuit, vt qui ante prædictum motum proprium promulgatum, recepti erant ad habitum religionis, non præmissis diligentiis ibi perscriptis, possent profiteri absque noua receptione, dummodo prædictæ diligentiæ ante professionem fiant; ergo plane intellexit post promulgationem illius motus proprii non satis esse quòd illæ diligentiæ suppleantur ante professionem, sed semper debere antecedere receptionem, & tollere nouitiatum. Denique ibidem etiam declaratur nullam professionem tacitã induci posse, nisi in receptione ipsa constitutionis forma seruata fuerit. ergo quotiescunque omissa fuerit, iteranda est receptio: vnde quod Nauarrus aliquando in consiliis suis de regularibus significat, ad ratificandam professionem nullam, non esse necessariam nouam receptionem, vt consil. 28. ad quartam quæst. intelligendus est, in eis casibus, in quibus sola professio fuit nulla, non verò quando ipsa receptio directe, & in se irrita fuit, vt ex eodem aperte colligimus cons. 26. de Regular. n. 17. Hìc verò oriebatur difficultas, an in hoc casu habeat locum tempus quinquennii assignatum à Concilio Trident. quæ in sect. 3. melùs tractabitur.

30. *Assertio secunda.* Dico secundò, quando receptio in se fuit valida, professio verò nulla, quia ante sufficiens tempus probationis facta, totum illud tempus, quo perseuerat in religione, sub existimatione validæ professionis, non potest quidquam prodesse ad complendum annum probationis; vnde cognito postea defectu, non poterit statim ratificari professio, donec tempus ad integram probationem sufficiens pertranseat. *Probatur.* Probatur, quia pro toto illo tempore talis persona non est in probatione, iuxta dicta in superiori puncto; ergo totum illud tempus non est tempus nouitiatus; ergo non potest coniungi cum alio ad complendum annum probationis.

31. *Assertio tertia duas partes includit.* Dico tertiò, probabile est, non obstante huiusmodi professione nulla, pro aliquo tẽpore putata vera, posse probationis tempus, quod præcessit post validam receptionem computari, in anno probationis, ita vt post cognitam nullitatem professionis, non oporteat integrum annum expectare à professione ratificata, sed solum tempus illud supplere, quod defuerat, licet oppositum securius sit, & fortasse probabilius. Prior pars, quam absolute defendit Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 50. in hoc fundanda est, quòd illa non sit interruptio sufficiens continuitatis requisitæ ad annum probationis, quia ex nullo alio capite potest illud prius tempus inutile reputari. Assumptum probatur, quia illa interruptio videtur magis interna, quàm externa, vel legalis potiùs, quàm naturalis, vt ideo licet sufficiat ad suspendendam probationem pro illo tempore, non tamen ad discontinuandam illam, quod explicari potest accõmodato exemplo de præscriptione, quæ debet etiam fieri tempore continuo. l. 3. ff. de vsucap. & nihilominus si quis postquam cœpit rem possidere bona fide pro aliquo tempore dubitet, vel malam fidem concipiat, deinceps verò ad bonam fidẽ reuertatur, & possessionem semper continuet, quãuis illud tẽpus

*Primapars probatur.*

medium

mediusn sit inutile, ita vt non possit in tempore præscriptionis computari, nihilominus primum tempus coniungitur cum postremo ad præscriptionem continuandam, quæ propterea dicitur in eo medio tempore dormitasse, non verò interrupta fuisse, quia natutalis, seu externa possessio continuata fuit. Cur ergo non poterit quippiam simile in præsenti dici? maximè cùm iura, quæ continuationem temporis in anno professionis requirunt, non sint adeò expressa quin possint sufficienter de hoc modo continuationis explicari. Et confirmatur, quia aliàs, si aliquis integrum annum probationis perficeret, & tũc emitteret professionem nullam ob defectum ætatis, vel alium similem, non posset postea cùm primùm nosceet professionis nullitatem, professionem ratificare, completa ætate, sed indigeret nouo anno probationis. Probatur, quia nõ solùm est de ratione anni probationis, vt sit in se continuus, sed etiã cum ipsa professione, vt suprà ostendimus, & inlligendum est de professione valida, nam aliàs nõ est professio, sed apparet; in dicto autem casu tollitur hæc continuitas, quia per interpositam professionem nullam, non continuatur probatio cum professione vera, ergo necessarium erit nouam probationem facere, vel fillud tempus interpositum non sufficit in præsentiad moralem interruptionem, etiam non sufficiet quamuis inter partes veri anni probationis interponatur.

Nihilominus vltima pars assertionis sumitur ex Nauar. consil. 89. de regular. num. 5. vbi loquens de professione nulla, vel quia ante ætatem, vel quia ante finitum nouitiatum, vel quia ex metu facta est, inquit, ad ratificandam, & approbandam eam, necessarium esse, *persistere in religione integrum annum, à tempore, quo sciuit eam esse nullam, annum (inquam) continuum, & non interpolatum. scilicet, vt semper habeat intẽtionem illam ratificandi.* Vbi non solùm nouum annũ integrum, & continuum requirit, sed etiam significat hanc integritatem debere esse non solùm in actu externo, sed etiam in interno, tam quoad scientiam de nullitate prioris professionis, quàm quoad intentionem ratificandi professionem, scilicet, si post probationem non displicuerit. ita enim existimo illam intentionem esse intelligendam, quia ad verum annum probationis faciendum non oportet habere in eo intentionem absolutam profitendi, sed probandi ad profitendum si placuerit, & ad ratificandam professionem; non est etiam necesse habere illam intentionem absolutam in toto anno, sed solùm quando iterum fit professio, si expresse fiat, vel quando consummatur in fine anni, si fiat tacitè deferendo communem habitum professorum. Idem Nauarrus cons. 18. ad quartam quæstionem annum etiam integrum denuo requirit ad iterandam professionem, quem sequitur Graphis lib. 4. Decisionum c. 4. n. 24. Ratione etiam probatur hæc pars, quia reuera illa est moralis interruptio, quia vbi deest aliquid, quod est de substantia actus, interrumpitur actus, sed de substantia probationis est, vt tam ex parte religionis, quàm ex parte nouitii interueniat animus, seu intẽtio probandi, sed hæc conditio deest to illo tẽpore intermedio; ergo interrumpitur n tiatus. Vel explicatur aliter. Nam de ratione formali nouitii (vt sic dicam) est, vt sit in religione sub exi stimatione nouitiæ ex parte religionis, quã ex parte ipsiusmet nouitii; ergo toto illo tempore quo deest hæc existimatio, illic reueta non est nouitius; ergo per illud tẽpus interrumpitur annus nouitiatus. Dices hac ratione recte probari pro illo tempore non fieri nouitiatũ, non verò quòd id sufficiat ad tantam interruptionem, vt non possit præcedens pars nouitiatus, subsequenti moraliter continuari. Sed contrà, nam ratio illa probat deesse ibi continuationem veram & physicam (vt sic dicam,) illa autem continuatio, quę moralis appellatur, est potiùs ficta, quę à nobis introduci non potest sine authoritate legis, quam in præsenti non habemus.

Quocirca ad exemplum illud de præscriptione in primis dicimus incertum esse, quod assumitur, & contrarium fortasse esse probabilius, vt cum Panormitano in cap. *illud*, de præscription. num. 6. & communi censent Couarru. in regula *possessor* p. 2. §. 12. n. 1. & 2. & Molina tom. 1. de iustitia, tract. 2. disp. 78. Ex quibus authoribus colligitur ad interruptionem actus sufficere, quòd interrumpatur, vel desit aliquid pertinens ad substantiam actus, siue illud sit externum, vt est possessio, siue internum, vt est bona fides; & ita omnes illi authores fauent huic nostræ sententiæ. Secundò, licet in præscriptione illa sententia admitteretur, neganda esset illatio, quia præscriptio sicut iure humano introducta est, ita ex illo habere debet conditiones, vt incipiat, continuetur, vel interrumpatur, & fortasse ex prædicto iure, vt illa non tantùm suspendatur, sed etiam interrũpatur, necessaria est interruptio, non tantùm fidei, sed etiam possessionis, quod an sit verum non est nostrum nunc examinare; in præsenti autem nullum est ius tale cum proportione loquendo, imò neque habemus Canonicum ius, quo expresse declaratum sit, quid sit de substantia nouitiatus, sed naturali ratione id colligimus, supposita institutione religiosi status, solumque expresse statutum est, vt hic nouitiatus debeat esse per annum integrum, atque adeò continuum, & ideo nulla alia continuitas in eo habet locum, nisi quę ex natura rei in tali actu, vel quasi actu esse potest.

*33. Responsio ad exemplum de præscriptib.* *ne.*

Ad confirmationem, in rigore concedendum est consequens, si consequenter loquamur ad opinionem, quæ ibi supponitur. Et ita profectò sentit Nauarrus citato loco; nam generaliter quoties professio nulla iteranda est, etiamsi ex solo defectu ætatis fuerit nulla, requirit integrum annum post scientiam nullitatis, cùm tamen regulariter contingat, vt præcedat integer annus probationis, quoties nullitas professionis solùm prouenit ex metu, aut ex defectu ætatis. Verum est, minùs certum esse requiri continuitatem, seu immediationem inter nouitiatũ, & professionem, quàm inter partes nouitiatus inter se, & ita ex hac parte esse minùs certum illud consequens; nihilominus sicut illa sententia probabilior est quàm opposita; ita etiam illud consequens censeo esse probabilius; nam quòd sit tutius, & ideo eligendum multo certius est. Neque hoc existimari debet nimis onerosum; nam in primis quando prima receptio valida fuit; necessarium non est illam expresse iterare, vt Nauarrus & Graphis suprà adnotarunt. Dico autem expresse, quia tacitè semper ratificatur moraliter loquendo, quando cognito defectu, incipit nouus annus probationis inchoati. Deinde si nouitiatus prior reuera fuit integrè factus, vel aliàs religio sufficientem habet notitiam, & bonam existimationem de tali persona, non debet prælatus esse illi nimis onerosus, vel scrupulosè illum cogere ad omnia experimenta nouitiorum, sed potest benignius agere, & dissimulare, & interdum esse contentus communi vita aliorum religiosorum: maxime vbi dolus, & fraus, non interuenit, sed bona fides, quia illud sufficiet ad substantiam probationis, & ideo ex rigore iuris non est plus necessarium; ad dispensandum autem in rigore regulæ prædicta ratio videtur sufficiens. Imò addi potest ex Nauar. cons. 27 de regularibus in fine, quamuis professio nõ incipiat esse valida nisi in eo tempore quo facta est, nihilominus, si bona fides intercessit defer-

*34. Ad Confirmationẽ.*

*Notãdum ex quo cumque defectu professio sit nulla, semper integer annus probationis debet habere.*

*Notãdum.*

uit, vt talis religiosus, saltem post ratificatam professionem retineat locum antiquitatis, quem acquisiuit, quod prælati facile concedere possunt, estque rationi valde consentaneum.

35. *Dubium vltimum, an sufficiat professio tacita. Resolutio duplex.*

Vltimò interrogari hîc potest, an huiusmodi religiosus volens in religione manere, teneatur expressam professionem iterare, vel sufficiat tacita. Respondeo quantum spectat ad substantiam religionis, & consequenter ad obligationem absolutam, sufficere professionem tacitam, quia nullum est ius quod plus obliget. Quod certius est, quando defectus est occultus, & potest consensus ratificari, sine noua scientia religionis, vt de quibusdam casibus suprà dictum est. In aliis autem, vbi scientia, & nouus consensus religionis requiritur, quandocunque ipsa postulauerit professionem expressam, facienda est: si autem ipsa nihil exegerit; potest quispiam esse contentus professione tacita. Dixi autem, quantum spectat ad substantiam religionis, & absolutam obligationem, quia in ordine ad electionem

*Difficultas specialis in hac materia, an tacitè professus possit eligi in prælatum.*

passiuam, alia ratio, & dubitatio est, an scilicet is, qui priùs professionem expressam fecit nullam, & postea solùm tacite illam ratam habeat, possit in prælatum eligi, & ipse possit tuta conscientia munus illud acceptare; nam iuxta dicta videtur hoc minimè licere, quia illa electio nulla est, iuxta cap. *nullus*, de electione in 6. In contrarium autem est, quia sæpe erit difficillimũ professionem expressam iterare, maximè si defectus fuit, aut mere internus, quia nimirum ficte & sine intentione professus est, aut omnino occultus, quique per solum proprium consensum absque sui manifestatione, & absque scientia religionis mutato tempore, vel opportunitate, supleri possit, vt si defectus fuit ex metu occulto, vel ætas nondum erat completa, & postea ablato metu, vel cõpleta ætate, solus etiam, & occulte professionem ratam habuit. In his enim casibus difficile est, aut obligare hominem, vt se prodat, aut reuocare in dubium professionem propter defectum, quem probare non potest.

36. *Assertio prima.*

Propter hæc censeo distinctione vtendum, quando enim professio expressa ita fuit nulla, vt in foro Ecclesiastico de eius nullitate constet, vel constare possit, tunc qui illam tacitè solùm confirmauit, non poterit eligi in prælatum, & si eligatur, nulla erit electio, vnde non poterit ipse tuta conscientia illam acceptare. Hoc ad minimum probat dictum cap. *nullus*, de electione in 6. Nam in eo casu ille religiosus non est expresse professus, nec verè, & in re ipsa; nec etiam in foro Ecclesiæ, cùm in eo constet, aut saltem constare possit de tali nullitate; ergo nullo modo habet conditionem necessariam, iuxta illud ius ad valorem electionis. Item si post talem electionem factam ad iudicium contentiosum offeratur, & nullitas prioris professionis probetur, sine dubio electio declarabitur nulla, non obstante professione tacita postea subsequuta; ergo reuera à principio fuit nulla, iuxta prædictum textum, & glossam ibi, & omnes; ergo acceptari non potest talis electio tuta conscientia, &c.

37. *Assertio secunda.*

At verò quando defectus professionis est ita occultus, vt in foro Ecclesiæ non possit de illo cõstare, tunc videtur probabile, electionem non esse inualidam, propter rationem factam, & propter commune principium, quòd Ecclesia non iudicat de occultis, vnde cùm requirit professionem expressam, solùm videtur requirere eam conditionem, quatenus

*Instantia.*

de illa in suo Ecclesiastico foro constare potest. Dices, ergo quamuis illa exterior professio non esset ratificata, electio esset valida, quia in foro Ecclesiæ ille est expresse professus.

*Solutio.*

Respondetur negando consequentiam, quia ibi tunc deficeret tota substantia Religionis, & ita illa persona ex alio capite esset incapax, iuxta cap. *cùm ad nostram*, & cap. *officii*, de electione. Quando verò subsequitur professio tacita, iam ille est verè religiosus; conditio autem illa, scilicet, quòd professio sit expressa, videtur sufficienter participare ex præcedenti professione valida in foro Ecclesiæ. Est accommodatum exemplum de matrimonio exteriùs factum, iuxta formam Concilii Tridentini, quando contingit esse nullum ex defectu occultissimo, tunc enim ratificari postea potest ablato defectu, per consensum secretum, cui consensui censetur solemnitas præcedens moraliter coniũgi, quia in foro Ecclesiæ sufficienter adhibita est, vt est communis sententia; ita ergo in præsenti casu probabiliter censeri potest, quamuis res dubitatione non careat.

*Confirmatur exemplo matrimonii.*

## CAPVT II.

### *Vtrùm professio inualida habeat aliquos effectus.*

1. *Proponitur ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi esse potest, quia cessante causa cessat effectus, sed eo ipso, quòd professio inualida est, tollitur causa; ergo & omnes effectus, qui ex professione oriri possunt; ergo professio inualida nullum habebit effectum. Et confirmatur, quia matrimonium inualidum nullum inducit effectum, & idem est de aliis contractibus; ergo idem etiam de professione inualida dicendum, est. In contrarium autem est, quia iure interdum dicitur professio inualida obligare ad religionem in genere, licet non obliget ad talem religionem in specie. cap. *non solùm*, & cap. *constitutionem*, de regularib. in 6. Et ad hoc confirmandum expendo verba Concilii Tridentin. sess. 25. cap. 15. de regularib. *professio autem antea facta sit nulla; nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus*; vbi non sine causa post irritationem professionis quoad nullitatem, additur irritatio quoad omnes alios effectus; supponitur ergo professionẽ nullam solere habere aliquos effectus. Cuius rei optimum exemplum est in cap. *placet*, de conuersione coniugatorum, vbi professio vnius coniugis facta sine licentia alterius irrita esse censetur, deo enim non tenetur, qui sic professus est, etiam mortuo alio coniuge ad religionem redire; & nihilominus dicitur ibidem esse obligatus ad castitatem seruandam quantum in ipso est, hoc est, non petendo; habuit ergo hunc effectum professio nulla.

1. *Notatio primo, duobus modis professio potest esse nulla.*

Aduertendum est duobus modis professionem posse esse nullam. Primò ex natura rei, vt quia facta est sine intentione se obligandi, seu vouendi, vel per statutum Ecclesiæ, vt propter varias conditiones suprà tractatas. Inter quos duos modos quantum ad rem præsentem pertinet: hanc obseruo differentiam, quòd professio, quæ est priori modo nulla, est simpliciter, & omnino nulla, per se loquendo, quia deest illi causa aliqua simpliciter necessaria ad suam subsistentiam, & ideo per se omnino nulla est. Dico autem *per se*, quia si vouens ex particulari intentione, velit nihilominus aliquod votum validum efficere, poterit quidem id consequi; tamen illud votum non erit validum, tanquam aliquid professionis, sed vt aliud simplex votum per se emissum. Quando verò Ecclesia irritat professionem, aliquando potest professio esse omnino nulla, vt in dicto casu Concilii Tridentini; aliquando verò non quoad omnia, sed solùm, quoad aliqua, vt in casibus aliorum textuum, & præsertim in professione, quæ non obligat quidem religiosum ad talem religionem in specie, & nihilominus verum religiosum constituit, vt dictum est de aliqua professione tacita.

Dein-

Deinde distinguere possumus inter effectus, nam quidam intelligi possunt oriri ex professione inualida solùm in foro Ecclesiæ, vel in ordine ad illam: vt, v.g. quia iustè potest cogi sic professus ad permanendum in religione, vel quippiam simile, vel possunt hi effectus esse etiam in foro conscientiæ, vt si non obstante nullitate teneatur quis, vel professionem ratificare, vel aliam religionem ingredi, vel saltem castitatem seruare. In quo etiam oportebit consequenter considerare an talis professio bona fide facta sit, vel cum dolo, & fictione. Item, an professio ita sit nulla, vt de eius nullitate possit Ecclesiæ constare, vel an sit omnino occulta. Denique cum effectus hic maxime esse possit obligatio aliqua, in hac etiã considerare oportet, aliquando esse per se, vt est illa, quæ directe, & quasi proprio iure sequitur ex tali actione; aliquando verò per accidens, vt est illa, quæ est propter vitandum scandalum, vel alia incommoda, vel si fortasse aliquis sequatur ob ignorantiam.

Dico ergo primò, quando professio bona fide, & sine culpa facta, est simpliciter, & absolute nulla, siue ex natura rei, siue ex ordinatione, & institutione Ecclesiæ, per se loquendo nullum habet effectum; per accidens autem potest aliquem habere, magis in externo foro quam in foro animæ. Probatur prior pars, quia talis effectus sequi non potest ex professione, quatenus professio est, quia supponitur simpliciter, & absolutè nulla; & ex eo quod nullum est, quatenus tale est, nihil sequitur. Neque etiam sequi potest aliquis effectus ex illa actione, quatenus iniuriosa religioni, vel sub alia simili ratione, quia supponimus bona fide factam esse, & consequenter sine culpa; ergo etiam sine iniuria; imò licet contingeret, nocumentum aliquod factum esse religioni, non posset ex illo talis obligatio oriri, vel quia actio non fuit iniusta ex parte operantis, & ideo ex illa nõ potest sequi obligatio, vel etiam, quia nemo obligatur ad resarciendum nocumentum cum tanto rigore, & per medium adeò difficile, & arduum. Vnde licet fingeremus ratione alicuius rei acceptę, quamuis sine culpa, ortam esse in tali persona obligationem satisfaciendi religioni, deberet aliis modis satisfactionem illam implere si posset, quòd si non posset, excusaretur, nec propterea teneretur professionem iterare. Atque hæc ratio procedit maxime quando professio est nulla ex natura rei, quia tunc est nulla quãrum esse potest, vt sic dicã, quia natura operatur quantum esse potest: si autem lex naturalis annullat illum actum, quantum potest illum irritat; reddit ergo eum inutilem ad omnem effectum. Item, quia si illa professio ex natura sua nulla est, omnis etiam traditio, & promissio, quæ in illa includitur, est nulla; quem igitur effectum habere potest per se loquẽdo? Idem autem est, quando hæc nullitas est ex iure Canonico, quia si simpliciter, & absolutè irritat, perinde annullat actum, ac si natura sua esset nullus, vt patet in professione nulla ex metu cadente in constantem virum; nam licet sit controuersia, an ex iure humano, vel naturali sit nulla, nihilominus tam nulla censetur vno modo, sicut alio, quia ius in hoc nullam adhibuit restrictionem, sed quantum potuit irritauit, & quamuis sit positiuum, imitatum in hoc est ipsum ius naturale.

Dices, aliquando in iure actus est nullus, & nihilominus aliquem habet effectum, variis exemplis ostendit glossa in regula *non præstat*, de Regular. in 6. Ergo hanc causam non est idem in iure actum esse inutilem, & haberi pro non infecto, vt colligitur ex leg. *non dubium*, Cod. de leg. & ex Bartolo ibi. num. 15. tunc enim dicitur haberi pro non infecto, quando omnino nullus est, nullumque effectum sortiri potest; inutilis verò dicitur, quando inualidus quidem est, quantum ad proprios, & per se effectus, licet fortasse aliquem habere possit; ergo quamuis professio sit nulla iure humano, non sequitur nullum habere effectum. Respondeo in primis dupliciter irritari actum à iure humano, primò solùm quoad ipsum humanum ius id est, quoad obligationem, & actionem, quæ in ipso humano iure datur, non verò quoad naturalem valorem & efficaciam ipsius actus in se. Exemplum videri potest, in leg. *stipulatio*. §. *alteri*. cum glossa ver. *nihil interest*. ff. de verborum obligat. & multi existimant hoc tantummodo irritari per leges testamentum minus solenne, & huiusmodi actus sic irritus potest sine dubio habere aliquos effectus, tamen hæc irritatio est tantùm secundùm quid attenta rei natura, licet aliquando in iure ciuili simpliciter dicatur inualidus. Secundò ergo irritatur actus simpliciter, & in se, id est, quoad naturalem vim, & efficaciam, quam alias habere posset, & talis est irritatio professionis, de qua agimus, quæ sola est proprie, & absolute irritatio. Quando autem ius hoc modo irritat actum absolute, & sine limitatione, tunc plane nullum producit effectum, per se loquendo, & quoad hoc perinde est, siue dicatur irritus, siue inualidus, siue inutilis, siue habendus prout non factus. Hoc tamen intelligendum est, nisi ipsummet ius aliquem effectum tribuat tali actui, nam per hoc ipsum illi limitat irritationem, ac proinde iam non erit irritatio simpliciter; & ideo semper verum manet, actum simpliciter irritum per ius nullum habere per se effectum. Verè etiam dici potest, actum irritum nullum habere effectum, nisi ille sit in iure expressus. In præsenti ergo illam professionem vocamus simpliciter irritam per ius Canonicum, quæ alicubi absolutis verbis irritatur, & nullibi in ipso iure ei conceditur aliquis effectus, tunc enim non est vnde vllum effectum habere possit; quia neque ex voluntate profitentis, cùm illa non potuerit producere effectum à se intentum, & non intentum per se non efficiat, nec ẽt virtute legis positiuæ, quia supponimus nullam esse, quæ talẽ producat effectũ.

*Responsio.*

*Actus à iure humano dupliciter irritari potest.*

Deinde (deueniendo ad posteriorem partem assertionis) dicimus ex tali professione oriri posse plures effectus per accidens, & ita non omnino esse inutilẽ, etiamsi in re facta non sit. Primò quidem ratione ignorantiæ, nam quãdiu existimatur valida, perinde obligat, ac si esset vera, ratione conscientiæ erroneæ, quod commune est aliis actibus. Hinc verò nascitur alius effectus magni momenti: nam si illa ignorantia sit publica, & communi existimatione ille iudicetur professus, omnes actus professorũ proprii, qui à tali persona fiunt, validi sunt, quamuis alioqui ad suum valorem professionem supponant, qa ratione publicæ vtilitatis ille defectus suppletur ipso iure, eo quòd secundùm publicam existimationem tales actus facti sunt, iuxta leg. *Barbarius*. ff. de offic. prætor. Alius item effectus oriri potest ex hac publica ignoratione, nimirum vt aliquis in exteriori foro iustè obligetur ad permanendum in religione, & consequenter ad obediendum, & obseruandam regulam, &c. Probatur, quia licet ipsi personæ constet de nullitate professionis, si in foro exteriori illã probare non potest iuste, non adhibetur ei fides in Ecclesiastico foro, in quo iustum iudicium seruatur secundùm allegata, & probata; ergo iustè ille cogetur permanere in religione. Vnde etiam fit, vt ipse etiam teneatur aliquo modo parere huic sententiæ, & iudicio publico.

Difficultas verò est, ad quid extendatur tunc obligatio talis personæ, in qua supponere oportet, ipsã esse omnino certã de nullitate professionis; nã quacunque ratione dubius sit, tenetur parere sententiæ, imò

6. *Difficultas ad quid teneatur professus.*

imò licet non intercedat sententia, non poterit in casu dubio se eximere sua authoritate, nec priuare religionem iure acquisito, cùm ipsa actu possideat; vt rectè notant Nauarr. lib.3. cons. tit. de Regular. consil.13. num.10. Sanchez lib.7.de matr. disp.37. num.12.& lib.2.disp.41.num.32.& Less.lib.2.cap.41. dub 7.num.66. Vnde in eo casu potiùs videtur obliganda talis persona ad ratificandam professionem, vt possit conuenienter obligationem implere suam, & actus proprios illius status, quem necessariò retinere debet, conuenienti modo exercere. Quando autem coram Deo aliquis est certus, de nullitate professionis, quam bona fide à principio fecit, non tenetur, vt existimo, illam ratificare, quantumuis per sententiam publicam cogatur in religione manere. Hæc est communis doctorum sententia, quam in terminis tradit Nauar. comment.4.de Regul. num. penult.& lib.3. consil.tit. de Regul. cons.89. num.6. & 7. Sà verbo *Religio* num.7. Less lib.2. cap.41. dub. 7.num.65. Hent.libr.11 de matrim.in comm.& ca.8. num.9.in comment.l t.5.Sanchez lib.7. de matrim. disp.37.num.11.& 37 Probatur, quia illa sententia, solùm est ex præsumptione exteriori; ergo ad summum potest obligare ad externos actus, non verò ad internos, qui solùm sunt sub consilio, neque ad ratificandos externos, quatenus ex illis pendent. Item, quia Ecclesia non præcipit huiusmodi personam, vt voueat, sed vt seruet quod vouit; ergo si reuera non vouit, non tenetur denuo vouere; ergo nec ratificare professionem. Vnde fit quamuis talis persona teneatur ad obseruantiam, & obedientiam exteriorem, coram Deo tamen non obligatur ad substantiam votorum; itaque si contra castitatem peccet, secluso ordine sacro, vel alio voto simplici, non erit sacrilegus ex vi talis professionis; item licet aliquid vsurpet tanquam proprium, non peccabit contra paupertatem, licet possit peccare contra iustitiam vsurpando, vel dissipando bona religionis; quomodo etiam non peccabit, si ab aliquo externo aliquid accipiat, & de illo tanquam de re propria disponat. Similiter licet in virtute obedientiæ aliquid ei iniungatur, non peccabit contra religionem non obediendo, etiamsi possit per scandalum, vel alio modo peccare. Denique eadem ratione non tenetur per se ad regulæ obseruationem, quia omnis hæc obligatio ex vera professione, & veris votis nascitur; & ideo si secretò, & sine scandalo illam transgrediatur, non peccabit. Vnde tandem consequenter fit in rigore non teneri ad permanendum in religione, sed posse illam relinquere, si valeat facere, sine vi, aut alia iniuria, & sine scandalo, & in his omnibus conueniunt auctores suprà citati. Probatur, quia nullo iure naturali impeditur, cùm reuera nullum habeat vinculum voluntariè susceptum, quod illum obliget; exterior autem sententia, cùm in præsumptione tantùm fundata sit, non potest tam grauem obligationem imponere. Solùm ergo obligabitur talis persona, vel ad parendum exteriùs illi sententiæ, quatenus iusta est, non resistendo per vim, & coactionem, vel ad non deserendam religionem, vel quidpiam aliud faciendum, cum scandalo, quæ obligatio est effectus per accidens respectu prioris professionis.

7. Quamuis autem hæc in rigore vera sint, nihilominus consulendum esset tali personæ in eo articulo necessitatis positæ, vt priorem professionem ratã haberet; quia moraliter loquendo difficillimum est, permanendo in eo statu apparenter, & non verè, & cum obligatione quoad externum forum Ecclesiæ, ita se gerendi, ac si verè statum illum professus esset. Probabile etiam existimo, si religiosus ipse dubitationem moueat, circa valorem professionis, cùm in externo foro nihil probare possit, iuste posse à religione obligari, & cogi ad professionem iterandã; & tunc ipsum debere non fictè, sed vere, & ex animo illam iterare. Ratio prioris partis est, quia cùm religio habeat ius retinendi talem personam, & cogendi illam, si necesse sit, vt seruet promissa, consequenter habet ius ad omnia necessaria, vt talis persona debito modo statum illum profiteatur; ad hoc autem moraliter necessarium est, vt occludatur omnis via mouendi similem dubitationem; ergo habet religio ius vtendi medio ad hoc necessario. Huiusmodi autem est ratificatio professionis, vt non possit amplius talem dubitationem mouere, aut scrupulum allegare. Ratio autem alterius partis est, tum quia omnis fictio in re tam graui est intrinsece mala, & perniciosa; tum etiam, quia alias nullius momenti esset illa iterata professio ad finem, quem religio per illud medium iuste intendit. Nec mirum videri debet quòd aliquis non religiosus coram Deo, nec proprio voto obligatus ad religionem, per alicuius præceptum obligari possit ad professionem emittendam, quia licet per se loquendo, nullus possit ita obligari, per accidẽs autẽ interueniente ignorantia, & ad maiora vitanda incommoda, & propter commune bonum religionis obligari potest; præsertim, quia hæc obligatio non imponitur sine aliqua præuia actione voluntaria, qualis fuit prior professio; quæ cùm supponatur facta bona fide & sine culpa, necessariò debuit fieri cum intentione profitendi. Quamuis autem illa intentio propter defectum occulti fuit inefficax ad valorem professionis, & consequenter ad obligãdum absolute, & simpliciter, nihilominus est sufficiens, vt ratione illius, debeat homo sustinere incommoda, vel obligationes, quæ per accidens sequuntur, quia licet absque culpa sequantur, non tamen sine causa.

Dices, ergo licet à religione non cogatur professionem ratam habere, ipse per se tenebitur id facere. Respondetur absolute negando consequentiam, quia satis est, quòd ad hoc medium præcise obligetur, quando ab eo exigitur, qui ius habet illud procurãdi; imò tunc etiam res est satis dubia, an tale præceptum obliget, cùm sit in præsumptione fundatum, licet nobis probabilius videatur obligare, quia est moraliter necessarium ad commune bonum. Secluso autem illo præcepto ipsa priuata persona potest sibi consulere, si commode valeat; si autem in aliquo casu non possit sine scandalo, & periculo religionem dimittere, obligari poterit ad securitatem conscientiæ suæ professionem ratam habere; quod in particulari prudentis viri arbitrio iudicandum est. Et hoc iudicauit Nauarrus comment.4. de Regular.n 74.§. *Aduertendum quarto.* 8.

Secundò dicendum est quamuis professio fuerit nulla ex defectu consensus propter fictionem, & culpam profitentis, nihilominus per se non obligat ad statum religiosum, vel ad seruanda vota; peraccidens autem multo magis obligari poterit Priorat. sertionis pars est communis, quam tenet Cajet. 2. quæst.88.artic.1.Soto 7.de iust.quæst.1.art.2.Valent. 22.disput.6.quæst.6.punct.1.Azor lib.12.cap.5.qu.1. & Sanchez lib.7. de matrim. disput.37. numer.37. Hæc pars suppositis, quæ dicta sunt in præcedenti capite, in hoc fundatur; quòd hic casus solùm differt à præcedenti in mala fide, ac dolo, hæc autem non sufficiunt per se obligare ad professionem integrè emittendam, ergo cùm ex alio capite non notatur, vt ostensum est, ex nullo capite talis professio nulla per se inducit hanc obligationem. Minor patet, quia ex mala fide, aut dolo, solùm potest sequi, vel obligatio ad pœnam, vel ad aliquam restitutionem, propter iniuriam, vel nocumentum illatum, neutro 9. *Assertio* *casu dubio potest ergi ad vere, & ex animo iterandam professionẽ.* *Resolutio specialis, in* *casu dubio potest ergi ad vere, & ex animo iterandam professionẽ.* *ex defectu consensus.*

neutro autem modo sequi potest obligatio ad professionem, nam quod ad pœnam attinet, neque aliquis ad illam obligatur, priusquam condemnaretur, præcipuè quando non est ipso iure imposita, nec ratificatio professionis potest in pœnam imponi. Quin potiùs si in iudicio Ecclesiastico constet de talis fraude, & de nullitate professionis, persona quidem aliàs punietur, libere tamen relinquetur à iugo religionis. Quod verò spectat ad restitutionem, regulariter non potest esse tanti momenti in hoc negotio, quin possit alia via fieri, quia per se nullum grauc nocumentum inde sequitur religioni, vnde ad summum tenebitur restituere alimenta, vel alias expensas, quæ ob eam causam à religione factæ sint, nisi eius obsequia æquiualerent, vt ait Nauarrus suprà. Hæc autem restitutio aliter fieri poterit, vel si forte non possit, non est tanti momenti vt propter eam cogendus sit aliquis religionem profiteri. Altera pars assertionis per se satis clara est, suppositis quæ dicta sunt in præcedenti assertione; omnes enim effectus, quos ibi diximus posse per accidens sequi, habent hìc eandem rationem; quam sine dubio auget propria culpa, & mala fides; nam tunc magis voluntarie homo se exposuit omnibus incommodis, & periculis, quæ ex tali ficta professione sequi possunt, & ideo si in foro Ecclesiæ non possit nullitatem probare, meritò cogi potest ad professionem ratam habendam, & ad omnia alia, quæ diximus. Accedit præterea, quòd in hoc casu, quoad multa alia non habet locum excusatio ignorantiæ ex parte talis personæ, & ideo non potuit tuta conscientia ibi dici permauere, nisi professionem ratificando, multoque minus potuit actus professorum exercere, ideoque in multo maiori periculo versatur, & ideo frequentiùs obligatur ad professionem iterandam, si non possit religionem dimittere, vel non sine scandalo. Hæc enim ratio scandali, etiam in hoc casu maiori ratione obligat, quia propria culpa ille occasionem dedit, & facile potuit ac debuit præuidere.

Dico tertiò, quando professio est nulla tantùm ex iure Ecclesiastico, per se habere potest effectus aliquos, si in iure expressi sint. Omitto effectus per accidens, nam quoad hos eadem est ratio in hoc casu, & in præcedentibus, si in cæteris proportio seruetur, id est, quòd effectus sit occultus, & ignorantia interueniat, vel scandalum. Deinde vt certum suppono ex dictis in prima assertione, talem professionem non habere per se aliquem effectum, quin iure non sit expressus, quia cùm irritetur à iure, quoad omnia irritatur, si in ipso iure nihil excipiatur, vt ostendi; quòd si aliquid excipiatur, illamet exceptio firmat regulam, vt quoad omnia alia irritate intelligatur. Sic autem explicata conclusione habet etiam claram rationem ex supradictis, quia sicut potest Ecclesia professionẽ in toto irritare, ita potest quoad aliquid irritare, & quoad aliquid illam acceptare; ergo talis professio per se habebit effectum, ad quem acceptatur, quamuis quoad alios sit nulla; ad illum autem effectum acceptatur, qui in iure exprimitur, & ideo talem effectum per se inducit. Si autem res attentè consideretur, talis effectus non est ab illa professione, vt inualida est, sed vt ex parte est valida. Et ita cessant rationes dubitandi in principio positæ priori loco.

Posteriori autem loco afferuntur iura, propter quæ vltima conclusio posita est; nam ex illis sumuntur exempla, in quibus locum habet, quæ ad tria capita reducuntur. Primum est de emittente tacitam professionem, per susceptionem habitus proprii professorum intra annum nouitiatus; nam illa professio valida est, quantum ad substantiam status religiosi, licet non teneat quoad obligationẽ ad certam religionem, iuxta caput *constitutionem*, de Regularib. in 6. de quo casu sufficienter in superioribus dictum est. Secundum exemplum est de professione emissa in religione mendicantium ante expletum annum probationis; nam illa non tenet quoad vinculum talis religionis, licet antiquum ius obligaret ad religiosum statũ, iuxta ca. *non solùm*, & cap. *constitutionem*, de Regular. in 6. De quo casu difficultas est inter authores qualis esset illa obligatio ingrediendi religionem, quam illa professio relinquebat, an scilicet esset sola obligatio voti simplicis ingrediendi religionem, vel esset vetus status religiosus cum sola obligatione generali, vt in præcedenti casu; hoc enim posteriori modo intellexit hunc effectum Bartolus in leg. *quòd seruus* ff. de stipulat. seruo. Quod etiam tenet Gemin. dict. cap. *non solùm*. Priorem verò sensum sequutus est Calderinus consil. 26. de Regul. quem sequitur Angelus verb. *professio*, num. 1. circa finem, & Lapus allegatione 46. Nauarrus comment. 3. de Regularib. num. 44. Quæ opiniones possent cum probabilitate disputari, habent enim in textu fundamentum. Quatenus enim ibi æquiparatur sic professus cum eo, qui habitum suscepit, ostendendo voluisse vitam mutare, & de vtroque dicitur obligari ad religionem in genere, colligi potest, hanc obligationem tantùm esse voti simplicis, quia in eo qui solùm dedit signa mutandi vitam absque professione tacita, vel expressa, non manet maior obligatio, vt suprà visum est. Quatenus verò in eo textu non aliter annullatur illa professio, quàm per hæc verba, *Decernimus eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro esse ordini alligatum*; videtur efficaciter inde probari opinio Bartoli, quia per ea verba præcisè irritatur illa professio quoad obligationem ad illum ordinem in quo fit; ergo quoad reliqua omnia manet valida, iuxta antiquum ius. In hac verò controuersia non immoror, quia hic casus, sicut & præcedens, iam hodie per Concilium Tridentinum ita est in eo inualida professio, vt nullum omnino effectum habeat sess. 25. cap. 15. de Regularib.

12. *Ad quid teneatur coniugatus profitens sine licentia coniugis.*

Tertium exemplum, & non facile sumitur ex dicto cap. *placet*. de conuers. coniugat. scilicet, de coniugato, qui absque licentia coniugis professus est religionem, tunc enim professio est nulla, & non relinquit obligationem ingrediendi religionem, nihilominus tamen habet effectum obligationis simplicis voti ad castitatem seruandam, vt etiam decernitur in cap. *quidam*, eodem tit. cuius ratio alia reddi non potest, nisi quia professio illa non est irrita iure naturæ, sed ex statuto Ecclesiæ, & ideo potuit Ecclesia irritare professionem quoad traditionem, & solennitatẽ eius, non tamen quoad simplicis votum castitatis; nam qui profitetur formale votum castitatis, emittit cum intentione se obligandi, & simul se tradit religioni; potest ergo Ecclesia irritare, seu non acceptare traditionem, & votum castitatis, quatenus Deo fit, integrum relinquere, vnde fit etiam, vt maneat simplex, quia Ecclesia irritando traditionem, abstulit solemnitatem. Adhuc tamen obiici potest, nam qui castitatem vouit profitendo, non intendit simpliciter se obligare ad castitatem, sed solùm intra religionem, quia in eo statu fortasse poterit illam seruare, & non extra illum; ergo si eius oblatio non acceptatur, quoad statum religiosum, non debet indicari obligatus ad seruandam castitatem. Item aliàs etiam maneret ligatus simplici voto puerilitatis, & obedientiæ, quod est durissimum. Sequela autem videtur teneri à paritate rationis. Respondetur primò ex Panormitano ibi professionem illam valuisse, vt potuit, licet non valuerit, sicut agebatur argumento

mento cap.1.§.*idem*,de desponsat.impub.in 6.potuit autem valere,vt votum,& hanc intentionem censetur profitens habuisse, scilicet, vt actus suus valeat quantum potest, si non potuerit valere quantum vult,& ideo censetur habere sufficientem intentionem se obligandi ad castitatem.

13. Quam interpretationem non censeo esse admittendam in aliis duobus votis paupertatis, & obedientiæ,tum quia ius nihil tale de illis explicauit, & non oportet extendere præsumptionem rigorosam: tum etiam, quia non habet locum in eis eadem ratio, quia illa vota rarò fieri solent extra statum religiosum, & specialiter videntur aliquo modo repugnare cum statu matrimonij,&obligationib.eius,& ideo sic profitens non præsumitur voluisse se ad talia vota obligare,professione nulla existente.

14. Addo verò secundò hoc procedere secundùm iuris interpretationem; nihilominus tamen ad iudicandam obligationem in conscientia expendẽdam esse intentionem vouentis. Itaque ius duo declarat; vnum est se non irritare tale votum,& quoad hoc est certum &infallibile,quia est in potestate ipsius iuris; aliud est, iuxta interpretationem suam,illum qui sic profitetur habere sufficientem voluntatem se obligandi, quia promisit, quod in eius potestate erat. Hæc autem interpretatio est ex sola præsumptione, cui standum est quoties profitens non fuerit certus, habuisse se contrariam intentionem. Si autem constiterit se non voluisse vouere castitatem, nisi, vt annexam religioni, neque aliter se ad illam obligare, quàm si in eo statu valide admitteretur, tunc reuera non erit obligatus ad seruandam castitatem, & poterit licitè petere debitum viuente vxore. Ratio est, quia vera obligatio voti castitatis non fundatur in præsumptione, nec contrahitur nisi iuxta intentionem vouentis. Declaratur hoc exemplo, iuxta probabilem opinionem paulo ante insinuatam, quòd mittens professionem in ordine mendicantium intra annum nouitiatus, non est vere religiosus etiam iure antiquo; manet tamen obligatus voto simplici, ad aliquam aliam religionem,vt iura statuunt. Nam hoc non obstante Angelus verbo *Profes.*10,&Sylvest. verbo *Religio* 3.quæst.5. distinguendum putant quoad obligationem in conscientia; nam si ille habuit intentionem omnino determinatam obligandi se huic religioni,cum respectu illius,& non acceptetur obligatio,non tenebitur in cõscientia ingredi aliam; at verò si habuit intentionem indefinitam obligandi se religioni prout potuerit, tunc tenebitur ingredi vnam ex aliis. Sentiunt ergo non obstante interpretatione iuris fundata in præsumptione, adhuc esse integrum examinare intentionem vouentis, & iuxta illã, de obligatione in conscientia iudicare; sic ergo nos in præsenti casu dicendum existimamus. Et præterea addimus, in ordine ad contrahendum nouum matrimonium mortuo coniuge, hoc censeri impedimentum,non quidem dirimens,sed impediens,ne licite fiat,vt cõstat ex dictis iuribus. Est autem probabile hoc impedimentum, quatenus est ex Ecclesiastico præcepto,obligare, etiamsi in reipsa, & in conscientia ibi non interuenerit simplex votum castitatis,quia satis est, quòd in foro Ecclesiæ, & iuris interpretatione tale iudicetur, vt illud præceptum obliget,sicut sententia iusta secundùm allegata,& probata obligat in cõscientia,licet in re ipsa veritate nõ nitatur. Verùm hoc etiam cum debita moderatione accipiendum censeo, videlicet,vt cùm eadem proportione hoc procedat, videlicet si votum reuera intercessit, quia cum illa intentione factũ est, quam ius præsumit.tunc simpliciter in foro externo, & interno impedire; quando verò reuera in conscientia factum non fuit votum,quia de hoc Ecclesiæ constare non potest,obligare in conscientia ad abstinendum à matrimonio, vbicunque, sine scandalo, & offensione Ecclesiæ contrahi non posset; non obligare autem vbi res fuerit adeò occulta,vt sine periculo talis offensionis, matrimonium contrahi possit. Quia cùm in re ipsa fundamentum impedimenti non existat,non potest maiorem obligationem in conscientia inducere; quia nulla sententia,vel censura iusta,ex sola præsumptione,seu exteriori probatione ampliùs obligat,vt in tomo de censuris latiùs tractauimus.

Obiici verò potest contra dicta in hoc puncto, 15.
quia sequitur, etiam secluso iure positiuo, posse ex sola intentione operantis professionem esse nullam, & nihilominus habere hunc effectum obligandi ad castitatem. Patet sequela, nam si quis profiteatur absque intentione profitendi,vel se tradendi monasterio,aut se obligandi ad obedientiam, vel paupertatem,cum intentione autem vere vouendi castitatem,tunc professio erit nulla,vtpote facta sine sufficienti intentione,& nihilominus contrahetur obligatio seruandi castitatem; nam quoad hoc eadem est ratio de illo casu, quæ de alio proximè tractato ex iure positiuo, quia in illo obligatio ad castitatem non oritur per se ex positiuo iure; sed solùm per accidens, vt sic dicam, tanquam à non impediente, vel non irritante votum; per se autem oritur ex intentione promittentis; sed in præsenti casu supponitur habere similem intentionem; ergo. Consequens autem videtur in primis contra superiùs dicta:nam diximus professionem nullam ex natura rei esse ita nullam absolutè, & simpliciter, vt nullum moralem effectum pròducat; illa autem professio ex natura rei nulla est,cùm sit ex defectu intentionis. Deinde videtur etiam illud consequens falsum,quia illæ duæ intentiones apparent repugnantes, & ideo neutra potest sortiri effectũ; sicut è contrario,si quis profiteretur cum intentione profitendi, & nõ se obligandi ad castitatem,nihil faceret,neque obligationem vllam contraheret.

Respondeo ad obiectionem concedendo sequelam, quam sufficienter probat ratio facta, & magis confirmabitur respondendo ad rationem in contrarium. Nam repugnantia cũ superiùs dictis nulla est, agebamus enim de professione secundùm ea, quæ per se ad illa requiruntur; nam ea quæ concomitãter adiungi possunt,sunt per accidens,& non cadũt sub scientiam;ita verò est in prædicto casu, nam professione existente nulla ex defectu intentionis,illi adiũgitur intentio separatim(vt sic dicam)vouendi castitatẽ,quæ est merè concomitantia accidentaria; sicut quis ét posset profiteri sine intentione profitendi, & cum intentione se obligandi ex voto ad peregrinationẽ,vel eleemosynam, quæ obligatio maneret quidẽ post illam professionem,non tamen proprie ex illa: ita enim fere est in prædicto casu,solùm intercedit materialis quædam differentia: nam ibi promissio eleemosynæ est omnino distincta; hîc autem promissio castitatis est veluti quæ iam pars professionis, quæ vt sic valida non esset ex vi talis professionis, ex alia verò intentione concomitante accipit valorem, quia ex vi illius quasi separatim fit per modum cuiusdam totius.Et quamuis in superiori casu explicato ex iure canonico idem quodammodo intercedere videatur,est tamen diuersitas, nam in illo non deest intentio profitendi, & ex vi illius censetur esse validum castitatis votum, etiamsi professio alio ex capite nulla sit; tamen attente rem considerando, necesse est intentionem illam æquiualere duplici intentioni,scilicet emittendi votum validum castitatis, siue vt partem professionis, siue per se,ac separatim, vt ex superioribus constat, quæ intentio 16.

reuera

reuera non est simpliciter necessaria ad profitendũ, & ideo dici potest aliquo modo concomitans, tamen ex præsumptione iuris talis esse declaratur.

17. Ad aliam vero rationem respondetur, illas duas intentiones non esse repugnantes, quod est per se manifestum, quia obiecta sunt diuersa, & non inuolunt contrarietatem, vel contradictionem, scilicet ficte, & non vere profiteri; vere autem, & non tantum ficte castitatem vouere; nihil ergo obstat simul nolle profiteri, & vere promittere castitatem. Item non repugnat nolle castitatem vt partem professionis, velle autem illam solitarie, & vt quoddam totũ. Non est autem simile, quod obiiciebatur, si quis intendat profiteri, & non vouere castitatem, nam in his intentionibus est repugnantia, quia est intendere totum sine parte essentiali, & ideo illa intẽtio est inefficax tanquam de re impossibili. Quod sic amplius declaratur, distinguendo in promissione traditionẽ à tribus votis. Posset ergo quis in eo casu intendere verè, & ex animo se tradere, non tamen adiungere traditioni promissionem castitatis, vel etiam alias; aut potest velle ex vna parte facere veram traditionẽ cum professione sufficienti ad statum religiosum, & non obligari ad castitatem. Hoc posterius dicimus inuoluere claram repugnantiam, & ideo si quis intelligat quid intendat, & velit, & nolit, impossibile est, vt habeat simul talem intentionem, quia esset simul velle contraria cognita; si autem non intelligit quid velit, aut quid nomine professionis significetur, tunc eo ipso non obligatur, quia talis ignorantia causat inuolũtarium, vt in principio materiæ de voto in simili puncto declaraui. Illud autem prius non videtur inuoluere tantam repugnantiam, quia traditio est reuera quid distinctum à professione, & quantum est ex se, posset fieri sine illa, sicut in oblatis fit quædam traditio religioni sine tribus votis, & in matrimonio fit traditio sine vlla promissione. Nihilominus tamen in prædicto casu illa traditio non maneret valida, quia non acceptaretur. Nam iuxta institutionem Ecclesiæ non acceptatur traditio professionis; nisi vt vestita, & firmata, tribus votis: in eo autem casu intenditur fieri sola, & sine votis, & ideo non acceptatur, ideoque tota professio quoad omnem effectum inualida relinquitur, nam valor traditionis ex acceptatione pendet; in nostro autem casu promissio simplex castitatis, vt valida sit, non pendet ex acceptatione, sed ex sola intentione vouentis.

18. Vltimò addi solent alii casus, in quibus professio est nulla iure Canonico, & aliquam relinquit obligationem. Vnus est quando quis suscipit habitum religionis, cum proposito mutandi vitam; nam ibi professio non tenet, & nihilominus relinquit obligationem simplicem & generalem assumendi statum religiosum, vt iura docent. Veruntamen eadem iura declarant ibi non interuenire professionem expressam, nec tacitam, & ideo casus non est ad rem, quia ibi non est professio apparens, & nulla, sed omnino neque apparens est, ideo si aliquis relinquitur effectus, non pertinet ad professionem veram, vel apparentem, sed ad aliud genus voti publici, vt ex superioribus constat, vbi hanc expositionem magis probauimus.

19. Idem dicendum censeo de alio casu indicato ab Angelo ver. *Professio*, condit. 2. & Syluestro *Relgio* 3. quæst. 14. & Nauar. comment. 2. de regularibus nu. 5. de illo qui profitetur religionem cum tribus votis substantialibus in manibus Episcopi; illa enim professio est nulla, & tamen relinquit obligationem seruandi castitatem, vel alia vota, si emissa fuerunt. Veruntamen ille casus, quidquid sit de veritate eius, non est ad rem de qua agimus, quia loquimur de professione facta in religione approbata, quę saltem apparenter, & in foro Ecclesiæ possit videri professio constitutiua status religiosi. Illa autem professio, de qua dicti authores loquuntur, non est huiusmodi, vnde æquiuoce dicitur professio eo modo, quo virgines omnes simpliciter vouentes castitatem, dicuntur profiteri continentiam, & assumptio cuiuslibet modi viuendi honeste cum aliqua obligatione vocari solet professio, vt suprà dictũ est. Vnde in eo casu, eo modo, quo illa est professio, non est inualida, quia nullum habet defectum, in sua specie, (vt sic dicam,) & ideo quamuis non valeat ad constituendum proprie religiosum, quia neque ad hoc fit, habere optime potest suos proprios effectus, propter quos fit, si cum sufficienti voluntate, & absque ignorantia fit. Quod ideo addo, quia si quis faceret talem actum, putans se facere illo modo veram professionem secundùm aliquam regulã approbatam, putans Episcopum habere potestatem ad admittendam illam, tunc propriùs dici posset illa professio nulla, vt nunc loquimur, & reuera ex vi illius intentionis non relinqueret aliquam obligationem, quia esset sine sufficienti voluntate ratione deceptionis, qua interueniente, ille non intendit se obligare ad talia vota, nisi in statu vere religioso, & ideo cùm hæc conditio obtenta non fuerit, obligatio oriri non potuit, nisi ponamus habuisse aliunde intentionem absolutam obligandi se, vt posset iuxta dicta in superiori puncto.

Vltimus casus addi potest ex Innocentio in cap. *porrectum*, de Regular. de professione facta in manibus eius, qui non potest admittere ad religionem quam dicit valere in vi voti simplicis religionis. Sed hic casus non est distinctus à præcedenti, nam quoad hoc eadem est ratio de Episcopo, & de quolibet alio, qui non habeat potestatem incorporandi alicui religioni approbatæ, & ideo si ex certa scientia ita facta est, illa nec apparens traditio, aut professio est, sed sunt simplicia vota facta coram aliquo, quasi coram reste; si autem ex deceptione facta est, tũc erit putata professio, non tamen relinquet obligationem voti simplicis religionis, quia illud emissum non est, sed ad summum relinquere poterit simplicem obligationem votorum, quæ emissa fuerunt, si ex parte vouentis interuenit sufficiens intentio iuxta proxime declarata. 20.

## Caput III.

### *An, & quomodo liceat Religiosum statum relinquere post factam professionem nullam.*

1. *Suppositio prima.*

SVpponendum est talem professionem non fuisse ratificatam, alioqui locum non habet hæc quæstio, nam ex quo talis professio rata est habita, valida iam est, & omnino seruanda, iuxta cap. *significatum*, de irregular. & cap. 1. eodem tit. in 6. cum similibus; imò etiam supponimus, qui sic professus est, nolle priorem professionem inualidam ratã habere; quod licite posse facere supposita nullitate prioris professionis, constat ex proxime dictis in super. cap. & simpliciter affirmat Nauarrus in comment. 4. de Regular. num. 75. vbi etiam ait iuste quoad forum conscientiæ posse talem personam relinquere habitum non incurrendo apostasiam, nec excommunicationem quoad illum forum. Et ratio est, quia talis professio nõ constituit religiosum (supponimus enim esse inualidam simpliciter, etiam quoad substantiam status religiosi;) ergo non obligat per se ad perseuerandum; ergo potest sic professus tuta cõscientia relinquere habitum, & statum, quia solùm ex vi professionis, & vototũ potest ad hoc obligari, neque est aliqua lex naturalis, aut diuina, quæ in illo

*Secunda.*

casu talem obligationem imponat; neque etiam est vlla lex Ecclesiastica, nec fortasse esse potest, vt paulo inferiùs magis explicabitur.

2. *Covallan. in.* Ex quo fit consequenter, vt possit talis persona, relicta religione quemcunque statum assumere pro suo arbitratu, quantum est ex vi prioris professionis. Patet, quia ablata obligatione professionis tam liber est sicut antea erat. Dico autem, quantum est ex vi talis professionis; nam si aliunde ratione alicuius voti simplicis aliqua obligatio relinquatur, oportebit eum statum assumere, in quo tale votum nō violetur, iuxta dicta in vltimo puncto præcedentis capitis. Sicut etiam quando professio est valida quoad substantiam status religiosi, sine obligatione ad particulatem religionem potest quis licite relinquere religionis habitum in qua professus est, non est tamē ei absolute liberum quemcunque statum assumere, sed inter religiosos, quem voluerit, aut potuerit. Semper etiam loquimur per se, quia obligationes, quæ per accidens resultare possunt, non considerantur in scientia; tactæ autem sunt in præcedenti cap. Denique hîc solùm explicamus quid liceat, nā quid magis expediat pertinet ad consilium, de quo constat ex genere suo consultius esse professionem illam ratam habere in eadem religione, vel saltem de nouo emittere in alia æquali, vel meliori. Quid autem horum, vel an quidpiam aliud tali personæ consulēdum sit, prudentiæ opus est circūstantiis consideratis.

3. *Difficultas præcipua est circa modū relinquēdi religionem.* Posito ergo deliberato animo relinquendi religionem, hîc præcipuè inquirimus, quomodo id faciendum sit; nam vt aliquid simpliciter, & omni ex parte licitè fiat, non satis est, quòd substantia sit honesta, sed etiam oportet, vt modo legitimo fiat; hunc ergo hîc inuestigamus, & præcipue intendimus declarare decretum 9. de Regular. sess. 25. Concilii Tridentini. Præmittendum tamen vlteriùs est dupliciter posse professionem esse nullam, scilicet, vel in conscientia tantùm, & coram Deo; vel coram Deo, & Ecclesia. Priori modo voco professionem nullam, quæ tam occultum habet defectum, vt coram Ecclesia probari non possit, siue hoc sit quia habuit causam merè internam, vt est defectus interioris cōsensus; siue quia licet externa fuerit, à principio fuit occultissima, vel certe quia licet aliquando probabilis fuerit, nunc iam mortui sunt testes, vel haberi non possunt. Denique quoties nullitas ita est occulta, vt non sit probabilis in iudicio. E contrario verò, quoties professio, & in re nulla est, & defectus in iudicio Ecclesiæ sufficienter probari potest, vocatur nulla coram Deo, & Ecclesia. Non addimus autem tertium membrum, scilicet professionem invalidam in foro Ecclesiæ, & validam apud Deum, quia talis professio & est moraliter impossibilis, & licet in aliquo casu fingatur, nullam difficultatem, aut quæstionem habet in præsenti. Primum patet, quia semper professio publicè, & coram testibus fit, imò regulariter scripto consignata relinquitur, vt de illa semper constare possit, & ideo si in re ipsa, & coram Deo habuit omnia necessaria ad valorem, poterit etiam in foro Ecclesiæ probari valida; maximè cum professio semper præsumatur valida in foro Ecclesiæ quandiu oppositum probatum non fuerit. Secundum, patet quia licet fingi possit casus, in quo professio valida coram Deo in foro Ecclesiæ probari non possit, vel quòd sit valida, vel etiam quòd facta fuerit, nihilominus qui illam emisit, tenetur in conscientia eam seruare, nullumque dubium circa illam mouere, quia ad hoc obligat ius ipsum diuinum, & naturale; nimirum si personæ constet de valore professionis, nam si circa hoc erret, vel dubius sit, operari tenebitur iuxta conscientiam suam; nec potest tunc talis professio dici simpliciter valida apud Deum, sed talis, qualis in conscientia fuit, atque adeò vel nulla si talis iudicetur, ex conscientia probabili, quamuis erronea, de qua practice ita iudicandum est, sicut de qualibet professione nulla, vel potest etiam esse dubia, de qua nonnulla maior difficultas esse potest, quam in discursu capitis expediemus.

*Professio invalida in foro Ecclesiæ, & valida apud Deum, est moraliter impossibilis, & licet detur, est fortunata in conscientia, &c.*

4. *Dubium speciale an iuramentū ipsius religiosi suffi. ciat ad prohibendum professum esse nullū.* Interrogabit verò aliquis (hoc enim ad ea, quæ dicemus necessarium est) quando professio nulla coram Deo desinat esse nulla in foro Ecclesiæ. Videtur enim hoc nunquam posse contingere secundùm rectam rationem; nam etiam in foro Ecclesiæ credendum videtur ei qui iuramento confirmauerit, v.g. se non habuisse intentionem profitendi, aut aliud simile impedimentum habuisse; nam cum hæc obligatio principaliter sit ad Deum, & pendeat ex voluntate hominis, videtur maximè pendere ex conscientia profitentis, ideoque fidem ei esse dandam, & permittendum, vt iuxta suam conscientiam operetur, argumento cap. *De viduis* 27 quæst. 1. ibi, *Nos autem nullum talibus laqueum debemus iniicere, sed solum adhortatione præmis sempiternis, pœnaſque proponere diuini iudicii, vt & nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio.* Vnde saltem videbitur sufficere, quòd valor professionis probari non possit, seu (quod perinde est) quòd in iudicio Ecclesiæ positiuè non probetur, causam nullitatis, quæ allegatur, falsam esse, quamuis etiam nec positiuè probetur sufficienter illam veram esse, sed solo testimonio, vel etiam iuramento ipsius professi, quod potest confirmari ex cap. 1. de his quæ vi; vbi in simili causa Pontifex respondet fœminam quandam, quæ religionem professa fuerat, & nullitatem prætendebat, tunc fuisse cogendam ad permanendum, cùm contra eam probatum fuisset, vel metum non interfuisse, vel postea eandem professionem ratam habuisse. Ad idem facere potest cap. *mulieri*, de iureiuran. ibi, *sed suæ conscientiæ potius relinquendum est.*

5. Nihilominus certum est, in hoc non esse credendum ipsi religioso, etiamsi testimonium suum, tanquam certum iuramento confirmet, nisi aliunde interueniat sufficiens probatio. ita expresse cautum est in cap. *vidua*, de Regularib. ibi, *velit, nolit, sanctimonia habitum vlteriùs debet habere, licet sacramento firmare velit, eo tenore velamen sibi imposuisse, vt deponere possit*, vbi Panormitanus & alii aduertunt iuramentum in his etiam, quæ pendent ex conscientia, & actu proprio interno, non admitti, vbi in exteriori actu est vehemens præsumptio in contrarium, & interuenit præiudicium tertij; vtrumque autem inuenitur in præsenti; nam externa professio generat vehementem præsumptionem contra tale iuramentum, & aliàs agitur de re, quæ vergit in præiudicium tertii, scilicet religionis, cui per professionem ius acquiritur in talem personam, imò & ipsius Dei, ad quem principaliter spectat ius illud. Adde etiam vergere in præiudicium boni communis, quoad totum statum religiosum, quia si tale iuramentum admitteretur, aperiretur ianua infinitis fraudibus, nihilque esset firmum, aut stabile in eo statu. Vnde licet in aliis rebus habere possit locum, quod ibi notat glossa, scilicet quamuis iuramentum proprium non sufficiat, adiutum aliis circumstantiis, scilicet honestate personæ, & similibus; licet (inquam) aliàs possit habere locum, in præsenti negotio non admittitur, tum propter dicta, tum etiam, quia eo ipso quòd talis persona affirmat, & iurare vult se non habuisse intentionem, nec interiùs consensisse, confitetur se ficte, & infideliter egisse, ac proinde non esse fide dignam. Et confirmatur à fortiori ex matrimonio carnali, nam coniugi affir-

*Idem dicendum de matrimonii,*

manti, se contraxisse exteriùs sine interiori consensu, credendum non est, etiamsi iureiurando id confirmet, vt colligitur ex cap. *super eo*, de eo qui cog. con. vxor. vbi, quamuis non exprimatur iuramentum, sed sola confessio, sine dubio comprehenditur; imò ibi additur, licet vterque coniugum confiteatur defectum occultum, non esse illis credendum in præiudicium matrimonii, nisi aliàs sufficienter probetur; ergo multo maiori ratione idem est, in præsenti dicendum. Denique confirmatur optime ex cap. *per tuas*, de probationibus vbi generaliter dicitur non esse standum iuramento alicuius, qui contra factum suum priori confessione confirmatum iurat, *Cùm nimis* (dicitur ibi) *indignum sit* (iuxta legitimas sanctiones) *vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, vt eandem causam proprio valeat testimonio infirmare.* quæ verba sumpta sunt ex leg. *generaliter*. Cod. de non numer. pecun.

6. Quamuis autem hæ rationes potissimum procedant quando defectus professionis omninò pendet ex interiori actu, & intentione vouentis, tamen etiam vera sunt de quocunque defectu exteriori omnino occulto, & qui probari non possit, quia etiam ibi habet locum principalis ratio de præiudicio tertii, & de nocumento communis boni, & matrimonio carnali est textus expressus in dicto cap. *super eo*. Solùm potest constitui differentia, quia quãdo defectus sunt extrinseci, possunt allegari sine turpitudine (vt sic dicam) id est, sine contradictione in propriis confessionibus, & sine ostensione prioris infidelitatis, seu fictionis; nam potuit quis bona fide profiteri cum defectu ætatis sibi occulto, quem postea nouit; vel ex metu, quem ob ipsummet metum declarare eo tempore non potuit, & ideo aliquam maiorem fidem facere potest in his casibus proprium iuramentum, præsertim si iuuetur honestate personæ, & aliis circumstantiis; nihilominus tamen per se non sufficit nisi adiungantur alia sufficientia indicia, vel testimonia, nam cum illis non est dubium, quin possit sufficiens probatio consummari. Imò Innocentius in dicto cap. *vidua*, in fine, indicat hanc differentiam, quòd in aliis defectibus iuramentum adiutum aliis probationibus facit præsumptionem, argumento cap. 1. de his quæ vi. De illo verò qui solùm allegat defectum consensus, & intentionis, etiamsi alias probationes adiungere velit, dicit non esse audiendum, *nisi probet se protestationem ex iusta causa emisisse*. Quod nullo iure probat, est autem per se valde consentaneum rationi, & iuribus adductis dicto cap. *per tuas*, & dictæ lege *generaliter*.

7. Immo nonnulli graues Canonistæ dixerunt, in hoc negotio protestationem non esse admittendam etiam in professione tacita, vt refert Sylvest. ver. Religio 3 q. 19. sed, vt ipse ait, illud ad summum procedit, quando protestatio sine iusta causa fit, quia tunc semper interuenit fictio voluntaria; quando autem iusta causa interuenit, non est ita voluntaria fictio, sed potiùs non est formalis fictio, quia potest tunc id fieri, non ad significandam professionem, sed ad alium finem, & ita protestatio non erit contraria facto, sed declaratoria animi. Quod optimè intelligitur, & facile accidere potest in professione tacita, quæ facto fit potius, quàm verbis, facta enim non ita sunt per se ad significandum, sicut verba, & ideo possunt optime fieri propter alium finẽ, quàm propter significandum profitẽdi animum, & ita de professione tacita loquuntur præcipue dicti authores, quibus consentit Nauarrus comm. 4. de regularibus, n. 74. vers. *aduertendum tertio*. In professione autem expressa, de qua loquitur Innocentius, vix potest iusta causa ad talem protestationem faciendam inueniri, quia videtur semper contraria facto, quia illa professio fit per verba, quæ per se primò proferuntur ad significandum consensum. Solùm metus videtur posse esse iusta causa; tunc autem, si metus sit sufficiens, non est necessarium, imò neque vtile protestari carentiam consensus, quia est protestari fictionem, & mendacium, sed sufficit protestari ipsum metum, ita vt probari possit, nam ipsemet metus reddit inefficacem consensum, quamuis ex parte hominis adhibeatur. Si autem metus non est sufficiens, tunc sicut non est iusta causa ad profitendum sine consensu interno, ita neque est iusta causa ad id protestandum, est tamen aliqualis causa diminuens culpam, & excusans aliquo modo fictionem (vt ita dicam) formalem, ideoque aliquid conferre potest, vt iuramẽtum in eo casu aliquam maiorem fidem faciat, vel vt admittantur alia indicia, quamuis impossibile videatur talem defectũ posse vnquã sufficienter probari.

8. *Quid requiratur, vt Ecclesia reputet aliquam professionem nullam.*

Ex his ergo satis constat, vt Ecclesia reputet aliquam professionem nullam, non satis esse, vt non probetur valide, vel, quod perinde est, nõ esse necessarium, vt directe probetur inualide, sed opus esse, vt sufficienter constet exteriùs factam esse, eum tali defectu irritante; quia in dubio in fauorem professionis iudicandum est, sicut de matrimonio carnali omnes fatentur: de quo videri potest Palud. in 4. d. 27. q. 2. Sot. q. 1. & ibi alii. Couarruuias in 4. 2. p. cap. 2. & Nauar. in Summa cap. 22. n. 76. Neque obstant iura in contrarium allegata; nam cap. *de v. duis*, non agit de voto solemni, sed de simplici, vt suprà vidimus, de quo est alia ratio, quia non continet traditionem, nec professionem ita publicam, &c. in cap. autem primo *de hũ quæ vi*, erat sufficiens probatio metus, & ideo oportebat per contrariam probationem ostendere fuisse sublatum: caput aut *mulieri*, non est ad rẽ, quia loquitur in casu longe diuerso, in quo nec præiudicium tertii, nec aliæ rationes suprà factæ interueniebant, & nihilominus etiam in eo casu non adhibetur fides iuramento in foro externo, & ideo non prohibetur mulier alteri nubere, quæ priùs iurauerat cum alio contraxisse, qui adhuc viuit, quia illud prius matrimonium in foro Ecclesiæ sufficienter probatum non est.

9. Prædicta ergo distinctione suppositа, dico primò eum, qui certus est in conscientia professionem esse nullam, & in foro Ecclesiæ id probare non potest, habere ius per se loquendo relinquendi religionem propria authoritate, & assumendi quemcunque alium statum, etiam matrimonii. Addo autem semper, *per se loquendo*, quia hîc solùm agimus de obligatione ex vi professionis tali modo factæ, quidquid sit de aliis impedimentis, quæ vel ex scandalo, vel ex aliquo alio voto prouenire possunt. Et videtur assertio clara, quia in eo casu non tenetur quis in cõscientia permanere in religione; habet ergo ius libertatis suæ: sed non potest hoc ius obtinere per Ecclesiasticum iudicem; ergo potest sua authoritate illud exequi, & recuperare, vt recte sensit Nauar. suprà. Confirmatur primò; nam si talis persona fugiat, non faciet iniuriam religioni, quia non priuat illam aliqua re sua; & ideo postea nec seipsum, nec quidpiam aliud tenetur ei restituere; nec etiam peccat in Deum, quia nullo modo se illi obligauit; nec deniq; peccat ratione modi recuperandi suam libertatem, quia in eo casu non est alius modus possibilis. Vnde in aliis rebus minoris æstimationis potest quis bona sua ab alio possessa propria authoritate accipere, quando per publicam potestatem non potest, & alioqui certus est illa esse sua & ab alio sine titulo in reipla iusto detineri. Et in causa libertatis, qui in seruitute iniuste detinetur, etiamsi dominus sit in bona fide, & in exteriori foro non possit probare libertatẽ suam, licitè

potest fugere, & libertatem suam recuperare. Denique etiam in causa matrimonii, si quis per metum cadentem in constantem virum cogatur matrimonium contrahere, & postea non possit in foro exteriori metum probare, potest in conscientia de facto se separare, & fugere: nisi ob aliam iniuriam, vel extrinsecam rationem ad aliud obligetur; ergo idem est in præsenti dicendum.

10. *Dubitatio, quando talis prof. sius est scienter & mala fide, ad quid teneatur.*

Solùm potest esse dubium quando ille à principio iniuriam fecit religioni, profitendo sine consensu interiori, seu intentione, vel cùm alio defectu occulto quem ipse sciebat. Dico tamen hanc iniuriam non esse talem, quæ sit necessariò resarcienda per professionem, sed si aliquod damnum temporale illatum à religione, satis erit illud restituere. Si autem nullum fuit detrimentum præter deceptionem, satis erit agere pœnitentiam illius peccati, quia illa iniuria consistit magis in modo quàm in re aliqua, quæ restitutionē postulat. Et eadem ratione si talis persona priùs bona fide professa est, postea verò cognito defectu fuit in mora vel ratificandi professionem, vel relinquendi religionem, tenebitur quidem restituere quidquid de bonis religionis in proprios vsus consumpsit; non tamen propterea priuabitur iure fugiendi, & recuperandi statum suum, & in restitutione facienda poterit cum proportione computare obsequia religioni facta eo tempore, vt Nauarrus suprà aduertit. De illo autem tempore, in quo bonâ fidem habuit, non est eadem ratio, quia tunc iuste consumpsit, quæ de bonis religionis accepit. Posset autem oriri dubium, quando illa mora in religione tempus quinquennii excessit, præsertim post scientiam delicti vel defectus, an nihilominus semper sit integrum fugere. Sed de hoc dicemus meliùs in puncto sequenti.

11. Dico secundò, quando professio inualida probari potest coram Ecclesia, non debet is, qui publice professus est, & existimatur religiosus, relinquere habitum, & statum propria authoritate, sed petendo libertatem suam ab Ecclesiastico prælato. Hoc colligitur ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 19. de Regularibus, ibi; *Et tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & ordinario. Quòd si antea habitum demiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur. sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur; iterum verò nullo priuilegio suæ religionis iuuetur.* Quæ verba manifestè supponūt, quantūcunque aliquis possit prætendere iustas causas nullitatis suæ professionis, non posse licite sua authoritate habitum dimittere, alioqui non tam grauiter puniretur, qui id fecerit. At verò Nauarrus dicto comment. 4. de Regular. n. 77. non obstante hoc decreto putat non obligare in foro conscientiæ, atq; adeò non peccare eum qui scit, vel iuste credit professionem suam coram Deo non valuisse, & propterea dimittit habitum, & fugit sua sponte, non aliter reclamando, nec causa nullitatis coram ordinario allegando, nec propterea incurrere pœnam apostatæ, nec teneri iterum ad monasterium redire; quæ omnia nulla alia ratione probat. Fortasse autem motus fuit, quia Concilium nullum habet verbum præceptiuum, & ideo videtur illa dispositio merè pœnalis, scilicet, qui talem ordinem iudicialem non seruauerit in prætendendo tali iure, in foro Ecclesiæ non audiatur, &c. Sed nihilominus assertio posita verior videtur, tum quia non est verisimile, Concilium tam grauem pœnam imposuisse propter illum actū, nisi graue peccatum esse supponeret; esto enim priuare velit priuilegiis, vel fauoribus eum qui ad prælatum Ecclesiæ non recurreret, vt meliori modo, & ordine ius suum obtineret, cui tamen pœnam tam acerbam adiunxit, si in rigore ille potest bona conscientia fugere, & habitum relinquere? tum etiam, quia per se esse videtur actus ille pernicios bono communi atque contra ius religionis, vel saltē contra iustitiam legalem, quia quando aliquis habet ius ad rem, vel in re, quam alius possidet, præsertim iuste, non potest sua authoritate illam vsurpare, sed debet vti authoritate iudicis, quando commode potest, quia oppositum est, contra bonum ordinem Reipub. & non per accidens, sed per se inferre potest scandalum, & perturbationem. Quod tanquam certū suppono ex materia de iustitia, & de restitutione: ergo idem dicendum est in præsenti, est enim in omnibus eadem vel maior ratio.

R. Itaque cēseo primùm obligari in conscientia huiusmodi publice professum, non relinquere habitū, nec statum propria authoritate. Secundò, si id faciat grauiter peccat, & præterea tenetur in conscientia non vti priuilegiis religionis, non solùm, quia per Concilium priuatur illis, sed etiam, quia supponitur ipsum certò scire se non esse verum religiosum, & per illum exitum amisit omne ius, quod habere posset, ad gaudendum illis priuilegiis, quandiu in foro Ecclesiæ erat in statu religioso. Et hoc etiam Nauarrus fatetur. Tertiò nihilominus censeo, postquam semel exiuit, quamuis malè fecerit, non teneri ad religionē redire; quia nec ratione professionis tenetur, cùm supponatur nulla, nec Concilium illam obligationē imponit, sed solùm ait, vt cogatur in monasterio permanere, non verò vt ipse teneatur redire; neque etiam ex culpa commissa, per inordinatum exitum, oriri potuit talis obligatio, quia si aliquid culpæ commissum fuit, in modo potiùs, quàm in re ablata, vt sic dicam, positum fuit, & ideo non obligat, quasi ad restituendam illam; non ergo tenetur talis persona ad religionem redire. Quartò verisimilius censeo non incurrere hanc personam ipso facto excommunicationem, vel pœnam aliquam ipso iure impositam propter apostasiam à religione. Probatur, quia non incurrit illam ex vi iuris antiqui, neque ex vi Concilij Tridentini; ergo non incurritur. Prima pars antecedētis patet, quia ille verè, & in re non est apostata, licet exteriùs appareat, sed, si aliquam committit culpam, solùm est propter indebitum modum vsurpandi suam libertatem, quæ culpa non est vera apostasia; vel est tantùm imperfecta propter externā speciem; ad incurrendam autem censuram à iure impositam, oportet committere culpam perfectam in specie prohibita, vt ex propria materia suppono. Altera pars antecedentis patet, quia Concilium solùm dicit, *tanquam apostata puniatur*; vbi extendit quidem pœnas apostatarum ad hoc delictum, non tamen ipso facto incurrendas, sed per iudicem imponendas. Quin potiùs addo, quāuis talis persona sub excommunicatione iubeatur redire, & vt contumax declaretur, nihilominus in conscientia non obligari, nec ligari censura, nisi quoad exteriorem obseruantiam eius. Ratio est, quia ibi præceptum solum est ex præsumptione, & ideo cùm rei veritas non subsistat, non obligat.

Obiicit. Dices, non tantùm ex præsumptione, sed per se propter Ecclesiæ satisfactionem potest talis persona iusto præcepto obligari ad comparendum, ad reddendam rationem sui facti, & probandum quòd Religiosus non sit. Respondeo, si tantùm ad hoc iuridice citaretur, & securus posset accedere, sine dubio obligaretur, vt ratio probat; tamen, quia potiùs audiendus non est, vt Concilium dicit, sed potiùs puniendus, ideo redire non obligatur in conscientia, cùm reuera obligari non possit ad perseuerandum in statu, quem coram Deo non habet, atque ad assumendum illum, cùm sit opus Concilii, & valde difficile. Et quoad hæc duo vltima puncta placet sententia Nauarri.

Addenda

Addenda etiam limitatio, quam ipse etiam ibi insinuat, scilicet excusari à culpa huiusmodi personam propria authoritate dimittendo religionem, vel fugiendo, quando vel ob eam rem in carcere detinetur, vel aliter impeditur, ne ius suum postulet; vel non potest alia via vexationem illam vitare; tunc enim, nec ius positiuum obligat cum tanto rigore, nec naturalis ratio, quia tunc non conceditur alia via legitima obtinendi ius suum. Quin potiùs, si in Ecclesiastico foro probare possit coactionem, vel impedimentum, atque adeò moralem necessitatem talis exitus, etiam in eodem foro cessabit rigor Concilij, neque obstabit ille exitus, quominus talis persona audiatur, si libertatem suam probare velit. Quod etiam Nauarrus docuit n. 78. quia ille exitus potius necessitatis fuit, quàm voluntatis; quod sine dubio est valde consentaneum æquitati. Quod etiam usus prælatorum, & præsertim in curia Romana confirmat, obseruatur autem, vt talis persona habitum religionis reassumat, dum causa tractatur, sub securitate, & libertate sufficienti ad illam prosequendam, quod & per se maxime decet, & religioni quodammodo debitum est, ne ante sententiam latam re, quàm possidebat, Ecclesia approbante priuari videatur.

14. Vnde addit vlteriùs Nauarrus, etiamsi quis temere habitum dimitteret, si postea velit illum reassumere ad hunc effectum, vt audiatur, non esse illi audientiam denegandam: putat autem Concilium esse ex quadam æquitate intelligendum, scilicet, quòd non audiatur, quandiu fugitiuus, & sine habitu permansit. Nam si petita securitate, paratus sit ad reddendam rationem, & probationem si audiatur, inhumanum (inquit Nauarrus) esset illi perpetuò audientiam denegare, nam esset illum cogere, vel ad seruiendum perpetuò religioni, cùm aliàs liber sit, vel ad ducendam vitam inquietam in perpetuo exilio, timore, ac periculo. Quæ sententia pietati consentanea est, quæ maxime mouit Nauarrum, quia non agnoscit culpam in illo temerario exitu; tamen supposita culpa, quam nos explicuimus, cùm in eius pœnam illi audientia denegetur, non est res adeò inhumana, si rigor ille necessarius visus est ad continendum in officio huiusmodi religiosum. Nihilominus tamen æquitatem illam non improbo, sed seueritatem illam Concilij intelligo ad literam seruãdam, cum iis qui post talem exitum, nunquam volũtate redeunt, si inuiti capiantur. At verò si quis voluntariè redeat, quamuis aliqua pœna affici possit religiosis accommodata, satis consentaneum est rationi, vt non obstante priori delicto audiatur; vt autem omnis scrupulus cesset, tutius erit ad Summum Pontificem accedere, & coram ipso, vel ex commissione eius audientiam postulare, quæ, vt existimo, nunquam denegabitur.

## Caput IV.

### De quinquennio à Concilio præscripto.

1. Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 19. de Regular. occurrere volens perturbationibus, quę præter ipsu professionis inualidæ in religionibus excitari solent, statuit, vt omnes religiosi, qui voluerint huiusmodi causam nullitatis suæ professionis prætendere, ante quinquennium elapsum illam intentent, alioqui post illud quinquennium non audiantur. Explicat autem, hoc quinquennium computandum esse à die professionis, quod sine dubio intelligendum est de professione non tantùm expressa, sed etiam tacita, quia Concilium indistincte loquitur, & vtraque est vera, & (vt ita dicam) professio vniuoce, & ideo non possumus nos Concilii decretum limitare. Quis autem sit dies professionis, à quo quinquennium computandum est, in professione expressa per se satis patet: in tacita verò obscurior apparet, & ideo multa de illa dicit Nauarrus suprà.

2. Dico autem breuiter nũc esse diem illum, in quo aliquis complet integrum annum in religione deferendo semper communem habitum professorum; vel illum in quo post expletum annum probationis proprium habitum professorum assumpsit, nã ex tũc potuit reputari tacite professus, & non antea. Nam licet olim assumptio huius habitus distincti, seu proprii professorum, quocunque tempore fieret, etiam à principio, esset sufficiens signum professionis tacitæ; nunc autem non videtur sufficiens, nisi post annum expletum, quia si antea fiat, ipsa circumstantia temporis impedit talem significationem. Dices, professio expressa, etiamsi fiat inter annum nouitiatus, sufficiens est, vt ab illo die quinquennium computetur; ergo idem erit de professione tacita per assumptionem habitus proprii professorum. Respondeo primò, non esse similem rationem, quia vbi est expressa significatio, cessant coniecturæ, & ita est in professione expressa, quæ ex se satis ostendit animum profitendi, etiamsi intempestiuè fiat; in professione autem tacita est implicita significatio, tantumque præsumpta voluntas; fundatur ergo in coniectura, quæ ex circumstantia temporis multum pendet. Deinde addo probabile esse, quamuis professio expressa ante completum annum probationis fiat; quinquennium non esse computandum, nisi à die completi anni probationis, in quo potuit prior professio rata haberi; nam ille defectus hodie tam est manifestus, & publicus, vt regulariter non videatur posse iuridice præsumi professionem illam, quamuis expressam, factam esse animo verè profitendi ex tũc, sed ob alios fines; Concilium autem videtur voluisse concedere tempus quinquennii habile ad ratificandam professionem; nam lex illa in hac præsumptione fundatur, vt magis ex dicendis constabit.

3. Secundò ergo aduertendum est, Concilium in eo statu supponere, vel potiùs introducere iuris præsumptionem, quòd is qui per quinquennium in religione mansit, & nunquam reclamauit, aut à principio veram professionem fecisse, aut in eo temporis discursu eam ratam habuisse, & idcirco deinceps statuit non esse audiendum. Dubitari autem potest; *Dubitatio, an post elapsum quinquennio, velit nolit, manet; & eius religio-* an potuerit Concilium efficere, vt talis homo velit nolit religiosus sit, etiamsi ex parte voluntatis eius non sit verum quod præsumitur. Posset enim aliquis existimare, quòd sicut per legem præscriptionis, ex efficacia legis res præscripta transfertur in dominium præscribẽtis, etiamsi consensus ptioris domini nunquam interceserit; ita ex efficacia huius decreti interuenire hîc quoddam genus præscriptionis per quinquennium, ratione cuius, & religio acquisierit ius, & dominium in religiosum, & religiosus reuera maneat subiectus, & incorporatus illi, etiamsi reuera prior professio valida non fuerit, neque ipse postea per proprium consensum ratam illam vnquam habuerit. Sed hoc duobus modis potest intelligi. Vnus est, vt ex efficacia huius decreti aliquis fiat religiosus, sine proprio consensu. Alius est, vt licet forte non sit religiosus, quia nunquam consensit, nihilominus ex vi huius decreti obligetur in conscientia ad permanendum in religione, & consentiendum.

4. In priori sensu existimo rem esse impossibilem, quia consensus adeò est intrinsecus professioni, & statui religioso, vt sine illo repugnet fieri, saltem per humanam potentiam, sicut repugnat fieri vinculum, seu statum matrimonii sine consensu personæ. Item, quia de essentia professionis sunt tria vota substantialia; votum autem est actio personalis, quæ

sine proprio consensu fieri non potest. In hoc ergo sensu impossibile est, vt aliquis fiat verè religiosus, virtute alicuius legis propter solam temporis præscriptionem sine proprio consensu.

5. In alio autem sensu non apparet obligatio adeò impossibilis, tamen in primis de facto non habet fundamentum in Concilio, quia ipsum nihil aliud dicit, quàm, *vt non audiatur n si intra quinquennium*, &c. Per quæ verba solùm denegat actionem in foro Ecclesiastico; ergo ex vi verborum nullam nouam obligationem in conscientia imponit, nec verba sunt extendenda, tum quia in hac parte rigorè continent: tum etiam, quia salua proprietate nunquam possunt hoc significare. Dices, quamuis directe hoc non præcipiat, indirecte sequitur talis obligatio, eo ipso quòd denegat actionem in foro exteriori. Respondetur falsum hoc esse, quia licet in foro exteriori non audiatur talis persona, potest aliis remediis suæ conscientiæ consulere, vt suprà dictum est. Deinde tam est ardua, & difficilis hæc obligatio, vt potestatem humanæ legis excedere videatur, quia, vt omnes Patres docent, status Religionis est materia consilii, non præcepti, vnde propter solam moram quinquennii non potest hæc obligatio imponi ei, qui vere, & coram Deo liber est. Vnde etiam probabile censeo, non posse fieri virtute legis, vt religio acquirat per modum præscriptionis tanti temporis tale ius, vel dominium in talem personam, vt ratione illius obligetur ex iustitia illa persona vel ratam habere priorem professionem, vel saltem manere in religione in perpetuum obsequium eius, quia hoc etiam est grauissimum onus multum repugnans humanæ libertati, quæ adeò naturalis est homini, vt sine grauissima causa tolli non possit; quod rectè cõfirmat, quæ in simili adducit Nauarrus in comment. 4. de Regularibus, in vltimis verbis. Quapropter verisimile censeo circa personam liberam non habere proprie locum præscriptionem, ita vt aliquis fiat seruus, vel quouis alio modo alieni iuris per solam præscriptionem sine consensu talis personæ, quia semper resistit propria, & libera voluntas talis personæ. Atque ita de facto constat ex materia de dominio, &

*Seruus nemo fit sola præscriptione domini.*

de præscriptione nullum fieri seruum sola præscriptione domini, quamuis è contrario seruus præscribere possit libertatem. leg. 2. Cod. de præscriptione. Solùm enim in pœnam potest quis inuitus alteri subiici in seruum, vel alio modo sub dominio illius constitui; in præsenti autem, nec culpa talis est, vt sit digna tanta pœna, neque è conuerso status religiosus talis est, vt in pœnam debeat imponi; ordinatur enim ad propriam perfectionem, & ideo debet esse voluntarius. Videantur suprà dicta quæ de libertate professionis diximus, & de infantibus, qui à parentibus donantur religioni, nam ex ibi dictis hæc doctrina confirmatur.

6. Tertiò principaliter aduertendum est, in aliquibus casibus admittendam esse exceptionem, vt non obstante quinquennio transacto aliquis audiendus sit. Ratio generalis esse potest, quia hæc lex fundata est in præsumptione; ergo quotiescunque talis præsumptio euidenter, vel cum sufficienti probatione in externo foro cessauerit, non obstante hac lege audiendus erit talis religiosus. Dices, tunc solùm cessare rationem legis in particulari, ac merè negatiue, & ideo non oportere, vt legis obligatio cesset. Respondetur eo ipso, quòd cessat præsumptio deficere rationem iustitiæ in tali actu; & ita cessare intrinsecum finem, seu honestatem ipsius legis, ac proinde cessare etiam eius obligationem; ac deinde non potest hîc cessare legis ratio negatiue dicto modo quin cesset etiam contrarie, quia redundat eius obseruatio, in grauissimum onus, & incommodum talis personæ sine vllo iusto titulo. Hinc ergo omnes excipiunt primum casum, in quo aliquis non potuit in toto tempore quinquennii ius suum coram ordinario postulare; & maxime si ab ipsa religione per vim, vel metum impeditus est, tunc enim ipso iure concedẽda est temporis restitutio. Ita Nauarrus suprà, qui etiam refert, ita in praxi obseruari. Secundus casus, & eiusdem rationis est, si ignorantia inuincibilis de nullitate professionis aliquo tempore intercessit; nam licet hæc non præsumatur, nisi probetur, vbi tamen probari potest excusabit, quia causat moralem impotentiam, & inuoluntarium. Vnde licet Concilium dicat quinquennium esse computandum à die professionis, intelligendum est per se; per accidẽs verò interueniente ignorantia probabili, computandũ erit à die, quo cœpit quis habere scientiam de nullitate professionis. Quod confirmatur, quia Concilium voluit concedere quinquennii tempus habile ad ratificandam professionem; sed quandiu ignoratur nullitas professionis nõ potest ratificari, vt suprà ostensum est; ergo non debet tempus illud in hoc quinquennio computari. Quod apertè sentit Nau. consilio 23. de Regul. n. 3. & 4. quod incipit *Petrutius.*

*In aliquib. casibus etiã transacto quinquennio est admittenda exceptio, & concedenda audientia.*

7. Tertius casus addi potest, quando defectus professionis talis est, vt sit euidens, non potuisse toto illo tempore auferri, & consequenter nec ratificari professionem. Ratio est, quia tũc cessat præsumptio; nam euidenter probari potest, illum non solùm non esse, sed neq; etiam potuisse esse religiosum. Exemplum est acccommodatum in quodam casu Romæ tractatum in congregatione Cardinalium de quodã viro, qui viuente vxore, quæ publicum adulterium cõmiserat, post aliquot annos ingressus est religionem, & in ea vltra quinquennium post professionem mansit; postea verò intellectum est, illum post dimissam vxorem commisisse adulterium ante professionem, per quod amisit ius, quod per adulterium vxoris acquisierat ad profitẽdam religionem inuita vxore; atq; ita factum est vt professio illa fuerit nulla, ita vt non potuerit ab illo viro toto illo tempore rata haberi. In eo ergo casu non poterat iuste audientia denegari, vel vxori petenti virum suum, vt Cardinales aperte censuerunt, vel religioni volenti eum expellere, vel ipsimet suam libertatem postulãti, quod ipsi non negarunt, sed potiùs supposuisse videntur, dicentes negotium illud remittendum fuisse ordinario loci, vt secundùm ius in eo procederet. Insinuant tamẽ in eo casu consentiente vxore, posse huiusmodi virum cogi, ad permanendum in religione; veruntamen licet ille ad castitatem seruandam cogi possit, seu ad non petendum debitum, non tamen ad perseuerandum in religione, iuxta caput *quidam*, cũ similibus, de conuersione coniugatorum, neque oppositum in congregatione dicta declaratum est. Aliud exemplum est satis frequens de religiosis, in quorum receptione ad habitum per professionem seruata non est forma præscripta à Sixto V. Nãilli vigente Sixti constitutione, quantocunque tẽpore in religione ita perseuerarent, nunquam possent valide profiteri ẽt tacite, vt idem Pontifex declarauit, ergo cùm ille defectus iuridicus esset, & satis publicus, vt de illo iuridicè constare posset, cessabat omnis præsumptio, ideoque quandocũque de tali defectu cõstitisset, non posset quispiam cogi ad permanendum in religione, cùm Ecclesiæ iã constaret, nec expresse, nec tacitè professum esse, & ob eandem causam audiendus esset quotiescunque aliquis talẽ defectum proposuisset. qa non posset aliter illi incõmodo subueniri, nisi ille audiretur, maxime, quia ad ratificandã professionem necessarium est, vt ille defectus examinetur, vt si vere interfuit, suppleatur: ergo si de illo constitisset, liberum esset tali personæ etiam in foro

Eccle-

Ecclesiæ, non iterare professionem; ergo vt hoc possit fieri, iuxta formam Concilii audiri debebat coram ordinario, & suo superiore. Neque hoc repugnat illi Concilio, tum quia cessat præsumptio, in qua fundatur, vt dixi, tum etiam, quia ob eandem rationem intelligendum videtur, quando causa nullitatis, quæ allegatur talis est, vt in tempore quinquennii cessare potuerit, & consequenter professio tacite potuerit ratificari. Dixi tamen in prædicto exemplo, *vigente Sixti constitutione*, quia cùm illa postea fit reuocata à Clemente VIII. vt iam sæpe dixi, quoad effectum irritandi professiones eorum, qui non præmissis informationibus profitebantur, & ob alias similes causas, iam ex illo capite nullum argumentum desumi potest.

1. Ex dictis tamen videtur probabiliter sequi, idem dicendum esse quotiescunque nullitas professionis, & causa eius talis est, vt non potuerit professio ratificari per solum consensum religiosi absque nouo consensu, atque adeò sine noua admissione expressa, vel tacita religionis, nam tunc si certò constet ex parte religionis, nullam fuisse notitiam talis defectus, tunc cessat etiam præsumptio, certoque constare potest, professionem non esse ratificatam, quia non potuit ratificari solo consensu religiosi, & religio consentire non potuit, cùm habuerit ignorantiam, de qua, eo quòd pertineat ad communitatē, facile potest iuridice constare. Exemplum est, si professio sit facta in vno loco, nondum expleto anno probationis, per ignorantiam facti, vel certe, per malitiam alicuius prælati, & postea religiosus habitet per quinquennium in alio loco, vbi ritè professus à toto conuentu existimetur. Potest etiam contingere, vt illa persona non sit capax validæ professionis in tali professione, propter defectum alicuius conditionis in ea requisitæ, quæ toto illo tempore ignorata fuit à religione. In his ergo, & similibus casibus, non videtur audientia deneganda propter rationes factas. Et confirmari potest, nam si quis ignoret nullitatem, & id probare possit, datur locus restitutioni temporum, vt dictum est: ergo pari ratione, si religio ignorauit defectum, quando consensus eius necessarius est ad ratificandā professionem, concedenda est restitutio illius tēporis, pro quo talis ignorantia durauit, vt eo non obstante, audiri quis debeat. Probatur consequentia, quia in præsenti casu eundem defectum operatur ignorantiæ, etiamsi fuerit ex parte religionis, nimirum vt professio ratificari non potuerit. Verum est, minus esse culpabilem moram petendi ius suum in ipso religioso, quando ipsemet ignorauit defectum; sed hoc non refert, quia hæc culpa non est sufficiens, vt aliquis cogatur esse religiosus, si non est; & consequenter non sufficit vt non audiatur, quando causa nullitatis, non solùm ex parte eius, sed etiam ex parte religionis prouenit, & de illa iuridicè constare potest. Confirmatur tandem, quia in hoc casu audiretur religio, etiam post quinquennium, si probare velit, professionem nullam, & nunquam fuisse ratificatam, vt etiam nobis ex vsu constat; ergo vt sit æqualis conditio, etiam religiosus audiri debet in simili causa.

Et fortasse ob hanc causam Concilium Tridentinum in specie loquutum est de causa nullitatis ex defectu ætatis, vel ex metu, quia huiusmodi professio per solum consensum religiosi, sublato impedimento, ratificari potest; vnde cùm addit, *aut quid simile*, intelligi potest de causa eiusdem qualitatis, scilicet, quando ea non obstante potuit postea ratificari professio per solum consensum religiosi. Quia verò Concilium addit, *relictoque habitum dimittere quacunque de causa*, quæ distributio videtur vniuersalis, ideo addi potest, hæc verba ex materiæ qualitate, & capacitate limitari, vt scilicet intelligantur de quacunque causa, quæ secum admittat præsumptionem ratificatæ professionis. Vel etiam dici potest (& quoad rem in idem redit) Concilium loqui de quacunque causa nullitatis, & velle, vt nullus post quinquennium admittatur ad probandam nullitatem prioris professionis quacunque ex causa nulla esse dicatur; non tamen excludere quin audiri debeat, qui non solùm probare voluerit, priorem professionem fuisse nullam, sed etiam se non potuisse toto illo tempore illā ratificare, etiamsi voluerit; tunc enim non apparet cur audientia, & propriæ libertatis defensio denegetur. Neque est verisimile, Concilium id voluisse, nec verba eius ad hoc cogunt, nec intentio, quæ præcipue fuit tollere fraudes, & occasiones allegandi, vel fingendi causas nullitatis, in priori professione; & ad hunc finem statuit, vt etiamsi illa fuerit nulla post quinquennium, non sufficere, vt aliquis liberetur à iugo religionis, & itareuera nunquam sufficit si id tantùm probetur. At verò si non illud tantùm iuridice constare possit, sed etiam talem professionem non potuisse ratificari; de hoc casu nihil Concilium loquutum est, nec in eo habet locum præsumptio, nec militat illud periculum doli, aut fraudis. 9.

Vltimò obseruari potest circa hoc decretum à Congregatione Cardinalium declaratum esse sub illo comprehendi milites S. Ioannis, cùm tamen aliàs ab eadem Congregatione declaratum fuerit, ordines militares non comprehendi sub hoc, & superiori decreto 15. quod ita conciliandum videtur, vt hoc posterius intelligatur quoad illos ordines, in quibus ex disputatione fit votum castitatis tantùm coniugalis. Vnde insinuari videtur, hos non ita esse simpliciter, & absolute religiosos, seu regulares, sicut priores. Sed quia de hoc infrà disputandum est, nunc satis sit quoad præsentem effectum, & quoad rationem horum decretorum, ita fuisse iudicatum à Congregatione, quidquid sit, an quoad substantiam vtrique sint veri religiosi. Dubitari etiam hîc poterat, quid teneatur agere religiosus, qui post quinquennium non auditur, cùm ipse certus sit se non esse religiosum. Sed huius dubii resolutio petenda est ex dictis; ita enim de huiusmodi religioso iudicandum est, sicut de illo, qui certus est in conscientia se non esse religiosum, & in exteriori foro probare id non potest, quia hoc decretum Concilii, licet audientiam neget, nouam obligationem in conscientia non imponit pro eo casu, & alioquin stando in ratione naturali, hîc reducitur ad casum impotentiæ, vt per se constat.

10. *Aduertēdum vltimò solos milites Ordinis sancti Ioannis cōprehendi sub hoc decreto.*

*Dubitatio, ad quid teneatur religiosus, si elapso quinquennio nō auditur.*

INDEX

# INDEX CAPITVM LIBRI OCTAVI.

## DE PAVPERTATE.


CAP. I. VTRVM paupertas sit necessaria ad salutem.

II. Vtrùm paupertatem promittere, seu ex voto seruare sit opus honestum, & de meliori bono.

III. Vtrùm vouere paupertatem extra religionem licitum sit, & honestum.

IV. Quæ sit materia remota voti paupertatis.

V. Quæ sit materia proxima voti simplicis paupertatis, & consequenter ad quid obliget hoc votum.

VI. Quibus modis violari possit simplex votum paupertatis, & quàm graue peccatum illud sit.

VII. Quàm sit antiquum in Ecclesia, vt religiosi nullum habeant proprium, vel quo iure, aut tempore votum solenne introductum sit.

VIII. Vtrùm votum paupertatis excludens proprium in communi, liceat in religioso statu.

IX. Quænam paupertas in religiosis sit omnium præstantissima.

X. Quæ oriatur obligatio ex voto solemni paupertatis, & quomodo obliget.

XI. Quænam acceptio, seu acquisitio alicuius rei sit in religioso vitium proprietatis, & contraria voto paupertatis.

XII. De professione, seu retentione alicuius rei contra religiosam paupertatem.

XIII. Vtrùm religiosus post factam professionem, vel religio nomine illius retinere possit vsum fructuum.

XIV. Vtrùm liceat religiosis habere annuos redditus, seu bona stabilia ex superioris licentia.

XV. De vsu bonorum religiosæ paupertatis contrario.

XVI. De Testamentis religiosorum.

XVII. Quam specialem obligationem inducat votum paupertatis, quod dominium etiam in communi excludit.

XVIII. Vtrùm in solenne votum paupertatis cadere possit dispensatio.


LIBER

# LIBER OCTAVVS.

## DE PAVPERTATE.

QVÆ hactenus de professione absolute, & quasi generatim diximus, magna ex parte respiciunt traditionem, quæ in illâ fit, & vota solùm quatenus ita illi sunt annexa, vt in aliquib. conditionibus, proprietatibus, vel effectibus cum illa conueniant. Superest ergo, vt de singulis votis ad professionem necessariis in particulari dicamus, nam hoc maxime necessarium est ad distinctam notitiam huius status. Supponimus autem, vota tria esse necessaria, & sufficere ad hunc statum, suprà ostensum est. Quòd si aliqua religio aliquid aliud habeat, id speciale est, & non pertinet ad considerationem status religiosi vt sic.

De his ergo tribus votis, ac materia illorum tripli- 1
ci libro sequenti dicemus, non solùm quatenus sunt solemnia; sed etiam in tota sua latitudine prout cõprehendunt simplicia. Nam cùm in eisdem materiis, de quibus sunt vota solemnia, fieri etiam possint, ac soleant vota simplicia, tum intra statum religiosum, vt patet in religiosis non professis Societatis Iesu, tum etiam extra illum, vt in sæcularibus castitatem vouentibus, & sic in aliis, operæ pretium visum est in vnoquoque libro ex sequentibus agere de his votis in vnaquaque materia in tota sua latitudine incipiendo priùs à simplici ad solemne, vtpote, à minus perfecto ad perfectius, sic enim tractationem de votis simplicibus in particulari non omittimus, & faciliorem paramus viam ad solemnia explananda, vt tandem totius status, ac virtutis religionis perfectam, & completam notitiam, Deo dante, consequemur. Inter prædicta verò vota infimum locum tenet paupertas, quia circa materiam minus perfectam versatur, & ideo ab illa est incipiendum.

### CAPVT I.

#### *Vtrùm paupertas sit necessaria ad salutem.*

HÆretici dicti Apostolici dixerunt paupertatem 2
Apostolicam esse ad salutẽ necessariam, quod etiam senserunt Pelagiani dicentes non posse homines saluari, nisi renuntient omnibus, quæ possident, vt sumitur ex Augustino epistola 89. & 106. Nazian. etiam oratione prima in Iulianum refert statuisse ne Christianis daretur actio ad se defendendum etiamsi rebus omnibus spoliarentur, cùm in Euangelio eis præceptum sit, vt nihil possideant. Hæretici etiam dicti Fratricelli dixerunt, non licere habere aliquid proprium, vt sumitur ex Extrauag. 22. *Sancta Romana*, vbi eos damnat, & antea Bonifac. VIII. iam damnauerat.

Nihilominus dicendum est, paupertatem actua- 3
lem non esse ad salutem necessariam, neque homines præceptam. Quod est de fide certum, & sufficienter conuincitur ex ipso vsu, & statu Ecclesiæ. Nã si paupertas ita esset necessaria ad salutem, erraret vniuersa Ecclesia, & maior pars fidelium eius, etiam si seruarent omnia alia præcepta, essent in statu damnationis, quod repugnat eius sanctitati, & veritati. Conuinci tamen potest hæc veritas, partim ratione, partim ex ipso Euangelio. Aut enim loquimur ex natura rei, aut ex aliquo Christi præcepto, neutro autem modo inuenitur diuitiarum possessio ita prohibita, vt paupertas sit ad salutem necessaria. Minor quoad priorem partem de naturali iure latiùs probatur in materia de iustitia tractando de rerum dominio, & est per se euidens; quia diuisio rerum, & dominiorum proprietas contra nullum præceptum naturale est. Nam quamuis Deus ipse dominia rerum non diuiserit, sed absolute potestati, & vsui hominum hæc inferiora bona concesserit, iuxta illud Genes. 1. *Dominamini piscibus maris*, &c. tamen neque vt ipse author naturæ præcepit, vt res semper manerent sub libero, & communi vsu hominum, neque naturalis ratio per se sola dictat esse malum, aut prohibitum hanc diuisionem facere, & vnumquemque proprium aliquid possidere. Quin potiùs generatim ac regulariter loquendo in statu naturæ lapsæ, & conueniens, & moraliter necessarium fuit, quia alioqui vix possent applicari homines vel ad excolendos agros, vel ad alia negotia, & munia sustentationi hominum necessaria. Secundò, quia septimum præceptum Decalogi de non furando naturale est, & ad honestatem morum necessarium: ergo id, quod intrinsecè ad illud supponitur, non potest esse contra natutalem legem; supponit autem rerum dominium, & proprietatem; nam in definitione furti ponitur, quòd sit acceptio rei alienæ inuito domino. Tertiò id est manifestum ex discursu totius veteris testamenti: nam à principio humani generis ab ipsis filiis Adæ cœperunt homines habere proprias possessiones, & diuitias maxime rerum mobilium, ac se mouentium, & sanctissimi viri diuites satis fuisse leguntur, tam in lege naturę, vt Iob, Abraham, &c. quam in lege scripta, quo tẽpore Deus abstulit à barbaris gentibus terram promissionis, & suo populo tradidit, eamque deinde missis sortibus inter Tribus diuisit, posteaque regnum Sauli tradidit, quod postea in Dauid transtulit, cuius filius Salomon ditissimus fuit. In hoc ergo, per se loquendo, & ex sola natura rei, nulla est malitia. Et ratio denique est manifesta, quia in hoc nulla est iniustitia, cùm nullus possit assignari, cui fiat iniuria; secluſa autem iniustitia, nulla alia ratio malitiæ in tali actu, vel obiecto excogitari potest.

Venio ad aliam partem, in qua magis videntur 4.
hæretici errasse, quia in Euangelio interdum videtur Christus Dominus paupertatem, vt omnino necessariam ad salutem postulare. Matth. 19. dixit, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Et Lucæ 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Verumtamen ex his eisdem locis manifestum est, Christum non præcepisse actualem paupertatem, & renuntiationem bonorum omnium, vt necessariam ad salutem, sed solum inuitasse ad illam, eamque consuluisse, vt valde vtilem ad perfectionem, & facilitatem quandam inconsequenda salute. Hoc planè constat ex discursu posterioris testimonii; cùm enim quidam adolescens ad Christum accessisset, interrogans, *Quid boni faciam vt habeam vitam æternam?* Christus solùm respondit, *Si vis ad vitam ingredi, serua manda-*

*mandata*. Ille autem iterum interrogauit: quæ? Christus autem præcepta decalogi proposuit, nulla diuitiarum, aut paupertatis mentione facta. Ad quem iterum adolescens, *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?* Ait illi Iesus, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me.* Vbi primùm expendo Christum hoc proposuisse extra præcepta, idque addidisse vltra ea, quæ sunt simpliciter necessaria ad consequendam salutem; cùm enim interrogationi factæ, plenè respondisse credendus sit, ea sine dubio, quæ simpliciter necessaria sunt, proposuerat, nam sub illis præceptis reliqua virtute continentur: ergo quod postea addit extra præcepta est. Deinde expendo illas duas conditionales. *Si vis ad vitam ingredi, & si vis perfectus esse.* In quibus clare ostendit Christus ad ingressum vitæ non esse necessarium vendere omnia, &c. sed ad perfectionem obtinendam. Declarauit etiam illa duo, scilicet, ingredi ad vitam, & perfectum esse, inter se distincta esse, & diuersis mediis comparari, & primum sine posteriori contingere. Vnde constat ineptam fuisse Pelagianorum expositionem apud Augustinum epist. 89. q. 4. *Si vis perfectus esse*, id est, si vis, vt nihil tibi desit ad salutem, nam ipsemet adolescēs interrogauit, *Quid adhuc mihi deest.* Et Christus, vt Marcus expressit cap. 10. *Vnum tibi deest.* Sed planè intelligit deesse ad perfectionem, non ad salutem, aliàs & immeri ò distinxisset inter vitam & perfectionem, & falsò dixisset, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; intelligendo de illis mandatis, quæ numerauerat, seclusa renuntiatione, quam postea addidit. Atque hoc modo intellexerunt hunc locum Chrysost. & omnes Græci ibi Anselm. D. Thom. & alij Marci 10. & alii Patres sequenti assertione citandi. Et videtur res adeò clara ex ipso contextu, vt vix possit ad alium sensum detorqueri.

4. *Discipulum Christi duob. modis qua dicitur.*

Et eundem sensum habere potest, quod Christus dixit Lucæ 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Discipulus enim Christi (quod ad varia loca Euangelii intelligenda notandum est) dupliciter dicitur. Primò, omnis ille, qui fidem Christi sequitur, & præsertim si eam habeat viuam, & in illa perseueret, quomodo dicebat Christus Ioan. 8. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*; illa enim verba de omnibus credentibus dixit. De qua acceptione legi potest August lib. 2. de consens. Euangelist. cap. 1. circa finem. Alio modo specialiter dicitur discipulus Christi, qui in perfectione vitæ, & renuntiatione sæculi illum imitatur: sic specialiter vocantur discipuli illi 72. quos Christus designauit Luc. 10 qui discipulorum nomine specialiter significantur. Matth. 9. ibi; *Tunc dixit discipulis, Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Nam Lucas postquam dixerat, *designauit Dominus, & alios septuaginta duos*, subdit, *Et dicebat illis, Messis quidem multa*, &c. Et vtroque modo sumitur frequenter illa vox tam in Euangelio, quàm in actis Apostolorū. Si ergo in prædictis verbis Lucæ, discipulum hoc posteriori modo accipiamus, eum planè intelligemus, qui vult perfectus esse, & ideo illi meritò dici potest, non posse consequi quod intendit, nisi renuntiet omnibus, quæ possidet. Nam in illa conditionali posita à Christo, *Si vis perfectus esse*, &c. includitur hæc necessitas talis medij ad talem finem, & consequenter impossibilitas consequendi illum gradum, seu statum perfectionis: at verò esse illo modo discipulum Christi, non est simpliciter necessarium ad salutem, vt declaratum est, & ideo inde etiam non probatur renuntiationem omnium rerum esse necessariam, vel in præcepto. Alium verò sensum, & fortasse magis proprium habere potest hic locus, vt statim dicam.

5. Quod ergo in prioti loco Matth. Christus Dominus addidit de comparatione Cameli, dupliciter exponi potest. Primò vt iuxta subiectam materiam, & consequenter ad ea, quæ proxime dicta erant, ibi non sit sermo de quocunque ingressu in regnum cœlorum, sed per antonomasiam de ingressu per quandam excellentiam, & perfectionem, seu (quod idem est) de tali ingressu; quod sine vllo impedimēto, ac detentione, statim pateat. Postquam enim Christus respondérat, *Si vis perfectus esse*, &c. refert Euangelista adolescentem abiisse tristem, tunc autem subdit Christus, *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum*: ergo loquitur de introitu cum perfectione, seu ad perfectionem; nam illi adolescēti diuiti non fuerat difficile seruare mandata, nedum impossibile, cùm à iuuenture sua illa seruasset, non obstantibus diuitiis. Nec enim dubitari potest, quin verum dixerit, vt rectè Chrysostom. notauit. Nam Marcus cap. 10. ait Christum statim eum intuitum esse, & dilexisse eum; quod beneuolentiæ signum, veritatem ipsum dixisse satis declarat: ergo quod reliquum erat, ei fuit difficile, scilicet tendere ad perfectionem, quam difficultatem ex diuitiis ortam fuisse declarauit Matthæus, cùm dixit, *Erat enim habens multas possessiones, & propterea abiit tristis.* De hoc ergo introitu, deque difficultate ad illum, loqui videtur Christus. Hāc verò adeò exaggerauit Christus exemplo Cameli, vt impossibilitatem esse significauerit, vtrunque verò cum proportione accommodatum, verum est: diuiti enim difficile est regnum cœlorum cum perfectione quærere, quia propter amorem diuitiarum, difficile illi est omnibus renuntiare: ei autem, nisi hanc difficultatem superet, impossibile est retinendo diuitias, perfectionem profiteri, sicut Camelo impossibile est per foramen acus introire. Quę expositio veram doctrinam continet, ac pia est; aliquantulum tamen videtur violenta quoad proprietatem verbi, intrandi in regnum cœlorum.

6. Aliter ergo exponitur ille locus, vt per eam comparationem magna quædam difficultas, & humana impossibilitas significetur, non verò talis, quæ præcepto relinquendi diuitias, sed ex impedimentis, & periculis, quæ secum afferunt, oriatur; neque etiam talis, quæ nullo modo superari possit, quæ non solis viribus humanis, sed diuina gratia vinci possit. Hunc sensum indicant ipsa Christi verba: nam initio solùm dixit, *Diues difficilè intrabit in regnum cœlorum*, quod ex eo intulit, quòd adolescens ille propter amorem diuitiarum, tristis abiit, inde occasionem sumens ad prædicandam difficultatem, quam diuitiæ secum afferunt ad consequendam salutem. Deinde quamuis hyperbolico exemplo difficultatem exaggeret, non oportet rem esse æque impossibilē, loquitur enim Christus Dominus communi, & vsitato modo, quo solent homines per aliquam huiusmodi hyperbolem, magnam alicuius rei difficultatem declarare. Tandem cùm discipuli admirarentur, Christus admirationem abstulit, dicens, *apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*; non est ergo malum, nec turpe esse diuitem in sensu composito, vt aiunt. Est ergo solùm difficile propter impedimenta, quæ diuitiæ secum afferunt, quæ licet humanis iuribus vinci non possint, cum diuina gratia possunt, & ideo apud Deum possibile hoc dicitur, vt notauit Gregor. Nazianz. orat. 36. & August. dicta epist 94. q. 4. Et hoc ipsum significauit Paul. 1. ad Tim. 6. dicens, *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis hodie abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Supponit ergo Paulus, posse diui-

diuites etiamsi diuites maneant, veram vitam apprehendere, dummodo in diuitiis non nimium confidant, & eis rectè vtantur, quos *in Deum diuites* appellat Christus Luc. 12.

Eriuxta hæc exponi etiam potest locus alius, Luc. 14. admittendo in illo esse sermonem de necessitate medii, seu præcepti ad salutem, atque adeo de quocunque vero Christi discipulo, qui saluari vult. Est autem aduertendum, necessitatem ibi insinuatam pertinere ad præceptum affirmatiuum, renuntiandi omnibus, quæ possidentur, in quo seruanda est regula affirmatiuorum præceptorum, quia non pro semper obligant, sed pro articulo necessitatis. Ita ergo non est necessarium ad salutem semper, aut pro aliquo certo tempore speciali lege definito, omnibus renuntiare, sed tunc solum, quando vel ad fidei defensionem, vel occurrentem aliquam obligationem charitatis fuerit necessarium. Et quia hæc occasio rara esse solet, ideo hæc necessitas, quatenus sub præceptum cadit, dicitur non esse de renuntiatione actuali, sed inanimi præparatione. Quomodo exposuit dictum locum D. Augustin. epistola 5. & dicta epistola 89. q. 4. quem sequitur Beda in Lucam, qui ad hoc explicandum distinguit inter illa verba, relinquere omnia, & renuntiare omnibus; *Paucorum enim* (inquit) *perfectorum est relinquere omnia, hoc est, curas mundi postponere; cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, hoc est, sic tenere omnia, quæ in mundo sunt, vt per ea non teneatur in mundo.* Consonatque hæc expositio his, quæ paulo superius Christus dixerat, Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Nam licet hæc verba relata ad discipulum posteriori modo suprapositio sumptum, id est, perfectiori modo sequentem Christum, possint de actuali renuntiatione verificari; tamen intellecta generatim de discipulis Christi, id est, de omnibus Christianis, necessarium omnino est, vt prædicto modo intelligatur. Idem ergo est de aliis verbis, quæ tractauimus: nam est eadem ratio, imo virtute eadem sunt: nam cum Christus concludit, *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet*, non solum de diuitiis, & bonis fortunæ, quæ sunt de materia paupertatis, sed simpliciter de bonis omnibus, quæ supra numerauerat, loquitur, alias non declarasset satis, & concludisset, quod proposuerat, vt recte obseruauit Augustin. epist. 38. ad Lætum, vbi sic ipse concludit. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ sunt eius, non potest meus esse discipulus.* Et subiungit, *Præcutio autem cum extrema conclusione concordat; in eo enim quod vnusquisque renuntiat omnibus, quæ sunt eius, etiam illud continetur, vt oderit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc & animam suam, omnia enim hæc propria eius sunt, quæ plerunque implicant, & impediunt, &c.*

## Caput II.

### *Vtrùm paupertatem promittere, seu ex voto seruare, sit opus honestum, ac de meliori bono.*

1. Barbosa. Negarunt aliqui hæretici, qui ad aliud extremum declinantes, melius esse dixerunt temporalia bona retinere, & ex eis eleemosynas facere, quam omnibus renuntiare; ita erasse Vigilantium refert D. Hieronym. libro contra illum, hæretici etiam huius temporis sicut alia consilia, & vota contemnunt, ac reprehendunt, ita etiam paupertatem, & votum eius, nam intentione cultus illam consecrate Deo, dicunt esse superstitiosum, & sacrilegum; alia vero intentione illam assumere voluntarie propter vitandas curas temporalium rerum dicunt esse vanum, & stultum, quia satis est ferre paupertatem, quam necessitas affert, & quia maiorem anxietatem, & solicitudinem afferre solet rerum necessariarum penuria; ob hanc enim causam sapiens petebat, Prouerb. 30. *Mendicitatem, & diuitias, ne dederis mihi.* ita ferè refert Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 8. Castro etiam lib. 12. contra hæreses verbo *Paupertas* hæres. 3. refert quendam Guilhelmum de sancto amore docuisse, paupertatem in promptitudine animi, quando necessaria fuerit ad Christi honorem, esse optimam, & à Christo commendatam, paupertatem vero actualem, per quam aliquis omnibus renuntiat, nec consulendam esse, nec laudandam. Quod etiam ex parte sensit Desiderius quidam Longobardus, cuius meminit D. Thom. opuscul. contra impugnantes religionem cap. 6. dicens, voluntariam paupertatem noxiam esse, nisi vel quis eam profiteatur in religione, quæ saltem in communi prouentus habeat, vel talis persona sit, quæ labore manuum victum sibi comparare valeat. Vnde hic hæreticus præcipuè videtur intendisse mēdicitatem damnare. Quem errorem damnauit Alexander IV. in bulla propria, nam eius tempore hic error contra religiones mendicantes resurrexit, contra quem plura infra dicemus. Quoniam vero hæretici semper extremis viis incedunt, non defuerunt alii, qui paupertatem ita laudauerint, vt solam illam ad peccata omnia expianda, & salutem consequendam sufficere dicerent. ita sensit quidam Guilhelmus Antuerpiensis, vt Castro, & Prateolus in catalogo hæreticorum referunt. Sed isti omnes ferè sine fundamento loquuti sunt, & ideo in eorum argumentis referendis, aut soluendis non immoror, obiter vero quod necessarium sit, attingemus. *Error aliius affirmantium.*

Dicendum ergo est, votum simplex paupertatis per se sanctum, & honestum esse, ac de meliori bono; conclusio est certa, & catholica. Vt autem illam distinctè probemus, tria distinguere necesse est. Primum est, obiectum, seu materia huius præcepti, quod est paupertas. Secundum est, votum eius generatim consideratum. Tertium est, quod hoc votum sit simplex. De singulis ergo probandum est, per se conferre ad sanctitatem talis actus, nullamve rationem mali secum afferre. Et primo quidem de materia ipsa, quod mala non sit, etiidens est, quia contra nullum est præceptum: sicut enim nulla est lex naturalis, vel positiua prohibens homini possessionem diuitiarum, ita multominus est lex, quæ diuitias habere, vel procurare præcipiat; vbi enim reperiri poterit talis lex, aut quo discursu rationis colligi? Dices, eo præcepto naturali, quo præcipitur homini vitæ propriæ conseruatio, & decens, ac honesta corporis cura, quoad victum, vestitum, & habitationem, consequenter præcipi homini, vt hæc saltem possideat, quæ ad huiusmodi vsum necessaria sunt: nam & Paulus etiam dicebat 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*: indicans saltem his non posse hominem renuntiare. Sed non potest homo semper temporibus necessariis habere hæc omnia parata, nisi habeat bona, vnde huiusmodi fructus percipiat: ergo videtur in illo præcepto naturali includi obligationem habendi, vel non abiiciendi illa bona, quæ ad hunc vsum sufficiunt: ergo absoluta, & integra paupertas non est obiectum, quod cum honestate, & laude amari, vel promitti possit. Hoc vero argumentum contra illam maximam paupertatem procedit, quæ ad mendicandum cogit hominem, & ideo illius plenam solutionem trademus inferius agentes de paupertate religiosorum mendicantium. Nunc ergo breuiter respondetur, negando minorem. Nam in primis si quis in ea communitate viuat, cuius com- *2. Assertio tres partes includens.*

munibus bonis sustentetur, recte potest habere vsum omnium rerum necessariarum cum integra paupertate personali. Sed nunc ad illud etiam non arctamur, & ideo dicitur vltetius posse hominem labore manuum suarum habere necessaria ad vitam, ac proinde sine dominio, & possessione aliorum bonorum illi necessitati satisfacere. Deinde dicitur, iustè posse aliquem renuntiare omnibus bonis, etiamsi sciat necessarium sibi postea futurum mendicare ad satisfaciendum prædictæ naturali obligationi, dummodo ad mendicandum rationabilem aliquam causam habeat, ob quam aliunde viuere non possit, huiusmodi autem sufficiens causa est paupertatis professio cum aliqua exercitatione, occupatione, aut ministerio spirituali, quod proprio labore necessaria quærere non permittat. An vero hæc paupertas ptiuet omni dominio, necne, postea dicemus.

3. *Commendationes paupertatis.*

Tandem in huius paupertatis commendationem sufficiunt Christi verba Matth. 5. *Beati pauperes spiritu.* Quamuis enim hic locus varias habeat expositiones, certum nihilominus est, hunc qui piissimus est, non esse excludendum, scilicet, vt Christus veram, ac voluntariam paupertatem ibi maxime laudet; ita enim Hieronym. Beda, Anselm. & D. Thom. locum intellexerunt. Item moderni ferè omnes expositores; Bernard. Sermone 1. in festum omnium Sanctorum, Gregor. Nissen. lib. de beatitudinibus, Leo item in sermone circa hunc locum Matth. licet de humilitate, & affectu paupertatis etiam locum intelligat: dicit tamen realem etiam paupertatem voluntariam commendari, vt vtilissimam ad veram humilitatem, internamque affectus moderationem, & ita est etiam intelligendus ibi Chrysost. & August. lib. 1. de sermone Domini in monte, ac videri potest D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 12.

4. *Probatur secunda pars, quod sit de meliori bono, & sit opus consilii.*

Vt autem hæc paupertas possit esse materia voti, non satis est, non esse malam, sed oportet ostendere esse meliorem suo oppositio, atque adeo pertinere ad bona supererogationis, & consilii; hoc autem capite præcedenti satis videtur probatum Christi Domini testimonio, & authoritate, nam eo loco vbi non præcipit relinquere omnia tanquam necessarium ad vitam æternam, illud ipsum consulit tanquam necessarium ad perfectionem, & vtilius, ac melius ad vitam æternam; hanc enim vim habent illa verba Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c.* Respondebat autem Guilhelmus de Sancto amore Christum ibi loquutum de abiectione omnium in præparatione animi, sicut nuper exponebamus verba Luc. 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, &c.* Verum hæc expositio non potest illi loco accommodari, tum quia renuntiare omnibus in præparatione animi non est consilii, sed præceptum, vt declarauimus. Christus autē ibi non proponit hoc vt aliquid contentum in præceptis, sed vt aliquid additum vltra præcepta, vt explicauimus: tum etiam quia verba ipsa, *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, manifestè significant realem executionem, seu actualem derelictionem omnium. Tum denique quia ipsimet Apostoli ita intellexisse videntur, cum statim subdiderunt, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Aliter Osiander hæreticus eludebat hunc locum, dicens verum esse Christum dedisse consilium hoc illi adolescenti, non vero proterea dedisse nobis omnibus. Sed est profecto voluntaria responsio ex sola pertinacia orta; cur enim respectu illius adolescentis fuit salutare illud consilium, si materia ipsa secundū se, & respectu omnium non est materia consilii. Deinde simul dixit illi Christus, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et, *si vis perfectus esse, vade, & vende*; sed illud prius non dixit soli, sed in illo omnibus; ergo, & posterius. Præterea quando ille abibat tristis, non intulit Christus, *Quam difficile hic diues saluabitur?* Sed simpliciter, quam difficile diuites, &c. ergo intellexit non illi tantum, sed vnicuiq; diuiti esse optimum consilium amare paupertatem ad periculum diuitiarum vitandum.

5. *Alia expositio Caluiniana reprobatur.*

Aliter conatus est hoc testimonium eludere Caluinus hæreticus, vt Bellarm. supra, & Maldonat. ad locum Matth. referunt, negauit enim Christus illis verbis voluisse dare adolescenti illi consilium aliquod perfectionis, sed tacite illum reprehendere, eo quod fuisset mentitus se præcepta seruasse à iuuentute sua. Veruntamen iam supra ostensum est, nulla vera ratione existimari posse adolescentem illum fuisse mentitum, cùm ea responsione Christo placuerit, & eam ob causam ab eo fuerit dilectus. Deinde non apparet quomodo illa Christi verba prosequantur reprehensionem, aut redargutionem de mendacio. Respondet hæreticus, cum adolescens dixisset se seruare omnia præcepta, Christum proposuisse illi vnum præceptū relinquendi omnia, quod sciebat non esse obseruaturum, vt per hoc ostenderetur falsum esse, quod dixerat, omnia seruasse. At quis non videat vanum, & planè falsum esse hoc commentum. Nam in primis Christus nihil præcepit, sed voluntati eius commisit, dicens, *Et habebis thesaurum in cœlo.* Quod ita Patres adnotatunt, illum locum exponentes, & vbicunque attingunt tractationem de consiliis euangelicis, vt videre licet in Augustino dicta epist. 89. q. 4. & sermone 6. de Tempore. *Consilium* (inquit) *datur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur.* Ambros. optime lib. de viduis, circa medium, & Hieronymus contra Vigilantium. Deinde quale est hoc præceptum, quod in eis verbis Christi fingitur, aut enim generale præceptum est, omnes obligans, & hoc satis refutatum est, & ostensum ipsis verbis Christi repugnare; vel fuit peculiare præceptum à Christo Domino illi adolescenti impositum, & hoc parum valuisset ad redarguendum illum, tum quia licet seruasset omnia præcepta, posset tunc cum tristitia suscipere arduum, & inusitatum præceptum; tum etiam, quia nondum Christus Dominus persuaserat, aut conuicerat adolescentem illum, vt præceptum illud acceptare, aut seruare teneretur: ergo licet illi non obediret, non conuinceretur falsò dixisse se ab adolescentia præcepta seruasse. Non est ergo dubium, quin Christus Dominus illo loco consilium paupertatis dederit, vt præter expositores ibi, & authores citatos, docuerunt Basilius in homilia contra diuites auaros, & Hieronym. epist. 150. ad Hedibiam q. 1. Cyprianus lib. de lapsis, prope initium. Tertullian. vero lib. de Monogamia cap. 14. cum dicit, *Discessit, & ille diues, qui non cæperat substantiæ diuidendæ egenis præceptum*, latè vius est præcepti nomine pro quacunque admonitione, vel voluntatis manifestatione. Vide etiam Thomam de Kempis lib. de paupertatis vtilitate.

6. *Probatur eadem pars ratione.*

Ratione tandem conuinci potest eadem veritas, quia duobus modis potest esse aliquid materia consilii, & inter supererogationis bona computari. Primo tanquam per se, & in se continens excellentem aliquam honestatem per se amabilem, quomodo est bonum dare eleemosynam, vel orare etiam, quando non tenemur. Secundum tanquam medium vtile ad perfectionem acquirendam; & quilibet horum modorum sufficit, vt aliqua possit esse materia voti, sicut est in superioribus demonstratum. Paupertas ergo per se, ac præcise spectata non est prior modo bona, quia nec diuitiæ per se malæ sunt, sed ex se indifferentes. Posteriori autē modo est vtilissima, quia tollit impedimenta perfectionis. Vnde D. Thom. 3. contra gentes cap. 133. *Non* (inquit) *paupertas secundum se bona est, sed in quantum liberat ab illis, quibus homo impe-*

impeditur, quominus spiritualibus intendat. Quod ergo paupertas sub hac ratione eligibilior sit, quam diuitiæ, probatur ex impedimentis, quæ per se loquendo secum afferunt diuitiæ possessæ, recte enim priuatio ex habitu cognoscitur.

1. Primo ergo diuitiæ possessæ ad sui amorem cor attrahunt, & alliciunt, vt experientia constat, & ostensum est in illo adolescente, qui propter amorem diuitiarum, quas possidebat, tristis effectus est, cum audiuit, *Vade, & vende omnia quæ habes.* Vnde egregie Augustin. epist. 34. ad Paulinum, & Therasiam, *Nescio* (inquit) *quomodo cum superflua, & terrena diligantur, artius adepta, quam concupita constringunt: nam inde tristis ille discessit, qui consilium vitæ æternæ consequendæ quærebat à Domino, cum audisset vendenda esse omnia sua, sibi velle esse perfectus, nisi quia magnas, vt Euangelium loquitur, habebat diuitias? aliud est enim nolle incorporare quæ desint, aliud iam incorporata diuellere, illa velut sibi repudiantur, hæc velut membra præciduntur.* Hic autem diuitiarum, & bonorum temporalium amor per se se impedit perfectionem charitatis, tum quia vix potest haberi sine aliqua imperfectione, vel leui culpa, nam vel diuitiæ non tantum propter Deum, aut virtutem, vel necessitatem, sed propter se, vel propter voluptates huiusmodi, vel honores amantur, vel certe plus amantur, quam expediat, & ita mentem distrahunt, & occupant, ne tam frequenter, aut feruenter in Deum ferri possit, propter hoc enim Augustinus cum Deo loquens dixit 10. confessionum cap. 29. *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Atque hunc diuitiarum affectum optime explicauit Christus Luc. 12. in parabola illius diuitis, qui dicebat, *Anima habes multa bona in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Quibus etiam verbis significantur alia plura spiritualia incommoda, quæ ex hoc affectu & possessione diuitiarum sequi solent, qualia sunt quædam obliuio mortis, & futuræ vitæ, affectusque ad voluptates corporis procurandas cum nimia quadam securitate. Præterea huc accedit solicitudo, quæ regulariter necessaria est ad huiusmodi diuitias conseruandas, de qua Christus Matth. 13. dixit, solicitudinem sæculi, & fallaciam diuitiarum esse spinas, quæ suffocant Verbum Dei; *quia bonum desiderium ad cor intrare non sinunt*, vt dixit Gregor. homil. 15. in Euangel. *Suffocant enim*, ait, *quia importunis cogitationibus suu guttur mentis strangulant.* Et infra: *Per curam mentem opprimunt, & per affluentiam resoluunt; quodam enim tempore per custodiam suam solicitudine affligunt, atque adeo per abundantiam ad voluptates emolliunt.*

1. Hinc etiam fit, vt valde difficilis sit bonus diuitiarum vsus, quia cum difficultate amittuntur, quæ cum amore possidentur; bonus autem diuitiarum vsus esse non potest sine ipsarum amissione; propter quod aiebat Christus Lucæ 12. *Videte, & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his, quæ possidet.* Et Paulus 1. ad Timoth. 6. inter alia præcipiendum esse diuitibus, facile tribuere, communicare, &c. quia sine hoc vsu pernicioſæ sunt diuitiæ, potiusquam vtiles; hic autem vsus in vniuersum difficilis est. Cum perfectione autem (quod nunc intendimus) illum exercere cum perfecto dominio, & libero affectu difficillimum. Tandem hæc est etiam diuitiarum conditio, vt quo plures possidentur, eo plures acquirendi maiorem cupiditatem accendant, *Tunc enim* (vt ait Chrysost. homil. 64. in Matth.) *violentior sit ipsa cupiditas; nec vnquam*, ait, *prædicare cessamus, accessione pecuniarum, cupiditatem habendi magis, ac magis inflammari.* Si ergo verum est, vt reuera est, quod Augustin. dixit lib. 83. quæstion. q. 36. *Nutrimentum charitatis, est diminutio cupiditatis, profectio, seu* (vt alia habet lectio) *perfectio nulla cupiditas, quia radix omnium malorum est cupiditas; quisque igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus.* Vt autem intelligatur, de qua cupiditate loquatur, subdit, *Est autem cupiditas amor obtinendi, seu adipiscendi temporalia.*

Est ergo euidens, bonorum temporalium possessionem per se loquendo, ac regulariter, potius obesse, quam prodesse ad perfectionem. Nam hæc spiritualis perfectio præcipue consistit in Dei contemplatione, & amore; hæc autem multum impediuntur rerum temporalium solicitudine, vt explicatum est. Consistit etiam, licet secundario, in exercitio moralium virtutum, in quo possunt diuitiæ nonnihil deseruire; sed quia in hoc ipso vsu earum rectitudinem tenere difficile est, & aliunde possunt meliores actiones morales impedire, quales sunt, v. g. spirituales operationes misericordiæ, ideo pensatis omnibus etiam ad perfectionem vitæ actiuæ, plus impediunt, quam iuuant. Consistit denique hæc perfectio in puritate mentis ab omni vitio etiã leui quoad fieri possit, & ab omni desiderio inutili, ac cogitatione terrena. Diuitiæ autem possessæ regulariter secum afferunt huiusmodi mala, vel grauiora, vel leuiora pro modo affectus ad ipsas diuitias; nam, *qui volunt diuites fieri*, vt dixit Paul. 1. ad Timoth. 6. *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua.* Et præcipue solent diuitiæ, vt paulo inferius Paulus indicat, superbiam, & ambitionem generare, & opera abiectionis, & humilitatis impedire, quæ plurimum ad perfectionem tam actiuam, quam contemplatiuam conferunt. Ex quibus omnibus intelligere licet paupertatem quatenus radicem horum malorum tollit, vtilissimam esse, ideoque sub hac ratione merito inter opera supererogationis, & consilii computari. 9. *Corollarium.*

Constat deinde hoc intelligendum esse de paupertate voluntaria, in qua duo includuntur, voluntas carendi diuitiis, & actualis carentia; inter quæ duo illud prius est principale, & maxime intentum, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis: carentia autem ipsa est propter minuendam voluntatem, & cupiditatem. Item quia paupertas, quæ voluntaria non est, sed coacta, potius est incentiuum vitiorum, quam remedium; nam aliquando etiam furandi solet esse occasio, vt dixit D. Thom. 3. contra gentes cap. 134. in fine, sic exponens illud Prouerbiorum 30. *Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar, vanitatem, & verba mendacia longe fac à me, mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.* Vbi enim Latinus vertit *mendicitatem*, Hebræa habet, *paupertatem.* Quod D. Thom. de coacta paupertate intelligit, quem Iansenius ibi sequitur, & recte expendit verborum connexionem, nam diuitiæ vanitatem, paupertas autem (scilicet coacta) verba mendacia generare solent. Et ideo sapiens illa per modum vnius postulauit, quia vnum est propter aliud. Quod ipsemet sapiens satis explicauit subdens, *Ne forte, satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Vbi etiam dictio illa *compulsus*, egestatem inuoluntariam denotat. Et propter hanc causam dixit D. Thom. lib. 4. de regimine Principum, pauperes voluntarios, & contemptores diuitiarum optimos esse ad regendam rempublicam, pauperes autem coactos esse ineptissimos, quia facile corrumpuntur, & in propriam vtilitatem omnia conuertunt propter appetitum diuitiarum, quibus carent. 10. *Paupertas voluntaria duo includit.*

Ex quo facile est respondere ad omnia quæ contra excellentiam, & maximam vtilitatem paupertatis obiici possunt; vnum enim, ac præcipuum est, quia paupertas solet esse occasio turpes, & iniuriosas actio- 11. *Satisfit argumentis in contrarium factis.*

actiones perpetrandi. Propter quod videtur dixisse Paul. 2. ad Corinth. 8. *Non enim, vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate*; loquitur enim de moderatione seruanda in facienda eleemosyna, non enim esse debet homo tam liberalis, vt seipsum priuet necessarijs, quod nomine tribulationis Paulus indicat, sentiens paupertatem secum tribulationem, & tentationem afferre. Deinde quia paupertas neque ad perfectionem confert, nec necessaria est; Abrahæ namque quamuis esset ditissimo, dixit Deus, Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*, & Paulus ait 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Et alia multa videri possunt in D. Thoma 2. 2. quæst. 186. art. 3. & 5. contra gentes cap. 131. & sequentibus, omnia vero ex principijs positis facile dissoluuntur. Aduertendo in primis in his rebus moralibus nihil ferè inueniri posse, quod omni inconuenienti, vel difficultate careat, illudque esse præferendum quod plura commoda, & pauciora, & minora habeat incommoda. Vnde licet concedamus paupertatem etiam voluntariè assumptam, interdum posse afferre aliquod incommodū, vel quia in aliqua occasione impedit, ne opus aliquod misericordiæ operari possimus, vel quia interdum potest esse remota occasio alicuius tentationis, vel periculi contra honestatem, vel aliam virtutem; nihilominus non sequitur ipsam non esse meliorem, quia hæc incommoda parua sunt, & rara comparatione fructuum, quos secum affert, & illa incommoda possunt facile, vel compensari, vel superari, aut impediri. Nam externa eleemosyna desiderio compensatur, quantum spectat ad exercitium propriæ virtutis. Temporalis autem necessitas proximi, & minoris considerationis est, & regulariter loquendo aliis modis suppleri potest. Tertio autem si ea occasione occurrerit, & est res valde remota, & accidentaria, & diuina gratia superari facile poterit, & adhibita prudentia ferè semper poterit præueniri, & præcaueri, si absit nimia rerum temporalium solicitudo.

12. Vnde addimus vlterius (quod caput est) quando paupertas voluntaria est, & incommoda illa rariora esse, & multo facilius euitari. Atque ita exponit D. Thom. supra citatum locum Pauli 2. ad Corinth. 8. loquitur enim Paulus ad fideles, qui in communi statu viuentes eleemosynas faciunt; his enim non est voluntaria paupertas, nolunt enim mutare statum suum, & ideo graue illis esset, & onerosum eleemosynas facere vltra mensuram, & proportionem suarum facultatum, ac status sui, & ideo in his ratio prudentiæ postulat, vt debitam moderationem seruent, ne postea ex nimio excessu contristentur; & alia grauiora incommoda incurrant. Secus vero est de illo, qui vult mutare statum, paupertatem voluntariè amando, nam in illo nullus est excessus vendere omnia, & in eleemosynam dare, quia iam illud est commensuratum statui, seu proposito suo, vt rectè D. Thom. supra declarauit. Addo etiam Paulum in hoc loco non absolutè prohibere diuitem ne faciat liberales eleemosynas, quantum voluerit, sed præcipue docere non obligari ad eas faciendas, nisi iuxta debitam mensuram suarum facultatum, & status, & ideo non oportere hanc mensuram excedere regulariter loquendo; cum hoc tamen stat, vt si quis non ex ignorantia iuris putans se teneri, neque ex ignorantia facti putans se non indigere, merè voluntariè liberalior sit in eleemosyna facienda, exponendo se periculo limitandi statum, aut priuandi se aliqua commoditate etiam licita, illud per se honestum est, & laudabile, & ex parte est aliqualis paupertas voluntaria. Dico autem *per se*, quia vitanda est iniuria tertij, qualis esset in patre familias, v. g. respectu vxoris, & filiorum.

13. Ad alteram partem fatemur sine paupertate esse posse perfectionem, & cum paupertate etiam voluntaria posse esse maximam imperfectionem; imo & malitiam. Inde vero non sequitur paupertatem non esse maximum instrumentum perfectionis acquirendæ, & ad statum perfectionis necessarium, vt infra explicabimus. Potest enim hoc medium esse vtile ad perfectionem, etiamsi necessarium non sit, & ideo potuit Deus ab Abrahamo postulare, vt esset perfectus, quanuis paupertatem tunc ei non consuluerit, quia illi tempori, & statui non expediebat. In hoc ergo valde errant hæretici, cum nō distinguunt inter legalem, seu naturalem perfectionem, & Euangelicam, nec quid diuersis temporibus expediat. Sicut ergo (vt supra dicebamus) coniugium tunc expediebat, & maxime in illis antiquis progenitoribus Christi, & ideo virginitas regulariter non consulebatur, ita etiam nec paupertas actualis, quæ statui coniugali proportionata non est, consulebatur autem semper ea exterior perfectio, quæ affectum diuitiarum ita moderetur, vt licet diuitiæ habeantur, non impediant, nec promptitudinem ad diuinum obsequium minuant, quam perfectionem credendum est postulasse Deum ab Abrahamo. Rursus, licet paupertas sit medium ad perfectionem, non tamen est ipsa perfectio, neque illam secum necessario affert, nec sola sufficit ad illam, & ideo merito dictum est à Paulo, distributionem bonorum omnium in eleemosynam, si charitas desit, nihil prodesse, quia deest forma, & vita perfectionis; & quia tunc reuera talis eleemosyna, neque est fructus charitatis, neque assumitur, vt medium ad perfectionem charitatis. Quod si quis prius reuera sub tali intentione, & ex vero charitatis affectu illud medium assumpsit, & postea in aliis est negligens, & charitatem amittet, sibi ipsi non constat, & tacitè à priori intentione recedit, & ideo mirum non est, quod fructum, & vtilitatem paupertatis non asse quatur.

14. Secundo loco probandum est, sicut paupertas ipsa bonum supererogationis est modo à nobis declarato, ita etiam illam voto promittere, & Deo consecrare opus consilij, & optimum esse. Quod quidem ex principijs positis de voto in communi euidenter concluditur; nam actus vouendi per se bonus est, & cadit sub consilium: ergo si cadat in materiam debitam, & proportionatam diuino cultui, erit etiam tale votum sub consilio; cum ergo ostensum sit paupertatem voluntariam esse huiusmodi materiam, euidenter concluditur, votum illius licitum esse, & consulendū per se loquendo. Vnde ex iisdem locis, & verbis, quibus Christus Dominus paupertatem consuluit, votum hoc etiam consuluisse colligendum est, quia si paupertatem consuluit, ergo & perpetuitatem eius; ergo & immobilitatem, seu firmitatem, propter quam votum adhibetur. Item consuluit paupertatem propter perfectionem; ergo multo magis perfectionem ipsam; & paupertas voto consecrata Deo, & perfectior est, & magis ad perfectionem confert; ergo. Denique verba ipsa Christi Matth. 19. hoc ipsum indicant. *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Nam in prioribus verbis talis alienatio rerum indicatur, quæ non relinquit potestatē amplius illas recuperandi. Vltimum autem verbum, *sequere me*, indicat professionem talis status, in quo non de acquirendis diuitijs, sed de acquirenda perfectione curandum est. At nihilominus Caiet. ibi notat, nullum à Christo Domino indici votum volenti perfectionem assequi, & idem repetit Luc. 14 Tamen in 2. 2. quæst. 186. art. 1 circa ad primum declarat Christum non docuisse expressè hoc votum, tamen implicite in his, quæ docuit contineri, quod in eadem solutione D. Thom. dicit, quia

*Probatur secunda pars quod sit optimum & opus consilij Votum paupertatis. Primo.*

quia Christus docens, quod necessarium est ad perfectionem comprehendit id, quod ad immobilitatem propositi perfectionis necessarium est, nam si non sit immobilis, perfectio non erit, ex voto autem habet immobilitatem. Igitur quanuis ibi expresse non dicatur ita esse relinquendas diuitias, vt neque illas recuperare, neque alias similes quærere iam liceat, tamen per se verosimile est, aut hoc præcipuè Christum intendisse, aut certe sub consilio suo hoc comprehendisse; quia alias non esset perfecta renuntiatio, rerumque omnium derelictio.

Atque hoc confirmant verba, quæ statim eodem loco Petrus dixit, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*; quasi diceret, expleuimus consilium tuum, vt Origenes, Hieronymus, & Chrysostomus exponunt: Apostoli autem reliquerant nunquam iterum acceputi, alioqui non perfecte omnia reliquissent, imo nisi affectum, & spem omnium reliquissent, non possent simpliciter dicere, omnia reliquisse, maxime cum pauca, & vilia essent, quæ prius possidebant. Quod notauit Gregor. hom. 5. in Euangel. dicens, *Multum reliquit, qui voluntatem habendi reliquit, à sequentibus tanta relicta sunt, quanta à non sequentibus desiderari potuerunt.* Quod etiam commemorauit Bernard. in declamationibus circa illa verba Petri prope medium. Et simile est illud Augustini epist. 89. quæst. 4. *Neque mihi minus imputabitur, quia diues non fui, nam nec Apostoli, qui primi hoc fecerint, diuites fuerunt*; Sed totum mundum dimittit, qui & quod habet, & quod optat habere, dimittit.

Dices, ad summum hinc colligi affectu, & proposito reliquisse omnia, quæ in futurum habere poterant, non tamen promissione, & obligatione non habendi. Respondeo primum negari non posse si sanctè, ac religiosè potuerunt id proponere, potuisse etiam id promittere, & se obligare. Deinde addo etiam hoc requiri ad perfectam derelictionem; nam sicut ea bona, quæ in præsenti possidentur, non perfectè relinquuntur, nisi ita alienentur, vt ea etiam repetere non liceat; ita bona, quæ in futuro tempore acquiri possunt, non perfectè relinquuntur, nisi ita à voluntate, & affectu alienentur, vt ea acquirere, ac possidere non liceat. Quod non potest fieri nisi interueniente promissione. Vnde Augustin. 17. de Ciuit. cap. 4. referens hæc verba, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Eodem modo intellexit hunc locum idem August. enarrat. 3. in Psalm. 103. & dicta epistol. 89. quæst. 4.

Tandem hoc etiam confirmat exemplum primitiuæ Ecclesiæ, quæ Apostolorum vestigia sectando, hoc modo paupertatem colebat, iuxta illud Actor. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia.* Quod autem hoc genus paupertatis voto firmarent, ex casu Ananiæ, & Saphiræ Actor. 5. colligitur; nam grauissima pœna, & modo miraculoso puniti sunt, eo quod de pretio proprii agri, quem vendiderant, clam sibi reseruarunt, mentientes, & Apostolum Petrum decipere volentes; nisi enim in hoc agerent contra fidem Deo datam, & contra religionem, vix appareret in facto culpa mortalis; nam licet esset mendacium, & hypocrisis, non esset peccatum illud contra iustitiam, nec contra charitatem proximi, nec etiam contra rerentiam Deo debitam, nec mendacium illud fuisset perniciosum, nec hypocrisis erat ad nocendum aliis, nec scandalosa, maxime cum res esset occulta. Igitur aliunde habuit factum illud grauiorem malitiam dignam illa pœna; quod non potest intelligi quid fuerit, nisi violatio voti. Atque ita intellexerunt hunc locum antiqui Patres, quos refert latè Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 20. & Baron. tom. 1. anno Christi 34. num. 269. Quibus addi potest Athanasius sermone de passione, & cruce Domini, in principio, *Vt Ananias* (inquit) *& Saphira in actibus Apostolorum, qui cum Deo vota fecissent, ex voto subtraxerunt, & cæteros quidem latuerunt; minister tamen veritatis Petrus eos à se extrudit, dicens: Non es mentitus hominibus, sed Deo, qua ex parte ingens miraculum editum est, vt omnes inde cautiores essent redditi, & exemplum Saphiræ perhorruerint; scire enim debemus, quæcunque Deo promittimus, non deinde nostra esse, sed Dei, & si inde quid defraudamus, ea non nos sumere iam tanquam nostra, sed vt Dei sacrilegio compilare.* Quod rectè prosequitur, in paupertate, virginitate, & aliis votis hoc declarans. Eandem expositionem habet Basil. sermone 1. de institutionibus monachorum, in principio. *Licebat* (inquit) *Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri, & vouere.* Et idem orat. 17. de humilitate & vana gloria in principio; Oratione autem de iudicio Dei, quæ est proœmium ad moralia, & orat. 3. de peccato, mitum in modum exaggerat hanc pœnam Ananiæ, quia dignus habitus non est, qui de agenda pœnitentia verbum audiret, nec aliquod temporis spatium ad hoc ei datum est. Cyprianus etiam lib. 3. ad Quirinum cap. 30. ex hoc loco probat vota sine diminutione esse implenda. Idem Hieronymus epist. 12. ad Paulinum, idem Ambros. 1. officiorum cap. 30. & sermone 24. *Ananias* (inquit) *pecuniam pariter perdidit, & salutē, dum enim ex eo quod promiserat partem subtrahit, sacrilegii simul condemnatur, & fraudis.* Quæ verba ex Maximo referuntur in appendice ad Rom. 10. August. sermone 9. qui esse solebat 25. inter sermones Augustini de verbis Apostoli. Tandem in Concilio Aquensi, alias Aquisgranensi III. sub Pipino lib. 3. cap. 21. sic dicitur: *Indubitanter crede, quod in primordio nascentis Ecclesiæ, cœpit eadem Ecclesia vota fidelium suscipere.* Quod statim exemplo Ananiæ, & Saphiræ ostendit; atq; ita concludit: *Si enim de propriis suis rebus, quas ad integrum Deo vouerant, pro eo quod inde aliquid abstraxerunt, vel fraudati sunt, tam horribili morte mulctati sunt, quid putandum est de his, qui ea, quæ alii obtulerunt, Deo auferre præsumunt.*

18. *Votum simplex paupertatis per se honestum est, & cadit sub consilio.*

Tertio loco probandum in particulari est, votum etiam simplex paupertatis per se honestum esse, & sub consilio cadere posse; & quidem si votum simplex generatim sumatur, vt distinguitur à solemni, facile id persuaderi potest; quia si votum solemne est quid honestum, & licitum, cum grauius sit, maioremque abdicationem rerum secum afferat, quia non solum voluntatem, sed etiam capacitatem habendi aliquid suo modo aufert, quo modo votum etiam simplex licitum non erit; tum etiam, quia votum solemne non semper fuit in vsu, vel saltem fuisse non constat, vt infra videbimus. Denique Patres citati simpliciter de voto, & promissione loquuntur, nullam de solemnitate mentionem faciendo, neque ad honestatem, & sanctitatem talis voti illam requirunt. Potest autem hoc votum simplex dupliciter fieri. Primo ita relinquendo omnia quoad priuatum dominium, seu liberum vsum propriorum bonorum, vt tamen in communi in congregatione aliqua, cuius membrum fiat is, qui votum emittit retineantur, vel illa eadem bona, vel similia, eisque non iure proprio, sed totius communitatis, & ex facultate dispensationis eis vti liceat. Secundo modo potest fieri hoc votum, & absque alia status mutatione, vel vnione ad aliquam communitatem, atque ita carendo bonis omnibus, tam in particulari, quam in communi; & vtroque modo damnant hoc votum hæretici. Priori quidem, quia illud, inquiunt, non pertinet ad cultum Dei, sed ad commoditatem propriam, quia nihil est aliud sic vouere, quam prouidere sibi securius in futurum. Posteriori autem, quia est temerarium votum, & contra charitatem propriam,

*Votum simplex paupertatis duobus modis emitti potest.*

*Error hæreticorum.*

vel aliorum, dum quis cogitur, aut necessariis carere, aut ab aliis ea mendicare.

29. *Impugnatur.* Vtraque autem calumnia facile refelli potest. Sed de priori, quia non tantum contra votum simplex, sed maxime contra solemne procedit, dicemus inferius, vbi ostendemus illum vouendi modum, perpetua Ecclesiæ traditione fuisse probatum; nunc sufficiat nobis exemplum paulo antea adductum de primitiua Ecclesia; nam fideles omnia in communi conferebant sub potestate Apostolorum, Actor. 4. *Erant quæ eis omnia communia, diuidebantur autem singulis prout cuique opus erat.* Erat ergo quoddam paupertatis genus sanctum, ac pium, quod etiam voto consecrabatur, vt ostendimus. Quanquam enim bona, quæ à particulari persona relinquuntur, à communitate possideantur, hoc non tollit, quin veram oblationem suorum bonorum Deo faciat, quia seipsum priuat dominio illorum, & iure vtendi, & administrandi illa proprio nomine, & authoritate. Quod vero ex illo dominio communitatis hæc vtilitas proueniat priuatæ personæ relinquenti bona sua, nimirum vt inde possit habere sufficientem vitæ sustentationem, nihil obstat sanctitati, & religioni talis voti; quia consilium relinquendi omnia, non destruit legem prouidendi corpori in necessariis, sed facit vt hoc ipsum ordinatè, & moderatè, vel etiam humiliter fiat. Quæ omnia in illo paupertatis modo optime seruantur; quia non ad arbitrium propriæ voluntatis, sed prælati, & iuxta vniuscuiusque necessitatem, non voluntatem vnicuique prouidetur, iuxta illud, *Diuidebantur autem singulis prout cuique opus erat.*

## Caput III.

### *Vtrùm votum paupertatis simplex extra statum religiosum emissum licitum sit, & honestum.*

1. *Ratio dubitandi.* Nonnulla maior difficultas inueniri potest in altero modo faciendi hoc votũ; propter quam existimare aliquis potest, licet vouere paupertatem in religione optimum sit, tamen extra religionem, & ei, qui priuatam vitam agit, non esse consulendam, vel quia in tali statu non potest vera paupertas seruari, quia non potest talis persona non habere dominium earum rerum, quibus vtitur, & quarum habet liberam administrationem, cum non sit alteri subiectus, neque vnitus alicui corpori, apud quod sit tale dominium. Vel certe, quia priuatus homo paupertatem colere non potest, sibi de necessariis prouidendo, nisi cum aliorum grauamine, & cum morali periculo proprio, si non cadendi, saltem non proficiendi propter solicitudinem, & abstractionem, quam priuata necessitas secum affert, quando cura prouidendi de necessariis alteri commissa non est. Et fortasse propter hanc causam dixit Palud. in 4. dist. 38. num. 13. apud magnos viros dubitatum esse, vtrum liceat ad tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ inducere homines in sæculo remanentes, hoc enim dubium maxime oriri potuit ex voto paupertatis; nam de castitate res est certa apud Catholicos, & satis vsitata. De obedientia item ex genere illius nihil dubitari potest, vt sequenti libro videbimus. Vnde Ecclesia in sacratis clericis votum castitatis requirit; quandam etiam obedientiæ promissionem ab eis exigit; paupertatem autem non solum non præcipit, verum etiam nec consulit, imo nec permittit, nisi religiosi sint; sentit ergo in persona sæculari, vel priuatam vitam agenti paupertatem non esse in consilio.

2. *Assertio est affirmatiua.* Nihilominus dicendum est, votum paupertatis etiam hoc modo factum, per se loquendo, optimum esse, & ad opera consilii pertinere. Quod censeo certum, quia testimonia omnia, quæ adduximus, indifferenter, & sine tali limitatione loquuntur. Et in specie hoc docuit Nauarr. in commentario 1. de regularibus num. 37. & sequentibus, & comment. 2. num. 37. vbi hoc confirmat testimonio Ambrosii lib. 1. de officiis cap. 30. & habetur dist. 86. in cap. *Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari, nisi fortè, vt Eliseus, qui vouens suos occidit boues, & pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se prophetican daret.* Præterea plures sancti vitam solitariam professi sunt, & in ea paupertatem coluerunt, & verosimile est per votum eam consecrasse Deo, vt Paulus Eremita, & similes. Imo Antonius, Benedictus, & alii, qui postea fuerunt patres monachorum, prius in illo vitæ genere se exercuerunt, ac Deo deuouerunt: ergo profitebantur personalem, quanuis in communi nihil habebant, nec partes erant alicuius communitatis, ex cuius bonis communibus viuerent. Præterea ostendimus inferius inter status religiosos illum etiam esse laudabilem, & probari maxime cæteris paribus, in quo paupertas tam in particulari, quam in communi seruatur. In eo igitur paupertatis voto omne dominium tam in particulari, quam in communi abdicatur; ergo idem potest facere persona priuata solitariè sumpta, vt sic dicam, est enim eadem ratio. Et potest etiam argumentum proportionale fieri; nam sicut se habet communitas ad dominium commune, ita particularis persona ad priuatum: ergo sicut aliqua communitas tota religiosè priuatur communi dominio, quæ respectu illius erat quasi proprium, & particulare, ita particularis persona potest etiam priuari dominio, quod respectu illius erat etiam proprium, & quasi adæquatum, & vnicum.

*Probabile est anti. quos Ere. mitas haut paupertatem coluisse.* *Probatur.*

Denique ex hoc genere voti sequi possunt omnia commoda paupertatis, & per se non sequuntur incommoda, vel rationi, vel maiori bono contraria: ergo per se loquendo, optimum est tale votum. Maior constabit facile considerando fructus paupertatis, & ad talem statum, seu personam illos applicando. Numerat autem illos fructus breuiter D. Thom. Isai. 48. dicens, *Paupertas confert multa, primo peccatorum recognitionem, secundò virtutum conseruationem* (scilicet ratione humilitatis) *Eccles. 10. Pauper gloriatur per disciplinam, & timorem suum. Tertio cordis quietem, Tobiæ 5. Sufficiebat nobis paupertas nostra. Quartò desiderii impletionem, Psalm. 9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Quintò diuinæ dulcedinis participationem, Psal. 63. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Sextò exaltationem, 1. Reg. vlt. Suscitat de pulue re egenum. Septimò cœlestem hereditatem, Matth. 5. Beati pauperes spiritu, &c.* Hæc autem omnia, quæ ex superius dictis sumi possunt, in quolibet homine vouente paupertatem dicto modo locum habere possunt, quia hi sunt fructus paupertatis voluntariè sumptæ ex intentione sequendi Christum, quæ est propriè paupertas Christiana, & spiritualis; prædicta autem paupertas voluntaria est, vt constat, & eodem spiritu amari potest: ergo etiam tali modo promissa tollit solicitudinem & cupiditatem rerum temporalium, & incentiuum, seu occasionem elationis, ac superbiæ, atque ita quantum est ex se tranquillitatem animi, & alios effectus supra numeratos affert.

3. *Confirmatur.* *Numeratur fructus paupertatis.*

Minor autem quoad priorem partem ex supradictis probanda est: nam ratio de paupertate generatim facta in hoc genere paupertatis locum habet, quia nec repugnat charitati propriæ, cum natura, & priuata persona paucis indigeat, vel labore proprio, vel humili postulatione facile obtineri possunt. Neque etiam repugnat charitati erga alios, quia quando honesta, seu religiosa occasione subsidium ab eis postulatur, nulla vis, aut coactio illis imponitur, sed potius materia exercenda charitatis offertur. Vnde

non

non immerito addidit Nauarrus supra aliquando licitum esse ex humilitate mendicare etiam sine voto paupertatis, & non facta bonorum renuntiatione, vt quando quis voluntarie peregrinatur mendicando, etiam si alioqui habeat bona vnde possit sibi prouidere, quia satis est, quod de præsenti indigeat, & quod ob exercitium virtutis in ea occasione voluntarie se constituerit: ergo seruata proportione multomagis id poterit facere toto tempore vitæ, qui propter virtutem eam conditionem assumpsit, & promisit. Nec denique est, quod de alio incommodo anxietatis, vel solicitudinis timeat, si in vero affectu paupertatis perseueret, & iuxta illum humiliet, & abiecte viuere contentus sit. Illustre de hac re exemplum proposuit DEVS in Ecclesia in Sancto Alexio, qui religiosus non fuit, & relictis multis diuitijs paupertatem perpetuo coluit ex eleemosynis viuens, prius peregrinando, postea in paterna domo incognitus, & illo medio ad insignem sanctitatem perueniit. Et quamuis non constet illud genus paupertatis DEO obtulisse, verisimile autem est tam constans propositum promissione firmatum, & quidquid sit de facto, euidens est, quod tam sancte fieri potuit, religiose etiam potuisse promitti. Adduci etiam potest in exemplum mos ille, cuius Nauar. meminit comment. 1. de regular. num. 18. in fin. de quibusdam clericis, qui sine clerica is habitus mutatione se offerunt Sanctissimæ Domin. N. de monte Ferrato, & tria vota, atque interea votum simplex paupertatis emittunt, non enim solemniter vouent, cum expresse protestentur se non profiteri regulam Sancti Benedicti.

Per hæc ergo responsum est ad rationes dubi an. di vltimo loco propositas. Insinuatur autem in eis dubitatio de dominis earum rerum, quibus vtitur persona, quæ tale votum emittit, apud quem sit, & necessario debeat tale votum secum admittere aliquarum rerum dominium. Quam dubitationem melius explicabo capite sequenti. Tangebatur etiam ibi difficultas de statu clericorum, de quorum dominio, vel paupertate alio loco ex professo dicendum est. Nunc quod ad præsens attinet, duo respondeo. Primum est, Ecclesiam etiam in clericis desiderare paupertatem, sed eam, quæ statum, & dignitatem clericalem decet. Et ob hanc causam non admittit aliquos ad sacros ordines suscipiendos, sine redditibus, quibus sufficiēter ali possint, ne cum irreuerentia, & vilipendio sacri ordinis postea sibi necessaria quærant per actiones, vel negotiationes Ecclesiasticis personis indignas. In superioribus autem dignitatibus, & maxime in Episcopis maiores vult esse facultates, quia supposita hominum vel malitia, vel fragilitate ad conciliandam eis reuerentiam, & ad bonum Ecclesiæ regimen ita expedit. Secundum est, Ecclesiam non excludere ab ordinibus, & dignitatibus Ecclesiasticis pauperes voluntarios, quia & habere possunt vsum quarumcunque facultatum necessarium ad decentiam, & bonum regimen Ecclesiæ absque dominio talium bonorum, & in eis cessant moraliter loquendo illa incommoda, quæ in pauperibus coactis timeri possunt. Quia vero collatio sacrorum ordinum, vel dignitatum est res pertinens ad publicum Ecclesiæ bonum, ideo merito non solet Ecclesia titulo paupertatis aliquem ad hæc admittere, nisi modo aliquo ab Ecclesia approbato, illam profiteatur. Atque ita quoad hunc effectum paupertas voluntaria, & paupertas religiosa, vt sic dicam, pro eadem reputantur. Nihilominus tamen existimo, licet hoc regulare sit, si tamen de aliqua persona digna quoad reliqua omnia constaret spiritu religioso paupertatem promisisse, & profiteri, vitam cœlibem, & pœnitentiam agens, non dubito quin per se loquendo licite posset admitti ad sacros ordines titulo paupertatis ab habente facultatem. Cuius rei exemplum habemus in Sancto Patre nostro Ignatio, & sociis eius, qui hoc modo ordinati fuerunt titulo paupertatis, antequam Societas tanquam vera religio esset ab Ecclesia approbata. Quia vero postea Concilium Trident. sess. 21. capit. 2 de clericis sæcularibus generaliter loquens, beneficium, vel idoneas facultates in ordinando requirit, ideo necessariam nunc esse existimo facultatem, vel approbationem Summi Pontificis, vt aliquis non vere religiosus titulo paupertatis voluntariæ ad sacros ordines admittatur.

*Pauper, quò non sit religiosus, non ordinatur in sacris.*

Denique insinuabatur in his rationibus aliud dubium, an hoc votum simplex paupertatis, debeat esse connexum cum voto castitatis, & obedientiæ vt recte fiat. Nam si cum illis sit coniunctum, sine dubio eo erit melius, etiamsi omnia extra proprium statum religiosum fiant; quod facile ex dictis coniunci potest, quia ex concomitantia talium votorum nihil mali, & multum commodi huic voto accrescere potest. Quod adeo verum est, vt petius dubitari possit, an coniunctio illa necessaria sit, vt tale votum prudenter fiat. Sed in hoc etiam nulla est difficultas respectu voti obedientiæ; quia quoad hoc nulla est ratio connexionis necessariæ inter obedientiam, & paupertatem, maxime cum ostensum sit, votum paupertatis fieri posse, ita vt neque in particulari, neque in communi bona possideantur. Nam vsus habere potest prudentia arbitrio proprio sine dependentia ab alterius iudicio, & voluntate; ergo paupertas, & exercitium eius non pendet necessario ex voluntate superioris. Et ita Summus Pontifex potest habere non solum paupertatis votum, sed etiam vsum, & exercitium eius, etiam si superiorem non recognoscat. Simpliciter ergo paupertatis promissio non necessario requirit promissionem obedientiæ sibi coniunctam.

6. *Assertio. Simplex paupertatis votum sine voto obedientiæ consistere potest.*

De continentia vero nonnullum dubium est, quia sine cœlibatu non potest paupertas cōuenienter seruari, quia parentes tenentur filiis thesaurizare: ergo status matrimonii repugnat voto paupertatis; quo modo enim possunt esse simul obligatio thesaurizandi, & obligatio carendi omnibus bonis. Atque ita videntur sentire Soto lib. 7. de Iustitia quæst. 5. articul. 3. dum ait, ablato voto continentiæ, votum paupertatis necessario auferri; *Quia matrimonialis sarcina votum legitimæ paupertatis procul repellit.* Scilicet propter rationem factam. Econtrario vero Saluianus lib. 3 secundo ad Ecclesiam Catholicam in tomo 5 Bibliothecæ, indicat votum Virginitatis necessario secum afferre paupertatis votum, dicit enim viduas, & Virgines, quæ continentiam profitentur, imo & coniugatos, qui se voluntarie separant, & ministros altaris, seu Euangelii eo ipso ad paupertatem obligari.

7. *Dubitatio, an votum paupertatis possit simul vtile cōtinentiæ & cōiugio.*

Veruntamen, quamuis hæc vota prudentissime, & rectissime coniungantur; tamen non existimo id esse simpliciter necessarium ad vtriusque honestatem. Quod de castitate est per se notum tam ex vsu Ecclesiæ, quam ex re ipsa; quis enim cogitat hominem castitatem vouentem, vt paupertatem etiam voluntarie profiteatur? aut si ipse non tra illam profitetur, quis ei talem obligationem imponit? Quæ igitur Saluianus dixit, aut vera non sunt, aut per exaggerationem dicta sunt ad insinuandam specialem obligationem, qua tenentur hi, qui continentiam profitentur ad thesaurizandum in cœlo, & non in terra, & ad largas eleemosynas faciendas, si quibus abundent. De qua obligatione, qualis, & quanta sit, præsertim quoad ministros Ecclesiæ, de quibus ille minus proprie loquitur, alibi est dicendum.

8. *Resolutio est negatiua. Probatur in castitate.*

*Ostenditur in paupertate.*

De paupertate vero quoad præsens spectat, sic declaro. Nam posset is, qui paupertatem promisit, castitatem, & cælibatum semper seruare absque voto, & ita non incidere in aliquam difficultatem obuiantem paupertati: ergo in rigore potest vnum votum sine alio fieri, & paupertatis votum sine perfecta obseruatione castitatis seruari: nam qui tũc ageret aliquid turpe contra castitatem ex natura rei debitam, non propterea ageret contra votum paupertatis. Propter difficultatẽ autem tactam posset interrogari; vtrum habens simplex paupertatis votum contrahendo matrimonium censendus sit agere cõtra tale votum, esto non agat contra votum castitatis. Videtur enim id sequi ex ratione facta, quia se constituit in eo statu, in quo moraliter non potest votum paupertatis seruare, & ita indirecte saltem videtur agere contra illud. Nihilominus per se, & absolute loquendo non censeo illo modo violari tale votum, nisi aliud postulet specialis intentio vouentis, pendet autem hoc ex dicendis capite sequenti, & ideo melius ibi declarabitur.

## Caput IV.

### *Quæ sit materia remota voti paupertatis.*

1. CVm paupertas in priuatione, seu carentia quadam consistat, solum per modum priuationis potest habere materiam, illam scilicet, quam remouet, ad eum modum, quo peccatum dicitur esse materia pœnitentiæ. Potest autem hæc materia duplex in voto distingui, remota scilicet, & proxima. Remotam voco res illas, seu diuitias, in quarũ carentia paupertas consistit: proximam autem habitudinem illã, vel actionem hominis circa talem rem paupertati repugnantem, cuiusmodi est dominium rei, vel ius, aut vsus aliquis illi æquiualens, vel illud participans. Duo ergo explicãda sunt. Primum, quæres ad votum paupertatis pertineant. Secundum, quid prohibeatur homini circa res tales ex vi voti paupertatis.

*Materia voti paupertatis duplex, & qualis.*

2. *Assertio prima. Materia remota paupertatis sunt tantum bona extrinseca, quæ diuitiarum nomine cõprehẽduntur.*

Circa priorem partem dicendum est, materiam paupertatis esse tantum ea bona extrinseca, quæ diuitiarum nomine comprehenduntur. Itaque non omnia bona, quorum homo habet dominium, vsumfructum, aut ius vtendi illis, sunt materia paupertatis, quod patet breuiter per illa discurrendo. Nam in primis licet homo non sit propriè dominus vitæ suę, habet tamen ius proprium habendi, & conseruandi illam; quod non solum per paupertatem non abdicat, verum nec abdicare potest, aut à se separare, quia est contra ius, & potestatem principalis domini. Et ideo licet quis possit vendere se in seruum, non tamen potest vendere vitam suam, nec ius, quod in illam habet alienare. Habet præterea homo ius vtendi suis membris, & facultatib. ad actiones suas, quarum etiam est dominus, quod ius alienare potest, vt fit per voluntariam seruitutem; tamen hæc etiam nõ spectant ad materiam paupertatis, quia non computantur inter diuitias, quæ sunt bona extrinseca, sed inter bona corporalia, quæ intrinseca sunt. Vnde eo modo, quo hæc possunt esse materia voti, ad votum obedientiæ potius pertinent, vt postea dicemus. Atque his adiungi possunt interna bona spiritualia, vt sunt gratia, & virtutes, quorum bonorum non inopia, sed abundantia procuranda est, & ideo manifestum est ad hanc materiam nõ pertinere: nam potius paupertas promittitur, vt hæ diuitiæ augeantur, vsusfructus etiam, vel vsus horum bonorum, qui in bonis act bus procedentibus à gratia consistunt, integer maneat, nec per votum paupertatis aliquo modo minuitur: nam, eo non obstante, potest homo libere his actibus vti; vel etiam eos dispensare, aut donare, quantum ipsi capaces sunt. Vnde magis possunt pertinere hæc bona ad votum obedientiæ, per quod subiicitur alteri propria voluntas, quæ est proximum principium talium actuum, quod non repugnat eorum perfectioni, sicut repugnaret paupertas circa talia bona, quia paupertas consummatur in carentia illorum bonorum, quorũ est inopia; obedientiæ vero circa tales actus non est ad carendum illis, sed potius ad habendos illos cum maiori perfectione, & sub meliori regula.

*Vita non pertinet ad materiam hanc. Nec, membra, & facultates.*

*Item neque bona spiritualia, vt gratia, & virtutes.*

Præter hæc bona sunt alia, his quidem inferiora, tamen magis interna, quam sint temporales diuitiæ, eisque superiora; huiusmodi autem sunt fama & honor; & hæc etiam ad materiam huius voti non pertinent, vt specialiter notauit D. Thom. 2. 2. quæst. 186. artic. 2. ad 4. vbi specialiter loquitur de honore; est autem eadem ratio de fama. Reddidit autem hanc rationem, quia honor duplex est. Vnus proprius, & verus, qui virtuti debetur, teste Aristotele lib. 4. Ethic. cap. 3. Alius vulgaris, qui exteriori excellentiæ, quæ ex abundantia exteriorum bonorum communiter attenditur, ac vulgo attribuitur. Priori ergo honori nec potest, nec debet homo per votum paupertatis renuntiare, & ideo talis honor non est materia huius voti. Posterior autem honor reuera non habet locum in homine paupere, quia eius fundamentum sublatum est, & ideo votum paupertatis radicaliter quidem tollit hunc honorem, proprie autem, & formaliter non obligat ad fugiendum illum. Vnde licet habeat quis votum paupertatis, & huiusmodi honorem quęrat tanquam sibi debitum, ac tanquam iniustus, aut ambitiosus censeri possit, non tamen per se violat votum paupertatis, si alia ratione vsurpando temporales, & externas diuitias non excedit.

3. *Excluditur etiã fama, & honor.*

*Honor duplex.*

*Ostenditur in honore.*

Alia ratione vtitur ad hoc probandum idem D. Thom. opusc. 19. contra impugn. relig. cap 2. & eam explicat Caietan. circa prædictam solutionem ad 4. quia honor non est in honorato, sed in honorante, & ideo non potest quis renuntiare honori in seipso, quia nemo renuntiat operi, quod non est in se, sed in alio; solum ergo potest quis renuntiare honori in radice, abiiciendo à se titulum honoris, hoc autem neque ad paupertatem spectat, vt per se constat, neque semper ad consilium pertinet, cum ratio honoris sæpe sit, imo per se loquendo esse debeat sancta & honesta. Atque hic fere discursus applicari etiam potest ad bonum famæ; nam etiam illa est bonum extrinsecum, & si vera sit, & in virtute fundata, nemo potest honeste illam prodigere, aut à se alienare; nam est debita virtuti, & veritati: si autem sit fama etiam vera, non tamen de bonis primi ordinis, vt sunt virtutes, sed de bonis mediis, quæ ad vitutem, & conuictum humanum vtilia sunt, qualia sunt ingenium, scientia, & alia naturæ ornamenta, & de his bona existimatio per se valde vtilis esse potest, et iam ad vitæ tranquillitatem, & ad plures effectus rationi consentaneos, vel etiam spirituales. Quapropter nõ pertinet etiam per se ad virtutem huic famæ renuntiare, aut eam prodigere, maxime cum ab aliis sine culpa auferri nõ possit, & ipse homo per suas actiones non possit etiam licite se illa priuare.

4.

*Ostenditur in fama, si sit vera.*

5. Si autem fama non sit vera, sed falsa, tunc quidem non est proprie homo dominus famæ, & ideo etiam non potest proprie illi renuntiare, habet tamen homo naturale ius, vt non infametur, etiam in his defectibus, quos habet, si aliis occulti sunt: & hoc etiam ius non amittit propter paupertatis professionem, quia nec pertinet ad temporalia bona extrinseca, neque in illius renuntiatione est, per se loquendo, illa spiritualis vtilitas, quæ in vera paupertate inuenitur. Denique fama esse potest mala, quæ potius vocatur infamia; & hæc si sit de malis moribus scandalosa est, & quantum est ex parte hominis

*Ostenditur idem in fama falsa.*

sic omnino tollendæ; prius fundamento sublato: hæc autem non est abdicatio alicuius boni, vt hac ratione ad paupertatem reuocari possit, sed potius est subtractio alicuius mali, & contrarij boni procuratio; vnde potius pertinet ad quoddam genus diuitiarum, seu abundantiæ in bonis huius ordinis. Quod si hæc infamia sit circa alia bona mediocria naturæ, aut fortunæ, licet eam tolerare, aut patienter ferre virtutis opus esse possit; constat nihilominus ad paupertatem nihil referre.

Dices aliquis: Honor, & fama possunt esse materia voti, sicut possunt esse materia virtutis, quæ moderatur circa hæc bona, & aufert nimiam sollicitudinem quærendi illa: ergo poterit fieri votum non quærendi indebitos honores, vel illos etiam ablatos repudiandi. Imo etiam poterit fieri votum non habendi rem aliquam, propter quam soleat ab hominibus honor tribui præter virtutem: aut ea quæ mere naturalia sunt, & cum eadem proportione posset fieri votum non quærendi famam etiam bonam, & veram per se, & directa intentione; quamuis enim non possit homo se infamare, poterit tamen licite, & sancte se occultare: quod si interdum sua bona occultare non poterit, aut non expedit, poterit tamen & debet illam suam claritatem, aut famam bonam non per se, & directe intendere, sed vel illam permittere, aut tolerare, vel ad summum, vel ad aliquem honestum finem illam admittere: ergo iuxta hanc mensuram potest fama esse materia voti: ergo qui perfectionem profitentur, etiam hæc bona famæ, & honoris sub hac consideratione sub votis suis comprehendunt, & non sub alio, nisi sub voto paupertatis: ergo.

Respondeo primo negando consequētiam, quidquid sit de toto antecedente; quia, vt infra dicam, necessarium non est, vt qui perfectionem profitentur, vota faciant de omnibus, & singulis actionibus suis, aut de moderandis singulis passionibus speciatim, nam hoc impediret potius, & laqueum iniiceret, quam iuuaret ad perfectionem; & ideo non oportet, vt honor, & fama quatenus affectus ad illa, virtute moderati potest, sub aliquo ex tribus votis, quæ dicuntur perfectionis, contineantur. Sicut exercitium etiam humilitatis, patientiæ, aut aliarum virtutum, non continetur sub his votis, sed potius se habet, vt finis illorum votorum, quæ ad illum finem consequendum iuuent, vel dsponant, quod satis est, vt eleganter explicauit D. Thomas 2. 2. quæst. 186. articul. 7. ad 1. & 2. Vnde respondendo ad antecedens, concedo actus ibi explicitos esse sufficientem materiam voti, non quidem paupertatis, sed humilitatis, aut contemptus honoris, qui ambitioni, aut inani gloriæ opponitur. Dico autem vota illa ita generatim facta circa moderationē huius affectus honoris, aut famæ, regulariter posse periculum continere, quia materia illa valde lubrica est, & difficillimum est circa illam vitare omnem culpam, vnde si de tota illa in confuso votum fieret, sæpius violaretur, saltem venialiter, & obscurum esset, ac perdifficile discernere quando lapsus essent mortales, & ideo communi et talia vota non fiunt, neque expedit fieri. Circa determinatos autem actus huius materiæ, quales sunt non procurare dignitates humanas, aut loca, vel titulos honoris, & similia, possent conuenienter fieri talia vota, & in aliquibus religionibus fiunt, vt de nostra Societate infra dicemus, suntque plane distincta a voto paupertatis. Tota igitur hæc materia aliena est ab hoc voto.

Relinquitur ergo, & iam fere probata est altera pars affirmans assertionis positæ, scilicet, externa bona, quæ diuitiarum nomine comprehenduntur, esse materiam quasi remotam huius voti, nam præter bona hactenus numerata nulla alia supersunt in homine, quibus per paupertatem priuari possit: constat autem ex ipsa vocis significatione, & communi sensu paupertatem consistere in carentia aliquorum bonorum; eodemque modo ex communi etiam sensu manifestum est, paupertatē in proprietate sumptam ad diuitias referri, sicut priuationem ad habitum. Et ideo CHRISTVS Dominus Luc. 6. illi beatitudini, *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*; opponit illud, *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram*; sic etiam Iacobus c. 2. diuitem describit, dicens, *Si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens in veste candida*, cui pauperem opponit, dicens; *Introierit autem, & pauper in sordido habitu*. De quibus infra subdit, *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo*, &c. Et, *Nonne diuites opprimunt vos*, &c. Hæc denique est tam in Latino, quam in vulgari sermone propria huius voti significatio.

9. *Diuitiarū nomine quid intelligatur.*

Diuitiarum autem nomine in primis veniunt pecuniæ, vt per se constat, non tamē illæ solæ, sed quidquid pecunia æstimari, aut comparari potest: nam omne illud in bonis temporalibus, & externis continetur, & moraliter pecuniæ æquiualet, imo late vtendo nomine pecuniæ de his omnibus dici solet, iuxta Aug. de disciplina Christiana cap. 6. Et habetur in c. *Totum* 1. q. 3. *Quid* (inquit) *amat, vnde putat se fieri beatum, pecuniam, aurum, argentum, possessiones, breuiter dico pecuniam. Totum enim quodquod possident homines in terra omnia, quorum domini sunt, pecunia vocatur; seruus sit, vas, ager, arbor, pecus quidquid horum est, pecunia dicitur; & vnde est primo vocata pecunia? ideo pecunia, quia antiqui totū, quod habebant, in pecoribus habebant, a pecore pecunia vocatur.* In quibus verbis duo notare libet. Primū est, seruos cum pecunia numerari, & computari: licet supra dictum sit membra humani corporis, & vsum eorum non computari in bonis, quæ paupertati opponuntur. Hoc enim verum est considerando hæc bona respectu eiusdem hominis, cuius sunt partes, vel actiones, sic enim sunt bona intrinseca, & naturalia, quæ vt sic pretio cōparari non possunt: hæc vero vt translata in dominium alterius inter possessiones, & dominia extrinseca cōputantur, pretioque æstimari, & cōparari possunt, eorumq; dominium non naturale est, sed acquisitum. Dices, ergo ex vi voti paupertatis repugnat habere propriam vxorem, quod est contra superius dicta. Sequela probatur, quia illud ius in propriam vxorem est quoddam dominium humanum acquisitum in illam personam, tāquam in rem aliquo modo propriam. Respondeo negando sequelam, quia vxor iuxta communem, & proprium modum loquendi non computatur inter externa bona, nec ius illud est pecunia æstimabile; ac denique vir, & vxor tanquam vna caro reputantur, & ideo illud quale cunq; dominium potius est quasi intrinsecum, quale est ius vtendi proprio corpore. *Instantia.* *Solutio.*

Alterum notandum est distributionem illam Augustini, *Totum quod homines possident, seu quorum sunt domini*, intelligēdam esse de dominio, vt ita dicam, adquentitio, seu humano. Duplex enim in homine dominium distingui potest. Vnum est naturale, & innatum; alterum ab hominibus introductum, & per voluntatem humanam aliquo modo acquisitum. Prius versatur circa bona interna, siue corporalia, siue spiritualia, & circa famā & honorem; nam sine vlla hominum diuisione, vel applicatione vnusquisq; ex se habet proprium dominium harum rerum ad se pertinentiū; dominium vero externarū rerum non est à natura, sed ex hominum diuisione, ac voluntate, loquendo de proprio dominio, nam de cōmuni vsu alius est, vt infra attingam. De hoc ergo dominio Augustin. loquitur, cum dicit, omnia, quæ sub dominiū hominū cadunt, appellatione pecuniæ cōprehendi. 10. *Duplex in homine dominium.*

Quod

Quod etiam docuit Iureconsultus in l. 222. ff. de verborum significatione, dicens, *Pecuniæ nomine nõ solum numerata pecunia, sed omnes res tam soli, quam mobiles, tam corpora, quam iura continentur.* quia omnes possunt in pecuniam conuerti, vt recte ibidem glossa notauit. Et eadem ratione his omnibus fit homo diues, ac proinde paupertas omnia illa excludit, & circa omnia illa, vt circa propriam materiam versatur. Quod etiam potest optime colligi ex loco Matthæ. 19. vbi Christus dans consilium paupertatis dixit, *Vade, & vende omnia, quæ habes*; de adolescente autem, *Abiit tristis, erat enim habens multas possessiones*; omnes ergo illæ erant materia paupertatis, & omnes pertinent ad diuitias, quæ difficilem reddunt aditum regni cœlorum, vt statim Christus declarauit.

11. *Dubitatio specialis circa beneficia, & officia honorem, & vtilitatem afferentia.*

Hic vero subortitur dubitatio de quibusdam bonis, quæ mediam quandam rationem, seu cõpositam habere videntur, an comprehendantur sub hac materia paupertatis. Huiusmodi autem est, in primis Ecclesiasticum beneficium, in quo, & est ius spirituale ad actiones, & bona spiritualia dispensanda; cuius proprium dominium habet legitimus beneficij possessor; & præterea est ius ad redditus beneficij. Vnde quoad primum est quid spirituale, quoad secundum vero inuoluit materiam temporalem. In eodem ordine possunt poni doctoratus; nam quatenus est testimonium excellẽtiæ, & titulus honoris, pertinet ad superiora bona, quatenus vero habet aliquod emolumentum temporale, ad hęc infima spectat. Idemq; de quocunq; alio munere honorifico simul, & vtili dici potest. Videtur ergo paupertas hæc omnia necessario excludere, quia quodlibet ex his sufficit hominem diuitem reddere, parumque refert, quod pecuniæ primario, aut consequenter habeantur, dummodo habeantur, nam eo ipso paupertas violatur: ergo hoc votum in ista omnia cadit, tanquam in propriam materiã. In contrarium autẽ est, quia accessorium sequitur naturam principalis, & ideo redditus beneficij, vt eius titulo annexi, pecunia æstimabiles non sunt, quia titulus ipse spiritualis est, & pecunia æstimari non potest: ergo commutata proportione cum spiritualia bona per se nõ sint materia voti paupertatis, quidquid illis annexum fuerit, non est in tali materia computandum; ergo idem dicendum est de omnibus aliis iuribus, vel titulis excellentioribus, quam sit pecunia, etiamsi illam annexam habeant.

12. *Resolutio sub distinctione.*

Distinctione nihilominus vtendum censeo. Illa enim duo nunquam sunt ita connexa, quin intentione, imo & executione ipsa discerni possint. Dico ergo hæc bona præcise spectata quoad iura spiritualia, vel honorifica, &c. non comprehendi sub materia paupertatis; ideo ex vi talis voti neminẽ esse incapacem illorum, nec prohiberi quin illa desiderare, procurare, & acceptare debita intẽtione posset. Dico autem, *ex vi talis voti*, quia aliunde, v.g. ex mente obedientiæ fieri potest, vt religiosus sit incapax talis muneris, vel iuris, nisi ex voluntate sui prælati, vt postea videbimus. Dico autem, *debita intentione*, præcipue, vt excludam affectum ad temporales redditus paupertati repugnantem, de quo statim dicam. Atque hoc modo explicata assertio probatur facile ex dictis, quia talia bona vere ac proprie non sunt temporales diuitiæ, sed ad superiorem ordinem pertinent: ergo non continentur sub materia paupertatis. Item illa præcise sumpta non faciunt hominem diuitem, nec per se sufficiunt ad prouidendum necessitatibus corporis in victu, vestitu, &c. ergo cum illis secundum se spectatis stat perfecta paupertas: ergo illa non pertinent ad materiam paupertatis. Denique, quia hæc bona pertinent ad Ecclesiasticos honores, seu illorum titulos, quibus non renuntiat homo ex vi voti paupertatis, vt ex D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. ad 4. supra notauimus. Quod latius, & optime prosequitur idem S. Doctor opusc. 19. contra impugnantes religionem c. 2. vbi ex professo probat religiosum per vota religionis, in quibus constat perfectum votum paupertatis includi, non renuntiare omni honori, sed mundano, non vero Ecclesiastico, multoq; minus renuntiare omnibus officiis, quibus honor debetur, & specialiter tractat de officio docendi, & de gradu magisterii. Et ad hoc etiam spectat, quod idem D. Thom. dixit quodlib. 3. q. 4. a. 9. non esse per se loquẽdo contra perfectionem petere officium docendi in Theologia; neque ibi distinguit, an tale officium habeat temporales redditus annexos, necne; neque id erat necessarium, quia ex hoc capite non mutatur natura talis muneris, & semper potest per se spectare secluso respectu ad illam vtilitatem.

Eandem doctrinam sequutus est Caiet. dict. quæst. 13. 186. art. 7. circa 4. qui tamen in eo mihi videtur excedere, dum ait reprehensione esse dignos religiosos abdicantes à suis honores magisterii si sint de religionibus ad prædicandum institutis, sicut essent reprehensione digni, si presbyteros nollent habere suos; fatemur quidem non esse reprehensione dignos religiosos huiusmodi gradus, & honores admittentes debito modo, & iuxta suum institutũ; hoc enim probat tam ratio D. Thomę, quam ipsiusmet, & aliorum Sanctorum exemplum quod Caiet. adducit. Non tamen censemus esse reprehensione dignos illos religiosos, qui licet ex instituto habeant docere, & prædicare, nihilominus hos gradus à se abdicant; nam hoc etiam alii Sancti fecerunt, vt Sanctus Bonauentura, Sanctus Antonius de Padua, & eorum similes; quia magisterium licet possit esse vtile ad illum finẽ, non tamen est necessarium, & aliunde potest non parua vtilitas spiritualis ex illius abdicatione prouenire, maxime respectu communitatis. In his ergo rebus, quæ ex se malæ non sunt, & sub diuersis intentionibus possunt honestè, & sanctè fieri, vel omitti, nemo reprehendere debet alterius diuersam professionem, sed illud seruare, quod Apostolus ait, Rom. 14. *Qui non manducat, manducantem non spernat, & qui manducat, non manducantem non iudicet.* Vbi autem hæc abdicatio fit (quod ad præsens spectat) non fit ex vi paupertatis, sed vel ex voto obedientiæ; vel per professionem talis regulæ. Denique huic etiam doctrinæ consonat Nauarr. comm. 2. de regulat. n. 2. 2. dict. & sequentibus, vbi distinctè declarat sub his muneribus comprehẽdi dignitatem Abbatialem, & Episcopalem. Item ius eligendi, præsentandi, confirmandi, instituendi, & omnẽ Ecclesiasticam iurisdictionem, imo & sæcularem, & beneficia, cathedras, & similia; nam hæc omnia haberi possunt tam quoad proprietatem, quam quoad possessionẽ facti, & iuris, vt demonstrat totius Ecclesiæ consuetudo.

Nihilominus vlterius assero, temporalia bona quæ 14
soleant esse annexa his muneribus, sine dubio cõprehendi sub voto paupertatis, & materia eius. Probatur, quia talia bona non mutant naturam suam ex illa connexione, & si possideantur, vel sub dominio habeantur, non minus reddunt hominem diuitem, nec minorem sufficientiam, & solicitudinẽ afferunt, quam si essent aliunde acquisita. Vnde nihil obstat in præsenti axioma illud, quod *accessorium naturam sequitur principalis*, quia licet hoc sit verum formaliter (vt sic dicam) loquendo de ipso accessorio, quatenus tale est, & in eo statu durat, & solum vt tale est, attingitur per actiones, quæ immediate vel per se circa ipsum principale versantur; quando vero accessorium à principali separatur, & circa illud vt sic, proprię, ac peculiares actiones versantur, tunc suam priuilegiatam retinet naturam, & conditionem. Ita vero est in præsent;

sentij: nam licet temporales prouentus, vel stipendia annexa sint iuri, seu muneri altiori; nihilominus quando ipsa exiguntur, contrectantur, & possidentur, iam amittunt conditionem accessorij, suntque principalis materia talium actionum, & ideo necesse est, vt qui votum habet paupertatis, illius obligationem, ac mensuram in talibus actionibus, & circa talem materiam seruet. Atque in re hoc ipsum sentit Nauarr. comm. 2. de regul. num. 2. §. ex his infertur 1. cum sequent. vbi per varia exempla in particulari hoc explicat, quæ magis pertinent ad votum solemne paupertatis, & ideo inferius à nobis suo loco tractabuntur.

Solum potest alicui dubitationem facere, quod ibi in obiectione quarta inter alia multa, quæ pauper potest habere quoad proprietatem, & possessionem facti, & iuris, vnum est *ius suscipiendi alimenta ex illo monasterio*, quod postea vt verum admittit; & tamen id videtur difficile, quia hoc ius immediate, & principaliter versatur circa temporalia bona, vnde videtur esse temporale quid, & pretio æstimabile, sicut ipsamet bona: ergo est propria materia paupertatis. Quod quidem verum est de proprio, ac temporali iure ad iustitiam pertinente, quod temporali dominio æquiualet, & pecunia quædam est, quia quantum est in se, vendi potest: Illud ergo intelligendum est de iure aliquo spirituali, quale est ius decimarum, vel ius commendæ, vel aliud simile, hoc enim per se non est materia paupertatis, vt dixi, quamuis pecunia ipsa, vel quidquid illi æquiualet, quod virtute talis iuris exigi potest, statim subiecta sit voto, & legibus paupertatis.

## Caput V.

### *Quæ sit materia proxima voti simplicis paupertatis, & consequenter ad quid obliget hoc votum.*

VT possimus de hac materia generaliter loqui, supponere necesse est, dupliciter posse fieri votum paupertatis; primo integre, & totaliter, comprehendendo scilicet omnia, quæ honesta paupertas includere potest; vel solum partialiter, promittendo videlicet vnam, vel alteram conditionem paupertatis, non tamen omnem; quod enim vtroque modo fieri possit, constat, tum quia hoc pendet ex intentione vouentis, & ex parte materiæ, non est repugnãtia: nam etiam per hominum contractum potest quis alienare vsum, vel vsumfructum rei, non alienãdo dominium: ergo & per votum potest abdicare vnum, & non aliud. Patet etiam à simili, nam votum castitatis, & integrum, & partiale esse potest, vt supra tetigimus, & infrà etiã dicendum est: ergo & votũ paupertatis.

In præsenti ergo de voto integro paupertatis loquemur, quia explicata tota materia, & obligationibus eius, inde constabit ad quid obligent vota partialia iuxta intentiones vouentium, ex illis enim pendent talia vota; nam si paupertas absolute, & simpliciter promittatur, & neque tacite, neque expresse limitatio aliqua adhibeatur ex intentione vouentis, integrum, & completum votum iudicandum est, id est, obligans ad totam illam paupertatem, quam aliquis sancte, & honeste profiteri potest; vt late ostendit Nauarr. comm. 2. de Reg. nu. 20. distinxerat enim triplicem paupertatem, scilicet, non habendi alienũ iuste, non habendi proprium, nisi vt instrumẽtum virtutis, & simpliciter nõ habendi; & subdit, qui paupertatem simpliciter vouet, hãc etiam vouere, quod quidem comparatione aliarum duarum mihi videtur manifestum, quia paupertas voluntaria, qualis est illa, quæ vouetur, simpliciter dicta, nec de prima, nec de secunda dicitur, secundum communem modum concipiendi, & vouendi. Addimus vero etiam in tertio modo posse esse latitudinem: nam potest quis se priuare libero vsu rerum, & non dominio, & secundum hanc etiam comparationem votum paupertatis simpliciter factum totam eius materiam comprehendit, sicut castitatis votum cum eadem proportione, quia paupertas, sicut & castitas includit quandam negationem, quæ omnia destruit, si non limitetur, estque de se integra priuatio.

3. Secundo vt possimus explicare materiam proximam huius voti, necessarium est, breuiter exponere varios respectus, seu morales habitudines, quas homo habere potest, & nomine iuris late sumpto comprehenduntur; tractaturq; à Theologis in principio materiæ de iustitia, latiusque à Iurisperitis, & breuiter attigit Nauarr. in comment. 1. de regular. à nu. 12. Huiusmodi autem sunt dominium, seu proprietas, vsusfructus, possessio cum iure possidendi, ius vtendi, & vsus, vel possessio rei, facti tantum, vt vocant, item administratio rei, vel quoad ius, vel quoad factum tantum.

4. Dominii definitio, & explicatio.

Dominium (perfunctorie nunc illud definiendo) *est principale ius disponendi de re aliqua in quemcunq; vsum lege non prohibitum*: his enim verbis recte explicatur moralis illa facultas, quam dominus habere censetur circa rem suam, omnis enim talis facultas ius appellatur, quia tamen non omne ius est dominium, vt ex dicendis constabit, ideo illud ponitur loco generis, aliæ vero particulæ distinguunt dominium ab aliis iuribus minus perfectis, quæ statim exponemus; Bartolus vero in l. *si quis vi.* §. *diffrentia.* ff. de acquirenda possessione, addidit in definitione dominij, quod sit *ius in re corporali*; nam circa res, quas Iuristę incorporales vocant, vt sunt iurisdictio, ius eligendi, & similia, ipsi non appellant dominium, sed quasi dominium; nos autem indifferenter loquimur, quia circa hæc omnia potest esse vera proprietas, & principalis facultas disponendi de illis, & ideo nihil vetat illam proprietatem simpliciter dominium appellare, & maxime in præsenti materia constat differentiam illam nullius esse momenti, si alioqui tales res incorporales, sint pecunia æstimabiles. Nauarrus etiam cum Aretino addidit hanc particulam *saluo iure alterius*, vt comprehendatur (inquit) dominium directum tantum, & vtile tantum, quia neutrum dat ius ad vtendum nisi saluo altero, sed hoc satis videri poterat in illa particula, *lege non prohibitum*, quia lex prohibet vti iure cum præiudicio alterius.

5. Dominus ab administratore in quo distinguatur.

Addidi vero illam particulam *principale*, vt dominum ab administratore distinguerem, ac denotarem dominum propriè dicillum, qui est veluti causa principalis cuiuscunque vsus rei, quia propria virtute, vt sic dicam, illum exercere potest. Fieri autem potest, vt alius ex commissione domini possit re vti, & potest esse tam generalis commissio, vt liceat ei de illa disponere in omnem vsum, & nihilominus non erit dominus, quia semper vtiturre, vt instrumento alterius. Vnde licet ius aliquod habere videatur, non tamen principale, sed ministeriale. Quocirca cauenda est etiam æquiuocatio in illo termino *principale*: nam inter dominia sunt gradus, & vnũ excellentius alio; Deus enim, vt Deus, habet supremum, & principalissimum dominium; sub illo vero Christus, vt homo, habet dominium excellentiæ, vt alibi dixi 1. tom. 3. p. disp. 48. sect. 2. Respublica etiam dicitur habere dominium alterum (vt loquuntur Iuristę) etiam eorum bonorum, quę sub particulari dominio alicuius hominis continentur: hic ergo nõ vocamus principale ius, vt de his superioribus dominiis, quasi per antonomasiam dici potest, sed vt significat proprium ius, id est, quod nomine proprio, & non alterius habet, sicut dicitur principalis causa, quæ pro-

Dominiorũ varij gradus.

propria virtute operatur, etiamsi non sit præcipua respectu superiorum causarum. Communiter vero illa particula omittitur, quia ius simpliciter dictum, proprium, & quasi internum ius significare videtur; ille enim, qui solum de licentia domini re vtitur; non tam videtur habere ius, quam vti iure alieno; posset ergo illa particula omitti, quamuis ad maiorem explicationem nihil impediat: comprehendi autem debent pro præsenti instituto pro quocunque vero dominio particulari, & humano siue sit omnino plenum, & liberum, siue sit aliquo modo ligatum, vt in maioratu; siue sit semiplenum, vt in dominio emphyteutico, seu directo tantum, & idem est de vtili, vt statim dicetur.

6. *Definitio, & explicatio vsufructus.* Vsusfructus dicitur, *ius vtendi, & fruendi alienis salua substantia*, instit. & ff. de vsufructu, in princip. quod ius posset in præsenti sub dominio cõprehendi, quia dominium vile à Iuristis vocatur, & proprium, ac principale ius est ad tales actus; propter illam vero particulam, *salua substantia*, deficit à perfecta ratione dominij pleni, & ob eandem causam dicetur esse de rebus alienis: est autem radix, seu via ad obtinendum completum dominium aliquarũ rerum, scilicet, fructum eius possessionis, cuius vsusfructus habentur, & hoc est habere ius fruendi, id est, potestatem comparandi dominium fructuum, qui per legem prohibiti non sint. Et ob eandem causam proprie loquendo versatur circa solas res, quæ vsu non consumuntur, quia solæ illæ sunt proprie fructiferæ, quanquam improprie & iuris accommodatione, etiam rebus vsu consumptibilibus accommodetur, vt constat ex Instit. & ff. de vsufruct. de quo alibi, nam in præsenti hæc differentia non refert.

7. *Quid sit vsus quoad ius.* Vsus quoad ius eadem proportione definitur ab aliquibus ex Instit. & ff. de vsu, & habit. Quod sit *ius vtendi alienare salua substantia*; sed quoad nostrum institutum spectat, vltima particula non videtur necessaria, & ita illã omittit Nau, quia definitio sic data solum conuenit vsui earum rerum, quæ ipso vsu non consumuntur. Potest autem etiam dari nudus vsus earum rerum, quæ eodem vsu cõsumuntur, qui propterea esse non poterit, salua talium rerum substantia. Respondeti vero potest hoc quidem esse verum de vsu quoad factum; nam potest quis habere licentiam à domino vtendi re eo vsu, quo illa consumitur; non tamen habere locum in vsu quoad ius, quia non potest qs vti re aliqua proprio iure, & nomine, quin habeat dominium eius; tum quia nemo potest consumere rem alienam suo proprio iure siue licẽtia domini, cui perit: tum etiam quia circa talem rem, quæ vsu consumitur, nullum videtur esse posse maius dominium, quam proprium ius consumendi illam. Ve-

*Differentia inter vsumfructũ, & vsum eiusdem rei.* runtamen licet regulariter forte non detur tale ius vtendi, nihilominus dari non repugnat, quod in vsuario rei fructiferæ intelligi potest; nam ille qui solum habet vsum arboris, potest comedere poma eius, & illo vsu ea consumere; non tamen potest illa donare, aut vendere: habet ergo verum, ac proprium ius ad vnum vsum pomorum, quo illa consumuntur sine dominio illorum; nam si dominium haberet, posset etiã vendere, & donare. Vnde hæc est differentia inter habentem vsumfructum, vel vsum tantũ eiusdem arboris, quod vsufructuarius sit dominus fructuum, vt supra dicebamus, vsuarius autem non, sed limitatũ accipit ius ad proprium tantum, & specialem vsum, vt in citatis iuribus habetur. Vsus ergo in præsenti sumitur pro puro iure vtendi, quod ad vsumfructum non extendatur, nec ad proprium dominium; sit tamen nihilominus verum, ac proprium ius, ratione cuius potest quis talem vsum exigere, nec sine iustitia poterit inuitus illo priuari.

8. Possessio sumpta non pro re possessa, sed pro relatione ipsa, vel quasi forma, per quam dicitur possideri; à Nauarro supra ita definitur cum Bartolo in dict. §. *Differentia. Est ius insistendi rei non prohibita possideri:* quæ definitio obscura est, tum quia definitum ipsum quodammodo ponitur in definitione in verbo *possideri*, tum etiam, quia possessio non tantum iusta, sed etiam iniusta esse potest; & ideo loquendo de possessione in communi, non videtur esse de ratione eius, vt non sit prohibita: tum denique, quia æque obscurum est, quid sit insistere rei. Sed aduertendum in possessione iusta duo interuenire. Vnum pertinet ad factum, quoad est actualis occupatio, seu tentio, vel (vt quod fieri possit, recte explicetur) habitio rei, vt suæ; aliud pertinet ad ius, quod quis habet ad occupandam, seu tenendam talem rem. Et quamuis nomẽ possessionis magis significet factum, quam ius, tamen principalius est ipsum ius, quam factum, & ideo illud præcipue Bartolus eo loco definiuit, maxime in præsenti materia, si paupertas aliquid de possessione excludit, magis est ius ipsum possidendi; & ideo etiam Nauarr. illa definitione magis vsus est, quam aliis, quibus solet possessio facti declarari. *Quid sit possessio.*

In qua duo etiam distinguenda sunt, vnum est actio illa, qua res possidendi apprehenditur; vel detinetur, quæ potest dici possessio actualis, quæ actio non est vna certa, ac determinata, aliquando enim manibus, aliquando pedibus, aliquando iuxta varios modos à iure perscriptos sumitur possessio, & ideo communiter definiri solet quod sit *apprehensio rei corpore, & animo, iuris adminiculo*, id est, per actionem aliquam corporalem, quæ ex iuris institutione, seu declaratione ad hunc effectum sufficiat, nam cum ex sola rei natura talis actio definita non sit, oportet iure humano terminari, necesse est etiam, vt fiat animo habendi illam rem, vt suam, id est, tanquam iure, & nomine proprio tenendam: nam qui rem alterius, ipsius nomine apud se habeat, non proprie possidere dicitur, sed potius alter per ipsum. Vide Sylvest. verbo *Possessio*, & Couart. in regul. possess. 2. p. in princip. 9. *Distinctio notanda.*

Aliud est detentio illa, quæ manet quasi habitualiter, seu permanenter ex dicta apprehensione, seu possessione actuali, & hanc significauit Bartolus nomine insistentiæ, & proprie significatur communi nomine possessionis, à qua & homo possessor, & res possessa denominatur. Quia vero hæc rei detentio habitualis non consistit in aliqua physica coniunctione, vel permanente actione, aut informatione, sed in morali quodam respectu ex illa prima apprehensione relicto, ratione cuius cẽseturilla quasi semper adesse, quamdiu per aliud contrarium non destruitur, ideo per eandem apprehensionem solet hęc permanens possessio declarari, quæ in hunc modum intelligenda est. Quando vero hæc possessio facti accipitur, & habetur sine iure ad illam, tunc quidem est possessio, sed iniusta, potest autem esse iusta existimatione, vt si quis putet se habere ius, quod reuera non habet, & tunc dicitur possessio bonæ fidei, & dici potest iusta formaliter, seu in conscientia, quia ad hoc sufficit iustus titulus existimatus, quamuis verus non sit. Si autem scienter sine iusto titulo accipiatur, vel habeatur, talis est omnibus modis iniusta possessio, & malæ fidei nominatur. Et hæc sufficiant de his iuribus præsenti intentioni. 10.

Præter hæc autem iura distinguenda sunt ea, quæ ad factum solum pertinent, vt sunt vsus, qui facti appellatur, qui consistit in ea actione, qua homo capit actualem vtilitatem ex re, etiamsi proprium ius ad illam non habeat. Huic respondet actualis, vel potius habitualis detentio rei ad vtendum illa, quãdo oportuerit, etiamsi non habeatur vt propria, neque 11. *Alia ius.*

neque cum aliquo iure in ipsa, quo modo ego habeo libros, vtor autem illis, quando illos lego; & illa non appellatur propriè, & iuridicè possessio, sed tentio quædam. Vnde hic etiam annumerari potest quoddam peculium, quod dicitur tantum facti; quale dicipotest illud, quod seruus habet ex voluntate domini. Et simile potest esse peculium monasticum, vt notauit Nauarr. supra num. 14. & 15. Denique annumerari hic etiam potest administratio rei, vel possessiones alienæ, aut non suæ; illa enim non iuris, sed facti tantum esse videtur, quamuis aliquo modo dici ius potest, vt Nauarr. supra loquitur; quia vero non est proprium, sed nomine alterius, ideo dicimus hãc administrationem magis ad factum, quam ad ius pertinere.

Dicet, quomodo possunt hæc omnia in solo facto consistere absque iure, si fiant, in vsu enim v.g. iniusto facile intelligitur vsus facti sine iure vtendi; si autem iustus sit, non videtur posse separari ab vsu, quia vt sit iustus, oportet vt iure fiat, atque habeat quod ex aliquo iure nascatur. Respondeo primo non esse necessarium vt nascatur ex iure proprio, sed satis esse quod oriatur ex alieno per facultatem, seu licentiam concessam ab eo, qui tale ius habet; longe enim diuersum est habere proprium ius, quod est habere aliquale dominium, aut habere tantum licentiam à domino, quod reuera nullum dominium est, quod magis in sequentibus explicabitur. Deinde respondeo posse esse æquiuocationem in voce *iuris*, potest enim, aut legem significare, quomodo distingui solet ius diuinum, vel humanum, &c. Alio autem modo sumitur pro morali quadam potestate ad aliquem actum, vel vsum. Priori modo nunquam separatur ius ab vsu iusto, nam qui talem vsum habere potest, semper habet ius aliquod, id est, legem aliquam diuinam, vel naturalem, quæ illi talem vsum concedit, vel saltem approbat. Posteriori autem modo separabilis est vsus licitus à iure proprio, & quasi intrinseco, prout explicauimus, quamuis semper requirat aut licentiam, vel permissionem eius, qui tale ius habet, vel saltem vt alterius ius non obstet, vt contingit in vsu rerum, quæ nondum in alicuius proprium dominium deuenerunt, sed in communi vsu à natura concesso relictæ sunt.

## PRIMA ASSERTIO.

### *Dominia rerum esse materiam voti paupertatis, atq; ex vi illius obligari vouentem ad ea relinquenda.*

His positis videndum est, quomodo hæc ad materiam proximam paupertatis pertineant, aut extra illam sint per sequentes conclusiones. Dico ergo primo dominium rerum temporalium (per quæ semper intelligimus, quæ superiori capite explicata fuimus) est prima, & principalis pars materiæ proximæ paupertatis. Diximus autem supra vocari hanc materiam paupertatis, quia illa priuat; paupertas ergo priuat hoc dominio, & votum paupertatis est promissio non habendi hoc dominium; atque hoc modo dicitur dominium hoc esse materia talis voti. Sic ergo explicata cõclusio est certa, & communis omnium, sumiturque ex D. Thom. 2.2 dict. q. 186. art. 3. vbi voluntariam paupertatem per hoc explicat, quod est sine proprio viuere, idem autem est carere dominio, & carere proprio. Probatur; potest ex verbis illis Christi, Matth. 19. *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*: nam verbum vendendi, & dandi alienationem dominij significat; & eandem carentiam denotat verbum relinquendi, ac renuntiandi, quibus aliis locis Christus vtitur. Secundo idem probari potest ex ritibus, in quibus paupertas voluntaria per carentiam dominij, seu proprietatis explicatur, vt patet ex cap. *Non dicatis aliquid proprium*. 12. q. 1. quod sumptum est ex Augustino in Reg. cap. 2. vbi habenti votum paupertatis non solum habere, sed etiam dicere aliquid proprium vetat, iuxta illud Actor. 4. *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*: quod adeo exaggerant multi ex interpretibus in eum locum, vt dicant peccare pauperem voluntarium, qui vestem, vel aliam rem *meam* appellet: nam si id dicit animo, & intentione, vt ita sit, contra votum agit; si autem absque tali intentione ita loquitur, saltem mentitur. Quod esset verum, si particula *meam* semper significaret proprietatem, aut dominium; quia vero sæpe non sumitur in eo rigore, sed solum applicatione, seu determinatione ad proprium, & particularem vsum, ideo prolatio illius verbi non semper peccaminosa est, imo aliquando potest esse prudens propter occurrentes circumstantias, vel propter consuetudinem, quæ interdum declarat in bono, & simplici sensu proferri. Augustinus ergo non agit præcipuè de modo loquendi per vocem proprij (quamuis consilium sit illum vitare) sed de re, scilicet, vt nihil tanquam proprium possideatur; quod etiam late traditur in cap. *Monachi. c. super. c. Cum ad monasterium*, cum aliis de statu monach. c. *Ex parte*, de accusation. Ac deniq; commendatur maxime in Concilio Trident. sess. 25. c. 2. Tertio est manifesta ratio, quia paupertas consistit in priuatione, & carentia bonorum temporalium: ergo si sit integra, & absoluta paupertas, vt nunc loquimur, maxime excludit dominium talium rerum, quia ex dominio solent reliqui actus oriri, & quia dominium est quasi proxima ratio, per quam homo diues constituitur, vel simpliciter, vel quoad aliquid, & quia dominium est, quod requirit solicitudinem voto paupertatis contrariam, quæ in eo acquirendo, vel conseruando adhibetur.

*An & quando sit peccatum contra votum paupertatis dicere, rem meam.*

Sed quæres, an votum paupertatis ita excludat dominium, vt actu, & necessario illud expellat, si antea erat, vel impediat, si futurum sit. Respondeo, votum paupertatis, quod in religione fit, si sit solemne, vel alio modo iuuetur dispositione Ecclesiastici iuris, habere illum effectum; votum autem paupertatis nude & ex se sumptum non habere illum, sed solum obligare posse ad relinquendum dominium, quod iam habebatur, & nullum postea acquirendum, si vouens per illud dominio se intendit priuare. Prior pars quoad vota solemnia certa est, de qua postea multa dicturi sumus. Additur vero altera particula disiunctiua propter quædam vota, quæ in Societate emittunt coadiutores approbati; quæ licet simplicia sint, reddunt pe sonam incapacem proprietatis, & dominii, vt constat ex Extrauag. *Ascendente Domino*, Greg. XIII. de quo statim postea. Altera vero pars probatur, quia tale votum paupertatis est omnino simplex; quia solum est promissio quædam non habendi aliquid proprium: nam ratio voti nude, ac purè sumpta in hac promissione consummatur: ergo illa non secum affert formaliter carentiam propri j, sed solum ad illam obligat. Probatur consequentia, quia aliud est promittere, aliud dare. Item aliud est vouere, aliud votum exequi: nam qui vouet religionem, non statim fit religiosus, & qui vouet dare eleemosynam, non statim dat: sic ergo qui vouet esse pauper, id est, carere bonis, non statim fit pauper, donecilla cum effectu relinquat, vel alia non acquirat. Quæ ratio non solum probat nullum votum paupertatis, & omnino simplex, quale explicatum est, non habere de facto hunc effectum, verum etiam nec posse illũ habere, quantumuis promittens velit, se clusa lege humana iuuante, nisi accedat alia actio voluntaria, vel contractus, qui etiam sine voto esset per se sufficiens ad huiusmodi paupertatem efficiendam. Probatur primo, quia si de

*14. Aprtio duas partes includens.*

facto tale votum non habet hunc effectum, ideo est, quia non potest, si enim posset, quid impediret? Secundo id declaratur, ac probatur sequentibus illationibus.

15. *Corollariũ primum, Dives volens paupertatem non caret dominio, donec de suis rebus disponat.*

Ex dictis enim sequitur primo, si aliquis dives, antequam disponat de rebus suis, in hoc temporis puncto emittat priuatum votum paupertatis, ex tunc quidem obligari ad relinquendum dominium totius peculij, non tamen ex tunc, & statim incipere esse pauperem, seu carere dominio suarum rerum, donec de illis disponat. Probatur, quia ex vi illius voti non transtulit illa bona in dominium alterius, neque etiam quasi pro derelictis reliquit, vt à quolibet possint vsurpari tanquam bona, quæ nullius sunt. Constat enim manifeste id fieri non posse, & contra iustitiam commutatiuam peccaturum, qui talia bona vsurparet, & ad restituendum ea obligari eidem, qui illa antea possidebat: ergo adhuc manent illæ res sub dominio eiusdem volentis, donec voluntaria dimissio, vel donatio, aut alienatio talium bonorum accedat. Constat autem posse separari nudum votum ab huiusmodi actione, immo nisi talis actio ante votum præcedat, moraliter necessarium est, vt tempore subsequatur, quia dispositio, & alienatio rerum, non potest subito fieri, sicut fieri potest votum, sed interdum necessaria est postea magna consultatio, & negotiatio. Vnde etiam intelligitur dominium proxime, & quasi formaliter tolli per actionem illam alienatiuam, seu renuntiatiuam eius, quæ per se sola, & sine voto statim efficit hominem pauperem in præsenti, quamuis illa nõ obliget ad talem paupertatem retinendam in futurum. Votum ergo è contrario solum, ac per se sumptum non reddit statim, & in præsenti pauperem, sed obligat ad prædictam actionem.

16. *Dubitatio, quando obligetur ad diuitias relinquendas.*

Sed quæres, quando ergo obligabitur dives, qui votum paupertatis emisit ad relinquendas diuitias? Et quamdiu eas non relinquit, quomodo potest tuta conscientia simul esse dives, & habere votũ paupertatis? Respondeo ex generali doctrina de obligatione voti petendum hoc esse; dictum est enim obligationem voti statim incipere, & si negatiuum sit, pro statim, & pro semper obligare; si vero sit affirmatiuũ, & ex intentione vouentis non recipiat dilationem, etiam obligare pro statim, ita tamen vt moraliter, & cum commoda potestate, & opportunitate intelligendum hoc sit. In præsenti ergo votum paupertatis licet per se, ac primario negatiuum videatur; factum tamen ab eo, qui nondum diuitijs renuntiauit, affirmatiuum est, quatenus obligat ad actionem necessariam ad relinquenda omnia; Et ideo licet pro statim obliger, tamen cum morali latitudine, non enim obligat ad præcipitandam actionem, sed ad adhibendam moralem diligentiam; vt quamprimum moraliter, ac prudenter possit, sese omnibus bonis spolier. Atque in hoc sensu interpretandum est tale votum à tali persona factum, & ideo si non sit in mora, non repugnat simul habere tale votum, & adhuc esse diuitem, quia dominium illud, nec contra votum acquisitum est, nec retentum. Atque posset etiam dici, illum iam esse pauperem in fieri, & nondum amplius obligari per tale votum: si autem sit negligens, & in mora esse incipiat, iam nõ est tutus in conscientia; quamuis adhuc sit dominus, quę duo repugnant, vt iam dicam.

*Resolutio.*

17. *Corollariũ secundum, potest quis acquirere rerum dominium, licet cum peccato.*

Secundo sequitur, eum, qui habet huiusmodi votum paupertatis, & accipit aliquid animo acquirendi dominium illius, vel ab eo, qui potest illud transferre, vel quando res nullius antea erat, rerum dominium talis rei acquirere, etiamsi acquirendo, vel accipiendo peccet. Sumitur ex Nauarr. comment. 1. de regular. num. 22. & vltima pars manifesta est, quia dominium ita est materia proxima voti paupertatis, vt per illud se obliget vouens ad carentiam eius; ergo qui acceptat dominium alicuius rei, contra votum agit: ergo peccat; de quo latius in sequentibus. Altera vero pars probatur, quia quando concurrunt omnia necessaria ad valorem actus, si fiat, tenet, licet cum peccato fiat. Sed hic concurrunt omnia necessaria ad translationem dominii, scilicet voluntas dantis, & accipientis cum effectu, & cum potestate ex parte dantis, & capacitate ex parte accipientis: ergo. Maior per se satis clara est. Minor etiam quoad omnes priores partes ex facto ipso supponitur. Vltima vero pars, in qua est difficultas, probatur, quia sola promissio non infert incapacitatem actus oppositi, vt patet inductione: nam promissio non donandi nõ impedit, quin donatio postea facta teneat, vnde nec dantem reddit impotentem ad dandum, nec rem ipsam incapacem, vt donetur, & similiter promissio non nubendi non reddit incapacem ad nuptias, & sic de aliis. Ratio vero est, vel quia illi actus non sunt formaliter oppositi, vel maxime, quia tota efficacia promissionis est ex voluntate promittentis, quæ postea impeditur per voluntatem contrariam.

18. *Corollarii tertium.*

Vnde addo vlterius, quod licet is qui paupertatem simpliciter promittit, simul habeat voluntatem se reddendi incapacem omnis dominii, mutata voluntate, prout mutatur, acceptando dominium, iam esse capacem, vereque dominium acquirere. Ratio est, quia illa prior voluntas præter promissionem nullum intulit effectum permanentem dominio repugnantem, quia solum intulit promissionẽ, vt ostensum est. Dices, ipsa incapacitas est immediatus effectus talis voluntatis, nam talis voluntas efficax est, & ille effectus non videtur transcendere efficacitatem eius. Respondeo, esto possit illa voluntas talem effectum inducere, quãdiu ipsa est, vel moraliter durat, tamen per contrariam voluntatẽ destruetur, & redibit homo ad priorem capacitatem; duobus enim, vel tribus modis potest homo intelligi capax, aut incapax dominii; primo capacitate remota, & quasi radicali, vt sic dicam, quam capacitatem habet homo eo ipso, quod est naturæ rationalis, & liberæ, ideoq; non potest esse in homine incapacitas directe huic capacitati oppositа, quia per illam destrueretur homo. Secundo potest dici capacitas proxima voluntas formalis, vel virtualis acquirendi dominium efficax, & non impedita; cui voluntati cõtraria est voluntas, & propositum nullum habendi dominium, quæ potest facere hominem incapacem dominii in sensu cõposito, non vero simpliciter, id est, illa permanente; nam si per contrariam voluntatem illa expellatur, tollitur illa incapacitas, & redit homo ad connaturalem, & proximam dominii capacitatem, quia sola prior voluntas talem incapacitatem faciebat; illa vero per contrariam expellitur, quod locum habet siue talis voluntas licita sit, siue illicita, quia hæc incapacitas non pendet ex honestate, sed ex efficacitate voluntatis.

*Instantia soluitur.*

*Quot modi homo sit capax aut incapax dominii.*

19. *Tertia.*

Vnde potest tertia capacitas distingui quasi media; quæ consistit in proxima, & morali efficacia voluntatis ad acceptandum dominium; & hanc etiam capacitatem non potest homo à se auferre simpliciter per solam voluntatem suam auferendi à se talem potestatem sine adminiculo legis, vel sine aliquo contractu, quæ cum illa capacitate repugnet. Ratio est, quia quantũuis homo velit carere illa facultate, nihil à se aufert, quod per contrariam voluntatem non restituatur, nec ponit impedimentum, quod per eandem posteriorẽ voluntatẽ non tollatur, quia illæ voluntates sunt eiusdẽ ordinis, & efficaciæ, & ideo posterior semper põt omnino destruere priorẽ. Et ideo posita

posita est prior limitatio de adminiculo legis, nam per legem applicatur voluntas superioris, quæ efficacior est, & ideo si lex ipsa, & institutio Ecclesiæ adiungatur voluntati hominis promittentis paupertatem, reddatque voluntatem eius inefficacem ad dominium acceptandum, iam non poterit homo sua sola voluntate auferre à se talem incapacitatem.

Addita etiam est altera limitatio de contractu, qui a si homo voluntate sua se transferat in dominium alterius, vel omnia iura ad se, vel in præsenti, vel in futurum pertinentia, traducat in alterum per quandam actualem donationem, aut alium contractum, tuncita manebit incapax proprij, vt non possit sola sua voluntate ad priorem capacitatem se restituere, quia iam est alteri ius acquisitum, quo non potest illum priuare, nec sola sua volutate contractum rescindere. Sic enim, qui sua voluntate se vendit in seruum, consequenter fit incapax dominij, quatenus seruus est, sic etiam religiosus fit incapax dominij per professionem. Et ob hãc causam in principio loquutus sum de simplici, seu pura promissione paupertatis; nam in prædictis casibus non est sola promissio, aut voluntas cedendi dominio, sed interuenit etiam traditio, & donatio, aut venditio aliqua, quæ secum affert illam incapacitatem; nam eo ipso quod talis persona acceptat rem aliquã, eius dominium transit in aliũ, cui se donauit ex vi prioris contractus. Quando ergo votum paupertatis simplex omnino est, non obstat quominus per voluntatẽ acceptandi aliquod dominium acquiratur; quia tunc neque illa voluntas est inefficax ex vi alicuius legis, neque dominium per illam acceptatum transit in alium ex vi alicuius pacti; manet ergo apud ipsum acceptantem.

Sed tunc videtur sequi quædam perplexio in huiusmodi persona, quia nec potest tale dominium apud se retinere licite, quia sicut à principio illud suscipere fuit contra votum paupertatis, ita & retinere; necetiam videtur posse licite de tali re libere disponere, quia etiam hic est vsus dominij, qui non minus repugnat voto paupertatis, quam dominium ipsum. Quid ergo faciet huiusmodi persona? Respondeo in primis non posse in illo statu voluntarie perseuerare sine culpa, tale dominium apud se retinendo, vt ratio facta probat. Quocirca si res illa immobilis sit, debet illam aliena e, iuxta ea, quæ inferius dicemus; si vero sit ex alijs rebus, quarum vsu indiget, ita vt talis vsus non excedat paupertatis votum, tunc debet saltem deponere animum habendi dominium in illam, aut vsum eius ex dominio manantem, sed meum vsum facti. Quando autem rem ipsam, vel propter propfietatem, vel propter superfluitatem non potest apud se retinere, licite potest de illa disponere non tanquam vtens dominio, sed tanquam remouens impedimentum paupertatis per vsum facti iam tunc licitum, suppositio priori lapsu.

Quæritautem potest, an tunc teneatur talis persona rem illam dare pauperibus, aut Ecclesiæ, vel posfito arbitrio dare, cui voluerit: nam illud prius videtur esse valde consentaneum voto paupertatis, iuxta illud, *Vade, & vende omnia, quæ habes.* E contrario vero hoc posterius videtur repugnare paupertati, quia videtur esse actus dominij. Dicet vero aliquis neutrum esse in eo casu faciẽdum, sed rem acceptam ei esse reddendam, qui dedit. At hoc nullo sufficienti fundamento dici potest, nam donatio tenuit, vel quælibet alia alienatio, quia, vt probaui, is qui accepit vere factus est dominus; alter ergo amisit dominium absque illa iniuria: ergo ex vi iustitiæ nulla manet obligatio illi restituẽdi, seu reddendi talem rem, sed neque ex vi charitatis, aut religionis potest excogitari ratio, ob quam illi sit reddenda talis res ex præcepto, imo neque ex consilio per se loquendo, & ex vi obiecti. Illud ergo quod de subuentione pauperum, vel consumptione in alios pios vsus, optimum consilium est; quod autem sit necessarium affirmare non possumus: neque enim votum ad hoc obligat, neque aliud præceptum per se loquendo; suppono enim necessitates pauperum non esse adeo graues, vt ad hoc obligent; hoc enim contingens est, & extrinsecum; votum autem paupertatis licet obliget ad nõ retinendum dominium, non tamen ad expendendum bona in hos, vel illos vsus. Vnde quod Christus dixit, Matth. 19. *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, duo consilia continet, quorum primum sine posteriori seruari potest, & à multis hodie ita fit, nam dimittunt omnia, non tamẽ dant pauperibus, & substantia voti paupertatis est de primo, non de secundo: ergo ex vi voti paupertatis non tenetur aliquis in eo casu talia bona dare pauperibus.

Existimo ergo rem esse arbitrariam, & in quemcunque vsum honestum posse dispensari. quia per se solum est necessarium renuntiare illis bonis, seu illa relinquere; quod vero renuntiatio fiat in huius, vel illius gratiam, est quasi per accidens coniunctum, & arbitrarium, non tam ratione dominij, quam quia nullum est præceptum determinans hoc potius, quã illud. Et declaratur in hunc modum, nam posset talis persona rem illam à se abdicare, & nulli applicare simpliciter illam relinquendo, ita vt à quocunque primo occupante, licite accipi posset, quia per hoc implet votum, & nihil amplius facit: ergo etiam potest ita illam relinquere, vt alius, si velit, statim possit illius dominium accipere: hoc autem censetur, cum rem talem alicui donat. Denique assero, licet habenti votum paupertatis, per se loquendo, non liceat talis donatio, vel translatio dominij, supposito tamen dominio, vndecunque manauerit etiam ex actione peccaminosa, licitam esse quamcunq; actionem ad honestam illius rei alienationem, & ad reditum in priorem statum paupertatis necessarium.

23. *Resolutio. Potest talis rem cui voluerit donare.*

*Assertio vltima.*

## SECVNDA ASSERTIO.

### *Vsumfructum, vsum, & propriam possessionem esse etiam materiam proximam paupertatis, atque adeo ex vi voti relinquendam.*

24. *Assertio tres partes includens.*

Dico secundo, vsumfructum, vsum, & propriam possessionem etiam contineri sub materia proxima paupertatis, atque ita hæc omnia relinquenda sunt ex vi illius voti, alioqui contra ipsum agitur. Ratio autem generalis est, quia hæc vel dominium includunt, vel aliquid æquiualens dominio alicuius rei temporalis. Quod declaratur discurrendo per singula. Et in primis de vsufructu constat esse dominium vtile, quod sine dubio licet non completum, veruntamen dominium est. Imo quantum spectat ad vtilitatem ex bonis temporalibus capiendam, hoc dominium fructuosius est, quam dominium tãtum directum. Vnde hoc etiam dominium sufficit facere hominem diuitem, eumque negotiis sæcularibus implicare: ergo renuntiatio illius pertinet ad integram paupertatem. Denique vsusfructus, prout est ius vtendi & fruendi re, est quid pecunia æstimabile, & qui habet illum, verè habet dominium eius; nam hæc iura, quę res temporales à Iuristis dicuntur, etiam cadunt sub dominium, seu quasi dominium, quod ad nostrum propositum perinde est. Vnde potest in hoc inre intelligi quædam quasi reflexio; nam respectu rei, quafrui, & vtilicet ex vi talis iuris est dominium tantum vtile, tamen de hocipso iure est dominium proprium, quia illud distrahere licet, & in quemcunque vsum conuertere non prohibi-

*Probatur prima pars assertionis de vsufructu.*

tum. Nec vero de hoc iure oportet fingere aliud ius, quod sit dominium eius, ne in infinitum procedatur, sed eo ipso, quod est ius fruendi, & vtendi tali re, per seipsum affert dominium suiipsius, sicut census est ius percipiendi pensionem aliquam ex fructibus rei, in qua fundatus est; quod ius eo ipso cadit sub dominium eius, qui illud habet. Hac ergo ratione huiusmodi iura, & vsusfructus æque repugnant cum paupertate, ac dominium perfectum cuiuscunque rei.

25. *Probatur secunda pars de vsu*

Eædem ferè rationes probant alteram partem de vsu prout accipitur pro iure vtendi; nam hoc etiam ius aliquale dominium vtile est; licet enim simpliciter non sit dominium illius rei, qua vti licet, est tamen tale ius ad vsum eius, vt sine iniustitia prohiberi non possit. Vnde tale ius est bonum temporale pretio æstimabile, quod inter diuitias hominum computatur; vnde excludit, si habeatur, integram paupertatem. Denique qui habet hoc ius, consequenter etiam habet dominium eius, ideoque si iniustè in illo lædatur, restitutionis obligatio oritur ex vi iustitiæ commutatiuæ, quia læsus est in re sua: ergo qua ratione paupertas integra excludit alia dominia, excludit etiam hoc ius. *Obiectio.* Dices, qui solum habet ius vtendi, non potest illud in aliud transferre donatione, aut venditione, &c. quia illud est ius quasi personale, vt constat ex iure instit. & ff. de vsu, & habitat. Ergo vsuarius non habet dominium illius iuris. Respondetur primo, negando consequentiam, nam etiam maioratus non potest alienare bonum, & tamen est dominus, & pensionarius est dominus pensionis, licet eam non possit vendere. Nam in definitione dominij ponitur, vt sit in omnem vsum lege nõ prohibitum: si ergo alienatio ea tantum ratione non liceat, quia iure prohibita est, ob eam solam causam non excludetur dominium. Deinde negatur assumptum; nam vsuarius potest vendere ius suum ipsi domino rei, & ex consensu eius potest statim vendere, vel donare; ita enim intelligenda sunt prædicta iura, quia non excludunt pactum, & voluntariam commutationem, quæ in eo casu virtualiter fieret, hoc autem satis est, vt intelligamus illud esse aliquale dominium. Difficultates autem, quæ hic occurrere possunt, tractabuntur commodius circa vltimam assertionem.

26. *Probatur tertia pars assertionis de possessione.*

De possessione etiam proprie sumpta res est clara, quia de ratione possessionis est, vt res non tãtum corpore, sed etiam animo apud se habeatur, tanquam propria; sed hic modus habendi rem temporalem directè repugnat cum paupertate; ergo & possessio: continetur ergo sub materia proxima, quam excludit integra paupertas. Maior ex dictis constat, quia tenere apud se aliquid vt alienum non est possidere, & ideo non repugnat paupertati, vt dicetur. Minor etiam facile patet ex dictis, quia habere proprium, quia & moraliter idem sunt, & proprium non acquiritur nisi media voluntate; sed possessio includit formaliter, vel virtute voluntatẽ habendi rem vt suam, ergo est materia repugnans paupertati. Immo hinc obiter intelligitur, actum externum, vel consummatum cõtra paupertatem semper inchoari à possessione, sub qua comprehendo semper quasi possessionem iurium incorporalium. Dico autem *actum externum, & consummatum*, vt excludã desiderium habendi proprias diuitias, & similes actus merè internos, qui contra paupertatem quidem sunt, quia versantur circa materiam ex vi talis voti prohibitam, non sunt tamen actus consummati, qui aperse tendunt ad externam materiam, in qua consummantur. Violatio ergo exterior paupertatis ab illo actu regulariter incipit, quo aliquis accipit rem aliquam cum voluntate tenendi illam vt suam, quia per illam acquiritur dominium. Dixi autem *regulariter*, quia licet ordinaria via acquirendi dominium sit media possessione, interdum tamen sine illa potest acquiri per solam voluntatem acceptantem in casibus à iure expressis, in quibus contingere potest, vt votum paupertatis etiam exterius violetur ante possessionem per dominii acquisitionem. Exemplum esse potest, si quis habens votum paupertatis hæreditatẽ acceptet, nam per talem acceptationem statim fit dominus, etiamsi nondum possideat. *l. cum hæredes.* ff. de acquirenda possessione, & toto titulo ff. de acquirenda hæredit. suppono enim, vt supra dixi, votum paupertatis esse integrum, & sine vlla exceptione.

*Sine possessione aliquando dominium acquiri potest*

Hic vero statim occurrebat inquirendum, quid possit licite, vel quid debeat facere huiusmodi hæres institutus, vel ab intestato succedens, cum votum simplex paupertatis antea haberet. Respondeo, antequam votum paupertatis emittatur, huiusmodi euentum esse præueniendum transferendo in aliquẽ, vel in aliquos pios vsus omnia iura, quæ quocunque titulo, aut modo possint aliquando ad ipsum pertinere, & tunc clarum est, nihil aliud posse postea licite facere, nisi stare promissis, & dispositis. Si vero ea diligentia prætermissa fuit, nihil aliud potest licite facere, nisi hæreditatem simpliciter non acceptando, quia ad hoc ex vi voti tenetur; non potest autem aut ius suum in alium transferre, nec etiam disponere, vt bona illa in vsus pios consumantur, sed debet ea simpliciter relinquere vt ad eos perueniant, ad quos deficiente tali hærede pertinerent. Quia omnis alia dispositio, vel translatio in alium supponit virtualem acceptationem hæreditatis, quæ iam repugnat cum obligatione voti paupertatis. Antecedens patet, quia vt ille possit talem rem alteri donare, necesse est, vt prius aliquo modo efficiat suam acquirendo ius ad disponendum de illa. 27. *Dubitatio prima, & harum instructio.*

## TERTIA ASSERTIO.

### *Vsum facti, & omnem aliam administrationem, quæ non proprio iure, & nomine fit, sed alterius, non ita proprie esse materiam voti paupertatis, &c.*

28.

Dico tertio, vsus facti, & omnis rei apprehensio, aut retentio, vel administratio, quæ non proprio iure, & nomine fit, sed in facto tantum consistit, & ex iure, & concessione alterius pendet, non ita est per se materia paupertatis, vt omnino ex vi illius voti excludantur, aut excludi possint, quamuis aliqua moderatio in his omnibus possit esse materia paupertatis iuxta intentionem vouentis. Doctrina huius conclusionis communis est, & prima quidem pars quantum ad vsum facti spectat, est euidens, quia sine hoc vsu temporalium rerum impossibile est hominẽ viuere, non ergo potest homo prorsus se ab hoc vsu priuare, neque id promittere: ergo vera, & Deo grata paupertas non potest cõsistere in tali priuatione huiusmodi vsus. Vnde Doctores omnes in ea cõtrouersia, an fratres minores habeant dominium earum rerum, quæ vsu consumuntur, omnes conueniunt, vt saltem habeant vsum facti, quia hic non potest omnino per votum paupertatis prohiberi. Solum potest dubitari hic de illo, quod supra tetigimus, & obiecit Ioann. XXII. in Extrauagantibus, *Ad conditorem*, &, *Cum inter nullos*, &, *Quia quorundam*, de verbor. signif. quomodo scilicet possit esse vsus facti licitus sine iure vtendi, atque adeo sine dominio aliquo, cum nemo consumere possit iuste quidpiam, nisi ius habeat illud consumendi. Adde huiusmodi vsum non solum esse licitum in rebus infructiferis, & quæ vsu consumuntur, sed etiam in rebus fructiferis, & permanentibus, quæ non statim suo vsu

*Assertio communis. Probatur prima pars de vsu facti.*

*Dubitatio, quomodo possit esse vsus facti licitus sine iure vtendi, & dominio.*

vsu consumuntur. Nam, & illarum fructibus, & harum commoditate vti licet: ergo ille non tantum est vsus facti, sed etiam ius vtendi, & fruendi talibus rebus durabiliter permanens.

29. Propter hoc aliqui concedunt paupertatem non omnino excludere ius vtendi, imo nec fruendi simile illi, quod habet vsuarius, vel vsufructuarius, vel etiam aliqua ex parte maius illo, quia ex vi huius iuris sæpe licet pauperi non solum carpere fructus ex arbore, v.g. sed etiam arborem eradicare, & combustere, quod non licet mero vsufructuario. Sed in hoc solum esse potest æquiuocatio in nomine iuris, nam si omnis licentia, vel facultas domini, etiamsi ab illo semper pendeat, & pro eius arbitrio reuocari possit, ius appellatur, doctrina data sine dubio vera est, & consentanea his, quæ supra diximus, solum modus loquendi est diuersus. Nam ius proprie dictum solum esse censemus illud, quod ineſt homini, tanquam proprium, quo ve suo nomine operari potest, quod etiam respectu illius is a est obiectum iustitiæ commutatiuæ, vt sine contraria iniustitia inuoluntarie auferri ab illo non possit; & hoc ius dicimus per absolutam paupertatē excludi à particulari persona, & omnem vsum, qui non habetur ex vi huiusmodi iuris, vocamus vsum facti, quantumuis ex voluntate, seu ex concessione domini habeatur. Atque ita facile respondetur ad priorem interrogationem, optime separari vsum facti licitum à iure vtendi, quia potest esse consensus ab eo, qui habet ius, non per iuris translationem, aut donationem, sed per meram facti concessionem licitam, ac semper ab ipso dependentem. Eodem modo ad alteram partem fatemur licentiam hanc se extendere ad eosdem, vel etiam ad plures actus, quam vsus, vel vsufructuarius, non tamen eodem modo, neque cum eadem iuris proprietate, & actione nomine proprio, & ideo non ita repugnare cum paupertate. Quæ doctrina sumitur ex Nicolao III. in cap. *Exit qui seminat.* de verbor. signif. in 6. & Clemente V. in Clem. *Exiuit de paradiso.* de verbor. signif.

30. Atque ex his facile intelliguntur, & probantur aliæ partes propositæ, quæ sicut alia, quæ ibi diximus, attinguntur breuiter à Nauarro comment. 1. de regular. numer. 12. & sequentibus. Constat ergo ratione superius facta non posse aliquem honeste se priuare actuali tentione, seu quasi professione aliquarū rerum temporalium, saltem illarum, quas Paulus comprehendit, cum dixit, prima ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus:* quomodo enim operietur quis vestibus, nisi illas apud se habeat, saltem facto, etiam si non habeat ius in illas; & sic de aliis; quamuis ergo moderatio, & limitatio in habendis his rebus etiam solo facto, possit merito ad paupertatem pertinere, totalis tamen carentia, & dimissio talium rerum non pertinet ad voluntariam paupertatem prudentem, & Deo gratam. Vnde nec Christus Dominus, nec Apostoli, nec alii Sancti hoc genere paupertatis vsi sunt; nam licet Christus Dominus aliquando non haberet vbi caput suum declinaret, vestes saltem habebat, quibus vtebatur. Et licet in cruce illis etiam spoliatus fuerit, illumq; summum paupertatis gradum, & patienter, & libenter tulerit, non tamen illam nuditatē professus est, tanquam paupertatem voluntariam, cuius ipse author, & effector esset, sed illam sustinuit, tanquam vnam ex iniuriis, & passionibus, quas voluntarie pro hominibus accepit. Legimus etiam aliquando D. Franciscum vestibus etiam propriis seipsum nudasse, vt bonis omnibus paternis renuntiaret; veruntamen nec constat, aut satis verisimile est ita se spoliasse, vt omnino nudus coram Episcopo manserit; satis enim est, si superflua omnia, & pretiosa vestimenta abiecerit, his tantum, quæ ad tegendum corpus necessaria erant retentis; vel fortasse ita omnia reliquit, vt tamen iam haberet saccum eleemosynis comparatum, quo se tegeret. De aliquibus etiam sanctis solitariam vitam degentibus interdum legimus ita coluisse paupertatem, vt nec vestes haberent, quibus tegerentur, neque alimenta, nisi quando ad actualem vsum illa colligebant, vel recipiebant, vt de Ioanne Baptista, Paulo Eremita, Maria Ægyptiaca, &c. Veruntamen hæc, quæ rarissima, & extraordinaria sunt, non pertinent ad ordinariam voti paupertatis materiam, & aliqua magis sunt admiranda, quam imitanda vtpote ex speciali instinctu Spiritus Sancti facta, quale est nullo prorsus vti operimento corporis, nisi capillis, vt de Ægyptiaca, & Macario etiam fertur. Ioannes enim, & Paulus, sicut etiam Elias tegumento vtebantur, licet aspero, & vili, quale fuit etiam illud, quo Deus statim post peccatum primos homines induit.

31. *Probatur tertia pars de administratione.* Tandem administratio solius facti nullum proprium ius dominii, aut vtendi, vel fruendi includit, *præcise ex vi administrationis*, & ideo ad obiectum ejusdem paupertatis non spectat. Dico autem, *præcise ex vi administrationis*, quia si ratione administrationis aliquod temporale stipendium accipiatur, ex illa parte poterit violari paupertas, si vltra mensuram vel modum debitum accipiatur, consideratis, quæ hactenus diximus, & voti qualitate. Administratio ergo formaliter, ac per se non repugnat paupertati, quia solum est quid facti, & non proprii iuris, quia res sic administratæ, non vt propriæ, sed vt alienæ tenentur, & ita non possidentur ab administrante, sed à domino per illum, omnis etiam fructus talium rerum domino accrescit, sicut etiam res, quæ pereunt, illi pereunt; ac denique omnis vsus, vel dispositio talium rerum respectu administratoris solum est vsus facti, quia solum ex concessione, & voluntate domini fit. Imo talis est hic vsus, vt ex vi administrationis non possit conuerti in vtilitatem, & commodum administrantis, sed ad conseruationem, & augmentum ipsarum rerum in domini commodum referatur; nihil ergo habet administratio vt sic, propter q̄ per paupertatis votum excludatur: nō est ergo materia paupertatis, sed potest esse materia obedientiæ, interdum vt habeatur, interdum vero vt relinquatur. Ex quo vlterius addo non solum administrationem, sed etiā ius administrandi per se non repugnare paupertati, nisi aliunde ius illud habeat emolumentum temporale, & ideo sit pretio æstimabile; nam tunc non licet habere ius tanquam proprium, nisi præscindatur administratio ab emolumento, sicut supra de cathedra dicebamus. Si vero præcise spectetur ius administrādi, illud non est dominium, vel quasi dominium alicuius boni temporalis, sed est ve uti ius regendi, aut imperandi, quæ per se, ac præcise spectata nō faciunt hominē diuitē secluso emolumēto ex eis resultante.

*Assertio. Etiam ius administrandi non repugnat paupertati.*

32. *Dubitatio, an sit materia huius voti excessus in vsu, vel peculio facti.* Circa hanc vero conclusionem inquiret aliquis, an, & quo modo possit vsus, vel peculium facti esse contra votum paupertatis ratione excessus, etiamsi ex vi solius speciei, vt sic dicam, non sit cōtra paupertatem, vt, v.g. vti cibis non est materia paupertatis, nihilominus tamen quæri potest, an vti pretiosioribus cibis, sit per se contra paupertatem, & idem est de vestibus, ac de tota supellect. li rerū, v.g. mobilium, pertinentium etiam ad ornatum domus, &c. An scilicet excessus in his sit materia paupertatis. Cui interrogationi difficile est respondere, generalem cōstituendo regulam præter intentionē vouentis, quādo ille non vouet paupertatem secundum aliquam regulam, sed simpliciter, vt modo loquimur. Quādo enim votum fit priori modo, ex ipsa regula poterit colligi mensura paupertatis in his omnibus, quæ insi-

insinuauimus, vt ex infra dicendis de paupertate religiosa latius constabit; quando vero fit priuatum, & simplex votum, vix potest certum aliquid definiri, nam vt paupertas sit licita, & honesta, satis est, quod non excludat vsum, vel tentionem rerum, quę ad vitam necessariæ sunt. Non est autem verisimile eum, qui simpliciter, & absolute vouet paupertatem, eo ipso se obligare ad non vtendum nisi necessarijs, vel viliotibus rebus; quia hoc valde perplexum esset, & lubricum, & moralibus periculis expositum, quia difficillimum est debitum terminum in huiusmodi necessitate præfigere; & quia non semper est idem, sed pro diuersis circumstantijs, & opportunitatibus occurrentibus variari necesse est. Deinde, quia excessus aliquis in huiusmodi vsu, vel abundantia rerum, seclusso omni iure proprio, ac rigoroso, non facit hominē diuitem proprie. ergo in rigore loquendo non repugnat paupertati; ergo si votum paupertatis simpliciter fiat, & vouens speciali intentione sua nihil explicet, non erit hic excessus per se loquendo contra paupertatem.

33. *Resolutio dubitationis propositæ.* Censeo igitur intentionem vouentis esse in præsenti pro regula constituendam, nam si ille intendit sese obligare ad aliquid speciale in hoc genere vsus, vel ornatus, aut copiæ rerum, tunc omnis excessus erit materia repugnans tali voto, vt per se constat; secluſa vero hac intentione, nulla videtur esse posse talis obligatio, ob rationes factas. Solum potest videri alicui difficile, quod quis habeat votum paupertatis, & simul reipsa, seu facto splendide viuat, & multa pretiosa, ac superflua habeat, & expendat, & nihilominus paupertatem non videt. Veruntamen si omnia illa non habeat, neque illis vtatur, vt dominus, sed in vtroq; pendeat à vero domino, & facultatem ab illo concessam, seu permissam non excedat, nihil admirationis in eo est, quia paupertas substantialiter seruatur, vbi nullum proprium ius, vel dominium interuenit, neq; expresse, neq; tacite, seu æquiualenter. Poterit ergo in illo excessu esse culpa, vel ratione scandali, vel ratione indecentiæ status, vel fortasse ratione periculi alterius mali; formaliter tamen ibi non inuenio violationem voti paupertatis.

34. *Vltima difficultas, apud quem sit dominiū rerum.* Tandem dubitari potest, apud quem sit dominiū earum rerum, quibus vtitur, vel quas acquirit is, qui tale votum habet. Quia nec est apud ipsum, nec apparet apud quem alium sit; necessarium autem videtur, vt apud aliquem sit. Quidam censent esse apud Deum speciali titulo, ac ratione. ita sentit Navarr. in comment. 2. de regular. numer. 3 Sed hoc mihi non placet, tum quia, vt in superioribus dixi, Deus non est capax noui dominij, quod illi ex nostris actibus acquiratur: tum etiam, quia nullum apparet fundamentum huius dominij, neque ex intentione dantis, nec recipientis, vel habentis, nec etiam ex vi voti paupertatis, quia per illud non obligatur homo aliquid Deo acquirere; vel in speciale dominium eius transferre, quidquid habet, vel denuo recipit; sed solum non habere aliquid proprium. Denique alias videretur obligandus, qui tale votum habet, expendere in sacros vsus omnia, quæ sibi necessaria non sunt, quia iam res illę specialiter sunt Deo cōsecratæ, quod videtur durum, & sine fundamēto. Alii ergo censent dominium illud manere apud donantes, seu tradentes huiusmodi bona personæ habenti tale votum. Quod sumi potest à simili ex Nicol. III. in cap. *Exiit*, de verborum signif. in 6. Et videtur verisimile, quia supponimus, eum, qui accipit talia bona, non acceptare illorum dominium, quia si acceptaret, ipse fieret dominus iuxta supradicta, transgrederetur tamen votum; nos autem agimus de illo, qui modo debito hæc bona accipit absq; transgressione voti: ergo manet dominium apud donantem. Patet cōsequentia, quia eo ipso, quod alter non acceptet dominium, contractus non perficitur, quoad dominij alienationem: ergo manet penes ipsum, cuius antea erat.

35. *Non plane absolute sumpta.* Sed licet hæc responsio quoad aliqua sustineri possit, scilicet, quoad ea, quæ immediate donantur huiusmodi paupери, quamdiu in eadem specie durant, non tamen videtur vniuersaliter satisfacere in rebus omnibus, quæ quouis modo, aut titulo comparantur: nam si hic pauper in eleemosynam accipiat pecuniam, & illa emat triticum, non possumus dicere dominium tritici esse apud eum, qui pecuniam dedit, quia illud nunquam habuit, nec acceptauit, neque etiam apud illum, qui triticum vendidit; quia ille verè factus est dominus pecuniæ; non ergo debet simul retinere dominium rei venditæ. Vnde fratres Minores, qui negant se habere dominium alicuius rei, & ideo aiunt dominium rerum vsu consumptibilium sibi donatarū manere apud donantes, quamdiu illæ in eadem specie conseruantur; nihilominus aiunt, postquam in res alias commutantur, dominiū cæteratum rerum, quæ ex eleemosynis datis comparantur, non esse apud eos, qui priores eleemosynas dederunt, sed ad Summum Pontificem transire. Hoc autem vltimum dicere cum fundamento non possumus de quolibet vouente simpliciter paupertatem, quia in Minoribus, & alijs religionibus, quæ similem paupertatem profiteantur, Summus Pontifex habet peculiare ius in ipsas, & verisimile est, vel speciali declaratione, vel tale institutum approbando, hoc dominium acceptando: priuata autem persona vouens simplicem paupertatem, nec propterea specialiter subditur Summo Pontifici, neque ab eo habet aliquam specialem approbationem, vel acceptationem.

36. Inter hanc ergo personam, & illum religiosum est similitudo in hoc, quod dominium rerum emptarum eleemosynis non manet in vendente, neque in eo qui eleemosynam dedit; est autem dissimilitudo, quod in hac priuata persona non possumus assignare aliquam communitatem, vel superiorem personam, in quam transeat tale dominium, sicut in religiosis fit. Nec solum in his rebus, quæ per plures contractus, vel quasi contractus dicto modo comparantur, videtur hoc habere locum; sed etiam in omnibus illis, quæ immediate acquiruntur titulo oneroso, seu per contractum ad iustitiam pertinentem, vt si huiusmodi pauper labore suo stipendium ad victum, & vestitum necessarium acquirat, tunc enim non solum cibus, & vestitus stipendio emptus, sed etiam ipsum stipendium immediate datum non videtur manere sub dominio dantis, cum loco illius iam receperit opus illi æquiualens.

37. *Resolutio huius dif. ficultatis, & quid nominis.* Propter hæc ergo videtur probabiliter dici posse dominium illius rei apud neminem esse, quia hoc nullum est inconueniens, & optime consistere potest cum omnibus, quæ in hoc facto interueniunt, & ad vsum, & obseruationem huius voti paupertatis sunt necessaria. Primum declaratur ex his rebus, quæ *ipso* nondum in alicuius speciale dominium deuenerint, vt sunt pisces fluminis, & similia; ponamus ergo hūc hominem habentem votum paupertatis ad suum vsum aliquid piscari, aut venari, aut herbas ex communi agro colligere absq; animo acquirendi dominium, sed solū corporaliter tenendi, aut vtendi: tunc ergo haberet quis materialem possessionem, & vsum rei non suæ, nec alius: non est ergo necessarium, vt res alicui personæ in particulari applicatæ ad vsum facti sint sub eius, vel alterius dominio. Quod vero idem possit contingere etiam in acceptione rei, quæ prius erat sub alterius speciali dominio, ita declaratur, nam quando aliquis præbet aliquid alteri, potest actio esse efficax quoad abdicandum, vel amittēdum

p o-

proprium dominium, etiamsi non valeat quoad transferendum illud in alium: vt, v. g. in simonia, qui dat pretium amittit dominium eius, & alter non acquirit; quod autem ibi fit ex dispositione legis, potest in præsenti intelligi ex voluntate contrahentium, nam qui dat, vult quantum est ex se dominium rei dimittere, & in alium transferre; qui autem accipit, licet non acceptet dominium in se transferendum, admittere autem potest priuationem alterius, ne alius retineat ius in talem rem: ergo donatio tenebit quoad hanc partem, etiamsi quoad aliam non acceptetur; nam cum illa duo sint separabilia, vt ostensum est, hic de facto separabuntur, cum sufficiens causa interueniat. Quod autem talis censenda sit voluntas contrahentium in hoc casu, ex parte quidem dantis manifestum est, supponimus enim illum velle dare, & alienare rem, quantum in ipso est. Ex parte autem accipientis declaratur, quia ille acceptat donationem quantum potest absque transgressione voti paupertatis, sed acceptat illam quoad veram alienationem alterius, seu dominii abdicationem, non est contra paupertatem, dummodo translatio dominii, in seipso non acceptetur; ergo quandiu ipse aliud non explicat, ita donationem acceptare intelligendus est. Quæ ratio non minus procedit in eleemosynis, & aliis liberalibus donationibus, quam in cæteris oneribus, quæ per modum commutationis fiunt. Ita ergo in vniuersum concluditur omnia bona, quæ huiusmodi pauper acquirit, aut retinet ad suum naturalem vsum, nullius esse quoad proprium, & speciale dominium, quia ab vno efficaciter relinquitur, & ab altero non acquiritur, & nulla lege, consuetudine, aut alia via designata est persona, in quam tale dominium transferatur; ergo apud neminem manet.

Dicet aliquis: Ergo accipere huiusmodi bona à tali paupere ipso inuito, non erit contra iustitiam, neque inde orietur obligatio ad restitutionem. Probatur sequela, quia neque illi fit iniuria, cum non sit dominus, neque habeat ius in talem rem; neque alteri, quia nullus etiam alius esse dicitur, apud quem sit tale dominium. Item inquiro, quo iure pauper ille vratur huiusmodi rebus? supra enim dicebamus vsum facti in tali persona non esse ex proprio iure, sed ex licentia veri domini, à quo semper pendet, hic autem dicimus nullum esse dominium talium bonorum; ergo non habet locum talis facultas. Respondeo eadem obiici posse in eo casu, in quo talis persona accipit ad suum vsum res, quæ antea nullius erant. Dico ergo tunc non indigere facultate, vt ita dicam, positiua, sed sufficere negationem prohibitionis: nam eo ipso, quo res non est alterius, licitum est illa vti, si alias licitè teneatur, seu occupetur. Idem ergo dici posset, etiamsi res prius fuerit sub dominio alterius, qui tale dominium postea reliquit. Quod ergo supra de facultate vtendi dicebamus, proprie locum habet, quando dominus vsum concedit, & dominium non relinquit priusquam res pereat, vt contingit in amico inuitante alium, & in vnoquoque religioso respectu suæ communitatis capacis dominii in communi. Ad casum vero, de quo nunc loquimur, extendi potest, quia hic etiam vsus quodammodo est ex facultate veri domini, qui fuit, licet iam non sit. Quod vero spectat ad alteram partem de iniustitia, similiter applicari potest ad casum de paupere occupante bona communia, & ideo dicendum est, quamuis ille non habeat nisi tenuem facti, non posse inuitum illa priuari, ab eo, qui non est eiusdem rei dominus absque iniuria, quia vnusquisque habet naturale ius ad defendendum & se, & quidquid apud se possidet, & tenet absque alterius iniuria; hoc autem ius non necessario est dominium acquisitum in rem apprehensam, sed est naturale dominium in proprias actiones, ad quas pertinet, & vsus facti de re iustè possessa, vel obtenta, & ipsamet tentio rei, quatenus in ipsa moraliter manet actio, per quam apprehensa est. Potest etiam hoc ius reuocari ad illud ius naturale, quod homo habet ad nutriendum, protegendum, & conseruandum proprium corpus, ad illud enim pertinet, vt non possit sine iniustitia priuari rebus, quas ad hunc finem apud se habet sine alterius præiudicio, & quibus possit licitè vti, siue sit illarum dominus, siue non.

## Caput VI.

### *Quibus modis violari possit simplex votum paupertatis, & quam graue peccatum illud sit.*

1. COnstat ex generali doctrina de voto, semper ex illo aliquam obligationem in conscientia oriri, quæ in singulis votis, materiis illorum accommodata est. Vnde in præsenti etiam nascitur obligatio ex voto paupertatis, quæ ex dictis de materia eius facile intelligi poterit; iuxta modum autem obligationis, erit etiam modus culpæ, ac peccati contra tale votum. Primus ergo peccandi modus contra hoc votum est habendo, vel accipiendo dominium alicuius rei (sub dominio autem possessionem etiam propriam, & ius etiam vtendi, & fruendi proprium comprehendimus iuxta superius dicta, ne per singula discurrere necesse sit.) Probatur ergo assertio, quia hoc votum primo, ac præcipuè est promissio non habendi aliquid, vt suum, hoc enim modo ostendimus, hanc esse materiam proximam, quam hoc votum respicit, vt destruendam, & tollendam: ergo immediatè obligat ad carendum huiusmodi dominio; peccat ergo qui illud tenet, vel acceptat: imo etiam, qui illud cupit, aut desiderat, vt bene Nauarr. comment. 1. de regular. num. 18. §. 22. & num. 19. & 27. argumento cap. *Vouentibus* 17. q. 1. Nam sicuti ibi dicitur, *Vouentibus castitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.* Ita hic dicimus, vouentibus paupertatem non solum habere, sed etiam velle habere proprium damnabile est. Vnde infert Nauarr. difficile esse seruari hoc votum extra religionem, quia difficile viuitur inter homines sine eorum commercio, commercium autem sine voluntate quærendi dominium sibi vel alteri difficile habetur. Sed si considerentur, quæ diximus, non erit hoc multum difficile, si conuentiones debita intentione fiant, dandi scilicet alteri, quod illi deberur, & acceptandi solum id, quod iustè, ac religiosè accipi potest.

*Primus modus peccandi contra hoc votum.*

2. Atque hinc infertur, peccatum hoc ex genere suo mortale esse, quia est contra votum, atque adeo sacrilegium, quare in hoc nulla est dubitatio. Et gratuitas huius culpæ satis exaggeratur à Clemente III. in cap. *Super*, & Innoc. III. in cap. *Cum ad monasterium*. de statu monach. vbi monachus violans votum paupertatis habendo propria, & post canonicam admonitionem in eo peccato perseuerans, de monasterio eiici præcipitur, & si in morte cum tali proprietate inuentus fuerit, priuari Ecclesiastica sepultura. Verum est, ea, quæ pœnalia sunt, restringenda esse ad casum, in quo loquuntur, nempe ad monachos; qui solemne votum paupertatis emittunt; an vero locum habeant in omnibus verè religiosis, etiamsi monachi non sint, vel solemne votum non emiserint, dicemus infra suo loco; quod autem ad præsens attinet, certum est hæc non extendi ad simplex, & priuatum votum paupertatis, quod extra statum religionis emittitur; & de priori quidem pœna res est per se nota, quia ille non habet re-

*Hoc peccatum ex genere suo est mortale, & sacrilegium.*

ligionem, à qua eiiciatur. Quoad alteram vero partem posset quidem Ecclesia illam pœnam imponere propter violationem voti omnino simplicis, tamen de facto non imposuit ex vi illius textus, qui solum de religiosis loquitur. Ratio est, quia licet vota sint eiusdem rationis, & consequenter etiam transgressiones eorum, tamen in foro Ecclesiæ, peccatum religiosi grauius est, & pœna dignius, & Ecclesiæ etiam magis nociuum, quia est contra publicum statum ab ea approbatum, & contra promissionem speciali modo ab eadem Ecclesia acceptatam, & receptam.

*In foro Ecclesiæ peccatum religiosi grauius est.*

3. Nihilominus ex similitudine rationis recte colligimus hoc peccatũ ex suo genere esse grauissimum; nam votum simplex coram Deo non minus obligat quoad essentialem obligationem, quam solemne. Vnde sancti in generali loquentes de voto paupertatis valde exaggerant hoc delictum, vt videre licet in Hieronymo epistola 22. ad Eustoch. de custodia Virgin. versus finem, vbi refert exemplum illud de quodam monacho Nitriæ, qui centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquit, de quo Macarius, Pambo, & Isidorus decreuerunt, vt cum illis sepeliretur, dicentes, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Simile refert Gregor. (cuius meminit Innocent. III. dicto cap. *Cum ad monasterium.*) lib. 4. dialog. cap. 55. Basilius etiam in constitut. Monast. cap. vltimo furtum appellat huiusmodi peccatum, & comparat illud peccato Iudæ, quod à furto incepit. Cassianus etiam in lib. 7. de Institut. Cœnob. multa de hoc peccato dicit. Et quamuis hi etiam Patres præcipuè tractent de monachis, seu religiosis, tamen doctrina eorum generalis est quoad culpæ exaggerationem pro omnibus, qui quolibet modo viam perfectionis profitentur medio voto paupertatis.

## *Quæ quantitas vsurpata sit sufficiens ad hoc, vt quis vitium graue proprietatis, seu peccatum mortale contra paupertatem incurrat.*

4. Difficultas autem potissima huius materiæ est, quæ bonorum quantitas sufficiat, vt hoc peccatum mortale sit? Quidam enim authores tractantes de religiosis significant proprietatem in quacunq; materia etiam minima contra votum paupertatis esse peccatum mortale. Quorum sententia, si vera esset in quolibet habente votum simplex paupertatis, procederet, quia non fundantur in aliqua speciali obligatione religiosi, sed solum in voti obligatione. ita sentit D. Antonin. 3. p. tit. 16. cap. 11. notab. 2. Et Gerson 2. parte tract. de variis quæstion. circa finem Alphabeto 34. lit. S. vbi exempla ponit, si procurator absque licentia prælati emat cultellum, filum, aut acum. Veruntamen hi authores videntur supponere omnem transgressionem voti, etiam in materia minima, & partiali, esse peccatum mortale. Quod tamen principium falsum est, vt supra ostendi. Si autem illud non supponant, nullam rationem assignare possunt, ob quam illud verum sit in hoc voto potius, quam in aliis; nam licet materia eius sit valde necessaria ad finem perfectionis, non tamen est nobilior aliis, imo nec æqualis illis, nec tam proxime, ac directe pertinens ad cultum Dei; constat autem in materia aliorum votorum, præsertim obedientiæ, posse esse peccatum veniale ex leuitate materiæ; ergo & in materia paupertatis.

*Prima opinio.*

*Refellitur*

5. Sit ergo certum requiri materiam grauem; hanc vero grauitatem, & quantitatem ad illam necessariam præscribere difficile est. Quidam authores generalem regulam constituunt, illam censeri posse materiam grauem in proprietate contra paupertatem, quæ in furto sufficeret ad peccatum mortale. Hanc sequitur Cordub. in summa Hispana q. 109. Mendoca in quæst. quodlibet. q. 8. conclusione vltima, Lopez 1. p. instruct. consc. cap. 156. conclus. 5. Grassis 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 49. & passim alii recentiores. Sed non caret difficultate, primo, quia non apparet sufficiens ratio illius æquiparationis; nam licet voti obligatio ex ea parte, qua pertinet ad religionem, maior esse videatur, tamen aliunde obligatio iustitiæ videtur esse magis rigorosa; eam enim ob causam, quoties concurrunt obligatio iustitiæ, & religionis, obligatio iustitiæ præfertur; & cum furtum sit contra iustitiam, potest in minori quantitate esse mortale peccatum, quam sufficiat ad peccandum mortaliter contra paupertatem. Aliunde etiam difficile est, hanc proportionem obseruare, & accommodare; ad quod explicandum aduerto, duplicem quantitatem in materia furti considerari. Vna dicitur absoluta, quia secundum se, & respectu omnium grauis est. Alia dicitur respectiua, id est, comparatione facta ad indigentiam, & necessitatem personæ, à qua res per furtum aufertur; sic enim potest esse interdum peccatum mortale in quantitate secundum se minima ob nocumentum graue, quod inde potest in altero redundare. Sicut enim illa mulier, quæ in Euangelio duo minuta obtulit, magnam eleemosynam fecisse dicta est, eo quod ex sibi necessariis obtulit, ita auferre ab aliquo duo minuta sibi valde necessaria, potest esse peccatum mortale. Hæc igitur consideratio posterior non habet locum in præsenti, tum quia per se loquendo, & secluso scandalo nulla apparet necessitas, vel vtilitas, ob quam materia, quæ absolutè spectata non est grauis, possit reputari grauis per respectum ad operantem, vel ad aliquem alium finem in materia paupertatis: tum etiam, quia hæc quantitas non habet definitum terminum, vt secundum illam fieri possit æquiparatio; nam hæc solum inter determinatas quantitates fieri potest. Si autem comparatio fiat secundum priorem quantitatem absolutam, aut incerta etiam videtur, aut nimiam licentiam tribuit contra paupertatem.

*tem regulã. rem ma- teria gra- uis.*

*Quæ cen- seatur ma- teria gra- uis.*

*In materia furti du- plex quæ- stio tra- denda.*

6. Ad quod explicandum aduerto præterea de hac absoluta materia furti varias fuisse opiniones inter authores. Quidam existimarunt, vel duos argenteos esse sufficientem materiam absolutam peccati mortalis, vt Cordub. supra sentit cum Nauarro in summa cap. 17. num. 3. & 4. & in comment. de furto ad cap. *finale*, 14. quæst. 6. num. 11. & 12. & Couar. lib. 1. variar. cap. 3. num. 12. qui inter alia fundantur in hoc, quod furtum vnius gallinæ non excedit hanc quantitatem, & tamen censetur esse mortale, cum pro tali furto actio in iudicio detur, iuxta §. *Gallinarum*, Instit. de rerum diuisione, qui textus parum probat, quia non in particulari de furto vnius gallinæ, sed absolute de furto gallinarum, & anserum loquitur. Solum ergo videntur dicti authores potuisse fundari in quodam prudenti arbitrio considerata pecuniæ æstimatione: illud tamen omnibus ferè posterioribus viris doctis rigorosum nimis visum est, & nulla sufficienti ratione fundatum, quia tale furtum per se non infert magnum nocumentum proximo, nec secundum moralem æstimationem continet iniuriam, quæ per se sufficiat ad lædendam grauiter charitatem, & amicitiam humanam.

*Quæ quan- titas suffi- ciat in ma- teria furti ad pecca- tum mor- tale.*

7. Ex quo videtur vlterius inferri, etiam duos, vel tres aureos, imo & decem non satis esse ad constituendum peccatum mortale furti: quia si illas auferas à Rege, vel homine ditissimo, nullum ferè nocumentum ei infers, & quasi nihil moraliter æstimatur. Vnde Angel. verbo *Furtum* num. 34. & Syluest verbo

*Assertio prima, ad violandam mortaliter pauperta-*

*Furtum*

furtum quæst. 1. & Medina Cod. de restitut. quæst. 10. §. *Occurrit*, significant quantitatem hanc non posse in furto designari, nisi per comparationem ad personam, cui fit furtum, saltem sub communi consideratione indigentiæ eius, vel abundantiæ, vel alterius circunstantiæ, quæ indicet, an nocumentum graue sit, necne. Alii vero licet fateantur furtum interdum esse mortale ob quantitatem rei acceptæ in se, & absolutè sine notabili detrimento respectu personæ, à qua aufertur, nihilominus vel non putant illam quantitatem esse vnam, sed multiplicem, saltem per comparationem ad diuersos status, & ordines personarum, vel certe si vna materia designetur, quæ respectu omnium mortalis sit, putant esse assignandam satis magnam, vt duorum, vel trium aureorum, vt videre licet in Soto 5. de iustitia quæst. 3. artic. 3. ad 3. Petro Nauarr. lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 30. & sequentibus, vbi iuxta sententiam magis receptam concludit respectu diuitum etiam Regum, duos, vel forte etiam vnum aureum esse materiam grauem; respectu vero communium personarum habentium mediocres facultates, quatuor, vel quinque argenteos; respectu vero pauperum, duos, vel etiam vnum. Vel certe melius, magisque consequenter dicendum erit iuxta hanc sententiam, vnum aureum esse materiam grauem, ita vt licet à Rege auferatur, sit peccatum mortale, quia licet non inferatur ei notabile damnum, auferatur ab eo notabile bonum, & moraliter æstimabile, vt quid graue, & vtile ad humanas actiones, vt recte dixit Matorin 4. d. 15. q. 2. circa principium. Infra aureum vero nunquam erit furtum peccatum mortale ex quantitate absoluta, sed solum ex respectiua. Quæ licet generali quadam partitione recte diuidatur per illa tria membra diuitum, mediocrium, & pauperum hominum, nihilominus sub illis potest esse multa varietas, semperque in particulari consideranda erit ratio grauis nocumenti, quandoquidem bonum ablatum secundum se spectatum graue non est.

9. Ex hac ergo recepta doctrina, si vera est regula data, videtur certum materiam necessariam ad peccandum mortaliter in materia paupertatis esse ad minimum vnum aureum. Probatur, quia illa sola censetur hic sufficiens ad peccatum mortale, quæ in furto sufficit secundum se, seu secundum absolutam eius considerationem, quia secundum respectiuam nulla est quantitas certa infra terminum absolutum, sed infinitè variari potest, & ideo cum illa non potest fieri comparatio, sed quantitas illa absoluta in furto ad minimum est vnius aurei: ergo eadem ad minimum necessaria est in materia paupertatis, ad peccatum graue contra paupertatem: hoc autem nullo modo videtur admittendum; est enim contra commune iudicium recte sentientiũ de paupertate, esseque aperire ianuam, nimiamque licentiam dare religiosis ad violandam paupertatem, & sanè D. Gregor. qui propter solos tres aureos censuit tam grauiter fuisse puniendum religiosum, vt & in morte omni fratrum communicatione, & consolatione, & post mortem religiosa sepultura propter illud priuaretur, valde grauem, vel potius enormem censuit esse culpam illam, & consequenter indicauit multo minorem quantitatem sufficientem fuisse ad peccandum mortaliter in illa materia.

Ex his ergo satis declaratum est, regulam illam præsenti quæstioni cum difficultate applicari. Et ratio à priori est, quia ex diuerso capite oritur malitia, & grauitas sacrilegii proprietatis, & furti; in furto enim attenditur læsio proximi in bonis externis ad vsum vitæ necessariis, & ideo quantitas materiæ sumitur ex æstimatione talium bonorum in ordine ad talem vsum, vel absolutè, vel respectiuè: in violatione autem paupertatis non attenditur nocumentum Deo illatum in bonis eius; nam hoc nullum est; nec respectiuè, quia Deus non est capax proprie nocumenti; neque absolute, quia homo reuera non vsurpat aliquid, quod reuera esset sub speciali dominio Dei, vt ex supradictis constat, & amplius statim explicabitur. Solum ergo in hoc peccato consideratur infidelitas seruandi promissionem Deo factam, & iniuria, quæ inde in Deum redundat. Ad hoc autem grauis materia censenda est, non solum eo capite, quod sit pecunia, vel res notabilis æstimationis in ordine ad vsus humanos, sed quod sufficiat ad constituendam promissionem grauem in ordine ad diuinum cultum. Confirmatur; quia votum faciendi eleemosynam obligat sub mortali in multo minori quantitate, quam sit vnus aureus: nam si quis promisisset dare in eleemosynam quatuor argenteos, & id omitteret, iudicio cuiusque prudentis, peccaret mortaliter, nullo habito respectu ad necessitatem proximi, vel graue nocumentum eius, sed solum ad promissionem Deo factam, quæ continet grauem cultum eius: ergo simili modo in præsenti.

10. *Resolutio circa quantitatem grauem paupertatis.*

Quocirca si loquamur de regula extrinseca, hæc videtur mihi satis accommodata, scilicet, quantitatem illam, quæ promissa in eleemosynam sufficeret ad peccatum mortale in transgressione talis voti, sufficere etiam ad similem culpam in transgressione paupertatis per dominii acquisitionem: videtur enim esse æqualis ratio in ordine ad fidelitatem, & cultum Dei. Regula autem intrinseca ad hoc iudicium ferendum tam in re, de qua agimus, quam in exemplo adducto de voto eleemosynæ, non occurrit alia præter æstimationem talis materiæ in ordine ad diuinum cultum, quæ solum ex prudentum arbitrio, & communi sensu videtur sumenda, & ad summum extendi potest ad quantitatem quatuor argenteorum, ita vt in illa, & in quacunque maiori transgressio voti sit peccatum mortale; in minori vero regulariter excusetur à mortali culpa, nisi aliunde ex circunstantiis occurrentibus amplius aggraue-tur; neque in his rebus moralibus possumus aliquid certius, aut firmius asserere. *Quantitas quatuor argenteorum est materia grauis.*

Ne tamen aliquis hinc sumat occasionem errandi circa paupertatem religiosorum, quamuis de illa postea ex professo dicendum sit, notandum est hoc loco multiplex discrimen inter hanc, & illam. Primum esse potest, quia religiosus regulariter non est capax dominii, sæcularis vero habens simplex votum paupertatis, licet illud acceptare non possit, non est tamen incapax illius. Hæc vero differentia ad rationem culpæ non multum refert, & in superioribus satis explicata est. Secunda ergo differentia est, quod religiosus est pars alicuius communitatis, & quod acquirit, acquirit communitati, & quidquid habet ad suum vsum, est sub dominio communitatis, vel alterius, qui communitati illum vsum concedit, iuxta modum suum (quod dico propter religiosos Minores.) At vero priuata persona, quæ habet, simplex votum paupertatis, non est pars alicuius communitatis, & ideo bona quibus vtitur non necessario sunt sub proprio iure, vel dominio alterius. 11. *Discrimina inter hanc paupertatem, & religiosam.*

Ex quo differentia sequitur primo, quoties religiosus vsurpat aliquid tanquam proprium, ita violare votum paupertatis, vt simul iniustitiam, & furtum quoddam committat, quia accipit alienum inuito domino. Quod peccatum maxime patet, quando ex bonis acquisitis iam monasterio aliquid vsurpat, quia illud reuera non est suum, sed alienum. Vnde, licet non haberet votum paupertatis, ex hoc capite esset iniustum accipere illud propria authori- 12. *Corollarium primum.*

tate,

tate, sine formali, vel interpretatiua saltem voluntate prælati. Eadem autem malitia inuenitur in his quo de nouo religiosus acquirit, vsurpandis vt propriis, quia ratione voti, & pacti cum religione, quidquid acquirit, acquirit religioni : & ideo eo ipso vsurpat alienum, si sibi illud appropriet, sicut seruus furtum committit, si sibi accipiat, quod acquirit, inuito domino. At vero persona priuata, quamuis violet votum paupertatis proprium accipiendo, aut retinendo, non facit alteri iniuriam, nec furtum aliquod committit, quin potius verè efficitur dominus, vt supra dictum est.

13. *Secundum in religioso qua quantitas sit grauis.* Atque hinc fit, vt in hoc peccato proprietatis à religioso commisso rectè possit pro regula accipi, quantitatem illam, quæ sufficit ad peccatum mortale furti, sufficere etiam ad peccatum mortale religiosi sibi aliquid appropriantis. Accipiendum tamen est furtum iuxta materiam subiectam, & respectu talis religionis, talisque personæ; atque ita non procedent contra regulam hic applicatæ difficultates supra positæ. Quia vero in tali peccato religiosi duæ malitiæ inueniuntur, iniustitiæ scilicet, & sacrilegii contra votum, certum videtur nunquam esse mortalem malitiam sacrilegii ratione proprietatis, nisi etiam malitia iniustitiæ mortalis sit, & ad hoc maxime deseruit regula supra data ab authoribus. An vero absolutè loquendo quoties peccatum est mortale in ratione sacrilegii, sit etiam mortale in ratione iniustitiæ, dubitari potest, quia interdum hæc separantur; licet probabile sit in religioso respectu religionis non separari, de quo statim.

14. *Tertium.* Dico ergo in persona priuata, seu non religiosa habente votum simplex paupertatis, ita posse separari vtramuis malitiam, vt graue vitium proprietatis, seu sacrilegii committatur absque iniustitia, seu furto : nam talis persona accipiendo, & volendo aliquid vt proprium, per se non committit furtum, nec iniustitiam, quia potest accipere aliquid à vero domino, & ex voluntate eius; aliunde vero non habet relationem ad communitatem aliquam, in cuius iniuriam illa proprietas redundet. Est ergo tantum sacrilega, & ideo non potest rectè quantitas illius sacrilegii ex quantitate furti mensurari.

15. *Quantum tollat vsum.* Addo etiam in tali persona posse aliquando inueniri peccatum mortale furti sine peccato mortali contra votum paupertatis, idque dupliciter. Primo ex parte intentionis, vt si accipiat alienum non intendens obtinere dominium, vel proprietatem eius, sed tantum vsum facti, vt si inuito domino accipiat equum eius solum ad equitandum, vel si fructus aliquos in magna quantitate ad comedendum accipiat; in his enim actibus potest esse grauis malitia furti, quod tamen per se non sit contra paupertatem, cum ibi proprietas neque intendatur, neque acquiratur. Quod enim acceptio fiat inuito domino, vel nolente, pertinebit ad rationem iustitiæ, non vero ad proprietatis vitium. Vnde etiam in religioso potest inueniri hic peccandi modus contra iustitiam, & non contra paupertatem quoad proprietatem; quod ideo addo, quia ex alio capite peccabit religiosus contra paupertatem, quia non solum dominium, verum etiam neque vsum rerum accipere potest, sine licentia superioris sui; hoc autem genus culpæ non habet locum in voto simplici paupertatis nudè sumpto in persona priuata, quia illa non obligatur ex tali voto ad non vtendum rebus absque alicuius prælati licentia. Dices, eo ipso quod talis persona vouet paupertatem, vouet non vti re aliena, nisi de licentia domini, quia eo ipso quod domini licentiam non expectat, vtitur illa tanquam dominus. Respondetur negando assumptum, quia qui vouet paupertatem, sicut non vouet temperantiam, ita nec iniustitiam. Vnde licet respectu iustitiæ imputatiuè, vt sic dicam, censeatur vti re illa tanquam propria, tamen reuera non vtitur, nisi vt aliena, quia non intendit illam facere suam, sed solum illius vsum habere.

Alio modo posset esse hoc peccatum cum intentione accipiendi proprium & nihilominus esse veniale contra paupertatem ex leuitate materiæ, & tamen esse peccatum mortale furti : vt, v.g. si quis acciperet, acum, penicillum, aut aliud instrumentum parui valoris ab artifice, cui magnum lucrum cessaret ob carentiam talis instrumenti, peccatum illud in ratione furti esset mortale, & tamen in ratione proprietatis esset veniale, etiamsi instrumentum illud sumeretur cum intentione habendi illud proprium; quia illud damnum respectiuum, vnde habet peccatum illud, vt sit mortale ratione iniuriæ, non auget quantitatem illius materiæ, vel deformitatem eius in ordine ad paupertatem; semper enim manet dominium de re leui, eodem modo ac si instrumentum illud acceptum esset ab aliquo, qui plura similia haberet. Idemque est de acceptatione argenti ab homine paupertimo, vel diuite; nam respectu voti paupertatis semper erit veniale, licet in ratione furti respectu vnius sit mortale, & respectu alterius veniale. 16.

Dices, in voto simplici castitatis omne peccatum, quod est mortale, vt est contra virtutem castitatis, est etiam mortale, vt est contra votum : ergo in præsenti omne peccatum, quod est mortale in ratione furti, erit etiam mortale contra paupertatem. Respondetur negando consequentiam, quia in prioti directè fit votum de non violanda castitate, & ideo materia grauis de non violanda castitate est etiam grauis transgressio illius voti : hic autem non fit directè votum de non furando, sed de non habendo proprio, quæ duo sunt valde diuersa, & inuicem separabilia, vt ostendi, & ideo quando coniunguntur, potest circunstantia augens vnam malitiam non redundare in aliam. Et ratio clara est, quia circunstantia, quæ hic auget malitiam furti, non est in quantitate ipsius materiæ, sed in nocumento proximi, ex quo tamen non fit ditior ille, qui rem accipit; & ideo non grauius violat paupertatem. Vnde propter contrariam rationem potest contingere, vt peccatum non sit mortale, quatenus est furtum, & nihilominus sit mortale, quatenus est acceptio dominii contra paupertatem : vt si furetur quatuor argenteos à Rege, vel homine ditissimo, quia illa quantitas, neque absolute, neque respectu talis personæ æstimatur sufficiens ad grauem iniuriam, tamen ad infidelitatem, & sacrilegium satis grauis est, vt declarauit. 17. *Obiicit.* *Soluit.*

Hæc, quæ diximus de habente votum paupertatis simplex extra religionem, seruata proportione applicari possunt ad paupertatem, & personam religiosam respectu alterius personæ extrinsecæ, seu, quæ non est eiusdem religionis, à qua aliquid furetur, quia si religiosus accipiat acum, vel penicillum parui valoris ab artifice, & ob illius carentiam magnum ei cesset lucrum, illa vsurpatio erit peccatum mortale contra iustitiam, non tamen contra votum paupertatis, vt ex dictis constat; & idem est in aliis exemplis adductis. Dixi hanc doctrinam veram esse respectu tertiæ personæ extrinsecæ, quia probabile est quantitatem grauem in ratione proprietatis respectu religiosi illam alienantis à religione, esse etiam grauem in ratione iniustitiæ, & è conuerso quantitatem grauem in ratione nocumenti, videri etiam sufficientem in ratione proprietatis : nam in religioso votum paupertatis, inclu- 18. *Quid de vel grossum hamum sit sentiendum.*

includere videtur specialem habitudinem ad propriam religionem, atque adeo virtute continere votum non furandi aliquid, vt proprium ex bonis ipsius religionis. Hoc tamen non est ita constans, quin valde probabile sit etiam in religioso posse esse acceptionem grauiter iniuriosam ratione nocumenti; & non ratione proprietatis, vt facile ex dictis intelligitur.

Vltimo ex dictis intelligitur, secluſa proprietate, & dominio, vix posse inueniri alium modum violandi paupertatem priuatim, & simpliciter promissam. Declaratur, quia religiosus non solum peccat contra paupertatem acquirendo, vel retinendo aliquid vt suum, sed etiam dando aliquid sine licentia prælati ex bonis, quibus alias ipse licite vti potest; vel etiam peccat si ad proprium vsum aliquid habeat sine licentia prælati, vel independenter à voluntate illius; neuter autem peccandi modus habet in præsenti locum, quia hoc votum simplex paupertatis per se non respicit superiorem aliquem, cuius licentia ad huiusmodi rerum vsum necessaria sit. Potest ergo, qui huiusmodi votum habet, recipere quæ sibi donantur sine alicuius licentia, dummodo ad suum vsum, non ad proprietatem recipiat, & quia hic vsus non est etiam limitatus, ex vi voti paupertatis vt sic (nisi alia fuerit specialis intentio vouentis) potest, quæ ad proprium vsum habuerit, alius donare, non tanquam dominus, sed tanquam dispensator, qui quantum ad hoc voluntati alterius astrictus non est, vel certe quia permittit alteri vt dominium illius rei acc piat, quæ sub alterius dominio non erat, cum enim ipse non sit dominus, non tam ipse dat dominium, quam permittit, vt alter accipiat, cedendo ad illud qualecunque ius, quod ratione actualis tentionis habebat, ne ipso inuito res possit ab alio occupari.

Actandem hinc notari potest alia differentia inter hanc personam, & religiosum in modo habendi proprium; nam religiosus non solum quando hoc directe, & explicite intendit, sed etiam quando facto ipso ita se gerit inuito superiore, ac si esset dominus occulta retinendo, donando, &c. vt proprietarius delinquit, sicut infra videbimus. Priuatus autem habens simplex votum paupertatis non potest contra illud per proprietatem peccare, nisi directe intendat sibi acquirere dominium, quia alias potest sine facultate rem accipere ad vsum, & eam occultè retinere, atque de illa disponere: ergo non est vnde colligamus voluntatem vitii proprietatis, nisi habeat satis expressam, & claram. Atque hoc colligi potest ex Nauarro comment. 1. de regular. num. 17. §. vigesimum secundum, vbi dicit vouenti paupertatem satis esse negatiuè non velle proprium, vt non peccet, etiamsi non habeat positiuam voluntatem non habendi proprium. Et alia multa sumi possunt ex eodem n. 19. vsque ad 23.

Denique inquirere potest aliquis, an qui tale votum emisit, peccet postea eo ipso, quod displiceat illi paupertas, ita vt nollet eam promisisse, aut profiteri. Et est hic specialis ratio dubitandi, quia per tale votum promittitur paupertas voluntaria, non coacta; nam illa prior sola est vtilis, & in consilio, definit autem esse voluntaria eo ipso quod displiceat: ergo eo etiam ipso violatur votum. Dicendum nihilominus est, si illa displicentia solum sit per velleitatem, & pœnitentiam imperfectam præteriti facti, non excludat autem absolutam voluntatem permanendi in paupertate, & carendi omni proprietate, & dominio, non peccari directe, & per se contra votum, quia nec ex generali ratione voti, neque ex speciali talis voti est ibi specialis malitia sacrilegii. Prior pars constat, quia licet quis doleat promisisse, si tamen firmus perseuerat in voluntate seruandi promissum, & debito tempore illud explet, non potest dici infidelis, licet minus liberalis esse videatur. Imo in eo quodammodo se magis fidelem ostendit, quod non obstante noua displicentia, aut difficultate, promissionem fideliter implet. Secunda pars probatur, quia non obstante illa displicentia paupertas absolutè, & simpliciter voluntariè seruatur; illa enim displicentia solum causat inuoluntarium secundum quid, & obiectiuè; voluntas autem efficax seruandi votum reddit paupertatem simpliciter voluntariam, non tantum obiectiuè, sed etiam effectiuè. Si autem displicentia paupertatis tanta esset, vt induceret voluntatem, seu desiderium habendi proprietatem, seu dominium rerum, iam tunc fieret directa voti transgressio. Cauendum est etiam, ne tanta sit paupertatis displicentia, vt ea occasione exponat se homo morali periculo, vel acceptandi dominium, vel accipiendi alienum: tunc enim indirectè committeret homo culpam, cuius periculo se exponit, iuxta illud, *Qui amat periculum, peribit in illo*: hoc autem periculum ex tali effectu prouenies vix potest moraliter cognosci donec aliquo simili euentu, vel effectu manifestum fit.

Supererat hoc loco dicendum de dispensatione huius voti, veruntamen nihil habet speciale. Nam cum sit simplex, absque controuersia dispensabile est ex iusta causa, quæ tam in hoc voto, quam in aliis ad valorem dispensationis necessaria est. Addit etiam Nauarr. comment. 1. de regular. num. 21. quem nos etiam supra sequuti sumus, tale votum non solum à Papa, sed etiam ab Episcopo dispensabile esse, quia licet sit perpetuum, non est ex reseruatis iure, vel consuetudine. Vnde fit, vt per priuilegia, quibus omnia vota non seruata committuntur, possit etiam vel dispensari, vel commutari, pro qualitate priuilegii, iuxta tenorem eius. Denique ex iisdem principiis constat posse hoc votum vel in toto, vel in parte dispensari iuxta exigentiam causæ, aut necessitatis: nam hoc etiam commune est omnibus votis, & nullam habet in præsenti specialem rationem difficultatis, aut exceptionis. Nam quæ diximus probant integram dispensationem esse possibilem, tam validam, quam licitam, multo autem facilius potest esse licita partialis dispensatio, qualis erit, si concedatur alicui, vt possit habere dominium vsque ad talem quantitatem, & non maiorem, vel talium rerum, v. g. mobilium, aut se mouentium, & non immobilium, quia facilius reperiri poterit sufficiens causa, quæ reddat iustam talem dispensationem, saltem propter tollenda pericula, dubitationes, aut scrupulos, quæ fortasse non esset sufficiens ad absolutam dispensationem iustam, quæ saltem requirere videtur, vel moralem aliquam necessitatem sumendi statum matrimonii pro quo est necessaria illa dispensatio, vel aliqua alia ratio pertinens, aut ad commune bonum, aut saltem ad commodum plurimorum sine præiudicio, vel discrimine propriæ salutis spiritualis.

22. *Difficultas, an, & a quo sit dispensabile hoc votum paupertatis simplex.*

## Caput VII.

### *Quam sit antiquum in Ecclesia, vt Religiosi nullum habeant proprium, vel quo iure, aut tempore votum solemne introductum sit.*

1. *Prima sententia affirmat à tempore Apostolorum inesse hoc genus paupertatis ab initio nascentis Ecclesiæ fuisse à Religiosis iuris obseruatum*

Qui existimant omne dominium in particulari, vel capacitatem eius essentialiter repugnare statui religioso, consequenter asserere debent, hoc genus paupertatis ab initio nascentis Ecclesiæ fuisse à Religiosis iuris obseruatum, cum enim negare non possint à principio Ecclesiæ fuisse veros religiosos, negare etiam non poterunt, fuisse in eis omnia,

*nus pauperiatis.*

omnia, quæ sunt de essentia status religiosi: si ergo paupertas, & votum eius excludens dicto modo proprietatem omnem priuatam, est de essentia religiosi status; dicendum omnino est hanc seruasse & Apostolos, & omnes successores eorum in statu religioso. Non videtur autem hoc altenum à Sanctorum Patrum traditione, qui proprietatem vbique detestantur tanquam religioni omnino contrariam; vt constat ex illo celebri exemplo, de Monacho proprietario, qui post mortem extra locum sacrum cum pecunia sepultus est, clamantibus monahis, *Pecunia tua tecum sit in perditione*; quod commemorat Innocent. III. in cap. *cum ad Monasterium*, de stat. Monachor. referens illud ex Gregor. IV. Dialogorum cap. 55. Sed est multo antiquius, nam de Anachoretis illud refert Hieronymus in Epistola ad Eustoch. de custodia Virginitatis, versus finem, & simile habetur nomine Augustini sermon. 4. ad fratres in Eremo, & inde sumpta videntur iura Ecclesiastica, in quibus pœna imponitur religioso proprietario, si in eo statu moriatur, vt scilicet suffragiis, & sepultura Ecclesiastica priuetur, vt patet ex dicto cap. *Cùm ad Monasterium*, & cap. *Monachi*, & cap. *super quodam*, eodem tit. Hinc etiam Basilius in sermone de Monast. exercit. seu de Ascesi. *Monachum* (inquit) *oportet nihil in vita quod iuris sui proprium sit possidere.* Idem in Epistola ad Canonicos non longe à principio: idem serm. 2. de institut. Monach. vbi hanc paupertatem ponit tanquam fundamentum religionis, tum propter tollendam solicitudinem temporalem rerum, quæ mentem maximè distrahit; tum etiam propter vnionem eorum, qui in Religione viuunt; quod mirum in modum exaggerat regula 8. ex fusioribus, & in regula 41. in fine habet hæc verba notanda, *Nam qui in eo semel animum obfirmarit, vt ne suarum quidem ipsius manuum esset dominus, & alterius arbitrio permisit dispensandum, quicquid possent efficere operis, quo pacto non à seipso videatur dissentire, si eorum, quæ ad artium exercitationem necessaria sunt instrumentorum, postulet, vt ius penes se sit, in eaque dominii sibi authoritatem vsurpet.* Et ad eundem modum dixit S. Benedictus in sua regula cap. 58. Monachum à die professionis nihil posse habere proprium, cum nec proprii corporis sui potestatem habiturus sit. Qui omnes Patres non vt nouam institutionem hanc tradunt, sed vt à suis etiam antecessoribus obseruatam; quod etiam intelligere licet ex Seuero Sulpitio in vita D. Martini cap. 7. & apud Surium tom. 6. vbi de monasterio octoginta Monachorum, quod Martinus constituxerat, ait, *Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur*, & ex Athanasio in exhortat. ad Monachos inter alia ait, nec præbendæ Eleemosynæ gratia aliquid habiturum Religiosum; & infra, *Quia non potest parum esse, quod totum est. Neque quisquam amplius dedit, quam qui sibi nihil reseruauit.* Plura sumere licet ex Cassiano lib. 4. de Institut. renun. Quibus omnibus antiquior fuit Vrbanus I. qui anno Domini 224. floruit, & tamen in sua Epistola prima decretali monet, vt quicunque communem vitam susceptam habuit, & nouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat. Constat igitur hanc esse antiquissimam Ecclesiæ obseruationem, atque adeo ad statum religiosum fuisse semper necessariam.

2. In contrarium autem esse videtur primo, quod libro 2. capite 12. dictum est, nullum fieri incapacem dominii, ex solo proposito, aut voto voluntatis propriæ; imo neque ex vi alicuius pacti humani, nisi iuris Canonici authoritas, seu Ecclesiæ institutio, & approbatio accedat; hoc autem ius non fuit ab initio Ecclesiæ, nec videtur multum antiquum; ergo neque illud genus paupertatis, quæ omnem proprietatem excludat, fuit semper in Ecclesia, & consequenter nec potest per se pertinere ad religiosum statum. Minor probatur primo, quia nullum sufficiens indicium talis iuris in tota antiquitate inuenitur, vsque ad tempora Iustiniani Imperatoris, hoc est, vsque ad 530. annum Domini, quo tempore ipse edidit iura infra referenda; nam omnia, quæ adduximus de proprietate prohibita religiosis, ad summum probant prohibitionem, non incapacitatem, quæ longe diuersa est; vnde nec probant carentiam proprii dominii, sed solum proprietarii vsus; vt videbimus.

Secundo tantum abest, vt habeamus sufficientia 3.
testimonia illius iuris, vel consuetudinis in antiquis Ecclesiæ temporibus, vt potius multa vestigia contrarii vsus ostendi possint. Primum est, quia olim erant multi religiosi solitariam vitam degentes, qui actu nulli proximo superiori specialiter erant subiecti, vt Paulus Eremita, & similes, quos veros religiosos fuisse sentit D. Thom. quæst. 186. art. ... ad 3. & quæst. 188. artic. 8. ad 3. Illi ergo non potuerunt talem paupertatem profiteri, quia non poterant non habere aliquas res necessarias ad victum, & vestitum, quarum dominium, quantumuis essent viles apud aliquem erat, non autem apud aliquam communitatem, vel prælatum, quia neutrum habebant: ergo apud ipsos. Vnde sine alicuius facultate poterant de eis disponere in quemlibet honestum vsum pro suo arbitrio. Secundum huic simile est de his, præsertim fœminis, quæ in priuatis domibus statum religiosum assumebant: hunc enim vsum aliquando fuisse, infra tractando de diuisione religionum ostendemus, & interim obseruari potest ex Concilio Elibertino can. 27. & Hieronymo Epistola 16. ad Principiam, & Epistola 44. & ex Gregor. lib. 3. dialog. capit. 14. & homil 38. in Euangel. At vero in eo statu non poterant huiusmodi personæ non habere aliquid proprium vnde alerentur, vt iidem sancti eisdem locis indicant, quia non habebant communitatem, ad quam dominium suarum rerum pertineret, & omnino carere rebus omnibus non poterant; neque etiam alebantur communibus bonis Ecclesiæ: nam illa consuetudo non multum durauit.

Tertium indicium proprietatis, & dominii est 4.
testamentum; at inuenimus olim Religiosos testamentum condidisse; nam de Antonio refert Athanasius in vita eius, sic bona sua legasse: *Vestimentorum meorum sit illa diuisio, melotem, & pallium tritum, cui supreiaceo, Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat; Seraphion Episcopus alteram accipiat melotem; vos cilicium habetote vestimentum, & valete.* Et de Hilarione refert Hieronymus in vita eius in fine, *Cum absens esset Hesichius quasi testamenti vice breuem manu propria scripsit epistolam, omnes suas diuitias ei relinquens, Euangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullam, & pallium; nam minister eius ante paucos dies obierat*, quasi illum potius relicturus hæredem esset, si vixisset. Imo Valentinianus Imperator, qui anno Domini 365. & Martianus, qui anno 450. cœperunt imperare, legem statuerunt in fauorem testamenti legati, aut cuiuscunque dispositionis, & vltimæ voluntatis personæ religiosæ in pietatis opere, vt constat ex leg. *generali*. Cod. de Sacros. Eccles. & similis constitutio refertur ex Theodosio, & Iustiniano Imperatoribus, in leg. *si quis presbyter*. Cod. de Episc. & Cleric. vbi etiam designatur quis debeat succedere *clerico, aut monacho, aut mulieri, quæ solitariæ vitæ dedita est, si nullo condito testamento decesserunt*, & (quod mirabilius est) prius dicitur vt succedant parentes, & cognati, & illis deficientibus Ecclesia, *vel Monasterium*

cui

tui fortè fuerat destinatus, vel destinata. Quibus locis Glossæ, & Doctores aduertunt in illis temporibus monachos habuisse proprium; quod etiam notat Salicetus in Authent. *Nunc autem.* Cod. de Episc. & Cleric. dicens per illam correctum fuisse antiquum ius, quod permittebat monachis habere proprium. Sic etiam Augustinus sermone 1. de communi vita Clericorum, aliàs serm. 52. ad fratr. in Erem. aliter, & melius serm. 49. de diuersis. ibi ergo cap. 2. refert Ianuarium quendam condidisse testamentum, & Ecclesiam hæredem instituisse, & quamuis illum deploret, significans in ea re grauiter peccasse, non tamen negat testamentum fuisse validum, neque argentum testamento legatum verè fuisse Ianuarii; sed significat licitè non potuisse illud retinere propter vitam communem, quam profitebatur: aut certè, quia cum dolo illud retinuit, & sine facultate de illo disposuit.

Quartum indicium est, posse instituí hæredem, vel succedere in bonis alterius: quod potest sumi ex Augustini loco proxime citato; nam refert Ianuarium illum duos filios reliquisse, masculum in Monasterio virorum, & fœminam in Monasterio Monialium; inter quos nihilominus de hæreditate paterna erat contentio. Verum est, inde non colligi eos iam fuisse professos, imo dicitur non fuisse in ætate legitima. Pachomius etiam in sua regula cap. 81. præcipit, ne aliquis ex Monachis visitet Moniales, nisi qui habet inter eas propinquas consanguineas; & subdit, *Si autem de ante conuersione, paterna eis debetur hæreditas, mittent cum his probata ætatis virum, &c.* vbi supponit paternam hæreditatem potuisse debere monialibus. Et de Diuo Arsenio refertur in vita eius, quendam Senatorem eum instituisse hæredem, & quamuis Arsenius noluerit hæreditatem acceptare, tamen Senator supponebat, illum fuisse capacem; quod exemplum postea iterum commemorabimus.

6. Quintum indicium sumi potest ex exemplis antiquitatis. Nam ex Hieronymo in vita Hilarionis prope finem, intelligimus Antonium habuisse hortulum arboribus consitum. *Videres senem* (dicit ibi) *cum discipulis B. Antonii huc atque illuc discurrere; hic aiebant pallere, hic orare, hic operari, hic fusum residere solitum erat, has vites, has arbusculas ipse plantauit, illam aut eolam manibus suis ipse composuit: hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est; istum sarculum ad fodiendam terram pluribus annis habuit*; & infra, *postquam autem ad hortulum venerant, videtis* (inquit Isaac) *hoc pomarium arbusculis consitum, & oleribus virens, &c.* & quamuis dici possit, hortulum non fuisse proprium Antonii, sed communem discipulorum, tamen cum Antonius Eremum prius multo tempore habitauerit, quam discipulos, vel sectatores haberet, verisimile est, hortum illum, etiam cum solus esset, possedisse. Adde ex eadem vita Hilarionis colligi hanc fuisse consuetudinem monachorum illius temporis, quam bene declarat lepidum illud exemplum duorum Monachorum, ad quos Hilarion visitandi causa omnes Patres aliquando diuertit cum sociis. Quorum alter cum vineam haberet, diligenter eam custodiri fecit, ne ab hospitibus tangeretur, quod ita factum est. Alter vero Sabas nominatus, vineam etiam habens, omnes Monachos ad eam depascendam inuitauit. *Erant autem qui vescebantur non minus tribus millibus; cumque centum Lagenæ æstimata fuissent integra adhuc vinea, & si dies viginti trecentas fecit, porro ille parcus frater multum nus soluto colligens et amisit, quod habuerat ve sum in aetatem sero doluit.* Et alia ibi referuntur, quæ planè supponunt singulos Monachos habuisse aliquas possessiunculas, vt proprias, vel in rebus mobilibus, vel in immobilibus. Et similia sumi possunt ex vitis Patrum p. 2.

Vt explicemus quod in hac re probabilius appareat, supponendum est, quatuor modos paupertatis intelligi posse in viro religioso (agimus autem de paupertate particularis personæ, vt talis est, nam de paupertate communitatis, & personæ, vt est pars illius, infra dicturi sumus.) Primus modus, seu gradus est eius, qui nec licitè, nec validè habere potest dominium alicuius rei, neque illa tanquam propria vti; quem gradum paupertatis, nunc seruant omnes, qui emittunt votum solemne paupertatis. Secundus gradus erit eius, qui non possit licite habere proprium dominium alicuius rei, neque etiam vlla re tanquam propria vti, quamuis non sit incapax dominii, qualis esset paupertas per votum omnino absolutum, & integrum paupertatis, si non esset per Ecclesiam solemnizatum, vt constat ex dictis supra de voto simplici paupertatis. Tertius gradus est, si quis, nec sit incapax dominii, nec ex voto teneatur statim illo priuari, sed solum nulla re vt propria vti: qui gradus paupertatis inuenitur in religiosis scholaribus approbatis Societatis Iesu. Quartus gradus erit, si quis ex voto non obligetur ad carentiam dominii, vel omnis vsus rei vt propriæ; sed solum ad non habendum, nec quærendum temporalia bona vltra certam mensuram sufficientem ad sustentationem vitæ, iuxta aliquem honestum, vel perfectum finem sibi præscriptum. Hoc enim votum, & honestum, & possibile esse per se notum videtur. 7. *Quatuor gradus paupertatis.*

Suppono secundo, aliquem modum paupertatis necessarium esse ad religiosum statum, atque adeo seruatum esse ab omnibus verè religiosis, qui ab initio in Ecclesia fuere. Probatur, quia supra ostensum est aliquam paupertatem voto consecratam esse de essentia status religiosi; sed in latitudine paupertatis voluntariæ nullus videtur posse excogitari gradus, qui sub aliquo eorum quatuor non contineatur, quia paupertas religiosa non potest excludere omne dominium, & omnem vsum rerum temporalium, quia talis paupertas voluntariè sumpta, non esset honesta, quia esset contraria naturæ, & fini etiam status religiosi, ordinatur enim ad diuinum obsequium; nemo autem posset Deo præstare obsequium, neque aliquid operari, si nec vsum rerum ad vitam necessariarum haberet. Hic ergo vsus obiici non potest per paupertatem voluntariam, sed limitari, & ad eam mediocritatem reduci debet, quæ perfectum Dei obsequium non impediat; non potest autem limitari, nisi aliquo ex dictis modis. 8.

Illis autem omnibus commune esse debet, vt nimia superfluitas temporalium bonorum, quæ solicitudinem, & distractionem secum afferre soler, auferatur. Quod si hæc tantum moderatio adhibeatur, constituetur quartus modus supra positus. Si autem moderatio non tantum adhibeatur in quantitate bonorum, vt sic dicam, sed etiam in modo, vt scilicet sit dependens ab aliena voluntate, etiamsi dominium rei retineatur, constituetur modus tertius. Si autem non solum adhibeatur moderatio, & modus in ipso vsu, sed etiam dominium abiiciatur ex vi propriæ voluntatis, & promissionis, non adiuncta incapacitate per legem, constituetur gradus secundus; addita vero incapacitate cõstituetur primus. Omnes ergo morales modi voluntatiæ paupertatis in particulari in illis continentur; nam si quis velit ex illorum commixtione, seu mutua participatione alios confingere, vel vsuales, seu morales non erunt, vel ad illos reducentur; quod facile consideranti patebit; ergo necesse est aliquam paupertatem ex dictis 9.

in ſtatu religioſo profiteri. Poteſt autem inquiri, vel de poſſibili, quis illorum graduum ſufficiat ad hunc ſtatum. In quo nulla eſt quæſtio de primo gradu (conſtat enim illum eſſe ſufficientiſſimum) ſed de tribus aliis; vel poteſt eſſe quæſtio de facto, id eſt, de vſu qui circa hoc in Eccleſia fuit.

## ASSERTIO PRIMA.

*Aliquando ſtatum religioſum ſubſtantialiter conſtitiſſe in aliquibus cum paupertate, quæ nec dominium, nec vſum independentem excluderet, ſed tantum vſum rerum vitæ ſuperfluum probabile eſt.*

10. Dico ergo primo probabile eſſe ſtatum religioſum aliquando fuiſſe cum ſola paupertate quarti generis, atque adeo illam eſſe ſufficientem ad ſtatum religioſum ſubſtantialiter conſtituendum. Priorem partem huius aſſertionis ſuadent duo prima indicia, quæ ſuperius adducta ſunt, de religioſis antiquis, vitam omnino ſolitariam agentibus, vel ita priuatam, vt non eſſent partes alicuius communitatis; nam in illis non videtur habere potuiſſe locum alius modus paupertatis. Quod quidem quoad priorem partem confirmat dictum Auguſtini explicantis illud Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe quid manducetis, nec corpori veſtro quid induamini*, lib. 2. de ſermone Domini in monte cap. 15. & 16. & lib. de operibus Monachorum cap. 23. & 26. Nam in priori loco ait, illud ſolum dici ne ſuperflua quærantur, nec etiam neceſſaria duplici corde, id eſt, ſpiritualia propter illa quærendo, & non potius è contrario. Poſteriori autem loco eandem repetens expoſitionem addit; *Non vt iſta non procurent quantum neceſſitatis facta eſt, vnde honeſtè potuerint, ſed non iſta intueantur, vt propter iſta faciant quidquid in Euangelii præconio facere iubentur.* Et in eodem cap. 23. ait, *Si verba illa ita intelligantur vt nihil in craſtinum reponatur, non poterunt iſta ſeruari, qui ſe per multos dies à conſpectu hominum ſeparatos, & nulli ad ſe præbentes acceſſum, in ludunt ſeipſos viuentes in magna intenſione orationum. Hi enim facillima quidem, atque vilißima, ſecum tamen alimenta includere conſueuerunt, quæ in illos dies, quibus à nullo videri ſtatuerunt, ſufficiant; quorum exercitationem* (ſubdit) *non ſolum non reprehendo, ſed quantum dignum eſt laudare non poſſum.* Quod ſi hoc dicit Auguſtinus de his, qui ad tempus illud vitæ genus ſumunt, multo magis illud probabit in illis, qui ſolitariam vitam perpetuo coluerunt, quos aliquid reſeruaſſe, & ad neceſſariam vitæ ſuſtentationem habuiſſe, neceſſarium erat. Quod probat hiſtoria, quam refert Gregorius 3. lib. Dialogorum cap. 26. de Mena Venerabili, qui ſolitariam vitam ducebat, & ad vſum ſuum nihil aliud, niſi pauca apium vaſcula poſſidebat, &c. quæ mira virtute refert, & à latronibus, & ab vrſis fuiſſe cuſtodita. Et deinde ſubdit illum ſolitum fuiſſe recipere quæ à populis vicinis ſibi offerebantur, vt haberet, quod ipſe ad ſe venientibus offerre potuiſſet. De quibus rebus, & dominium, & liberam adminiſtrationem habuiſſe videtur. Alteram vero partem confirmat alia hiſtoria, quam de tribus ſororibus amitis ſuis refert idem Gregorius homil. 38. in Euangelia, quas appellat Virgines ſacras, *Vno* (inquit) *ardore conuerſæ, vno, eodemque tempore ſacratæ, ſub diſtrictione regulari degentes in domo propria ſocialem vitam ducebant, &c.* & tamen infra ſubdit de vna illarum Gordiana, *Conductorem agrorum ſuorum poſtmodum in maritum duxit*, ſcilicet poſt ſanctam aliarum mortem; habebant ergo agros in illa regulari vita.

11. Ratione declaratur aſſertio, quia paupertas non eſt propter ſe neceſſaria ad perfectionem, ſed ſolum vt medium tollens impedimenta perfectionis acquirendæ, ſcilicet, ſolicitudinem, & affectum bonorum temporalium, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. quæſt. 184. art. 3. & 185. art. 6. ad 1. & quæſt 186. artic. 3. & 7. ex quo infert quæſt. 188. art. 7 non eſſe vnam, & eandem paupertatem in omni ſtatu perfectionis neceſſariam, ſed in vnoquoque ſtatu, illam quæ ſuo fini fuerit proportionata, dummodo ſufficiens ſit ad tollenda impedimenta perfectionis acquirendæ, alioqui non poterit eſſe proportionata ad aliquem finem ſpecialem alicuius veri ſtatus perfectionis, niſi prius intelligatur ſufficiens ad generalem finem, qui in quocunque ſtatu religioſo intendi debet. Sed cum poſſeſſione, proprietate, & vſu aliquorum bonorum temporalium poteſt eſſe paupertas ſufficiens ad finem perfectionis acquirendæ, tam in genere, quam in aliqua certa ſpecie. Ergo probatur minor diſcurſu eiuſdem D. Thom. in dict. artic. 7. Nam tria ſunt impedimenta perfectionis, quæ per paupertatem auferuntur, ſcilicet, ſolicitudo temporalium rerum, amor diuitiarum, & elationis, ſeu gloriæ vanæ occaſio. Hæc autem duo vltima ſufficienter minui poſſunt, vel impediri per magnam diminutionem diuitiarum, quæ optime intelligi poteſt, etiamſi aliqua bona temporalia vt propria habeantur. Nam, vt D. Thom. ibidem ait, illa duo non conſequuntur niſi ex abundantia diuitiarum; ſi ergo votum paupertatis ſufficienter auferat omnem huiuſmodi abundantiam, & ſuperfluitatem, & obliget ad poſſidendum ſolum neceſſaria ad conuenientem vſum, & ſtatum, poterit ex hac parte eſſe ſufficiens ad tollenda hæc impedimenta perfectionis acquirendæ, etiamſi de illis bonis neceſſariis proprietas habeatur. Nam ſi quis impleat illud Pauli, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*, 1. ad Timoth. cum ea moderatione, quam illamet verba indicant, & perfectio inquirit. Si quis (inquam) hoc impleat, etiamſi illarum rerum proprietatem habeat, quantum eſt ex parte materiæ, & obiecti, non habebit occaſionem inanis gloriæ, aut nimii affectus diuitiarum. Dico autem, *quantum eſt ex parte materiæ*, quia hanc ſolam occaſionem minuit paupertas, qua non obſtante poteſt homo ad minima nimium affici, & in illis inaniter gloriari; quod non ſolum contingit in his, qui proprietatem habent, ſed etiam in his, qui ſolo vſu debent eſſe contenti, vt eſt apud Caſſianum collatione 4. cap. 20. & 21.

*Tria impedimenta perfectionis per paupertatem auferuntur.*

12. At vero primum impedimentum, ſcilicet, ſolicitudo, (ait ibidem D. Thom.) non poteſt omnino auferri, quia ſicut non poſſunt homines ſine his rebus temporalibus viuere, ita nec omnem illarum ſolicitudinem, vel potius curam ac prouidentiam omittere. quia ſine hac cura etiã neceſſaria deficiunt; ergo ſi paupertas talis ſit, quæ hanc ſolicitudinem ſufficienter moderetur, quanuis non omnino auferat, poterit eſſe ſufficiens ad perfectionem acquirendam; ſed non obſtante proprietate paucarum, & neceſſariarum rerum, poteſt eſſe multum moderata hæc ſolicitudo, ita vt non impediat perfectũ Deifamulatum; ergo poteſt eſſe talis paupertas ſufficiens ad ſtatum perfectionis. Minor patet ratione generali, quia ſi deſit ſolicitudo quærendi plura ad regenda, & conſeruanda ſolum ea, quæ neceſſaria ſunt ad vitam, pauca ſolicitudo ſufficit. Deinde in particulari declaratur exemplis ſupra poſitis; nam ſi quis profiteatur vitam ſolitariam, & contemplatiuam, & paruam habeat poſſeſſionem, cuius ipſemet curam gerat, ſine magna diſtractione, vel ſolicitudine poterit inde ſuſtentari. Idem eſſet ſi haberet certos reditus moderatos, quibus neceſſaria vitæ ſibi compararet. Item intelligi poſſet, nulla habens bona immo-

*Quid ſi ſolicitudo non tollatur.*

immobilia, seu stabilia, sed ex fidelium oblationibus, seu eleemosynis viuens, eorum tamen, quæ sibi darentur, dominium, & proprietatem acquirens; nam ex hoc nulla solicitudo ei accresceret, sed maior ponenda esset in eleemosynis quærendis, quæ solicitudo non est contraria perfectioni. Idem modus paupertatis intelligi posset in prædicatore Euangelico perfectionem reuera profitente, quique ex voto, & animo contentus esset necessariis ad victum, & ad vestitum moderatum, & suo statui proportionatum, qui ex bonis propriis partem ad hunc finem necessariam, sibi reseruaret, ne aliis molestus esset, vel ne lucri gratia euangelizare videretur; sic enim Paulus nolebat necessaria accipere ab his, quibus prædicabat, ne eos offenderet, laborabatque propriis manibus vt se sustentaret, Actor. 20. 1. ad Corinth. 9. vnde non sine aliqua solicitudine alebatur; si ergo alius prædicator vel nesciret manibus laborare, vel ei non vacaret propter studium, vel contemplationem sibi necessariam, posset que ex propriis bonis modica solicitudine sustentari, non videretur id repugnare perfectioni, si ex voto paupertatis circa omnia alia omnem occasionem maioris solicitudinis excludat. Atque in hunc modum exposuisse videtur author imperfecti, illa verba Matth. 6. *Nolite solliciti esse, dicens, sufficit labor quem pater i propter necessaria, nolis de superfluis laborare*: & recte Maldonatus, *Non omnem prohibet solicitudinem, sed eam, quæ ex diffidentia erga Deum proficiscitur, & eam quæ à Dei seruitute hominem distrahit, & eam quam seruus erga dominum habet*; præmiserat enim, *non potestis seruire, Deo, & Mammonæ.*

Sed inquit D. Thom. citato loco hæc vera esse de solicitudine, quæ adhibetur circa res communes; non vero de illa, quæ adhibetur circa bona propria; quia solicitudo circa bona communia pertinere potest ad charitatem, quæ est finis perfectionis; solicitudo autem circa bona propria pertinet ad amorem priuatum, quo quis se temporaliter amat, & ideo habere aliquid proprium, perfectioni religiosi status repugnat. Respondetur primo hanc rationem ad summum procedere quando diuitiæ propriæ sunt abundantes vltra id quod ad sustentationem vitæ necessarium est. At vero de necessariis non videtur ratio efficax, tum quia sicut conseruare vitam, & id velle, ac intendere, non est alienum à perfectione charitatis, ita nec solicitudo earum rerum, quæ præcisè ad hunc finem necessariæ sunt, tum etiam, quia sicut ipsa vita amari potest, & debet propter diuinum famulatum, maxime ab eo qui perfectionem profitetur; ita solicitudo rerum temporalium ad conseruandam vitam propter eundem finem in eodem statu assumenda est, & sic non pertinebit ad amorem priuatum, sed ad amorem charitatis. Secundo addo etiam si diuitiæ sint abundantes, & maiorem aliquam solicitudinem requirant, posse nihilominus solicitudinem illam non esse ex amore priuato, sed charitatis, si tantum ad pietatis opera destinetur, quidquid ex eis vltra necessaria ad vitam abundauerit. Vnde si quis in priuato statu perfectionis hunc finem vitæ actiuæ sibi proponeret, non esset alienum à perfectione illius status abundantiores diuitias in eo retinere, & paupertas talis status posset in duobus consistere; primo in intentione, & obligatione non habendi illas, nisi ad hunc finem sustentãdi se, & benefaciendi proximis, vel aliis modis colendi Deum, & honorandi sanctos. Secundo in intentione, & obligatione non quærendi illas negociatione, & solicitudine, quæ implicent negotiis secularibus. Sic enim solicitudo quæ adhiberetur circa talia bona, licet fortè impediret altiorem gradum perfectionis, qualis est in contemplatione, vel spirituali auxilio proximorum, non tamen impediret absolutè perfectionem charitatis, sicut in simili dixit D. Thom. citato loco. Vnde potest tandem confirmari conclusio. Nam hæc paupertas, quæ variis exemplis declarata est, reuera est satis magna, & comprehensa sub Christi consilio; satis enim videtur omnibus renuntiare qui nihil sibi reseruat, nisi quod ad vitam necessarium est; ergo ex hac parte sufficit ad constituendum statum perfectionis; & aliunde ex parte finis non repugnat, vt est ostensum; ergo absolutè sufficiet.

## ASSERTIO SECVNDA.

*Probabilius est semper viguisse in Ecclesia paupertatem in statu perfectionis, quæ excluderet vsum rerum independentem à religiosis.*

Nihilominus dico secundo, probabilius est semper fuisse in Ecclesia vsitatum, vt in statu perfectionis paupertas esset per abdicationem proprietatis, saltem quantum ad vsum, atque id est moraliter necessarium ad proprium statum perfectionis. Hanc assertionem, quatenus traditione, & authoritate probari potest, suadent quæ in principio huius capitis adducta sunt, & quæ de antiquitate voluntariæ paupertatis supra, tractando de votis simplicibus adduximus. Nec dubitari potest, quin paupertas excludens aliquam propriationem omnium bonorum temporalium, sit magis consentanea consiliis Christi, *nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet*, & exemplis Apostolicis, *Ecce nos reliquimus omnia*; & consuetudini primitiuæ Ecclesiæ, quando erant illis omnia communia, cum expositionibus, & sententiis Patrum, quas circa rem hanc in superioribus adduximus. 14.

Secundo potest explicari ratione sumpta ex D. Thoma quæst. 188. art. 7. quia paupertas non solum est necessaria ad perfectionem propter minuendam solicitudinem, & affectionem ad bona temporalia; sed etiam propter perficiendam illam, si quæ fuerit necessaria, id est, vt non ex amore priuato ac temporali, sed ex charitate adhibeatur: sed ad hunc finem maxime confert paupertas, quæ proprietatem aliquo modo excludat: nam quandiu res possidetur, & tractatur vt propria, etiam amatur vt propria, & consequenter fit tum vt amor non sit adeo purus, & spiritualis, tum etiam, vt non sit adeo moderatus, & independens, sicut in viro perfecto, vel tendente ad perfectionem esse debet. Et quamuis verum sit, hoc non esse ita necessarium, quin possit is, qui habet aliquid proprium, non amare illud amore proprio, inordinatè vel imperfectè, tamen non est dubium quin illa proprietas aliquam huic amori præbeat occasionem. Et ideo licet illa proprietas absolutè non repugnet perfectioni personali, videtur tamen multum repugnare statui perfectionis, ad quem maxime spectat huiusmodi occasiones auferre: vel saltem certum est cæteris paribus hoc ad maiorem perfectionem pertinere. Non videtur autem minus certum, statum perfectionis semper fuisse in Ecclesia cum illo modo paupertatis, qui ad finem acquirendæ perfectionis, per se ac moraliter magis expediens est, & aliunde non habet repugnantiam, sed potius maximam conuenientiam cum illo statu, qualis est hic modus paupertatis, per abiectionem proprietatis. Quis enim dubitat statum hunc, habuisse maximam perfectionem in Apostolis, & in sectatoribus eorum, quorum series, & successio nunquam in Ecclesia defuit? 15.

Tertio explicatur assertio discursu facto per varios status virorum perfectorum, seu tendentium ad perfe- 16.

perfectionem, respondendo simul obiectionibus factis, quatenus huic assertioni obstare possunt. Primus gradus est eorum, qui vitam omnino solitariam assumpserunt; in quibus nullus modus expropriationis videtur possibilis, saltem quantum ad eas res paucas, & viles, quas possidebant, quibusque vtebantur. Sed in his duo considero. Primum est, in eo statu potuisse habere, & seruare votum, nullum habendi dominium talium rerum, ideoque verisimile esse illud habuisse. Primum ita declaratur, quia dominium in actu non comparatur, scilicet sine consensu propriæ voluntatis, quia tota potestas dominandi in libertate posita est, & ideo nullus capax libertatis fit actu dominus rei, cuius antea non erat; sine consensu propriæ voluntatis. Vnde fit, vt licet aliquis accipiat aliquid ad suum vsum, si non habeat affectum, & consensum formalem, vel virtualem acceptandi dominium eius, non acquirere illud; vnde licet axioma Iurisperitorum, & Theologorum habeat, dominium rei, quæ nullius erat, acquiri à primo occupante, intelligendum id est, si fiat animo, & intentione comparandi dominium eius iuxta aliud principium, actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. Sic ergo in his viris perfectis, qui vitam omnino solitariam à principio, ac semper professi sunt, intelligere possumus hac moderatione animi fuisse vsos rebus omnibus, vt solum commoditatem necessariam, non proprietatem in eis vellent, & ita potuerunt actu carere semper dominio rerum. Nam in principio quando conuertebantur, renuntiabant omnibus, quæ antea habebant; earum vero, quas postea ad vsum continuum, vel donatas acceptabant, vel ex communibus agris, aut montibus accipiebant, poterant semper vsum tantum accipere, vt explicatum est. Quod autem ita fecerint, per se credibile est, erant enim viri perfectissimi, & sine dubio obseruabant, quod scriptum est à Paulo, 1. Corinth. 7. *Reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint*; multo ergo magis quascunque res alias; vnde subdit, *& qui emunt tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur*; ita ergo vtebantur illi sancti suis rebus, tanquam non habentes illas quoad dominium, non solum quoad affectum, id est, quia non inordinatè illas diligebant; sed etiam quoad effectum, nimirum, quia solum ex illis volebant, quod necessarium erat, scilicet vsum, non autem proprietatem. Nec multum speculari necesse est, an ipsi hæc ita expresse cogitauerint, ac distinxerint, nam satis est quod practicè habuerint animum renuntiandi omnibus, & solum vti rebus necessariis ad vitæ sustentationem. Vnde etiam fit verisimile hunc affectum voto firmasse, nam intelligebant, & esse Deo gratius, & ad firmandum suum propositum, & statum vtilius, vnde cum maximum habuerint desiderium perfectionis, verisimile est coluisse totam hanc perfectionem paupertatis, quæ in illa solitudine non repugnabat. Quod facile intelligere licet in his religiosis, qui post cœnobiticam vitam in solitudinem se recipiebant, & ibi ex spontaneis fructibus terræ, aut arborum, vel ex fluminibus, aut quocunque alio modo necessaria vitæ accipiebant, id enim faciebant sine affectu repugnante voto paupertatis quod secum deferebant. Ita ergo intelligi potest etiam in his, qui à principio solitudinem amplexi sunt.

17. *In eremitis quomodo fuerit vsus non proprietarius*

Difficilius autem in eo statu intelligi potest vsus non proprietarius. Et circa hoc considero secundo, hunc statum vel non fuisse propriè, ac formaliter religiosum, vt sentit Gratianus in §. *è contra*, post cap. *perlatum*, 19. quæst. 3. vel non potuisse omnino carere obedientia religiosa, vel obligatione eius, vt ex superius dictis in generali de statu religioso intelligi potest, & magis explicabitur infra descendendo ad particulares diuisiones huius status. Eo ergo modo, quo illi viri habebant obedientiam, vel eius vsum; poterant etiam habere, & sine dubio habebant, vsum rerum, non proprietarium; si autem carebant subordinatione obedientiæ, mirum non est, quod & proprietarium vsum habere possent, quia proprie, & formaliter statum religiosum non habebant, etiamsi eminenti quodam modo, & in præparatione animi dici possint illud habuisse, vt infra cum D. Thom. explicabimus. Declaro singula; nam proprietarium vsum appello illum, qui pendet ex sola propria voluntate, & non ex aliena, cui opponitur vsus communis, seu absque proprietate, qui est pendens semper à voluntate alterius. Quicunque ergo viuit in obedientia religiosa, capax est huius posterioris vsus, & consequenter est capax illius paupertatis, quæ excludat omnem proprietatium vsum. Si ergo in illa solitudine seruari poterat aliqua subordinatio obedientiæ, vt reuera poterat, vel ad aliquem Episcopum viciniorem, vel ad aliquem prælatum, seu Abbatem in proxima solitudine commorantem, vt de Antonio, Macario, & Pachomio legitur, in ordine ad eundem poterat rigorosus vsus paupertatis obseruari, ad quem generalis facultas expressa, vel tacita cum dependentia in præparatione animi sufficiebat. Si vero aliquis ita professus est solitariam vitam, & à principio nulli promiserit, vel seruauerit obedientiam, sed solum instinctu Spiritus sancti gubernatus fuerit, vt, v. g. Ioannes Baptista, vel fortasse Paulus Primus Eremita, vel alius similis; tunc non video, quomodo in actuali vsu rerum potuerit in re ipsa habere illam dependentiam, quæ tollit proprietarium vsum; solum ergo possumus intelligere illam in præparatione animi, subiiciendi se in hoc cuilibet homini propter Deum, si ad maius Dei obsequium, & ad maiorem sui perfectionem expediret; vel certè habendo illam dependentiam in affectu, respectu instinctus Spiritus sancti, scilicet, non accipiendi alium vsum harum rerum, nec maiorem, nec meliorem, quam quod Deo gratius, & ad suam perfectionem vtilius esse sentirent. Et hoc modo dicimus illum statum potuisse esse eminenti modo, & in præparatione animi religiosum, non tamen propriè & formaliter, vt nunc loquimur; nam sine obedientia speciali ad aliquem hominem loco Dei non constituitur hic status, vt supra dictum est.

18. *Genuina ratio status nudi vsus.*

Ex quo discursu generaliter concluditur ratio, ob quam semper potuit in omni vero, ac proprio statu religionis obseruari propria paupertas, quoad vsum non proprietarium; idque non solum magis conueniens, sed etiam moraliter necessarium esse ad debitum ordinem, & perfectionem talis status, ac proinde ita existimandum esse, seruatum semper in Ecclesia fuisse. Probantur omnia ex illo principio, quod in vero ac proprio statu religioso necessaria est obedientiæ subordinatio; vbicunque autem est hæc subordinato, potest esse dependentia in omni vsu temporalium rerum à superiori voluntate; ergo etiam potest esse illa paupertas, quæ vetat vsum rei, vt propriæ. Quæ illationes omnes ex dictis sunt notæ. Ex quo vlterius per se euidens est, hoc esse conuenientius, & perfectius, tum quia inter rationem obedientiæ erit maior, & perfectior subordinatio, si ad hunc etiam vsum extendatur: tum etiam, quia intra latitudinem paupertatis, cæteris paribus, erit maior abdicatio earundem rerum. Quod autem sit etiam moraliter necessarium ad debitum ordinem, & perfectionem in vita quidem communi, est per se euidentissimum, quia sequeretur summa con-

confusio, & occasio multorum abusuum in tali communitate, in vita autem priuata non est tam manifesta deordinatio, nihilominus tamen posset esse occasio & nimiæ solicitudinis, & multorum defectuum, qui facile committuntur per liberum vsum rerum temporalium.

19. Itaque, vt ad antiquum vsum reuertamur circa secundum indicium supra positum de his, vel viris, vel sacris virginibus, quæ in priuatis domibus statum religiosum olim seruabant, si supponamus illum fuisse verè ac propriè statum religiosum, dicendum consequenter est in eo statu seruatum fuisse, non habere proprium, saltem quoad proprietarium vsum. Probatur, quia in tali statu necessarium erat aliquod votum paupertatis, iuxta superius dicta de statu religioso: aut ergo erat absolutum votum de omnimoda paupertate, vt sic hunc etiam gradum includebat; vel erat cum aliqua certa limitatione; & sic nulla poterat esse commodior, & securior, & ad perfectionem aptior, quam habere vsum rerum dependentem à voluntate alicuius superioris, qui in tali statu deesse non poterit; supponimus enim in eo fuisse obedientiæ votum. Atque hoc saltem modo intelligi posset dictum à Hieronymo in epist. 8. ad Demetriadem, *ex eo tempore quo virginitati perpetuæ consecrata es, tua, non tua sunt, immo verè tua, quia Christi esse cœperunt, quæ auia viuente, vel matre, ipsarum arbitrio dispensanda sunt*: quanuis ex verbis infra referendis incertum mihi sit, an status Demetriadis esset verè religiosus, vel tantum status simplicis continentiæ, qualis nunc à multis extra religionem seruatur. Similia etiam videntur verba illa apud eundem, epist. 13. ad Paulinum. *Iam non sunt tua quæ possides, sed dispensatio tibi credita est.* Itaque si huiusmodi personæ vouebant obedientiam Episcopo, prout verisimile est, ab illo, vel ab aliquo eius vices tenente dependentiam habere poterant in vsu rerum seatum; præsertim si in alios vsus præter pios conuertendæ essent; nam quoad eleemosynas faciendas, & similia opera, fortasse erat eis facultas concessa ex vi illius paupertatis, quam profitebantur: nam hac fortasse ratione dixit Hieronymus Paulino, *Dispensatio tibi credita est*, prædixerat enim, *præter victum, & vestitum, & manifestas necessitates, nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panem canis comedant. Quem seruis tibi aut semper aut crebro de numis loquentem excepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet, institorem potius habito quam Monachum.* Et fortè in eodem sensu dixit ad Demetriadem: *Sin autem obierint* (scilicet, auia & mater) *cum ætas maturior fuerit* (scilicet de tuis bonis) *imo quod Dominus imperat, scitura nihil te habiturum nisi quod in bonis operibus erogauerit.* Maxime vero seruata fuit hæc paupertas in Religionibus, in quibus in communi viuitur. Et de his præcipue loquuntur Basilius, Augustinus, & Benedictus in principio capitis citati, magisque hoc ex dicendis constabit.

## ASSERTIO TERTIA.

*Paupertatem, quæ excluderet omnium rerum dominium, etsi olim vsitatam, non tamen omni tempore, vel in omni specie à religiosis obseruatam fuisse.*

20. Dico tertio, licet paupertas quoad carentiam dominii omnium bonorum temporalium fuerit semper in Ecclesia vsitata, non tamen videtur obseruata in omni specie, vel in omni tempore status religiosi. Hanc assertionem mihi probant, quæ à principio pro vtraque parte adducta sunt, propter quæ, & propter alia multa, quæ in historiis occurrunt, & coniectura suadet; existimo varietatem circa hoc in Ecclesia fuisse, & vnum quidem sic, alium vero sic perfectionem voluisse, vnumquenque prout proprium donum ex Deo habebat, 1. Cor. 7. nam in statu perfectionis latitudo est, quæ vtrunque modum amplecti possit, & Christi consilium ita est de exacta paupertate, vt aliam non renuat. Possumus autem loqui de carentia dominii quoad bona stabilia; vel etiam quoad mobilia; item de statu religioso in vita priuata, vel in communi. Quod ergo attinet ad bona mobilia, & ad statum priuatæ vitæ, difficilè profecto credi potest eos, qui statum illum profitebantur, non habuisse dominium, saltem illarum rerum, quas ipso vsu consumebant: quia illi Religiosi non erant partes alicuius communitatis, apud quam posset esse talium rerum dominium; ille autem exquisitus modus vsurpandi vsum sine dominio, quem in perfectissimis viris solitariam vitam agentibus considerabimus, non est facile tribuendus omnibus fœminis, aut viris, qui ordinariam vitam religiosam priuatim seruabant, quia non omnes habebant tam puros, & perfectos affectus; nec verisimile est ex voto se obligasse ad illud genus paupertatis. Posset autem dici talium bonorum dominium fuisse tunc apud Ecclesiam, cuius illi religiosi subditi erant, & administrationem principalem fuisse apud Episcopum, cui subiiciebantur, eos vero tantum habuisse actualem vsum de licentia eius. Veruntamen licet hoc contingere potuerit, non tamen potest cum sufficienti fundamento affirmari, & præsertim de omnibus, qui huiusmodi statum priuatæ continentiæ, ac religionis assumebant, quod à fortiori intelligi potest ex adductis supra posteriori loco, & patebit etiam ex sequentibus.

*Distinctio premittenda.*

*Dominium bonorum mobilium apud Episcopum fuisse est probabile, probabilius apud ipsos religiosos priuatos.*

21. Nam ex antiquis etiam historiis colligi potest in eodem statu haberi potuisse bona stabilia, quoad proprietatem, & dominium; hoc enim probat exemplum relatum ex Gregorio de Gordiana, quæ dum erat sanctimonialis, habebat conductorem agrorum suorum. Item quod Hieronymus ait de Demetriade, quam significat futuram fuisse hæredem matris, & auiæ, si antea deficerent, & tunc habituram liberam dispositionem rerum suarum, saltem quoad opera pietatis, & infra concludit: *Hæc ad virginem diuitem, & virginem nobilem sum loquutus.* Fateor tamen mihi non satis constare, an status illarum fœminarum fuerit verè religiosus; si vero nihil aliud repugnet, non videtur id negandum propter hanc solam conditionem. Nam & Hieronymus, & Gregorius supponunt, illa conditione non obstante potuisse fœminas illas verum perfectionis statum profiteri. Quod ego intelligo ita esse, quia ex vi illius status tenebantur ad moderatum vsum talium rerum, quas simul cum persona per aliquod votum Deo obtulerant, saltem per voti obligationem, & dependentiam ab aliquo cui obedire tenebantur. Faciunt etiam ad hoc confirmandum multa exempla, quæ superius adduxi. Coniectura etiam est, quia non oportebat, vel etiam sæpe non expediebat, in illo statu viuere ex eleemosynis, quod in fœminis, & virginibus certius est; ergo oportebat eas habere aliquos certos redditus, vel possessiones, ex quibus alerentur: ergo illarum dominium, & proprietas manere poterant in talibus personis, quia non habebant corpus religionis, in quod transirent: nec potest cum fundamento dici transisse ad Ecclesiam, vel ad pauperes, aut aliquid simile, quia hoc non habet fundamentum, nec est verisimile, cum de illis bonis testari possent, vel iure hæreditario in eis succedere.

*Dominium rerum stabilium apud ipsasmet priuatas personas esse probabilius est.*

22. De aliis autem religiosis, qui vitam communem in cœnobiis, & conuentibus professi sunt, verisimilius est, regulariter loquendo, eos non habuisse do-

*Quid de religiosis in*



*Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.*

communitate viuentibus sentiendum.

minium aliquarum rerum stabilium, vel mobilium, quia in his religionibus vsitatum semper fuit renuntiare in principio omnia, quæ antea possidebantur, vt patet ex Basilio, Augustino, Cassiano, Benedicto, locis supra citatis; postea vero non erat illis necessarium aliquid de nouo acquirere in proprium dominium, neque hoc erat consentaneum statui eorum, nec voto paupertatis, quod emittebant, saltem in hoc sensu, vt sine facultate superioris, nihil huiusmodi retinere, aut habere possint, vt ex prædictis Patribus colligitur. Nihilominus tamen verisimilius videtur, non repugnasse semper illi statui habere huiusmodi dominium, & proprietatem, vel validè, vel etiam licitè ex licentia prælati, iusta causa concessa; quod ex sequenti assertione clarius constabit.

## ASSERTIO QVARTA.

*Paupertatem, quæ reddat religiosum incapacem dominii, non fuisse à principio vsitatam in Ecclesia, sed postea introductam.*

23. Dico ergo quarto, paupertas, quæ reddat hominem incapacem dominii, non fuit in principio vsitata in Ecclesia in aliquo statu religioso, sed postea iustis de causis introducta est. Prior pars probari potest ratione sumpta ex dictis, quia hæc incapacitas non inducitur ex natura rei, vnde neque est proprie materia voti paupertatis, quantumcunq; enim quis velit se priuare habilitate quam habet ad dominium, non poterit, & ideo per se, & ex natura rei non potest id vouere; non est ergo per se materia voti, sed potius est effectus tali voto adiunctus ex institutione Ecclesiæ, qua institutione supposita, est etiam ille effectus voluntarius vouenti, qui volendo causam, vult effectum. In primitiua autem Ecclesia, quanuis esset in vsu votum paupertatis perfectissimum, nondum tamen erat hæc institutio, nullum enim illius vestigium in illa antiquitate per plures annos inuenimus. Nec ex sola ratione, aut perfectione talis status colligi potest. Primo, quia Christus Dominus perfectissimum statum religiosum habuit, & perfectam paupertatem, quoad abdicationem harum rerum temporalium, saltem pro aliquibus temporibus habuit, vt declarat Nicolaus IV. in cap. *ecce id.* de verbor. significat. in 6. & à nobis latius tractatum est in 2. tom. 3. p. disp. 28. sectione 2. Nemo autem hactenus dixit, nec cum probabilitate cogitari potest illum fuisse incapacem dominii; quis enim illum incapacem redderet? vel cur ipse voluntariè hunc defectum assumeret, qui neque ad exemplum, neque ad aliquam operum perfectionem illi necessarius erat, cum facile posset non acceptare dominium quando non expediebat, etiamsi illius capax esset.

*Christus habuit perfectissimā paupertatem, non tamen fuit incapax dominii.*

Præterea idem videtur de Apostolis sentiendum; nam licet reliquerint omnia, & voto se obligauerint ad paupertatem; non tamen est verisimile eos factos esse incapaces dominii: imo non desunt Catholici, qui existiment, Apostolos, etiam post vocationem ad Apostolatum habuisse proprium aliquarum rerum stabilium dominium, propterea quod Petrus Matthæi 8. & Luc. 4. legatur habuisse dominium postquam relictis omnibus sequutus fuerat Christum. Quam expositionem referens Maldonatus eam hæreticis tribuit, & grauiter reprehendit Catholicos, qui eos imitati sunt, quia non oportet domum illam vocari Simonis, quia esset dominus eius, sed quia vel antea fuerat, vel quia in ea solitus erat habitare. Sed licet hoc probabile sit, & facile possit sustineri, non video tamen in illa expositione errorem, vel inconueniens aliquod secluſa praua intentione hæreticorum; nam sicut Petrus tunc habebat vxorem, quoad vinculum, quam nihilominus comprehendit, cum dixit se reliquisse omnia, vt sancti interpretantur, quia reliquerat illam, quoad vsum, & quoad animum, cum obligatione non amplius accedendi ad illam; ita quanuis adhuc tunc retineret proprietatem, vel dominium domus, nihilominus verè dicere potuisset, illam cum aliis bonis reliquisse, quia quantum in ipso erat, reliquerat illam vxori, vel parentibus cum obligatione, non vsurpandi amplius, vel non retinendi illius dominium, quia non videtur necessarium, vt exteriori actu transferret dominium in alium, & alius acceptaret, quod tamen oportebat fieri, vt abdicaret à se dominium, si antea illud habebat.

24. *Idem, de Apostolis dicendum quoad bona stabilia.*

Nihilominus prior expositio simpliciter magis probatur, quia & magis pietatem fouet, magisque aliena est ab erroribus hæreticorum, & conferendo loca Scripturæ in rigore est magis consentanea proprietati verborum eius. Sic etiam quod de Ioanne Euangelista legimus Ioan. 19. accepisse B. Virginem *in sua*, vt Græci codices, & vulgata Latina emendata legit, aliqui ita exponunt, id est, recepit illam in suam domum, seu in propria bona, vt nimirum ex eis illam aleret; cui expositioni assentire videtur Cardinalis Baronius 1. tom. anno Christi 34. num. 21. dicens Euangelistam Ioannem, etsi piscator fuerit, ditiorem aliis Apostolis piscatoribus fuisse, habuisseque Hierosolymis domum, in quam post Christi passionem Dei genitricem recepit, propter ea quæ de domo Ioannis Euangelistæ refert Nicephorus lib. 1. Historiæ cap. 28. & Cedrenus in Annalibus; sed illæ historiæ quoad hanc partem non faciunt fidem, vt in sectione 3. attingam, & verba ipsius Ioannis non cogunt. Nam Patres hanc expositionem non admittunt. Sic enim interrogat Ambrosius in exhortatione ad Virgines, *Quomodo in suam, cum ipsi Apostoli dixerint, ecce nos reliquimus omnia?* Et respondet in spirituali sensu explicando illa verba, recepisse Ioannem beatam Virginem in suam, id est, inter spiritualia bona quæ erant propriæ Apostolorum diuitiæ. Magis vero ad literam D. Thomas cum Augustino ibi tract. 119. *Accepit* (inquit) *illam in sua, non prædia, aut possessiones, sed officia, quibus ei diligenter, & reuerenter obsequebatur.* Quanuis autem verum sit ex his locis non colligi Apostolos eo tempore habuisse aliquam possessionem propriam, potest tamen ex authoribus, qui hæc testimonia tractant, non obscurè intelligi eos non fuisse illius incapaces, quanuis ex propria voluntate illis carerent.

25.

26. *Quid sentiendum de Ap. fuerit in quæstione dominium bonorum mobilium*

De bonis autem mobilibus multi verisimiliter credunt non solum potuisse, sed etiam habuisse aliquando priuatum dominium, vt vestimentorum qui bus tegebantur, aut gladii, v. g. quod Petrus habebat, quando illi Christus dixit, *Mitte gladium tuum in vaginam*; & quando per mundum dispersi euangelizabant, & ad victum, & vestitum eleemosynas accipiebant, credibile est earum dominium comparasse, quia ea intentione dabantur, & illi simpliciter accipiebant, ergo apud eos manebat dominium, quia nec tunc erat ius conditum, cuius virtute transferretur dominium in alium, vel in aliquâ communitatem. Nec cogimur dicere, eos semper habuisse hanc intentionē, quia nihil ad eorum perfectionem referre videtur. Sic etiam quando Paulus propriis manibus laborabat, vt sibi necessaria compararet, quid obstat quominus dominium illius lucri sibi acquireret? vel ad quem transibat dominium illud, si in Paulo non erat? Video multo facilius de Apostolis dici posse, quod de viris solitariis supra dicebamus, semel habuisse animum nihil de rebus temporali-

poralibus accipiendi, nisi vsum necessarium, & illud propositum nunquam retractasse. Dici etiam potest ex Christi institutione Collegium Apostolicum nihil habuisse, nisi in communi; & singulos Apostolorum vouisse eam paupertatem perpetuo seruare; nihilque vt perpetuum vnquam accipere, vel habere, sed solum nomine totius collegii, vel potius totius Ecclesiæ, & pauperum eius. Et hoc quidem mihi etiam verisimilius est, tamen inde non infertur incapacitas dominii, vt ex dictis patet, nisi quis forte addat, Christum sua authoritate fecisse illos incapaces. Sed hoc qua facilitate dictum fuerit, contemnetur, quia nec testimonio aliquo ostendi potest, neque probabili coniectura, quia hoc ad Apostolorum perfectionem nihil pertinebat, parumque necessaria tunc erat, quando in tota Ecclesia omnia bona erant communia, vnde fortasse, vt infra dicam, ob temporum, & hominum imperfectionem, & infirmitatem hæc introducta est conditio.

Idem ferè discursus fieri potest de Monachis, qui in solitudine viuebant, siue omnino solitarii essent, siue in al qua societate eiusdem eremi, ita tamen, vt in singulis cellulis separatim habitarent, propria peculia habentes, de quibus disponere poterant, saltem in vsus pios, & ex licentia senioris. Nam illos fuisse capaces dominii, imo, & illud habuisse, salua sufficienti paupertate, & perfectione, videntur persuadere tria vltima indicia superius adducta. De aliis vero in congregatione viuentium probabilius apparet semper obseruatum fuisse, vt nihil proprium haberent, neque habere possent, sine facultate prælati. Quod vero essent incapaces, nullo modo ostendi potest: imo aliqua exempla in eisdem indiciis adducta ex Augustino, Pachomio, & aliis, oppositum suadent. Idem sumi potest ex Hieronymo Epistola 16. ad Pamachium, vbi clarè significat, se cum fratre Pauliniano habuisse dominium aliquarum possessionum, non obstante statu perfectionis, quem profitebantur, non quidem perpetuo, sed ad tempus spectando fortasse commodam occasionem illas vendendi, & erogandi pauperibus, vt latius expendam infra tractando de paupertate societatis. Nunc satis est ex illo loco plane colligi illum statum, quem sancti illi profitebantur, non reddidisse illos incapaces dominii, imo nec obligasse illos, ad statim relinquenda omnia; nemo autem (credo) negabit statum Hieronymi fuisse verè ac proprie religiosum, cum ipse multis aliis locis, præsertim vero epist. 13. ad Paulinum, cum inquit, *Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, & Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios, &c.* Basilius etiam in regula 9 ex fusionibus, si attente legatur, significat, Monachum etiam post professionem potuisse eo tempore in paterna hæreditate succedere, & non dicit eo ipso fuisse solitum transire in dominium Monasterii, sed ipsum religiosum debuisse de illa sancte disponere tanquam de re Deo consecrata.

## ASSERTIO VLTIMA.

### *De tempore, quo hæc solemnitas voti paupertatis religiosæ introduci cæperit.*

11. Vltimo ergo dicendum est, hanc solemnitatem voti paupertatis, quod reddat hominem incapacem dominii, à temporibus Iustiniani Imperatoris vniuersaliter esse introductam; an vero antea religio aliqua vel ex speciali concessione Pontificum, aut Episcoporum illam seruauerit, mihi non constat. Prior pars constat, ex Authenticis eiusdem Iustiniani, in collat. 9. tit. 17. de Sanctissimis Episcopis, cap. 38. *Si quæ mulier*, & collat. 1. tit. 5. de Monachis, cap. 6. quod incipit, *illud quoque*, ex quibus sumptæ sunt, lex *si quæ mulier*, & lex *ingressi*, C. de Sacrosanctis Ecclesiis, & lex *nunc autem*, C. de Episcop. & Clericis, vbi decernit per professionem Monachi omnes res eius fieri monasterii, etiamsi expresse non donentur, *Et non erit* (inquit) *amplius dominus illarum vllo modo.* Quod si quis dubitet, quomodo potuerint leges ciuiles aliquid de re quæ merè spiritualis, & Ecclesiastica est, disponere; respondemus quæstionem esse generalem, quæ de omnibus ferè legibus, sub prædictis titulis contentis, interrogari potest. Multi ergo credunt, Iustinianum ex consensu Pontificum illas condidisse, vel certe eas, quæ in fauorem & bonum Ecclesiæ cedebant, expresso, vel tacito consensu Pontificum admissas fuisse; huiusmodi vero esse has prædictas leges, constat expresse ex Gregorio, qui non multo post Iustinianum vixit l. b. 7. Epistolarum, Epist. 7. & habetur 19. quæst. 3. cap. 7. vbi sic inquit, *Quia ingredientibus monasterium conuertendi gratia vlterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusdem monasterii iuris fiant, aperta legis definitione decretum est.* Hæc Gratianus. In fine vero Epistolæ ita Gregorius concludit. *Alia igitur omnia quæ ex testamento prænominatæ Siricæ detinentur, quippe quod nullum esse legali sanctione permittitur; necesse est vt iuri monasterii fraternitatis vestræ sollicitudine sacerdotali per omnia studio reparentur; quia imperiali constitutione apertè sanctum est, vt ea, quæ contra legis sunt, non solum inutilia, sed etiam pro infesto habenda sunt.* Idem responsum Gregorii relatum est à Gregorio IX. in cap. 2. de testam. & in Concilio Oxoniensi IV. tom. Conciliorum in cap. antepenultimo sic dicitur, *Quoniam non licet viris religiosis aliquid proprium possidere, quisque, & sua patiatur in ipso religionis ingressu Domino dedicarunt, præsenti authoritate definimus, vt nulla persona in regulari ordine constituta condere testamentum præsumat, cum nihil habeat suum temporale, quod transferre valeat in dominium alienum.* Quod Conciliorum videtur etiam alludere ad superiora iura, quæ sine dubio postquam fuere condita, generali Ecclesiæ obseruatione recepta sunt. Quod constare etiam potest ex Concilio II. & cap. *Cum ad monasterium*, de statu monachorum, & optime ex Concilio Tridentin. sess. 25. de regular. cap. 2 & iuxta hoc ius intelligendi sunt iuris interpretes, quoties dicunt votum paupertatis necessarium ad professionem, vel ad statum religionis, excludere, & proprium, & capacitatem proprij, vt videre licet in Hostiens. Innocent. Panormit. & alijs in dicto cap. *Cum ad monasterium*; & ita etiam loquitur Nauarr. comment. 1. de Regularibus num. 15. versiculo, *Decimum octauum*, & num. 18. versicul. *Vigesimum tertium*, vbi etiam hoc votum requirit, ad constituendum statum religiosum; loquitur tamen, vt dixi, iuxta prædictum commune ius, non secundum intrinsecam necessitatem status religiosi. Ratio autem huius institutionis primaria est, quia licet hæc incapacitas simpliciter non sit necessaria ad perfectionem, quia sufficit actu dimittere omnia cum obligatione perseuerandi in eo statu, nihilominus conferre potest, ad tollendam radicitus omnem occasionem proprietatis; item propter maiorem quandam immobilitatem; ac denique, quia sicut religiosus per professionem desinit esse sui iuris, & sub dominio religionis constituitur; ita conueniens est, vt accessorium sequatur principale, ita vt iure ordinario totum quod religiosus habet, vel potest habere, in Religionis dominium, aut ius transeat, si illa si capax.

29. *Obiectio prima. diluitur.*

Sed obiici potest primo, quia Gregorius post dictas leges Iustiniani refert, Gordianã & alias forores eius sanctimoniales habuisse proprium. Respondetur iam supra dictum esse, incertum nobis esse, an status illarum fœminarum fuerit verè, & perfectè religiosus. Quod vero ad rem spectat certum est non fuisse in vita regulari communi, seu in Monaste-

nasterio aliquo, sed in priuata domo, & ideo personæ illæ, & omnes viuentes in simili statu sub prædictis legibus Imperatoris non comprehendebantur; nam illæ loquuntur solùm de religiosis profitentibus in aliquo monasterio; quia vero nunc, & saltem à tempore Concilij Lateranensis sub Innocentio III. nullus est verus religiosus, nisi vota emittens in religione approbata, vt constat ex cap. vltimo, de Religiosis domibus, & Nauarro, & alijs Doctoribus citatus, ideo iure communi generaliter verum est paupertatem religiosam reddere incapacem dominij, quamuis hoc ius commune possit per speciale approbatum à Pontifice immutari.

30. *Instantia duplex.* Sed instabis, nam idem Gregorius lib. 3. epistol. 6. loquens de quadam Petronina religiosa, ait, *Res suas omnes, quas habere potuit, licet sibi iure potuissent competere, tamen eidem monasterio, quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse.* Quibus verbis significat potuisse bona illa retinere, si voluisset, hoc enim indicant illa verba, *licet sibi iure potuissent competere*, liberali tamen donatione eas dedisse monasterio. Et infra ait Agnellum quendam postea seduxisse illam religiosam, & de monasterio eduxisse, *Resque eius omnes tam proprias, quam eas, quas de parte patris ipsius habere poterat, abstulisse*: in quibus etiam verbis significat Gregorius, fœminam illam etiam post ingressum religionis habuisse res proprias, & ius ad hæreditatem paternam; cum tamen illud factum post tempora Iustiniani acciderit. *Responsio ad primam* Respondeo priorem partem obiectionis fundatam esse in æquiuocatione illius relatiui *sibi*: non enim referendum est ad præcedentia, sed ad subsequentia, id est, non ad Petroninam, sed ad monasterium, ita vt sensus sit, licet monasterio iure pertinerent, nihilominus ad maiorem cautelam, speciali donatione fuisse etiam collatas. ita intelligunt glossa & omnes expositores in cap. *Perlatum* 19. q. 3. & ad hunc sensum confirmandum, expendenda est illa particula, *etiam specialiter donationis titulo*, &c. Nam respondet particulæ, *licet*, quæ præcessit. Sensus ergo est, licet monasterium haberet vnum titulum, additum esse alium. Iuxta quem sensum fit potius ibi allusio ad ius introductum à Iustiniano Imperatore, quod iam erat receptum, & in praxi. *Ad secundam.* Vnde in posterioribus verbis res propriæ vocantur, non quia tunc essent propriæ, sed quia fuerant. Significatur enim ibi, Petroninam, quãdo ingressa est monasterium, aliqua bona possedisse, & ad alia habuisse tantum ius, quia adhuc erant sub potestate patris, cuius ipsa poterat esse hæres. Priora ergo vocantur ibi propria, vt distinguantur à posterioribus, non quia non iam essent monasterij. Et simili modo de posterioribus dicitur potuisse habere partem hæreditatis paternæ, quia iure originis ad illi pertinebat, quamuis per professionem iam esset in monasterium translato. Et ideo in fine indistincte præcipit Gregorius omnia illa bona restitui monasterio cum fructibus, & accessionibus eorum.

31. *Obiectio secunda.* Tandem obiici potest, quia saltem ad breue tempus potest religiosus professus etiam nunc habere dominium; ergo absolute non est incapax illius. Antecedens colligitur ex prædictis legibus, & Authenticis, & ex cap. *Si quamlibet* 19. q. 3. vbi statuitur, si persona habens liberos professa fuerit religionem, priusquam de sua substantia disposuerit, possit postea illam inter filios suo arbitrio (seruatis scilicet aliis legibus) diuidere, legitimam partem monasterio reseruando; ergo signum est adhuc retinere dominium. *Solutio prima.* Respondeo primum inde non sequi huiusmodi religiosum retinere dominium, sed solum liberam administrationem iure concessam, quantum ad illum actum, quæ non repugnat voto solenni paupertatis, vt late Nauarr. comm. 2. de regul. n. 16. & sequent. & num. 57. Deinde dicitur aliquibus iurisperitis non videri inconueniens religiosum professum retinere dominium ad breue tempus, vt videre licet in Baldo, in cap. *Cum causa*, de rei iudicata, verific. *Quaro nunquid*, & Felino, ac Decio in cap. *In præsentia*, de probationibus. Quod si verum est, est optimum signum illam incapacitatem non esse ex natura rei, sed ex iure positiuo, quod potuit aliquem casum similem excipere; de qua potestate ego non dubito; non censeo autem huiusmodi casum esse admittendum, nisi sit in iure expressus, quem ego hactenus non reperi. Sed de hoc iterum redibit sermo. *Secunda.*

32. *Corollarium.* Hæc sunt, quæ de huius iuris origine inuenire potui, ex quibus in summa colligere possumus, varios gradus paupertatis, supra propositos, vel omnes, vel certe plures illorum fuisse in vsu in Ecclesia pro varietate temporum, & statuum religiosorum, atque adeo hunc modum paupertatis, per solemne votum, & incapacitatem proprietatis non fuisse semper, & in omni statu religioso obseruatum, maximeque viguisse pro vniuerso statu religioso, in quo vita communis seruatur à prædicto tempore Iustiniani Imperatoris. De superiori vero tempore, quamuis certis indiciis constet non fuisse seruatum in omni statu religioso quoad prædictam incapacitatem, immo nec quoad omnimodam proprietatis, & dominii in particulari carentiam, non tamen ita mihi constat positiue, vt sic dicam, ante Iustiniani tempora in nullo loco, aut in nullo statu religioso, fuisse in vsu illud paupertatis genus, & ideo id definite affirmare non possum, sed solum veluti negatiue dicere, non constare ex historiis, vel ex Sanctorum exemplis, effectum hunc voti paupertatis habuisse alicubi hanc institutionem, vel effectum ante illa tempora. At vero post tempora Iustiniani non inuenio etiam religionem aliquam fuisse institutam in vita communi, quæ illam paupertatem non seruauerit, paulo enim post incepit religio Benedicti Beati, quæ semper paupertatem illam seruauit, & de posterioribus idem constat; & idem credendum est de Antiquioribus, quæ tunc erant in Occidentali Ecclesia; nam de Orientalibus, vt erat Religio Sancti Basilij, &c. minus certum id est; de nonnulla vero immutatione, vel moderatione, quæ circa hoc facta est in Societate quoad aliquam partem, seu gradum religiosorum eius, infetius suo loco dicemus.

## CAPVT VIII.

### *Vtrum votum Paupertatis excludens proprium in communi, liceat, vel expediat in Religioso statu.*

1. *Quæstio præsentis capitis.* Hæc quæstio non habet locum in illo statu religioso, qui priuatim, & extra communitatem statui posset, sola rei natura, vel solo diuino iure spectato, quem esse possibilem sæpe insinuatum est, & *Statuimus* infra in proprio loco ostendemus: in illo enim statu non habet locum dominium in communi, quia nulla supponitur communitas in qua esse possit; & ideo si in tali statu paupertas existat, quæ proprietatem in particulari excludat, consequens necessarium est, vt nullum dominium, vel in particulari, vel in communi relinquat, quamuis dicere possimus quoad priorem partem carentiam esse per modum priuationis, quoad posteriorem vero per modum negationis. De hac nihilominus paupertate ostendimus in superioribus, non solum licitam esse, sed etiam sub consilio, nec solum in proprio statu religioso, sed etiam in alio priuato viuendi modo aliquid de illo statu participante seruari posse cum obligatione voti simplicis.

2. Omisso ergo illo statu, in religiosa communitate duplex

duplex paupertas intelligi potest. Vna est, quæ licet excludat à singulis personis omnem proprietatem priuatam, permittat nihilominus dominium in ipsa communitate. Alia vero est, quæ etiam à communitate dominium excludit, & consequenter ab omnibus, & singulis religiosis, non tantum vt particulares personæ sunt, sed etiam, vt sunt partes talis communitatis. Et in hac ipsa paupertate in communi possunt esse gradus. Primus excludens dominium possessionum ac redituum, non vero bonorum mobilium. Secundus, qui horum etiam dominium non permittat. Tertius, qui non solum vtrorumque bonorum dominium tollat, verum etiam, non permittat congregare res necessarias ad vsum pro aliquo futuro tempore, sed tantum quæ in præsenti necessaria sunt, & quasi in diem viuere quotidie quærendo, quę pro illo die necessaria sunt. De his ergo omnibus sigillatim dicēdum est, quoniam circa illa ferè omnia varii errores exorti sunt, & de nonnullis varia etiam fuerunt Catholicorum iudicia.

Fuerunt ergo quidam hæretici dicentes paupertatem ita esse obseruandam, vt nulla cura, vel diligentia adhibeatur ad habendas res temporales, etiam ad vitam necessarias; sed insistendum esse orationi, & in Deo confidendum. Qui propterea illicitum esse dicebant religiosis laborare manibus, ad comparanda vitæ necessaria, qui (vt contra eos recte argumentatur Augustinus) consequenter dicere deberent, non licere res huiusmodi congregare in tempus futurum, imo neque eas præparare ad cibum, vel potum, sed ex diuina prouidentia illas spectare. De his hæreticis videri potest Chrysostom. homil. 43. in Ioannem, & Theophylactus Ioan. 6. vbi circa illa verba, *Operamini non cibum qui perit, sed*, &c. Nominatim hunc errorem tribuit Massiliani, qui non solum in Monachis, sed in omnibus generaliter reprehendebant operari propter cibum, fundati in illis verbis Christi. Augustinus autem de hæresibus in 37. hos eosdem Psallianos vocat, fortasse ab psallēdo. sicut Græce dicti sunt εὐχῖται, ab orando, refert que illos de monachis specialiter dixisse nō licere illis propter corporis sustentationem manibus laborare, quod adducit Epiphanius hæres. 80. eundemq; errorem ex professo impugnat idem Augustin. toto libro de opere Monachorum, præsertim cap. 23. quem librum occasione huius erroris scripsisse ipsemet testatur lib. 2. retractationū cap. 21. ex quo etiam constat illos deceptos fuisse occasione verborum Christi male intellectorum Matt. 6. *Dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini, respicite volatilia cæli, quoniam nec serunt, nec metunt, neque congregant in horrea*, &c. & infra: *Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum*, &c.

Alii hæretici per contrarium extremum dixerunt, non esse licitum profiteri religionem, quæ paupertatem in communi profiteatur. ita sentit Guillelmus de sancto amore, quem imitatus est Desiderius Longobardus, alii addebant limitationem, nisi talis religio ex proprio labore manuum sustentaretur, vt meminit D. Thom. opusc. 19. contra Impug. relig. c. 6. Itaque præcipua intentio istorum hæreticorum erat damnare illam paupertatem voluntariam, quæ vsq; ad mendicitatem descendit, seu in qua vult quis sustentari ex alienis bonis, relictis propriis, & sine vllo labore proprio, & hoc modo sequuti sunt hunc errorem Ioann. Wicleph. apud Waldensem li. 4. Doctrinal. cap. 22. & postea Lutherus, Caluinus, & sequaces, & eodem modo opinatus est Armachanus serm. 4. vt refert Bellarminus lib. 2. de Monach. c. 45. Qui error primo fundari potest in verbis Pauli, 2. ad Thessalonicens. 3. *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri* IESV *Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.* Explicat autem statim, quæ sit hæc traditio, & deinde de quibus dicat, *inordinate ambulante.* De priori sic ait, *Sic enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos; nam & cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Ecce traditionem; inordinate ergo ambulare dicit eos, qui sine proprio labore, alienis bonis volunt sustentari, cum laborare possint, & de his subdit; *Audiuimus enim inter vos, quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui huiusmodi sunt, denunciamus, & obiecramus in Domino* IESV CHRISTO, *vt cum silentio operantes suum panem manducent.* Sic etiam 1. ad Thessalonicens. 4. dixerat. *Rogamus autem vos*, &c. *vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, & nullius aliquid desideretis.* In quibus verbis significat, & hoc esse præceptum, & reduci ad septimum Decalogi. non furandi, vel ad vltimum, non concupiscendi res alienas; & ideo etiam ad Ephesios 4. illa duo coniungit; *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis.* Ex quo testimonio ratio etiam colligi potest, quia non est verè indigens, qui aut bona propria habet, aut proprias actiones, quibus sustentari potest; ergo si tanquam indigens vult sustentari rebus alienis, iniustitiam facit, nam fingit se indigentem, cum verè non sit.

*Obiectio prima.*

Dices, ibi non committi furtum, neque iniuriam, vbi sine vi, aut dolo, aliquid sponte dandum postulatur, aut oblatum recipitur. Sed contra, quia non omnino videtur deesse fraus, & moralis coactio, quando sub specie religionis, & indigentiæ, aliquid extorquetur. Vnde Augustinus lib. de opere Monachor. cap. 17. etiam illorum excusationem non vult admittere, qui ob psalmodiam, & orationem diuturnam excusari volunt à labore manuum, & alienis bonis sustentari, quia non oportet orationem adeo esse continuam, quin debeat ob necessitatem infirmitatis humanæ externis actionibus interrumpi. Quod si ita est. infert. *Cur non Apostolicis præceptis obseruandis aliquas partes temporis deputamus? citius enim excauditur vna obedientiæ ratio, quam decem millia contemptoris.* Et deinde adiungit, in ipso labore manuum posse diuinas leges, & orationes adiungi, & in sequentibus capitibus alias excusationes excludit. Denique esto hoc non sit rigorosum præceptum, saltem ex verbis Pauli colligitur esse melius, & consultius, & oppositum esse inordinatum, & profiteri aliud vitæ genus, tanquam melius, & perfectius, est intolerabilis error contra bonos mores. Quod status etiam confirmat vsus antiquarum religionum. de quo videri potest Basil. serm. 1. de institutionibus Monach. & Epistola ad Canonicā, & late in regulis fusius disputatis à 37. vsque ad 42. & in moralibus tota regula 48. præcipue cap. 7. Idem habet Benedictus in sua regula cap. 48. vbi inter alia ait, tunc fore verè Monachos, cum ex suarum manuum labore vixerint, more antiquorum Patrum & Apostolorum; idem sumitur ex Augustino lib. 8. de moribus Eccles. c. 31. & Hieronymo epist. 4. ad Rusticum, Epiphanio hæres. 78. Cassiano lib. 2. de Institutis cap. 3. & lib. 3. cap. 2.

*Responsio prima.*

*Secunda.*

Priusquam de opinionibus Catholicorum disseramus, quid certum secundum fidem sit proponere oportet. Primo ergo certum est, laudabile esse illorum religiosorum institutum, qui paupertatem tam in particulari, quam in communi profitentes quoad

*Prima assertio de fide*

caren-

carentiam possessionum, ac certorum redituum, non ex solis eleemosynis, sed ex proprio labore manuum aluntur. Hoc est de fide certum, & sufficienter probatur fundamentis proxime adductis pro secundo errore. Et idem confirmant alia loca Pauli, in quibus sæpe profitetur, se manib. suis laborasse ad se sustentandum, Actor. 20 & 1. ad Cor. 9. Nec potest exponi quod loquatur de illo labore, de quo 2. ad Tim. 2. *In quo laboro vsque ad vincula*, scilicet in prædicatione Euangelica, tum quia in dictis locis expresse loquitur de labore manuum, tum etiam, quia distinguit hunc laborem à ministerio Euangelico, dicens, potuisse se ex Euangelio viuere, vt autem omnem offensionem tolleret, noluisse, sed proprijs manibus laborare. Ratio autem est manifesta, quia in hoc vitæ genere nihil est vel contra rationem, vel contra perfectionem. Prior pars probatur, cui enim in hoc fit iniuria? aut contra quam virtutem id est? Dicent, quod fortasse esset contra fiduciam DEO debitam. At hoc nullius momenti est, quia non est alienum à debito ordine diuinæ prouidentiæ, honesta via, & ratione, necessaria ad vitam procurare; imo esset tentare Deum, prætermissa omni cura miraculose, aut extraordinaria prouidentia illa à Deo expectare: neque hoc Christus consuluit, sed excessum immoderatæ solicitudinis, aut intentionem minus rectam in quærendis temporalibus bonis coercere ac reprehendere voluit, vt Augustin. dicto lib. de opere monach. late prosequitur, & attigit Basilius regula 207. ex breuioribus, vbi ita etiam exponit verba illa Ioan. 6. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, non enim prohibet Christus propter cibū temporalem operari, sed in eo primarium finem, & quasi totam vitæ curam collocare, vt Chrysost. homil. 43. Theophylactus, & alii exposuerunt ibi. Nulla ergo diffidentia de Deo est, neque aliquid de existimatione debita de diuina prouidentia repugnat laborare ad victum quærendū, etiam illos qui eius obsequio specialiter dedicati sunt, quia non pertinet ad diuinā prouidentiam eos miraculose, aut per extraordinariam prouidentiam alere, regulariter loquendo, & quando nulla specialis necessitas occurrit.

*Probatur prima pars, quod non sit contra rationem.*

7. Secunda pars, nimirum, hoc de se non impedire perfectionem, late probatur ab Augustino in dicto lib. de opere Monachor. Primum, quia necessarium non est ad perfectionem, vt homo semper, ac continuè orationi vacet, sunt enim alia opera virtutis, quę ad perfectionem etiam iuuāt, & ideo quod Christus ait, Luc. 18. *Oportet semper orare*, & Paulus 1. Thess. 5 *sine intermissione orate*. à sanctis exponitur, non ita intelligi vt nunquam aliud agēdum sit, sed vel statis temporibus, nullo die esse orationem omittendam; vel in bonis operibus orationem semper esse continuandam, ita vt ipsa opera sint quædam virtualis oratio, vel frequenter esse exercendam, vt late expoſui lib. de Orat. c. 1. Imo regulariter ac moraliter loquendo, nō possunt omnes soli orationi perpetuæ vacare, aliqua ergo interruptio, perfectioni non repugnat; ergo neque aliquo tempore honestas actiones exercere manibus laborando. Secundo (ait Aug.) quia actiones non impediunt, quominus mens sufficienter possit in Deū tendere, vel spirituali lectioni, & meditationi intendere, seu attendere. Tertio ait Basilius, quia hoc potest esse magnæ charitatis, dum religiosus non ad suam tantum sustentationem, sed etiam vt alijs subueniat, strenue laborat, sicut Paulus non solum ea, quæ sibi opus erant, sed etiam iis, quos secum habebat, labore suarum manuum comparabat, quod ipse refert Actor. 20. Vnde Cassianus lib. 4 de Inst. Eccl. c. 14. de antiquis monachis sic ait, *Cum vnusquisq; eorum quotidie de opere ac sudore proprio tantos reditus conferat monasterio, vt ex his sustentare non solum suam valeat parcitatem, verum etiam vicinis possit exuberare multorū, in nullo tamē fratre*, &c. Quarto potest etiam hic labor ad humilitatis exercitium deseruire, & ad corporis mortificationem, ac pœnitentiam per se confert. Multis ergo modis potest ad perfectionem deseruire; cur ergo statui religioso repugnabit? Quamuis autem hic labor manuum, aliquando possit esse ad sustentationem religiosorum sufficiens, non tamen necesse est totam operam ad hoc necessariam semper impendere, neq; hoc pertinet per se ad perfectionem religionis, imo aliquando posset impedire, si labore esset immoderatus. Magis ergo in huiusmodi labore (quando religio illum vitæ modum amplectitur) attendendus est scopus perfectionis intentæ, quam sufficientia sustentationis, & ideo cum ea moderatione sumendus est, quæ alia opera perfectionis, & contemplationis nō impediat, quod si fuerit ad sustentationem sufficiens, erit etiam paupertati subleuādæ proportionatus, si autem fuerit superabundans, ad perfectionem spectabit in pauperes conferre quod superfluum fuerit, Si autem fuerit deficiens, eleemosynis fidelium quidquid defuerit supplēdum erit. Superstitiosum enim esset vitis religiosis ita labori manuum insistere, ac si omnino necessarium eis esset inde viuere, nihil ab aliis accipiendo. De quo Monachi sancti Basilii quæstionem ei proposuerunt, cui ipse respondet in regul. breuioribus 284. curandum vnicuique esse, vt idoneus sit, qui in numero fratrum Domini collocetur, in reliquo vero si indigeat, non esse quod dubitet eleemosynam cum gratiarū actione recipere: *A quibus autem* (inquit) *conueniat accipere, & quando, & quomodo, is statuet, cui communis procuratio commissa est.*

*Probatur secunda pars, quod non impediat perfectionem. Oratio continua quomodo intelligatur.*

8. Dico ergo secundo laudabile esse religiosum institutum, in quo paupertas etiam in communi, quoad carentiam redituum, & bonorum stabilium seruatur, & non ex labore manuum, sed ex solis eleemosynis, vel sponte oblatis, vel etiam mendicando petitis viuitur. Est veritas hæc mihi de fide certa: quia, & Ecclesiastica traditio, & Pontificum authoritas, & vniuersalis Ecclesiæ consensus, satis illam probant, & per singulas partes discurrendo, potest etiam ratione conuinci. Primo ergo traditio ostendi potest exemplo Christi & Apostolorum, vt optime deducit, ac defendit Bellarminus dict. cap. 45. & nos in proprio loco ostendimus Christum Dominum paupertatem vitam professum esse, eumque ex eleemosynis vixisse constat Lucæ 6. ibi: *Mulieres aliquæ ministrabant ei de facultatibus suis*, quod etiam aliquando mendicauerit, eodem loco probabilius esse ostendimus, idque tanquam certum supponere videtur Basilius regul. 262. ex breuioribus, vbi de Christo exponit illud Psal. 39. *Ego autem mendicus & pauper sum.* Quanquam ibi, & regula etiam 205. non videatur nomen mendici sumere ab actu mendicandi, sed ab ipso statu paupertatis, ad quem aliquis, qui prius dives fuerat, peruenit, præsertim voluntarie, satis vero significat, etiam officium mendici Christum exercuisse. De paupertate etiam Apostolorum multa in superioribus diximus, eos autē ex eleemosynis fidelium vixisse, aperte docet Paulus 1. ad Cor. 9 imo Matthæi 10 cum eos Christus ad prædicandum mitteret, eis dixit, *Nolite possidere aurum, neque argentum*, &c. & Lucæ 10 addidit, *Edentes, & bibētes, quæ apud illos sunt, & manducate, quæ apponuntur vobis.* Quod autem aliquando mendicauerint viuente Christo, eodem loco in 2. tom. ostendimus, idemque per se verisimile est de tempore post Christi ascensionem, quando per mundum peregrinabantur. Nam licet credendum sit, vix vnquam defuisse fideles, qui calore fidei, & deuotione moti, ipsis etiam non petentibus necessaria offerrent, nihilominus in tanta rerum, & l. co-

8. Secunda assertionis pars.

*Probatur ex traditione, exemplo Christi, Apostolorum, eleemosynis vixisse, & mendicasse.*

locorum varietate sæpius occurrere poterat necessitas mendicandi, neq; est cur fingamus, vel Deum sua speciali prouidentia eam præuenisse, aut ipsos actum illum, qui humilitatis, & patientiæ est, vitasse.

Denique (quod caput est) Apostolos ex vi sui status ad huiusmodi actus paratos esse oportebat, quia nihil stabile, nec redditum certum in particulari habebant, vt supra ostendi, nec etiam in communi, de Collegio Apostolico stricte, & proprie loquendo, vt late ostendit Aluarus Pelagius libr. 2. de planctu Ecclesiæ c. 55 quia eorum vita talem communitatem, vt sic dicam, vel vsum eius non patiebatur, cum nec simul libere viuerent, nec fere haberent locum firmũ, stabilem, præter vnum, vel alterum, sed dispersi per vniuersum mundum discurrerent; non ergo poterant ex bonis propriis, vel communibus sustentari; neque etiam ex labore manuum alebantur, præter vnum Paulum, vt ipse affirmat: ergo necessarium illis erat ex eleemosynis viuere, qui autem sic viuit, tam ad petendum, quam ad accipiendum paratum esse necesse est, prout occasio postulauerit. Nec refert quod Armachanus ait fuisse Apostolis sustentationem debitam ex iustitia, iuxta Christi verbum, Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*, nam esto hoc ita sit, ipsi non hoc iure exigebant illam, nec etiam moraliter poterant, præsertim, cum inter aliquos infideles versari incipiebant, vt latius Bellarminus dicto loco prosequitur.

7. Præterea hoc genus paupertatis, post Apostolos professi sunt Apostolici viri, qui ipsos imitati sunt, sicut in munere euangelizandi, ita etiam in modo viuendi, vt expresse refert Eusebius lib. 3. historiæ cap. 31. vbi ait morem illorum omnium fuisse vendere omnia sua, & dare pauperibus, & deinde peregre proficisci ad prædicandum Euangelium etiam gentibus, quæ de illo nihil audierant. Manifestum est ergo nihil proprium sibi retinuisse, saltem in bonis stabilibus, nec in particulari, quia vendebant omnia, & dabant pauperibus; neque in communi, quia nullam specialem communitatem profitebantur; nec habebant domicilium fixum, sed per varias mundi partes discurrebant, prout mittebantur. Vnde per se statim verisimile sit eos & ex eleemosynis, & sæpe mẽdicando vixisse, quia nec viaticum semper habere poterãt ab Apostolis, à quibus mittebantur, nec credibile est ipsos fuisse solitos illud requirere, aut ab eo pendere; neque etiam oportet fingere omnes laborasse manibus suis, cum constet Apostolos eorum magistros id non fecisse, & quia morale est, vt plures, aut propter ignorantiam artis, aut propter occupationes id facere non possent. Præter hos etiam Euangelicos viros constat fuisse à principio Ecclesiæ multos profitentes vitam religiosam, in omni paupertate, non in communitate aliqua, sed in solitaria, vel priuata vita; illi ergo nihil stabile habebant, vel in particulari, quia omnia renuntiabant, vel in communi, quia vitam communem profitebantur; illi ergo, & eleemosynis, & acceptis, vel petitis sustentari poterant; nam licet aliqui potuerint manibus laborare, non est cur fingamus omnibus fuisse hoc necessarium, cum in tanta hominum varietate, sit verisimile omnes fuisse aptos ad lucrandum necessaria ad vitam ex solo labore manuum, cumque ex historijs constet, plures illorum maiorem vitæ partem contemplando consumpsisse. Denique habemus illustre paupertatis, & mendicitatis exemplum in B. Alexio, qui cum dines esset, egens & mendicus voluntarie propter Christum factus est. Nec refert, quod ille proprie religiosus non fuerit, vt supra indicauimus, satis est enim, quod voluntaria paupertas, & mendicitas in eo laudabilis sit; inde enim recte concludimus à fortiori in religioso statu laudabilem esse.

Ex his ergo satis apparet primum, quod proposuimus, hoc scilicet paupertatis genus, in antiquissima Ecclesiæ traditione esse fundatum. Quod autem hęc paupertas, & mendicitas speciali modo seruetur in religionibus aliquibus communem vitam in vna congregatione, seu corpore politico profitentibus, id non videtur esse multum antiquum in Ecclesia, sed à tempore Diuorum Dominici & Francisci incepisse; nam de religionibus antiquioribus nõ constat, ante illud tempus hoc viuẽdi institutum obseruasse, vt infra loquendo de mendicantibus religionibus in particulari attingemus. Sufficit tamẽ hæc institutio, ad veritatem hanc de fide cõfirmandam; quia à Pontificibus & Concilijs generalibus approbata est; primum patet ex Ioanne XXII. in Extrauagant. *Quia quorundam*, de verborũ significatione, vbi refert Honorium III. Gregorium IX. Innocẽtium IV. Alexandrum IV. & Nicolaum IV. institutionem B. Francisci atque adeo professionem paupertatis eius cõfirmasse. Addit etiam S. Bonau. Innocentium omnem rationem instituti S. Francisci cõfirmasse, quod postea multi Pontifices fecerunt; idem Concilium Lugdunense, vt refert Nicol. IV. in c. *Exiit*, de verbor. signif. in 6. & Cõcilium Viennens. sub Clemente V. in Clement. *Exiuit*, de verborum significat. & in Concilio Constantiensi sess. 8. vbi damnantur articuli Ioannis Wicleph. in quorum 24. aiebat *fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem*: euius prior pars indistincte affirmans, sonat falsa, & præsumptuosa dicitur; posterior vero erronea, *pro quãto asserit mendicitatem fratribus non licere*. Denique Concilium Trident. sess. 25. c. 3. de regularibus, hanc etiam S. Francisci paupertatem approbauit, imo integram seruari voluit, cum præbendo aliis religionibus facultatem, vt bona in cõmuni habere possent, etiamsi alias illis esset prohibitum, Religionem S. Francisci excepit. His accedit vniuersalis Ecclesiæ consensus, à tempore huius institutionis vsque ad præsens, qui solus ad omnem certitudinem sufficeret, tum quia Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis; tum etiam, quia Spiritus sanctus non permitteret tam vniuersalem, tamque diuturnum errorem in Ecclesia circa rem adeo grauem, & ad bonos mores fidelium pertinentem. Quapropter nõ solum censeo esse certum in hoc genere institutionis nihil esse contra bonos mores; sed etiam nihil esse contra perfectionem; imo de se esse viam satis expeditam ad perfectionem assequendam, & exercẽdam. Nam hoc expresse Pontifices docent, vt videre licet in citatis iuribus, & sub hac ratione hunc vitæ statũ Ecclesiæ proponunt, quẽ ipsa vniuersali approbatione, & cõsensu amplexa est.

II. *Probatur secundo assertio ex paupertate religionum mendicantium authoritate Ecclesiæ confirmata & approbata.*

*Propositio V. Wicleph damnatur.*

*Probatur ex consensu Ecclesiæ vniuersalis.*

Ratio denique etiam est euidens; nam in primis in hoc genere paupertatis, nullum esse malum probatur, quia non est contra aliquam legem positiuam diuinam, vel humanam, vbi enim est? nec etiam est contra legem naturalem, contra quam enim virtutem, aut contra quod principium naturale, id est? Deinde si discurramus per singulas partes, facilius hoc constabit: Nam in primis profiteri paupertatem quoad carentiam bonorum stabilium, etiam in communi, per se non est malum, cum hæc bona fortunæ sint, ex rebus indifferentibus, & aliunde talis carentia potest appeti propter bonum finem, vt, v. g. ad tollendam solicitudinem rerum temporalium, vt spiritualibus vacare liberius liceat. Ergo propter hunc finem talem carentiam profiteri non est malum, imo bonum & perfectum, & consentaneum consilijs Christi. Deinde supposita huiusmodi carentia, quærere victum, & vestitum proprio labore non est medium ex natura rei necessarium ad honestatem morum, neque ad perfectionem, vt recte ostendunt D. Th. 2. 2. q. 187. art. 3. & dicto opusculo 19. contra

12. *Probatur vltimo ex dictis assertionibus.*

*Primo de carentia bonorum stabilium etiam in communi.*

impu-

impugnantes Religionem: Bonauent. in Apologia pauperum, Antonius 4. p. tit. 11. cap. 7. §. 5. & alij.

*Labor manuum ad vitam sustentandã quando cadat sub præceptum.*

Summa autem rationum est, quia tunc solum cadit labor manuum sub præceptum, in ordine ad vitam sustentandam, quando nullum est aliud medium licitum, quo ita possit sustentari, quia si aliqua est hic necessitas præcepti naturalis, tota debet fundari in necessitate finis & medij, sed religiosis non desunt alia media licita ad se sustentandum, vt ipso vsu rerum constat, nec ex voto se obligarunt ad tale medium, neque etiam per aliquod præceptum positiuum iniunctum est, vt infra ostendemus respondendo ad loca Pauli.

13. *De quo labore manuum sit hic sermo.*

Loquimur autem in hoc discursu de labore manuum præcisè, vt assumitur ad subleuãdam paupertatem; potest enim habere alios fines, vt late prosequitur D. Thom. scilicet ad vitandum otium, vel macerandam carnem, vel ad eleemosynam faciendam. Propter quos fines potest fortasse interdũ hæc actio cadere sub præceptum etiam naturale; veruntamen, & illud est per accidens ad rem de qua agimus, & raro accidit similis necessitas in viris religiosis, quia & multa alia media habent ad vitandum otium, & carnem macerandam, & ad suum statum non ita per se spectate eleemosynas facere, vt teneantur lucrari vnde eas faciant; sed satis erit ex his quæ habere contingerit, illas tribuere. Quapropter frequentius occurret aliqua huiusmodi necessitas laborandi manibus in statu sæculari, quam in religioso, imo etiam ad subleuandam paupertatem fortunæ potius, quam voluntatis, & præsertim ad sustentandam familiam sæpius occurret talis obligatio in homine sæculari, quam in religioso, quia vel eiubescit mendicare, vel ei non permittitur, vel alio licito modo sustentari non potest. Vnde sumitur confirmatio, quia quoad hoc nulla est maior ratio obligationis in religiosis, quam in sæcularibus; sed in sæcularibus non est talis obligatio per se loquendo, sed solum per accidens in casu necessitatis, ergo nec religiosi.

14. *Obiectio.*

Sed contra totum hunc discursum instari potest, admittendo verum esse, præceptum hoc non esse peculiare religiosorum, vt religiosi sunt, & asserendo conuenire illis, vt pauperes sunt, & potentes suis actionibus, vel laboribus se sustentari, quæ duo si in sæcularibus concurrant, etiam ill dicentur obligari tali præcepto, siue paupertas sit à fortuna, siue à voluntate; quia iniustum videtur, velle ex alienis viuere, quando homo potest per actiones suas sibi necessaria comparare; vnde in sæcularibus personis talis viuendi modus reprehensione dignus censetur, & pauperes, qui sani sunt, & ex eleemosynis viuere volunt, merito per publicam etiam potestatem coercentur, & tanquam vagabundi puniuntur. De quo etiam extat lex ciuilis. Cod. de mendicis validis lib. 11. Non ergo ex statu religioso, sed ex naturali hominis facultate, & debito ordine subleuandi suam indigentiam, otiri dicitur talis obligatio; & ita discursus factus non procedit, tum quia ex opposito fundamento procedere videtur, tum etiam, quia supponit esse aliud medium licitum.

15. *Notatio præmittenda.*

Hoc vero refutabitur facile probando alteram partem assertionis, nimirum posse licite religiosos professos hoc genus paupertatis ex eleemosynis sustentari, quanquam hoc adeo videatur per se euidens, vt non egeat probatione; nam in eo statu nec iniustitia interuenit, neque malitia contra charitatem, aut contra aliam virtutem: ergo illud per se malum non est, neque etiam est malum, quia prohibitum; nulla enim extat talis positiua prohibitio; ergo. Prima pars de iniustitia patet, quia scienti, & volenti non fit iniuria: qui autem dant eleemosynas his religiosis, sciunt optimè illos esse pauperes à voluntate, & quidquid habebant, illud propter Deum reliquisse, & spontanea voluntate illas tribuunt; nulla ergo iniustitia ibi esse potest. Necetiam aliquid contra, vel præter charitatem, quia nullum nocumentum inde alicui prouenit, neque ipsi dantes, vel alij indigentes, propterea constituuntur in graui aliqua necessitate. Quin potius duplex occasio exercendi charitatem inde resultat. Vna est respectu eius, qui dat eleemosynam; nam in hoc exercet charitatem, immo & religionem, si eius intuitu eleemosynam præbeat. Alia est respectu recipientis, quia benefactoribus suis gratum esse oportet, & spiritualibus beneficijs amicitiam peculiarem erga illum ostendere, tum etiam, quia hi pauperes voluntarij cum pauca illis sufficiant, ex eleemosynis acceptis sæpe aliorum indigentiam subleuant. Et propter hæc supponitur in his personis illud magnum charitatis opus, relinquendi omnia sua propter DEVM, ea pauperibus dando, iuxta CHRISTI consilium. Neque contra aliquam aliam virtutem potest in eo actu propria malitia excogitari; quæ est enim hæc virtus, aut quæ inordinatio?

16. *Instantia diluitur.*

Solum video dici posse, hoc genus vitæ faueri otiositati, & ideo esse noxium Reipublicæ, & occasionem præbere multorum malorum; at hoc locum habet in sæcularibus hominibus, & in pauperibus coactis, seu à fortuna, qui non causa pietatis, sed vt otiose, & voluptuose viuant, aliorum bonis absq; labore suo viuere volunt: ex quo moraliter statim sequitur furta, violentiæ, & alia vitia similia. Accedit etiam, quod si talis abusus in Republica permitteretur, vix inuenirentur homines, per quos officia & seruitia Reipublicæ necessaria fierent, quod est contra bonum Reipublicæ, immo, & contra ordinem diuinæ prouidentiæ, quæ ad hoc voluit, quosdam homines esse conditione sua pauperes, vt ad sustinendos labores Reipublicæ necessarios facilius applicarentur. Hæc vero ratio non habet locum in pauperibus voluntarijs, qui causa pietatis, & paupertatem profitentur, & corporalibus laboribus regulariter abstinent, vt spiritualibus operibus, & studiis sacris ad illa necessarijs vacent, & ita non aluntur aliorum eleemosynis, vt inutili otio torpeãt, sed propter illud otium sanctum, quod diligit charitas veritatis, & propter negotium iustum, quod suscipit necessitas charitatis. Et ideo ex hoc genere vitæ in tali statu per se loquendo, nullum est periculum quod sequantur ea vitia, quæ in coactis pauperibus merito timentur, quia ipsummet genus vitæ petit labores alios, & occupationes, quæ hoc periculum per se excludunt. Dico autem *per se*, quia particulares defectus, qui ex malitia vnius, vel alterius accidere possunt, in re morali non considerantur. Ita ergo euidens est in hoc viuendi modo nullam esse per se malitiam, vel inordinationem; quod autem nec prohibitio positiua sit, iam sæpe probatum est, quia ostendi non potest.

*Paupertas voluntaria tolerantior in republ. ea.*

17. *Respondet ad obiectionem supra factam.*

Sic ergo solidus est discursus supra factus, & facile expeditur obiectio contra illum; habet enim locum, quod in ea sumitur in sæcularibus, & coactis pauperibus, non vero in voluntariis, & religiosis, vt ostensum est. Vnde illa propositio, iniustum esse eum, qui laborare potest, velle viuere ex alienis bonis, si per se, & ex obiecto intelligatur, & in rigore, de iustitia commutatiua, vera non est, quando illa voluntas non se extendit ad accipienda aliena bona inuito domino, sed tantum ad vsum eorum, quæ liberaliter donata fuerint. Solum ergo potest illa propositio habere sensum verum intellecta, vel de iniustitia contra iustitiam legalem, vel per occasionem

contra

contra commutatiuam, quatenus ille modus vitæ est moralis occasio violandi illam; in hoc sensu habet locum illa propositio in sæcularibus, & coactis pauperibus, qui laborare possunt, & otiose viuere volunt, non verò in religiosis, vt ostensum est. Potestque ampliùs ita demonstrari: nam in huiusmodi statu religioso duos ordines personarum distinguere possumus; quidam enim per se, & ex officio diuinis laudibus verbo Dei, vel aliis muneribus spiritualibus, & studiis necessariis vacant, alii verò temporalibus curis, & actionibus, seu ministeriis temporalibus, quæ ad alios iuuandos necessaria sunt, incumbunt. Hi ergo posteriores satis exercent labores manuum, sub quo omnis labor corporalis comprehenditur, quia manus est instrumentum instrumentorum, vt D. Thom. notauit ex Philosopho. Non tamen possunt suis manibus victum quærere, quia omnes operas suas, & corporalem laborem in seruitio religionis ponunt, propter quæ digni sunt non tantùm corporali sustentatione, sed etiam spirituali mercede copiosa. Alii verò licet manibus non laborent, grauioribus pietatis operib. occupati sunt, & sicut Apostoli aiebant, *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, Actor. 6. ita non expedit hos religiosos relinquere spiritualia munera, vt victum suis manibus quærant. Imò nec decet eorum statum, eo quòd diuinis ministeriis consecrati sunt; & ad ea dignè exercenda, vel vt ad ea se præparent, ac disponant, totum diei tempus moraliter illis necessarium est. Vnde sicut in die festo meritò vacatur ab omni opere seruili, quia diuino cultui consecratus est, ita tales personæ, sic Deo ad talia opera consecratæ, meritò ab inferioribus laboribus vacant, & nihilominus dignæ sunt, quæ ab aliis sustententur. Vnde potest obiter notari differentia inter antiquos monachos, & præsentes; illi enim regulariter, & ex vi instituti sui, non erant sacerdotes, nec studiis vacabant, neque actionibus spiritualibus erga proximos, & ideo meritò statutis temporibus manibus laborabant, at verò in præsenti tempore, religiones fere omnes clericalem statum amplexæ sunt, & studiis vacant, & mendicantes præcipue aliqua ex parte ministeria erga proximos exercent, & ideo sine reprehensibili otio ab his corporalibus laboribus abstinent, & aliorum bonis sustentantur; si propria nec in particulari, neque in communi habent.

11. Atque ita tandem probata etiam relinquitur vltima pars assertionis, nimirum licitum esse his religiosis sustentari eleemosynis, tam petitis, quàm sponte oblatis: nam si hoc posterius licet, cur non illud prius, neque enim qui petit violentiam infert, neque accipit nisi quod voluntarie datur. Item finis illius petitionis honestus est, & in illo medio, quod est petere, nulla est inordinatio, vel malitia. Dicetur fortasse, saltem esse in eo indecentiam propter prædicandi statum, quem diximus iam esse coniunctum cum hoc statu religioso; sic enim Ecclesia non permittit, clericos ita esse pauperes, vt cogantur mendicare, ne clericalis dignitas vilescat, & contemptui habeatur. Sed licet hoc habeat locum in mendicitate coacta, non in voluntaria, & ideo Ecclesia licet sæculares homines ad ordines non admittat, nisi prius habeant vnde sustententur, religiosos tamen, & voluntarios pauperes admittit, quia in illis mendicitas, eo ipso quòd ex necessitate est, & non ex voluntate, vilis conditio existimatur, & contemptui habetur mendicitas autem voluntaria, potius habetur in veneratione, tanquam opus pietatis potius, & religionis erga Deum, quàm subuentionis solius naturæ, quod vsu ipso & communi existimatione satis constat, rem per se & moraliter considerando, non ex particularibus defectibus, qui sunt per accidens.

Denique fundamenta etiam secundi erroris, quatenus huic assertioni obstare possunt, ex dictis facilimè soluuntur. Nam Paulus in citatis locis aperte loquitur ad communem populum fidelium, & in eo reprehendit turpe otium, quod in sæcularibus, & laicis hominibus vitiosum est, vt diximus, & noxium Reipublicæ, & ideo in priori testimonio ad Thessalon. illa duo coniungit nihil operari inquietè, vel inordinatè ambulare, aut curiosè agere. Itaque reprehendit otium eorum, qui sine iusta causa nolunt laborare, & alienum panem manducant; nam hi moraliter loquendo inordinatè viuunt, & inquieti sunt; religiosus autem non potest dici hoc modo non laborare, imò potiùs dici potest in sensu congruo labore suo panem mereri, quia verè est Dei operarius, ac proinde dignus mercede, & congrua sustentatione. Vnde de seipso ait ibidem Paulus recte potuisse absque labore manuum aliorum bonis sustentari, sed noluisse propter exemplum, vt alios ad laborandum excitaret. Quod quidem facere potuit Paulus, qui propter excellentiam infusæ sapientiæ poterat Apostolicum munus, & ministerium verbi, sine studio, & alia præparatione exercere, & propter eximiam sanctitatem, & abundantiam spiritus poterat illum laborem, cum eximia contemplatione coniungere. Hæc autem & similia, communibus religiosis ordinariè possibilia non sunt; & ideo licite aliorum eleemosynis sustentantur. Quod verò alio in loco ad Thessalonicens. Paulus ait, *Et nullius aliquid desideretis*, in Græco ad literam habetur; *Et nullius necessitatem habeatis*, & ita nullo modo alludit ad præceptum non desiderandi alienum; sed potiùs videtur Paulus referre illa verba ad ea, quæ proximè præcesserant, *Vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt*; id est, ad infideles; & subdit, *Et nullius* (vtique personæ infidelis) *aliquid desideretis*, id est, re aliqua eius indigeatis. Vnde ad hoc specialiter tunc volebat fideles manibus suis laborare, ne molesti essent infidelibus, vel ne propter indigentiam cogerentur cum infidelibus conuersari, aut aliquid minus honeste cum illis agere. In tertio autem loco ad Ephes. aperte monet laborare manibus, ad vitandam furti occasionem. Vnde concludit D. Thom. nunquam Apostolum præcepisse laborem manuum propter se, sed propter vitandum periculum alicuius mali, præsertim otium, & quæ ex illo sequuntur. Quapropter vbi hæc ratio cessat, vt vere in religiosis cessat, non solùm illud præceptum non est, verùm etiam, nec est consilium per se loquendo de statu; nam in multis particularibus personis, aliquando esse potest saltem propter vitandum otium.

19. *Solutio fundamentorum 2. erroris haereticorum relati n. 4.*

Atque eodem modo intelligendus est Augustinus in citato loco. Ibi enim præcipue loquitur de Monachis, qui iuxta consuetudinem illius temporis laici erant, & apti ad laborandum manibus, vel etiam in similibus operibus educati, & ante religiosum statum exercitati in eis, vt clare colligitur ex cap. 21. 25. & 28. vbi eos maximè reprehendit, qui cùm priùs essent inferiotis conditionis, & suo labore sustentatentur, cùm in Religionem veniunt, volunt sine vllo labore victum, & vestitum, cum maiori commodo & honore, quàm antea habere; & de his maximè ait non esse admittendas eorum excusationes, occasione diuturnæ contemplationis, aut priuatæ deuotionis, quia regulariter loquendo, in huiusmodi personis, non est legitima talis excusatio, quia aut causa non est vera, sed ficta ad palliandam indigentiam, vel certe, non est pro-

20. *Religiosi laici in labore manuum exercendi debent.*

portionata vocationi, & conditioni talium personarum; & ideo in dicto cap. 21. expresse dicit aliam esse rationem eorum religiosorum, qui vel Euangelistæ sunt, vel sacramenta dispensant, aut altari ministrant, quos dicit merito ali ex facultatibus populi: imò etiam inter religiosos laicos dicit aliquam rationem esse habendam eorum, qui antea in similibus operibus non erant exercitati, sed facultates habebant, quibus sustentabantur, quas reliquerunt, & pauperibus tribuerunt, quos ait non ita esse cogendos ad laborandum sicut alios; quod satis prudenter, sicut cætera omnia, à D. Augustino animaduersum est; non quia huiusmodi personæ omnino à labore, & occupatione religiosa excusandæ sint, sed quòd cum debita moderatione, & proportione imponenda sit. Et eadem ratione non negaret Augustinus, si qui inueniantur in religione (etiamsi aliàs essent ex infimo statu) qui specialiter vocentur, & adiuuentur à Deo ad vitam contemplatiuam, posset magna ex parte leuari à laboribus corporis, quia Spiritus sanctus diuidit singulis sua dona prout vult, & religio non impedit maiorem profectum. Quæ omnia ferè attigit Nicolaus Papa in cap. *Exiit.* §. *continetur*, de verborum significatione in 6. est ergo hoc negotium prudentiæ, quod prælatorum iudicio relinquendum est.

21. *Ad antiquam consuetudinē.* Tandem ex eisdem principiis patet responsio ad antiquam consuetudinem; fatemur enim regulam, & modum viuendi eorum fuisse laborare manibus ad suam sustentationem. Ratio autem fuit, quia habebant institutum longe diuersum; erant enim, vt dixi, regulariter, & ex vi sui status laici, & ideo, vt Hieronymus loco citato notat, non tam propter corporis sustentationem, quàm propter vitandum otium, occupationem alicuius laboris corporalis ex regula habebant, quia sola contemplatio, aut psalmodia non erat sufficiens occupatio pro omnibus, saltem regulariter, & moraliter loquendo. Non negamus etiam indiguisse tunc magis illo genere vitæ ad suam sustentationem, quia & multitudo monachorum magna erat, & fideles pauciores, & fortasse minus diuites, & omnino ab ipsis monachis separati, à quibus etiam ferè nullum spirituale beneficium, vel ministerium recipiebant. Quæ omnia longè aliter inueniuntur in religiosis, qui ex eleemosynis aluntur. Aduertit autem Bellarminus suprà non omnes antiquos monachos huiusmodi fuisse; nam Sulpitius in vita D. Martini refert Monachos D. Martini non fuisse solitos laborare, & arte facta vendere, vt inde alerentur, more aliorum Monachorum, quamuis neque illi viuerent ex eleemosynis, sed ex his, quæ secum afferebant, & in vnum conferebant, vt ex illis omnes communiter alerentur iuxta primitiuæ Ecclesiæ morem Actor. 4.

22. *Assertio tertia etiã de fide, & euidens.* Dico tertiò laudabile esse religiosum institutum, in quo paupertas, cum abdicatione omnis proprietatis in particulari, & cum dominio bonorum in communi obseruatur. Assertio est omnino certa, quæ si intelligatur de sola honestate illius status, ita vt illud laudabile solùm excludat omnem malitiam, & inordinationem à tali statu per se loquendo, & ex vi eius. Est res non solùm certa de fide, sed etiam per se euidens, quia in neutra parte illius status, neque in earum coniunctione, est aliquid contra bonos mores. Probatur, nam de paupertate in particulari suprà ostensum est, non esse malam, sed ad summum ex obiecto indifferentem; vtilem verò ad spiritualem perfectionem, & ita ex fine esse ex bonis melioribus, quæ sub consilium cadunt. De dominio autem in communi etiam est manifestum, nihil includere contra bona mores, quia supponimus non esse votum paupertatis prout in tali statu sit coactum, liberum est enim vo- *minimum in communi.* uentibus ita illud emittere; nec etiam est contra iustitiam, vel aliquam aliam virtutem, vel prohibitionem diuinam, aut humanam. Dices esse contra ius gentium, quo rerum, & dominiorum diuisio introducta est. Respondeo primò, hoc ius non esse diuinum, aut naturale, sed hominum voluntate introductum, & ideo posse ab ipsis hominibus renuntiari. Respondetur secundò in huiusmodi genere vitæ ex parte seruari hoc ius, quatenus dominium talium bonorum ita est huius communitatis, vt non sit alterius hominis, vel communitatis, & ita illa bona non sunt ita communia quin habeant aliquem proprium & particularem dominum, licèt ille non sit vna persona vera, sed ficta, seu mystica. Quoad particulares verò personas, ex quibus illa communitas constat, non exercetur quidem illud ius de rerum diuisione inter ipsas quoad dominia: sed hoc non est propriè contra illud ius, sed præter vel suprà illud. Nam licet rerum diuisio iure gentium introducta sit, non tamen est ex vi illius positiue ordinatum, vt respectu omnium hominum in particulari dominia diuisa sint, ita vt omnis societas, vel communitas dominij sit prohibita, talis enim prohibitio nec necessaria erat humano generi, nec conueniens, nam impediret humanam societatem, & communitatem, quæ sæpe valde vtilis esse potest: igitur quoad particularem vsum, seu determinationem, relictum hoc est humano arbitrio; nihil ergo inordinatum est in hoc communi dominio.

*Probatur quoad dominia.* Vnde etiam manifestum est, in coniunctione paupertatis in particulari, cum dominio in communi, nihil etiam esse quod bonis moribus repugnet, quia sicut in partibus ipsis per se spectatis nihil est malum, ita neque ex eis simul coniunctis aliquid repugnat contra aliquam virtutem. Quin potiùs ex illis duobus extremis tanquam ex duobus simplicibus, recte inter se temperatis quoddam compositum, seu mistum resultat, ad vitam humanam, cum perfectione componendam valde accommodatum, vt explicabimus. Non solùm ergo hoc vitæ institutum nihil habet contra bonos mores, verùm etiam de se vtilis valde est ad perfectionem assequendam. In quo sensu etiam censeo assertionem omnino certam, si absolute, & absque odiosa comparatione sumatur. Et quidem quoad eam partem, quæ est de paupertate, & carentia proprij in particulari, satis probata est ex dictis suprà de voto simplici paupertatis, & ex omnibus quæ in discursu huius disputationis dicta sunt. Altera verò pars de dominio in communi intelligi potest de dominio rerum mobilium, vel etiam immobilium, scilicet, possessionum, & redituum, & de vtrisque est vera assertio, de prioribus verò est quodammodo certior, quamuis etiam de posterioribus si ita certa, vt sine errore negari non possit. 23. *Probatur secundò quoad coniunctionem paupertatis in particulari, & dominij in communi.*

Quantum ergo ad dominium rerum mobilium, habemus in primis exemplum Christi Domini, de quo legimus habuisse loculos, vt dicitur Ioan. 12. & 13. vbi dicitur Iudas loculos habuisse, scilicet vt minister Christi, & collegii Apostolici, qui communem pecuniam habebat ad emenda necessaria, vt in ipsomet Euangelio satis explicatum est, & Patres omnes intellexerunt, tum ibi Chrysostom. homil. 64. Euthym. Theophylactus, & alij; tum etiam aliis locis Nazianzen. Orat. 16. in fine, vbi loculos illos videtur vocare Christi crumenam, Origen. homil. 4. in Cantica, Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, & latiùs Augustinus lib. de opere Monachorum cap. 14. & D. Thom. 2. 2. quæst. 188. artic. 7. & docet manifestè Ioannes XXII. in Extrauaganti 24. *Confirmatur ex communi Christi Domini.*

ganti *Ad conditorem*, &c, *Cùm inter*, &c, *Quia quorundam*, de verborum significat. vbi hoc tanquam certum definire videtur. Secundò habemus de eadem re exemplum primitiuæ Ecclesiæ, quæ post Christi ascensum sub Apostolis fuit, præsertim Hierosolymis Act.4. quando nullus aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, & diuidebantur singulis prout vnicuique opus erat. Tertiò habemus exemplum antiquarum Religionum, vt de monasterio S. Martini suprà adductum est, & ex Basilio variis in locis, præsertim in regula 8.9. & 41. ex fusiùs disputatis, & in regula 272. ex breuioribus, in quibus inquirunt fratres, quomodo intelligendum sit verbum Christi, Matt.6. *Nolite solliciti esse de crastino. Videmus enim* (aiunt) *nos in rebus ad necessarium vsum parandis magnum studium adhibere, vt ea etiam reponamus, quæ durare possint ad longinquum tempus.* Respondet autem Basilius, admittendo & probando illam consuetudinem, & explicando verba Christi, vt intelligantur de solicitudine nimia, quæ ex amore proprio, & quadam diffidentia ergo Deum proficiscitur. Idem constat ex Augustino lib. de opere Monachor. cap. 25. vbi ait illos monachos aliquo modo excusari à labore manuum qui bona sua monasteriis contulerunt. Idem constat ex eodem in principio suæ regulæ, & refertur in cap. *non d. catù* 12. q. 1. & ex sermonibus ad clericos de communi vita, & Epist. 109. ad sanctimoniales idem constat, ibi enim suam ferè repetit regulam. In Regula etiam S. Benedicti cap. 33. pro regula statuit, vt nihil sit proprium, sed omnia communia, & cap. 58. præcipit, vt si aliqua bona nouitius habebat, vel pauperibus distribuat, vel eorum solemnem donationem monasterio faciat: supponit ergo monasterium in communi fuisse capax donationis, & dominij. Denique habemus exemplum multarum religionum, quæ hoc genus dominij admittunt, sine vllo detrimento perfectionis ex hoc capite. Quod aperte sensenrunt Pontifices, qui eas approbarunt, & definit Ioannes XXII. citato loco.

3. Ratio ab aliquibus redditur, quia in his rebus, quæ vsu consumuntur, non potest separari dominium ab vsu, quando talis vsus pleno iure, id est, proprio nomine, & independenter à iure, vel voluntate alterius habetur. Communitas autem religiosa necessariò habet huiusmodi vsum talium rerum; ergo & dominium habere potest; imò & necessariò habet, hoc enim concludit ratio si efficax est. Maior patet, quia dominium nihil aliud est, quàm ius vtendi re in omnem vsum, &c. vt suprà explicatum est. Minor quantum spectat ad vsum facti manifesta est, quia non possunt homines, sine vsu harum rerum vitam hanc transigere. Quoad ius verò vtendi declaratur ex differentia inter communitatem religiosam, & singulas personas eius. Nam licet singulæ personæ immediate habeant vsum talium rerum, possunt illum habere, vt emanantem, ac dependentem ab ipsa communitate, vel per seipsam, vel per eum cui talem administrationem commisit. At verò ipsa communitas non habet alium per se loquendo à quo pendeat in vsu & administratione talium rerum, quia vel non est pars alicuius communitatis, vt si de tota aliqua religione loquamur; vel si sit sermo de particulari monasterio, quod est pars totius religionis, non habet talia bona, & vsum eorum vt communicat cum aliis monasteriis eiusdem religionis, sed vt est quoddam totum moraliter distinctum à reliquis.

4. Respondeti autem potest etiam respectu communitatis posse vsum talium rerum separari à dominio, vel quia ipsimet religiosi non intendunt plus acceptare, sed volunt, vt dominium maneat apud suos benefactores, qui vsum concedunt, vel transeat immediate ad Christum Dominum, vel ad summum Pontificem Vicarium eius. Sic enim fratres minores profitentur se non habere dominium aliquarum rerum etiam mobilium, vel in communi, quorum institutum, etiam quoad hanc partem confirmatum est à Nicolao IV. in cap. *Exiit*, de verborum significat. in 6. & à Clement. V. in Clementina *Exiit*, eodem tit. Posset quidem aliquis negare, separationem illam dominii ab vsu perfecto & libero, qualem minores habent, esse possibilem secundùm moralem æstimationem & valorem, quidquid sit de metaphysica speculatione: hoc enim longa disputatione videtur contendere Ioannes XXII. in dictis Extrauagantibus: veruntamen nobis non est hæc sententia necessaria; admittemus enim posse aliquam religionem si velit illo modo acceptare talem vsum, & facultatem vtendi, quæ pendeat semper ab alio, tanquam à domino, ac proinde dominium non sit; nam hoc etiam in particulari persona esse possibile, suprà declarauimus. Potestque conferre ad perficiendum affectum erga paupertatem, & moderandum illum etiam circa vsum talium bonorum; ideoque tale paupertatis genus in illustrissima religione S. Francisci, non negamus, sed veneramur. Dicimus verò illum modum acceptandi vsum in communi sine dominio non esse necessarium ad totam perfectionem assequendam, ad quam paupertatis professio ordinatur.

Ratio est (& hæc est etiam principalis ratio assertionis) quia dominium in communi talium rerum nullam per se solicitudinem affert maiorem, quàm afferat acquisitio, possessio, administratio, vel dispensatio talium rerum; nam siue petantur ad dominium, siue ad vsum, eodem labore petendæ sunt, & idem est de conseruatione, & de quacunque administratione; ergo habere tale dominium per se nihil impedit perfectionem. Declaratur præterea, nam si dominus rei religioni concedit facultatem, ad quemcunque vsum, quid quæso refert ad perfectionem religionis, quòd dominium maneat apud dantem. Dices habere hunc effectum, quia si manet dominus, semper potest sine iniuria repetere quandiu res consumpta non est. Respondeo primùm hoc non esse morale, cùm vix possit ad praxim reduci: deinde nihil minuit de perfectione religionis, etiamsi res huiusmodi necessarias sibi, ita possideat in communi, vt à nemine possint sine injuria auferri, nam hoc non auget solicitudinem rerum temporalium, sed potiùs minuit, (si aliqua fieri potest comparatio) quia necessitati religiosorum securiùs, vt sic dicam, hoc modo subuenietur, & ad moderandum affectum satis est non habere priuatum dominium. Accedit etiam, quòd hoc dominium in communi nunquam excludit dependentiam ab alio in quocunque habente proximum vsum, vel administrationem talium bonorum: nam vnaquæque singularis persona semper vtitur illa re, vt non aliena, & ipsi Prælati, etiam administrant talia bona, vt non sua, sed communitatis; imò, & ipsa communitas, vel etiam tota religio, licet sit domina, pendet in administratione à Summo Pontifice, vt à supremo Prælato vniuscuiusque religionis; ad quem etiam pertinent talia bona, non quidem vt ad proprium dominum condistinctum à Religione, sed quatenus suo modo constituit cum illa vnum corpus, apud quod est tale dominium, cuius corporis peculiari modo ipse est caput, & consequenter principalis administrator omnium bonorum eius. Hic autem modus dependentiæ sufficit non solùm ad tollendam maiorem solicitudinem temporalium bonorum; sed etiam ad moderandum

27. *Assignatur præcipua ratio assertionis.*

*Instantia diluitur.*

vsum, & perficiendam debitam, & honestam curam circa eorum dispensationem. Constat igitur dominium talium bonorum in communi, nec impedire perfectionis viam, neque illam vllo modo minuere: nec contra hanc partem aliqua obiectio occurrit, quæ responsione indigeat, præter ea, quæ circa primam assertionem dicta sunt, & quæ suprà in disputatione de voto simplici paupertatis diximus, respondendo hæreticis, qui omne rerum dominium damnabant.

28. *Probatur assertio etiã quoad dominium bonorum stabilium. Nec Christus, nec Apostoli hoc dominium habuerũt.*

Venio ad aliam partem de dominio bonorum stabilium, quam non possumus ita confirmare antiquis exemplis Christi Domini, vel Apostolorum, quia de Christo Domino & Collegio Apostolico quandiu Christus in hac vita mortali vixit, certũ videtur, nec dominium, nec possessionem talium bonorum habuisse. Christus enim ex se nunquam aliquid huiusmodi habuit, vt ostendi in 2. tom. disp. 28. sectione 2. neque etiam cum Apostolis in communi, aliquid simile comparauit, vel acceptauit, vt planè colligitur ex verbis Mat. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Idem colligitur ex eo quod discipulis ad se venientibus, & perfectionem profiteri volentibus, consulebat vendere omnia, quæ habebant, & dare pauperibus; nihil ergo stabile relinquebant, quod Collegio Apostolico acquiri posset. Denique in Euangelio nullum est vestigium talis possessionis, aut dominij; nam etiam ad conficiendum vltimum pascha, ad alienam domum diuerterunt; sic enim dixit Christus Marci 14. *Dicite domino domus, quia magister dicit*, &c. Vnde verisimile non est, quod Nicephorus, & Cedrenus dixerunt, domum illam, in qua Christus cœnauit, fuisse Ioannis Euangelistæ, repugnat enim aperte prædictis verbis Marci. Vnde si dominus illius domus Christi fuit discipulus, & Joannes vocatus, non fuit Ioannes Apostolus, sed alter qui cognominatus est Marcus, de quo fit mentio Actorum 12. vt rectè notauit Baronius in primo tom. anno 34. num. 22. Neque etiam tale dominium erat conueniens illi statui, vt mox dicemus. Propter quam causam etiam non habemus de hac re exemplum ab Apostolis, post Christi ascensionem, & ideo in actibus nunquam legimus, eos qui ad fidem conuertebantur, & habebant agros, aut domos, dedisse illa Apostolis, sed vendidisse illa, & attulisse ac posuisse pretia ad pedes Apostolorum, Actorum 4. & 5. quod etiam in superioribus retigimus. Non est autem incredibile viuentibus adhuc Apostolis cœpisse particulares Ecclesias habere in communi aliqua stabilia bona, vt v. g. post diuisionem Apostolorum Ecclesiam Hierosolymitanam sub Iacobo, Ephesinam sub Ioanne, Antiochenam, vel Romanam sub Petro cœpisse habere aliqua prædia, vel possessiones, quas viri, vel fœminæ nobiles, quæ ad fidem conuertebantur, Ecclesiis tribuebant, easque vel ad communem vsum fidelium, iuxta morem illius temporis, aut saltem ad vsum pauperum, aut Clericorũ, & Ecclesiarum ministeria, quod (vt erudite notauit Baronius 1. tom. anno Christi 57.) ex verbis Imperatoris Constantini apud Eusebium lib. 10. historiæ, cap. 5. colligitur, *Quoniam ipsi Christiani* (dicitur ibi) *non solùm ea loca, in quæ conuenire solent, sed alia etiam habuisse cognoscuntur, quæ non priuatim ad singulos, sed ad ius totius ipsorum communitatis, id est, Christianorum spectabant, singulis qui ea possident, mandes velim, vt omnia per legem quam suprà posuimus, absque vlla controuersia Christianis, id est, societati ipsorum, & conuẽtui reddant.* Et infrà in rescripto ad Anelinum, has vocat possessiones ad Catholicam Christianorum Ecclesiam pertinentes, quibus priuatæ fuerant per superiores Gentiles Imperatores, præsertim per Diocletianum, & ideo eas mandat Ecclesiæ restitui.

*Probabile est habuisse bona stabilia in communi aliquas Ecclesias viuentibus adhuc Apostolis.*

Quocirca quamuis ex illis edictis non satis expresse colligatur cœpisse Ecclesias habere hoc dominium in communi à temporibus Apostolorum, trecenti enim anni iam præcesserant. Colligitur nihilominus in primis multo ante tempora Constantini cœpisse, nullumque initium illius consuetudinis, post tempora Apostolorum posse assignari; ac proinde potuisse optimè viuentibus adhuc Apostolis cœpisse Ecclesias huiusmodi stabilia bona possidere. Vnde Pius Papa I. in Epistola 2 decretali conqueritur, quòd prædia diuinis vsibus tradita, quidam humanis vsibus applicarent; fuit autem hic Pontifex vndecimus à Petro prope annum 140. Domini, & indicat consuetudinem illam fuisse adeò antiquiorem, vt refrigescente charitate iam cœpisset introduci abusus aliquis circa talia bona. Eiusdem meminit Vrbanus Primus Epistola 1. vbi originem illius consuetudinis declarat, dicens: *Videntes Sacerdotes summi, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles plus vtilitatis posse afferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant Episcopi tradederent, &c. cœperunt prædia, & agros quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere.* Et infrà: *E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent.* Ex quibus verbis incertum quidem relinquitur, an hæc consuetudo inceperit viuentibus adhuc Apostolis, quia verba illa, *Sacerdotes summi*, tam Apostolos quàm successores eorum Episcopos significare possunt; tamen cùm Ioannes Euangelista vsque ad 100. Christi Domini annum superuixerit, teste Hieronymo, Eusebio, & aliis, satis verisimile est, saltem in Ephesina Ecclesia potuisse consuetudinem illam ipso adhuc viuente inchoare. Esto verò inceperit paulo post Apostolos, id satis superque est ad rem significandam de qua agimus. Præcipuè si quis notet in verbis Vrbani illum viuendi modum in communi, non fuisse necessarium, nec generalem omnibus fidelibus, sed his tantùm, qui voluntarie illum eligebant: profitebantur autem voluntariam paupertatem in particulari cum possessione, & proprietate bonorum stabilium in communi, ex quibus alebantur. Hic ergo viuendi modus à principio etiam Ecclesiæ fuit receptus, & probatus, non solùm vt licitus, sed etiam, vt aptus ad perfectionem Christianam insequendam: & vt sufficiens ad explendum consilium paupertatis, à Christo datum. Denique ex antiquissima fundatione monasteriorum diuersarum Religionum, præsertim Monachalium, potest hæc traditio Ecclesiæ sufficienter colligi. Nam inter alia de Gregorio Papa refert Ioannes Diaconus lib. 1. vitæ eius cap. 5. & 6. ex patrimonio suo septem monasteria erexisse, & singulis prædia, & possessiones attribuisse, & ex historiis facile esset multa similia referre; & Iustinianus Imperator in legibus suprà commemoratis, & post illum omnia iura docent religiones esse capaces horum bonorum in communi: imò ad eas pertinere talia religiosorum bona, nisi ex speciali instituto illis renuntient.

29. *Ratio probatur.*

Ratio denique facilè redditur, quia supposita paupertate in particulari, in communi dominio talium rerum, neque est vlla deformitas, neque moralis impedimentum acquirendæ perfectionis; ergo cum illo dominio stat paupertas sufficiens ad perfectionem. Consequentia est euidens ex superiùs dictis, quia paupertas solùm assumitur, vt instrumentum remouens impedimenta. Antecedens autem quoad priorem partem constat, tum ex omnibus dictis de dominio rerum mobilium; nã quòd materia

dominij

dominij sint res immobiles, nullam specialem rationem iniustitiæ, vel alterius vitij specialiter continet, vt per se notum videtur. Quoad alteram vero partem optimè probatur à D. Thom. 2.2. quæst. 188. artic. 7. quia hoc dominium in communi non affert solicitudinem singulis religiosis; nam per paucos administrantur, & magna ex parte per externos, & ita reliqui omnes quietè, & sine cura, vel solicitudine rerum temporalium viuere possunt. Illi præterea, quibus hæc cura imponitur, cùm non administrent illa bona tanquam propria, neque ob priuatam vtilitatem temporalem, sed ob communem, & spiritualem, nihil inde impediuntur ad perfectionem charitatis, quia illud ipsum est opus magnæ charitatis. Vnde D. Prosper. lib. 2. de vita contemplatiua cap. 9. exemplo sancti Paulini, & sancti Hilarij confirmat, & propria debere propter perfectionem contemni, & *sine impedimento perfectionis posse Ecclesia facultates quæ sunt communes possideri.* Quod etiam refertur in Concilio Aquisgr. sub Ludouico Imperatore c. 35. & in c. *Expedit* 12. q. 1.

Solùm obiiciunt hæretici, quia hoc non est relinquere omnia, & dare pauperibus; nam si quis antea nihil habebat, & dives monasterium ingrediatur, non tam relinquit sua, quàm acquirit aliena, saltem per quandam participationem; si autem habebat diuitias, & eas monasterio tribuit in communi conseruandas, non tam eas relinquit, quàm reponit, vt certiùs & securiùs eis fruatur: si denique quæ habebat vendidit, & tribuit pauperibus, vt ex communibus bonis alicuius religionis viuat, non tam relinquit bona, quàm incerta pro certis commutat. Respondemus illum verè implere consilium paupertatis Christi; nam re vera fit pauper, cùm nullius rei dominium retinear, nec possit suo arbitrio de aliqua re disponere, neque etiam debeat ex communibus plus accipere, quàm ei opus sit, quæ est maxima paupertas. Nam quòd hæc necessaria prouenient ex reditibus communibus, vel aliis modis comparentur, parum refert ad paupertatem singulorum. Vnde ad primum membrum respondetur, quantumcunq; aliquis sit pauper, multum propter Christum relinquere, relinquendo quod habet, & quod posset habere, & libertatem habendi, & disponendi ad libitum de his, quibus vsurus est, vt Sancti Patres de Paupertate Apostolorum passim dicunt. Quòd autem in hac paupertate fiat particeps communium bonorum religionis, non est fieri diuitem, cùm non fiat dominus illorum, sed est modus quidã perfectus, & religiosus vtendi rebus temporalibus quantum oportet salua paupertate. Vnde ad secundum membrum dicitur, etiam illo modo vere relinqui omnia, cùm homo se priuet dominio, & libertate vtendi illis, & dari pauperibus, voluntariis quidem, sed tamen veris, & perfectis; quòd verò talis persona postea vsura sit communibus bonis talis religionis, nihil diminuit de veritate, aut de merito paupertatis, quia non excedit indigentiam naturæ, sed in eo seruatur quod dixit Paulus, 1. Timoth. 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Et idem dicendum est ad tertium membrum; nam illa non est commutatio diuitiarum pro diuitiis, sed status diuitiarum pro statu paupertatis; quòd autem in tali statu paupertatis prouisus sit ab Ecclesia modus sufficiens subueniendi naturæ, non est contra paupertatem, nec contra consilium perfectionis, sed pertinet potiùs ad singularem Christi, & Ecclesiæ prouidentiam, quæ varios modos instituit, quibus voluntarii Christi pauperes alantur, iuxta varios status, & viuendi ritus, vt in omnibus quodammodo experimento cognoscatur, etiam quoad hæc temporalia impleri Christi promissionem, quod qui propter ipsum aliquid reliquerit, centuplum sit accepturus.

## CAPVT IX.

### *Quænam paupertas, inter eas, quæ à religiosis communitatibus obseruatur, sit omnium præstantissima.*

EX his, quæ diximus superiori capite, præsens hæc controuersia orta est inter Theologos, scilicet, quænam paupertatum ex his, quas suprà commemorauimus, sit aptior ad perfectionem obtinendam, atque adeò simpliciter perfectior? Quidam enim existimant absolute & simpliciter præferendam esse paupertatem illam, quæ nullum mobilium etiam rerum dominium in communi admittit. Quod videtur Sanctus Franciscus suo exemplo docuisse, & ideo qui eius institutum profitentur, ita sentire videntur. Imò, & Christus Dominus exemplo suo id docuisse videtur, cùm de se dixit, *Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*, Matthæi 8. vbi Chrysost. hom. 28 aduertit, *non dixisse, habere se quidem, seu despicere, sed nihil seprorsus habere*; & Hieronymus sic interpretatur: *Quid me propter diuitias, & lucra seculi cupis sequi, cùm tanta sim paupertate, vt nec hospitiolum quidem habeam, nec meo vtar tecto.* & D. Thom. opusc. 17. cap. 15. ex Chrysostomo hæc refert verba circa prædictum Christi exemplum ac testimonium, *Aspice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat, & opere demonstrauit, non erat ei mensa, non candelabrum, non domus, nec quidquam aliud tale.* Denique cùm Christus Dominus simpliciter consuluerit paupertatem, quò hæc fuerit maior, eò per se loquendo erit magis consentanea consilio eius.

At verò D. Thom. 2.2. q. 188 art. 7. neutram paupertatem putat simpliciter esse præferendam, sed illam, quæ fuerit magis accommodata filiis religionis; nam cùm paupertas non propter se expectatur, sed præcisè vt medium ad finem perfectionis, non semper illa paupertas est melior, quæ est maior, sed quæ est mags proportionata ad finem, nam in hoc consistit perfectio eius. Distinguit ergo tres ordines, seu fines religionum. Quædam enim sunt principaliter actiuæ, circa opera corporalia, vt hospitalitatis, militiæ, &c. & in his ait melius esse habere in communi bona etiam copiosa, quia ad illum finem necessaria sunt. Aliæ verò sunt religiones, quæ ad vitam tantùm contemplatiuam ordinantur; & in his etiam ait, conueniens esse habere possessiones in communi moderatas, quia illo modo sufficienter tollitur solicitudo temporalium rerum, quatenus ad illum finem necessarium est. Aliæ denique sunt religiones, quæ non solùm ad contemplandum, sed etiam ad contemplata aliis tradendum institutæ sunt: & in his ait paupertatem, tam in particulari, quàm in communi esse præferendam; quia ille status indiget minima solicitudine temporali; hoc autem paupertatis genus minimam solicitudinem relinquit, omnino enim illam auferre huius vitæ status non permittit. Si quis autem rectè consideret, ex hac doctrina D. Thom. colligitur absolutè, & simpliciter loquendo, hoc vltimum papertatis genus esse perfectius cæteris, quia ille tertius ordo religionum, & finis eius est cæteris perfectior; ergo paupertas illi proportionata est etiam perfectior cæteris.

*Tres fines religionũ.*

Nihilominus non defuerunt viri docti, & sectatores D. Thom. qui absolutè loquendo censeant esse melius secundum genus paupertatis, etiam his religionib. quæ ad contemplandum, & ad contẽplata aliis cõmunicanda ordinantur. A qua sententia non

*Tertia opinio.*

multum discrepat Caiet anus circa dictum art.7. D. Thom. nam licet dicat simpliciter melius esse his religionibus non habere possessiones, in communi, sed viuere ex eleemosynis; tamen ad hoc requirit, & magnam moderationem, in religiosorum numero, & magnam perfectionem in vita eorum; vnde secundùm præsentem statum conuenientius esse habere possessiones in communi. Id verò expressiùs docuit Ferrariensis 3. cõt. gentes c.133. in fine dicens, *Qui hac tempestate frigescente in hominibus charitate, & religionibus, quæ paupertatem voluntariam sectantur, multiplicatis, non possunt religiosi ab aliis sustentationem vitæ acquirere, nisi cum magna solicitudine, & mentis distractione, quæ à spirituali contemplatione eos retrahi necesse est: idcirco conuenientius fortassis est, vt habeant in communi, vnde vitæ necessaria habere possint, quàm vt mendicitati dent operam.* Vbi non ex parte vniuscuiusque religionis, sed ex parte secularium, & ex multitudine religionum rationem huius maioris congruentiæ assumit. Eandem sententiam latiùs amplectitur Soto lib. 3. de Iustitia quæst. 5. art. 3. conclusione 3. vbi coniungit vtrasque causas ab aliis authoribus tactas.

*Fauet Cõc. Trid.* Idem Viguerius in summa, cap. 17. §. 1. vers. 19. Huic sententiæ videtur fauere Concilium Trident. sess. 25. cap 3. de regularibus, vbi omnibus monasteriis, & domibus religionum, etiam mendicantium, concedit vt possint habere immobilia bona, etiamsi ex instituto, & quocunque alio modo illis esset prohibitum, exceptis solis fratribus minoribus de Obseruantia & Capuccinis. Per quod decretum significauit, hunc modum viuendi ex possessionibus communibus regulariter esse magis conuenientem, excepit autem minores, tum propter singularem illius religionis professionem, tum etiam, quia non expediebat, hoc institutum omnino auferre à statu religionis; tum denique quia si hic modus paupertatis in paucioribus religionibus obseruetur, faciliùs poterit, cum augmento perfectionis, in vna vel altera religione obseruari.

*4. Assertio. Paupertas bonorum stabilium tam in particulari quam in communi est perfectior in religiosis Apostolicis.* In hac re dicendum censeo in his religiosis, qui statum Apostolicum profitentur, non solùm propriam vnionem cum Deo per contemplationem, sed etiam proximorum spiritualem fructum quærendo, perfectiorem esse paupertatem, tam in particulari, quàm in communi, quoad stabiles reditus, vel possessiones, ex quibus illi percipiantur per se loquendo, & ex vi status. ita loquitur D. Thom. & in Opusc. 17. & sequentibus id latè defendit; & S. Bonauent. tom. 1. Opusculorum, opusc. 17. de Christi paupertate, §. *Quæritur de mendicatione.* Quod nobis satis confirmat exemplum Christi, & Collegij Apostolici, de quo suprà dictum est. Cui accedit exemplum S. Francisci, & D. Dominici, qui videntur fuisse primi institutores huiusmodi religionum mendicantium, quæ ad spiritualia ministeria proximorum aliquo modo ordinantur; nam licet aliquæ Religiones, quæ nunc obseruant hoc genus instituti, existimentur antiquiores, tamen quoad hunc viuendi modum fortasse sunt posteriores, vt postea videbimus. Quantum autem D. Franciscus hanc paupertatem amauerit, satis per se notum est. De diuo autem Dominico refert Bonauentura suprà in morte sua imprecatum esse omnibus maledictionem, qui in ordinem suum possessiones conarentur inducere; quanquam non videatur specialem regulam de hoc constituisse, sicut B. Franciscus, & ideo à toto ordine postea statutum fuit Parisiis in capitulo generali celebrato anno 1228. & habetur in eorum cõstitutionibus distinct. 2. cap. 20. lectione 3. Denique (vt alia omittamus) Societas Iesu professa, sicut in prædicto fine & modo religionis Apostolos imitatur, ita modum illum paupertatis approbante sede Apostolica profitetur, & non solùm per solemne votum illam promittit, sed etiam nouo voto, quasi reflexo promittit nunquam consentire quantum in se est, vt talis paupertas immutetur, & minuatur; quam institutionẽ specialiter postea declarabimus, & confirmabimus. Nunc sufficit nobis ratio D. Th. quia hic modus viuendi de se liberior est à cura, & solicitudine temporalium rerum. Sed quia in hoc potest esse nonnullum humanum arbitrium, quid scilicet maiorem solicitudinem requirat, administratio propriarum possessionum communitatis, vel mendicatio eleemosynarum pro tota communitate. *Probatur.* Addo in hoc dubio, & in æquilibrio, vel etiam si de æqualitate vtrinque constaret præferẽdam esse paupertatem in communi, tum propter Christi exemplum, tum quia ex se habet adiunctum, exercitium plurium virtutum, humilitatis, patientiæ, confidentiæ in Deo, &c. Tum denique, quia de se est aptior ad communicationem proximorum, & ideo quamuis ex parte solicitudinis esset æqualitas (quod etiam nõ admittimus) in tali statu præferenda est. Vnde obiter aduerto, cùm D. Thomas ait paupertatem deseruire perfectioni, quatenus aufert solicitudinem bonorum temporalium, non excludere omnem aliam vtilitatem, sed assignare primariam causam, propter quam non solùm vtilis, sed etiam necessaria est paupertas; præter eam verò posse habere alias vtilitates, vt explicatum est.

*5. Assertio secunda.* Quamquam autem hoc ita sit, negari non potest, quin loquendo in particulari de hac, vel illa religione possit ratione circumstantiarum esse illi magis expediens habere possessiones moderatas in cõmuni. Et hoc maximè intendunt authores citati, & hoc ad summum probant eorum coniecturæ. Quibus nos addimus primùm, non omnes illas circumstantias, vel incommoda, quæ illi authores proponunt, inueniri in omni religione, quæ hanc paupertatem profitetur, & si in aliqua inueniuntur, non in omnibus monasteriis, neque in pluribus. Deinde si alicubi inueniantur, vel paulatim introducantur, non propterea statim immutandam esse paupertatem, sed alia remedia esse adhibenda, & totis viribus conandum, vt talis paupertas conseruetur, quia reuera esse potest occasio multarum virtutum, & valde proportionatæ tali statui. Vbi autem ob diuturnam experientiam aliud expedire iudicatum fuerit, & ideo legitima authoritate fuerit introductum, vel immutatum, reprehendi non poterit, sed laudari; nec timendum est, quod ob eam rem substantialis perfectio minuatur.

*6. Dubitatur circa proprietatem, & dominium bonorum mobilium.* Hîc verò vlteriùs inquiri potest, an in huiusmodi religionibus, quæ hanc paupertatem profitentur, perfectius sit, non solùm immobilia bona non possidere, verùm etiam, neque ex rebus vsu consumptibilibus in futurum tempus prouideri, eas scilicet cõgregando pro temporibus opportunis. Omissis enim hæreticis, qui hoc putarunt per se esse illicitum, contra quos satis in superioribus dictum est, non desunt religiosi qui putent pertinere ad maiorem perfectionem, nihil prouidere in futurum, sed in diem viuere, petendo quotidie eleemosynas pro singulis diebus necessarias. *Resolutio.* Sed quamuis hoc fortasse possit alicubi cum fructu, vel sine reprehensione seruari, loquendo tamen moraliter, ac regulariter, prout de rebus humanis iudicandum est, ille modus viuendi, necest expediens, neque consulendus, & ideo D. Th. suprà prudenter dixit; *Minimam solicitudinem ingerit seruare res vsui hominum necessarias, tempore congruo procuratas.* & infrà inquit, *Et hoc Dominus paupertatis institutor docuit suo exemplo; habebat enim loculos Iudæ commissos, in quibus recondebantur ei oblata,* Ioan. 12. vbi Augustinus tract. 50. *Exemplum Domini accipe conuersantis in ter-*

*Item Societas Iesu professa.*

in terra, & tractat 62. *Habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat, tum primùm Ecclesiastica pecuniæ forma est instituta.* quæ cum aliis multis referuntur 12.q.1. & ex lib. Augustini de opere monach. Multa ad hoc confirmandum assumi possunt, & ex consuetudine omnium religionum, & specialiter de Religione minorum, declaratum est à Summis Pontificibus in ca. *Exiit*, & aliis decretis suprà citatis. Denique considerata hominum conditione, & indigentia, & temporum, & actionum varietate est aut moraliter impossibile communitatem religiosam sustentare, omnibusque illius necessitatibus subuenire, vel certe est adeò difficile, vt sine magna distractione, inquietudine, ac periculo religiosorum fieri non possit.

7. Tandem inquiri potest, an per se spectet ad maiorem perfectionem habere hæc ipsa bona mobilia, absque dominio communitatis, etiam pro illo tempore, quo possidentur, & conseruantur; nam fratres Minores hoc punctum paupertatis, tanquam sibi proprium, & ad sui status perfectionem maxime pertinens, defendunt; quibus in hac parte fauet Nicolaus IV. & Clemens V. in locis suprà citatis; Ioannes autem XXII. in citatis etiam Extrauagantibus de verborum significat. videtur hoc genus paupertatis pro nihilo ducere, vel potius, tanquam moraliter impossibile refutare. Veruntamen hæc controuersia & in 2.tom.3.p. & in superioribus sufficienter tacta est. Non censemus enim ad moralem vsum, & ad profectum perfectionis esse magni momenti. Quamuis enim non negemus professionem illius paupertatis esse possibilem, & amorem eius sanctum esse, & posse habere optimos spirituales effectus, & ex hac parte posse ad maiorem perfectionem iuuare, sicut conferre possunt omnes boni affectus, & actus virtutum; nihilominus non existimamus hanc carentiam dominij quoad hoc punctum per se pertinere ad eam paupertatem, quæ est instrumentum perfectionis acquirendæ. Aliud est enim esse obiectum, vel effectum bonum, & honestum, & accommodatum statui perfectionis, quia cum illa esse potest, & per se non excludit aliquid melius. Quod totum admittimus in illo gradu, seu puncto paupertatis. Aliud verò est esse medium per se ordinatum & moraliter necessarium ad perfectionem acquirendam in quocunque gradu perfectionis, & iuxta perfectissimum finem religiosi status; & sic negamus illum gradum paupertatis pertinere ad maiorem perfectionem. Cuius ratio est, quia habere, vel non habere dominium illo modo, nec refert aliquid ad augendam, vel minuendam solicitudinem rerum temporalium, neque etiam confert ad actus aliarum virtutum exercendos, vt humilitatis, patientiæ, & similes ad perfectionem valde vtiles. Declaratur hoc primò ex differentia, inter mobilia bona, & immobilia; nam immobilia sicut non habentur sub dominio, ita nec possidentur, nec administrantur à tali religione, quia possessa, & administrata, non minorem solicitudinem afferrent, quàm si essent propria; necetiam minus impedirent incertam mendicitatem, seu indigentiam eleemosynarum, & ideo paupertas in communi, quoad bona immobilia est medium per se conferens ad perfectionem, minuendo solicitudinem temporalem, & præbendo occasionem mendicitatis, & earum virtutum, quæ cum illa coniuncta sunt. At verò mobilia bona necessaria ad victum & vestitum humanum quantumcunque dicantur non haberi sub dominio communitatis, nihilominus excludi non potest, quin conuenienti modo, & opportuno tempore congregentur, & consequenter possideantur, custodiantur, administrentur, & suis temporibus dispensentur, expendantur, & consumantur à communitate, vel nomine communitatis. Quæ omnia nec maiori solicitudine fiunt propter illam carentiam dominij, vt per se constat, quia tam fideliter administranda sunt illa bona, quàm si essent propria; neque etiam illa bona cum dominio possessa magis excludunt incertam mendicitatem; nam per eandem obtinentur, siue cum dominio, siue absque illo acquirantur.

Ex quibus duo in hac materia obseruanda elicio: 8. *Duplex genus bonorum immobilium.*

vnum pertinet ad bona immobilia, quorum carentiam in communi diximus per se pertinere ad maiorem perfectionem; intelligendum enim hoc est de illis bonis, quę ad hunc finem habentur, vt ex eorum fructibus, seu reditibus religiosi alantur; nam hæc bona sunt, quæ solicitudinem euitabilem (vt sic dicam) afferunt; & incertam mendicitatem excludunt. Sunt verò alia bona immobilia, quæ solùm ad necessarium vsum possidentur, vt est domus ad habitandum, & Ecclesia ad Deo, & proximis ministrandum; & si quid aliud est simile; & hæc necessariò possidenda sunt, conseruanda, & debite administranda. Quòd si hæc aliquam solicitudinem afferunt, illa excusabilis humano modo non est, suppono enim talia bona cum debita moderatione possideri & administrari, & ideo carentia eorum quoad professionem & administrationem respectu communitatis non pertinet ad perfectionem. Et consequenter, quòd communitas habeat dominium talium bonorum, vel quòd dicatur esse apud Pontificem, per se non est medium necessarium ad maiorem perfectionem, quia tale dominium per se, neque auget, nec minuit solicitudinem, nec impedit mendicitatem, aut aliud exercitium externum virtutis, quod possit ad perfectionem iuuare.

Aliud illatum pertinet ad quæstum, seu congregationem pecuniarum vel aliorum bonorum mobilium; nam licet verum sit, hoc per se non impedire statum perfectionis humanæ, quia est moraliter necessarium ad vitam humanam sustentandam, nihilominus necesse est vt in hoc moderatio paupertati accommodata diligenter obseruetur: quod maxime commendant Pontifices in dicto cap. *Exiit*, & Clement. *Exiuit*, quia si in hoc genere quæstus permittantur excessus, & maiorem multo solicitudinem afferre potest, quàm possessionum diuitiæ, & moraliter etiam potest excludere indigentiam, & incertam mendicitatem, saltem pro multo tempore. Et ideo cùm dicimus possessionem horum bonorum mobilium, & eorum acquisitionem, & conseruationem, non repugnare perfectioni paupertatis, intelligendum est, de possessione, & supellectili accommodata statui paupertatis iuxta vniuscuiusque religionis regulam, & institutionem, & similiter de prudenti prouidentia in præueniendis, seu congregandis huiusmodi rebus, temporibus opportunis, & conseruandis solùm pro eo tempore, quod iuxta rerum conditionem, & circumstantias locorum, ac temporum, moraliter fuerit existimatum necessarium, aut valde conueniens. In quo præter regulam vniuscuiusque instituti, (quæ seruanda est, si aliquid in hoc disposuerit) nullam aliam præbere possumus, præter prudentiam, & bonam intentionem prælatorum, & aliarum personarum, ad quarum solicitudinem monasterii sustentatio pertinuerit. 9.

## Caput X.

### *Quæ obligatio ex voto solemni paupertatis oriatur, & quibus modis contra illam grauiter peccetur.*

PRincipio habenda præ oculis sunt, quæ de voto simplici paupertatis superiùs sunt dicta: nam 1.

cum hæc vota quoad substantiam sint eiusdem rationis, formaliter (vt sic dicam) eandem obligationem inducunt; materialiter autem potest esse diuersa, prout illa obligatio, ad maiorem, vel minorem materiam potest applicari; hoc ergo nobis hîc supereſt declarandum, quid videlicet in hoc peculiare habeat votum paupertatis factum in solemni professione religionis. Agimus autem de hoc voto prout nunc est in vsu Ecclesiæ in communi vita religiosa, generatim illud considerando, & abstrahendo nunc ab illa speciali paupertate, quæ proprietatem etiam in communi excludit, de cuius obligatione aliquid dicemus ad finem huius libri, & abstrahendo etiam à specialibus obseruantiis, si quæ fortasse circa hoc sunt in particularibus religionibus, de quibus quantum ad nostrum institutum spectat, in discursu operis dicemus.

2. *Assertio, ad quid hoc votum obliget.*

Primò ergo obligat hoc votum ad non habendum dominium, seu proprietatem alicuius rei; hoc est certissimum apud omnes, qui de hac materia scribunt, & sumitur ex cap. 2. & cap. *cùm ad monasterium*, de statu monach. cum similibus, & manifestè ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 2. de Regularibus. Ex quibus locis, & ex modo loquendi, & ex pœna religiosis proprietariis imposita, manifestè constat, hanc obligationem ex suo genere, esse sub culpa mortali. Quod etiam suadet illud antiquum, & vulgare exemplum de religioso, qui post mortem proprietarius inuentus, & cognitus est, & ideo in loco profano cum sua pecunia sepultus est, vt extat apud Hieronymum Epistola 22. ad Eustochium, de custodia Virginitatis, & ex Gregorio etiam illud retulimus; quò etiam spectat quod S. Bonauentura refert de S. Francisco, quòd scilicet specialiter maledixerit eis, qui in sua religione proprietarii fuerint, & quid simile de S. Dominico suprà retulimus ex eodem Bonauentura. Ratio est clara, quia tale peccatum est contra votum; ergo est sacrilegium; ergo est peccatum ex genere suo mortale. Dicet verò aliquis, cùm dictum sit, per votum paupertatis fieri personam incapacem dominii, quî fieri potest, vt religiosus peccet acceptando dominium? Respondeo; esto non possit religiosus dominium cum effectu consequi, potest nihilominus affectu velle, aut dominium ipsum obtinere ex ignorantia, vel inconsideratione incapacitatis suæ, vel certe, quia licet non possit esse dominus, vult habere rem tanquam dominus.

3. *Dupliciter potest committi peccatum in hac materia.*

Vnde colligitur dupliciter posse committi hoc peccatum. Primò per directam voluntatem habendi, vel acquirendi dominium; secundò per modum accipiendi rem moraliter æquiualentem dominio, seu acquisitioni eius; quantum est ex parte accipientis, & in hoc modo explicando præcipuè consistit substantia huius materiæ; nam prior breuiter expediri potest. Ille enim peccandi modus per se satis clarus est, nec ferè indiget alia expositione; est tamen rarò contingens, præsertim in peccatis prodeuntibus in externam actionem, qualis est accipere, vel retinere aliquid, quia ignorantia, vel inconsideratio proprii status rarò contingit; existente autem cognitione propriæ incapacitatis, nemo conatur ad impossibile. Nullus ergo religiosus, moraliter loquendo, accipit aliquid cum absoluta voluntate & directa acquirendi dominium eius. Dixi autem, *præsertim in peccatis prodeuntibus in externam actionem*, quia si loquamur de peccatis purè internis, per inutilia desideria habendi diuitias, & dominium earum, vel per morosas delectationes in huiusmodi obiectis cogitatis, facile potest peccari desiderando directe proprium dominium; quia desiderium etiam ad rem impossibilem extenditur. Oportet autem aduertere hoc desiderium posse in obiecto includere compositionem cum voto, vt si sit desiderium habendi diuitias, non obstante voto, cum voluntate formali, aut virtuali obtinendi dominium earum, si esset possibile etiam rumpendo votum, & tunc clara est inordinatio grauis talis desiderii, quia est sacrilega, & contraria voto, atque ita ex suo genere peccatum mortale. Si autem tale desiderium non includat dictam compositionem, sed potiùs votum ipsum excludat; tunc per se loquendo non est actus contra votum, licet ex alio capite sit peccaminosus, saltem, quia inutilis; vt si quis ita desideret, cuperem habere diuitias, nisi votum impediret, vel nollem feciſſe votum, vt possem esse diues: nam in priori actu omnino excluditur affectus voto contrarius, imò per illa verba non tam videtur explicari aliquis affectus, qui in præsenti habeatur, quàm ille, qui haberetur, si votum factum non fuisset: constat autem tunc illum affectum non fuisse futurum voto contrarium. Vnde si aliquis simplex affectus in præsenti habetur, talis est quoad bonitatem, vel malitiam, qualis esset sine voto, quia per conditionem appositam illud excludit, & materia talis est, vt separari possit à voto. Sicut qui habet hunc interiorem consensum conditionatum, si hodie non esset prohibitio præcepti, comederem carnes, non agit contra præceptum; in altero autem actu solùm includitur vltra hunc affectum displicentia quædam de voto facto, quæ per se etiam non est peccatum mortale, ex omnium sententia: quia qui vouit aliquid, non promisit perseuerare in tali complacentia voti facti, vt nunquam illi displiceat, sed solùm promisit perseuerare in proposito implendi votum. Dico autem, *per se loquendo*: nam si quis per huiusmodi actus se exponat periculo retrocedendi, & tandem committendi aliquid contra votum, ex eo capite poterunt tales actus esse contrarii voto; & ideo omnino vitandi sunt, tum quia inutiles, tum etiam, quia pernicioſi. Vnde etiam fit, malam esse in religioso delectationem morosam de dominio, vel libero vsu diuitiarum; de qua magis dubitari potest, an sit voto contraria, cùm sit de obiecto prohibito per votum; nam omnis delectatio morosa de obiecto peccaminoso talem malitiam inducit, qualem habet obiectum, & actus prohibitus circa illud. Nihilominus probabilius censeo illum actum non esse contrarium voto, quando excludit propositum agendi contra votum; & ideo neque esse peccatum mortale per se, & ex vi obiecti. Illud enim principium, quòd delectatio morosa de obiecto prauo participat malitiam eiusdem speciei, ad summum locum habet quando illa malitia obiectiua est intrinseca materia, de qua delectatio sumitur, non verò quando materia solùm est mala, quia prohibita; nam tunc malitia est separabilis per cogitationem, in ordine ad delectationem internam, quamuis non sit separabilis ab executione, durante prohibitione. Sic enim delectatio morosa in die prohibito, de esu carnium, non est per se peccatum mortale, si alioqui voluntas sit firma in proposito seruandi præceptum; ita ergo est in præsenti, in hoc enim æquiparatur materia voti paupertatis, quòd per se & intrinsece, non est mala, sed solùm, quia eius carentia promissa fuit; de qua re alibi latiùs, interim videatur Sanchez, lib. 1. Decal. c. 2. n. 10. Vasquez 1. 2. disp. 3. c. 3. &c.

*Delectatio morosa quando sit peccaminosa.*

4.

Circa posteriorem igitur peccandi modum in primis obseruari oportet, triplex esse actionum, vel quasi actionum genus, in quibus potest aliquis se gerere, tanquam dominus temporalium bonorũ, scilicet, in acquisitione eorum; nam hoc est primum quod ad dominium requiritur. Deinde in retentione, seu

ne, seu conseruatione; ac denique in dispensatione, seu consumptione talium bonorum; quia ergo religiosi, non obstante voto, & accipiunt hæc bona saltem, quoad possessionem, seu rentionem facti, & retinent illa, & illis etiam vtuntur vsque ad consumptionem, in singulis explicare necesse est, quando ita fiant vt in eis censeatur moraliter dominium vsurpari, & contra votum fieri; & consequentet, quæ conditiones concurrere debeant, vt licite, & iuxta voti exigentiam fiant. Possunt autem hæ actiones tam circa bona mobilia, quàm immobilia exerceri; ordinariè autem prout à Religiosis fiunt circa mobilia versantur, & ideo de illis præcipue dicemus, quia frequentia dubia moralia circa illa maxime occurrunt: in fine autem adiungemus aliquid de bonis immobilibus, quatenus à priuato religioso possunt aliquando possideri. Ad certo autem hìc non esse sermonem de religiosis factis Episcopis, nec de religiosis electis, sed solùm de his, qui in vnione, & obedientia suæ religionis permanent, nam de cæteris postea dicemus.

## Caput XI.

### *Quænam acceptio, seu acquisitio alicuius rei sit in religioso vitium proprietatis, seu contraria voto paupertatis.*

1. Primò dubitari potest, quando acceptio alicuius rei sit actus dominij, & proprietatis, & consequenter sit voto contraria. Regula generalis, quæ in hoc assignari solet, est, quando religiosus priuatus accipit aliquid sine licentia sui prælati, & ideo censetur tunc peccatum mortale ex genere suo, nisi ex leuitate materiæ fiat veniale. ita sentit Nau. c. *non dicatis*, seu comment. 2. de Regularibus sæpe, & sumitur ex communi Doctorum sententia in c. *Cum ad Monasterium*. de statu Monach. & insinuatur in textu, nam prius prohibetur monachus habere proprium, & inde statim concluditur, *Vnde si alicui fuerit aliquid specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel cellario assignetur*; ac si diceret, accipere aliquid sine facultate superioris esse actum proprietatis, & ita etiam Greg. Lop. in leg. 14. (quæ ex illo textu ad literam sumpta est) tit. 7. p. 1. & ideo omnes etiam antiqui Patres Monachorum, Basilius, Augustinus, Benedictus, & cæteri suprà citati, cum asiunt proprietatem non esse licitam monacho, statim declarant non licere illi aliquid accipere, sine licentia prælati, vt patet in c. *Nondicatis*, 12. q. 1. Sic etiam in cap. *Ioannes frater*, de regularibus, mandatur, ne aliquis religiosus *peculiare quidquam habeat*, illud autem peculiare dicitur, quod sine licentia Prælati recipitur.

1. Denique Conc. Triden. sess. 25. c. 2 de regularibus solum ex permissione superioris permittit regulari vsus mobilium bonorum, & statim subdit: *Quod si quis aliquid, quod tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, in biennio, actiua, & passiua voce priuatus sit*, &c. scilicet tanquam proprietarius; eadem autem est ratio, de acceptione rei, & de quocunque vsu, & ideo in principio eiusdem capitis dixit idem Concilium, non posse religiosum habere aliqua bona tanquam propria, *sed statim* (inquit) *ea superiori tradantur*; moraliter autem tradi censentur, quando ab eo petitur facultas, & nomine, seu authoritate ipsius, accipiuntur & retinentur, vel alij traduntur. Et hinc sumitur ratio prædictæ regulæ; nam contrectare bona temporalia proprio nomine & authoritate, ad possidenda, & retinenda illa, de se est actus dominij, sed qui rem accipit inscio Prælato, exercet huiusmodi actionem: ergo committit contra votum exercendo actum dominij, & proprietatis: & confirmatur, nam qui vouet paupertatem, sicut vouet non habere, ita, & non accipere aliquo modo, quia accipere ad habendum ordinatur; ergo maxime vouit non accipere tali modo; scilicet absque licentia superioris.

Circa hæc verò regulam nonnulla declaranda supersunt. Primum est, qualis licentia necessaria sit, expressa ne, an verò sufficiat interpretatiua. In quo in primis certum est, vt res optimè, & sincere fiat, licentiam expressam esse necessariam, vbi commodè potest postulari, quia huiusmodi licentiam postulat, & religiosa regula, & conueniens, ac ordinatus procedendi modus. Secundò est certum, quando non est commoditas petendi dane licentiam, sufficere præsumptam, seu interpretatiuam, & quando superior distat, vel est occupatus, & vrget necessitas, vel moralis commoditas accipiendi; tunc enim si quis probabiliter credat superiorem datum fuisse licentiam, si conueniri posset, sine peccato proprietatis accipi potest. Vtramen melius fiat, oportet vt acceptio sit cum habitudine ad ordinatam rerentionem, & dispensationem, & consequenter, vt fiat cum intentione manifestandi rem superiori cùm primùm opportunitas occurrerit, vt ipse expresse ratam habeat acceptionem, vel irriteri si voluerit, nam hoc etiam exigit religiosa regula, & debitus ordo. item, quia sicut nihil potest recipi, sine licentia, ita nec retineri, vt infrà dicemus; ergo eo saltem modo quo est necessaria expressa licentia ad recipiendum, si potest commode haberi. ita etiam, ad retinendum; ergo quando illa expressa licentia non præcessit, propter impedimentum, illo ablato, relinquitur eadem obligatio petendi expressam licentiam, saltem propter rerentionem. Vnde obiter colligo, hoc solùm habere locum, quando res accepta consumpta non est prius quam expressa licentia potuerit à superiore postulari; tunc enim procedit ratio facta. At verò si res iam sit consumpta, cessit necessitas, quæ per se pertineat etiam ad perfectionem paupertatis, quia ad rem, omnino præteritam, & quæ iam in futurum non pendet, impertinens est licentia vel consensus superioris: nam licet illum non præbeat, res non potest esse infecta. De eo autem, *per se, & ratione paupertatis*; nam in ordine ad alios fines posset id aliquando expedire, aut melius esse, vel vt superior diiudicet, an aliquid culpæ, vel imperfectionis fuerit commissum; vel ad melius cognoscendam in futurum voluntatem superioris pro similibus occasionibus, vel vt quando oportuerit possit esse gratus benefactori, &c.

3. *Dubitatio prima quæ licentia requiratur.*

Tertiò dicendum est in rigore præcepti sufficere tacitam vel probabiliter præsumptam superioris voluntatem, etiam in eo casu, in quo posset expressa licentia postulari, & ob aliquem humanum respectum, vel pudorem, aut nonnullam difficultatem eam si ex adeundi superiorem omittitur. Hæc est sententia communis, quam tenuit Nauar. comm. 2. de Regularibus num. 29. vbi ipse tacitam licentiam vocat, & Turrecremata in eodem capite, *Non dicatis*, art. 8. vbi probabiliter præsumptam appellat cum Thoma 2. 2. quæst. 32. art. 8 ad 1. vbi specialiter loquitur de licentia necessaria religioso, ad eleemosynam faciendam. Inde verò sumitur à fortiori argumentum, quia facilius esse videtur accipere, & monasterio aliquid acquirere, quàm de bonis illius quidquam dispensare, & ideo verisimiliùs præsumitur licentia ad accipiendū, quàm ad largiendum etiam per eleemosynam. Eandem sententiam generatim amplectuntur D. Anton. 3. p. tit. 6. c. 1. §. 11. notab. 2. Angel. verbo *Eleemosyna* n. 6. Cordub. in summ. q. 109. Lopez 1 p. instr. c. 156. concl. 3. sequuntur ex nostris Tol. in summa tract. de peccatis mort. c. 28 Mol. tom. 2. de inst. d. 276. Val. 22. disp. 10. q. 4. punct. 3. Less. l. 2. c. 41. dub. 9. n. 80. Azor. t. 1. inst. mor. lib. 12. c. 12. q. 2. 3. & 4.

4. *Assertio tertia, si fuerit licentia tacita, vel præsumpta posset postulari.*

Maiori

Maiori ergo ratione reputanda erit sufficiens ad recipiendum. Ratio autem, ob quam in vtroque casu sufficiat, redditur à Nauarro, quia tacitum, & expressum regulariter æquiparantur, iuxta glossam in regula *Expressa* 156. ff. de regulis iuris. quæ tamen non dicit regulariter hoc ita esse, sed quandoque æquipollere, exprimere, & non exprimere, & si attentè considerentur iura, quæ allegat, solum loquuntur quando non expressum, in aliquo expresso virtute continetur: vt, v.g. cum mutuum datur, quamuis non exprimatur rem esse reddendam æque bonam, intelligitur æquè, ac si esset expressum, iuxta legem *Cum quid*, ff. si certum petatur; quia in ipso mutuo iuxta naturalem æquitatem illa conditio includebatur, neque amplius probat glossa in eadem leg. *Cum quid*, quam etiam refert Nauarrus, cum tamen reuera non ponat illam regulam ranquam generalem, etiam regulariter, neque citat iura, ex quibus sumi possit, imò contrariam regulam ponit, sub verbis indefinitis; scilicet quandoque tacitum non haberi pro expresso, iuxta dictam regulam *expressa*, maxime in contractibus qui fiunt per verbum, iuxta legem *quidquid*. ff. de verborum obligat. vnde significat solum in contractibus inter duos, vbi res aliqua interuenit, tacitum pro expresso haberi, scilicet quando in tali re virtute includitur suppositia iustitiæ æquitate; hîc autem non versamur in materia iustitiæ, sed gratiæ, & liberalitatis; nam quòd Superior talem licentiam præbeat, mera gratia est, quæ in ipsis bonis accipiendis nullo titulo continetur.

5. *Proponuntur argumenta, & rationes in contrarium.*

Quocirca, quamuis hæc sententia tanquam plausibilis libenter audiatur, facileque recepta sit, non tamen est facile solidam illius rationem reddere; nam in materia iustitiæ non licet dare in eleemosynam aliena bona sine expresso consensu domini, propter solam præsumptionem probabilem; ergo neque in materia religionis licebit; patet consequētia, quia non minus est necessarius consensus superioris in præsenti materia, quam consensus domini in materia iustitiæ. Secundò, quia in iure nunquam aliquid non expressum quidquam operatur, nisi inquantum virtute continetur in aliquo expresso; sed in præsenti nihil interuenit, in quo hic tacitus consensus superioris virtute contineatur, ergo. Maior patet ex legibus citatis, & ex ca. 2. de rescriptis, quod solet pro communi sententia citari, quia dicit in rescriptis subintelligi hanc conditionem, *Si preces veritate nitantur, etiamsi non exprimatur*, vbi glossa plura similia iura allegat, quæ omnia loquuntur de conditionibus tacitis, quæ secundum rectam rationem in ipso rescripto, aut pacto, vel quocunque alio expresso signo implicitè continentur, licet non exprimantur. Atque in hoc sensu videtur dixisse Baldus in cap. *mandatum*, de rescriptis, col. 1. tacitam voluntatem cohærentem expresse, haberi pro expressa, sed in corde retentam nihil operari. Quod refert, & sequitur Tiraquellus in leg. *si vnquam*. Cod. de reuocandis donationibus, verb. libertis n. 21. In præsenti autem nihil inuenire possumus expressum à superiore, in quo hic tacitus consensus sufficienti ratione contineatur. Quin potiùs (quod difficultatem habet) si consulantur regulæ omnium religionum, & attendantur verba, quæ regulariter solent Prælati generaliter proferre, potiùs coniectabimus, conditionem requisitam esse consensum expressum superioris, & tacitum non sufficere. Tandem augetur difficultas, quia vel hic tacitus consensus est solum de futuro, vel est aliquis actus, qui esse vel fuisse in superiore ponitur. Primum non satis est; secundum cũ fundamento dici non potest: ergo. Minor quoad priorem partem probatur, quia futura voluntas non potest dare in præsenti facultatem, quod est manifestum in licentia, v.g. confitendi alieno Sacerdoti, quia ad illam non sufficit præsumpta voluntas de futuro, vt alibi diximus, quia non potest illa voluntas futura dare iurisdictionem antequam sit; ergo similiter non potest dare licentiam, vel facultatem; nam hæc etiam est actus iurisdictionis ex parte dantis, & aliquam potestatem moralem præbet recipienti. Altera verò pars minoris per se nota videtur, quia nullus talis actus, vel signum eius in superiori supponitur, cùm ipso ignorante, res tota transigatur.

Hæc argumẽta ostendunt, quàm sit verùm, quod diximus, longe melius, & securius esse operari in hac materia, cum expressa facultate; quia tamen sententia communis practicè probabilis est, & secura ad excusandam culpam mortalem, & fortasse in rigore etiam speculatiuo vera: vt rationem eius reddamus distinguere oportet inter licentiam tacitam, & præsumptam: tacita enim in rigore, & proprietate verbi dicitur, quæ in aliquo actu expresso iuxta legalem, vel rationabilem interpretationem virtute continetur. Et hoc mihi probant citata iura, quæ ponderaui. Præsumpta verò propriè dicitur, quæ per coniecturas, vel rationes probabiliter creditur futura fuisse, si superior conueniretur. De præsenti verò nullo modo existit, nec per specialem, nec per generalem aliquam voluntatem superioris. Primùm ergo si hîc interueniat voluntas tacita superioris, sine dubio sufficit, quia hæc non est voluntas omnino futura, & conditionalis, sed iam supponitur aliquo modo existens. Et hoc etiam probant glossæ, & iura adducta; nam licet non dicant non expressum regulariter contineri in expresso, dicunt tamen quando continetur, æque operari ac si esset expressum; non dicitur autem voluntas tacita, nisi quando secundùm rectam rationem censetur contineri in aliqua expressa: ergo quotiescunque talis fuerit, idem operabitur ac si esset expressa. 6. *Distinctio inter licentiam tacitam, & præsumptam.*

Dices, non posse in præsenti materia inueniri voluntatem tacitam superioris in hoc sensu, & rigore explicatam, vt obiectiones factæ videntur ostendere. Respondeo in aliquibus casibus pertinentibus ad secundam conclusionem suprà positam, facile esse huiusmodi voluntatem tacitam explicare; nam quando superior dat alicui facultatem ad peregrinandum, & non prohibet aliquid recipere, virtute censetur facultatem dare ad recipiendum ea, quæ aliàs prudenter & cum decentia religiosa recipi possunt, quia secundùm rectam rationem, vna facultas in alia intelligitur implicite contineri. Atque eadem ratione, quia superior generaliter vult conuenienter, & in commodum suæ religionis ladministrare munus suum; ideo implicitè, & tacite censetur velle, vt quando ipse est absens, vel difficile conueniri potest, & est periculum in mora tunc aliquid accipi posset; sic ergo in casu secundæ conclusionis tacita, seu implicita voluntas superioris interuenit. In casu autem præsentis conclusionis vix potest hæc voluntas reperiri, aut explicari; nisi vbi interuenit consuetudo recipiendi aliquid vsque ad aliquam quantitatem absque petitione expressæ facultatis; nam si scientibus, & tolerantibus Prælatis talis consuetudo seruatur, illa sufficienter indicat generalem voluntatem Prælatorum esse, vt in talibus non sit necessaria expressa licentia, saltem quoad excusandam culpam coram Deo. Et ita respectu singulorũ actuum, seu receptionum, quæ postea fiunt, habet tacitum consensum. Vt autem hæc consuetudo sit rationabilis, oportet, vt quantitas rei, quæ datur, vel accipitur, valde moderata sit, quia si extendatur ad res notabilis valoris, planè erit contrà bonum Religionis 7. *Ponuntur casus, in quibus sufficiens tacita licentia.*

gionis, propter nimiam relaxationem paupertatis. Quæ verò sit hæc quantitas moderata, non potest, vt existimo, vna regula generali, pro omnibus religionibus præscribi, sed iuxta modum paupertatis, quæ vnaquæque secundùm suam regulam obseruat, erit illa quantitas præscribenda; & ideo existimo in religionibus mendicantibus minorem esse debere, quàm in aliis. Aduerto etiam in hoc quòd talis consuetudo rationabilis esse debeat, magis aggrauari superiorum conscientias, quàm subditorum; ipsi enim non debent illam admittere nec tolerare; nam si ipsi scientes eam permittunt, & consuetudo satis generalis est, & præscripta, profectò excusabit subditos saltem à violatione voti paupertatis in recipiendo, quidquid sit in expendendo, de quo infrà dicemus. Patet, quia illis satis constat de sufficienti voluntate superioris ad recipiendum; nam consuetudo, siue rationabilis sit, siue irrationabilis, illam ostendit; hoc autem satis est, vt actus non sit contra paupertatem. Quod in simili docuisse videtur Nauarrus Comment. 3. de regularibus num. 28. ad 4. & patet, nam etiam in facultate expressa licet mihi constet superiorem non recte fungi officio suo illam concedendo, nihilominus illa vtendo non pecco contra paupertatem, quamuis fortasse possim alia ratione peccare, vel ratione scandali, vel cooperando ad malum. Idem ergo dicendum erit in licentia tacita, quando ex consuetudine satis constat, etiamsi superior peccet talem consuetudinem permittendo. Eo vel maximè, quòd fieri potest, vt in particulari licentia ad talem receptionem ex se iusta sit, & honesta, & solùm ratione modi sit reprehensibilis, scilicet quia datur per talem consuetudinem, quod pertinet magis ad negligentiam Prælati, quam ad proprietatem subditi, ille enim nunquam recipit vt proprium, cùm semper recipiat nixus voluntate superioris, & intuitu illius. Nihilominus tamen omnino debent subditi cauere ne tali cõsuetudine vtantur, quando manifestè constat esse in dispendium, & relaxationem religionis, considerata eius regula & instituto, tum propter graue nocumẽtum religionis cui cooperantur; tum etiam, quia semper infertur à subditis vis quædam moralis ipsis Prælatis, vt non possint, vel non audeant iniquam consuetudinem impedire, & quando hoc ita est, consuetudo illa non tam ostendit consensum Superioris, quàm permissionem.

1. Et hinc potest intelligi alius modus huius tacitæ facultatis, qui esse potest per taciturnitatem Prælati videntis inferiorem aliquid recipere, & tacere; nam cùm non præsumatur superior dissimulare proprietatem in subdito, meritò intelligitur, ideo tacere, quia consentit, & ita cum omni proprietate dat tacitam facultatem. Hic autem modus non simpliciter ab omnibus probatur; nam Turrecremata in dicto cap. *Nondicatis* artic. 5. absolute dicit Superiorem in eo casu peccare mortaliter, & subditum nihilominus esse proprietarium. Sed de superiore nunc non possumus absolutum iudicium ferre, quia obiectum illud non est intrinsece malum, & ideo ex circumstantiis pendet iudicium tam grauitatis culpæ, quàm an ibi interueniat culpa ex parte Superioris, & quàm grauis sit, & ideo idem videtur consequenter dicendum de ipso subdito, propter quod Nauarrus suprà num. 22. duplicem distinctionem adhibet, vna est de taciturnitate permissiua, vel approbatiua; nam si sit permissiua tantùm, non sufficit excusare subditum, quod est certum, iuxta ea quæ diximus de consuetudine, quia permittere non est dare facultatem; quando autem sit permissiua tantùm, ex circumstantiis personarum, rei, & occasionum iudicandum erit. Si autem sit approbatiua, subdistinguit; nam vel est iusta, vel iniusta; si iusta, sine dubio sufficiens est, quia nulla conditio illi deest, quæ ad valorem licentiæ requiratur. Si autem sit iniusta, Nauarrus absolutè ait, non sufficere vt tutum reddat subditum in conscientia. Sed iuxta dicta à nobis considerandum est, an illa iniustitia consistat tantùm in modo taciturnitatis: sæpe enim accidere potest, vt materia, & persona sit capax, & digna tali licentia, si expresse petatur, & quòd nihilominus superior malè faciat permittendo illum modum libertatis, & receptionis, non petita facultate, & tunc illa culpa superioris non obstabit, quominus subditus excusetur à culpa proprietatis, quia illa iniustitia non obstat quominus illa receptio non proprio, sed superioris nomine fiat. Si autem iniustitia consistat in modo obtinendi licentiam ex parte subditi, vel in materia ipsa, ita sentiendum est de tacita, sicut de præsumpta licentia; nam vtrique communis est, & ideo de illa conditione statim tractabimus.

Superest dicendum de præsumpta facultate, quæ non fundatur in aliqua voluntate superioris, præsenti, aut præterita, formali, aut virtuali; neque in signis eius, sed solùm in coniecturis probabilibus de voluntate futura, sub conditione, si superior sciret, vel facultas ab eo peteretur; & de hac maior dubitatio est propter rationem tactam, quod futurum vt sic nihil ponit in esse de præsenti; & conditionalis etiam nihil ponit in esse, quandiu conditio posita non est; ergo ex vtroque capite illa facultas nulla facultas est; ergo non potest excusare proprietatem. Nihilominus tamen cum D. Thom. dicat illam licentiam sufficere ad eleemosynam faciendam (cuius sententia communiter recepta est, vt præter citatos constat ex Angelo verbo *Eleemosyna*, num. 6. Syluestr. num. 7.) non est cur negemus similem licentiam ad accipiendum sufficere. Tribus autem modis possumus rationem, seu sufficientiam huius licentiæ declarare. Primò, quia talis præsumptio semper reduci potest ad aliquam præsentem voluntatem Prælati, quæ virtute contineat tacitam facultatem: vt, v. g. quia solet similis receptio esse grata superiori; & quia experimento constat in similibus casibus solere facultatem dare sine acceptione personarum; sic enim in voluntate vnius particularis propter rationem vniuersalem virtute continetur voluntas aliorum. Sed hæc explicatio scrupulosa est, & incerta, nam sæpe reuera non poterit excedere coniecturam de futuro. Secundò ergo explicari potest ratio ex intentione vouentium paupertatem: nam cùm tota hæc obligatio ex voto oriatur, legitimæ intentioni vouentium commensuratur; intentio autem vouentium esse videtur, se obligare ad hanc dependentiam in recipiendo à voluntate superiorum hac extensione, quòd præsumpta voluntas sufficiat, & non cum maiori rigore. Hæc autem intentio ex consuetudine colligi potest, intendunt enim se obligare ad paupertatem, prout est, vel esse potest, in vsu religioso, iuxta probatam doctrinam. Quæ ratio probabilis quidem est; si verò attente consideretur, supponit & honestatem consuetudinis, & veritatem doctrinæ, cuius rationem inuestigamus.

9. *Probatur tertio quoad istam facultatem præsumptam.*

Tertiò ergo potest reddi ratio, quia licet illa voluptas præsumpta de futuro non sufficiat, vt facultas de præsenti concessa intelligatur, nihilominus sufficit ad tollendam proprietatem, quia sufficit, vt res non accipiatur nomine proprio, & tanquam proprio, sed nomine alterius, cui statim subordinatur tanquam res communis. Quod ita declaro, quia duplici ex capite potest requiri licentia ad aliquid accipiendum, scilicet obedientiæ, & paupertatis. Respectu obedientiæ non sufficiet quidem facultas tantùm

10.

tantùm præsumpta de futuro, nisi interueniat aliqua alia ratio excusans à petitione expressæ facultatis propter impotentiam saltem moralem, & ideo in eo casu, de quo loquimur, non possumus excusare religiosum ab inobedientia, & defectu contra regulam. Vnde si regula, vel obedientia sub præcepto obedientiæ posita esset, non video quomodo possit à culpa graui excusari, nisi fortè ob consuetudinem, quæ regulam relaxauerit, aut interpretata fuerit; tamen quia de facto ex vi regulæ, & obedientiæ non iuteruenit rigorosum præceptum, ideo ex hoc capite excusatur religiosus in eo casu à culpa mortali. Ex titulo paupertatis sola illa voluntas superioris, in rigore necessaria est, quæ ex parte materiæ (vt sic dicam) occasionem, vel modum proprietatis augeat, esto ex parte operantis non det illi facultatem positiuam operandi (hoc enim ad paupertatem non spectat) ad tollendum autem respectum proprietatis sufficit ordo ad voluntatem præsumptam superioris, vt explicatum est, & ideo sufficit etiam ex hoc capite ad excusandum à culpa mortali. Supponimus autem religiosum, qui sic accipit aliquid, non habere animum proprietarium in ordine ad retentionem, vel vsum talis rei, alioqui ex illis capitibus posset moraliter peccare modo infrà declarando; nunc enim solùm explicamus quid sufficiat ex parte receptionis ad excusandã culpam mortalem. Potestque hæc ratio confirmari à simili ex leg. *Inter omnes. §. rectè.* ff. de furtis. vbi dicitur non esse reum furti qui aliquid accipit, probabiliter credens dominum fuisse daturum si ab eo id petiisset; ratio huius est, quia illa voluntas præsumpta sufficit, vt destruatur obiectum furti, quod in eadem lege indicatur his verbis: *Quid enim dolo fecit, qui putat dominum consensurum fuisse? siue falso id, siue verè putet.* vbi glossa alia iura citat. hunc textum citat etiam Nauarrus suprà; vnde constat de vtraque voluntate, tam implicita, seu tacita, de præsenti, quàm præsumpta de futuro loquutum fuisse, quamuis eas non distinxerit. Constat etiam, quòd licet iura superiùs citata magis comprobent priorem partem, tamen etiam hanc posteriorem habere in iure fundamentum, & in materia quodammodo magis rigorosa, vt est materia iustitiæ, & ita fere satisfactum est difficultatibus in principio tactis, & ratio, quæ sumebatur ex materia furti, potest in contrarium retorqueri.

11. *Difficultas an displicentia Prælati obstet.* Solùm ingerit nonnullam difficultatem, quòd ibi tactum est, quia iuxta ordinarium vsum religionum, superiores non solùm non consentiunt, verùm potiùs ægrè ferunt, quòd sine expressa licentia aliquid recipiatur quando illa postulari potest; ergo moraliter non potest talis licentia esse præsumpta. Vnde Gerson. 2. p. Alphab. 34. lit. S. inquit, *Quoties probabiliter creditur, quòd si superior sciret ipse non approbaret, sed displiceret sibi, & hoc displicentia graui, tunc est trãsgressio voti.* Quod dictum bene explicatur à Nauarro, quia si displicentia superioris, sit de ipsa receptione quoad substantiam eius, vt sic dicam, tunc omnino tollitur præsumpta voluntas, & ideo receptio proprietaria est. Si autem displicentia, quæ timetur, solùm sit de modo, scilicet, quòd id fiat, sine expressa facultate, non tamen de receptione ipsa, secundum se, id satis est ad excusandam culpam mortalem, quia excusat à proprietate, quamuis non excuset ab aliqua inobedientia. Quod in simili docuit optime Caiet. in summa, verbo, *furtum*, quem omnes sequuntur. *Responsio.*

12. *Dubitatio, secunda an licentia iniusta sufficiat.* Secundò dubitari potest circa hanc licentiam; an necessarium sit esse iustam, vt religiosus, qui virtute illius aliquid recipit, non peccet contra paupertatẽ. Et ratio dubii est, quia licentia iniusta in materia voti videtur esse nulla, sicut dispensatio; ergo talis licentia non excusat proprietariam acceptionem. In contrarium autem est, quia non omnis licentia iniusta est nulla, imò nec dispensatio in iure humano, vt alibi diximus. Neque hæc licentia videtur comparanda cum dispensatione in voto, quia reuera hæc nõ est dispensatio, (nec enim potest Prælatus in votis essentialibus, & obseruatione eorum dispensare;) sed est moralis quædam mutatio ex parte materiæ; nam res quæ sine licentia Prælati accipitur vt propria, cum illa exuit hoc vitium. Hæc ergo licentia, seu mutatio materiæ, libera est ipsi Prælato, quantum est ex vi voti paupertatis subditi, ergo licet ex alio capite sit iniusta, valida est, atque adeò sufficiens, vt religiosus ea vtens non peccet contra paupertatem, quidquid sit de alio genere peccati.

13. In hoc dubio Nauarrus dict. comment. 2. de Regularib. num. 21. refert Cardinalem Alexand. dicentem licentiam tametsi iniustam excusare à peccato proprietatis, licet non excuset ab omni peccato. Quod tenet apertè Turrecremata in dicto cap. *Non dicatis*; citans Humbertum; tenet etiam D. Anton. 3. p. tit. 16. Graphis 2. p. decis. lib. 13. cap. 19. num. 30. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 12. quæst. 1. Hi ergo, licet subditum in hoc casu excusent à vitio proprietatis, non tamen ab alio. Nauarrus verò multa obiicit contra hanc sententiam, ac tandem concludit, Religiosum vtentem tali licentia iniusta, peccare peccatum proprietatis; addit tamen, quòd si sit paratus ad reddendum communitati, seu resignandum talem rem cùm primùm fuerit requisitus, licet tunc etiam sit proprietarius, nihilominus non incurrere pœnam proprietarii, id est, priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ, quia solùm imponitur contra proprietarium occultum, & nulla vtentem facultate. Et de hac posteriori parte nulla est dubitatio. Priorem autem partem probat Nauarrus præter rationem in principio factam, quia religiosus, vtens illa licentia peccat, vt dicti authores fatentur, & non alio genere peccati, nisi proprietatis; ergo. Probatur minor, tum quia non potest alia species peccati ibi assignari; tum etiam, quia illud peccatum est contra votum paupertatis, non enim est contra castitatem, vt per se patet; neque contra votum obedientiæ, quia illa licentia sufficit saltem, vt non sit contra voluntatem superioris: ergo contra paupertatem; ergo est peccatum proprietatis. Tum denique, quia ille non peccat, nisi quòd tenet proprium sine iusta licentia, quæ non excusat; ergo est proprietarius. Et ideo hanc sententiam tuentur Nauarra lib. 3. Rest. cap. 1. p. 3. Molina tom. 2. de iust. disput. 276.

14. *Primum sit tantò iniusta contentia.* Mihi in rigore prior sententia videtur verior, quanuis distinctione opus sit; variis enim modis potest licentia esse iniusta, primò ex parte petentis tantùm, quia animirum per vim, dolum, aut fraudem, illam extorquet, & de hoc casu nulla est dubitatio. *parua pœna.* nam certum est, talem licentiam nullam esse, quia vis & metus causant inuoluntarium; & idem est de dolo, & fraude. Quapropter si licentia fuit subreptitia, & ex falsa causa, non reddet tutam conscientiam religiosi, & idem censeo si taceantur circumstantiæ, quæ rationabiliter, & probabiliter mutarent voluntatem superioris, vt talem licentiam non concederet; quia tunc etiam ignorantia illa sufficienter causat inuoluntarium. At verò si taceatur aliquid, quod fortasse difficiliorem redderet concessionem licentiæ, non tamen absolutè eam impediret, quantum probabiliter iudicari potest, id non obstabit quominus licentia sufficiens sit, quia illud non pertinet ad substantiam, sed ad modum. Iuxta hoc etiam cauendũ est in licentia præsumpta, vel tacita, ne fun-

detur

detur in aliqua ignorantia superioris: vt, v.g. si proximus Prælatus videat subditum aliquid recipere, & taceat quia credit, vel supponit habere facultatem Prouincialis, quam reuera non habet, tunc enim non excusabitur subditus vtens illa taciturnitate superioris tanquam licentia præsumpta, quando probabiliter etiam credit suum proximum superiorem fundari in illa existimatione, quia hæc ipsa existimatio excludit voluntatem tacitam, & coniecturam eius. Fieri autem potest vt excludat præsumptam, & tunc non obstabit, vt si subditus probabiliter credat, superiorem proximum daturum esse talem facultatem, etiamsi non existimaret Prouincialem illam dedisse; nolit autem ab illo petere, nec veritatem aperire propter verecundiam, vel alios respectus, tunc enim non erit proprietarius, licet sit imperfectus, vel inobediens.

Alio modo contingit licentiam esse iniustam ex parte materiæ: vt, v.g. si superior det licentiam ad furandum, &, quod proinde est, ad accipiendum aliquid ab eo, qui non potest dare; in quo genere iniustitiæ potest etiam esse varietas; nam aliquando potest esse datio, vel acceptio, ita iniusta, vt sit etiam nulla ex se, & secluso voto paupertatis, vt contingit in furto, & in omni acceptione ab eo, qui vel non est dominus, vel non potest dominium transferre; aliquando potest esse iniusta, quamuis non inualida, quia scilicet fit ab eo, qui potest donare, licet id faciat propter iniustam, vel turpem causam (sic enim nunc iniustum accipimus pro iniquo;) quando ergo licentia, licet iniqua, valida est, id est, sufficiens, vt donatio, vel acceptio teneat, etiam erit sufficiens ad excusandum religiosum à peccato proprietatis. Probatur, quia illa malitia est accidentaria, & extrinseca ad paupertatem: vt, v.g. si religiosus accipiat aliquid pro suffragio, vel opere seruili faciendo in die festo, vel per secularem negotiationem aliquid lucretur; in quibus casibus & similibus facile est distinguere aliam malitiam à malitia proprietatis. Denique tunc religiosus non accipit aliquid nomine proprio, sed nomine sui superioris; & per relationem ad voluntatem eius, licet aliàs sit iniquus, non est proprietarius. Vnde vlteriùs addo, etiamsi licentia, vel mandatum superioris sint prorsus inualida quoad translationem, seu acquisitionem dominii, satis esse ad excusandam à proprietate, quamuis non excuset ab iniustitia; vt, v.g. si concedat superior libertatem accipiendi aliquid per furtum, vel per vsuram, vel etiam præcipiat, subditus accipiendo, non erit proprietarius, quamuis sit iniustus, quia non agit contra votum, cùm nihil accipiat proprio nomine, vel sine voluntate superioris. Sed contrà, quia qui vouet paupertatem, primùm omnium aliquis obligatur ad non accipiendum, nec habendum aliquid iniustè; ergo in prædicto casu violatur votum paupertatis, quia quoad illam materiam obligatio est absoluta; sicut qui castitatem absolute vouet, primùm omnium obligatur ad abstinendum ab illicitis actibus; deinde verò etiam ab illis, qui possunt esse liciti. Respondeo negando assumptum, nam votum paupertatis, vt sic, non est de non committenda iniustitia, sed præcisè de carentia proprii, & ideo si hæc carentia possit simul esse cum iniustitia, illa iniustitia non erit violatio voti paupertatis. Ad quod confirmandum facere possunt, quæ de triplici paupertate tractat Nauarrus commentat. de Regul. n. 17. & sequentibus.

Vltimò contingit licentiam esse iniustam ex parte causæ, scilicet, quia datur sine necessitate, vel vtilitate rationabili, vel sine aliquo alio iusto titulo, in quo casu maximè loquuntur citati authores, qui inter se differenter etiam videntur loqui de licentia ad recipiendum, retinendum, vel expendendum. Sed fortasse non est æqualis ratio de omnibus, præsertim de actu consumendi rem, vel donandi extra religionem, vel etiam habēdi peculium nimis superfluum; sed de his infrà; nunc enim de sola receptione agimus, & in illa sine dubio, sentētia est vera cardinalis, quia illa acceptio, neque est inuito, neque non volente superiore, sed dependenter ab eius voluntate; ergo non est proprio nomine, sed alieno; ergo non est proprietaria. Patet consequentia ex dictis, quia sola malitia extrinseca, & per accidens coniuncta nō sufficit ad proprietatem. Præterea (vt respondeamus rationi dubitandi) quia superior dat licentiam ad recipiendum aliquid, non dispensat in voto paupertatis, sed solùm constituit materiam in eo statu, in quo sit extra latitudinem voti paupertatis; ergo quamuis talis licētia detur sine iusta causa, non propterea est nulla. Patet consequentia, quia dispensatio non est in aliquo iure diuino, imò in nullo iure dispensatio est, & (si attentè consideretur) solùm consistit in fastu quodam, scilicet in hoc, quòd superior vere, & realiter velit subditum hoc recipere, non ex ignorantia, aut errore, sed satis voluntarie, & ideo si facultas à tali voluntate procedat, hoc satis est, vt sit valida quoad hunc effectum, non incurrendi proprietatem, quidquid sit de alia malitia.

Ad argumentum autem Nauarri respondent alii authores in eo statu interuenire ex parte superioris peccatum infidelis dispensatoris, ex parte verò subditi peccatum auaritiæ. Sed prior pars, si intelligatur de dispensatione in voto paupertatis, in rigore non est vera, vt dixi; intelligenda ergo est, vel de imprudenti dispensatione in aliquo statuto religionis, vel in obseruantia eius, quoad rigorem paupertatis, non quidem in carentia proprietatis (in hoc enim non dispensatur) sed in absoluta carentia talium rerum, etiam quoad tentionem, seu vsum facti. Quoad aliam verò partem de auaritia mihi non placet, neque impugnatur à Nauarro, quia ibi nulla est specialis ratio auaritiæ, nec ordinarie solet hic excessus committi ex hoc affectu, sed potiùs ex affectu nimiæ commoditatis humanæ, si respiciat ad corporis gestum, vel commoditatem, vel ex affectu vani honoris, seu curiositatis, vt si pertineat ad ornatum corporis, vel cellæ. Dico ergo posse subditum peccare in eo statu iuxta hos affectus, attenta materia & modo operandi; item sæpe peccare peccato scandali, respectu superioris, quem inducit ad iniquam licentiam concedendam, vel respectu aliorum fratrum, ac totius religionis relaxationem introducendo, aut non se conformando in communi obseruantia suo toti sine legitima causa; potest etiam peccare contra paupertatem, & non peccato proprietatis, sed cuiusdem excessus in abūdantia rerum etiam non propriarum, nec appropriatarum (vt sic dicam;) quia moderatio etiam in his rebus potest cadere sub votum, & excessus illius nō est proprietas sed potest dici superfluitas. Vnde obiter infero, si talis acceptio non ordinetur ad vsum aliquē superfluum, & excedētem limitem paupertatis promissæ, quoad hanc moderationem, solam acceptionem non esse contra paupertatem, quantumuis licētia aliàs sit iniusta, vt si res accepta non retineatur à priuata persona, sed statim ad alium vsum destinetur ex voluntate superioris; vnde stando intra limites acceptionis, reuera nunquam est ex hoc capite contra paupertatem. Ad argumentum ergo Nauarri negatur minor, scilicet, non posse hic interuenire aliud genus peccati nisi proprietatis. Ad primam verò probationem iam declarata est multiplex alia malitia, quæ ibi esse potest. Ad secundam negatur consequentia; nam

17.

contra votum paupertatis potest intelligi transgressio, & malitia quæ non sit proprietas, vt declaratum est, licet non sit in sola acceptione, nisi prout habet ordinem ad aliquē alium superfluum vsum. Ad tertiam nego, subditum in eo casu habere proprium, sine iusta licentia; quia non habet proprium, imò est repugnantia coniungere proprium cum licentia, quia licentia excludit proprium, vel non potest dari licentia, quæ sit ad habendum, vel recipiendum aliquid, vt proprium, quia est contra votum, cap. *Cum ad Monasterium*, de statu Monachorum. Tunc ergo non habet religiosus proprium sine iusta licentia, sed tenet, vel recipit aliquid sine iusta causa; etiamsi non proprium, vt satis declaratum est.

18. Relinquitur ergo ex dictis illam tantùm acceptionem esse proprietariam, & per se contrariam voto paupertatis, quæ sit sine licentia tacita, vel probabiliter præsumpta, aut expressa superioris, eique sufficienter voluntaria, id est, sine vi, metu, aut fraude extorta. Iam verò superest explicandum, an sufficiat licentia, seu voluntas superioris debita, quamuis nec tacitè, nec expressè concessa præsumpta sit, sed potiùs contraria displicentia superioris sit præsumpta, vel etiam expressè declarata, negando scilicet facultatem petitam imprudenter, & irrationabiliter, quia supponimus facultatem secundùm rectam rationem fuisse debitam. Nam Alphonsus Mēdoça in suis quodlibetis, primò sentit, facultatem debitam esse sufficientem; ait enim excusari religiosum à culpa mortali, etiamsi contra voluntatem expressam superioris duos argenteos recipiat, aut eroget; non videtur fundari in leuitate materiæ, nisi quoad hoc, quòd ratione illius voluntas superioris est irrationabilis; sequitur ergo idem esse dicendum quotiescunque aliunde constiterit, voluntatem superioris esse irrationabilem, etiamsi quantitas materiæ magna sit. Sequitur etiam illud non tantùm peccatum mortale non esse, sed nec veniale; quia (vt ipse ait) quando licentia irrationabiliter negatur, adhuc subditus censetur operari cum licentia rationabiliter præsumpta. Limitat autem hoc nisi superior prohibeat in virtute sanctæ obedientiæ; nam tunc censet, obligare sub mortali, etiam in materia duorum argenteorum.

*Dubitatio tertia an licentia debita sufficiat.*

19. Ego verò censeo licentiam tantùm debitam non sufficere, id enim in antiquis authoribus non lego, nec videtur mihi rationi, vel religioso statui consentaneum. Dico ergo, si probabiliter præsumptam superiorem negaturum facultatem, mihi non licere eā accipere, etiamsi irrationabiliter esset negaturus, quia, vt paulo antea dicebam, hoc negatiuum magis consistit in facto, quàm in iure, & ideo si de facto res est inuoluntaria superiori, votum paupertatis semper obligat, quia nondum est materia illa constituta extra latitudinem eius. Item illa acceptio non potest fieri nomine superioris, cùm nulla voluntas eius intercedat, nam voluntas debita, nulla voluntas est, quandiu contraria de facto inest; erit ergo illa acceptio nomine proprio; ergo proprietaria, & contra votum. Item si de facto superior consentiat, etiamsi debuisset non consentire, id satis est vt tollatur proprietas; ergo & è contrario, vt seruetur æqualitas, si superior de facto nolit, illi repugnare erit proprietas, etiamsi velle debuisset. Quod tandem declaratur exemplo furti; nam licet dues teneatur pauperi dare eleemosynam in graui necessitate, si tamen non det, nec præsumatur daturus, etiamsi ab eo petatur, non licet ab eo accipere; quia de facto est simpliciter inuoluntarius, quamuis velle debuisset, quia per hoc debitum, nec acquiritur ius proprium alteri, nec materia illa constituitur extra obiectum furti; ergo similiter in præsenti, est enim inter hæc proportio in superioribus explicata. Et hinc à fortiori constat, si superior expresse neget facultatē dandi, vel recipiendi, quantumuis subditus iudicet irrationabiliter negare non esse licitum illud accipere, sed contra paupertatem agere, si id faciat, quia nomine proprio, & non superioris id recipit; neque habet locum voluntas præsumpta, vbi expressa est in contrarium; quia si præsumptus dissensus, non admittit præsumptum consensum, multo magis expressa negatio, & prohibitio excludet præsumptam licentiam, quantumuis rationabilem. Vt enim licentia sit præsumpta, non satis est, quòd secundùm rectam rationem sit debita, quia non semper aliquis præsumitur effecturus quod recta ratio postulat, maxime quando ipse expresse declarat se nolle id facere.

*Assertio negatiua Probatur in casu, quo præsumitur neganda valiu licentia irrationabilis.*

Sed contrà, quia in eo casu, præsertim si materia 20.
sit parua, abutitur superior potestate, quam habet in subditum religiosum, dum vult eum tractare vt seruum, & mancipium, negando ei debitam facultatem ad honestam, & religiosam acceptionem, vel alium vsum. Confirmatur, quia si maritus neget vxori licentiam dandi moderatam eleemosynam, & cōformem suo statui, potest nihilominus eam dare absque peccato, vt est recepta sententia; ergo similiter, &c. Respondeo in primis ad obiectionem, etiamsi in rebus sacris alterius conditionis sit religiosus, quàm seruus, eiusque subiectio nobilior sit, tamen in materia paupertatis ex sententia communi Doctorum, vel illi æquiparari, vt late Nauarrus dicto comment. 2. de Regularib. num. 30. & 43. vel certe illum superare in rigore paupertatis, quoad carentiam bonorum, & quoad potestatem habendi illa, & quoad carentiam non habendi, & nihilominus hoc non pertinere ad vilem conditionem, quia in seruo paupertas coacta est, in religioso voluntaria. Vnde vlteriùs dicitur, quamuis superior neget religioso facultatem recipiendi, vel dandi aliquid minimum, non propterea tractare illum vt mancipium, quia semper fundatur in paupertate voluntaria, & præterea licet superior in eo excedat, & imprudenter se gerat, & humano affectu moueatur, hoc non tollit voti obligationem, cùm materia semper maneat in eodem statu. Vnde ad confirmationem respondetur primò, exemplum esse incertum, quando prohibitio mariti est expressa, & non continet iniustitiam, vt videre licet in Syluestro verbo *Eleemosyna*, quæst. 5. vers. 5. & deinde non est simile, quia vxor habet dominium suorum bonorum, licet non habeat administrationem, quæ marito commissa est, tamen cum debito modo, ac mensura, & ideo non potest priuare vxorem vsu rerum debito illius statui, neque ipsa se obligauit speciali voto ad carendum omni vsu proprio suarum rerum, religiosus autem ex vi status non habet, nec habere potest aliquem vsum proprium, imò per proprium votum illum abdicauit, & ideo nunquam illa facultas est ita sibi ex iustitia debita, vt si negetur possit ipse sua authoritate talem vsum, vel acceptionem vsurpare.

Sed dicet tandem aliquis votum ipsum paupertatis non solùm includere habitudinem ad licentiam datam, vel præsumptam, sed addendum etiam esse, vel debitam secundùm rectam rationem, quia non obligatur quis nisi ad paupertatem rationi consentaneam, sicut non obligatur nisi ad obedientiam rationabilem. Sed hæc doctrina admittenda non est, quia, vt dixi, est contra communem sententiam Doctorum, in re morali, & graui. Nunquam enim dicunt, in materia paupertatis sufficere minorem voluntatem, quàm præsumptam. Vnde ad summum addere possumus, si licentia secundùm rectam ratio-

rationem concedenda iudicetur, & nihil aliud obsteret, id satis esse, vt sit etiam præsumpta rationabiliter, quia præsumendum est, superiorem facturum quod secundùm rectam rationem debet. At verò si aliàs constet superiorem nolle, iam cessat præsumptio, & sequenter cessat illa voluntas, quæ ad minimum ab authoribus requiritur, qui præterea solùm excipiunt casum extremæ necessitatis proximi, vt constat ex materia de eleemosyna, vbi authores dicunt in extrema necessitate posse, vel etiam debere religiosum facere eleemosynam, etiam prohibente Superiore, vt notat glossa in cap. *Non dicatis* 12. q. 1. In casu autem minoris necessitatis hoc ei non conceditur, vt ex eadem glossa colligitur, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Et expresse etiam notarunt Angelus, & Sylvester verb. *Eleemosyna*, & Archidiaconus in dicto cap. *Nondecimis*, Abbas, & Antonius de Butreo in cap. *si quis*, Extra de furtis. Hostiens. in summa tit. de pœnit. & remiss. circa finem ante specialem titulum de Remissionibus. §. *Quid de facientibus eleemosynam*; imò videtur expressa sententia D. Thom. 2. 2. quæst. 32. artic. 8. ad primum. ergo extra casum extremæ necessitatis, nunquam sufficit petita licentia, & non obtenta, quantumuis debita dicatur.

Vnde duplicitèr potest dici prohibitio superioris irrationabilis. Vno modo contrariè, (vt sic dicam;) alio modo priuatiuè tantùm: *Contrariè* appello, quando prohibet id quod subditus non potest omittere nisi transgrediendo præceptum charitatis, vt est in dicto casu de extrema necessitate. Et in eo sensu dici potest, religiosum non se obligasse per votum ad irrationabilem paupertatem; quamquam in eo casu accipere aliquid ad subueniendum proximo extremè indigenti non est vsus proprietarius, sed potiùs communis, quia in illo casu omnia sunt cõmunia. Sub hoc tamen membro comprehendo omnem casum, in quo religiosus ex pietate, vel iustitia (si tamen id accidere potest de quo suprà dictum est) tenetur subuenire parenti indigenti, vel debitori, non obstante prohibitione superioris: tunc enim carentia talis vsus, non censetur comprehẽsa in voto paupertatis, tum quia esset illicita, tum etiam, quia potius est veluti restitutio, aut solutio rei alienæ, quàm vsus dominij. *Priuatiuè* autem voco prohibitionem irrationabilem, quando superior quidem abutitur sua potestate, & contra charitatem, vel contra iustitiam distributiuam, aut similem virtutem agit, negãdo licentiam; nihilominus tamen respectu subditi nihil contra rectam rationem sequitur in actionib. vel omissionibus eius, etiamsi rigorem paupertatis iuxta voluntatem Prælati obseruet; & tunc nullo modo possumus dare licentiam subdito ad agendũ præter votum, nec possumus ita interpretari materiam voti paupertatis, cederet enim in magnam perniciem religionis, facile enim subditus iudicabit, Prælatum sibi facere iniuriam, & irrationabiliter facultatem negare. Item illa interpretatio voti est contra absolutam formam eius, & nulla authoritate, vel ratione fundatur, quia illa paupertas, seu actus eius in subdito non est irrationabilis, sed honesta, imò tãto est perfectior, cæteris paribus, quanto superior sine iusta causa licentiam negat; ergo comprehenditur sub absoluto voto paupertatis. Tãdem exemplo de obedientia hoc confirmo, quãdo enim obedientia ita est irrationabilis, vt à subdito sine peccato impleri non possit, tunc non obligat: at verò si solum ex parte superioris sit contra prudentiam, à subdito autem possit sine peccato fieri, tunc illa materia est obedientiæ, vt infrà videbimus ex communi sententia Patrum; ergo similiter in paupertate.

Quapropter non videtur mihi consequenter loqui dictus author dum ait; non peccare mortaliter religiosum contra paupertatem expendendo duos argenteos contra voluntatem superioris, qui facultatem negauit; peccare autem moraliter si id faciat contra præceptum superioris id prohibentis in virtute obedientiæ: nam si facultas illa irrationabiliter negatur, & ita excusatur peccatum mortale contra paupertatem, vt ipse ait, etiam præceptum illud erit irrationabiliter impositum; ergo hoc etiam satis erit, vt excusetur peccatum mortale contra obedientiam; eadem enim est ratio; maximè quia si illa materia supponitur esse parua respectu paupertatis, cur non erit etiam parua respectu obedientiæ per se loquendo. Ex quo etiam infero in præsenti puncto ad formalem doctrinam traditã nihil referre, quòd materia acceptionis, vel largitionis, de qua agitur, sit magna, vel parua; nam in vtraque procedit, seruata proportione, id est intra gradum culpæ, ad quem materiæ quantitas sufficiet. Nam si supponatur materia duorum argenteorum esse parua in materia paupertatis, tunc de illa disponere inuito superiore, qui facultatem negauit, erit quidem venialis culpa, non propter irrationabilem voluntatem superioris, sed propter materiæ paruitatem. Nec etiam in parua materia necessaria est licentia superioris, vel data, vel præsumpta, vt probant omnia dicta, nam illa etiam est aliqualis materia voti. Addo denique, quamuis illa materia sit parua, non propterea statim iudicari posse superiorem irrationabiliter agere, negando facultatem, nam propter alios fines, vel religioni conuenientes, vel perfectioni subditi, potest sæpiùs prudenter id facere.

*Infertur ex tradita doctrina ad quamcunque quantitatem esse licentiam necessariam.*

Statim verò occurrit dubitandum, quænam materiæ quantitas censenda sit parua, vel magna, vt illam accipere sine licentia superioris, etiam præsumpta, sit peccatum mortale, vel veniale. Sed hoc punctum suprà cap. 6. huius libri latè tractaui; circa votum simplex paupertatis, vbi primùm ostendimus contra Antoninum & Gersonem, non omnem materiam minimam sufficere ad peccatum mortale; deinde fusè inquisiuimus regulam aliquam ad definiendam materiam, quæ in hac transgressione sufficiat ad peccatum mortale, eamque, vt potuimus, tradidimus, & quomodo ad votum etiam religiosorum sit applicanda, declarauimus.

24. *Quæ materiæ quantitas sit necessaria ad peccatum mortale.*

Quapropter hîc solùm occurrit huic dubio coniungere aliud, an scilicet, supposita ex parte materiæ sufficienti quantitate ad peccatum mortale, si dominium eius vsurparetur, eadem sufficiat, vt sit peccatum mortale accipere illam, sine licentia superioris, quando non accipitur, vt habeatur tanquam propria, neque vt occultè, & quasi furtiuè possideatur, vel extra vel gionem expendatur; sed solùm religioni inconcussè, & publicus, ac communis vsus illius habeatur cum proposito relinquendi illum, quando superiori visum fuerit. Videtur enim tunc tale peccatum, non esse peccatum mortale; nam licet materia eius remota sit res grauis, proxima videtur esse leuis; hæc enim duo separabilia sunt. Quod declaro in materia furti; nam decem aurei, materia satis gratis est ad furtum, & nihilominus accipere illa, non simpliciter, sed mutuò ad breue tempus, cum proposito reddendi, & sine morali periculo alterius nocumenti, non videtur esse peccatum mortale; quia talis actio circa totam illam quantitatem moraliter loquendo est leuis iniuria, quæ est materia proxima, seu actus exterior iniustitiæ, à quo sumi debet grauitas culpæ, quæ est in voluntate faciendi talem actum. Ita ergo in præsenti grauitas culpæ, quæ formaliter est in voluntate accipiendi aliquid, ex grauitate ipsius acceptionis sumenda est. Grauitas autem acceptionis, non est sola

25. *Dubitatio, prima an accipere ad publicum, & communem vsum, si peccatum grauis.*

quantitate rei acceptæ; sed ex inordinatione intrinseca ipsius acceptionis sumenda videtur, id est, ex appropriatione, quæ per talem acceptionem fit. At verò quando acceptio fit prædicto modo, & cum intentione explicata, videtur esse minima appropriatio, quia solùm est in exercitio talis actus accipiendi quasi in fieri, vt sic dicam, non tamen in termino eius, neque in re accepta, nimirum, quia acceptio fit sine licentia, res verò accepta nullo modo vsurpatur, nec tenetur tanquam propria; ergo.

26. In contrarium autem est, quia hic actus reuera est proprietatis, & dominii; ergo si fiat circa magnam quantitatem est peccatum mortale. Antecedens patet, quia non fit nomine alieno, sed proprio, cùm non fiat ex aliqua licentia, vel voluntate superioris, expressa, aut tacita, vt in casu supponitur. Consequentia verò probatur, quia ille actus ex genere suo est peccatum mortale, cùm sit contra votum; ergo si in particulari versatur circa magnam quantitatem, erit etiam in individuo peccatum mortale. Patet consequentia, quia in actibus, qui ex genere suo sunt peccata mortalia, regula generalis, & communiter recepta ad iudicandum etiam in particulari esse talia, est quantitas materiæ. Nec satis est respondere, actionem illam non esse grauem, etiamsi in magna quantitate versetur; tum quia sequitur, accipere etiam mille aureos, vel res tanti valoris, v.g. libros, imagines, & similia ad communem vsum sine vlla licentia, non esse peccatum mortale, quod absurdissimum videtur, & in magnum dispendium disciplinæ religiosæ; tum etiam, quia accipere rem aliquam, & incorporare illam religioni, non est actus parui momenti, imò est vsurpatio potestatis propriæ superioris, & licet materialiter, vt sic dicam, videatur esse vtile religioni, tamen moraliter potest esse valdè nociuum.

27. Ad hanc difficultatem aliqui sub distinctione respondent: aut enim religiosus accipit rem, vt ea vtatur, sine alio superioris consensu; vel vt ad communem vsum illam deputet. In priori casu censetur esse peccatum mortale, si quantitas sit ex se sufficiens ad peccatum mortale proprietatis, quia ille actus proprietarius est, quantum esse potest, quia includit acceptionem, retentionem, & vsum sine licentia superioris; ergo ex parte actionis habet omnem rationem proprietatis, quam habere potest. In posteriori autem casu non censetur religiosus aliquid accipiendo esse proprietarius, dummodo statim sine mora notabili rem tradat communi vsui, nam si sit in mora voluntaria, incidet in proprietatem, rem occultè apud se detinendo, & quasi nomine proprio illam possidendo. Secluſa verò hac mora, licet illa acceptio indebito modo fieret, ex defectu obedientiæ, non tamen videtur proprietaria, cùm statim res communitati tradatur.

28. Hæc verò sententia quoad priorem partem videtur nimis rigorosa; quoad posteriorem verò falsa; vel nimis ampla. Primum declaro, nam res quæ accipitur ad proprium vsum, duplicis generis esse potest, scilicet, aut pertinens ad ordinarium vsum religiosum, ita vt de bonis monasterii accepturus esset rem similem ad suum vsum, & in locum illius retineat, quam occulte accepit, non quidem cum maiori proprietate, vel reseruatione, quam similem teneret si à Monasterio illam accepisset; & in hoc casu videtur prior sententia valde rigorosa si ad illum applicetur, quia tunc perinde est ad suum vsum illam tenere, ac communi illam deputare, quia communis vsus talium rerum, non aliter est communitatis, nisi quatenus diuisus est per singulas personas, ita vt apud nullam sit res similis tanquam propria, quia semper potest à superiore auferri; ita verò contingit in præsenti; nam supponimus tali animo vsum illius rei retineri. Item, quia religiosus habet licentiam à superiore tacitam, vel expressam, vt talis re in communi vtatur, v.g. pileo, veste, libro talis authoris, &c. ergo quòd illam generalem facultatem applicet ad hanc rem particularem, proprio arbitrio, & sine voluntate superioris, vel non est proprietas, quia semper seruatur respectus ad aliquam voluntatem superioris, & ad communem vsum, vel certe est admodum leuis, & insufficiens ad peccatum mortale; at verò si res quæ accipitur, & retinetur ad proprium vsum, non pertinet ad communem vsum religiosorum, vt sunt victus, vestitus, vel instrumenta necessaria ad proprias actiones, vt libri, &c. sed est extraordinaria, pertinens scilicet ad peculiarem, & extraordinarium vsum: vt pretiosa imago, & similia, quæ ad peculiarem ornatum, aut curiositatem, vel commoditatem pertinent, & in his rebus videtur habere locum prior sententia, quia in eis procedit maximè ratio eius, quæ vrgens videtur.

29. Secundum declaratur, quia licet res accipiatur, vt statim communitati tradatur, & de facto ita fiat, nihilominus ipsa acceptio, non solùm contra obedientiam, sed etiam contra paupertatem esse videtur, quia nomine proprio fit, cùm omnino sine licentia fiat, vt supponitur; non enim habemus aliam regulam ad explicandam hanc propositionem, nisi quòd actio fiat independenter à voluntate alterius; fit autem hoc modo, quando fit sine licentia eius, vt suprà declaratum est, ergo cùm illa acceptio fiat sine licentia, fit nomine proprio, ergo actus proprietatis est, ergo est contra votum paupertatis, etiamsi præcisè in ea sistatur, & quidquid postea sequitur, contra paupertatem non fit. Et confirmatur, quia aliàs vbi accipere aliquid non esset prohibitum sub præcepto obedientiæ, nunquam talis acceptio esset peccatum mortale, etiamsi esset in maxima rarum, & pecuniarum quantitate, quæ videtur nimia licentia. Sequela verò patet, quia ille actus vt est contra obedientiam non est peccatum mortale, quia supponimus non esse latam legem, nec præceptum in virtute obedientiæ, ergo si non violatur votum paupertatis, non est vnde hoc sit peccatum mortale.

30. Integra resolutio huius dubii pendet ex aliquibus sequentibus, & ideo non potest hic perfectè tradi. Quapropter nunc solùm assero, hanc acceptionem, præcisè spectatam, esse non tantùm contra obedientiam, sed etiam contra votum paupertatis, independenter à futura retentione, vel vsu, nam hoc conuincit ratio proximè facta. Nihilominus tamen addo, quando res statim traditur communitati, & illa intentione accipitur, regulariter excusari acceptionem à peccato mortali, non tam ex leuitate materiæ, quàm ex præsumpta voluntate superiorum, quibus licet modus displiceat, non tamè quòd aliquid pro tota communitate tribuatur, quæ coniectura videtur moraliter sufficiens, quando aliquid in particulari non occurrit, quod vehementem faciat coniecturam in contrarium, aut nisi ex consuetudine aliud constet, vbi autem moraliter constaret, aut valdè probabiliter præsumeretur, non esse voluntatem superioris, vt aliquid accipiatur, etiam vt tradatur communitati, non video quomodo possit talis acceptio, si sit in graui quantitate, à culpa graui excusari.

31. Eodem modo iudicandum censeo, quando res accipitur, & applicatur ad vsum proprium accipientis, loco alterius rei similis, quæ ad similem vsum ex bonis communibus religionis danda est, soluta adiungitur hic maior grauitas ex hac circumstantia appli-

applicandi propria authoritate rem talem ad suum vsum. Quantum autem hæc circumstantia aggranet, dicemus in dubiis sequentibus, pendet enim ex illis. Hic autem animaduertere oportet, ne res quæ accipitur sit multo pretiosior quàm illa, quæ in religione danda erat; nam tunc ex ea parte semper reputabitur res, & vsus eius extraordinarius, ac peculiaris, & consequenter maior proprietas interueniet. Idem est si res accipiatur, & habeatur cum maiori abundantia, quàm soleat à religione dari, etiam vbi commode potest, & prouidet, vt si accipiatur duplicata, vel triplicata vestis, vel libri superflui, ac non necessarii, &c. Nam tunc illud peculium sine dubio nimis proprietarium est. Dico autem, *vbi religio commode potest, & prouidet*, quia vbi ipsa deficit in necessariis, & conuenientibus iuxta ordinarium modum viuendi talis religionis, siue id sit quia non potest, siue quia Prælatus non vult prouidere, tunc faciliùs potest excusari à graui culpa acceptio rei, sic necessariæ, vel propter præsumptam voluntatem superioris, quia tunc immeritò esset inutus saltem de substantia receptionis, vel quia vsus ille de se communis, est tali religioni, & res etiam per talem receptionem efficitur communis, vt statim dicam, & sub ea intentione recipitur.

32. Vltimò in hoc puncto concludo, quando religiosus aliquid accipit sine vlla voluntate superioris, etiam præsumpta, sine vllo proposito retinendi talem rem in particulari, vel applicandi illam propria authoritate ad particularem vsum; tunc multo maiorem quantitatem necessariam esse ex parte rei acceptæ, vt ille actus sit peccatum mortale, quàm cum acceptio ad retentionem, vel vsum proprietarium ordinatur. Probatur ex ratione dubitandi in principio posita, quæ hoc saltem probat; quia deformitas acceptionis præcisè sumptæ, multo maior est, etiam circa grauiorem materiam. Item quia vix ibi apparet affectus proprietarius, cùm pro sola communitate, & eius vsu res accipiatur. Oportet ergo vt magna sit quantitas, quanta verò sufficiat, prudenti arbitrio est relinquendum, considerato vsu religionis, ac decentia, & aliis circumstantiis eius.

33. Statim verò occurrit dubitandum, an res sic accepta fiat monasterii, & consequenter an religiosus, qui illam accepit, debeat eam monasterio tradere, vel ei reddere qui illam dedit. Ratio autem dubitandi est, quia nullus acquirit nouum dominium sine acceptione; monasterium autem non acceptauit dominium talis rei; ergo non acquisiuit dominium eius. Minor patet, quia monasterium non acceptat, nisi per Prælatum, supponimus autem Prælatum, nec expresse, nec tacitè velle talem acceptionem. Respondetur primùm omnium considerãdam esse intentionem, & voluntatem donandi; nam si ille non habuit voluntatem absolutam donandi, sed solùm sub expressa vel tacita conditione, quòd illa res cederet in proprium vsum ac dominium talis personæ, & ab illa possideatur independenter à superiore, tunc res non acquiritur monasterio, non tam ex defectu acceptantis, quàm donantis, quia cùm conditionalis non ponat in esse, ille non habuit voluntatem donandi monasterio; & quamuis conditio posita fuerit iniqua, nihilominus fuit sufficiens ad suspendendam, seu impediendam voluntatem donantis. Quocirca in eo casu, non potest religiosus talia bona apud se retinere, nec etiam Prælato, seu conuentui illa donare; nam primum esset contra paupertatem, secundum autem esset contra iustitiam; debet ergo illa reddere vero domino, id est, ei, qui donauit, quia ille nunquam dominium à se abdicauit, cum sufficientem voluntatem non habuerit.

34. Dices, saltem poterit Religiosus petita licentia à superiore talem rem ad suum vsum retinere, quia tunc iam non agit contra paupertatem, nec etiam contra iustitiam, cùm conditio adiecta à donante impleatur. Respondeo, si voluntas donantis fuerit, vt talis res immutabiliter, vt sic dicam, & irreuocabiliter à Religioso possideatur, sic conditionem esse prorsus iniquam, & contrariam paupertati, ideoque talem donationem acceptari non debere, nec posse, quia virtute esset velle possidere rem modo proprietario, neque etiam superior potest dare talem facultatem irreuocabilem. Quod potest à simili confirmari, quia legatum relictum religioni sub conditione repugnante paupertati acceptandum non est, imò est ipso iure nullum, vt dicemus infrà tractando de paupertate Societatis. Et in terminis docent Bart. Authent. *Excipitur*. num. 2. Surdus de Alimentis. Priuil. 79. num. 4. Mol. tol. 1. de Iust. disp. 140. Si autem conditio posita à donante solùm est, dummodo talis religiosus ea re vtatur, statim verò ac prohibitus fuerit à superiore illa vti, sibi restituatur, tunc voluntas non est absolute iniqua, sed est limitata ad dandum vsum tali personæ, quandiu ei prohibitus non fuerit, & ideo durante licentia, potest religiosus sine culpa illum vsum retinere. Quia verò hic modus conditionis continet quandam coactionem moralem respectu superioris, ideo talis facultas concedenda non esset, nec talis donatio admittenda, videtur enim superior cogi ad concedendum tali religioso huiusmodi rem, & vsum eius, ne religio videatur omnino illa commoditate priuari. Sed hoc minus incommodi est, quàm admittere illud priuatum commodum, cum vmbra, ne dicam specie palliatæ proprietatis, quæ in magnum detrimentum religionis vergere potest.

*Legatum repugnans paupertati religionis, est ipso iure nullum.*

35. Alio modo potest hæc donatio ex parte dantis fieri cum absoluta voluntate donandi. Et tunc dicẽdũ est, eum qui sic donat, verè spoliari dominio rei, transferri autem non in religiosum, sed in religionẽ (excipio Religionem S. Francisci, quatenus in hoc peculiari iure vtitur.) Hæc assertio sumitur ex communi regula iuris, quòd quidquid acquirit Religiosus, acquirit Religioni. c. *statutum* 18. q. 1. sicut seruus acquirit domino; nam in hoc æquiparantur, iuxta communem doctrinam Baldi, Plinii, & aliorum quos refert, & sequitur Nauar. commen. 2. de regul. n. 30. & sequentibus. Dices, hoc verum esse quando Religiosus acquirit, tunc autem non videtur acquirere, quia nec sibi cùm non possit, nec monasterio, cùm illud non consentiat. Respondetur, etiamsi religiosus sine vlla licentia accipiat aliquid, illud acquirere monasterio; quod docet expresse Innocentius in cap. *cùm olim*, de priuilegiis num. 3. vbi etiam monasterio vetante aliquid acquirere, si nihilominus acquiratur, dicit acquiri monasterio argumẽto l. *Etiam*. ff. de acquir. rerum dom. quæ parum certè probat, nam solùm dicit seruum furtiuum acquirere domino, qui bona fide eum emit, non tamen dicit acquirere domino inuito, seu prohibente acquisitionem. Eandem verò sententiam tenet Abbas in cap. *Cùm ad monasterium*, de statu Monach. n. 2. Nauarr. dicto comment. 2. num. 32. & 33. ratio autem reddi potest, quia cùm hoc cedat in commodum religionis, quantumcunq; contradixerit acceptioni, postquam tamen facta est, semper censetur illam acceptare, quatenus sibi potest prodesse, & non obesse; vel etiam dici potest, iure ipso esse validam, & acceptatam donationem. Fauetque Concilium Trident. sess. 25. cap. 2. de Regularib. ibi, *etiam quouis modo ab eis acquisita*, & infrà, *sed statim ea superiori tradantur, conuentuique incorporentur*.

*Religiosus quidquid acquirit, monasterio acquirit.*

36. Hoc autem cum hac moderatione intelligẽdum existimo, vt, quantum est ex parte donantis, & religiosi

*Limitatio resolutionis*

circa reuocationem talis donationis.

gioſi accipientis, res illa acquiſita ſit monaſterio, nec poſſit eorum arbitrio donatio reuocari; nihilominus tamen quandiu à Prælato acceptata non eſt, poſſit voluntate eius reſcindi, & res ipſa domino reſtitui. Moueor ex principio communiter recepto, quòd contractus factus à Religioſo ſine licentia Prælati valet, quatenus eſt vtilis monaſterio; poteſt autem à Prælato irritari, vt videre licet in Nauarro ſuprà, & latiùs infrà dicemus; idem ergo eſt de quacunque donatione, vel acquiſitione, valet enim, tamen à Prælato irritari poteſt, ſi iudicauerit non eſſe expediens religioni rem illam retinere, ſiue id propter rationem, vel vtilitatem temporalem, ſiue propter ſpirituale bonum Religionis. Dices, hoc non eſſe ſingulare in huiuſmodi rebus, ſeu bonis acceptis à religioſo, ſine licentia Prælati; nam etiam de aliis rebus monaſterij poteſt Prælatus diſponere prout expedire cenſuerit, quia ſunt eius adminiſtrationi commiſſa. Reſpondetur longè diuerſam eſſe rationem; nam alia bona ſunt ſub abſoluto, &, vt ſic dicam, ſub firmo dominio monaſterij, & ideo non poſſunt alienari, vel expendi; niſi in vtilitatem monaſterii, vel ex iuſta cauſa, iuxta regulam, & conſuetudinem monaſterij. In præſenti verò caſu, acquiſitio facta ſuperiore repugnante, vel ſine ipſius licentia tacita, vel expreſſa, nondum eſt firma, licet ſit valida, nam irritabilis eſt per ſuperiorem, & ideo talis irritatio non eſt propriè alienatio bonorum monaſterii, multoque faciliùs, & ex leuioribus cauſis fieri poteſt.

37. *Vltima dubitatio, an acceptio quoad ſolum vſum ſit peccatum graue ex vi ſolius materiæ.*

Vltima dubitatio ſupereſt circa hanc acceptionem, ſi ſit quoad ſolum vſum, dominio remanente apud donantem, an ſit etiam contraria paupertati, & poſſit eſſe ex vi ſolius materiæ, ſeu quantitatis eius peccatum mortale. Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia ibi nulla eſt proprietas, neque proprietarius vſus; ergo non eſt tranſgreſſio paupertatis, ſed ſolùm obedientiæ, ſeu alicuius regulæ. Antecedens patet, quia ille, nec directe neq; indirecte accipit dominium, quia vt ſupponimus, ita accipit rem, vt ſemper poſſit à donante repeti, quandiu conſumpta non fuerit; neq; etiam accipit vſum proprietarium, quia non habet illum nomine proprio, ſed nomine alterius, ſcilicet veri domini: ergo.

38. *Duplex genus bonorũ vſu conſumptibilium.*

Hæc dubitatio magna ex parte pertinet ad tertium membrum ſuprà propoſitum, de vſu rerum contrario paupertati. Et ideo breuiter aduertendum eſt, ſermonem eſſe poſſe de bonis, quæ ſuo proprio vſu conſumuntur, vt maximè ſunt, quæ pertinent ad cibum, & potum, & inter hæc bona poteſt etiam pecunia numerari. Alia verò ſunt bona, quæ licet mobilia etiam ſint, & corruptibilia, habent tamen permanentem vſum omnino diſtinctum à proprio dominio, & diſtincto pretio æſtimabilem; & vtraque ex his bonis accipi poſſunt, vel ad vnum tantùm actum tranſeuntem, vel vt retineantur, & conſeruentur ad durabilem vſum, vel vt paulatim conſumantur. Denique poſſunt hæc bona vel vſurpari à Religioſo ex communibus bonis monaſterii, vel accipi ab aliquo externo ex bonis eius cum expreſſa, vel ſubintellecta declaratione, quòd ſolùm ad vſum recipiantur.

39. *Prima aſſertio de bonis monaſterii vſurpatis.*

Primò ergo dicendum eſt, vſurpari aliquo ex dictis modis propria authoritate aliquid ex communibus bonis monaſterii, ex ſe contra paupertatem eſſe, imò & contra iuſtitiam; ſæpe autem excuſari à peccato mortali, ex parte materiæ, præſertim quando per talem vſum bona non conſumuntur extra religionem. Probatur regula in generali, quoad paupertatem, quia talis vſurpatio eſt actus proprietatis, ſit enim propria authoritate tanquam à proprio domino, ſine vlla licentia Prælati, vt ſupponimus: quoad iniuſtitiam verò, quia eſt vſurpatio rei alienæ inuito domino, ſcilicet ipſa religione apud quam eſt tantùm bonorum dominium, vel adminiſtratio æquiualens quantum ad hoc (vt Minores comprehendamus.) Atque hinc ſequitur talem actum duplici titulo eſſe peccatum mortale ex ſuo genere, ſcilicet, religionis, & iuſtitiæ. Neque in hoc inuenio diſſenſionem inter authores, nec rationem dubitandi; nam quæ in principio poſita eſt, ad ſummum procedit in bonis extrinſecus aduenientibus, quorũ vſus à vero domino conceditur, de quibus dicetur ſtatim; nam in bonis religionis hoc locum non habet. Dixi tamẽ, ſi propria authoritate hæc bona monaſterii vſurpet, nam ſi verus dominus illorum, id eſt, religio talem vſum conceſſiſſet, eo ipſo eſſet licitus quantum eſt ex parte iuſtitiæ, & paupertatis, tunc autem iam non eſſet caſus de quo loquimur, quia iam talis acceptio ad vſum non eſſet ſine licentia Prælati, nam per illum conſtare debet de voluntate religionis.

40. *Difficultas quale ſit hoc peccatum in re, dicendum.*

Difficultas autem non parua eſt, in explicanda, & confirmanda grauitate culpæ in indiuiduo, cùm religioſus propria authoritate pecuniam, vel aliud ex communibus bonis monaſterii vſurpat. In qua re, (vt hoc ſemel dicam) duo extrema cauenda ſunt, ſcilicet, ne nimium alleuiando culpas relaxationi occaſionem tribuamus: & ne religioſiùs quàm par eſt eas aggrauando, homines fragiles (quales maiori ex parte ſumus) periculis exponamus; & quia hoc poſterius grauius eſt, magiſq; religioni contrarium; ideo ſi in aliquod extremum (quod vitandum eſt quoad fieri poſſit) inclinandum ſit, potiùs ad lenitatem quàm ad rigorem propendendum eſſe. In prædicta ergo difficultate, in primis cẽſeo acceptionem pecuniæ maximè eſſe deteſtabilem in hac materia, neque in ea poſſe diſtingui acceptionem quoad vſum, vel quoad dominium, quoad moralem violationem paupertatis, tantum enim valet vſus eius, quantum ipſa, & æque damnificatur religio accepto vſu, quo expenditur ipſa pecunia; & quoad hoc parum refert quòd pecunia accipiatur ſtatim expendenda, vel retinenda, & conſeruanda pro aliqua opportunitate; nam licet hoc poſteriori modo multùm augeatur deformitas culpæ & proprietatis, tamen vtrumque per ſe ſufficit ad culpam mortalem, ſi materia attingat quantitatem, ſaltem quatuor argenteorum, iuxta ſuperiùs dicta, & interdum poterit minor ſufficere iuxta occurrentes circumſtantias. Nec videtur ſufficiens excuſatio ab hac culpæ grauitate, quòd fortaſſe pecunia expendatur, emendo aliquid, quod loco illius bonis Monaſterii incorporetur: nam licet damnum religionis inde minui videatur, tamen actus ipſe nimis proprietarius eſt, & in rigore iuſtitiæ etiam illa eſt grauis iniuria.

*Reſolutio prima de pecunia vſurpata.*

41. *Ratio ſecunda de vſurpatione bonorum vſu conſumptibilium.*

Deinde in aliis bonis vſu conſumptibilibus, pertinentibus ſcilicet ad cibum, & potum, ſi tantùm ad proprium vſum actualem, vt ſic dicam, & tranſitorium aliquid ſumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, niſi damnificatio religionis eſſet nimia, & in re extraordinaria ac pretioſiore, extra huiuſmodi enim caſum res huiuſmodi reputantur leuioris conditionis; & quamuis Prælatis hoc diſpliceat, non tamen ita ſunt inuoluntarij, vt illam reputẽt materiam grauem in ordine ad paupertatem, ſed ſolùm in ordine ad decentiam, & perfectionem religionis. Accedit, quòd Religioſi quoad vſum huiuſmodi rerum tractantur vt filii, inter parentem autem & filium non cenſetur ſimilis actio grauis. Secus verò eſſet ſi huiuſmodi res in magna quantitate acciperentur, & occulte retentæ paulatim conſumerentur; nam illud eſſe poſſet graue peccatum, quamnis ad

Quid de-beat vsus ad id discernendum in particulari magna prudentia necessaria sit. De aliis verò rebus, quæ vsu non consumuntur statim, si non accipiantur, vt oc-

cultæ, & tanquam propriæ possideantur, sed solùm ad vsum publicum, & expositum arbitrio superioris, sicut retinentur res aliæ, ordinarie existimo materiam esse solùm peccati venialis, nisi peculiares circumstantiæ intercedant, quæ indicent deformitatem grauiorem, vt si id fiat frequenter, & quasi ex animo deliberato applicandi illo modo res monasterii ad suum vsum, vel si ob eam causam priuarentur alii vsu talis rei cum notabili incommodo illorum, aut monasterii, de qua re plura in sequentibus dicemus.

42. Secundò dicendum est accipere dicto modo aliquid ad quemcunque vsum proprium ab aliquo extraneo de bonis eius, non est peccatum injustitiæ; tamen etiam est contra votum paupertatis. Prior pars constat, quia ibi nihil accipitur inuito domino, volenti autem non fit iniuria. Posterior pars probatur, quia ille etiam est actus proprietatis repugnantis paupertati religiosæ. Nam licet in eo casu religiosus non vtatur tali re vt dominus eius; tamen in acceptando illo vsu se gerit vt dominus, vsus autem ille pretio æstimabilis est; nam si sit actus, quo res consumitur, tanti est æstimabilis moraliter, quanti res ipsa; si autem vsus, salua substantia rerum, sit pretio æstimabilis, distincto à valore rei, qui ergo illum vsum accipit suo arbitrio, & sine licentia, iam accipit aliquid pretio æstimabile proprio arbitrio, & sine facultate superioris; ergo quoad id se gerit vt dominus. Vnde licet per votum paupertatis non excludatur simpliciter vsus facti, à superiore concessus; excluditur tamen vsus facti proprio arbitrio vsurpatus, etiamsi ille vsus à domino concedatur, hoc enim pertinet ad rationem iustitiæ, & non ad rationem paupertatis. Confirmatur, & declaratur; nam dominus concedendo talem vsum concedit planè aliquod ius vtendi, quod ius æstimabile pretio est, etiamsi pendeat à domino, qui potest illud reuocare: ergo paupertas læditur, cùm tale jus proprio arbitrio recipitur, & in actum reducitur. Atque hoc etiam confirmat vsus, & communis sensus religiosorum, qui hoc modo, & intentione intelligunt emitti votum paupertatis, scilicet non habendi rem vllam, neque vtendi illa, nisi ex voluntate Prælati; vnde omnis vsus sine hac licentia expressa, aut interpretatiua proprietarius censetur, etiamsi non sit de rebus propriis, sed de alienis.

43. Ad indicandum autem de grauitate culpæ, quando vsus est salua substantia rei, non est considerandaquantitas, seu valor rei quæ ad vsum conceditur, sed sola æstimatio ipsius vsus, quia solus ille accipitur, & ex hac parte sæpe multum minuetur culpa. In aliis autem rebus, quæ vno vsu consumuntur, parum refert distinguere vsum à dominio, quod ad præsens attinet, quia si res consumitur, tota res accipitur, cùm vsus accipitur; & ideo iuxta superiùs dicta de quantitate huius materiæ, de hac etiam acceptione iudicandum est, erit que maior grauitas si res in magna quantitate accipiatur, vt occulte retenta paulatim consumatur; nam accipere solùm rem ad vnum tantùm actum vtendi, v.g. comedendi, aut bibendi, regulariter non æstimatur materia grauis in ordine ad paupertatem, quidquid sit de obedientia, vel alia obseruantia religiosa. In acceptione autem pecuniæ semper est maior deformitas, idemque est in illa accipere vsum quoad dominium.

44. Imò censeo, licet mutuò accipiatur, non excusari a culpa graui, quamuis tunc necessaria videatur maior quantitas, quàm si dono acciperetur, quia reuera iuxta moralem æstimationem minus est id, quod accipitur. Quoniam verò per mutuum, quantum ex vi contractus, acquiritur dominium cum obligatione soluendi, ideo talis actio proprietaria est, & repugnans paupertati, tum quia per eam accipitur aliquid tanquam proprium, cùm sine licentia accipiatur, tum etiam, quia obligatur religiosus ad aliquid reddendum propria etiam authoritate; quæ obligatio neque in ipso firma esse potest, nec moraliter loquendo impleri, si pecuniam expendat, cùm neque ipse habeat vnde soluat, neque etiam monasterium in eo casu obligetur. Loquimur enim, quando mutuum propria authoritate accipitur, sine voluntate tacita superioris, & expenditur in vsus non necessarios, ad quos religio non tenebatur. Nam si religiosus de licentia superioris esset absens, & ægrotaret, vel alia ex causa indigeret ad vsus sibi necessarios, quibus religio debet, & solet prouidere, tunc in accipiendo mutuo non est proprietas, cùm sufficiens licentia intercedat, & religio tenebitur ad solutionem eius, cùm teneatur religio in necessariis prouidere. Quod cum aliis notauit Turrecremata in dicto cap. *Non dicatis*. art. 7.

*Accipitur pecunia mutuò.*

Dices interdum potest religiosus aliquam pecuniam accipere, vt eam reddat tertiæ personæ, quod non videtur esse peccatum graue, quia ibi religiosus nihil videtur sibi acquirere, sed tantùm esse instrumentum, quo pecunia illa donetur tertiæ personæ; ergo accipere pecuniam iterum reddendam ipsimet domino, non erit peccatum graue contra paupertatem. Respondeo distinguendo antecedens, dupliciter enim potest id fieri, primò, vt res immediate donetur religioso, quamuis ipse eam accipiat animo donandi illam tali personæ, & non retinendi illam, vt propriam; secundò, quòd donatio immediate fiat tertiæ personæ, etiam ex intentione ipsius dantis; ipse autem religiosus solùm sit veluti minister, & sequester quo mediante pecunia ab vno in alium transfertur. Si ergo antecedens intelligatur priori modo, falsum assumit, quia illud ex genere suo peccatum graue est; imò duo peccata ibi interueniunt, vnum accipiendo, nam est actus proprietatis, & dominii; aliud postea dando tertio, tum propter eandem rationem, tum etiam quia iam fit iniuria religioni, cui jam fuit jus acquisitum per priorem acceptionem. Si verò antecedens intelligatur in posteriori sensu, sic verum est quod assumitur; nam illud reuera non est contra paupertatem, poterit autem esse contra regulam, vel obedientiam, si in religione prohibitum sit, ne aliquid simile absque licentia fiat. Et ita resoluit Sanchez lib. 6. de matrim. disput. 4. §. sextò infertur. In eo autem sensu non recte infertur consequens, nam qui mutuò pecuniam accipit, dominium acquirit quantum est ex modo actionis, & de illa potest tanquam dominus disponere, licet teneatur eam postea soluere. Esset autem simile si religiosus acciperet ab alio pecuniam tantùm in custodia vt eam reddat quoties dominus voluerit, illud enim per se non est contra paupertatem, licet possit esse contra obedientiam, & contra decentiam religiosam, si occulte fiat. & in vniuersum cauendum est in huiusmodi actionibus, ne aliquid palliate, vel simulate fiat contra paupertatem, quod multum pendet ex tacita intelligentia, & bona, vel mala fide operantium.

45. *Obiectio.*

*Respondetur sub distinctione.*

*Accipere pecuniam in custodia non est contra paupertatem.*

* *
*

## CAPVT XII.

### *De possessione seu tentione alicuius rei contra religiosam paupertatem.*

1. SEcunda actio, vel quasi actio dominij est possessio, seu retentio temporalium bonorum, quæ quatenus talis est, manifeste repugnat paupertati religiosæ. Dico autem, *quatenus talis est*, quia de facto aliquid huiusmodi in particulari habere, absolutè non repugnat voto, imò quoad aliquid moraliter necessarium est, quo sensu non repugnat religioso habere pecuniam, iuxta cap. *Monachi*, de statu Monach. cum ibi notatis, & per Nauar. comment. 1. de Regular. num. 14. & comment. 2. n. 14. Solum ergo peculium proprietarium huic voto repugnat, vt ex eodem cap. *Monachi*, constat, & ex aliis, quæ Nauarrus suprà expendit. Explicandum ergo superest, quæ sint signa possessionis, seu tentionis proprietariæ, & quomodo quantumve in ea peccetur contra paupertatem.

*Peculium proprietarium repugnat paupertati.*

2. Primum ergo, ac præcipuum signum est, possidere aliquid sine legitima licentia Prælati. habetur expresse in dicto cap. *Monachi*, vbi primùm prohibetur, ne monachi peculium permittantur habere, inf. verò declaratur, *nisi ab Abbate fuerit pro iniuncta administratione permissum*, & subjungitur grauissima pœna contra eos, qui aliter inuenti fuerint habere peculium; nam in vita remouentur à communione altaris, scilicet, nisi resipiscant, & in morte priuantur suffragiis, & sepultura Ecclesiastica, scilicet, si in eo statu moriantur. Vnde constat hanc vnicam conditionem, scilic. carere facultate superioris, esse sufficiens argumentum proprietarij peculij, ad quod etiam facit c. *Non dicatis*. 12. quæst. 1. & cap. *Cùm ad Monasterium*, de statu monach. cum similibus, quæ ibi à glossis citantur, & concordant ibidem Doctores, Panormitanus, in dicto cap. *cùm ad Monasterium* num. 8. Innocentius, Hostiensis, & alij. Gerson in tract. contra proprietarios, habetur 1. p. Alphab. 22. lit. M. (quamuis alliqui censeant non esse illius.) D. Antoninus 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 11. Sylvest. *Religio* 6. quæst. 7. Corduba latè in summa q. 54. Ratio iuxta supradicta facilis est, quia, qui possidet aliquid sine facultate superioris, non alieno, sed proprio nomine illud possidet; ergo tanquam proprium possidet; ergo violat votum paupertatis, & ex hac parte sacrilegium committit. Aliunde autem etiam videtur furtum committere, quia contrectat, & retinet rem alienam inuito domino, quia illa res non est sua, sed religionis, & sine eius consensu illam vsurpat, & retinet tanquam dominus eius; constat ergo hoc esse peccatum graue ex genere suo.

*Primum signum peculij proprietarij.*

3. Vnde à contrario infertur primam conditionem, necessariam religioso ad possidendum aliquid sine proprietate, esse facultatem Prælati. Dico autem esse necessariam; nam sine illa non potest vitari vitium proprietatis, propter rationem factam, & allegata iura. An verò è contrario, hæc conditio, seu facultas superioris sufficiat, vt vitetur proprietatis peccatum, controuerti potest; faciliùs enim committitur peccatum, quàm vitetur, & ideo licet carentia facultatis sufficiat ad hoc peccatum committendum, adhuc incertum est, an posita contraria conditione vitetur tale peccatum. Sed in hoc iuxta superiùs dicta respondendum censeo, aliud esse loqui in genere de peccato contra votum paupertatis; aliud in specie de peccato proprietatis; hîc tantùm loquimur hoc posteriori modo. Et ita censeo sufficere facultatem superioris, vt vitetur peccatum proprietatis, dummodo facultas ad totam possessionem extendatur, vt infrà declarabo. Et ratio est suprà tacta, quia eo ipso quòd interuenit facultas superioris, & dependentia ab illa, iam res non possidetur nomine proprio, sed religionis; non ergo habetur vt propria, sed vt communis; ergo non peccatur peccato proprietatis. An verò alia ratione peccari possit contra paupertatem, non obstante licentia superioris, infrà dicemus. Consequenter verò declarandum mihi occurrebat, quæ facultas superioris sufficiat, vel necessaria sit. Sed in hoc applicanda est doctrina data de acceptione; illa enim generalis est, & ita traditur ab authoribus, nam quoad hoc eadem est in præsenti ratio, & facilè ex dictis constat. Item occurrebat hîc quæstio de quantitate materiæ sufficiente, vt proprietarium peculium sit peccatum mortale; sed in illa etiam nihil noui dicendum occurrit, præter ea quæ in superioribus diximus.

*Dubitatio, an sufficiat facultas Prælati ad vitandam proprietatem.*

4. Secundum signum peculii proprietarij assignari solet, quòd res possessa ita occultetur, vt non possit à Superiore inueniri; sumitur ex citatis iuribus & authoribus, & ex cap. *Ioannes*, de Regularib. vbi dicitur, non licere monacho *peculiare* quidquam habere. Id autem quod ita habetur, vt occultetur omnino superiori, satis peculiare est, & vt tale habetur. Vnde Panormit. ibi num. 6. cum Ioanne Andrea notat, ibi reprehendi peculium in religioso, peculium autem declarat esse quod habet ignorante superiore, vel cum animo non dimittendi illud ad libitum, seu iussum superioris, hunc autem animum ostendit, qui rem occultat superiori. Vt autem intelligatur an hoc signum sit diuersum à præcedenti, & quomodo accipiendum sit, aduertendum est, variis modis posse hoc contingere; primò, quòd res à principio accepta sit sine vllo consensu superioris etiam præsumpto, & eodem modo occulte seruetur, & hoc est clara, & maxima proprietas in modo retinendi; tota autem ratio culpæ consistit in priori defectu, cuius indicium est hæc rei occultatio, & præterea indicat pertinaciam in priori voluntate habendi aliquid sine consensu superioris, & præterea indicat animum non paratum ad relinquendam talem pro arbitrio superioris; quod non parum aggrauat culpam. Et ideo peccare religiosum contra paupertatem, qui rem, quam etiam facultate superioris accepit occultat, docent prætereitatos, D. Bonau. in specul. discipul. ad nouit. p. 1. cap. 4. Sylvester *Religio* 6. quæst. 7. Valent. disput. 10. quæst. 4. punct. 3. Mendoça in quodlib. quæst. 8. conclus. 3. Vnde indicium hoc verum habet non solùm in bonis, quæ ab aliquo extra religionem accipiuntur, & in ea hoc modo retinentur, sed etiam quando aliquid ex bonis religionis hoc modo vsurpatur, & retinetur; nec solùm quando aliquid dono accipitur, sed etiam quando accipitur commodato ad solum vsum, præsertim diuturnum; erit autem tunc leuior culpa ex paruitate materiæ, iuxta superiùs dicta. Et similiter quando ex bonis monasterii acciperetur aliquid, non vt perpetuò retineatur occultè, sed ad certum tempus pro aliquo vsu; tunc diminueretur culpa ex parte materiæ; quanta autem sit diminutio, arbitrio prudentis iudicandum est, applicando regulas & coniecturas, in superioribus positas.

*Secundum signum proprietarij.*

*Primum modus præsidendi occultum à superiore.*

5. Secundò potest contingere, vt à principio res sit accepta sine licentia expressa, non tamen sine præsumpta, & ideo sine peccato graui; postea verò occultetur superiori, & ita retineatur. Et in hoc casu non videtur illud signum sufficiens proprietatis, sed distinguendum videtur. Duplici enim intentione id fieri potest, primò, ne forte sit superiorem rem talem auferat, & consequenter, nec possit auferre, & tunc sine dubio proprietas committitur, etiamsi quis semper probabiliter præsumat, superiorem

*Secundus modus occultandi se superiori.*

periorem non ablaturum, sed permissurum possessionem, & vsum talis rei, quia illa intentio occultandi rem, ne possit à superiori auferri, facit, vt hæc voluntas præsumpta nihil operetur, quia tunc possessio, & retentio talis rei, iam non fundatur in illa, cum talis religiosus habeat animum habendi rem illam; quidquid superior velit; vnde licet magis præsumat superiorem fuisse consensurum; tamen illa præsumptio solùm se habet quasi concomitanter, non verò tanquam ratio habendi, quæ excludat proprietarium animum. Alia verò ratio occultandi esse potest solùm ne superior intelligat, ipsum accepisse talem rem non petita facultate, cùm alioqui paratus sit eam relinquere, si superior subeat, & tunc videtur excusari posse à proprietate, quia illa occultatio non indicat animum proprietarium, & alioqui, vt supponimus, semper durat in ipso religioso probabilis existimatio, quòd superior daret facultatem ad rem illam habendam si ab eo postularetur. Ergo possessio illius rei non est sine facultate sufficienti ad excusandam proprietatem; modus enim occulte retinendi, non est tunc contra substantiam paupertatis, sed contra conuenientem ordinem obedientiæ, sicut suprà dicebamus de receptione sine facultate expressa, quando superior est inuitus circa modum accipiendi; nam illa etiam acceptio ob hanc causam occulte fit. Quamtùs autem hæc excusatio videatur in rigore sufficiens, maxime quando illa occultatio solùm est ad tempus; nihilominus moraliter cauenda est, quia non caret periculo, si sit diuturna, quia de facto priuatur Prælatus potestate disponendi de illa re, quæ iam est acquisita monasterio, & ex hac parte videtur actio iniuriosa, & proprietaria ex necessitate materiæ, vt sic dicam, etiamsi non sit intenta; nec quoad hoc habet locum præsumptio voluntatis superioris; nam talis præsumptio esset irrationabilis. Ex illo ergo capite semper hæc occultatio videtur esse contra paupertatem, eiusque materia etescit, quæ est diuturnior; sicut retentio rei alienæ eo est grauior, quo est morosior, & ideo assero posse in tali occultatione esse periculum peccati mortalis. Hoc autem intelligendum est de occultatione totali, & absoluta, per quam ita res occultatur, vt non possit inueniri facta mediocri diligentia; nam si solùm occultetur, ita vt non statim per se pateat, nisi quæratur, & alioqui id fiat prædicta intentione, & cum voluntate præsumpta superioris quoad substantiam facti, seu retentionis rei, sic facilius excusabitur culpa grauis. Minor autem etiè culpa si res non occultetur, sed solùm ita miscea-tur, vt confundatur cum aliis rebus monasterii, quas religiosus cum licentia teneat, vt non possit in suspicionem venire, nec discerni an sit ibi aliquid sine licentia acceptum.

Tertiò potest contingere, vt in principio res fuerit accepta, & possessa cum licentia expressa superioris, postea verò discursu temporis occultetur, ne possit, & contingat auferri; & tunc dubitari potest, an hoc sufficiat ad proprietatem. Et ratio est, quia talis religiosus, nunquam possidet illam rem vt propriam, sed semper nomine alterius, quia licentia priùs data semper durat, & in virtute eius res tenentur. Nec videtur sufficere, quòd religiosus timeat, aut præsumat, superiorem ablaturum rem illam, si eam videat, vel apud eum inueniat; nam hæc præsumptio non sufficit ad reuocandam priorem licentiam; & alioqui non videtur esse contra paupertatem occultare rem solùm ne possit extare mentem, aut memoriam superioris, vt illam forsasse auferat. Respondeo nihilominus si occultatio sit absoluta, ita vt res omnino lateat, esse contra paupertatem, & ex tunc retentionem incipere esse proprietariam. Et in primis si religiosus intelligat priorem licentiam esse reuocatam, vel finitam nisi renouetur, iuxta regulam, vel vsum religionis, clara est proprietas, quia tunc proinde se habet, ac si prior licentia non intercessisset. Deinde quamuis a-liàs non sit reuocata, per talem occultationem efficitur, vt cesset effectus eius, quia iam non retinetur res ex vi illius, sed ex proprio arbitrio, tum quia illa licentia non fuit ad habendam illam rem proprietatio modo; tunc autem incipiet habere modum proprietarium, priuando nimirum superiorem potestate disponendi de illa re, & auferendi illam; tum etiam, quia per illam occultationem facit Religiosus licentiam iterum irreuocabilem, quantum in ipso est; licentia autem irreuocabilis in hac materia est iniqua & nulla, quia repugnat paupertati; quod enim ita habetur, vt ab alio repeti non possit, habetur vt proprium, etiamsi à principio ex voluntate illius fuerit possessum. Atque hæc doctrina communis est Doctorum, quos suprà retulimus, & statim referemus.

7. *An habere aliquid claui obseratum sine licentia Prælati, sit vitium proprietatis.*

Ex hoc autem inferunt aliqui habere aliquid claui obseratum sine licentia superioris, quoad illum modum habendi esse peccatum proprietatis, etiamsi alioqui res ipsa cum licentia habeatur. Tribuitur hæc sententia Aluaro Pelagio lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 67. versus finem, vbi specialiter loquitur de fratribus minoribus, & inter modos proprietatis numerat: *Claues cellarum tardando per dies extra locum Prælato non assignare, claues capsarum, in quibus patres habent vestilia, & supellectilem, per spatium dierum eundo extra locum, ne fratres vtantur illa rebus Prælatis non assignatis.* Quam sententiam sequuntur Cordub. in expositione regulæ cap. 6. quæst. 9. & Serena Conscientia quæst. 81. qui ex D. Bernard. no idem referunt. Citantur etiam D. Antoninus 3. p. tit. 16. cap. 11. §. 11. sed ibi non loquitur specialiter de claui, sed generatim ait peculium proprium esse quidquid celatur Prælato, vel tenetur contra voluntatem eius; & subiungit quidquid habeatur de licentia Prælati, non esse proprietatem, si nihil ei celatur, tam de quantitate, quàm de qualitate rei: an verò sub claui tenere sit celare, non exprimit; neque plus dicunt doctores alii, quibus etiam solet hæc sententia attribui. Panormitan. in cap. *Cum ad Monasterium*, de statu monachor. num. 8 & consil. 88. 1. part num. 6. Gregorius Lopez in l. 14. titul 7. partita prima. Magis indicat illam sententiam Gerson Alphabet. 23. liter. R. vbi late contra proprietarios disputans inter alia inquit: *Nec tibi seruare debes, aut in vsum accipere quod tuum non est, quid ergo custodis non tuum? repone in communi, quod tuum non est, sed omnium, neque clauem desseras, qui clauem habere non debes.* Potest autem illa sententia suaderi, quia in iure ciuili clauis est signum proprietatis, seu proprietariæ possessionis, quæ per clauium traditionem dari solet, iuxta leg. *Clauibus*. ff. de contrahen. empt. & exponit late Tiraquellus in tractatu de iure constituti possessorii 2. p. 3. ampliat. 3. nu. 5. & 4. & Couarr. lib. 3. variarum cap. 16. num. 11. propter quod etiam antiqui Patres vsum clauium in religiosis reprehendebant, vt videre licet in Cassian. lib. 4. de instituti. cap. 15.

8.

Veruntamen circa hoc distinguere opus est. Nam vsus clauis permissus est in religione saltem de licentia superiorum. quamuis enim in regulis religiosorum prohiberi soleat, vt infrà videbimus tractando in speciali de paupertate Societatis, tamen nunquam excluditur quin de licentia superiorum liceat, quæ in aliquibus religionibus generaliter concedi-

tur, in

tur, in aliis verò necessaria est licentia specialis, quæ etiam in quibusdam non nisi rarò, & ex graui causa conceditur particularibus personis; in aliis verò facilius datur. Si ergo particularis religiosus de licentia superioris legitimè obtenta iuxta regulam, vel probatam consuetudinem suæ religionis, clauem habeat, tunc claus non est signum proprietatis, quia tunc ipsamet clauis non proprio, sed superioris non sine habetur. Clauis enim per se tantùm est instrumentum & signum custodiæ; possessionis autem propriæ tunc est signum, quando alicui proprio nomine, seu propter ius proprium confertur; nam si clauis conferatur vni, vt procuratori alterius, non procurator, sed dominus propriè dicetur possessionem acquirere. Non est ergo clauis semper signum proprietatis in eo, qui defert illam. At verò si quis absque licentia superioris expressa, vel tacita sub claui rem custodiat, in tantum potest proprietarius censeri, in quantum rem occultat superiori, & vult eam tenere modo ita proprio, & particulari, vt non commoditati, sed sibi soli eam reseruet, non sub communi custodia, sed propria, & (quod grauius est) ita, vt ipse superior non possit libere de illa disponere; quæ sunt signa proprietatis, vt ex omnibus authoribus citatis constat, præsertim ex Gersone suprà, & Alphabeto 22. vbi ex Augustino, Hugone Victorino, & aliis multum hoc exaggerat; & attigit Turrecremata d.c. *Nondicatis*, art. 5.

9. Addo verò, secluso scandalo, non debere hoc statim peccatum mortale iudicari, si alioqui religiosus reuera sit paratus ad omnia relinquenda, ad nutum superioris, & clauem tradendam, quoties ipse petierit, quia tunc animus proprietatis non esset, licet excedat in affectu, & in modo custodiæ contra regulam; & aliunde non obstante illo modo custodiæ, res custodita cum licentia habetur, & superior non omnino impeditur, quo minus de illa disponere possit petendo clauem, & puniendo abusum. In eo autem casu existimo habere locum, quod specialiter dicebat Aluarus Pelagius de religioso, qui dum absens est per plures dies, res suas sub claue relinquit, quam secum defert, & superiori non tradit; nam si hoc absque licentia eius fieret, magnum signum proprietatis est, magisque priuat superiorem libertate disponendi de tali re. Si autem superior etiam ad hoc facultatem dedit, non potest subditus proprietatis accusari, præsertim si non desit causa rationabilis, id enim impossibile non est, licet rarò fortè contingat; quid verò dicendum sit, quando licentia est irrationabilis, tam in hoc, quàm in aliis casibus, speciale dubium requirit.

10. *Dubitatio prima, an peccet religiosus contra paupertatem eo solùm, quod habeat aliquid ex licentia superioris irrationabiliter concessa.*

Dubitatur ergo vlteriùs, an possit religiosus esse proprietarius, vel peccare contra votum paupertatis, eo solùm, quòd habeat aliquid ex licentia superioris irrationabiliter cõcessa; hoc verò dubium magna ex parte expeditum suprà est, tractando de acceptione. Nauarrus ergo ibi citatus num. 21. comm. 2. de Regularibus indistincte affirmat, quando licentia est iniusta non excusare religiosum à proprietate: quod videtur etiam sentire, & satis exaggerare Gerson Alphab. 22. & 23. sequitur etiam Maior in 4. distinct. 38. quæst. 9. Cartus opere de Reform. Clausstr. art. 5. Nos autem supponimus non esse sermonem de licentia iniusta ex defectu libertatis per vim vel deceptionem superioris; nam de hac constat esse nullam: nec etiam esse sermonem de licentia iniusta in damnum tertii contra commutatiuam iustitiam, scilicet ad retinendam rem alienam inuito domino, nam hæc etiam est nullius momenti, saltem quoad excusandum ab iniustitia, licet valere possit ad excusandum à sacrilegio contra votum paupertatis, quamuis regulariter ac moraliter id non contingat, quia talis licentia non solet obtineri, nisi per deceptionem superioris, & ita erit subreptitia, & nulla. Est ergo sermo de licentia iniusta ex parte causæ. Cùm enim bona religionis communia sint, non potest superior pro suo arbitrio ad particularem vsum, vel possessionem illam applicare, sed prout cuique opus est, (Actor. 4.) Quando ergo alicui datur licentia habendi in particulari peculio aliquid, quod nec necessarium, nec vtile sibi est, talis licentia iniusta censetur, ex sententia omnium, vt patet ex Turrecremata, & Nauarro suprà; qui meritò dicunt peccare superiorem dando huiusmodi licentiam.

Nihilominus tamen dicendum est, non esse proprietarium religiosum habentem in suo peculio aliquid cum huiusmodi licentia. ita tenent Turrecremata suprà art. 2. & Antoninus 3. p. tit. 16. c. 1. § 11. circa finem, qui citant Vmbertum; & alii quos in simili dubio de acceptione iniusta suprà citauimus. Ratio est, quia ille religiosus tunc non possidet rem illam nomine proprio, sed dependenter à voluntate superioris, semperque est paratus, vt supponimus, ad illam relinquendam, si ipse iusserit; nihil autem aliud requiritur ad excusandam proprietatem, vt constat ex vi vocis, & ex omnibus authoribus citatis, præsertim Panormitano, in cap. *Quando*, de offic. ordin. cap. *Ioannes*, de regularibus, & cap. *Cùm ad Monasterium*, de statu Monach. Confirmatur, quia talis licentia, licet iniusta, non est nulla: vt enim suprà notauimus, talis licentia non est dispensatio in voto paupertatis, sed est concessio quædam circa materiam remotam paupertatis, quæ facit moralem mutationem, in materia proxima, quæ est habere talem rem nomine proprio, vel alieno; & quoad hanc mutationem efficax est illa licentia, quia licet sit sine iusta causa, est ex potestate sufficienti; ergo illa sufficit, vt non committatur peccatum proprietatis.

11. *Dubium secundum, an religiosus in hoc committat aliud peccatum.*

Quæri verò vlteriùs potest an in hoc committat religiosus aliud genus peccati, contra votum paupertatis, vel contra aliam virtutem, nam authores citati grauiter hoc reprehendunt adeò vt significet, religiosum in hoc mortaliter peccare; dum autem volunt speciem eius exponere, nihil satis verisimile afferunt; nam inprimis dicunt esse peccatum auaritiæ; quia retinet sine rationabili causa. Sed auaritia inprimis non est peccatum mortale per se, & ex genere. secluso iniustitia, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. q. 118. art. 4. Deinde malitia auaritiæ maxime pendet ex effectu, & fieri optime potest, vt religiosus, non teneat huiusmodi rem ex ordinato affectu ad illam liberalitati contrario, sed ex alio fine. Vlteriùs verò ait D. Antoninus, peccare huiusmodi religiosum, quia fæculariter viuit, volens abundare contra cap. *Relatum*, ne cler. vel monach. Sed Pontifex in eo textu loquitur de monachis ita fæculariter viuentibus, vt regulam non obseruent, vt constat ex illis verbis, *Ideoque mandamus, quatenus eos ad obseruationem regulæ appellatione remota compellas.* In præsenti autem non agimus de speciali regulæ violatione, quæ iuxta regulæ obligationem, & rei qualitatem esse potest peccaminosa; sed agimus solùm de violatione paupertatis præcise ex possessione superflui peculii cum facultate superioris; quòd si hæc superfluitas, vel abundantia dicatur esse aliena ab statu religioso, & hac ratione pertinere potiùs ad fæcularem vitam, id non negabimus, tamen inde non potest inferri peccatum mortale, si alioqui non est contra votum, neque contra aliquod speciale præceptum, sed erit imperfectio magna, aut peccatum veniale, propter indecentiam status.

Quo-

Quocirca si loquamur præcisè ex generali obligatione voti paupertatis, non possumus hoc damnare vt peccatum mortale per se, & ex genere, quia ex vitalis voti, non promittit aliquis nihil habere superfluum, sed solùm nihil habere proprium, nec per modum proprij, id est, etiam vsum, vel administrationem sine facultate, non vsurpare; si ergo hoc seruetur circa rerum abundantiam, non violatur paupertatis votum generatim sumptæ, si in generali tantùm ratione sua sumatur. At verò, si [illegible] vel ex speciali intentione, vel ex particulari [illegible]a, iuxta quam paupertatem vouet, obligetur ad specialem carentiam rerum superfluarum; tunc si votum est absolutum, & non includit conditionem hanc, *sine licentia superioris*, tunc non excusabitur à transgressione voti propter iniustam licētiam, etiamsi excusetur à peccato proprietatis, vt suprà in simili tactum est. Ex hoc verò capite vix poterit iudicari peccatum mortale, nisi ibi sit satis expressa & specifica intentio vouentis, vel vbi per statum religionis sufficienter declaratum sit illam esse materiam voti. Ex accidenti verò existimo sæpe esse posse peccatum mortale in hac superfluitate ratione scandali, quod vergit in magnum nocumentum, & dissipationem religionis. Item ratione cooperationis, vel inductionis superioris ad concedendam talem licentiam, in quo ipse per se etiam loquendo grauiter peccat si excessus nimius sit, quia infideliter agit, & iniuste, vel contra legalem iustitiam, & contra commune bonum, vel contra distributiuam inæqualiter dispensando res communes, vel contra commutatiuam abutendo sua potestate.

Ex his verò tandem sequitur licentiam superiotis nunquam posse ad hoc valere, vt liceat religioso possidere aliquid, cum proposito non relinquendi illud, etiamsi superior velit, seu licentiam reuocet, quia hoc esset habere rem animo proprietario, quod consequenter esset habere proprium, ad quod non potest superior licentiam dare, iuxta cap. *Cùm ad Monasterium*, de statu Monach. Et ideo non potest Prælatus, etiamsi maxime velit, dare hanc licentiam irreuocabilem, quia hoc virtualiter esset in voto dispensare, quod facere non potest; & ita docent Antoninus, Turrecremata, Syluester, & alij locis suprà citatis, & tanquam manifestum supponit Cordubain summa quæst. 54. notab. 2. Idemque supponit communis opinio Doctorum dicentium, non esse validam professionem, sub conditione, vt liceat retinere aliqua bona cum facultate irreuocabili, vt suprà late retulimus, disputando de forma profitendi; nam illa conditio censetur esse contra substantiam paupertatis: ergo etiam illa licentia est contra idem votum; nunquam ergo potest esse valida. Vnde etiam fit, vt nunquam possit propter talem licentiam licite occultari res superiori, ita vt ab ipso auferri omnino non possit, quia hoc repugnat facultati, quàm necessariò debet retinere superior, quàm sibi adimere non potest, per licentiam à se datam: non est autem idem de licentia custodiendi rem sub clave, & deferendi illam etiam ad distantem locum, vel per multum tempus, quia hoc non ita intrinsecè repugnat paupertati, sicut illud priùs, quamuis satis inordinatum sit, & vix possit excusari, nisi in aliquo raro casu. Aduertendum est autem in hoc puncto sermonem esse de Prælato respectu suiipsius, vel superiorum Prælatorum: sic enim nullus potest dare licentiam irreuocabilem vel à se, vel à suo superiore; potest tamen dare licentiam irreuocabilem ab omni inferiori Prælato, quia hoc intrinsecum est cuicunque facultati, nec tunc peccabit religiosus possidens aliquid cum proposito non relinquendi illud ad arbitrium Prioris, vel Abbatis, donec Prouincialis, vel Generalis, à quo habet, vt supponimus absolutam, & legitimam facultatem, illam auferat. Et hac ratione potest Papa dare licentiam religioso habendi aliquid, quod ab omnibus Prælatis religionis auferri non possit, quia potest dare licentiam irreuocabilem ab ipsis, quamuis ab ipsomet Papa reuocari possit, vt latiùs infrà dicemus agentes de dispensatione voti huius, & videri potest Corduba suprà, & Nauar. comm. 2. num. 14. & 15.

## Caput XIII.

### *Vtrùm religiosus post factam professionem, vel religionomine illius, retinere possit vsumfructum.*

RAtio dubitandi desumitur ex eo quòd interdum religiosus post solemnem professionem factam licite retinet vsumfructum bonorum, quem antea habebat sine directo dominio illorum: ergo hoc votum non obligat semper ad non retinendum aliquid, vt proprium. Antecedens patet, quia post professionem sæpe religio gaudet illo vsufructu, non potest autem gaudere, quia in ipsam translatum sit ius, nam vsusfructus sicut non potest alienari inuito principali domino, ita nec potest in alium trāsferri, vt notauit Molina tomo 1. de iustitia tract. 2. disput. 7. Sarmiento lib. 3. select. qq. cap. 9. Couarr. 1. var. cap. 8. num. 7. & Gama decis. 299. ergo in tantum monasterium fruitur, in quantum ius fruendi manet in ipsomet religioso: vnde nunquam monasterium fit proprie vsufructuarium, quia non fruitur nomine suo, sed nomine alterius: ergo ius ipsum fruendi manet semper in persona. 1. *Ratio dubitandi.*

Duæ verò quæstiones hîc sunt distinguendæ. Vna est, an commoditas vsusfructus omnino extinguatur per professionem. Alia est, si non extinguitur, apud quem maneat tam illa, quàm ius ad ipsam. Priorem quæstionem tractat glossa in cap. *Si quamuliter*, 19. quæst. 3. & in summa respondet non extingui vsumfructum, & consequenter non amitti vtilitatem eius. Idem sequitur Panormitan. in cap. vltimo de pignor. nu. 2. Syluest. *Religio 6.* in princip. & communiter Doctores, qui non afferunt speciale ius, quo id probent, sed solùm generalia iura, quæ asserunt bona, seu iura religiosi in religionem. Quod quidem non videtur multùm efficax, vt ex dicendis constabit. 2.

Vt ergo ratio, & veritas huius resolutionis intelligatur, & obiectioni factæ satisfiat, circa secundam quæstionem pro certo supponendum est, vsumfructum non posse manere apud religiosum professum quoad vtilitatem, & commoditatem fructuum, quia non potest illos percipere, nec illorum dominium acquirere, nec in proprios vsus sua authoritate conuertere: omnia enim hæc repugnant voto solemni paupertatis, & ita in hoc omnes authores conueniunt. Vnde qui dicunt vsumfructū non extingui per professionem, consequenter asserunt quoad vtilitatem transire in religionem. Et ob eandem causam hoc ipsum limitant, vt Sylu. adnotat, vt locum habeat in religionib. quæ possunt habere proprium in communi, quia aliæ non possunt habere fructus aliquos, vel prouentus: de iure verò ad ipsos fructus, in quo proprie vsusfructus consistit, non eodem modo loquuntur dicti authores: nam Panormitan. absolutè ait, non extingui, vt monasterium habeat vsumfructum in vita ingredientis; habere autem vsumfructum est habere ipsum ius: ergo sentit ius ipsum transire ad monasterium. Et ita etiam Sylu. simpliciter ait, transire vsumfructum in monasterium, citans Innocentium in cap. *in præsentia* de proba- 3. *Dubitatio, ad quem transeat ius ad vsumfructū, & ipse vsusfructus.*

probat. vbi in particulari de vsufructu nō loquitur, sed in generali, omnia iura religiosi transire in monasterium. Et idem tenet expresse Gigas quæ. 57. de Pensionibus n. 2. & 9. iuxta quam sententiam facilè respondetur obiectioni factæ negando assumptum, quia post professionem nullum ius ad fructus manet apud religiosum, sed in religione pro tempore vitæ ipsius. Contra hanc verò sententiam obstat ratio tacta, quòd repugnat naturæ vsusfructus transire ab vna persona in aliam.

4. Propter hoc dicunt alij, jus quidem manere in persona ipsius religiosi, quamuis commoditas transeat in monasterium. ita loquitur Bartolus in dicta Authentica *Ingressi* num. 42. quem sequitur Antonius Gomez lib. 48. Tauri num. 8. vbi refert plures alios; qui non omnes loquuntur de hoc particulari puncto, sed generatim, quòd vsusfructus non extinguitur per professionem, vt patet ex glossa in Authent. *Ingressi* C. de sacrosanctis Eccles iuxta quam sententiam ad obiectionem à nobis factam respondet Bartolus, monachum quantum ad sui commodum non posse habere proprium, tamen in commodum monasterij aliquando posse illud retinere; quod solùm confirmat argumento à simili ex l. *Cum filio*, ff. de legatis prima. Et quidem si tantùm consideremus statum perfectionis, & rationem ob quam religiosus priuatur omni proprietate bonorum, nihil repugnat hoc ius manere in religioso quasi materialiter, vel (vt sic dicam) quasi mortuum quoad ipsum, ad eum modum, quo manet vinculum matrimonii in coniugato professo ex licentia coniugis. Vnde potest confirmari hæc opinio, quia hîc cessat omnino ratio legis, quæ vetat, religiosum retinere aliquod ius; cessat autem, & negatiue, quia carentia talis iuris est impertinens ad perfectionem; & contrarie, quia cederet in detrimentum totius religionis, si tale ius separaretur à persona; quia non posset transire in religionem, & consequenter religio amitteret totum commodum vsusfructus. Quæ sententia sic explicata est probabilis, & potest facile defendi; mihi tamen non omnino probatur, quia est exceptio à iure communi in eo non satis fundata; & sine necessitate, vt ostendam. Item, quia aliàs non posset reddi sufficiens ratio, cur pensio extinguatur per professionem, quia ius posset manere in religioso, & vtilitas in religione. Item non posset ratio reddi, cur extinguatur vsusfructus etiam in religione, quæ non est capax proprii in communi, quia licet perciperet fructus, non ideo habebit proprietatem aliquam in communi, quia ius nunquam esset apud ipsum. Denique facile fingi possent alii casus, in quibus ob eandem rationem religiosus professus posset retinere dominium sine propria commoditate.

5. Propter hæc ergo alii dixerunt vsumfructum extingui per votum solemne paupertatis, quia ius illius nec in religioso manere potest, neque in religionem transferri; quia illud repugnat voto; hoc verò repugnat naturæ vsusfructus. Quam opinionem refert Panormit. suprà, & videtur tandem eam tenere glossa in dicto cap. *Si qua mulier*, in fine, vbi illam confirmat, quia vsusfructus extinguitur morte, non tantùm naturali, sed etiam ciuili, vt videre licet in authoribus suprà citatis, & in Angelo, & Syluestro verbo *Vsusfructus*, & Molin. dict. tract. 2. disput. 9. Sed professio est quædam mors ciuilis; cap. *Placuit* 16. quæst. 1. ergo. Secundò confirmatur, quia pensio est quidam vsusfructus, vel saltem vsufructui comparatur, sed illa extinguitur per professionem religiosam, vt obtendit Gigas citato loco ex capit. *Beneficium*, de Regular. in 6. vbi nomine beneficii iuxta communem interpretationem pensio intelligitur: ergo.

Nihilominus quoad hanc partem non censeo recedendum à communi sententia, tum propter authoritatem eius; tum quia est magis fauorabilis religioni; tum etiam, quia est consentanea generalibus regulis iuris communis in dict. Authent. *Ingressi*, cum similibus, quas etiam consuetudo ita interpretata est. Nec oportet limitationem adhibere in vsufructu, quem pater habet in bonis aduentitiis filii, quam quidam adhibent dicentes, si pater profiteatur in religione extingui vsumfructum; quia amittitur patria potestas, vt videre licet in Syluestro suprà, & Panormirano in cap. *In præsentia*, de approbationibus num. 57. vbi cum Bartolo aiunt, in eo casu dimidiam partem vsusfructus amitti, & dimidiam relinqui in monasterio; Couarr. autem in cap. 2. de Testamentis num. 8. absolutè sentit, tunc finiri vsumfructum, & manere apud filium. Communior autem sententia est, eandem esse rationem de hoc vsufructu, & de quolibet alio, quam sequuntur moderni suprà citati, & Pinel. in lib. 1. C. de bon. matr. p. 1. num. 47. & Nauarr. Comment. 2. de Regularib. num. 55. Quam sententiam nunc vt veriorem supponimus, quia solùm obiter rem hanc attingimus, non enim tractamus nunc quæ bona professi transeant in monasterium. Hoc ergo supposito, quòd commoditas vsusfructus in monasterio perseueret, ad obiectionem factam probabiliter credimus responderi posse, etiam ius fruendi, atque adeò simpliciter vsumfructum remanere in monasterio, & non in persona ipsius religiosi, vt sentiunt nonnulli ex dictis authoribus, & expressius Gigas num 9. dicens, esse specialem in fauorem religionis vt vsusfructus transeat in monasterium, & à persona vsufructuarii recedat, & tamen non extinguatur, argumento (inquit) legis *sunt personæ*. ff. de relig. & sumptib. funer. quatenus ait in ambiguis religionum quæstionibus nonnunquam strictam rationem omitti solere, nam summa est ratio, quæ pro religione facit: citat etiam in eandem sententiam Aretinum in repet. dictæ Authenticæ *Ingressi*. Ad quod etiam iuuare potest, quod Innocent. suprà notat, monasterium non esse propriè hæredem religiosi, sed sicut persona religiosi incorporatur monasterio, ita etiam iura illius incorporati eidem; atque ita hunc transitum esse alterius rationis ab omnia alia alienatione, vel translatione, ideoque in fauorem religionis habere locum etiam in vsufructu.

6. Et ita responsum est ad priorem difficultatem; ad aliam verò de pensionibus, quæ in vltima opinione tangebatur, quantum ad præsens spectat, respondemus, idem fore dicendum de illis, quòd scilicet per se non repugnarent voto solemni paupertatis, si Pontifices voluissent ius pensionarii cum illa amplitudine conferre, vt ipso facto per professionem transiret in religionem; nunc autem non ita confertur pensio, sed vt immutabiliter (vt sic dicam) adhæreat pensionario, nec possit vllo modo in alium transferri sine authoritate Papæ, quod constat magis ex consuetudine, & communi interpretatione Doctorum, quàm ex aliquo iure expresso. Et reddi potest congrua differentia inter ipsam, & alium vsumfructum merè temporalem; nam pensio est onerosa Ecclesiastico beneficio, & ideo seruitus illius dicitur, & ex hac parte est odiosa, & restringenda, nec respectu illius ita habet locum fauor religionis, nam etiam extinctio illius in rei sacræ commodum, atque adeò in fauorem religionis cedit. 7. *Quid de pensionibus quantum ad istum effectum.*

* * *

CAPVT

## CAPVT XIV.

### *Vtrùm liceat religiosis habere annuos reditus, seu bona stabilia ex superioris licentia.*

VLtimò dubitari potest circa hanc bonorum tẽtionem, seu possessionem, an liceat religiosis possidere in particulari bona immobilia, seu stabilia, illisque vti de li entia superioris. Et ratio dubitandi est, quia habere huiusmodi bona, & dominia, præsertim quoad vsumfructum, est habere proprium; nam est esse vsufructuarium; sed superior non potest dare licentiam ad habendum proprium: ergo. Confirmatur præcipuè ex Concilio Trident. sess.25. cap. 2. de Regular. vbi sic statuit. *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem aut commendam.* Per quæ verba non videtur Concilium voluisse nouum genus paupertatis introducere ad illud obligando, cùm hoc opus consilii sit, non præcepti: solùm ergo explicat vòti obligationem, eamque seruari præcipit. In contrarium autem est, quia talis possessio cùm non habeatur nomine proprio, sed Prælati, & dependenter à voluntate eius, non potest dici proprietaria, quia neque in re, neque in modo illa est possessio dominii: ergo quamuis bona, quæ possidentur, immobilia sint, non propterea sit proprietaria possessio; nam illud materiale, & accidentarium videtur. Nec etiam est proprietaria ratione vsusfructs, quia ille non est iuris, sed facti, quia non proprio nomine, sed alieno, & dependenter à voluntate alterius tales fructus recipit; in perceptione autem, & consumptione fructuum, solùm quoad factum non est per se proprietas, nec proprietarius vsus secluso proprio iure, & interueniente Prælati facultate. Confirmatur ex vsu, quia Moniales possident vitalitios census, & percipiunt, & consumunt fructus eorum; quam consuetudinem damnare non possumus, cùm à Pastoribus Ecclesiæ, scientibus, & videntibus, generaliter fere tolerata, imò & probata sit.

Hæc quæstio disputari potest, vel de tempore ante Concilium Tridentinum, vel post illud, & de vtroque sensu breuiter dicemus, quia resolutio vnius conferet ad intelligentiam alterius. De priori ergo tempore, est opinio affirmans, ex vi vòti paupertatis non licere habere hoc genus peculii, etiam de licentia superioris. ità sentit Gerson Alphab. 23. p. 1. & eam esse plurium Doctorum ait Cordub. dict. q. 54. solùm verò designat Gerardum, & Pirrinum, in tractatu de dispensatione Ecclesiæ, qui habetur in lib. Monumenta ordinis Minorum. Fundamentum est suprà tactum, quod ità declarant propter rationem in contrarium; quia licet hoc non sit absolutum dominium, est nihilominus aliquale dominium vtile, quale est illud, quod habet filius de licentia patris, vel seruus de licentia domini: hoc autem religioso repugnat, quia magis est incapax dominii, quàm filius, vel seruus. Et in confirmationem huius sententiæ allegantur omnia iura, quæ prohibent religiosos habere proprium, quæ parum ad rẽ faciunt, quia hoc est, quod inquirimus an hoc sit proprium. Confirmatur tandem, quia hic modus peculii est proxima occasio plurium abusuum contra disciplinam religiosam; ergo per se malum est, & licentia ad illud est inualida; non potest ergo excusare proprietatem.

Nihilominus contraria sententia communis est Canonistarum cum Innocentio, in cap. *Insinuante*, qui cler. vel vouent. quam ex eodem textu colligũt: idem sentit Ioannes Andr. in regula, *non est obligatorium*, de reg. iur. in 6. vbi ait non esse illicitum statutum, vt vnicuique religioso detur certa portio ad suos necessarios vsus: quod dictum probant Decius in cap. *Edoceri*, de rescriptis num. 5. Abbas in cap. *Cùm ad Monasterium*, de statu Monach. num. 8. Gregorius Lopez leg. 14. titul. 7. partita 1. Tenet etiam Calderinus in cap. 2. de Regular. Syluest. verb. *Abbas* quæst. 3 punct. 7. & Nauar. comm. 2. de regular. num. 9. 14. & sequentibus, & Corduba suprà; Azor tom. 1. instit. Mor. lib 12. cap. 9. quæst. 2. Vasquez in opusc. de Redit. Ecclesiast. cap. 3 dub. 11. num. 11. Quæ opinio fundatur præcipue in ratione superiùs facta; potestque confirmari ex cap. *Cùm ad Monasterium*, vbi sic dicitur: *Neque alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda tanquam in sua sibi vita locetur; sed cùm oportuerit amoueri, sine contradictione quilibet reuocetur.* Ex quibus verbis à contrario sensu colligo, si obedientia, vel administratio non concedatur in perpetuum, sed reuocabilis ad nutum, non fuisse tunc illicitam, nec contrariam paupertati. Item in cap. 2. eodem tit. dicitur, *Qui peculium habuit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione remouebitur*; ergo de licentia Abbatis licitum est peculium; loquitur autem textus indistinctè de peculio bonorum mobilium, vel immobilium. Non est ergo cur nos distinguamus & restringamus illud ius; præsertim, quia administratio, de qua loquitur Pontifex, magis habet locum circa bona mobilia, quàm immobilia. Hoc etiam multùm confirmat dict. cap. *Insinuante*, vbi professio facta sub conditione viuendi extra monasterium, & retinendi bona in administratione, ad propriam sustentationem, vt expositores omnes intelligunt, & suprà declaratum est; perinde autem retinere illud peculium, ac de nouo accipere de licentia Prælati. Denique nulla est ratio sufficiens quæ probet hoc esse illicitum; non ergo est damnandum, maximè cùm fuerit communi consuetudine receptum. Antecedens patet, quia non inuenitur ius commune positiuum, quo prohibeatur, nec etiam est per se contrarium voto, vt probat ratio superiùs facta, & magis patebit, respondendo ad fundamenta contraria.

Itaque hæc posterior opinio in rigore speculatiuo vera est. Vt autem in praxi, & moraliter locum habeat, primò distinguere oportet possessionem, & vsum rei mobilis, ac perceptionem fructuum à libero vsu, & consumptione illorum; nunc enim non agimus de hoc vltimo puncto, quia pertinet ad tertium suprà propositum; sed supponimus in hoc capite licentiam non esse iniustam; quia nimirum per eam solùm conceditur religioso, vt expendat liberè fructus illos, in vsus proprios necessarios, vel honestos; de reliquis verò, si fortè superfuerint, disponat quidem arbitrio suo, tamen iuxta modum religioni debitum: quis autem hic modus sit postea explicabimus. Hoc ergo ex hac parte supposito, nihil est in eo peculio dicto modo possesso, quod per se repugnet voto paupertatis; fatsum est enim in eo interuenire proprietatem, vel dominium etiam secundùm quid, cùm nullum acquiratur ius firmum, & stabile, sed solà licentia ad vsum, vel possessionem facti, semper pendens à voluntate alterius, quod necesse est; vt verè, & non fictè seruetur, atque adeò necesse est, vt coram Deo religiosus habeat animum relinquendi peculium, si superior licentiam reuocauerit. Et quoad hoc non est simile, quod affertur de filiofamilias, vel seruo; nam possunt illi licitè acceptare verum dominium, & irreuocabile, si pater vel dominus concedere voluerit. Et hoc solum est, quod per se spectat ad hoc negotium; abusus autem huius concessionis, vel licentiæ, est per accidens. Neque est verum inde sequi moraliter, aut regulariter

gulariter proximo occasionem alicujus mali; nam id pendet ex particularibus circumstantiis, personæ, causæ, ac necessitatis, rerum, seu bonorum, quorum vsus, vel vsusfructus conceditur, quibus spectatis interdum potest hoc fieri sine periculo alicuius mali; aliquando verò potest esse necessarium ad vitandum maius malum, vel ad conuenientem alicujus personæ gubernationem, vt magis ex sequenti puncto patebit. Tandem aduertendum est sententiam hanc intelligendam esse solùm in generali, & ex vi voti paupertatis, vt sic in particulari autem vnaquæque religio seruare debet, si quam regulam peculiarem circa paupertatis votum, vel materiam eius habuerit, quæ cum huiusmodi peculio, & licentia eius repugnet; idemque est de probata, ac recepta consuetudine, cauendumque est, ne hac occasione rigor paupertatis relaxari incipiat introducendi huiusmodi vsum vbi non est.

5. Statim verò occurrit aliud membrum propositum, an scilicet, post Concilium Tridentinum possit esse licitum hoc peculij genus. Aliqui enim absolute negant, quia Concilium simpliciter dicit, *non liceat*: vnde Palatius in 4. d. 38. disp. 1. in fine ait, non licere Monialibus habere annuos reditus, de licentia superiorum, quia putat esse contra Concilium Tridentinum, & significat esse peccatum mortalis proprietatis. Sed inprimis obiici potest, quia licet præceptum Concilii cum hac generalitate intelligatur, non videtur hoc esse peccatum proprietatis, nec contra votum paupertatis, propter argumentum suprà factum, quòd Concilium non potuit extendere voti obligationem, vltra intentionem vouentium; si ergo hoc peculium ex se non erat contra votum paupertatis, non potuit Concilium facere, vt id esset contra paupertatem. Sed hæc obiectio non est magni momenti; primò quidem, quia obseruantia hæc non possidendi dicto modo hæc bona immobilia, licet directe non cadat sub voto paupertatis; concernit tamen multùm obseruantiam eius, & ideo potuit per Ecclesiam præcipi, sicut potest Ecclesia præcipere Monialibus clausuram, etiamsi illam directe non vouerint, quia concernit obseruantiam castitatis, Religiosus autem obligatur, vel obligari potest, non solùm ad vota, sed etiam ad ea, quæ vota concernunt, tanquam moraliter necessaria ad eorum obseruationem; parum autem refert discutere, an illud peccatum sit propriè contra votum, an contra præceptum Ecclesiæ, satis enim est quòd sit peccatum graue contra obedientiam Ecclesiæ, & satis probabiliter reduci potest ad peccatũ contra paupertatem, quia intuitu paupertatis, & tanquam medium morale necessarium ad illam seruandam, id prohibetur, vt in simili sumi potest, ex Clement. 1. de verborum significat. ibi, *declaramus, & dicimus*, &c. Deinde dicitur peculium sine licentia legitima Prælati contra paupertatem esse, Cocilium autem potuisse hanc licentiam prohibere, ex quo statim sequitur vt tale peculium contra paupertatem sit, & ideo fortasse prohibitio Concilii non recte dirigitur ad ipsos subditos, sed ad superiores, sic enim ait: *Non liceat superioribus*, &c. Inde enim consequitur, vt subditi obligentur, ad non habenda talia bona immobilia, non tam ex prohibitione Concilij, quàm ex vi voti paupertatis. Neque etiam videtur referre, quòd Concilium non dicit, *non possint*, sed *non liceat*, quo verbo non videtur annullare talem licentiam, & ideo dici posset, quamuis peccet, qui illam concedit, validam esse, & consequenter sufficientem ad excusandum subditum à peccato proprietatis: hoc (inquam) non obstat, quia iuxta materiæ exigentiam idem esse videtur *non licere*, ac *non posse*, nam illa verba sunt quasi reseruatiua huius potestatis. Atque congregatio Cardinalium in quadam declaratione illis verbis addidit, *Non liceat nisi soli Papæ*, &c. Vnde sæpe ab eisdem Cardinalibus declaratum est, & in genere, & in specie in casu illo monialium non licere habere huiusmodi bona immobilia, vel certos reditus; & pro eodem existimant non licere Prælatis dare hanc licentiam, & non licere subditis habere talia bona.

Nihilominus communiter viri docti huius temporis non existimant hoc esse magis illicitum post Concilium Trident. quàm antea. Quod manifestè docuit Nauar. comment. 2. de regul. num. 15. vers. *Ad quintum*, vbi expresse dicit, Concilium non induxisse nouum ius, sed solùm continere declarationem antiqui, quòd in cap. *cùm ad Monasterium*, continetur; & idem dicit *Ad sextum*, & *ad septimum*, & idem proquitur, num. 16. Eum sequitur Graffis 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 53. Eman. Rod. tom. 2. quæst. Regul. quæst. 125. art. 4 & tom. 3. quæst. 29. art. 10. Sà verbo *Religio* num. 48. Miranda in suo Manuali tom. 1. q. 28. art. 8. Qui præcipuè mouentur ex consuetudine recepta, quam condemnare durissimum est. Ratio etiam, vel congruentia esse potest, quia non videtur verisimiliter, voluisse Cõcilium prohibere id, quod sæpe est moraliter necessarium ad cõgruam religiosorum sustentationem; considerato autem modo, quo aliqui religiosi, præcipue fœminæ ex communibus bonis monasteriorum aluntur, necessarium moraliter est, vt habeant huiusmodi facultatem, quia aliàs conuenienter non possunt sibi prouidere, & maioribus periculis exponuntur.

In hac verò sententia difficile mihi creditu est, quod aduersarii dicunt, Concilium Tridentinum nihil noui præcepisse, sed antiquum ius renouasse; nam verba eius non sunt declaratiua, sed constitutiua noui iuris, vt patet ex illis verbis, *Nec deinceps liceat*, &c. Nam illa particula *deinceps*, planè indicat nouitatem; & verbum *liceat*, imperatiuum est; si autem Concilium solùm voluisset declarare nouum ius, nec oportuisset dicere, *non liceat*, sed *non licet*, multoque minus addenda esset illa particula, *Deinceps*, quæ in rigore idem significat, quod *posthac*, vt constat, & ex proprietate Latinæ linguæ, & ex vsu iuris in lege *Nemo*. C. de Episc. audien. Posset quidem aliquis effugere vim horum verborum, dicendo, verbum præceptiuum, sæpe adhiberi in legibus, quæ non imponunt nouum præceptum, sed renouant antiquum, seu prohibent id quod per se malum est, vt in principio eiusdem capitis dicit idem Concilium, *Non liceat regularibus habere proprium*. quod constat non esse nouum: vnde cùm addit in sequenti clausula, *Non liceat deinceps*, verbum *liceat*, eandem habet significationem, & particula *deinceps*, potest exponi, vt solùm sit continuatiua, ac si diceret, *non liceat præterea*, seu *deinde*. Ita enim Latine solet aliquando sumi; vel dixit *deinceps*, non quia antea liceret, sed quia tam frequenter fiebat, ac si liceret. Nihil horum mihi satisfacit quia non oportet inferre vim verbis Concilij; infertur autem maxima, præsertim quoad particulam *deinceps*, vel bum autem *liceat*, quod familiare est ipsi Concilio, semper indicat nouum aliquid constitui, vt sess. 24. ca. 6. de Reform. *Liceat Episcopo*, &c. & in sess. 25. cap. 5. de regularibus; *Nemini sanctimonialium liceat, post professionem exire è monasterio*, &c. & infrà. *Nemini liceat ingredi inter septa monasterij*, &c. & in omnibus his locis aliquid nouum statuit, & expressiùs in capit. 6. eiusdem sess. 25. *Nec in posterum liceat prouinciales*, &c. quæ verba manifestè indicant nouum præceptum: idem autem est in huiusmodi loquutionibus dicere *in posterum*, vel *deinceps*.

Dicen-

Dicendum ergo censeo Concilium nouum aliquid præcepisse; ita sentit Cordub. in summa. q. 54. Petrus Nauar. lib. 3. de restit. cap. 1. p. 3. dub. 1. n. 163. Molin. tom. 2. disp. 276. Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 5. num. 30. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 9. quæst. 2. Basil. Ponce q. 9. Scholast. cap. 4. Vasq. in opusc. de Redit. Eccles. cap. 3. dub. 11. num. 14. & alij. Explicandum ergo est, quid illud sit, & quomodo contra illud non peccetur per consuetudinem monialium; vel per alias similes. Circa primum multa intelligere possumus esse prohibita à Concilio, quæ nec per se erant contra votum, nec per iura antiqua erant prohibita; nam statim in principio illius capitis ait; *Non liceat regularibus bona immobilia, vel mobilia quouis modo acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conuentus possidere, vel tenere; sed statim superiori tradantur, conuentuique incorporentur.* In quibus verbis, quamuis habere bona tanquam propria per se illicitum, & sæpius ante Concilium prohibitum esset, tamen quòd non liceat nomine conuentus, aliqua bona mobilia, vel immobilia possidere, vel tenere, nouum profectò est, quia ex vi voti paupertatis, id non est per se, & intrinsece malum; nam eo ipso, quòd aliquid possidetur nomine conuentus non habetur vt proprium; ergo per se non repugnat voto paupertatis. Neque etiam inuenitur ius antiquum, quo specialiter hoc prohibeatur; ergo aliqua noua prohibitio quoad hanc partem facta est à Concilio. Responderi autem potest ex Nauarro habere aliquid nomine conuentus sub particulari, & possessione priuata, nisi ex legitima causa, vel necessitate fiat, semper fuisse malum, & id tantùm fuisse prohibitum à Concilio: nam si licentiam ex legitima causa dedit, sicut id per se malum non est, ita non videtur à Concilio prohibitum.

Sed hoc, vt dixi, non videtur satisfacere menti Concilij, propter absolutam prohibitionem, & propter vim illius verbi *non liceat*. Duplex ergo legitima causa hic cogitari potest. Vna est pertinens ad communem vtilitatem ipsius religionis prouenientem ex administratione talium bonorum, & tunc constat talem possessionem non esse prohibitam à Concilio, quia tunc non conceduntur illa bona in peculium proprie loquendo, sed in custodiam, vel administrationem, & ideo si talia bona sint immobilia, & fructifera, debent fructificare monasterio. Alia causa est pertinens ad particulare commodum ipsius religionis; potestque possessio esse vel simpliciter necessaria ad sustentationem, vel debitum vsum, seu ministerium ipsius religionis, vel solùm ad maiorem commoditatem, ornatum, vel libertatem. Quando causa est prioris modi, clarum est non habere locum prohibitionem Concilij, quia tunc, id non solùm licet, sed suo modo debitum est. Si quis autem rectè consideret, nunquam illa causa locum habet in bonis immobilibus religionis, & ideo de illis nullam exceptionem fecit Concilium: de mobilibus autem in fine addidit, vt necessaria non denegentur quantum ad vsum, & suppellectilem conuenientem, quæ vox *supellex*, idem quod peculium significat, ablata vmbra, seu inuidia proprietatis, quæ peculij nomen generare potest. Quando autem causa solùm est commoditatis priuatæ, & cuiusdam exemptionis, ac dispensationis, si non à substantia voti, saltem à regulari & communi obseruantia eius, tunc videtur à Concilio prohibitum simpliciter habere aliquid priuatim, etiam nomine conuentus, habetque prohibitio locum in multis casibus, in quibus antea non fuisset malum, quia ob rationes extrinsecas, vt sic dicam, poterat sæpe illa licentia dari rationabiliter, iuxta morem alicuius religionis, vt, v. g. propter multa bona merita de religione, propter insignem eruditionem in fauorem literarum, & propter alia similia: huiusmodi ergo exemptiones, & dispensationes, videtur mihi voluisse prohibere Concilium, præsertim, quoad bona immobilia, & hoc sensu dixisse non licere illa habere nomine conuentus. Et ideo existimo non posse religiosos habere talia bona, quoad proprium, & peculiarem vsum, & vsumfructum, nisi quantum sibi necessarium fuerit ad habitationem, & conuenientem sustentationem; ita tamen, vt principalis cura, & administratio talium bonorum, sit apud Prælatum religionis, cui teneantur reddere rationem talium redituum, si eam exigere velit.

10. *An, & quòd modo prohibeat mobilia bona.*

Quoad mobilia autem bona maximè habere potest locum, noua & positiua prohibitio quantum ad tentionem, & quasi thesaurizationem pecuniæ; olim enim fortasse, licete poterat religioso priuatim apud se habere reconditam pecuniæ quantitatem nomine conuentus, & cum licentia, aliquo ex prædictis titulis concessa ob contingentes occasiones; vel necessitates; hoc ergo existimo nunc esse prohibitum ex vi huius decreti, quo Religiosus prohibetur habere apud se bona etiam mobilia nomine conuentus: nam intelligendum est de bonis mobilibus, quorum vsu non indiget; qualis maximè est pecunia in futurum recondita; solùm ergo potetit concedi illa, quæ ad actualem, & præsentaneum vsum moraliter est necessaria; quod prudentis viri arbitrio relinquendum est. In aliis autem mobilibus bonis vix potest intelligi noua prohibitio, quia si sunt superflua, semper, & ex natura rei fuere prohibita; si autem sunt necessaria, vel conuenientia; Concilium illa non prohibet, vt statim declarat. Nihilominus tamen aliquid peculiare considerari potest, nam secluſa hac prohibitione habere peculium superfluum, etiamsi nimius esset excessus, fortasse non esset peccatum mortale secluſa proprietate, & scandalo: nunc autem ratione huius prohibitionis facilius committi potest.

11. Atque ex declaratione huius partis constat quid sit, quod in sequenti clausula dicit Concilium, *Non liceat deinceps superioribus*; per hæc enim verba, nec prohibentur tantùm, quæ per se mala erant, sed aliàs prohibita, nec etiam prohibetur aliquid, quod iure ordinario, ac regulari possit, vel debeat, à superioribus religionum subditis concedere: nam illud prius parum est ad rigorem illorum verborum; hoc autem posterius nimium est, & alienum ab intentione Concilij, quæ solùm est, vt paupertas regulariter obseruetur; in illis ergo verbis, *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia*, &c. prohibet extraordinarias, & singulares concessiones horum bonorum, etiamsi aliquando legitime fieri possint, prout explicui; nam quia hoc rarum est, & ea occasione abusus introducebantur, ideo voluit Concilium, eam potestatem superioribus auferre, & illam Pontifici reseruare. Et iuxta hunc sensum facile intelliguntur reliqua, quæ in illo capite statuuntur; estque hæc interpretatio consentanea responsionibus Cardinalium, quarum aliquas statim attingemus; nam prolixum esset omnes referre.

12. *Quomodo liceat consuetudo Monialium habendi certos reditus.*

Superest, vt declaremus, quomodo liceat consuetudo monialium habēdi certos reditus, & si quę sint aliæ similes; nam illas omnes peccaminosas esse, nec dicere possumus, nec debemus. Tribus autem modis illas excusare possumus. Primo, dicendo, Concilium quoad hanc partem non esse receptum, & ideo non obligare. Hæc verò responsio mihi non placet. Primò quidem, quia in legibus Pontificiis non facile, nec sine magna interpretatione censeo esse admittendum illud principium, quòd lex humana nō obligat nisi sit acceptata; nam lex Concilii ad hoc ipsum

obligat, scilicet, vt acceptetur, & ideo vt obligatio talis legis absolute propositæ & promulgatæ cesset, per resistentiam, vt ita dicam, subditorum, necesse est, vt qui primi restiterunt, peccauerint, quia legitimæ voluntati superioris restiterunt, quamuis postea si superiore videnti, & tolerante id fiat, censeatur consuescere, & tacitè auferre legem. In præsenti autè dicere non debemus hanc consuetudinem cum peccato introductam esse peccando, & resistendo præcepto Concilii. Neque etiam dici potest, Pontificem scire huiusmodi vsum contra Concilium, & connuere; nam contrarium constat ex declarationibus Cardinalium, vbi in particulari, hic casus his verbis proponitur, *Cùm N. viro mortuo facta esset Monialis, sibiq; reseruasset 50. ducatos annuos ad vsum suum, quia contra Concilium est habere moniales aliquid proprium, visum est dandam esse illam pecuniam Abbatissæ, quæ prouideat necessitatibus N.* Secunda ergo excusatio esse potest, hanc consuetudinem introductam esse vel quandam veluti Epiikiæ, & æquam interpretationem Concilii, quia non est verisimile voluisse obligare eos Religiosos, vel religiosas, quæ commode sustentari non possunt, sine huiusmodi peculiis, & sub eadem bona fide continuari, & à proximis Episcopis seu Prælatis tolerari, quod satis est, vt singulæ personæ à culpa excusentur. Verùm neque hæc euasio licet probabilis sit, mihi omnino satisfacit, tum quia vbi patet aditus ad superiorem consulendum, non habet locum iusta Epiikia, præsertim cùm experientia constet, Pontificem in hoc negotio consultum semper respondisse, in fauorem Concilii, & paupertatis; tum etiam, quia iuxta illam interpretationem ad summum licebit discedere à verbis Concilij quãdo necessitas cogit, quod moraliter vix potest explicari, ita vt reddat tutas conscientias, nisi talis vsus aliquo modo reducatur ad formam Concilij; quia reuera nunquam est aliud necessarium.

13. *Vera ratio excusandi talem consuetudinẽ.*

Dico ergo huiusmodi consuetudines, quæcunque illæ sint, vel ita seruandas esse, vt non repugnent verbis Concilij, vel si aliter fiant, esse prauos abusus, qui excusari non possunt, nisi fortasse in particularibus personis ex ignorantia inuincibili. Explicatur in illo exemplo de reditibus monialium. Nam duo ibi distinguenda sunt, scilicet ius percipiendi tales reditus, & ipsimet reditus, seu pecuniæ. Ex his enim duobus solùm ius inter immobilia bona computatur; illud autem certum est, si sit verum ius ciuile, non posse esse in persona ipsius monialis, neque ad hoc posse Prælatum aliquem licentiam dare, quia esset proprietas quædam. Oportet ergo, vt vel illud ius quasi adhæreat monasterio, & non personæ, vel certe, vt non sit proprium ius ciuile respectu monialis, sed solùm obligatio in conscientia, in eo qui soluit pensionem ad reddendam illam; & sine dubio fit semper altero ex his duobus modis, & præcipue hoc posteriori; & ita quoad hanc partem nihil fit contra Concilium, quia illa propriè non sunt bona immobilia, vel si sunt, Monasterio incorporata sunt quoad proprietatem.

14. Loquendo autem de ipsa pecunia non est contra Concilium quod singulis annis recipiatur, & in vsus ipsius monialis conuertatur, etiamsi solutio certa sit, & infallibilis, dummodo pecunia, & vsus eius debito modo recipiatur, & particulari applicetur: consistit autem debitus modus in hoc, vt pecunia quandiu non consumitur, non possideatur ab ipsa in particulari persona, sed à superiore, vel à publico officiali ad hoc munus constituto custodiatur, & postea de licentia eiusdem superioris in vsum talis personę cõuertatur. Si enim hæc obseruentur, nec Religiosus habet aliquid proprium, nec possidet aliquid superfluum, neque etiam habet vsumfructum rei immobilis, neq; aliquid aliud committit, contra tenorem Concilij; nec licentia ad consumendam talem pensionem in proprios vsus dicto modo data est ad bona stabilia possidenda, neque ad vsumfructum proprie dictum, sed solùm est ad actualem vsum tali personæ conuenientem. Atque hanc mentem Concilij videntur explicasse Cardinales illustrissimi, tam in casu particulari, quem suprà retuli, quàm in multis generalibus responsionibus, in quibus sæpe aiunt nõ posse religiosos sibi acquirere aliquid, vel tenere, sed omnia danda esse superioribus; & idem dicunt de Monialibus, siue illis legatum aliquod relictum fuerit, siue aliquid donatũ, siue industria, & labore suo partum, iam semper aiunt tradendum esse Abbatissæ, vel in communi reponendum; *Etiamsi* (inquiunt) *monasterium sit pauperrimum.* Consequẽter tamen adiungo ex illis pecuniis primùm omnium prouidendum esse moniali, cuius causa donatæ sunt, vel quouis modo acquisitæ, & si quid reliquùm fuerit, in vsum communem conuerti. Vnde consequenter fit, moniales, vel religiosos percipientes huiusmodi reditus, debere esse in hac præparatione, vt si prælati ad alios vsus illos applicent, contenti sint; ipsos autem Prælatos non debere id facere, nisi alio modo sufficienter prouideant necessitatibus subditorum.

## Caput XV.

### *De vsu bonorum religiosæ paupertati contrario.*

EXpeditis duobus primis membris, quæ sunt accipere, & retinere, superest, vt dicamus de tertio quod est vti, vel quocunque modo expendere, aut disponere de temporalibus bonis. In quo supponimus tanquam certum fundamentum, per votum paupertatis licet absolute non prohibeatur vsus talium bonorum (id enim erat impossibile) nihilominus prohiberi vsum proprietatium; in quo etiam omnes Doctores conueniunt, sequiturque ex ipsa obligatione non habendi proprium, nam qui tollit facultatem, à fortiori tollit actum; ergo qui tollit dominium, tollit actum dominii; sed votum paupertatis, de quo agimus, tollit dominium; ergo tollit actum dominii; sed proprietarius vsus est actus dominii, vt ipsum nomen præ se fert, ergo. Confirmatur, quia magis necessaria est paupertas, seu modus eius in ipso vsu, quàm in dominio, parum enim referret religiosum non habere rem propriam, quoad dominium, si posset pro libito, & arbitrio suo de communibus bonis disponere. Imò in hoc repugnantia quædam inuoluitur, nam quòd fieri possit votum non habendi vsum proprietarium retento dominio, facile, & optime intelligitur, quia potest retineri facultas ligata, & impedita ad suum actum, potestque ille modus paupertatis esse interdum cõueniens, vt infrà explicabimus tractando de votis simplicibus Societatis, at verò è conuerso priuari per votum dominio, & retinere liberum vsum, repugnantia est, qualis esset habere liberum & expeditum actum sine facultate Prælati.

15. Ex quo etiam facile intelligitur, quis sit proprietarius vsus paupertati repugnans, est enim omnis ille, qui proprio arbitrio, & authoritate fit, nam ex hoc ipso proprietarius appellatur, quia proprio nomine, & non alieno exercetur, & inde etiam habeat quòd sit actus dominij, nam dominium est ius vtendi re aliqua proprio nomine, & authoritate, ergo & è contrario vsus, qui proprio nomine, & arbitrio vsurpatur, est actus dominii. Tunc autem dicitur vsus fieri nomine proprio, quando non fit de licentia, aut voluntate Prælati, vt in superioribus sæpe dictum est. Vnde statim in præsenti occurrunt multa ex dubiis suprà tractatis, primum quæ

*Dubitatio primo, an licentia præsumpta sufficiat.*

quæ licentia sufficiat; in quo omnes eodem modo respondent, sufficere licentiam præsumptam, imò de hoc casu expressiùs loquuntur Nauarrus & alij Doctores suprà citati. Et in eodem sensu dixit Antoninus 3.p.tit.16.cap.1.§.11.vers. *Secundò nota*, peccare religiosum in hoc vsu, nisi poneret spem in ratihabitione Prælati. Non enim existimo esse necessarium, vt qui aliquid donat ex voluntate præsumpta Prælati, habeat propositum postulandi à Prælato, vt expresse ratam habeat donationem factam; quanquam enim hoc melius sit, & cosulendum: nihilominus in rigore non est præceptum ex vi paupertatis, imò nec per se pertinet ad illam, quia postquam res donata est, vsus eius iam non pertinet ad religiosum, qui eam donauit; ergo iam non indiget licentia superioris propter vsum eius; vsus autem qui præce sit sufficienter fuit validus, & firmus, ex vi præsumptæ voluntatis; ergo etiam propter illum non est necessaria expressa licentia. Vnde etiam confirmatur, nam licentia ex vi paupertatis solùm est necessaria in ordine ad futurum, vt v.g. si de re accepta sine expressa licentia, aliquando requiritur ratihabitio expressa, solùm est vt deinceps liceat rem illam possidere, aut distrahere; propter præteritum autem, vt sic, non est necessaria talis ratihabitio expressa, nam si ad aliquid potest esse vtilis, solùm est, vt donatio alteri facta firmior sit, magisque irrevocabilis; ad hoc autem non obligatur religiosus ex vi paupertatis, quidquid sit, an aliunde obligari possit, quod ad præsens accidentarium est. Circa hanc autem præsumptam licentiam, hîc specialiter aduertere necesse est, non æquè facilè esse admittendam, circa vsum, & dispensationem bonorum religionis, quàm in aliis actibus accipiendi, vel retinendi aliquid, quia distractio bonorum ex se, est magis nociua religioni, & ideo regulariter potiùs præsumitur in voluntaria superiori, non solùm ratione modi, sed etiam ratione ipsius substantiæ talis actus, tantoque erit difficilior hæc præsumptio, quanto materiæ quantitas fuerit maior; & augebitur difficultas, si sit extra religionem, nam inter ipsos religiosos eiusdem monasterii facilius permittitur. Quæ omnia & multa alia spectanda sunt ad concipiendam probabilem resolutionem, illa tamen concepta sufficit sine dubio ad excusandum à culpa, dummodo alioqui licentia sit iusta.

3 Habet etiam hoc loco specialem difficultatem, an requiratur licentia iusta, & religiosus excusetur à culpa, aliquid de bonis religionis consumendo, vel alienando; loquor autem de licentia iusta ex parte causæ, nam ex parte modi obtinendi illam sine vi, aut fraude, clarum est requiri iustam, vt à fortiori constat, ex superiùs dictis. Ac verò ex parte causæ diximus in superioribus, quamuis licentia fuerit data sine causa legitima, & cum peccato ex parte superioris, nihilominus non peccare contra paupertatem religiosum, qui intuitu talis licentiæ aliquid accipit, vel possidet; ergo idem est in præsenti dicendum. Patet consequentia, quia tam in præsenti actione, quàm in cæteris illa licentia efficit vt religiosus non vratur illare, tanquam propria, quia non proprio nomine, sed alieno, & in eo non peccabit contra paupertatem, quidquid sit de alio genere culpæ. In contrarium verò est, quia licentia data ad distrahendum aliquid bonis monasterii sine iusta causa: videtur non solùm iniusta, sed etiam nulla: ergo qui illa nititur perinde operatur, ac si absque licentia rem distraheret; ergo perinde peccat contra paupertatem. Antecedens declaratur, quia Prælatus non est dominus, sed dispensator, & quasi œconomus bonorum monasterii. Dispensatio autem facta in bonis alienis sine iusta causa, non solùm iniusta, sed etiam nulla est, quia excedit facultatem dispensatori commissam: ob hanc enim rationem dispensatio in voto sine causa data, nulla est, & alienatio facta ab œconomo vltra potestatem sibi commissam nulla est; ergo similiter in præsenti.

Respondeo quoad hanc partem esse valde probabilem sententiam Nauarri, quam suprà retuli, ad debitum vsum paupertatis, necessariam esse licentiam legitimam ex parte causæ, quod ipse indifferenter affirmat de actione acquirendi, & alienandi. Ego verò inter hæc differentiam inuenio, nam in acquisitione non inuenio nullitatem, etiamsi fortasse in ordine ad bonum regimen religionis licentia detur sine causa legitima; quia id non obstat, quominus ex parte donantis fiat vera translatio dominii omnino voluntaria; at verò in alienatione ex licentia iniusta inuenitur ratio nullitatis suprà declaratæ, quia res consumitur, vel alienatur inuito domino, nempe religione, & sine facultate eius, quia illa bonorum distractio, non est dispensatio, sed dissipatio, ad quam Religio nunquam dedit facultatem. Quod optimè confirmat Nauarrus comment. 2. de Regularib. num. 23. & sequentibus, & pro regula constituit tunc licentiam Prælati concessam subdito ad aliquid donandum esse iustam, & validam, quando superior ipse per se posset illud expendere, quia quod potest per se facere, potest per alium; si autem ipse potestatem non habet, neque alteri dare potest, cap. *Quod autem*, de iure patronat. Quando autem causa sit iusta, & sufficiens vt licentia sit valida arbitrio prudentis viri, aut idem author esse relinquendum; quod recte dictum est. Ad hoc autem arbitrium ferendum aliqua considerari possunt; primum an res de qua agitur sit grauioris momenti, & æstimationis; nam in rebus minutioribus non est tam limitata potestas Prælati. Est ergo attente considerandum, an licentia dicatur iniusta præcise propter temporale nocumentum religionis, cujus bona sine causa dissipantur; contigit autem nocumentum religionis non esse moraliter considerabile, & nihilominus licentiam dari sine causa legitima, vel etiam cum aliqua imprudentia, consideratione habita aliarum obseruantiarum religionum; tunc ergo in ordine ad paupertatem non erit inualida, nec religiosus ea vtens peccabit tanquam proprietarius, licet alia ratione possit imperfectus esse. Vnde secundò necesse est, vt subdito certò constet licentiam adeò esse iniustam, vt sit etiam inualida, nam in dubio potest pro superiore præsumere. Tertiò oportet, vt vsus rei, ad quem facultas datur, talis sit, vt per eum res consumatur ac pereat, vel omnino alienetur extra monasterium, nam per quemcunque alium vsum, non fit graue nocumentum monasterio, supponimus non esse sermonem de distractione rerum immobilium, in quibus hæc facultas dari non solet, vel moraliter in illis locum non habet; mobilia autem bona, si non donentur, sed mutuentur, seu commodentur, non cedit in graue nocumentum religionis, nisi exponantur periculo omittendi, vel alterius damni notabilis, nam tunc vsus ille æquipararetur distractioni, & consumptioni rei, propter moralem regulam, quòd qui amat periculum, peribit in illo. Cætera quæ de hac licentia desiderari possunt ex superiùs dictis petenda sunt, & in sequentibus dubijs amplius explicabuntur.

4 *Resolutio est requiri licentiam iustam ex parte causæ.*

Speciale verò dubium habet, an omnis vsus bonorum Religionis, sine vlla licentia vsurpatus sit contra votum paupertatis, siue talia bona sint religionis, siue nō, in quo regula generalis est, huiusmodi vsum semper quidem esse contra votum (supponimus etiam

5 *Dubitatio tertia.*

iam præsumptam licentiam excludi) non tamẽ semper esse peccatum mortale. Prior pars ex dictis constat, quia ille est actus dominij. Posterior patet, quia ex leuitate materiæ potest esse veniale. Quæ autem materiæ quantitas grauis, aut leuis censenda sit, ex superiùs dictis definiendum est, nihil enim hîc addẽdum occurrit, nisi hoc solum, multum in præsenti referre cõsiderare, an rei dispẽsatio fiat circa externos, vel inter ipsos religiosos; item an dispensatio sit ad vsum consumptiuum rei, vel salua eius substantia; nã si dispensatio est extra religionem, & consumendo, seu alienando rem, clara est iniquitas non solùm cõtra paupertatem, sed etiam contra iustitiam, & ideo tunc moderata quantitas sufficiet ad peccandum mort. liter, iuxta superiùs dicta. Si autem res non cõsumatur, nec alienetur, sed concedatur ad aliquem vsum, post quem reddenda est integra monasterio sine graui læsione, aut detrimento, vel morali periculo ejus; multo maior rei quantitas necessaria est vt materia illa grauis censeatur, quia cum effectu non damnificatur religio, in bonis suis, & ille vsus, vel nõ est æstimabilis pretio distincto à re ipsa, vt si pecunia sit, quæ mutuò datur, aut triticum, &c. vel licet vsus secundùm se possit aliquo pretio æstimari, respectu monasterii id non est considerabile, quia non deberet illum vendere, seu rem locare, & ideo ex hac parte non est illa quantitas admodum considerabilis; ob eam ergo causam multum minuitur culpa, quando dispositio de re non excedit hunc vsum. Quia verò hic vsus est actus dominij non fit sine culpa; eritque grauis, si rei quantitas notabilis sit.

*Assertio prima de dispensatione facta circa externos.*

6. Et hinc infertur multo magis minui hanc materiam quando res dispensatur inter ipsos religiosos, quia tunc ex vi illius actus res non alienatur extra monasterium, sed solùm applicatur quoad vsum eiusdem monasterii in aliquo membro ipsius. Quamuis enim hæc applicatio sit solius superioris, vel eius qui vicem eius gerit, quia est administratio bonorũ, quæ ad Prælatum vel officiales spectat, vt Cõcilium Tridentinum dixit, & ideo illa actio sit deordinata, & in rigore proprietatis; nihilominus ex parte ipsius actionis est minima, quæ in hoc genere esse potest, & ideo vt sit peccatum graue, necesse est multum augeri, ex parte materiæ, seu rei circa quam versatur. In quo etiam considerari potest alia circumstantia ex parte materiæ; an scilicet vnus religiosus tribuat alteri vsum rei sibi iam concessæ à superiore ad eundẽ, vel similem vsum, vel ex bonis adhuc existentibus sub communi custodia aliquid sua authoritate tribuat alteri ad vsum; nam hoc posterius magis inordinatum est, cæteris paribus, quia maior quædam libertas, & vsurpatio dominij ibi intercedit.

*Assertio secunda de dispensatione facta inter ipsos religiosos.*

7. Quin potiùs dubitari potest circa priorem modum; an committat religiosus contra paupertatem, quãdo ex rebus sibi concessis, ad vsum suum aliquid donat, intra, vel extra religionem, quando seipsum priuat illo commodo, & non grauat religionem in re alia, vel alio vsu: vt, v.g. si de quantitate cibi, quam licite posset consumere, aliquid sibi subtrahat, vel ex quantitate pecuniæ, quam iter agendo posset expendere. Videri enim potest, tunc non agere contra iustitiam respectu religionis, quia non damnificat illam, & quia habebat ius consumendi totam rem illam; nec etiam videtur committere contra paupertatem, quia non agit vt dominus, sed potiùs vt seruus, solumque in virtute facultatis sibi concessæ illi tribuit.

*Dubitatio quarta, an peccet donando res sibi ad vsum concessas.*

8. Nihilominus communis, & vera sententia est non posse religiosum hoc facere, nisi aliunde habeat voluntatem præsumptam superioris. Est communis sententia, quæ sumitur ex D. Anton. 3. p. tit. 16. § 11. Sylu. *Religio.* 6. q. 7. Turrecrem. c. *Non dicatis.* n. 6. & ibidem Nauar. Sor. 4. de just. q. 1. a. 1. & sumitur etiam ex Alense 4. p. q. 83. memb. 4. art. 1. & ex D. Th. & aliis suprà citatis, quatenus sine limitatione asserunt, religiosum non posse eleemosynas facere, sine licentia superioris, saltem præsumpta. Ratio est, quia quando religioso conceditur vsus rei, non conceditur simpliciter ius vtendi, non est enim capax talis iuris, quod aliqualem rationem dominii habet, sed conceditur ei vsus facti, non in generali, nec quilibet pro eius arbitrio, sed in particulari talis, vel talis vsus, & ideo præter illum non potest vllum alium sua authoritate vsurpare; si ergo illum vsurpat, in eo se gerit vt dominus, non vt pauper. Confirmatur, & explicatur, quia religioso solùm cõceditur vsus cibi, v.g. ad suam sustentationem, quantum indiguerit; igitur siue voluntariè abstineat, siue quia non indiget, non potest suo arbitrio disponere de superfluo, & eadẽ ratione non potest librum sibi concessum ad vsum, in alium transferre sua authoritate, vel quia iam illo non indiget, vel quia vult se ipsum priuare illa vtilitate propter alium. Eo vel maximè quòd sæpe fortasse in hoc infert nocumentum Religioni, seipsum priuando, vel debita sustentatione, vel maiori alia vtilitate. Et ideo nec titulo eleemosynæ, aut charitatis, hæc libertas conceditur religioso, nisi ex regula, vel consuetudine probata constet, sub ea conditione concedi tãtam quotidianam portionem: vel tantam pecuniam ad iter agendum, vt si quid superfluum fuerit, liceat pauperibus erogare; tunc enim iam habetur licentia, saltem implicitè: nec tunc peccabit religiosus, si ea intentione aliquid sibiipsi subtrahat, dummodo prudentiæ mensuram non excedat; nam tunc iam ageret contra intentionem religionis, & consequenter vltra facultatem sibi concessam. Ex qua doctrina planè sequitur non solùm non posse religiosum alteri donare, quæ sibi subtrahit, verùm etiam nec posse circa seipsum applicare rem ad alium vsum præter sibi concessum, vt quod datur in cibum non potest vendere, vt inde emat librum, vel si permissum est illi expendere pecunias emendo libros Theologiæ, non potest alios sua authoritate emere, semperque in hoc peccabit, pro qualitate materiæ, nisi saltem præsumat, id non fore inuoluntatem Prælato.

*Communis & vera sententia affirmans.*

Atque ex his sequitur generalem regulam posse tam, scilicet non licere religioso dispensare bona religionis, sine debita facultate, non solũ habere locũ in priuatis religiosis subditis, sed etiam in omnibus his, quibus cura bonorum religionis commissa est. Ratio generalis est, quia omnes obligantur voto paupertatis; ergo omnibus est prohibitus proprietarius vsus, ergo & dispensatio sine facultate, quia illa semper est proprietarius vsus; ergo & dispensatio vltra facultatem sibi concessam ratione ministerii, quia quod vltra facultatem fit, sine facultate fit, nam facultas aliàs data impertinenter se habet ad illum actum, si ad illum non extenditur, vel ex intrinseca ratione ministerii, vel ex voluntate concedentis. Vnde D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1. *Monachus* (inquit) *si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynam facere de rebus Monasterii; secundùm quod sibi est commissum:* non ergo potest commissionem excedere quantumuis causa pia esse videatur. Atq; hoc inprimis locum habet in procuratore, vel quocunq; alio simili officiali subordinato præposito Monasterii; nihil enim potest expendere, nisi quatenus ratione muneris ei commissum est, quia aliàs non ageret vt administrator, sed vt dominus; item quia quoad alios vsus, non habet administrationem; ergo non potest in eos bona distrahere, etiamsi pij sint, iuxta glossam, cum text. in Clement. 2. §. *Sed & talis*, verbo, *conuertendum*, de vita & honest. Cleric. quia ratio facta etiam in eleemosynis, & piis operibus procedit, vt Sylvest. & alii Summistæ, verbo *Eleemosyna*, etiam

9. *Tam prælatis religiosis, quàm illis, quibus bonorum religionis committitur, non licet bona religionis dispensare, non habentibus facultatem.*

*Quid de procuratore, & similibus.*

adnota-

adnotarunt. Nauar. comment. 2. de regular. n. 8. & 9. Sarmiento in Defensorio.

Deinde hoc etiam locum habet, in quoliber Prælato Religionis, seruata proportione, non enim potest Abbas, vel quicunque alius præpositus vnius monasterii pro suo arbitrio, & voluntate libera, bona monasterii expendere; quamuis enim apud illum sit præcipua administratio proxima bonorum monasterii, iuxta commune ius cap. *Nullam* 18. q. 2. & cap. *Edoceri*, de rescriptis, cap. *Cùm ad Monasterium*, de Regularibus. Concil. Trident. dict. cap. 2. & iuxta modum ac regulam in vnaquaque religione præscriptam; licet hoc (inquam) ita sit, nihilominus certum est, illum non esse dominum, tum quia ipse etiam pauper est, & incapax dominii; tum etiam, quia monasterium non transtulit in illum dominium bonorum; ergo non potest vt dominus illa dispensare. Imò nec absolute loquendo supremus administrator est, sed iuxta regulam sibi præscriptam; nam iuxta varios Religionum ritus in grauioribus solus non potest disponere, sed vel cum consensu conuentus, sed dependenter à prouinciali, aut alio superiore maiori; in his verò quæ per se solùm potest, prudentiæ, & charitatis rationem habere debet, & idem cum proportione dicendum est, de quocunque superiori Prælato; nam quo vniuersaliorem habet iurisdictionem, eo etiam in hoc genere maiorem solet habere potestatem, nunquam tamen absolutam, nec dominatiuam, sed subordinatam suo superiori, si illum habeat, vel suæ regulæ, ac menti, seu consuetudini religionis totius; vel etiam Summo Pontifici, quando materia id postulauerit. Quia verò omnes hi Prælati regulariter non habent alium, per quem proximè regantur, recurrere semper debent ad præsumptam voluntatem, vel maioris Prælati, vel ipsius religionis, quia nunquam expendunt, vt domini, sed vt ministri. Id autem, quod magis consentaneum rationi iudicauerint, iuxta materiam, vel debitum alicuius virtutis, v. g. misericordiæ, gratitudinis, æquitatis, vel alterius similis, possunt consequenter præsumere esse iuxta voluntatem maioris Prælati, vel religionis, quod bene sentit Nauar. comment. 3. de regul. n. 6.

Vnde fit, vt in donationibus merè profanis, id est, non piis, neque vllo iusto titulo debitis, & à fortiori in turpibus, nunquam posset præsumi talis voluntas, ideoque & iniquæ sint, & inualidæ, argumento cap. *fraternitatem*, de donationibus. In aliis verò, quæ habent rationabilem causam, particulares circumstantiæ considerandæ sunt ad iudicandum an sit licita donatio. Et ita intelligendum censeo cap. *Cæterum*, de donationibus; vbi duo maximè considerandæ dicuntur, scilicet consuetudo, & rei quantitas. Et de consuetudine additur, *Quæ tamen sacris canonibus non obuiat*. huiusmodi autem intelligo esse omnem consuetudinem dandi aliquid sine vlla causa rationabili, quia eo ipso donatio esset irrationabilis, & consequenter etiam consuetudo.

Dices, ergo nihil operatur consuetudo, quia causa rationabilis per se sufficit, vt liceat Prælato donare aliquid, etiamsi non sit consuetudo; vnde Panormit. in dicto cap. *Cæterum*, in fine sentit, interueniente consuetudine, posse Prælatum donare aliquid absque rationabili causa. Sed hoc in Prælatis secularibus disponentibus de bonis Ecclesiæ facilè admitti potest, quia liberam administrationem talium bonorum habere possunt, & ratione illius aliquid ex consuetudine accipere; quod possint merè liberaliter donare, absque speciali causa rationabili; quandoquidem alias, vt donatio non sit prodiga, vel imprudens, aliqua ratione niti necesse sit. In Prælato autem regulari propter votum paupertatis videtur difficile talem consuetudinem admittere; sed nihilominus vbi introducta fuerit, in modica quantitate sustineri potest; & ita explicari, vt irrationabilis non sit, nec contra paupertatem, quia nimirum religio ipsa, veluti ob gratitudinem, eam liberalem licentiam concedit Prælato, vt aliquid moderatum, vel consanguineis, vel amicis liberaliter absq; alia speciali causa donare possit, quod propterea ex parte religionis rationabile est, quia iam fundatur in aliqua ratione virtutis, & consequenter ex parte Prælati non est proprietas, quia reuera non id donat nomine suo, sed religionis, & ex facultate sibi concessa. Imò si res attente consideretur; etiam in eo casu non deest rationabilis causa, quia hoc etiam pertinet ad quandam liberalitatem religionis, & ad concilandam sibi benetiolentiam aliorum. Hæc autem ratio adeò generalis sine consuetudine non sufficeret, sed necessaria est alia vrgentior, quæ in necessitate proximi, vel in alia ratione debiti fundetur.

13. *Dubitatio circa quantitatem.*

De quantitate autem nihil in eo textu dicitur, nisi attendendam esse; ab expositoribus etiam solùm declaratur, oportere vt nõ sit res immobilis, nec mobilis pretiosa, sed solùm ex mobilibus modica: non determinant autem specialem quantitatem: Corduba autem dicta q. 54. dub. vltim. conclus. 1. per rem modicam intelligit decem aureos, quoad localem præpositum monasterii; nam prouinciali, & generali maiorem concedit facultatem. Sed quantitas hæc in aliquibus religionibus solet esse taxata, ac definita, & tunc illa regula seruanda est, alioqui res est arbitraria, existimoque non posse definiri per quantitatem absolutam, sed per respectiuam, quod ita declaro. Aut enim agimus de propria ac liberali donatione, & hæc, vt dixi, non habet locum in Prælato regulari, nisi vbi interuenit regula, vel certa consuetudo, & tunc ipsa regula, vel consuetudo designabit quantitatem, quam oportet non esse nimiam; sed proportionatam viribus, & reditibus Monasterii; ita vt moraliter non reputetur donatio damnum alicuius momenti afferre monasterio, alioqui consuetudo non valeret, iuxta dictum cap. *Cæterum*. Et quoad hanc partem quantitas decem aureorum, si intelligatur pro toto anno, respectu plurium monasteriorum parua est. Si verò intelligatur sæpius repetita intra annum, est incerta, & potest esse nimis magna; ergo absolute nullam quantitatem definire possumus, sed habito respectu ad abundantiam monasterii, & ad prælaturæ dignitatem, & ordinariè stari poterit consuetudini vbi excessus non fuerit euidens. Aut agimus de largitione ex speciali causa rationabili, quæ nimirum talis sit, vt secluſa consuetudine, sufficiat ad honestandam largitionem, vt est eleemosyna, remuneratio, &c. & in his multo minus potest absolute quantitas designari; nam illa quæ assignatur à Corduba, scilicet decem aureorum, in aliquo actu erit nimia, & in alio parua, & pro toto anno est quasi nihil. Vnde Panormitanus suprà dicit ad dandum viginti, vel triginta honestæ puellæ, vt nubat, vel nobili pauperi, non esse necessariam consuetudinem, sed sufficere generalem rationem tribuendi eleemosynam, iuxta communia iura c. *Quia*, & cap. vlt 16 quæst. 1. erit ergo respectiuè illa quantitas prudenti arbitrio definienda considerata facultate Monasterii, & occasione, seu necessitate, & aliis circumstantiis, spectata etiam qualitate, modo, ac consuetudine religionis.

14. *Dubitatio quinta, an excendere de bonis*

Vlteriùs verò dubitari potest, an expendere aliquid de alienis bonis, quæ ad monasterium non pertinebant, sit contra votum paupertatis; si fiat sine licentia Prælati. Potest autem intelligi hoc fieri duobus modis, primò, quòd bona, quæ expenduntur, nõ

*alienis sine licentia fit cõtra paupertatem.*

solùm aliena sint, verùm etiam sine voluntate veri domini expendantur: secundò, quòd hoc fiat ex concessione veri domini. Quando fit primo modo, sine dubio est contra justitiam, non respectu monasterij, sed respectu domini talium bonorum, quia illi fit propriè, & directè iniuria. Simul tamen est contra fidem Deo datam per votum paupertatis, quia ille quantum est ex se expendit illa bona tanquam dominus illorum, & ita proprietarium actum exercet. An verò interueniente voluntate, & consensu Prælati quamuis iniquo, & injusto, excusetur à peccato proprietatis, licet non ab injustitia, videantur dicta superiùs de acceptione, nam vtrobique est eadem ratio. Quando verò fit hæc dispensatio bonorum ex voluntate domini, cessare videtur omnis ratio injustitiæ, quia nec fit injuria religioni, cùm ad eam non pertineant bona, quæ consumuntur, nec domino, cùm ipse consentiat, & volenti, & consentienti injuria non fit; ratio item sacrilegij & proprietatis cessare videtur, quia non vtitur religiosus tunc illa re, vt propria, sed vt aliena, quia solùm ea vtitur ex voluntate domini.

15. Contrarium autem regulariter verum est, præsertim quoad voti transgressionem. Vt autem clariùs explicetur, duplicem modum hujus actionis, & concessionis domini distinguere oportet. Vnus est quãdo dominus solùm concedit vsum facti certum, ac determinatum & tunc si vsus cedat in commodum ipsius religiosi, vel ei propriè donetur, cõtra paupertatem est, sine licentia illum accipere, non tam propter dispensationem, quàm propter acceptionẽ rei, quia nimirum aliquid pretio æstimabile, sine licẽtia accipitur, & ita est acceptio proprietatis, vt suprà dixi, & ad hoc parum refert, quòd acceptio fiat ex voluntate donãtis, nam omnis donatio ita fit, acceptio autem ex sola voluntate accipientis habet quòd sit proprietaria, nimirum si non alterius, sed proprio arbitrio fiat. At verò si vsus nec cedit in commodum religiosi, neque ipse pro se illum acceptat, sed solùm vt alteri res donetur, ita vt ipse solum sit medium, seu instrumentum transferendi rem ab vno in alium, tunc reuera non peccatur contra paupertatem, quia neque aliquid accipit, neque etiam aliquid expendit suo nomine, & in eo casu solùm procedit ratio superiùs facta, & in superioribus etiam tactum est.

16. Vnde colligo, quoties conceditur vsus facti indeterminatus, sed absolutè pro arbitrio accipientis, tunc semper esse contra paupertatem acceptare talem vsum, & ad hunc, vel illum applicare proprio arbitrio, & sine legitima facultate; quia virtute accipit jus conuertendi rem in vsum proprium si voluerit, & ita æquiualet cuidam dominio; quod tamen secus esset si solùm acceptaretur dispensatio faciendi in alios nomine alterius, quamuis particularis applicatio esset commissa arbitrio religiosi, sicut potest committere dominus ministro, seu œconomo certam pecuniæ summam in pauperes distribuendam, quos ipse pro suo arbitrio designauerit. In his autem casibus nulla interuenit injustitia, per se loquendo, nec etiam vitium proprietatis, si arbitrium hoc secundo modo sumatur, nam tunc sola electio, & jus ad electionem pauperum illi committitur, cuius vsurpatio non est contra paupertatem; vt constat ex his, quæ de materia voti simplicis paupertatis diximus hoc libro, capite quarto; quia nec administratio, nec jus administrandi, nomine præsertim alterius, per se repugnat paupertati, nisi aliunde ius illud habeat emolumentum temporale, v.g. stipendium aliquod, & ideo sit pretio æstimabile; nam tunc non licebit habere jus, tanquam proprium; si verò præcisè spectetur ius administrandi, seu distribuendi aliquid, non facit hominem diuitem: ergo.

*Sua administratio, & ius administrandi nõ est contra votũ paupertatis.*

17. Alio verò modo potest hoc ita fieri, vt res priùs simpliciter donetur, & accipiatur à religioso; postea verò expendatur ab ipso, vel consumatur. Et tunc in acceptione licet non sit iniustitia, interuenit proprietas, & culpa contra paupertatem, vt suprà dictum est. Rursus verò nouum peccatum committit, rem illam sic acceptam expendendo, & consumendo sine facultate, quod peccatum non solùm contra paupertatem est, sed etiam contra iustitiam, non respectu domini, sed respectu monasterij. Ratio est, quia statim, ac illa bona acceptata fuerunt, acquisita sunt, non religioso, sed monasterio; ergo dispẽsatio, quæ postea fit, iam non est de bonis alienis, sed de bonis monasterij; ergo sicut expendendo alia bona monasterij, sine facultate peccatur contra justitiam, & paupertatem; ita etiam expendendo hæc bona. Et confirmatur, nam etiam bona acquisita per proprium laborem & industriam statim ac sunt acquisita, subsunt huic regulæ. Et similiter bona, cum legitima facultate accepta per donationem; ergo idem dicendum est de bonis malè acceptis quantum ad modum, quia non obstante illo modo, ius acquiritur monasterio, vt suprà ostensum est.

18. Sed quæret aliquis, an saltem ex licentia Prælati liceat expendere bona sic accepta. Respondetur, quòd acceptio fuerit peccaminosa, & sacrilega, nihilque impedire, quominus Prælatus habeat ius suum dandi illam facultatem, si expedire censuerit, illa autem ritè concessa præcedens peccatum nihil impedit quominus liceat ea vti, & talia bona iuxta facultatem acceptam dispensare, quia prior culpa non habet connexionem cum actu sequenti, neque influit in illum, neque subsequens vsus fundatur in culpa præcedenti, sed in affectu eius, qui est, quòd illa bona sint religionis, & superior illorum administrationem habeat. Quin potiùs quatenus illa bona nondum fuerunt à Prælato acceptata, videtur habere maiorem libertatem renunciandi illa, & consequenter concedendi facultatem disponendi de illis. Veruntamen hoc solùm procedere censeo respectu prioris donatarii, & donationis ab ipso factæ, quia cùm non fuerit acceptata cum authoritate religionis, licet fuerit valida, non tamen omnino firma, si Prælatus velit illam irritare, seu non acceptare. Vt autem id faciat, rationabilis causa necessaria est, sicut ad repudiandam à principio quamcunque donationem factam monasterio, alioqui nec fideliter nec prudenter administraret bona, & commoda monasterii. Si autem Prælatus priorem acceptionem irritam faciat, necesse est vt priori etiam domino res ipsa restituatur, quia eo ipso quòd prior alienatio rata non habetur, redit ad priorem dominum, vel ex interpretatiua voluntate eius, & tacita conditione inclusa in priori donatione, vel ex natura ipsius dominii, quia non debet res illa manere nullius, & quasi pro derelicto, alias quilibet posset illam iuste occupare. Igitur in eo casu, in quo Prælatus irritat acceptionem, non potest dare facultatem expendendi rem illam in alios vsus, sed domino est reddenda, & ex consensu eius poterit ad alium vsum applicari. Si verò superior priorem acceptionem ratam habet, vel certè ignorans modum eius, simpliciter concedit facultatem disponendi de illa quantitate bonorum, vt facultas legitime concedatur, sufficiens causa necessaria est; & eædem circumstantiæ obseruandæ sunt, quæ in superiori dubio fuerunt explicatæ, nam quoad hoc eadem ratio est de his bonis, quę de quibuscunq; aliis bonis monasterii. Quòd enim talia bona intuitu talis personæ acquisita sint monasterio, nõ obstat quo minus causa rationabilis requiratur: potest autem iuuare vt faciliùs licentia concedatur, existente causa rationabili, vel etiam vt minor causa prudenter iudicetur sufficiens. Spe-

*Difficultas an res sic accepta liceat poste expendi.*

19. Dubitatio prima, circa materiam rei pretiosæ.

Speciale verò dubium hîc habet, quãdo res accepta est pretiosa, vel est pecunia magnæ quantitatis; v.g. centum aureorum, an possit Prælatus dare licentiam priuato religioso donandi, vel expendendi illa extra religionem, vel in priuatum commodum proprium ipsius religiosi rationabile, & conueniens, vel in alium vsum pium. Et specialis ratio dubitandi esse potest, quia supponimus quantitatem esse tantam, vt Prælatus non possit de propriis bonis monasterii tantum alienare, vel expendere, etiam in pios vsus: sed in eo casu res illa vel quantitas semel accepta statim efficitur ex bonis monasterii; ergo iam excedit potestatem Prælati. Hoc dubium latè tractat Corduba in dict. q. 54. & in summa sentit, si à principio absolutè fuit donatio facta moniali, vel religioso, tunc non posse Prælatum localem, seu Abbatissam, Priorem, &c. talem facultatem concedere, nec religiosum illa vti, quia excedit eius particularem iurisdictionem, imò nec prouincialem, aut Episcopum (si superior sit) posse illam facultatem dare, sine consensu monasterii; nec monasterii consensum sufficere, sine licentia talis Prælati; quia iam illa bona fuerunt effecta monasterii, & consequenter non possunt alienari sine consensu monasterii, & authoritate Prælati, iuxta communem doctrinam de alienationibus in Clement. vnica, de rebus Eccles. non alienan. & apud Syluestrum, & summistas verb. *Alienatio*. Si verò à principio donatio non fuit simpliciter facta, vel acceptata, sed solùm sub tali modo, vt religiosus vel monialis possit de pecunia illa ad libitum disponere, vel generaliter in tali vsu, v.g. dandi illam consanguineo, vel amico, in eo casu censeo id esse licitum, & non solùm vniuersalem Prælatum, sed etiam Abbatem, & Abbatissam posse eam facultatem concedere, quia dominium non fuit acquisitum monasterio, & ideo ex eo capite nihil obstat quo minus talis licentia dari possit, & ex nullo alio prohibita inuenitur.

20. Hæc resolutio mihi non displicet, indiget tamen maioti declaratione; nam ipsemet author non est omnino constans in priori dicto, quia paulo inferiùs ait generalem, vel prouincialem posse dare illam facultatem sine consensu conuentus, quando ratio, vel causa sufficiens interuenerit; quod non aliter probat, nisi quia hoc videtur consentaneum æquitati naturali. Veruntamen, vt moralis aliqua regula statui possit, considerandum est, duo hîc esse necessaria, scilicet causam legitimam, & potestatem; quamuis enim sine causa legitima nemo possit hoc facere, tamen etiam interueniente legitima causa, non quiliber potest, sed solùm ille, cui hæc administratio & potestas commissa est. Quantum ergo ad potestatem, considerandum est præcipuè ius proprium vniuscuiusque religionis, nam in aliqua potestas est apud generalem; in inferioribus verò iuxta potestatem ab ipso, vel ordinario iure religionis cõcessam; in aliis verò potestas est in generali, vel prouinciali cum consensu conuentus, & non aliàs. In aliis denique potestas supra certam quantitatem cõmissa est conuentui, vel proxime Prælato, in maiorem verò reseruata superiori. Ad eum ergo, ad quem iure ordinario religionis pertinuerit dispensare bona religionis talis quantitatis, vel qualitatis; pertinet etiam dare dictam facultatem, quando donatio simpliciter facta est religioso, propter rationem factam; quia dominium talis rei statim transiuit in religionem.

21. Ad iudicandum autem de hac potestate multum refert expendere, an bona, de quibus agitur, mobilia sint, vel immobilia: nam immobilia à nullo inferiori summum Pontificem ordinarie alienari possunt, nisi in euidentem vtilitatem monasterii; & ideò prædicta licentia in eis locum non habet, nam licet possit interdum dari ad disponendum de fructibus eius, per totam vitam religiosi iuxta modum, & moderationem in superiori puncto tractatam; tamen ad rem illam immobilem radicitus alienandam ad arbitrium priuati religiosi dari non potest. Idemque est de rebus mobilibus pretiosis, quæ immobilibus æquiparantur, vt tradit Panormit. in cap. *Tua*, de his quæ fiunt à Prælato, &c. & Syluest. verb. *Alienatio* quæst. 10. num. 9. circa alia verò mobilia locum habet dicta licentia iuxta mensuram potestatis. Computandam autem censeo pecuniam inter mobilia bona; nam licet per eam possit comparari aliquid immobile, vel aliquod ius ad certos reditus, quod inter immobilia computatur in cap. *Exit*, de verborum significat. in 6. nihilominus per se, & in propria specie ex mobilibus bonis est, & eorum lege mensuratur, nisi sit tanta, & iam censeatur res pretiosa, ac proinde tanquam immobilis computetur. Ex his ergo principiis in particulari iudicandum est de hac potestate, & materia eius; ad iudicandum autem de legitima causa sufficere possunt superiùs dicta, quia reuera in particulari semper est iudicium arbitrarium.

22. Hîc solùm occurrit addendum in particulari hoc casu multum posse iuuare, & in partem causæ computari, quòd talis pecunia data sit Religioso in peculiare commodum & vtilitatem eius. In quo tamen etiam oportet expendere, aliud esse rem esse donatam directè monasterio intuitu, vel intercessione, aut occasione talis personæ; aliud verò esse rem ex intentione donantis dari particulari personæ in vsum, & vtilitatem eius, quantum fieri potest consequenter verò dominium transire ad religionem, quia aliter fieri non potest. In priori enim casu absolutè, & simpliciter res transit in monasterium quoad dominium, & respectum, (vt sic dicam) ad communem vsum, & vtilitatem, & ideo in eo casu vix habet locum petita facultas vltra legitimam licentiam, nam religiosus tunc non est obiectum donationis, vt sic dicam, sed veluti instrumentum, aut occasio, ex qua ad summum potest resultare quædam ratio gratitudinis erga talem religiosum, quæ tamen non sufficit ad honestandam licentiam, alienandi, vel conuertendi in proprios vsus rem illam, nisi alioqui intercedat alia necessitas, ob quam ex quibuscunque bonis monasterii, posset illi subueniri.

23. In posteriori autem casu censeo facili negotio posse talem facultatem honestari, & regulariter posse concedi ab immediato superiore monasterii, nisi vel regula, vel consuetudo religionis specialiter repugnet. Ratio est, quia ex intentione donantis, non sunt illa bona simpliciter, & absolute incorporata monasterio, sed sub tali modo, & quasi conditione, aut onere, vt vtilitas eorum tali personæ applicetur, & ita acceptata sunt; ergo multo faciliùs, & ex leuiori causa potest superior illam licentiam dare, circa talia bona; quàm si ex propriis bonis, quæ sunt sub absoluto dominio monasterii, essent consumenda. Confirmatur, & declaratur, quia si superior sciret, & vellet subtiliter rem distinguere, posset non acceptare dominium talis pecuniæ, sed solùm dare licentiam subdito ad vtendum illa tanquam aliena ex consensu domini, tunc enim nihil alienat de bonis monasterii, & alioqui vsus est honestus, & religiosus, vt supponimus; ergo licet contingat, ipsum hoc non aduertere, nec distinguere, virtualiter hoc censetur voluisse cùm intendit à principio eam pecuniam, v.g. acceptare solùm in cõmodum seu vsum talis personæ: ergo iuxta eandem

etiam

(t am intentionem potest postea licentiam dare, & religiosus potest illa vti.

24. Vnde in eo casu particulari, quem tractat Corduba, si centum aurei hoc modo donentur moniali, an possit ex licentia Abbatissæ ea donare alicui personæ seculari, vt pro tempore vitæ suæ singulis annis tantam pensionem reddat illi per quam extinguatur capitale, seu (quod idem est) ita vt centum aurei in perpetuum dominium alterius transeant. Distinguendum enim censeo, aut enim pensio tanta est, vt iuste solùm possit respondere censui, quem vocant vitalitium, suppositis quæ suprà dicta sunt de pensionibus monialium, & supponendo etiam quantitatem pensionis, secundùm rectam rationem esse accommodatam necessitatibus talis personæ, tunc, inquam, iustam censeo talem, facultatem; quia iuste consumitur illa pecunia in vtilitatem talis personæ; & modus ille non includit aliquid per se illicitum, aut prohibitum. Sicut in aliquo casu posset religio emere vitalitium censum, cuius dominium apud ipsam esset, & applicare fructus eius ad vsum talis religiosi, pro cuius vita census constituatur, ita vt applicatio pensionis non sit irreuocabilis, sed pendeat semper ex voluntate superioris, quod etiam in præsenti casu supponimus. Posset etiam hoc fieri, non constituendo proprium censum, sed quoddam mutuum, quod per partes soluatur, cum æquali periculo vtriusque partis, minuendi, vel excedendi capitale, si vita minus vel magis duraverit; qui contractus ex se æqualis est, & factus ex licentia superioris, nihil continet contra paupertatem, & alioqui pecunia ita est acceptata, vt iuste possit expendi à superiore, in vtilitatem talis personæ, vt ex dictis suppono; ergo. At verò si pensio tam parua est, vt iuste possit respondere censui perpetuò redimibili, non esset iusta causa extrahendi omnino illam pecuniam extra monasterium, quia posset constitui census cuius dominium perpetuò duraret apud monasterium, quamuis moniales pro tempore vitæ suæ fructibus eius gauderent; sic enim, & satisfieret intentioni donantis, & commodis monasterii consuleretur; tenetur autem superior vtriusque rationem habere in huiusmodi facultate præstanda; & ideo nisi specialis ratio cogeret, non liceret in eo casu tantam pecuniæ quantitatem extra religionem omnino alienare, vel ad hoc licentiam tribuere.

## Caput XVI.

### *De testamentis religiosorum.*

1. QVæ hactenus diximus pertinent ad dispensationem bonorum inter viuos; superest, vt explicemus, an in morte possint religiosi de eisdem bonis disponere, vel testari; loquimur autem de Religiosis secundùm præsentem statum Ecclesiæ, nam de antiquo iure ante tempora Iustiniani Imperatoris, iam suprà aliquid retigimus, quod nobis sufficit. Loquimur etiam de religiosis professis per votum solenne; nam de scholaribus nostræ Societatis infrà dicturi sumus. Duo ergo sunt certa de hac materia. Primum est religiosum professum, nec validè, nec licitè testari posse, sine legitima facultate. Hoc declaratum est in Authentica *Ingressi*. Cod. de sacrosanct. Ecclesiis, quæ canonizata est per Gregorium Papam in cap. *Quia ingredientibus*. 19. q. 3. Ratio autem clara est, quia ille est vsus proprietarius; ergo non licet; item quia dispositio de re non sua, & non facta de licentia domini inualida est, præsertim cùm ab eo sit, qui nihil aliud æquiualens, nec omnino aliquid proprium habet. De qua re multa videri possunt apud Nauarrum commen. 2. de regularibus num. 22. 43. & sequentibus, & comment. de spoliis Clericorum in cap. *Non liceat* 12. quæst. 2. §. 6. num. 3.

Ab hac verò generali regula excipi solet casus, 2. Excipitur pater ingre-diens filium, in quo pater habens filios professionem emisit, antequam de bonis disponeret, & inter eos hæreditatem diuideret; nam tunc ei conceditur facultas distribuendi bona sua inter filios, quæ distributio quoddam testamentum esse videtur, vt Bartol. adnotat, quia est vltima voluntas, quæ vim habet testamenti, & per mortem ciuilem confirmatur. Hæc autem exceptio habetur ex Authentica *si qua mulier*. Cod. de Sacrosanctis Eccles. & in Authentica de sanctissimis Episcopis collat. 9. tit. 15. cap. 38. & in Authentica *Nunc autem*. Cod. de Episcopis & clericis. & refertur à Gratiano in cap. *Si qua mulier*. 19. quæst. 3. quod non satis est, vt dicamus legem illam esse canonizatam, quia ad hoc non sufficit authoritas Gratiani, vt notauit Nauarr. comment. 2. de Regularib. num. 53. tamen & à Gregorio Papa in prædicta Epistola virtute approbata est hæc lex, & vsu etiam, & consuetudine recepta est, & ita sentiunt communiter authores, Couarruuias de Testamentis cap. 2. num. 9. Gregorius Lopez in partita 6. tit. 1. l. 17. Molina lib. 2. de primogenitis num. 55. Nec tamen dissentit Nauarrus suprà. Quia rectè aduertit mirabilem esse illam concessionem, quia pater semel professus licet filios habeat, nullum dominium, vel ius retinet in prioribus bonis, nec est capax illius; quomodo ergo potest de illis disponere? aut quæ necessitas est illius concessionis? cùm in eo casu possint filii, quasi ab intestato parenti succedere, sua legitima portione vnicuique diuisa, & tua etiam monasterio reseruata, quod magis videbatur consentaneum iuri Canonico, argum. cap. penult. 16. quæst. 7. & cap. vlt. 20. quæst. 3.

Quæ difficultas explicabitur meliùs, si simul aliam excitemus, nimirum, an in eo casu possit talis religiosus aliquid in ea distributione bonorum ex propria voluntate, & affectu efficere, sed solùm exequi quod aliàs ipso iure necessariò cõpetit filiis. Nam si hoc posterius dicamus, facile expeditur dicta difficultas. Dicemus enim illud non esse propriè testamentum condere, neque ad illam distributionem necessarium esse proprium dominium, aut ius, sed sufficere administrationem, quæ in illo casu ipso iure parenti conceditur. Quòd si hæc expositio vera est, ex illa sequitur in Hispania non posse patrem iam professum præferre aliquem filium in tertia parte bonorum, licet aliàs hoc liceat parenti liberè testanti, iuxta legem 17. & 18 Tauri, & ita tenet in terminis Gregorius Lopez suprà, quamuis non ex prædicto fundamento, sed ex alio, scilicet, in eo casu oporteret æqualem, atque adeò aliam tertiam partem bonorum tribuere monasterio, juxta prædictam Authenticam *si qua mulier*. hoc autem cederet in magnum præiudicium aliorum filiorum, & repugnat ipsimet iuri Hispaniæ. 3.

Nihilominus illa interpretatio sustineri non potest, expresse enim repugnat dictæ Authenticæ *si qua mulier*. Dicendum ergo est distributionem hanc cõmitti voluntati parentis, definitè verò ac limitare ad formam illius legis. Primum constat ex illis verbis l. *Quod eis non dedit, monasterio competit*. & illis, *Sed si omnem substantiam inter filios diuidere voluerit*: ex his enim constat modum distributionis committi arbitrio parentis, & filios non debere eodem modo succedere, ac si ab intestato Pater discessisset. Altera etiam pars manifesta est, quia cùm hæc concessio sit valde specialis, non potest extendi vltra formam, & terminos legis. Itaque non potest huiusmodi religiosus aliquid legare, vel distribuere, extra filios, & monasterium; nam expresse in textu illo dicitur, 4.

Licet

*liceat ei postea inter vos diuidere legitima non diminuta, & quod eis non dederit, monasterio competat*; nihil ergo potest aliis impertiri. Et meritò, quia hæc veluti dispensatio solùm conceditur in fauorem filiorum; nam si filij non existerent, omnia illa bona ipso facto fuissent Monasterij; ergo meritò limitata est hæc facultas illo modo. Deinde inter filios ipsos potest præter legitimam portionem necessariò debitam (quam diminuere non potest) cætera etiam bona dividere, dummodo monasterium ipsum inter filios enumerer, vt partem suam accipiat. Neque hoc repugnat voto paupertatis; primò quidem, quia eo ipso quòd votum fit à tali persona, fit cum moderatione, seu conditione, à iure statuta, nec potest esse alia intentio vouentis, & ideo nec votum potest amplius obligare. Deinde, quia, vt suprà diximus, votum paupertatis non reddit personam inhabilem ad dominium, & ipso facto tollit illud, nisi in virtute juris humani; cùm ergo ius adhibeat hanc limitationem, facile potuit suspendere hanc incapacitatem, pro illo tempore, & in illo permittere dominium, ligatum tamen, ad solum illum actum lege præscriptum. Denique rectè etiam intelligi potest illum non esse actum dominij, sed liberioris cujusdam administrationis lege commissæ in fauorem, tam filiorum, quàm religionis, quem voluit lex esse aliquo modo dependentem à voluntate patema, cum, vt omnis species iniustitiæ, & auaritiæ tolleretur, tum etiam, vt habere possint locum, vel gratitudo, vel specialis amor, aut pietas parentis. Tunc autem ne bona illa maneant sub nullo, vel incerto domino, dicendum est, dominium eorum per professionem indiuise transire ad filios, & monasterium simul, & ita permanere donec distributio per parentem fiat.

Iuxta hanc verò resolutionem probabilius videtur in illa quæstione quam attigit Gregorius Lopez; in Hispania posse huiusmodi parentem præferre aliquem filium in tertia parte suorum bonorum, quod tenet Molina iurista lib. 2. de Primog. cap. 9. à num. 57. vsque ad 61 & Molin. Theologus tom. 1. de iust. disput. 141. & tom. 3. disput. 604. & alii. Ratio est; quia hoc nullo iure vetitum est, & in prædicta Authentica conceditur Patri, vt præter legitimas portiones possit reliquam partem substantiæ inter filios diuidere; ita tamen vt partem proportionatam sibi pro monasterio retineat. Nec ratio, quæ mouit Gregorium, difficultatem ingeret, si aduertamus, ius commune quantum ad legitimam filiorum immutatum esse in Hispania, & ideo facultatem in illa Authentica concessam, quæ in illo iure fundatur, aliquam etiam mutationem recepisse, quantum ad modum distributionis. Iure enim communi legitima filiorum est tertia, vel dimidia pars bonorum patris; nam si numerus filiorum non excedat quaternarium, debetur illis tertia pars, & de reliquis potest pater libere disponere. Si verò numerus filiorum sit maior; debetur illis dimidia pars. Iuxta Authenticam ergo *si qua mulier*, in hac legitima nullam partem habet monasterium, sed illa integrè dempta, in reliquis bonis, quæ subsunt liberæ dispositioni patris, habet necessariò partem aliquam cum filiis, modo statim explicando, & potest habere totam si religiosus velit. In Hispania verò legitima filiorum nulla distinctione facta de numero eorum complectitur omnia bona parentis præter quintum cum libertate præferendi aliquem, vel aliquos filiorum in tertia parte talium bonorum; non verò extra filios illam alicui donandi, & ideo vltra quintum nihil potest habere monasterium, etiam applicando formaliter, vt sic dicam, dispositionem Authenticæ, *si qua mulier*, ad legitimam, vt sic, abstrahendo, an sit tanta, vel tanta & hinc iam cessat incommodum, quod Gregorius inferebat, nam licet pater aliquem ex filiis in tertia parte bonorum angeat, nullum nocumentum infert monasterio, cùm nihil ex quatnor partibus bonorum possit ad illud deuenire, quia in illis filiis sunt necessarij hæredes, iuxta proprium Hispaniæ ius; licet inter filios possit pater augmentum tertiæ partis alicui, vel aliquibus conferre. Cùm ergo per dictam Authenticam *si qua mulier*, possit pater ex bonis suis distribuere inter filios, prout voluerit, quidquid vltra necessariam legitimam illis debetur, eandem facultatem retinet pater, etiamsi professus sit. Quia in dicta Authentica nihil aliud ab eo postulatur, nisi vt bona sua diuidat inter filios, nullum in legitima defraudando, quod in eo casu seruatur, non autem postulatur, vt omnes faciat æquales.

Magis dubitari posset, an ex quinta parte bonorum possit aliquid relinquere filiis, vel alicui eorum; nam in illa magis videtur vrgere argumentum Gregorii Lopez pro parte negatiua, quia id cederet in nocumentum monasterii. Nihilominus censeo in primis non cogi huiusmodi Religiosum ad relinquendam quintam partem bonorum monasterio: nam licet possit id facere iuxta iura Hispaniæ, nihil est, quod illum obliget, quia in dicta Authentica *si qua mulier*, ei conceditur, vt omnia bona libera, quæ sunt extra legitimas, & bona necessaria filiorum, posset etiam inter filios diuidere, dummodo quoad hanc petitionem monasterium habeat partem æqualem. Cùm ergo in Hispania hæc quinta pars sit propriè libera; in illa locum habebit dicta concessio: possit ergo iuxta illam facultatem aliquid ex illa portione filiis donare. Interrogabis, quantum illud sit, & quomodo distribuendum? Respondeo, si filii, v.g. duo sint, posse quintum illud in tres partes diuidi, & ita distribui inter filios, & monasterium; & eadem proportio seruanda erit si numerus filiorum augeatur. Sed quid si pater velit duas partes illarum dare vni filiorum? Sanè iuxta sententiam Gregorii non poterit, quia tunc non habebit monasterium æqualem partem cum quolibet filiorum in illis bonis liberis, quod repugnat dictæ Authenticæ, iuxta expositionem glossæ in dicta Authentica. Cod. de sacrosanct. Eccles. verb. *connumeratæ*, quam Bartolus ibidem sequitur, scilicet debere tantam partem retinere pro monasterio, quanta est maxima, quam tribuit alicui filiorum. Sed hoc non potest fundari in textu, nam solùm dicit, *vnam sibi partem omnibus modis retineat, quæ debeat monasterio competere*. Vnde existimo solùm cogi ad dandum Monasterio tertiam partem v.g. seu eam partem proportionalem, quæ respondet numero filiorum, dando monasterio locum vnius filii, de reliquis verò posse libere diuidere inter filios, & hanc partem magis videtur probare glossa collat. 9. verb. *persona*, dicens posse sibi virilem assumere partem. Et ratione patet, quia in rigore non tenetur dare monasterio plus quam tertiam partem, si velit duas alias distribuere inter filios. Ergo licet vtramque tribuat vni filio, nihil nocebit monasterio; quid ergo impedit quo minus possit id facere.

Disputant etiam iuxta hanc dispositionem Iurisperiti, an hæc concessio ampliari possit respectu ascendentium, & an possit pater cogi, vt illam faciat ante mortem. Sed hæc, & alia quæ de hoc puncto disputari possunt, sciens omitto; breuiter tamen censeo illam ampliationem non esse admittendam; quia hæc concessio nimis specialis est, & ideo non est extendenda extra terminos legis, præsertim quia potest facile longe diuersa ratio assignari in parte respectu filiorū, quàm in filio respectu parentum, poterit autem

autem in eo casu parentes petere legitimas sibi debitas, vt notauit ex Bartolo, & aliis Nauarrus dict. comment. 2. de regularib. n. 46. quin. 48. subiungit cum Couar. cap. 2. de Testamentis, filios in eo casu posse petere legitimas suas ante mortem patris, statim post professionem eius, quia id est magis consentaneum æquitati, & iuri Canonico, in cap. *Cùm simus* de regularib. per quod responsum est ad alteram interrogationem; nam si filiis detur legitimæ debitæ, non poterit cogi ad distribuenda alia bona ante mortem.

8. Secundò certum est non posse religiosum facere testamentum etiam de licentia cuiuscunque Prælati infra Summum Pontificem. ita docent Nauarrus, Couarruuias, & alij infrà citandi. & ratio est, quia hoc est simpliciter prohibitum in iure communi, ita vt religiosus professus sit inhabilis iure communi ad testandum: ergo non possunt inferiores Prælati in eo dispensare. De summo autem Pontifice controuersia est apud authores, an possit hanc licentiam dare; & multi putant pendere ex ea quæstione, an possit dispensare in voto solenni paupertatis; nam durante voto putant non posse Pontificem in hoc dispensare. At si propriè loquamur, quæstio in hoc sensu tractanda est; nam si votum auferat, iam non dispensat, vt monachus testetur, sed ex monacho facit non monachum, & tunc ipso iure tollitur inhabilitas testandi de bonis deinceps acquisitis. Videtur ergo in priori sensu pars negatiua probari ex cap. *Cùm ad monasterium*, de stat. monach. quatenus ait non posse Summum Pontificem dispensare cum monacho, super habenda proprietate; nam eadem ratione non poterit dispensare circa dispositionem proprietariam; nulla autem videtur magis proprietaria, quàm illa quæ est per testamentum. Secundò ita declaratur, quia non potest Pontifex concedere religioso licentiam irreuocabilem alienandi bona, quoniam hæc est contraria paupertati; sed dispositio testamenti si semel confirmetur, irreuocabilis est; ergo non potest ad illam dari facultas stante voto. Tertiò, quia non potest Papa dare licentiam testandi de bonis alienis, quia non potest ipse de alienis bonis disponere; ergo neque ad hoc licentiam dare; sed religiosus non est capax bonorum proprio-rum, sed quidquid acquirit est monasterij; ergo nihil habet de quo testari possit, etiam ex licentia Papæ, alioqui iniuria fieret monasterio.

*An Papa possit dare licentiam testandi.*

9. Nihilominus absolute loquendo, certum existimo, posse Pontificem hanc licentiam concedere. Tradit Couarruuias referens multos in c. 2. de testamentis num. 10 Nauarr. dicto comment. 2. de regularib. num. 57 & sequentibus, & quæst. 3. de reditibus Ecclesiasticis. §. Vndecimò moneo. Molina tractatu 2. de iustitia disput. 141. Ratio est, quia quòd Monachus testari non possit, neque est ius diuinum positiuum, nec naturale; ergo potest in eo Papa dispensare. Consequentia est clara, quia potest dispensare in quolibet iure humano & Ecclesiastico, quale hoc est. Antecedens etiam quoad priorem partem patet per se, quia nullum ostendi potest tale ius positiuum. Quoad alteram verò probatur, quia hîc non potest aliud ius naturale interuenire nisi de voto seruando, in quo iure non potest Papa dispensare manente voto, & quasi in sensu composito, vt sic loquamur; hoc autem ius non habet hîc locum, non quia potest auferre ipsum votum, vt Couar. sensisse videtur sumens argumentum à dispensatione in voto continentiæ, quod non est simile, vt ex dictis patet, sed quia testari de licentia alterius non est actio contraria voto paupertatis, vt rectè aduertit Nauarrus, quia non est actus dominii, sed administrationis cuiusdam, non enim fit nomine proprio, sed alieno. Quod fundamentum magis explicabitur respondendo ad rationes factas.

Ad primam dicitur non dispensare Pontificem in habenda proprietate cum monacho eo quòd det illi facultatem condendi testamentum, sicut non dispensat in proprietate, eo quòd det illi facultatem donandi inter viuos. Dices, si hoc ità est, cur non poterit etiam Abbas concedere facultatem disponendi per testamentum, de tanta quantitate bonorum, quanta posset dispensari inter viuos ex eiusdem facultate? Respondeo ex vi voti non esse maiorem repugnantiam, tamen iure positiuo specialiter esse prohibitum testamentum religioso, iuxta dictam Authenticam, & cap. *Quia ingredientibus*, quæ iura ita consuetudo interpretata est. Vnde Nauarrus dicto comment. 2. num. 44. fatetur, si alicubi esset consuetudo introducta, vt Religiosus de licentia Abbatis testaretur, posse id fieri, quia illa consuetudo non est de re intrinsecè mala, aut quæ non possit honestari. De facto autem inquit, nullibi gentium esse talem consuetudinem. Et meritò, quia actio testandi iuxta communem omnium æstimationem, valde indecens est religioso, vel quia fit in fine vitæ, in quo animus debet esse magis abstractus à temporalibus, vel quia supponit, vel habet maiorem speciem proprietatis, & cuiusdam perpetuitatis, vel etiam, quia vix potest habere causam legitimam, & ideo meritò reseruatur suprema potestati.

Sed vrgebis, nam si hæc non est dispensatio in voto, sed tantùm in positiuo iure, sequitur posse consuetudine introduci, vt religiosus testetur, etiam sine licentia Papæ, quod videtur absurdum. Sequela probatur, quia quod potest fieri per priuilegium Papæ, potest etiam per consuetudinem immemorialem acquiri, argumento cap. *Super quibusdam*, de verb. signif. Estque communis sententia, vt ex Panormitano in cap. *Accedentes*, de præscription. & Felino in cap. *Quain Ecclesiarum*. num. 6. 27. & 28. de constitutionibus refert Nauarrus dict. comment. 2. de regularibus. num. 44. vbi propter hoc argumentum videtur sentire posse consuetudine præscribi, vt religiosus testari valeat, exceptis tantùm eis casibus, in quibus, neque ex licentia Papæ valeat testari, de quibus statim. Nihilominus respondeo ad difficultatem negando sequelam. Quamuis enim possit consuetudine præscribi, vt religiosus testetur sine licentia Papæ, non verò sine omni licentia expressa, vel tacita, quo sensu Baldus in dicta Authentica *Ingressi*, & Perusinus in rubrica de testament. num. 65. negant posse consuetudine introduci, vt religiosus licite, & validè testetur, & probatur, quia non potest consuetudine introduci, vt religiosus disponat, etiam inter viuos de aliquibus bonis, sine aliqua licentia legitima, saltem tacita, quia talis consuetudo est de re intrinsecè mala, vtpote voto paupertatis contraria, ergo à fortiori idem est, de dispositione per testamentum. Nam eo ipso quòd dispositio fit sine licentia, fit nomine proprio, & consequenter fit tanquam actus proprietatis & dominij, qui voto paupertatis contrarius est. Neque contra hoc procedit principium illud de consuetudine quòd Nauarrus assumit: vt enim illud locum habeat, oportet esse omnino eandem materiam cõsuetudinis & priuilegij Pontificij, hîc autem non est omnino eadem, nam Papa dispensat cum religioso, vt sine licentia testetur, sed duo facit, nam vt supremus legi ator dispensat cum religioso in iure communi, prohibente eum testari, & vt supremus Prælatus religionis dat ei facultatem, vt possit disponere de talibus bonis, & ita non concedit facultatem dispo-nendi sine licentia, nec potest illam concedere, quia inuol-

introduxit repugnantiam; ergo nec consuetudine potest hoc introduci. Poterit autem consuetudo vel interpretari, hanc licentiam concedi à Pontifice, eo ipso quòd det expresse aliam licentiam, vt, v.g. habenti beneficium seculare, aut aliquid simile; vel etiam potest consuetudo derogare iuri communi prohibenti religiosum testari, & simul interpretari tacitam facultatem Prælatorum religionis disponendi de talibus bonis, vt si aliqua religio daret facultatem magistris Theologiæ, v.g. vt possint libere de suis libris disponere, & consuetudinem, eam ampliasse ad vitam & mortem, tunc ex vi voti non esset consuetudo intrinsecè mala, quia non esset ad testandum sine licentia, sed ipsamet consuetudo licentiam interpretaretur; & fortasse nihil aliud voluit Nauarrus. Existimo autem in eo casu necessarium esse, vt sit in voluntate & potestate Prælati religionis prohiberi, ne tale testamentum fiat, quia facultas irreuocabilis per Prælatum dari non potest, & repugnat voto; ergo nec potest consuetudine introduci talis facultas, sed ad summum potest consuetudine introduci, vt intelligatur tacite concessa, quando non expresse prohibetur. Posset verò vlteriùs consuetudine introduci, vt materia ipsius voti intelligatur esse diminuta, ita vt iam sit votum paupertatis simpliciter, sed secundùm quid, seu cum ea conditione, vt liceat testari etiam sine facultate, vel ex facultate irreuocabili per Prælatos religionis, talis enim consuetudo non esset intrinsece mala, quia non esset de re voto contraria, sed potiùs limitaret ipsum votum, quod non est per se malum, cùm sit voluntarium, vel iuxta humanam institutionem. Atque ita sentiunt multi de militibus religiosis quoad obseruantiam paupertatis, de qua re pauca in fine huius capitis adiiciam.

11. Ex his facilis est responsio ad secundam rationem dubitandi, laborat enim in æquiuoco; aliud est enim dare licentiam irreuocabilem; aliud dare licentiam ad actum irreuocabilem, si semel fiat, & confirmetur. Potest enim, v.g. pater dare licentiam filio ad contrahendum matrimonium, quod semel contractum irreuocabile est; licentia autem ipsa potest esse reuocabilis, quandiu executioni non mandatur. Ita ergo testamentum, ad quod datur facultas, plane est irreuocabile, postquam est morte confirmatum (nam hoc etiam sub facultatem cadit,) ipsa verò facultas potest semper reuocabilis esse, quandiu talem actum consummatum non habet.

12. Hinc verò pullulant nonnullæ difficultates. Prima est an possit hæc facultas dari irreuocabiliter, non tantùm respectu inferiorum Prælatorum (de hoc enim dubium non est, quin possit,) sed etiam respectu ipsius Summi Pontificis; non enim videtur repugnare quin Pontifex ita det hanc facultatem, vt iuste eam reuocare non possit. Sic enim videtur illam concedere multis Episcopis, qui aliàs testari non possunt, præsertim quando, vt concedatur, intercedit aliqua recompensatio, vel contributio; tunc enim non tam est pura dispensatio, quàm compensatio, & ideo videtur irreuocabilis. Cur ergo nõ poterit Pontifex similem facultatem dare alicui regulari? Nihilominus censeo, non posse id facere, nisi dispensando in voto ipso paupertatis; de qua dispensatione, an sit possibilis, infrà dicam. Illud autem prius probatur ex supradictis, quia licentia irreuocabilis dat proprietatem, & dominium, ideo enim irreuocabilis est, quia ius in alium transfert, quod violari postea non potest, vnde postea talis actus plane est proprietarius, quia fit independenter à voluntate alterius, vt enim dependeat non satis est quòd voluntas præcesserit, si ius immutabile dedit; sic enim omnis donatio pendet ex voluntate donantis, & nihilominus proprietatem confert, nam idcirco reuocari non potest; & ideo non est simile quod affertur de Episcopo seculari; nam ille capax est proprietatis & dominii, quidquid tamen sit de facultate illi concessa, an irreuocabilis sit, quod alterius considerationis est; respectu autem regularis Episcopi, quantumcunque intercesserit compensatio, seu compositio, censeo facultatem in rigore esse reuocabilem, atque adeò reuocationem, si fiat, esse validam, & non esse iniustam contra commutatiuam, esto esse possit contra fidelitatem, si promissio non reuocandi facultatem intercesserit.

13. Oportet autem, vt reuocatio in tempore congruo fiat, nam si testamentum iam sit factum, & morte confirmatum, non habet locum reuocatio, quia facultas iam fuit expleta, & finita, & alioqui actus ipse reuocabilis est, & per illum translatum est ius in hæredes, quo priuari non possunt; sicut etiam quando Prælatus religionis dedit facultatem subdito donandi aliquid, potest reuocare licentiam ante vsum eius, donationem autem factam reuocare non potest, quia iam est ius alteri legitimè acquisitum. Sed quid si testamentum iam est factum, nondum tamen morte confirmatum? poterit ne tunc facultas reuocari? videtur enim etiam tunc non posse, quia iam habuit actum suum, & ad præteritum non est potentia, actus autem ipse non videtur posse reuocari per extrinsecam voluntatem, cùm legitime factus fuerit, nec etiam per intrinsecam, seu propriam ipsius testatoris, quia iam ille ampliùs testari non potest, ergo nec reuocare testamentum factum, nam qui testamentum condere non potest, nec reuocare potest, vt est communior Iuristarum sententia, quæ colligi potest ex Couarruuia suprà num. 9. & Nauar. dict. comm. 2. n. 51.

14. *Testamento facto, & morte confirmato iã licentia nõ potest reuocari.*

15. Contrarium nihilominus videtur verum. Vt autem illud melius ostendatur, ab hoc vltimo puncto, & incidente dubio inchoandum est, & dicendum posse huiusmodi Religiosum reuocare tale testamentum, si velit. Quod docet expresse Nauarrus dict. quæst. 3. de reditib. Eccles. contra Decium, & Tiraquellum, & alios: quorum probabile fundamentum non video, quia facultas ad aliquem actum debet intelligi iuxta materiam subiectam, seu iuxta naturam, & ordinarium ius talis actus, sed hæc facultas est, ad condendum testamentum, cuius natura est, vt contineat voluntatem deambulatoriam, ergo intelligitur eodem modo dari. Confirmatur, quia aliàs non esset facultas ad condendum testamentum, sed aliud genus contractus, vel dispositionis. Secundò dicendum est, facultatem illam non fuisse extinctam per tale testamentum, sed posse virtute illius aliud condi, sicut potest prius reuocari. Tenet idem Nauarrus quæst. citata num. 23. & 24. Molin. tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 141. Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 6. num. 18. & alii. Et patet, quia facultas data ad aliquem actum, intelligenda est de actu perfecto & consummato, & qui possit habere effectum, iuxta glossam in cap. *ex Tenore*, de rescriptis, quæ recepta est, & optima ratione fundari potest, tum quia gratia, & fauor debet ampliari, tum maxime, quia debet intelligi ita, vt satisfiat intentioni concedentis & petentis illum, ergo hæc facultas debet intelligi de testamento perfecto & consummato, quale non est donec per mortem confirmetur, ergo non spirat facultas per quodlibet aliud testamentum quamdiu reuocabile est. Idque est certissimum in facultate testandi concessa Episcopo, non regulari, & vsu comprobatum, ergo idem erit in præsenti, nam forma facultatis eadem est, & votum paupertatis ad hoc nihil refert.

16. Tertio dicẽdum est, posse Summum Pontificem reuocare testamentum à regulari factum cum sua facultate priusquam morte confirmatum sit ; quia illa facultas nondum habuit actum perfectum , & potest illam semper reuocare , vt supra dictum est; ergo potest etiam annullare testamentum virtute illius factum , quandiu morte confirmatum non est. Probatur consequentia , quia valor , & efficacia testamenti pendet ab illa facultate non solum in fieri, sed etiam in conseruari , vt ita dicam , vsque ad mortem , vel potius in confirmari per mortem; quia si eo tempore jam non habet quis potestatem disponendi de bonis suis , neque illam habere potest ad confirmandam dispositionem prius factam. Secundo probatur ex alio principio, quod religiosus, quandiu religiosus manet, non habet velle , vel nolle, & ideo superior Prælatus eius potest rescindere omnem dispositionem ab illo factam , dummodo non sit ita consummata , vt legitimè integrum ius in alterum transtulerit; ita vero est in præsenti; ergo. Nec refert quod illa dispositio per tale testamentum facultate eiusdem superioris facta fuerit , quia semper retinet voluntarem deambulatoriam disponentis ; ergo multo magis retinet voluntatem Prælati , quæ efficacior est ad irritandam voluntatem subditi , quam ipsamet; cum ergo Papa sit supremus Prælatus, poterit illud testamentum reuocare. Et eadem ratione potest testamentum illud ita confirmare , vt sit irreuocabile ab ipso testatore , vel irritando efficaciter omnem reuocationem , quæ ab ipso fieri posset, vel coarctando facultatem datam ad testandum ad illud testamentum , vt nullum aliud virtute eius factum valeat. Quæ omnia confirmantur; nam si Pontifex, qui dedit facultatem, decedat, successor potest has omnes mutationes facere; ergo , & idem , quia non est minoris potestatis.

17. *Resolutio est, non extingui hãc licentiam morte concedentis.*

Hinc supponitur aliud dubium an hæc facultas extinguatur per mortem concedentis; quod tractat Nauarrus dict. quæst. 3. §. *octauo moneo* , & respondet non extingui , quia est gratia , & gratia non sperat per mortem concedentis, iuxta cap. *Si super gratia*, de offic. deleg. in 6. & alia citata à Felino in rubr. de constitut. & quæ in simili de facultate eligendi confessorem , vel audiendi confessiones , diximus in 4. tom. de Pœnitentia. Et hanc etiam sententiam tandem sequutus est Couarruuias in cap. *cum Nouitiis*, de testamentis num 8. retractans opinionem, quam prius tenuerat , cum multis Iurisperitis, quos ibi refert. Eandem sequuntur Henriquez lib. 7. de Indulgent. cap. 21. num. 6. Molin. tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 141. Et mihi etiam satis certa videtur, tam & sufficienti ratione fundata est , & consuetudine recepta. Ex hac vero sententia sequitur (vt obiter respondeamus obiectioni , quæ in contrarium fieri posset) hanc facultatem non interodia, sed interfauores, & gratias esse computandam ; quia licet sit exorbitans à iure communi , præsertim respectu regularium , nihilominus respectu eius , cui conceditur, simpliciter est gratia , & ideo de se stabilis est, & permanens donec reuocetur. Præsertim (quod notandum est) quia talis est ea facultas , vt ad suam vtilitatem includat durationem , vsque ad mortem eius , cui conceditur; ergo Pontifex, qui illam concedit , censetur habere hanc voluntatem : ergo illa habet effectum etiam post mortem eius , nisi à successore reuocetur.

18. Ad tertiam in primis respondetur quando Pontifex concedit Regulari hanc facultatem, non concedere licentiam testandi de bonis simpliciter alienis , sed de bonis communitatis , vel Ecclesiasticis, quorum ipse est supremus dispensator, & ideo posse ex legitima causa hanc facultatem dare. Possunt autem hæc bona haberi multis modis , quos oportet distinguere, ad intelligendum modum & rationem huius concessionis, vt legitima fit. Ad hoc autem explicandum distinguit Nauarrus supra varios vjuendi modos particularium religiosorum. Quidam sunt , qui in communitate viuunt , nihilque habent præter ea , quæ ab ipsa communitate ad suum vsum recipiunt. Alij sunt, qui habent beneficia , quorum reditus administrant, & de eis extra communitatem viuunt. In tertio ordine sunt qui absque beneficio extra communitatem viuunt, de licentia superioris, habentes à religione certam portionem sub eo pacto , vt religio nihil amplius dare teneatur ; si vero aliquid superfuerit , ipsi possint illud retinere. In quarto denique ordine sunt , qui extra claustra viuunt ex pontificia facultate , & nec beneficium habent, nec portionem à Religione, sed suo labore, & industria viuunt. In his ergo omnibus habet locum dicta facultas testandi , sed longe facilius in tribus vltimis , quàm in primis ; quia in omnibus illis cessat non solum iniuria , sed etiam morale incommodum monasterij , vt patet discurrendo per singulos Nam ij , qui extra monasterium sua industria viuunt, iam sunt quasi membra separata , & nihil consumunt de bonis Monasterij , neque ab illo fere vtilitatem percipiunt , ergo non fit iniuria Monasterio, eo quod eis concedatur administratio bonorum quæ acquirunt , tam in vita , quàm in morte. Præsertim; quia liberum eis est, nihil conseruare, sed ea tantum acquirere , quæ licitè consumere possunt; & fortasse ita facerent, si illam facultatem non haberent; ergo ex illa nullum morale præiudicium fit monasterio. Et hæc ratio locum habet, etiam in his , qui portionem aliquam à Religione accipiunt, quia possunt totam illam consumere, & nihil amplius lucrari. In his vero, qui beneficium habent, præter hanc rationem, est alia specialis , quod reditus beneficii ex primæua sua institutione destinati sunt ad subueniẽdum pauperibus , aliisque piis operibus , & ideo sicut in vita possent in hos vsus extra religionem expendi ; ita etiam iuste concedi potest facultas; vt id fiat in morte per testamentum.

19. At vero in primo ordine religiosorum hoc difficilius apparet , quia omnia bona , quibus vtuntur, propria sunt Monasterij , quod actu ea possideri verius, ac proprius , quàm ipsi priuati religiosi. Quantumuis quasi particulare peculium illi tenere videãtur, & quicquid acquirunt , statim incorporatur bonis monasterii, nec retinere illud apud se possunt, nisi ex facultate Prælati. Fortasse ergo in his locum habet , quod dixit Couarruuias cap. 2. de testamentis num. 10. facultatem hanc non dari, nisi ad testãdum in modica quantitate , & accedente Prælati Monachorum cõsensu: Nauarrus autem ait, Pontificem non solere dare huiusmodi religiosis talem facultatem, non tamen quia non possit, sed quia non decet. Quod sanè regulariter ita est ; absolutè autem loquendo non deest potestas in Pontifice , quia licet non sit dominus bonorum monasterii, est tamen supremus dispensator, & ideo per seipsum posset similem largitionem facere, etiam non expectato consensu inferioris Prælati; ergo etiam dando illam facultatem. Requiritur autem legitima causa , quia Pontifex non est dominus talium bonorum, sed dispensator; erit autem causa sufficiens si ex parte religiosi interueniat ratio talis beneficij saltem per modum gratitudinis , & ex parte operis titulus aliquis pietatis. Nam hoc etiam in vniuersum notandum est, hanc facultatẽ testandi regulari concessam, semper intelligi ad opera pietatis , etiamsi non exprimatur ; de quo videri potest Nauarr. dict. q. 3. mon 10 6. apud quem in monitis sequentibus , alia de hac facultate

cultare legi possunt, nam intentioni nostræ dicta sufficiunt.

20. Solum superest dubium supra tactum, an hæc dostrina locum habeat etiam in Religionibus militaribus, quoad ipsos milites coniugatos; nam quoad reliquos diuersa est ratio, vt infra dicetur. Nauarrus enim in comment. 2. de Regularib. n. 56. & sequentibus. & q. 3. de reditibus Eccles. monito 12. & 13. nullam ferè differentiam facit inter hos milites, & alios religiosos; nixus eo fundamento, quod sunt verè religiosi, & non habent dominium suorum bonorum. Distinguit autem de bonis, quæ habebant ante professionem, & de his ait posse disponere inter filios, si eos habent, iuxta Authenticam. *Si qua mulier*, & non aliàs: de aliis autem post professionem acquisitis, ait testari non posse sine priuilegio Pontificis, & cum illo non nisi cum respectu ad paupertatem, atque adeo regulariter ad solas pias causas; ad alias vero solum quando expresè conceditur ex causa legitima. Affertque in confirmationem motum proprium Pii V. in quo reuocat omnia priuilegia testandi his militibus concessa: in quo plane supponit eos sine priuilegio testari non posse, & se velle, vt eam obligationem obseruent.

21. Hæc vero Nauarri sententia nimis rigorosa, & aliena à communi vsu aliquibus visa est, & ideo eam improbant Sarmiento in sua Apologia, de reditibus Ecclesiasticis, & Molin. lib. 2. de primogen. cap. 9. num. 63. Qui asserunt religiosos commendatarios, qui matrimonium iure contrahunt, posse etiam testari licitè, & validè ea forma, & modo, quo iuxta receptam consuetudinem in vniuscuiusque religione communiter fit, & seruatur. Ratio est, quia non est verisimile consuetudinem ita receptam, & toleratam a Pastoribus & à confessoribus doctis, & piis, esse iniquam, & non aliqua honesta ratione fundatam. Secundo, quia in aliis omnibus, quæ pertinent ad obseruantiam, vel obligationem trium votorum, magna ex parte dispensatum est cum his religiosis; ergo idem, & priuilegiis, & vsu introduci potuit circa hunc vsum paupertatis.

22. Hæ opiniones possunt hoc modo conciliari, vt dicamus sententiam Nauarri procedere, considerata institutione, & virtute votorum talis religionis; aliam vero habere locum spectata relaxatione, vel mutatione facta in tali statu; nam vtrumque intellectum recte, verum est, quanuis fortasse dicti authores, in hac relaxatione explicanda non conueniant. Vt ergo hoc declaremus, aduerto relaxationē hanc dupliciter intelligi posse. Primo, quod per priuilegia Pontificia cœperit hæc facultas dari his militibus ad testandum, quod ita esse constat ex bullis Innocentii VIII. & Clementis VII. Ordini S. Iacobi concessis; postea vero vsu, & consuetudine introductum fuerit, vt ipsamet professio ex intentione voluentium non fiat cum obligatione non testandi, sicut post dispensationem circa castitatem, iam non volunt cum intentione se obligandi ad nō ducendam vxorem. Vnde Molina tom. 1. tract. 2. disp. 141. censet ex vi talis professionis, iam non fieri has personas incapaces dominii, sicut nec matrimonii, sed solum habere vsum illius dominii ligatum, vel subordinatum Religioni, quantum cōsuetudine receptum est; vnde & hæredes instituere possunt, & ab intestato succedere, etiam in maioratibus; & è conuerso possunt maioratus instituere, sicut de facto eos instituunt; qui modus dicendi si vsum tantum, & modum viuendi eorum inspiciamus, satis apparens est, multum tamen diminuit religionem huius status: & argum. sumptum ex motu proprio Pii V. contrarium suadet. Nam quod quidam aiunt, illum non fuisse loquutum de his militibus qui coniugati esse possunt, ita est, cum Rex Catholicus Philippus II. bonæ memoriæ, à Greg. XIII. obtinuerit reuocationem eius pro his militibus Hispaniæ, prout habetur in definitionibus ordinis Calatrauæ tit. 32. c. 4. Secundo ergo fundatur, & rectius hæc facultas in priuilegiis Pontificiis, quæ nouissimè renouauit, & confirmauit Greg. XIII. in prædicta bulla reuocatoria. Cum autem illa supponat prædictam consuetudinem in Hispania receptā, non videtur dubium quin ad testandum secundum illam, facultatem tribuat. Et ita potest votum paupertatis adhuc durare, non obstante prædicta facultate; nec quoad hoc est simile de voto castitatis, quia durante voto castitatis simpliciter, nō potest matrimonium licere; durante autē voto paupertatis, potest esse licitum condere testamentum, quando fit ex facultate reuocabili, qualis est prædicta, vt ex dictis patet. Et ob eandem causam non cogimur dicere, hos commendatarios habere dominium bonorum, de quibus testantur, aut aliis modis disponunt, nam cum id faciant, ex facultate simpliciter reuocabili, hoc satis est, vt non faciant tanquam domini, sed tanquam administratores.

Oportet autem aduertere, si hi milites habeant filios legitimos respectu illorum non indigere facultate, ad testandum, non solum de bonis ante professionem, sed etiam post illam comparatis; nam hoc est ipsorum institutum, & hoc modo, & non aliter paupertatem vouent; nam in Regula S. Iacobi c. 13. statutum specialiter est, vt nullus fratrum exhæredet filium suum; facultas ergo illa eis necessaria est ad testandum liberè de suis bonis, etiamsi filios non habeant, vel si habeant, vt possint partem bonorum extraneis relinquere, & non suæ religioni. Tunc autem inspecta obligatione voti, videri potest necessarium, non obstante dicta facultate, vt bona distribuantur in pia opera, nisi aliud sit in facultate expressum, & causa legitima intercedat; & hoc est quod Nauarrus præcipue voluisse videtur, quia illa bona iam sunt Ecclesiastica, & ideo non possunt extra pios vsus expendi, nisi ex speciali Pontificis licentia, quæ non erit iusta, nisi legitima causa intercedat, maxime respectu personæ religiosæ, tum propter votum paupertatis, tum propter nocumentum religionis, ad quam deficientibus filiis, vel necessariis hæredibus illa bona pertinebant. Et sine dubio hæc sententia est securior, & in rigore iuris fortasse vera. 23.

Nihilominus satis probabile censeo consuetudinem, quoad hanc partem, multum valuisse, & præualuisse; tum quia est optima legum interpres, & ita interpretata est, dispensationem, & licentiam largiorem datam esse à Pontificibus in his priuilegiis: tum etiam, quia eadem consuetudo potuit derogare illi iuri positiuo, vt quidquid acquirit religiosus, religioni acquirat; vel certè tales religiones tacitè renūciarunt huic iuri, quia non videbatur satis accommodatum statui, & modo viuendi suorum Religiosorum. Tum denique, quia licet in individuo, fortasse in hac vel illa persona non intercedat vrgens causa concedendi tam magnam licentiam, satis videtur quod in generali considerari potuerit, vel ratio gratitudinis, quia hi milites pro Ecclesia pugnant, & vitam suam magnis laboribus, & periculis exponunt, vel etiam ratio status, & modi viuendi illorū; nam licet religiosi sint, eis permittitur, vt seculariter viuant; & ideo bona illorum tanquam secularia iam reputantur. Igitur si aliàs dispositio talium bonorum honesta sit, & iuxta tenorem priuilegiorum, quanuis in rigore non sit in pia opera, non erit illicita. 24.

Atque hinc à fortiori constat religiosos clericos harum Religionum, & milites S. Ioannis, vel si qui sunt alii, qui vxorem non ducunt, ex vi sui voti & iuris communis testari non posse; quod si aliqui habeant 25. *Quid de clericis horum dicendum.*

num, & ritibus sancti Ioannis.

beant facultatem generalem, vel specialem, intelligenda est, iuxta regulas superius positas, atque adeo perinde iudicandum est de his, ac de cæteris religiosis; solum enim videntur differre, quod facilius, & frequentius huiusmodi facultates eis concedantur, quia vel habent beneficia, & extra communitatem viuunt, vel propter alias similes causas.

## CAPVT XVII.

### *Quam specialem obligationem inducat votum paupertatis, quod dominium etiam in communi excludit.*

1. QVæ hactenus diximus, communia sunt religiosis omnibus, qui votum solemne paupertatis emittunt, etiamsi Monasteria eorum dominium in communi habere possint; vnde etiam obligant eos, qui etiam in communi tale dominium non admittunt; quia vero illi maiorē obligationem suscipiunt, eam in particulari exponi necesse est. Scire autem oportet Concilium Trident. sess. 25. c. 3. de Regularibus concessisse omnibus religionibus, Minoribus de Obseruantia, & Capucinis exceptis, posse habere bona immobilia, etiamsi ante eis esset prohibitum, & consequenter vt possint habere dominiū in communi, & reditus, vsusfructus, &c. vnde virtute videtur Concilium quoad hanc partem dispensasse in quocunque voto non habendi bona in communi, si ab aliis religiosis præter dictos emittebatur. Quia vero Concilium non præcipit hoc genus paupertatis ab aliis religiosis non seruari, sed indulget tantum, ideo non obstante illo decreto, potest quæcunque religio illi iuri renuntiare, & consequenter suam obseruantiam, & obligationem retinere, prout de facto fecit Societas, quoad domus professas, cuius institutum etiam post illud decretum Concilii Sedes apostolica probauit. De aliis vero religionibus non constat de huiusmodi renuntiatione; & ideo totā quæstionem præsentem ad solam religionem Minorum reducere necesse est; nam de Societate professa nobis est inferius in particulari dicendum; si quæ autem alia religio eandem paupertatem retinet, facile erit quæ dixerimus ad eam accommodare. Non enim ignoro Religionem Carmelitarum, quatenus iuxta primitiuam regulam à discalceatis fratribus retinetur, hanc paupertatem in communi adhuc profiteri, & aliqui eorum contendunt, non obstante dicto decreto Concilii Tridentini, ad eam obligari, non tantum, quia illi priuilegio per suas constitutiones renunciarunt, sed etiam, quia illo decreto comprehensi non sunt. Tum quia Concil. solum loquitur de his religionibus, quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio apostolico nō erat concessum habere bona immobilia; ipsis autem non ex constitutionibus, sed ex primitiua regula erat prohibitum; tum etiam, quia tempore Concilii hæc primitiua regula non obseruabatur, & ideo solum videtur loquutum de religionibus, quæ tunc temporis florebant in viridi suæ regulæ obseruantia.

*Quæ religiones excludant dominium in communi.*

*Concilium Tridentin. non præcipit contrariam paupertatem.*

*An religio Carmelitarum discalceatorum sub decreto cōprehendatur.*

2. *Resolutio.* Sed quanuis hæc pia interpretatio laudabilis sit, nihilominus existimo mentem Concilii fuisse singulariter excipere Religionem B. Francisci, propter singulare exemplum paupertatis adeo in Ecclesia illustre, & iure communi, tam luculenter approbatum, & explicatum. Vnde si tempore Concilii iam esset reformata, seu reuocata Carmelitana Religio ad obseruantiam regulæ primitiuæ, & Concilium eodem tenore dictum decretum condidisset, sine dubio possent tunc Patres discalceati vti tuta conscientia priuilegio Concilii, quia in principio illius decreti absolutè loquitur de omnibus religionibus; etiam Mendicantibus, & dum exceptionem Minorum addit, clarius firmat regulam quoad omnes alios. Nam quod Concilium addidit, *Etiam quibus ex constitutionibus suis erat prohibitum, &c.* non est positum ad limitandam vniuersalem distributionem prius factam, sed potius ad augendam, vel exaggerandam illam, vt aperte denotat particula *etiam*. Et ideo censeo non distinxisse ibi Concilium constitutiones à regula, sed illa voce comprehendisse totum institutum, & regularum obseruantiam vniuscuiusque religionis; alioqui non fuisset dicturum, *Etiam quibus ex constitutionibus, &c.* quia magis quodammodo est prohiberi ex vi primæ regulæ, quam ex constitutionibus postea adiunctis; ergo si Concilium distingueret constitutiones à regula, limitaret potius priorem sermonem generalem, quam augeret. Item aliàs sine causa interposuisset exceptionem Minorum, quia per hanc particulam sic explicatam sufficienter excipiebantur, quia illis ex sua primitiua regula, & non tantum ex aliis constitutionibus, prohibita sunt talia bona; igitur intellexit Concilium Religionem Minorum esse ex illis, quibus ex constitutionibus prohibitum est, & ex priuilegio sedis Apostolicæ non est concessum habere talia bona; & ideo illam excepit, & ob eandem causam omnem aliam comprehendit, quæ tale institutum obseruabat, & profitebatur. Quia vero Concilium non præcipit habere talia bona, sed priuilegium concessit habere volentibus, ideo non potuit proprie comprehendere eos, qui denuo vellent, & profiterentur obseruare regulam prohibentem habere huiusmodi bona in communi; nam eo ipso renuntiant illi priuilegio, & ideo illo non obstante, se obligant denuo ad illud paupertatis genus; & hac ratione credo obligari nunc prædictos religiosos, per viam renuntiationis, & nouæ professionis, non per viam exceptionis; an vero hæc differentia aliquid ad morales obligationes faciat, in discursu patebit.

3. *suppon. dom. sect. 1.* Denique supponendum est, hanc obligationem paupertatis in communi considerari posse, vel quatenus immediatè respicit communitatem, vel quatenus resultat in singulas personas diuisum, seu prout singulæ sunt; cum enim hæc paupertas non solum pertineat ad singulos religiosos, quatenus sunt priuatæ personæ, sed etiam ad totum corpus religionis, vel monasterii, necesse est vt obligatio suo modo totum corpus respiciat; nam sicut totū ipsum per modum vnius esse posset capax dominii, ita etiam est capax paupertatis, & obligationis seruandi illam. Nec refert, quod hæc obligatio non potest à tali corpore obseruari, nisi per particulares personas; nam illæ tunc non concurrunt vt singulæ, sed vt partes communitatis, vel vt repræsentantes illam. Primo ergo explicabimus obligationem pertinentem ad communitatem: deinde prout ad singulos spectat.

4. *Assertio prima.* Dicendum igitur est huiusmodi religionem, quæ talem paupertatem profitetur, obligari in primis ad non habenda aliqua bona immobilia in sustentationem Religiosorum tanquam propria. Hoc satis per se notum est, quia hæc est specialis materia talis voti, & obligationis. Dixi autem *bona immobilia*, quia mobilia habere possunt & colligere, & ad conuenientem vsum pro tempore necessario conseruare. Hoc enim non solum licere, sed etiam melius esse, sentit D. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 7. loquens de sua religione, cui ex suis constitutionibus hic gradus paupertatis conuenit, vt ait D. Antoninus 3. p. tit. 16. §. 3. in fine, & sumitur ex constitutionibus illius ordinis, dist. 2. cap. 20. lect. 3. Idem Syluest. *Religio* 1. quæst. 5. Palud. in 3. dist. 35. q. 3. circa finem, & idem docet de Minoribus suæ Religionis S. Bonauent. in dicta expositione regulæ cap. 6. consentit Tabiena verb. *Religio* q. 6. & 7. & dicit esse communem sensum Doctorū suæ religionis, Corduba in expositione re-

ne regulæ c. 7. q. 12. & declaratur expressè in dicta Clement. *Exiuit.* §. *Rursus.* quanuis non sine aliquo scrupulo, & moderatione, onerando conscientias superiorum, vt hoc non permittant, nisi vbi experimento cognouerint, non posse aliter subditorum necessitatibus prouideri. Nunc autem inuenio hoc absolutè, & sine limitatione, & in particulari de Minoribus declaratum à Congregatione Cardinalium circa decretum Concilii Tridentini supra tractatum his verbis, *Qui* (scil cet Minores) *possunt perquirere & colligere quas unque eleemosynas, exceptis pecuniis.* Quæ exceptio propria Minorum est, quæ ab eis iuxta suam regulam obseruari debet: nam ex vi paupertatis in communi illa obligatio non sequitur; & ideo aliæ religiones, quæ particularem illam regulam non habent, etiamsi paupertatē in communi profiteantur, poterunt pecunias colligere ad sustentationem Religiosorum necessarias, quia pecunia vt sic nunquam inter immobilia bona computatur. Oportet tamen, vt in eis congregandis modum seruent, ita vt professioni paupertatis moraliter non repugnent.

5. *Assertio secunda.* Ad quod etiam obligari aliquo modo poterit monasterium, quod paupertatem in communi non profitetur, quanuis raro, quia semper potest immobilia bona, & reditus licitè augere, quantum est ex vi paupertatis, & in eum finem pecuniam aliquam reseruare, vel ex aliis reditibus, & sumptibus superfluam, vel liberaliter donatam; nam ex eleemosynis eam mendicare, & congregare ad prædictum finem, nisi moralis necessitas interueniret, rationabile non esset. At vero religio, quæ profitetur paupertatem in communi, cum non possit pecuniā in eum finem colligere, contra suam paupertatem peccaret, si in ea conseruanda, & congreganda modum excederet, nam eo ipso non esset pauper, nec penderet ex mendicitate, & eleemosynis ad suam sustentationem.

6. *Dubitatio facilis.* Hic autem occurrebat quæstio, an talis religio possit habere hæc bona mobilia vt propria. Sed in hoc non potest assignari generalis regula, sed vnaquæque religio obseruare debet modum sibi præscriptum; aliquæ enim Religiones obseruant paupertatem in communi quoad immobilia bona, quæ non recusant habere in communi proprietatem horum mobilium, vt de domibus Societatis professæ suo loco dicemus, & ex regula Carmelitarū c. 8. idem colligitur, vt postea videbimus. Religio autem Minorum hunc singularem modum paupertatis se profiteri dicit. quia vero ea res adhuc in controuersia speculatiua versatur, existimo quoad moralem obligationem satis esse vt Prælati, vel administratores talium bonorū intentione generali, ea acquirant, vel possideant, scilicet eo modo, quo iuxta suum institutum, & possunt, & debent; & ita opinor in ordine ad mores controuersiam illam non multum referre.

7. *Assertio tertia.* Dixi præterea, *in sustentationem religiosorum*, quia ad ordinariam habitationem possunt domum habere; item possunt habere Ecclesiam ad diuinum cultum; possunt etiam habere hortum domui coniunctum ad leuamen Religiosorum. In his enim omnibus solus necessarius vsus attenditur, ad quæ necessaria est firma & stabilis possessio, quia per incertam mendicitatem suppleri non potest; & ideo cuicunq; religioni, quantunuis paupertatem in communi profiteatur, hoc permissum est; singulis autem, vel latius, vel strictius iuxta vnius cuiusque regulam, seu institutum. Potest tamen inter eas esse diuersitas, supra assignata, quia religio Minorum profitetur se non habere proprietatem, & dominium harum etiam possessionum; aliæ vero licet seruent paupertatem in communi circa alia bona mobilia, & reditus eorum, dominium in communi possessionum, quæ solum sunt ad habitationem, & cultum diuinum, non recusant, & vtrumque sanctè fieri potest, & in ordine ad morales obligationes, de quibus hic præcipue agimus, non video differentiam alicuius momenti, quæ inde resultet, vt iam supra tetigi.

8. *Assertio quarta.* Atque hinc à fortiori concluditur, posse huiusmodi Religiones habere aliqua ex bonis, quæ dicuntur se mouentia ad vsum ambulandi, & ad alios labores monasterio necessarios. Hoc probat communis vsus talium religionum, & in aliquibus earum regulis est expressum, vt in regula Carmelitarum c. 8. vbi generaliter dicitur, *prout vestra expostulauerit necessitas vobis habere liceat.* In Societate vero specialiter cautum est, vt in eius domibus iumentum ad equitandum ad vsum alicuius, siue præpositus, siue subditus ille sit, non habeatur. 6. p. Constit. cap. 2. §. 14. vnde ad communem vsum totius domus non prohibetur. Idem existimo de Religione S. Francisci, quanuis vsus talium rerum iuxta specialem regulam in eo ordine præscriptam assumendus sit.

9. *Dubitatio circa animalia fructifera.* Quæri autem potest, an habere huiusmodi se mouentia ad Religiosorum sustentationem repugnet huic paupertati. Dupliciter autem possunt hæ res seruire ad sustentationem; vno modo fructificando; alio modo ipsasmet res in nutrimentum consumendo. Hoc posteriori modo non est dubium, quin liceat habere ad tempus aliquod huiusmodi animalia, quæ tempore conuenienti ex eleemosynis comparentur, & paulatim consumantur eo modo, quo diximus, de tritico, vino, & oleo, cum eadem proportione & moderatione de his rebus loquendo; quia non est diuersa ratio in his, & in aliis, quia hæ res hoc modo consideratæ inter mobilia bona simpliciter computantur, & non habent perpetuitatem, nec reditus vllos conferunt. *Assertio prima.*

10. *Rationes dubitandi.* Circa alium vero modum esse potest nonnulla dubitatio, quia huiusmodi animalia etiam hoc modo possessa videntur hoc modo derogare paupertati in communi, quia iam nutrimentum ex aliqua parte haberetur ex propriis fructibus, & reditibus: hoc autem prohibitum est, ex vi talis voti; nam per illud maxime excluditur incerta mendicitas, quæ ita esse debet annexa huic paupertati, vt veluti mensura illius constituatur, iuxta intentionem Pontificis in c. *Exiit*, de verbor. signif. in 6. In contrarium autem est, quia hæc bona se mouentia in rigore sunt mobilia, quia de loco ad locum transferuntur, & ipso vsu paulatim consumuntur. Item fructus eorum non sunt proprie reditus, sed potius commodum quoddam, vel vtilitas magis ex industria, quam ex rebus ipsis prouenientes, quæ non videtur ex vi huius voti prohibita. Sicut non repugnat huic voto paupertatis etiam in communi propriis manibus laborare, ad victum comparandum. Vnde in primitiua regula Carmelitarum c. 8. conceditur eis, vt possint habere animalia, & volatilia in nutrimentum, cum tamen illis prohibitum fuerit habere reditus iuxta declarationem Gregorii IX. Tandem aliàs non liceret religiosis profitentibus hanc paupertatem aues domesticas, vt gallinas, aut columbas habere, ad percipiendum ex eis aliquem fructum, quod videtur nimis rigorosum, & contra consuetudinem.

11. *Assertio secunda.* Nihilominus prior pars simpliciter eligenda videtur, sicut enim per hoc votum excluduntur possessiones domorum, vinearum, & similes, ac reditus earum; ita excluduntur greges ouium, & armentorum, propter fructus eorum. Probatur primo ex intentione talium religionum, ex qua maxime pendet materia voti, & ex fine talis voti, qui satis ostendit dictam intentionem. Quæ enim esset magna paupertas, si liceret his bonis se mouentibus abundare? multi enim sæculares, licet aliud genus bonorū non habeant, diuites reputantur, si ex fructibus eorum

iuxta suum statum sufficienter ali possint. Vnde licet hæc animalia simplicirer corruptibilia, & mutabilia sint, in singulis indiuiduis; tamen hoc modo sumpta, tanquam perpetua possidentur, vt per continuã successionem conseruentur, & fructificent. & ideo sub hac morali consideratione tanquam immobilia reputantur. Denique fructus prouenientes ex huiusmodi animalibus, verè, & propriè sunt reditus, quos habere nõ licet ex huiusmodi voto. Assumptum patet, ex proprietate vocis in Latino rigore, & ex vsu iuris, & sumitur ex glossa in c. *Generali*, de electione in 6. verb. *Reditus*. in quo textu reditus, & fructus pro eodem computantur. Sumitur ex leg. *deducta*. §. *hæreditatem*, iuncta glossa ff. ad Trebellianum, & videri potest Bartolus in rubrica. ff. soluto matrimonio: ex vi autem huius voti nullos reditus habere licet.

12. *Assertio tertia.* Vnde etiam censeo non licere habere aliquod animal ad locandum illud pro vsu eius pretio accepto, nam etiam illud reditus quidam esset; sicut vsura reditus pecuniæ appellatur l. *Qui*. §. vlt. ff. ad legem Falcidiam; nec regula supra citata ex ordine Carmelitarum oppositum probat, sed potius per argum. ab exceptione potest hoc confirmari, vt infra dicam. Tandem ratio in principio facta conuincens est, quia huiusmodi bona reuera excludunt mendicitatem, quia iam eorum fructibus non eleemosynis viuendum esset, vel in totum, vel ex parte, quod repugnat perfectioni huius voti, quod B. P. Ignatius recte explicauit in 6. p. constit. c. 2. §. 2. per illam excluſiuam, *In solo Deo, cui per ipsius gratiam Societas inseruit, fiducia constituatur, sine reditibus suis vllis ipsum nobis prospecturum, &c.*

13. *Ad rationes pro parte contraria.* Vnde facile expediuntur quæ in contrarium expediebantur; iam enim explicatum est, quomodo, licet hæc bona physicè mobilia sint, illo modo possessa tanquam immobilia moraliter reputantur. Vel certe respondetur, satis esse quod sint aliquo modo stabilia, & fructifera, & quod ratione fructuum possideantur: namque declaratum etiam est, hos fructus esse reditus voto repugnantes. Neque obstat quod aliqua industria, vel labor hominum necessarius sit ad illum fructum capessendum, quia in omnibus rebus etiam immobilius necessarium hoc est; neque est simile de operibus manuum; nam quod ex huiusmodi opera resultat, non potest inter fructus, vel reditus computari, nam operatio ipsa solum est actio ipsius hominis, cuius dominium non tollitur per votum paupertatis, licet per votum obedientiæ religioni dicetur; effectus autem illius operis solum est quoddam artefactum, quod religio sine læsione paupertatis vendere potest.

14. *Assertio quarta.* Ad vltimam vero instantiam dicendum est, in his rebus moralibus parum pro nihilo reputari, & ideo licet regula generalis posita vera sit, non existimo esse contra hanc paupertatem, in toto rigore habere domesticas aues nonnullas, dummodo sint in paruo numero, ita vt ex eis non redundent fructus, qui simpliciter possint reditus appellari, nec absolutè pro sustentatione computari, sed magis ad recreationem, vel ad summum ad occurrendum alicui repentinæ necessitati: hoc enim nisi in aliqua speciali regula sit expressum, non videtur repugnare absolutè paupertati in communi, nec intentioni sic vouentium. Sicut etiam non repugnat religioni profitenti paupertatem hanc, ex domestico horto fructus aliquos colligere, vel olera ad proprium vsum, quanuis ea vendere non liceat; ergo similiter dicendum videtur in prædicto casu. Vnde obiter colligi potest in verbis illis supra citatis ex cap. 8. Regulæ Carmelitarum, non solum hoc concedi, sed etiam, vt possint haberi huiusmodi animalia, vel volatilia, ad percipiendos aliquos fructus, vt lac, caseum, & oua, etiam in ea quantitate, quæ ad communitatis sustentationem multum iuuet, nam illud consequitur per modum exceptionis à generali voto, non habendi reditus; ergo aliquid amplius conceditur, quam ex se, & ex natura rei esset receptum. Fateor tamen argumentum non esse omnino efficax, quia ibidem conceditur, vt possint habere iumentum aliquod pro ratione necessitatis, cum illa non sit exceptio, sed solum alia quædam declaratio; nam ex vi generalis voti illud non est prohibitum, vt diximus. Nihilominus domestici illius regulæ expositores, ita illam intelligunt; neque oportet nos sapere plusquam oportet, quia verisimilius est, illis melius constare, de intentione suæ regulæ, vel de consuetudine, quæ est optima legum interpres.

15. *Difficultas circa ius, & actiones in communi.* Atque ex resolutione huius dubii, facile expeditur aliud hic occurrens, an scilicet, & quomodo liceat huiusmodi religionem habere iura aliqua, vel actiones in communi. Est enim inter Iurisperitos controuersia, an hæc iura, vel actiones computanda sint inter bona mobilia, vel immobilia, quibusdam asserentibus, ad illa esse reuocanda; nam si iura & actiones sint ad bona mobilia, inter ipsa mobilia bona comprehenduntur, si ad immobilia, inter ipsa reputantur, ita vt quasi ex obiecto speciem sumant. Quod sumi potest ex Abbate in cap. *Nulli*, de rebus Eccles. non alienandis num. 9. & 10. aliis vero asserentibus absolute, & simpliciter, & in omni proprietate, nec mobilia esse, nec immobilia bona, sed tertiam speciem bonorum constituere. Quæ sententia communiter recepta est, vt latè tractat Pinel. in rub. de bonis maternis p. 1. à principio, & Couarruu. in cap. *Relatum* 2. de testamentis, qui plures alios refert. Neque dissentit Panormitanus, quia hoc etiam expresse dicit. Sed quia non obstante hac proprietate verborum, sæpe ex adiunctis constat in facto ipso, seu dispositione, actiones, & iura sub illis vocibus comprehendi, tunc ait reduci debere ad hæc membra dicto modo, in quo alii non contradicunt, & indicauit etiam noster Molina tom. 1. de Iustitia, tract. 2. dispur. 201. In præsenti ergo necessarium videtur, vt hæc bona ad aliquod ex dictis membris reuocentur, quia necesse est, vt omnia bona temporalia comprehendantur sub altero ex his duobus membris, scilicet, vel eorum, quæ per hoc votum paupertatis excluduntur, vel eorum, quæ permittuntur, quia inter hæc duo non potest excogitari medium, cum contradictorie opponantur; ergo cum constet per hoc votum excludi bona immobilia, mobilia autem, vt sic permitti, videndum est, quid dicendum sit de illo tertio genere bonorum. Non enim possumus in vniuersum dicere, repugnari huic voto habere talia bona, quia potest Monasterium habere ius, & actionem ad aliquid sibi debitum, quod in aliis ordinibus, etiam hanc paupertatem profitentibus manifestum est. In minoribus autem iuxta suum modum intelligatur, scilicet, quod tale ius ad Summum Pontificem transeat, apud illos autem sit administratio. Neque etiam possumus in vniuersum dicere, huiusmodi bona esse permissa talibus religionibus, quia oppositum declaratum est à Summis Pontificibus in cap. *Exiit*, & Clement. *Exiuit*.

16. Videtur ergo, iuxta prædictam Panormitani doctrinam, dicendum, iura illa, & actiones, quæ sunt ad res mobiles, permitti, quæ ad immobiles excludi; quia priora ad mobilia bona, posteriora ad immobilia reducuntur. Sed neq; hæc distinctio recte in præsenti applicatur, quia ius ad pecuniam, ad rem mobilem est; nam pecunia inter bona mobilia computatur, vt supra dictũ est, & attingit Panor. supra n. 11. at vero tale ius ad pecuniam colligẽdam huic paupertati

tati sæpe repugnat, iuxta prædicta iura. E contrario vero aliquando permittitur ius, & actio, ad rem etiã immobilem; nam si quis leget monasterio domum, non repugnat huic paupertati acquirere ius ad illud legatum, vt eo modo, quo licite fieri possit, in vtilitatem monasterij conuertatur.

17. Aliter ergo distinguendum occurrit (& fortasse erit maior declaratio superioris distinctionis, vt ad rem præsentem possit accommodari) potest enim esse ius, vel actio, ad aliquid recipiendum per modum annuæ pensionis, aut reditus, vel solum ad recuperandum aliquid debitum, quod vno actu solui potest, & statim consumi, vel in vtilitatem creditoris cõuerti. Actiones & iura primo modo repugnant huic paupertati, tum quia ex omnium sententia, & iuxta declarationem dictorum Pontificum inter bona immobilia computantur: tum etiam, quia hæc paupertas excludit omnes reditus, annua autem pensio pars est redituum. Vnde cum Doctores aiunt, ius ad rem mobilem comprehendi sub bonis mobilibus, non loquuntur de iure ad pensionem annuæ, quod radicaliter (vt sic dicam) semper durat, & suo modo fructiferum est; sed de iure, & actione ad solutionem alicuius debiti, siue pecuniarij, siue alterius rei mobilis. Actio autem, seu ius secundo modo, hoc est ad debitum aliquod vna solutione comparandum, nõ repugnat huic paupertati, vt probant rationes factę. Et quidem si tale debitum pecuniarum sit, vel alterius rei mobilis, recte applicatur ratio, quia illud ius inter immobilia bona computatur; si autẽ debitum sit de re immobili, vt actio ad illud locum habeat, necesse est, rem illam accipi, non vt immobilem, sed vt conuertendam in rem mobilem cui æquialet, quod à simili sumo ex Panor. in c. in *Præsentia*, de probationibus n. 63. in illis verbis, *Poterunt capere non vt bona immobilia, seu, vt iura perpetua sibi retineant, & seruant*. Vbi plures refert authores. Et ita etiã actio illa non consideratur, nisi vt quid transiens, & in præsenti ob eam rem inter mobilia bona computari potest. Atq; hæc sententia quoad rem declaratam communis est.

18. Ex qua infertur primo, si quis bona sua relinquat alicui cum onere soluẽdi singulis annis certam pensionẽ monasterio Mendicantium profitentium paupertatem in communi; nõ posse ex vi talis testamenti, aut legati, ius aliquod acquiri monasterio, quia alias, & bonum aliquod immobile acquireret, & reditus haberet. Imo sunt qui censent, non posse monasterium talem pensionem accipere, etiamsi ab hærede absque coactione, ex sola conscientiæ obligatione soluatur, vel potius in eo non resultare talem obligationem, quia talia legata nõ valent. ita sentit Panorm. in c. *Nimis praua*, de excessibus Prælatorum. n. 2. idem in cap. *in præsentia*, de probationib. nu. 63. idem sentit Cardinalis in Clement. *Exiuit*. §. *Cumque annua*.

19. At vero Sylvest. verb. *legatum* 2. q. 3. & Angelus Tabiena, & alij cum Paludano, quem citat Sylvest. hoc limitant, quoad ciuilem actionem, & ius; hoc enim acquirere non potest talis religio, ex vi huiusmodi legati, quia hoc repugnat voto, & professioni eius; at vero quoad obligationem in conscientia nihil repugnat hæredem teneri ex voluntate defuncti ad soluendum hoc onus sua sponte, & sine coactione, & tunc si ipse hoc modo tribuat, sine scrupulo accipi potest ab his religiosis, quia respectu illorum, solum est eleemosyna quædam, & non immutat eius rationem, & naturam, quamuis alius in conscientia illam dare teneatur. Et ita declaratum est expresse quoad Societatem professam 6. p. Constitut. capite secundo, §. 6. Cum hoc tamen moderamine, vt nullus de Societate possit aliquem incitare ad has eleemosynas perpetuas nostris Domibus, vel earum Ecclesijs relinquendas; quod de alijs Mendicantibus etiam affirmat Sylvester supra cum Archidiacono. Aduertit tamen, quod licet non liceat inducere testatorem ad imponendum hoc onus hæredi; tamen postquam positum est, licitum esse petere ab hærede, & admonere illum, vt suam obligationem impleat; quod etiam tenet Angelus, quia per hoc non fit coactio ciuilis, neque exceditur contra limites mendicitatis, & eleemosynæ, quia hoc tantum titulo postulatur; sicut licet petere à famulo pecuniam, quam Dominus ei tradidit, vt monasterio in eleemosynam daret, & admonere illum fraternæ obligationis suæ.

Addunt præterea nonnulli ex dictis authoribus limitationem quoad obtinẽdum ius ciuile ex vi huiusmodi legati; nam si pensio sit perpetua, vel longi temporis, fatentur non posse acquiri tale ius, quia talis pensio est quidam reditus perpetuus, qui & tollit mendicitatem inceitam, & inter bona immobilia computatur, & proinde tali professioni repugnat; vt sumitur ex cap. 1. §. 1. de religiosis domibus. in 6. & clarius ex Clement. *Exiuit*. §. *quicunque annui*, de quo videri potest Couarru. libr. 3. Variarum cap. 7. §. 2. At vero si pensio illa imponatur ad breue tempus, quale reputatur quodliber breuius decennio, non repugnabit acquirere ad illud etiam ius ciuile. ita tenent Cardinalis Fredericus & alij, quos sequitur Sylvester supra. Tabiena verbo *legatum* 11. quæst. 4. numer. 5. Emman. Sà verbo *Religio* num. 57. Quam opinionem sequitur Cordub. in expositione suæ regulæ. cap. 6. quæst. 11. & tractatus, qui dicitur, Serena conscientia, quæst. 19. & 20. & est opinio probabilis, quæ in hoc fundatur, quod illi non sunt reditus, sed est veluti certa quantitas legata, soluendo illo modo per partes, quod non repugnat paupertati; nam si tota illa quantitas legaretur simul soluenda, non repugnaret; ergo neque illo modo. Nihilominus contrariam sententiam docet Bartolus in tractat. Minoricarum lib. 2. dist. 6. cap. 2. & 3. & Baldus in Authentica *Ingressi*. God. de sacros. Eccl. Fundantur, quia illa reuera sunt annui reditus pro eo tempore, quo durant. Item repugnant incertæ mendicitati, nam pro tunc non viuerent fratres in spe Dei, propter spem, quam haberent in dicto legato. Item quia in dicta Clement. *Exiuit*, generaliter dicitur, *nulli reditus*: si autem propter considerationem alterius opinionis, illi non reputãtur reditus, etiamsi tempus sit longissimum, erit legatum validum, etiam quoad ius ciuile, dummodo tempus sit definitum, & quantitas ex toto illo resultans, non sit tanta, quin simul tota legari possit. Vtraque sententia æque probabilis est, & in praxi tuta, prior vero & fauorabilior, & probabilior.

20. *Limitans aliqui.*

*Contrariã tenent alii.*

Sed dices, ius ad illos reditus (quod etiam de censu perpetuo obiici potest) est quoddam bonum immobile, & æstimabile pretio, cur ergo non valebit legatum de illo, etiam quoad ius ciuile? non vt per annuos reditus recipiatur, sed vt statim vendatur, & pretium in commodum monasterij conuertatur. Nam quod in alijs legatis bonorum immobilium, ita fieri possit, & debeat, communis sententia est cum glossa. in cap. 1. de Relig. domib. in 6. verbo *Domum*, quam communiter sequuntur Canonistæ in cap. *in præsentia*, de probationibus, vbi Panorm. n. 63. Decius num. 69. Felinus late numer. 51. & 52. vbi refert aliquos excipientes, quoad hoc, ordinem Minorum propter strictiorem paupertatem. Contrarium tamen docet ibi Panormit. & Bartol. dict. lib. 2. dist. 6. cap. 1. vbi sentit hoc ita esse declaratum in Clement. *Exiuit*, & sumitur ex versiculo, *Quia igitur in successionibus*, si attente legatur. Respondet Bartolus vbi supra cap. 1. quod legatum manuum non

21. *Obiectio. An liceat tale legatum recipere.*

*R. sponsio.*

interdicitur fratribus ratione rei legatæ, sed ratione modi à testatore expressi, scilicet, quod annuatim detur, qui modus regulæ, & conditioni eorum repugnat. Sed contra, quia potest voluntas testatoris impleri, etiamsi fratres non accipiant legatum, quantum ad modum illum, licet eis in illo soluendo modum illum obseruet. Hæc enim duo non repugnant; nam potest monasterium ius illud recipiendi annuam pensionem transferre in aliquem tertium per venditionem, sicut potest vendere domum sibi legatam; tunc ergo hæres soluet illi tertio legatum annuum iuxta modum à testatore perscriptum; monasterium autem non ita illud accipiet, sed simul recipiet totum legatum æquiualenter, recepto nimirum pretio eius. Cum ergo possimus ita hæc conciliare, & ita interpretari legatum, vt non sit inutile, ita faciendum videtur præsertim in causa pia. Nihilominus Iuristæ negant in his censibus, seu legatis annuis hoc fieri posse propter modum, & voluntatem testatoris, quæ sunt verba Panormitani supra, qui refert etiam Fredericum, & Ioannem de Lignano; rationem autem illam non amplius explicat: videtur autem sensus esse voluntatem defuncti in huiusmodi legato esse, vt talis pensio annuatim, & non aliter soluatur; item vt illa pensio semper soluatur, tanquam opus pium, & cedens in vtilitatem talis religionis; huic autem voluntati repugnat ille modus transactionis, & commutationis, quam supra diximus.

*Instantia.*

*Solutio.*

22. Sed adhuc non quiescit mens, nec ratio illa satisfacere videtur. Primo, quia Panormitanus eodem num. 63. adiung. 1, secus esse si testator aliquem annuum reditum dimisisset istis fratribus; nam tunc poterunt, inquit, recipere æstimationem; itaq; differentiam facit inter legatum directe relictum ipsis fratribus, vel indirecte per modum oneris impositi in re alteri legata; cuius tamen differentiæ rationem non video; nam etiam in legato directo voluntas testatoris est, vt tali modo soluatur, & ita Bartolus de tali directo legato expresse loquitur. Si ergo Panormit. in illo admittit posse recipi æstimationem, cur negat in alio? non enim hoc magis repugnat paupertati, aut voluntati testatoris in vno, quam in alio. Deinde satis videtur expleri voluntas testatoris, quamuis ille modus mutetur, quia non est adeo substantialis, neque ab illo positus est, vt talis: supponimus enim non dixisse expresse se velle, vt id detur tali modo, & non alio, nam si hoc expressisset, nulla esset controuersia; sicut etiam non valeret legatum de re immobili, si expresse adderetur conditio, vt possideretur tanquam immobilis, quia esset turpis, conditio, & contra regulam. Quando hoc non exprimitur, explicanda videtur voluntas testatoris; ita vt valeat, quoad substantialem effectum, etiamsi modus seruari non possit, vt in præsenti magis consentaneum videtur voluntati testatoris, vt religio recipiat vtilitatem illius legati, quoad quantitatem, & æstimationem, cum non sit capax modi, quam quod legatum omnino inutile fiat; & confirmari potest ex cap. *Verum*, de condit. appos. it. vbi in causis pijs modus additus donationi, aut legato, & postea non impletus non reddit nullam donationem, nisi id fuerit in donatione, seu legato expressum.

*Impugnatur responsio.*

23. In hac ergo re dicendum occurrit ex parte religionis non esse illicitum, nec paupertati contrarium eam commutationem facere, si hæres, vel principalis legatarius, apud quem est onus soluendi pensionem, consentire velit. Hoc ad minimum probant omnia adducta, & est per se euidens, quia hoc solum est accipere quandam eleemosynam. Addo vero monasterium non acquirere ius ciuile quo possit cogere hæredem, aut legatarium ad illam æstimationem reddendam, vel ad consentiendum in transactione alteri facta, vel ad se illi obligandum. hoc saltem probat communis opinio citata, iuxta quam iudicandum est in foro exteriori, cum nullo iure, vel efficaci ratione possit probari contrarium; nam hoc ius ciuile manare debuisset ex voluntate testatoris vel expressa, vel adiuta adminiculo iuris ciuilis, hic autem nec est expressa, vt ex dictis patet, neque aliqua lege iuuatur, neque etiam consuetudine, iuxta quam legata interpretanda sunt. l. *Nummia.* ff. de legatis 3. Imo non defuerunt qui idem dixerint de quocunque legato rei immobilis; sed non est eadem ratio, vt iam dicam.

*Resolutio vera.*

Vlterius enim probabilius censeo non teneri legatarium, vel hæredem in conscientia reddere æstimationem talis iuris, seu pensionis annuæ, nec etiam se obligari alteri, volenti illam æstimationem dare. Prior pars probatur, quia testator talem obligationem ei non imposuit; nam est maior quam soluendi annuum reditum, & testator hanc solum posuit; ergo non est vnde obligetur. Et eodem fere modo probatur posterior pars; nam inprimis cum hæres non teneatur obligatione ciuili ad soluendum hoc legatum, vt dictum est, non potest obligariin conscientia ad se obligandum ciuiliter alteri, quia etiam testator hanc obligationem ei non imposuit. Vnde vlterius sequitur, nihil resultare ex tali legato, quod à religione alicui tertio vendi possit; nam ius ciuile, quod vendibile est, non resultauit; ius autem, vel actio in foro conscientiæ etiam non resultat, vt dixi, & licet oriretur, non esset quid vendibile moraliter loquendo, quia nemo emit, nisi id, in quo potest acquirere proprium ius, & ciuile actionem. Atque ita etiam concluditur tale legatum esse nullum, quia nullum habet effectum; vnde si hæres, vel legatarius velit dare æstimationem, aut se obligare alteri, qui illam det, erit potius opus misericordiæ, quam iustitiæ. 24. *Resolutio secunda.*

Atque ita etiam (respondendo ad primam difficultatem positam) facile assignatur differentia inter legatum alicuius professionis, vel alterius similis rei immobilis, & legatum annuæ pensionis; nam quando legatur domus, v. g. eo ipso potest vendi, vel alienari inuito hærede, quia nullum ius in illam acquirit, & ideo non est necessaria ex parte illius aliqua obligatio, vel consensus, vt conuentus ab aliquo tertio accipiat æstimationem legati, per modum transactionis, seu venditionis. Respectu autem ipsiusmet hæredis est in hoc conuenientia, quod ille cogi non potest, vt det æstimationem domus, etiamsi per impossibile nullus inueniatur, qui emat illam, quia nullo iure ipse cogi potest ad emendum, nec testator illum obligare ad dandam æstimationem. Secus vero est respectu tertij, quia domus vendi potest, accepta æstimatione, sine consensu hæredis; reditus autem annuus, seu ius ad illum, non potest transferri in alium, nisi denuo se obliget hæres, vel legatarius, qui pensionem soluturus est; quia tota æstimatio, & totus valor talis rei consistit in hac obligatione, ad eam tamen cogi non potest hæres, vt diximus. Atque hinc oritur alia ratio differentiæ non contemnenda: nam quando res corporea, & immobilis legatur, non constituitur ipsa in suo esse, & valore, per legatum, sed supponitur tantæ æstimationis, & donatur tali religioni: at vero quando donantur reditus annui, res immobilis, quæ ibi interuenire potest, est incorporea, scilicet ius ad tales reditus, & non supponitur, sed fieri debet virtute ipsius legati; non fit autem, nec fieri potest per tale legatum, quia monasterium non est capax talis iuris, & consequenter magis incapax est, vt in ipso 25. *Assignatur differentia inter legata.*

ipso primo erigatur; & ideo in priori legato est aliquid, quod vendi possit, scilicet res corporea, & immobilis; in posteriori autem nihil est, quod vendi possit, quia si quid esset vendibile, maximè ius, hoc autem non fuit acquisitum monasterio, vt dictum est.

26. Diuisio. Dices, hac ratione probaretur etiam domum legatam non posse à monasterio vendi, quia vt vendatur, non satis est rem ipsam esse æstimabilem pretio, sed oportet, vt venditor habeat ius in illam; Monasterium autem non potuit per legatum acquirere ius in rem immobilem, quia est incapax dominij talis rei. Respondeo ibi non considerari rem illam, vt immobilem, sed vt conuertibilem, & conuertendam statim in talem æstimationem, sub qua ratione, quasi mutabilis potius, & moraliter corruptibilis consideratur, sic autem non repugnat huiusmodi monasterium acquirere ius, & dominium rei, materialiter (vt sic dicam) immobilis, quia illud ius magis consideratur ex termino, seu fine, ad quem tendit, scilicet pretium, & æstimatio domus, quam ex ipso medio, seu materia circa quã versatur. Ratio autem à priori huius est, quia intentio voti paupertatis talis religionis non est primarium ius his rebus, sub ea ratione consideratis, sed vt permanenter habeantur ad sustentationem. Et eadem ratione ius ipsum Ecclesiasticum, quod incapacitatem dominij in religionibus introduxit, vt supra dixi, non extendit hanc incapacitatem ad hoc transitorium dominium, vt sic dicam, sed ad permanens, quod proprie est de re immobili, vt immobilis est. Sed vrgebis, idem dici posse de legato annuæ pensionis; potest enim dari ius ad reditus, non tamen vt permaneat, sed vt alienetur statim, & acquiratur æstimatio. Respondetur ibi non habere locum hanc considerationem, propter rationes factas, quia tunc reditus non alienantur proprie, sed ius ad illos; ius autem non potest alienari, nisi prius consurgat ita firmum, & stabile, ac sufficiens ad obligandum alium ciuiliter, quod in præsenti casu locum habere non potuit.

Dubitatio. Alia difficultas supereſt, circa eandem particulam, scilicet, *quoad sustentationem*, an liceat huiusmodi religiosis habere certos reditus pro expensis necessarijs ad diuinum cultum, panis, vini, ceræ, ornamentorum, ac denique fabricæ Ecclesiæ, vel perficiendæ, vel reficiendæ, & conseruandæ. Et ratio dubitandi esse potest, quia tales reditus ex parte tollunt incertam mendicitatem, item quia in sustentatione Monasterij non solum includuntur victus, vestitus, & habitatio, sed etiam illa omnia, quæ ad ordinarias actiones vitæ, & religiosorum ministeria necessaria sunt: ergo etiam includuntur quæ ad sacra dicenda, sunt necessaria. Alioqui posset monasterium huiusmodi, habere certos reditus, ad conseruandam, & augendam bibliothecam publicam. v. g. quia hoc non pertinet ad sustentationem religiosorum, & eadem ratione possent habere reditus, ad prouidendum singulis de libris necessarijs; immo de papyro, calamis, atramento, & similibus. Item possent habere ad recipiendos hospites, quia illud etiam est extra propriam sustentationem, & est opus pietatis. Huc accedit, quia hac occasione possunt hi reditus, vel magna eorum pars conuerti in vsum religiosorum, quando superabundantes fuerint; quod facile poterit procurari, vel augendo reditus, vel limitando Sactistiæ sumptus. Vbi etiam tangitur alia difficultas, an huiusmodi monasteria habere possint anniuersaria, & similes reditus, tanquam certum stipendium Missarum, &c. nam hoc etiam videtur tollere incertam mendicitatem; & magis videtur hoc repugnare, quia directe dantur & accipiuntur tales reditus in sustentationem, & alioqui sunt firmi, & stabiles.

Nihilominus consuetudo harum religionum hos modos redituum videtur admittere; & ideo dubitandum non est, quin aliquo modo hoc eis liceat. Societatem excipio, quia in hoc habet peculiare institutum infra declarandum; idemque erit de quacunque alia religione, quæ circa hæc habuerit peculiarem prohibitionem. Loquimur ergo in generali, ex vi talis voti, & paupertatis in communi: exponendum autem à nobis est, quomodo hæc liceant, & inde constabit ratio cur liceant. Inprimis ergo licitum est habere huiusmodi reditus pro expensis fabricæ, seu sacristiæ, non solum, quia licet eos recipere annuatim ex obligatione in conscientia alteri imposita à legatario; sed etiam quia possunt acquirere ius ciuile ad huiusmodi reditus: ita docet Angelus verb. *legatum* 1. numer. 5. citans Cardinalem in Clement. *Exiuit*, verficul. *Cumque annui*, de verbor. signif. vbi gloss. idem tenet, & citat Fredericum Senensem consil. 112. idem Syluest. verb. *legatum* 2. q. 2. Tabiena eodem verbo q. 4. Corduba in expositione regulæ cap. 6. q. 10. & Serena conscientiæ q. 20. & habetur in speculo Minorum 3. p. allegantur pro hac sententia cap. vltim. de testament. & cap. *Nimis*. 1. de Excessib. prælat. quatenus in illis huiusmodi legata religiosis facta generaliter approbantur, & peculiaria priuilegia in eorum fauorem conceduntur. Et Panormit. in dict. cap. vltim. num. 5. supponit, talia legata priuilegiata, valere, etiamsi fiant fratribus mendicantibus, quamuis quoad priuilegium non soluendi quartam ex illis reuocatum sit priuilegium, in Clement. *dudum* §. *Verum*, de sepulturis. Idem sumitur ex glossa, Innocentio, eodem Panormitano, & alijs, in prædicto cap. *Nimis*. Ratio verò est, quia huiusmodi reditus non sunt ipsorum fratrum, sed Ecclesiæ, seu diuini cultus: ipsi autem fratres solum sunt administratores in hoc, & hoc titulo dicuntur habere ius ciuile ad illos exigendos, non tanquam domini, sed tanquam œconomi; neque etiam tales reditus sunt deputati ad proprium vsum, vel sustentationem religiosorum, & ideo non minuunt paupertatem eius; ergo etiam hoc titulo non sunt incapaces talium redituum; ergo. Denique consuetudo ipsa ita interpretata est hanc paupertatem.

28. *Assertio primo, licet habere huiusmodi certos reditus.*

Ex hac vero declaratione sequitur non licere his fratribus conuertere huiusmodi reditus, aut partem eorum, in alios vsus monasterij, vel religiosorum, sed solum in illum vsum diuini cultus, ad quem deputati sunt. Primo quidem, quia esset contra suam professionem paupertatis habere illos reditus ad alium vsum. Secundo, quia talis vsus esset contra voluntatem testatoris, seu donantis, atque adeo contra iustitiam, vel religionem. Quia ipsi religiosi nullum ius habent ad alium vsum illorum bonorum, præterquam diuini cultus, priuantque Ecclesiam suo dominio, & Deum cultu debito, dum illa in alios vsus consumunt. Dices, quid si tales reditus crescant. & ad illum definitum vsum pro quo sunt relicti, necessarij omnes non sint: cur non poterit religiosus in proprios vsus, quod proprium est conuertere? Respondeo tunc cessare rationem iniustitiæ respectu voluntatis testatoris: durare autem rationem paupertatis, & ex hac parte non posse illos sibi applicare. Addo etiam rationem iustitiæ postulare, vt illi superflui reditus applicentur ad alias res diuini cultus in eodem templo, vel sactjstia. Consideranda sunt enim in hoc negotio, & quoad hæc bona, & eorum vsus Ecclesia, & monasterium tanquam duæ personæ distinctæ habentes diuersa iura, & conditiones. Nam Ecclesia est capax redituum, ad proprios vsus diuini cultus, & ita habet quasi intrinsecũ

29. *Assertio secunda, non licet hos reditus in alium vsum conuertere.*

*Instantia.*

*Diluitur.*

ius,

ius, & ex talibus reditibus nihil omnino extra ipsam distrahatur, sed si ex vno vsu aliquid superfuerit, ad alium eiusdem Ecclesiæ proprium applicetur: monasterium autem solum habet administrationem talium bonorum; ergo nullo iure potest illa extra omnem Ecclesiæ vsum consumere. Quod si fingatur casus, in quo tam sint abundantes, & superflui reditus, vt ad nullum alium sumptum sacristiæ, vel fabricæ Ecclesiæ tuncarbitrio Prælati habentis potestatem, possent ad alios pios vsus applicari, nunquã tamen debent in sumptus religiosorum conuerti, ne paupertas eorum violetur. Et ideo hæc licentia habendi hos reditus non est nimium extendenda: posset autem esse excessus, vel ratione quantitatis nimiæ, vel etiam ratione modi percipiendi tales reditus, vt si oporteret habere possessiones aliquas temporales, & administrationem earum ad illos percipiendos; quod videtur alienum à paupertate talium religionum.

30. *Assertio tertia, non licet habere similes annues reditus pro aliis vsibus monasterij.*

Propter difficultatem autem in principio posita addendum vlterius est, non licere hoc extendere ad quoscunque alios reditus annuos consumendos, in quibuscunque alijs rebus vel vsibus monasterij, extra proprium cultum Dei, vt in libris, &c. Nullo enim modo licet huiusmodi religiosis pro huiusmodi rebus tales habere reditus certos, ita, vt ius habeant ciuile ad exigendos illos. Hoc inprimis probat consuetudo, quæ est optima huius obligationis interpres; probat autem authoritas negatiua Doctorum, nullus enim huiusmodi ampliationem facit. Item oppositum nullũ habet in iure fundamentum, & alioqui votum vniuersale est; & ideo quidquid in hoc genere non inuenitur concessum aliquo ex dictis modis, censendum est esse prohibitum iuxta doctrinam Pontificis in dicta Clement. *Exiuit*. Ratio deniq; est, quia omnia illa pertinent ad sumptus ipsius monasterij, & proxime cedũt in commodum, seu vtilitatem personarum eius; & ideo ius ad tales reditus repugnat communi paupertati talis monasterij. Nec respectu illorum reditum considerari potest, aliquid moraliter distinctum ab illa communitate, ad quod pertineat illud ius, vel vtilitas eius, sicut consideratur in reditibus, qui ad seruitium templi tantummodo destinantur.

31. *Assertio quarta, licet illos habere pro externis hospitibus recipiendis.*

Quapropter nomine sustentationis in præsenti non tantum victus, & vestitus religiosorum comprehenditur, sed etiam omnia illa, quæ ad eorum vsum, & commoditatem immediate ordinantur. Sub Religiosis autem quantum ad hanc partem intelligendos censeo non tantum eos, qui in tali domo, vel monasterio firmam, (vt sic dicam) habitationem habent; sed etiam quoscunq; eiusdem religionis quos sibi hospites esse contigerunt; non enim existimo posse haberi reditus pro huiusmodi hospitibus suscipiendis, & alendis, quia moraliter omnes efficiunt idem corpus religionis, & tota religio est incapax talium redituum ad sustentationem suorum religiosorum. An vero in tali religione possint admitti reditus ad suscipiendos exteros peregrinos, vel ad alios pauperes alendos, vniuscuiusque institutum consulendum est; nam, regulariter loquendo, hoc non videtur admitti in talibus religionibus; nec est consentaneum professioni earum, iuxta doctrinam D. Tho. 2. 2. quæst. 188. art. 7. Nihilominus absolute non repugnabit paupertati earum, si tales reditus in proprios vsus non conuertant, neque vlla ratione conuertere possint; neque etiam proprium ius habeant ad illos, sed solum administrationem in proximorũ vtilitatem, hæc enim administratio per se, & ex obiecto non repugnat paupertati; an vero ex alio capite repugnet talibus religiosis, ex alijs eorum constitutionibus iudicandum est.

Vltimo in hoc puncto censeo, idem fere esse dicendum de anniuersarijs perpetuis, Capellanijs, &c. Nam reditus earum proxime, non ad Dei cultum, seu ad expensas Sacristiæ, aut Ecclesiæ, sed ad Religiosorum sustentationem donantur, quamuis titulus, seu ratio, propter quam donantur, sit Ecclesiasticum aliquod ministerium, quod nihil obstat, quominus tales reditus excludant necessitatem mendicandi, & consequenter repugnent huic paupertati, si religio ius proprium, & ciuile ad illos habeat. Hoc ergo modo etiam sunt incapaces & religiones talium rerum, seu redituum. Si autem non hoc modo habeantur, sed solum per modum eleemosynæ recipiantur absque proprio iure ad tales reditus, non erit contra paupertatem illos recipere, etiamsi hæres, vel alius, ad quem hæc cura pertinet, in conscientia teneatur procurare, vt talia suffragia fiant, & vt eleemosyna, seu stipendium ab institutore præceptum soluatur; nam tunc nihil committit contra paupertatem, vt in alijs pijs legatis explicatum est, militat enim vtrobique eadem ratio, & ita in hoc conueniunt citati authores, Syluester, Angelus, Tabiena, cum Paludano, & Canonistis citatis idem Antoninus 3. p. titul 16. cap. 1. §. 12. & videri etiam potest Corduba supra quæst. 7. & 16. Addi vero potest ex D. Bonauent. tom. 1. opusculorum in expositione regulæ, cap. 4. quamuis huiusmodi religiosi non possint petere in iudicio talia bona; nihilominus si hæres, vel executor testamenti nolit in ea parte implere obligationem defuncti, posse licite, & absque imperfectione denuntiare iudici competenti negligentiam hæredis, vt ille ex officio suo faciat voluntatem testatoris impleri, quia hic non est actus dominij, vel proprij iuris, & ideo non repugnat paupertati; quod habetur in compendio priuilegiorum mendicantium, titulo *hæreditas*, §. vlt. & tunc iudex ex officio tenebitur facere vt voluntas defuncti impleatur, vt est etiam communis Iuristarum sententia, Ioannis Andreæ, & aliorum in cap. *si hæres*, de testament. & specialiter in hoc casu Minorum id tradit Ancaranus in dicta Clement. *Exiuit*, & Bartolus in leg. *Nec quicquam*, §. *Obseruare*. ff. de officio Proconsulis, & in l. *Ciuitatibus*. ff. de legatis 1. & Baldus in l. *Nonnulli*. Cod. de Episcopis, & Clericis.

32. *Assertio quinta non licet annuersaria, & capellanias.*

Vltimo circa assertionem positam explicandum est, quid sit habere hæc bona immobilia tanquam propria, & an per hanc particulam immutatio aliqua adhibeatur his, quæ hactenus diximus. Circa quod breuiter notandum est, aliud in rigore esse habere bona propria, aliud vero habere tãquam propria; tunc enim dicuntur aliqua bona esse propria alicuius, quando habet proprium illarum dominium: & hoc modo constat, excludi proprietatem dictorum bonorum immobilium etiam à tota communitate, & ex vi huius paupertatis. Sed hoc non satis est; nam fratres Minores etiam bona mobilia non habent hoc modo vt propria, & tamen non licet eis habere immobilia bona eo modo, quo habent mobilia, possidendo illa, & vtendo illis eodem modo, ac si essent propria communitatis. Alio ergo modo, dicentur bona immobilia habere tanquam propria, quando licet non habeatur eorum dominium, nihilominus ex voluntate domini ita tenentur quoad vsum, & vsumfructum, ac si essent propria, & hoc etiam modo dicimus esse prohibitum his religionibus ex vi sui voti habere immobilia bona, vel vsumfructum eorum, vt exemplo Milorum declaratum est. Vnde sic intellecta verba illa, non continent restrictionem, sed potius ampliationem, quia non solum repugnat habere verum dominium ac proprietatem talium bonorum, sed etiam

33. *Quid sit habere bona immobilia tanquam propria.*

*Primus modus.*

*Secundus modus.*

admi-

administrationem cum eodem emolumẽto quo ad prouẽtus, seu reditus, quod vero domino solet prouenire. Ratio est, quia ex huiusmodi possessione, & fructu talium rerum tollitur incerta mendicitas, quæ est regula qua in hac materia vtuntur Pontifices, ad discernendum quid repugnet paupertati. Item quia licet illud non sit dominium talis rei immobilis, videtur esse saltem vsusfructus, vel ius aliquod ad tales reditus, & ideo vel est aliqua proprietas, vel moraliter æquialet proprietati.

Dices, si dominus alicuius possessionis, vel census det monasterio reditus vnius anni, vel facultatẽ ad colligendos illos, non erit contra paupertatem illos acceptare, vel ius ad illos percipiendos, quia solum est quædam eleemosyna de re mobili, vt ex dictis constat; ergo si concedat ad duos, vel plures annos, etiam erit licitum accipere; ergo etiam licebit accipere possessionem, quasi in commendam, cum suis commodis, non acceptata proprietate, vel dominio; licebit ergo habere illam possessionem tanquam propriam, iuxta declarationem datam. Respondeo in primis distinguendum esse antecedens, quatenus de reditibus loquitur; nam primo si reditus in seipsis (vt sic dicã) donentur, semper licet illos accipere, qualescunque illi sint, vt per se patet ex ratione facta. Quando vero datur facultas ad percipiendos, & recuperandos cibos, duo consideranda videntur. Vnum est, an illi reditus tales sint, vt nullam aliam industriam, vel diligentiam requirant, præter simplicem exactionem, seu petitionem, vt contingit in censibus, vel in pretio domus locatæ; vel an sint tales, vt requirant industriam, seu culturam vineæ, aut terræ; nam quando sunt prioris generis, ex parte illorum non repugnabit illam facultatem accipere, si aliunde ex modo donationis non repugnat, vt statim dicemus; at vero quando sunt posteriores generis, videtur ille modus compatandi fructus repugnare professioni talis paupertatis. Itaque vt vno exemplo totam rem explicem, si dominus alicuius vineæ post sufficientem culturam eius, tempore prouẽtuum, v.g. donet alicui monasterio facultatem ad colligendos fructus, & disponendum de illis prout libuerit, licitum erit facultatem acceptare, & illa vti. At vero si in principio anni concedit vineam, vt suis sumptibus eam colat, & postea fructus percipiat, non videtur licitum eam conditionem recipere; quia ibi non interuenit pura eleemosyna, sed miscetur quidam modus lucrandi, & obtinendi reditus per propriam industriam & negotiationem; quod videtur repugnare possessioni talis paupertatis.

Secundo considerandum est, facultatem hanc dupliciter posse dari, scilicet, vel irreuocabilem, vel pendentem semper à voluntate concedentis. Quãdo datur hoc posteriori modo, non datur ad certum tempus, nec transfertur ius proprium ad futuros reditus, sed est tantum veluti continuata quædam eleemosyna pendens semper ex donantis voluntate, & ideo nullo ex capite repugnat paupertati, nec impeditur incerta mendicitas, nam illa est continuata quædam mendicatio, satisque incerta est cum pendeat semper ex concedentis arbitrio. Quando autem facultas datur priori modo, habet vim cuiusdam donationis, vel saltem obligationis in futurum; & ideo ex hac parte videtur impedire incertam mendicitatem. Quapropter eodem modo de illa iudicandum est, sicut de legato annuo sapra d ximus, nam ad breue tempus poterit esse valida, & conferre etiam ius ciuile, quia solum habet vim cuiusdam transitoriæ eleemosynæ, tamen ad decennium, vel vltra, non poterit valere quoad vim transferendi ius ciuile, quia ratione modi repugnat professioni, vt supra dictum est; tamen in vi voti poterit quis se obligare ad talem eleemosynam quocunque diuturno tempore faciendam, & p'e quantum in ipso est, obligatus manebit, & monasterium semper poterit eleemosynam acceptare, & petere, de obligatione etiam apud Deum, alium admonendo, non tamen iuridice, aut ex iustitia postulare.

Tandem ex his constat quid dicendum sit de tta- 36.
ditione alicuius possessionis non quantum ad domi- *Corollarium.*
num, sed quantum ad vsum, vel vsumfructum. Si enim reditus, vel prouentus possessionis pendeant ex industria aliqua, vel negotiatione repugnante tali modo paupertatis, ex hac parte repugnabit, vt dictum est. Item si tradatur quoad ius vtendi, vel fruendi, vel in perpetuum, vel in longum tempus, quale est decennium, vel vltra, repugnabit etiam paupertati, quia hoc ius æquialet domino rei immobilis; si vero solum concedatur quoad ius vtendi, vel fruendi ad breue tempus, non videtur directè repugnare huic paupertati, quia non videtur hoc esse plusquam habere simile ius ad tales reditus, vel ad talem pensionem annuam per breue tempus, quia ille breuis vsus, vel vsusfructus non reputatur res immobilis. Nihilominus tamen hæc licentia non est facile concedenda, sed consulenda est consuetudo vniuscuiusque religionis, & statuta; hæc enim duo maximè declarare possunt, & intẽtionem religionis, & materiam talis voti. Denique si solum concedatur talis res, ad vsum, seu vsumfructum facti, nomine veri domini, & dependenter semper ab eius voluntate, minor est repugnantia, etiamsi tempus non aliter præscribatur, quàm dum voluerit dominus, tunc enim nullo modo habetur res propria, nec tanquam propria. In his autem, & similibus rebus præter id quod licet, ratio etiam decentiæ habenda est, & vt scandala vitentur.

Hæc videntur sufficere de hac paupertate, quate- 37.
nus eius obligatio communitatem respicit, ex qui- *Adquid teneantur Prælati & subditi.*
bus facilè inteiligi potest, quomodo hæc obligatio ad singulas personas redundet; hæc enim præcipuè spectat ad Prælatos talium Religionum, & ad eorum ministros, quibus temporalium cura, & administratio commissa est; pertinere etiam poterit ad singulos, quatenus conseruatio, & integritas talis paupertatis, ad debitos illius vsus ex eorum suffragiis pendere potest, iuxta vniuscuiusque religionis consuetudinem, & institutum. Item ex hoc genere paupertatis oriri potest, in huiusmodi religiosis, & necessitas & obligatio mendicandi, qui hanc ipsam incertam mendicitatem ex vi talis paupertatis profitentur, vt in dicta Clement. *Exiuit*, dicitur. Hæc autem obligatio non descendit ad singulos, ex vi solius paupertatis, sed intercedente Prælati obedientia, aut alia obligatione charitatis. Votum autem paupertatis, vt sic, non obligat ad quærendum aliquid, sed ad non habendum; suppositа autem hac carentia in communitate, moraliter loquendo, sequitur necessitas mendicandi, & consequenter est necessaria potestas in Prælato obligandi subditos ad mendicandum, non tantum singulos pro seipsis; hoc enim nec semper fieri potest, neque expedit; sed aliquos pro tota communitate, quia ad illius conseruationem hoc est necessarium, & hoc virtute professionis omnes quando talem paupertatem assumunt, quamuis tale exercitium eis proximè per obedientiam iniungatur. Et simili modo potest aliquando quispiam cogi ad mendicandum pro seipso, præsertim iterando, vbi etiam suppositа paupertate naturalis etiam lex charitatis ad eandẽ mendicitatem obligare potest, si alius honestus modus subueniendi propriæ nõ occurrat necessitati. Tandẽ ratione huius paupertatis poterunt obligari huiusmodi

modi religiosi, non solùm ad carentiam proprietatis, sed etiam ad vsum rerum magis moderatum, & abiectum, quàm aliis religiosis liceat. Vnde D. Bonauentura in Expositione regulæ, cap. 11. quærens an ex eo quòd fratres tantùm habent vsum rerum, possint habere vsum quarumcunque rerum; & respondet, *cùm fratres sint professores altissimæ paupertatis, oportet vt omnia, quæ in eorum vsum veniunt, habeant, vt est possibile paupertatem, vilitatem, & asperitatem*; quæ tria late prosequitur. Hoc autem vnicuique religioni iuxta suum institutum accommodandum est: nisi id ex alio capite, vel statuto oriatur, rigorosa obligatio ex vi solius paupertatis excessus in hoc vsu non erit peccatum mortale, secluſa proprietate, licet sit contra perfectionem, vel regulam, quod in superioribus generaliter dixi, & quoad propriam voti obligationem habet eandem rationem in his religiosis, qui paupertatem in communi profitentur; quamuis pro ratione sui status ex perfectionis regula debeant etiam in ipso vsu rerum maiorem paupertatem obseruare.

## Caput XVIII.

### *Vtrùm in solemne votum paupertatis cadere possit dispensatio.*

1. HÆc quæstio videri potest superflua, suppositis, quæ suprà dicta sunt de professione ipsa, per quam hoc votum solemnizatur. Diximus enim Pontificem posse in ea dispensare, & de religioso facere non religiosum, ex quo euidenter sequitur posse etiam in hoc voto dispensare; quia accessorium tollitur ablato principali, & ablato toto aufertur pars; hoc autem votum est, vel annexum professioni, vel quasi pars eius; ergo cum illa dispensatur. Quin potiùs Soto lib. 10. de iustitia quæst. 5. artic. 7. existimat, faciliùs posse dispensari in voto solemni paupertatis, quàm castitatis, vel obedientiæ. Nihilominus quæstio superflua non est, cum Nauarr. comment. 2. de Regularib. num. 17. quamuis teneat Pontificem posse dispensare in monachatu, nihilominus sub alia consideratione docet non posse Pontificem in voto paupertatis dispensare.

2. *Primus modus dispensandi in hoc voto.* Variis ergo modis intelligi potest hæc dispensatio. Primo dispensando in hoc voto simul cum aliis, quasi concomitanter cum toto statu religioso, hoc modo ego non dubito quin possit dispensari suppositâ prædicta sententia, quam defendimus. Et in hoc conueniunt, Innocentius, Panormit. Decius, & alij Canonistæ, in cap. *Cùm ad monasterium*, Caietanus, & alii Theologi, quos suprà retulimus, & videtur sufficienter probari ratione in principio facta, quamquam Nauarrus etiam in hoc sensu, id negare videatur, cuius fundamentum statim expendemus.

3. *Secundus modus dispensandi.* Secundo modo intelligi potest hæc dispensatio durante statu religioso, & auferendo omnino, vel ex parte paupertatis votum, faciendo religiosum capacem dominii, & dando facultatem licite habendi illud. Et in hoc sensu videtur esse communis sententia prædictorum Iuristarum, non posse Pontificem dispensare cum religioso, manente religioso in voto solemni paupertatis, nec in toto, neque ex parte. Fundatur præcipue in dicto cap. *Cùm ad Monasterium*, in verbis illis vltimis, *Abdicatio paupertatis, & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*; hæc enim decisio non potest intelligi in sensu diuiso, suppositâ prædictâ sententia, debet ergo intelligi in sensu composito, scilicet, quòd manente monachatu in persona, non potest cum illa dispensare, vt habeat proprium; ergo non potest cum illa dispensare in voto paupertatis; nam idem est. Declaratur, & confirmatur, quia stante monachatu, non potest Papa auferre votum castitatis, quia est de essentia eius; stante autem voto quocunque, non potest facere, vt liceat agere contra votum, quia hoc est contra ius diuinum naturale; ergo stante monachatu non potest dispensare in paupertate. Dicetur fortasse hoc argumentum ad summum probare de dispensatione in toto voto, non verò de dispensatione ex parte, potest enim auferri votum quoad vnum actum, licet non tollatur quoad omnes; poterit ergo dispensare Papa cum Monacho, quoad vnum, vel alium actum proprietatis, & nihilominus manebit monachus, quia absolute retinet votum paupertatis. Sed contrà, quia hoc etiam repugnat prædicto c. *Cùm ad Monasterium*. Et potest ratio facta vrgeri, quia monachatus essentialiter includit integrum votum paupertatis; si ergo manet integrum, implicat esse licitum habere proprium, si autem non manet integrum, tollitur status, quia essentia illius suo modo indiuisibili consistit. Vltimò argumentatur Nauarrus, quia licet ex parte Pontificis non desit potestas, si causa ad dispensandum intercedat, tamen ex defectu causæ semper hoc votum est indispensabile. Probatur, quia nulla necessitas interuenire potest, quæ postulet dispensationem, nam cuicunque necessitati sufficienter subueniri potest per administrationem bonorum temporalium, quam potest habere religiosus de licentia sui superioris, & maximè de licentia Pontificis, qualem nunc habent religiosi milites, vt suprà tactum est.

4. *Ratio pro parte contraria.* Nihilominus contra hanc sententiam multa occurrunt. Primum est illud vulgare argumentum, quòd difficilius videtur totam professionem tollere, quàm manentibus duobus votis, vnum auferri; sed Pontifex potest prius; ergo poterit etiam posterius, ergo permanente statu religioso quoad omnia alia (ita enim intelligenda est quæstio, ne vel sit de nomine, vel contradictionem inuoluat, & sit inutilis) poterit dispensare in voto paupertatis. Et simili ratione permanente eodem statu, & voto paupertatis, poterit dispensare cum religioso, quoad vnum vel alium actum eius, remittendo nimirum obligationem, quoad talem, vel tantam materiam, & retinendo illam quoad reliqua. Hoc enim non est contra rationem voti, vt sic, quia licet respectu eiusdem repugnet manere votum, & simul tolli obligatione, respectu diuersorum non repugnat tolli in vna parte, & manere in alia. Neque etiam hoc repugnat in tali voto ex ratione speciali, quia nulla inuenitur; quòd enim per talem dispensationem minuatur ex parte religiosus status, in tali persona, nullum est inconueniens, imò hoc ipsum virtute asseritur, quando affirmatur talis dispensatio esse possibilis. Tandem ex parte effectus non est repugnantia, vel ex natura rei, vel ex iure diuino, quod ostendi possit, neque ex parte Pontificis deest potestas, cùm sit suprema & vniuersalissima, iuxta illud *quodcunque solueris*; neque etiam necessariò deest semper causa, vt dicebat Nauarrus, alioquí, neque in voto simplici paupertatis posset Papa dispensare ex defectu causæ, quia cuilibet necessitati potest sufficienter subueniri per possessionem, & vsum facti, cum debita facultate sine actu repugnante tali voto etiam simplici; consequens autem ab eodem Nauarro alibi negatur, & planè est contra generalem sensum omnium authorum, quia absolute, & sine vlla restrictione asserunt Papam posse dispensare in quocunque voto simplici, vt in superioribus visum est.

5. Hæc controuersia aliqua ex parte potest esse de modo loquendi, & ideo, vt res explicetur, vocum significatio accuratè distinguenda est; nã monachus, v.g. seu

v.g. seu monachatus accipi potest pro statu religioso, non qualicunque, sed vt constituto per tria vota solemnia, quatenus talia sunt, & integram perfectionem ac extensionem retinent. Quo sensu clarum est, stante monachatu sic concepto non posse simul cum illo coniungi dispensationem, vt propria argumenta probant. Alio vero modo significari potest nomine monachatus religiosus status absolute & simpliciter, qui per hanc ipsam vocem religiosi status melius significatur, & durare dici potest, etiamsi ex parte quoad aliquam conditionem diminutus sit; sicut manet calor, licet fuerit remissus, & homo licet sit mutilus: & ideo vt tollatur æquiuocatio de statu, melius per obligationes, vel effectus ipsorum votorum res explicabitur.

6. *Assertio prima, dari posse dispensationem.*

Dico ergo primo. Potest Papa dispensare cum religioso, vt sit capax dominij, nullam aliam obligationem votorum vel sui status ab illo auferendo, quamquam moraliter vix possit id licite fieri. Probatur prior pars, quia hæc incapacitas dominij non est effectus iuris diuini vel naturalis ex vi solius voti, sed est effectus iuris humani, vt supra ostensum est: ergo potest Pontifex in eo dispensare perseuerante voto; nam potest dispensare in omnibus, quæ solum sunt iuris humani. Imo hinc etiam concluditur talem dispensationem fore validam, etiamsi absque sufficienti causa detur, quia per illam solum ius humanum tollitur, & non aliqua obligatio voti; quia non obstante tali dispensatione, non esset licitum tali religioso dominium alicuius rei acceptare, nam potest esse capax dominij, & prohibitus ne illud habeat, vt patet in voto simplici, & omnino absoluto paupertatis; tunc autem illud votum maneret in vi voti simplicis. Dices, à principio tale votum emissum est vt solemne ex intentione vouentis; ergo ex vi voti obligatur ad omnes effectus quos habet, vt solemne; ergo esto possit Pontifex in eo effectu dispensare ex causa, hoc enim sine dubio potest, supposita nostra sententia, & rationibus supra factis; nihilominus si absque causa id faciat non tenebit factum, quia derogat obligationi voti. Respondetur incapacitatem hanc proprie non cadere sub voto, quia votum solum est de eo, quod est in potestate vouentis, hæc autem incapacitas non est absolute in voluntate vouentis, sed pendet ex lege, & ex authore vel dispensatore illius. Immo, etiamsi quis voluisset, non petere, vel non acceptare talem dispensationem sine legitima causa data, & illam postea acceptando peccaret, nihilominus dispensatio ipsa valida esset, quia nunquam esset dispensatio in voto, & actio quamuis sit peccaminosa, ratione alterius voti potest habere effectum suum, vt ex hactenus dictis notum est.

7.

Altera vero pars assertionis, an scilicet dispensatio rato possit esse licita, probatur, quia vix occurrere potest necessitas illius, nec motiuum, aut causa legitima, dispensatio autem sine causa etiam in iure humano illicita est, ergo. Maior patet, quia vel occurrit necessitas, vt talis persona acquireret dominium, & proprietatem bonorum temporalium; vel non. Si ponamus hoc posterius, multo minus erit necessitas faciendi capacem dominij talem personam; nam capacitas est propter actum; si ergo actus non est necessarius, irrationabile est restituere capacitatem quam abstulit lex in fauorem voti, & religionis. Nec dici potest capacitatem restitui propter actum quando necessarius sit, quia ex illo casu contingenti, & rarissimo non resultat in præsenti necessitas, nec rationabilis causa dispensandi in tali inhabilitate, & aliunde ex tali dispensatione potest resultare periculum agendi contra votum, admittendo dominium sine sufficienti causa & facultate. Accedit quod semper est necessaria dispensatio ad actum, quando eius necessitas occurrit, vt statim dicam; ergo impertinens est prius restituere capacitatem absque necessitate. Si autem fingatur necessitas talis dominij, tunc vel illa esse debet talis, quæ sufficiat ad dispensandum cum religioso vt mutet totum statum, vel certe, si talis non est, vix potest aliqua excogitari, quæ dominium requirat; nam quæ fingi potest in viro alias paupere ex voto, & religioso quoad alias obligationes, cui non sufficienter subueniatur, per vsum, vel vsumfructum facti concessum authoritate Pontificis? Si autem tanta sit necessitas, quæ requirat totius status mutationem, improportionata ac propterea impertinens erit dispensatio in sola incapacitate dominij. Non dixi autem hoc esse absolute impossibile, sed solum vix posse accidere, quia absolute non repugnat contingere casum, in quo ad maius Dei obsequium ratione alicuius magni boni cõmunis expediat, religiosum aliquem fieri capacem alicuius hæreditatis, vel legati, vel magnæ donationis, quam aliquis velit. v. g. efficere tali personæ, & non monasterio, vel Ecclesiæ: si autem illi fiat, magnum bonum religionis, vel Ecclesiæ speretur. In eo ergo casu potest talis causa legitima existimari, & consequenter dispensatio esse non tantum valida, sed etiam licita.

Ex quo vlterius infero, non solum posse Pontificem dispensare cum Monacho, vt sit capax dominij, sed etiam, vt actu habeat dominium, & proprietatem aliquam cæteris obligationibus religiosi integris manentibus. Probatur primo ex generali regula quod Papa potest dispensare in voto simplici. Ablata enim incapacitate, votum paupertatis, quod manet, simplex est: ergo poterit etiam in aliquo vsu eius dispensare. Secundo id patet in casu proxime posito, nam si in eo licet dispensatio in incapacitate, est propter actum, ergo potest etiam dispensare, vt actus licite fiat, alioqui impertinens, & irrationabile esset, restituere capacitatem, quia virtute nihil aliud esset, quam dare potestatem ad peccandum, & frangendum votum. Vnde obiter colligo, quamuis de absoluta potentia possit Pontifex dispensare cum tali persona, in incapacitate dominij, non dispensando in voto quatenus obligat ad non habendum dominium; licite autem, & recte nunquam dispensare in primo, quin dispenset etiam in secundo, saltem quoad aliquem actum, vel pro aliquo tempore; quia nunquam tollitur illa incapacitas rationabiliter, nisi propter necessitatem alicuius actus, qui debet etiam licite fieri; non dispensatur ergo licite in primo, nisi dispensetur etiam in secundo, quod posse fieri ostensum est, interueniente legitima causa, quæ licet sit rara, non est impossibilis, vt declarauí. Quocirca quod Nauarrus loco citato ait, nou posse Pontificem dispensare, vt quis fiat verus dominus, stante solemni voto paupertatis integro, sicut non potest facere, vt sit vere maritus, stante voto solemni castitatis integro; hoc (inquam) si intelligatur facta compositione cum vtraque conditione, integritate scilicet, & solemnitate voti, euidens est, quia hoc nihil aliud est, quam dicere, solemnitatem voti, & capacitatem dominij non posse simul esse, quod est manifestum, quia solemnitas maxime in hoc cõsistit, quod faciat hominem incapacem dominii, supposito voto omnino absoluto. At vero si illud intelligatur sine compositione, cum ipsamet solemnitate, non est verum, quia potest facere Pontifex, vt qui nunc habet votum solemne paupertatis, postea habeat dominium, auferendo tamen voti solemnitatem, & dispensando ex parte illius voti, vt dominium possit licite acquiri; & in hoc est quidem similitudo inter votum castitatis, & paupertatis,

8. *Assertio secunda.*

tamen etiam est aliqua differentia, quia vt matrimonium liceat, necesse est, omnino auferri votum castitatis quoad materiam consilij, quia reliqua materia tota est intrinsece mala; vt autē liceat habere proprium, satis est quoad aliquam partem materiæ, nimirum obligationem voti.

9. *Difficultas specialis.* Sed quæret aliquis: Si Papa solum dispenset in solemnitate voti paupertatis, votum autem ipsum integrum omnino relinquat, an possit tunc religiosus vere fieri dominus. Respondeo duo esse certa, & aliud posse conuerti: primum est si donet, qui possit, & ipse acceptet, acquirere dominium, quia non est incapax, & ita concurrunt omnia necessaria ad valorem actus. Secundum est, si illud recipiat sine licentia sui Prælati, illicite facere, & contra votum paupertatis, quia supponimus manere integrum quod hanc inducit obligationem, etiamsi simplex sit, vt supra visum est. Potest etiam id esse illicitum, ex vi voti obedientiæ, quamuis ex illo solo capite non sit actus irritus, vt infra dicam.

10. *Difficultas secunda.* Dubitari autem potest, an in eo casu liceat ex facultate proprij Prælati tale dominium acceptare. Videtur enim licere, nam votum simplex paupertatis, non violatur accipiendo aliquid de licentia eius; cui homo subordinatur quoad hanc mensuram; sed in eo casu paupertas manet in vi voti simplicis; ergo tunc etiam licet tali religioso acceptare proprium; non quia dispenset in voto, sed quia votum non obligat ad non habendum proprium, nisi sub ea conditione, scilicet sine licentia prælati. In contrarium autem est, quia religiosus obligatur ex vi sui voti ad non habendum dominium, non solum propter impotentiam, sed etiam propter voluntatis carentiam; itaque obligatur non solum ad non habendum dominium quando non potest, sed etiam ad non volendum habere etiamsi possit, in quo voto, vt supponimus, quoad eius obligationem nihil Papa dispensauit: ergo quantumuis Prælatus det facultatem, non licet, quia ipse non potest in voto dispensare, & hæc obligatio quoad hoc non est conditionata, sed absoluta, conditio enim illa, *sine licentia Prælati*, non cadit in hoc, quod est habere dominium, sed solum in acceptione, tentione, & vsu rei, etiam absque dominio. Respondeo hoc pendere ex intentione vouentium; nam etiam per votum simplex paupertatis potest quis se obligare absolute ad non acceptandum dominium aliquod, ita, vt in hoc non pendeat ex consensu alterius, sed solum in acceptione quoad vsum. Nunc autem videtur talis esse intentio eorum, qui in religione paupertatem solemniter vouent, quia volunt renunciare dominio, & ligare suam voluntatem ne illud velit, quantum possit, & ideo verisimilius existimo in eo casu non posse dominium acceptare etiam de licentia Prælati. Quamquam hoc ad rem moralem fortasse parum refert, quia possunt simpliciter rem accipere cum facultate Prælati, & cum proposito non disponendi de illa, nec retinendi illam, nisi ad arbitrium eius; si hoc autem seruent, parum necesse est curare de dominio.

11. *Assertio tertia.* Tandem ex dictis infertur posse Pontificem dispensare cum religioso in toto voto paupertatis, non dispensando in castitate, vel obedientia, posse (inquam) quantum est ex vi clauis si causa subsit; moraliter autem ex defectu causæ vix posse talem potestatem exerceri. Probatur, quia potest solemnitatem voti auferre, vt ostensum est, qua ablata solum manet paupertas, in vi voti simplicis; ergo ex hac parte potest dispensare. Et confirmatur, quia eadem est ratio totius, & partis, sed ostensum est posse dispensare in parte; ergo & in toto voto. Quod autem possit dispensare in illo sine alijs votis, probatur, quia sunt distincta, & non habent necessariam coniunctionem. Dices, licet secundum se, & absolute non sit necessarium, esse simul, nihilominus in tertio, scilicet in statu religioso necessario sunt coniuncta. Sed contra, nam hic status religiosus non est indiuisibilis; potest ergo diminui quoad vnum votum, & manere quoad aliud, siue ita manens dicendus sit status religiosus simpliciter, siue secundum quid. Quam vero difficile sit inuenire sufficientem causam ad concedendam hanc dispensationem, facile constat ex dictis; nam si ad dispensationem partialem vix potest inueniri, multo difficilius ad totalem. Item, quia si causa non sufficit, vt dispenseturin toto statu religioso, certe non multum vrgebit ad dispensandum in voto paupertatis; quæ enim potest esse necessitas, quæ cogat ad separandum hoc votum ab aliis? quæcunq; enim excogitetur, illi potest sufficiēter prouideri, per vsum, & administrationem, vt argumentabatur Nauarrus.

12. *Confirmatur exemplo Summi Pontific.* Quod vero hoc non sit impossibile, etiam ex parte causæ, declaro inprimis in ipso Summo Pontifice, qui è statu regulari ad illam dignitatem assumptus est; nam inprimis eo ipso videtur ab ipso ablata incapacitas dominij, nam cū hæc introducta sit iure humano, cui ille iā subiectus non est, eo ipso desinit hoc ius habere, in illo talem effectum. Rursus videtur factus incapax vsus paupertatis, quia non habet superiorem in terris, cuius nomine, vel facultate, bona temporalia possideat, eisq; vtatur; ergo proprio arbitrio, & independenter à quolibet alio erit subditus: hic autem nō est vsus paupertatis, sed proprietarius, quia est vsus rei, vt propriæ. Respondeti potest ex Nauarro, Pontificem non habere dominium bonorum Ecclesiasticorum, sed Christum Dominum, eiusque nomine illa tenere, & ei subdi; ac subinde licet non possit habere ad talem vsum, vel acceptionē expressam facultatē, teneri nihilominus interpretatiua vti, vt scilicet iuxta voluntatem veri domini illis bonis vtatur; quod quidem de omnibus Pontificibus, etiā non regularibus, affirmat Nauarrus, ex vi iustitiæ: in regulari autem videtur addere specialem obligationem religionis ex vi voti.

13. Veruntamen illud prius nec certum, nec fortasse probabilius est; nam communior, & verior sententia docet, Ecclesiasticas personas acquirere dominiū proprioru redituum Ecclesiasticorum, quod necessaria consequutione, etiam de Pontifice dicendū est. Deinde illa responsio non est adæquata, quia præsens quæstio non arctatur ad reditus Ecclesiasticos; alijs enim modis potest Pontifex plurium bonorum acquirere dominium, præsertim eorum, quæ ipsi liberaliter donantur. Quod vero ad posterius spectat de obligatione speciali voti, certe experiētia videtur ostendere contrarium; nam Pontifex regularis eadē libertate, ac facilitate accipit, congregat, donat, & in quemcunque vsum disponit, de pecuniis, & aliis rebus mobilibus, quo alii Pontifices non regulares, ergo signum est non agnoscere talem obligationem. Deinde quando regularis vouet paupertatem, non subordinat se in vsu temporalium rerū facultati concedēdæ à Christo immediate, sed à Prælato Religionis mortali, & visibili: ergo Pontifex ex vi voti paupertatis non obligatur in vsu bonorum temporaliū respicere semper ad facultatem Christi interpretatiuam, sed ad solam rationem iustitiæ, & honestatis aliarum virtutum; habet ergo ex hac parte saltem omnino liberam, & indepēdentem administrationem, & proprietariū vsum, quod est moraliter habere dominium, cum talis administratio, & vsus à nemine possit reuocari, & limitari. Deniq; licet daremus in eo

bo manere hanc obligationem (quatenus religiosus simpliciter vouet non acceptare dominium; vel si etiam se obligat ad religiosum vsum rei) cur non poterit Pontifex secum per se, vel per cõfessorem suum in hac obligatione, sicut in aliis votis dispensare? non enim videtur esse insufficiens causa, ne angatur scrupulis in vsu temporalium bonorum, & vt euitet pericula peccandi.

Atque similis discursus potest applicari ad inferiores Episcopos regulares. Imò aliqui censent ex vi status esse exemptos ab obligatione voti paupertatis, sed falso, vt notauit D. Thom. 2 2. q. 88. art. 11. ad 4. & q 185. art. 8. & infrà in proprio loco latiùs dicemus. Existimo autem posse Pontificem cum eis in hoc voto dispensare, etiam non dispensando in aliis duobus, quod ex parte suæ potestatis suprà probatũ est. Ex parte verò causæ, quamuis sola mutatio status non sufficiat, non repugnat nihilominus in aliqua priuata persona concurrere proprietates, & rationes iustificantes dispensationem: vt si ex circumstantiis personæ, intelligeretur esse graue periculum animæ eius habere tale votum, & alioqui ab illo liberum optimè esse vsurum temporalibus bonis, & in magnũ Ecclesiæ commodum, & aliæ circumstantiæ possunt facilè excogitari. Et potest confirmari, quia propter minores causas concedere potest Papa huiusmodi Episcopo amplam facultatem disponendi de suis bonis, etiam testando, præsertim ad pias causas, & si esset princeps valde benemeritus de Ecclesia, posset maior facultas fieri; ergo crescente causa, posset etiam in ipsa proprietate & dominio dispensari, nam (moraliter loquendo) in tali persona cum his circumstantiis non multum pertinet ad perfectionem, vel maius obsequium Dei habere dictam facultatem, cum dominio, vel sine illo; vel certe illud quidquid est, posset non difficile per alia bona opera compensari.

Vltimò ex his concludo posse Pontificem dispensare in voto paupertatis, quando occurrit iusta causa dispensandi, in ipso statu religionis, & voto castitatis. Hoc videtur negare Nauarrus suprà etiam in eo casu, in quo propter bonum alicuius regni oporteret cum Monacho dispensare, vt Rex fieret. Qui casus duobus modis potest excogitari. Primò, vt cum tali monacho non dispensaretur in voto castitatis, vt posset habere successionem, sed solùm, vt pro vita sua posset regnum acceptare: secundò, vt simpliciter in toto statu dispensaretur. Nauarrus autem nihil explicat, sed indistincte loquitur, & non negat potestatem ex parte Papæ, sed ex parte causæ. At prior casus pertinet ad præcedentem assertionem, & iuxta ibi dicta, non difficile potest causa excogitari, & magis ex sequentibus declarabitur. In posteriori ergo casu propriè locum habet præsens assertio, quæ ex parte Pontificis sufficienter probatur, ex generali doctrina de dispensatione in professione, vel in voto solemni. Ex parte verò causæ probatur primò illo argumento, quia si in eo casu non posset inueniri causa sufficiens, nec respectu voti simplicis paupertatis posset inueniri. Item quia esto per administrationem liberã posset satisfieri aliquo modo illi necessitati, non tamen sine magno grauamine, & Regis, & regni illius, quia vix posset aliquis sine scrupulo donare, & necessariò infinitis dubiis inuolueretur; huius verò, quia semper pẽderet Rex à Papa in illa facultate administrandi bona regni, quamdiu enim habet votum paupertatis, facultas administrandi à superioris voluntate pendet; ergo ad tollenda hæc onera esset prudens dispensatio. Et maxime, quia posset misceri commutatio, obligando ad aliqua insignia opera pietatis facienda. Accedit, quòd maxime vrget, quia in eis casibus, in quibus de facto legitur Papam dispensasse in matrimonio monachi, aut monialis, significatur semper dispensasse in omnibus votis, quia reuera ipsa translatio ab statu monachali ad secularem, est sufficiens ratio dispensandi in votis, quæ solùm facta erant vt annexa statui regulari.

Argumenta igitur in principio facta, si attente legantur, ex dictis soluta sunt. Solùm potest facere nonnullam difficultatem cap. *cùm ad monasterium*, de quo multa in superioribus dicta sunt. Nunc breuiter dico cum communi sententia, Pontificem loquutum esse in sensu composito, manente scilicet integro, & immutato monachali statu quoad ea omnia, quæ illi secundùm specialem rationem suam substantialia sunt. Dices hoc modo friuolam, & quasi ridiculam reddi sententiam Pontificis, perinde enim est, ac si diceret, non posse se facere, vt manente incapacitate dominii, acquiratur dominium. Respondeo, si consideretur omnium, quæ dicuntur, consequutio, non esse friuolã sententiam, sed valde opportunam. Dixerat enim Innocentius, *Nec existimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare*, & rationem subdit, *Quia abdicatio proprietatis, &c.* Cuius rationis sensus est, tenentiam, & incapacitatem proprietatis ita esse coniunctam illi statui secundùm propriam rationem sui, vt ad eius substantiam pertineat, ideoque nec Summum Pontificem posse illam dispensationem dare substantiã monachatus integra manente; ex quo tacitè concludit, Abbatem, cùm non possit dispensare in substantialib. tali statui, nullo modo posse circa proprietatem cum monacho dispensare. Igitur per verba illa nõ solùm ait Pontifex stante incapacitate non posse dispensari cum monacho, vt simul habeat dominium, sed potiùs declarat hoc sequi, si cum Monacho in proprietate dispensetur; & simul etiam declarat abdicationem proprietatis esse ita intrinsecam, & substantialem Monachatui, vt talis est. Quod semper addo, ne quis inferat idem genus paupertatis esse de substantia status religiosi, vt sic; nam hoc est argumentum ab inferiori ad superius affirmatiuè, quia status religiosus latiùs patet, quam monachatus. Aliter interpretantur Innocentius, illum textum, & Panormitanus, & alii ibi; sensum Innocentij tertij fuisse, non posse Pontificem dispensare, sine causa pro suo arbitrio, ponderantes verbum, *Licentiam indulgere*. Sed hæc interpretatio mihi non satisfacit; sic enim vel ratio Pontificis non erit sufficiens, vel solùm concludit Abbatem non posse dispensare sine causa.

16. *Satisfit argumentis in oppositum facientibus.*

# INDEX CAPITVM LIBRI NONI.

## DE VOTO CASTITATIS.


CAP. I. VTRVM votum castitatis sit licitum, & consulendum.

II. Ad quid obliget votum simplex castitatis.

III. Vtrùm votum simplex castitatis obliget ad non contrahendum matrimonium.

IV. Vtrùm votum simplex castitatis per se, & natura sua irritet matrimonium postea contractum.

V. Ad quid obliget simplex votum castitatis post matrimonium contractum.

VI. Vtrùm simplex votum castitatis vim habeat dirimendi matrimonium ratum.

VII. Vtrùm votum simplex castitatis vim habeat ad dissoluenda sponsalia de futuro.

VIII. Vtrùm possit maritus votum continentiæ ab vxore sine sua licentia emissum irritare.

IX. Quid possit vxor circa votum castitatis mariti sine eius consensu emissum: Et quid de voto castitatis vtriusque ex mutuo facto consensu.

X. Quid dicendum sit de coniuge, qui de licentia consortis continentiam vouit, & an talis licentia sit reuocabilis.

XI. Vtrum præter summum Pontificem aliquis per potestatem quasi ordinariam, seu generalem in voto simplici castitatis dispensare valeat.

XII. Aliquot dubia circa reseruationem voti simplicis castitatis.

XIII. Vtrùm obligatio seruandi continentiam iure diuino fuerit alicui ordini annexa.

XIV. Quo tempore cœperit esse in Ecclesia castitatis obligatio in Episcopis ac presbyteris.

XV. Quæ sit, ac fuerit obligatio seruandi castitatem in Episcopis, ac presbyteris Ecclesiæ Orientalis.

XVI. De obligatione seruandi castitatem, qua diaconi, ac subdiaconi sunt astricti, ac de antiquitate illius.

XVII. Vtrùm obligatio seruandi castitatem in clerico in sacris oriatur ex voto, an ex solo præcepto Ecclesiastico.

XVIII. Quibus modis peccare possit contra votum castitatis is, qui ante matrimonium in sacris ordinatus est, & quas poenas incurrat.

XIX. Ad quid obligetur, vel quomodo peccet clericus, qui post matrimonium in sacris ordinatus est viuente vxore.

XX. Vtrùm in votum ordinis sacri cadere possit dispensatio.

XXI. Quàm sit antiquum in Ecclesia, vt votum castitatis religiosæ solemne sit, ita vt matrimonium subsequens dirimat.

XXII. Votum solemne castitatis religionis vim non habere dissoluendi matrimonium ratum, & consummatum ostenditur.

XXIII. Vtrum votum solemne castitatis religionis vim habeat dissoluendi matrimonium ratum.

XXIV. Quo tempore inceperit votum solemne castitatis religiosæ matrimonium ratum dirimere.

XXV. Expediuntur aliquot dubia, quæ ex supradictis de matrimonio rato, & voto solemni religionis oriuntur.

XXVI. Vtrum in solemne votum castitatis religiosæ cadere possit dispensatio.


LIBER

# LIBER NONVS.

## DE VOTO CASTITATIS.

DVPLEX est castitatis consideratio. Vna absoluta, & secundum se; altera quatenus statui, vel consecrationi aliquarum personarum annexa est, nimirum ordini sacro, aut religioni. Et quidem prior consideratio simplicior est, ac communior; illo autem modo castitas per votũ simplex promittitur, & ideo sub ea ratione hic prius dicemus, postea vero de reliquis. Quapropter votum simplex in præsenti purè, ac præcisè sumitur vt ab omni statu religioso distinguitur. De quo eadem ferè capita, quę de paupertate prosecuti sumus pertractabimus.

### CAPVT I.

### *Virum votum castitatis sit licitum, & consulendum.*

1. Error hæreticorum. Primus damnabat nuptias.

FVerunt de hac re errores extreme contrarij. Quidam enim dixerunt continentiam non solum licitam, sed etiã necessariam esse ad bonos mores, qui consequenter nuptias, vt illicitas damnabant. Quod de Encratitis refert Irenęus lib. 1. c. 30. cuius authores dicit fuisse Saturninum, & Marcionem, & c. 31. subiungit Tatianum Iustini discipulum illius erroris authorem extitisse. Idem refert Euseb. li. 4. Historiæ c. 27. & Epiph. hæres. 46. qui etiam in 61. refert hæreticos dictos Apostolicos in eodem errore fuisse. Idem Aug. de Hæresibus c. 40. Et D. Thom. 3. contra Gentes c. 127. Hic tamen error non est à nobis in præsenti impugnandus, tum quia per se satis ineptus est, & contrarius humani generis cõseruationi, quem propterea Christus Dominus & verbis illis satis confutauit, Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, & sua præsentia honorans nuptias in Cana Galilææ, vt Aug. tract. 9. in Ioannem notauit. Tum etiam, quia ille error non est directe nobis contrarius; nam licet continẽtia esset necessaria ad salutem, posset esse materia voti, sicut nunc de facto est magna pars continentiæ, illa scilicet, quæ seruatur abstinendo etiam ab actionibus licitis, & extra cõiugium. Et eadẽ ratione omitto hoc loco errorẽ Tertulliani, qui sequutus Montanũ dixit, continentiã vidualem esse ad salutẽ necessariam post mortem prioris coniugis, sed vterq; error in materia de matrimonio confutandus est.

2. Error hæreticorum. Damnabant continentiam.

Alij vero è contrario dixerunt esse illicitum continentiam seruare à nuptijs abstinendo. In hoc errore dicitur fuisse Wicleph. in his tamen quæ in Concilio Constantiensi sess. 8. referuntur, expresse non habetur. Sumi tamen potest ex 20. & 30. quatenus in eis ait, statum religiosum impedire obseruantiam præceptorum CHRISTI. Alij autem hæretici, quamuis continentiam non damnauerint, negarunt tamen esse maioris meriti, aut dignitatis, quam matrimonium, & ideo etiam negarunt esse consilium Euangelicum seruare, aut vouere virginitatem, quia minus bonum non est matrimonium contrahere. Huius erroris primus author creditur fuisse Iouinianus, contra quem acriter, & feliciter pugnauit Hieronymus. Vt autem D. Thom. notauit opusc. contra detrahentes relig. cap. 6. in hunc errorem deuenit ex alio, quem etiam illi ascribit idem Hieronym. in libris contra eundem, & Augustin. de Hæresibus cap. 82. scilicet, quod omnes sanctos, & beatos æqualis meriti, & gloriæ faciebat. Vnde nihil mirum est, quod inter status huius vitæ in merito, & perfectione non distinguat. Eundem etiam errorem sequutus fuit Heluidius eodem fere tempore, ita vt incertum sit, an Iouinianum in hoc errore antecesserit, contra vtrunque enim scripsit Hieronymus, prius tamen contra Heluidium, vt ex libr. 1. contra Iouinianum constat, & ex Apologia ad Pamachium contra Iouinianum. Denique idem Hieronymus libr. 2. contra Iouinianum significat hos hæreticos errorem hunc ex Basilide sumpsisse; tamen nec Epiphan. neque alij veteres errorem hunc Basilidi ascribunt, sed quia ille pessime de castitate sensit, magnamque libertatem, & licentiam libidinis hominibus præbebat, ideo dixit Hieronymus Basilidem in Iouinianum fuisse transformatum, vel hunc illius spiritum participasse: ptoprius vero Iouinianus ipse transformatus est in Lutherum, qui non solum participauit, sed etiam auxit errorem hunc, vt referunt Lindanus in suo dubitantio Dialog. 2. Bellarmin. libr. 2. de monach. cap. 8. & alij. Nam licet prius in assertione articul. 30. consilium virginitatis probasset, vt videre licet apud Rosensem, postea tamen hoc retractauit in suo Epithalamio, vt omnes referunt, eumque sequuti sunt Caluinus, Petrus Martyr, & alij posteriores hæretici, qui in summa dicunt virginitatem, seu cælibatum rem esse indifferentem, quam proinde offerre DEO per votum, aut in cultum religiosum, superstitiosum est, eam vero eligere propter vitandas matrimonij molestias, ac curas non esse malum, immo laudabile si homo id faciat, vt sit magis expeditus ad munera Euangelica obeunda. Hunc errorem impugnarunt olim inter Patres Hieronymus & Augustinus præcipue; nostris vero temporibus omnes qui contra hæreticos scripserunt, & inter eos diligentissime Bellarminus loco citato, & ideo in illius confutatione non immorabor, sed breuissime veritatem catholicam supponam, & confirmabo tanquam fundamentum necessarium omnium, quæ de statu religionis dicenda sunt.

3. *Assertio prima, seruare perpetuam virginitatem, & continẽtiam esse licitum.*

Dico ergo primo, perpetuam virginitatem, & continentiam seruare, non est malum, sed licitum. Hæc assertio est de fide, quæ à fortiori constabit ex his, quæ de excellentia virginitatis, & perpetuo illius vsu in Ecclesia in sequentibus dicemus. Nunc sufficiat CHRISTI testimonium Matth. 19. vbi cum Pharisæis explicasset, quam sit indissolubile matrimonij vinculum, dixerunt illi discipuli, *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*; quibus Christus respondit, *Non omnes capiunt verbum hoc.* Quibus verbis satis significauit, illos non male dixisse, immo potius ostendit, eos non solum veram, sed etiam adeo excellentem sententiam dixisse, vt pauci sint, qui eius pondus, & vtilitatem intelligant, nisi à DEO illuminentur, vt ponderauit Epiphanius

hæres. 66. & Chrysostom. ibi late. Constat ergo ex hoc loco manifeste abstinere à nuptijs non esse malum, cum etiam expediens esse possit. Seclusis autem nuptijs in aliquo seruare continentiam non solum malum non est, verum etiam ad honestatem necessarium. Et ideo Christus Dominus quamuis discipuli solum intulissent expedire, non nubere, statim laudauit eos, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, quia non potest esse expediens à nuptijs abstinere, nisi simul omnis libidinis vsus abscindatur, alioqui (vt Paulus dixit) melius est nubere quam vri.

4. *Probatur ratione.*

*Matrimonii præceptum non datur.*

Ratio autem huius veritatis est, quia nullum est præceptum, quod omnes, & singulos homines pro aliquo tempore vitæ vniuscuiusque obliget ad matrimonium contrahendum, ergo non est vnde sit per se malum perpetuam seruare castitatem, quia quod non est contra præceptum, malum non est. Antecedens autem patet, quia illud præceptum non est positiuum diuinum, vel humanum, nullibi enim scriptum reperitur, neque etiam traditur, sed ex vtroque capite expresse habetur, vt infra ostendam. Neque etiam est præceptum naturale, quale significatum est in illis verbis Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, quod testimonium contra virginitatem hæretici vrgent, quibus respondent Catholici, præceptum illud necessarium fuisse illo tempore, quo terra erat hominibus vacua, quod significant illa verba, *Et replete terram*; postquam vero terra iam hominibus replera est, iam illa specialis necessitas cessauit, & consequenter præceptum etiam illud ablatum est. Quo sensu videtur dixisse Cyprianus lib. de habitu virginum circa finem. *Prima sententia crescere, & generare præcepit; secunda ad continentiam suasit, cum adhuc nudus mundus, & inanis esset, copiam fœcunditate generantes propagamur, & crescimus ad humani generis augmentum; cum iam refertus esset orbis, & mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viuentes castrantur ad regnum.* Sic etiam dixit Hieron. libr. contra Iouinianum. *Necesse fuit prius plantare syluam, & crescere, vt esset, quod postea posset excidi.* Et libr. contra Heluidium significat præceptum illud durasse vsque ad veteris legis tempora, post CHRISTI autem aduentum cessasse. Quod explicans Castro verbo *Virginitas* tria distinguit tempora. Primum, in quo præceptum illud omnes, & singulos obligauit, quod duravit vsque ad sufficientem generis humani propagationem. Secundum, in quo adhuc præceptum obligat genus humanum, non quidem quoad singulas personas, sed quoad ipsas Respublic. vel earum gubernatores, ad quos spectabat curare, vt sufficienter hominum propagatio in Republ. non deesset, quod durasse putat vsq; ad Christi aduentum. In quo tertium tempus incepit, quando præceptum illud, vel singulos homines, vel ipsum humanum genus obligat, sed omnibus data est libertas seruandi virginitatem: vnde significat præceptum illud non naturale, sed positiuum fuisse, alioqui mutatum non esset.

*Castro tria tempora assignat, in quib. illud præceptum matrimonio obligabat.*

5. *In verbis allatis Gen. nullū præceptum cōtinetur, sed nuptiæ approbantur.*

Doctrinam hanc non satis fundatam existimo. Et in primis probabilissimum censeo, in verbis illis Genes. 1. nullum esse latum præceptum. Primo, quia eisdem verbis; *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, vsus est Deus benedicendo pisces maris. Secundo, quia propter hanc causam Augustin. varijs locis explicat illis verbis, *Fœcundatarum benedictionē nuptiarum* contineri, vt loquitur libr. 2. de peccato origin. c. 35. & lib. 3. Genes. ad litteram cap. 13. vbi interrogat cur Deus illa verba protulerit in creatione piscium & hominum, & non in generatione vegetabilium, & aliorum terrestrium animalium. Et respondet vegetabilia sine sensu generare, & ideo non fuisse illa benedictione digna; ibi autem primum dictam esse, vbi talis inest affectus; ita vero dicta esse de aquarū animalibus, vt de terrenis etiam intelligerentur, quamuis expressa non fuissent. *Necessarium autem* (inquit) *fuit hoc in homine repetere, ne quisquam dixerit inofficio gignendi filios vllum esse peccatū*, &c. Similia habet de bono coniug. c. 2. & alijs locis, ex quibus constat illum sensisse in illis verbis non esse necessarium intelligere præceptum aliquod affirmatiuum, sed benedictionem fœcūditatis, & approbationem nuptiarū, quod etiam sensit Chrysost. ibi homil. 10. dicens, *Ecce quam eminens benedictio, nam hoc, Crescite, & multiplicamini, & implete terram, etiam de brutis animalibus, & reptilibus dictum est*, (quod intelligēdum est iuxta expositionem Augustini) *sed dominamini, & imperate, de viro, & mulire dictum.* In quibus duas insinuat rationes, ob quas verba illa, *Crescite, & multiplicamini*, non videbantur præceptum continere. Vna est iam tacta, quia fuerūt communia brutis, quod clarissime etiam constat ex cap. 8. Genes. ibi, *Cuncta animantia, quæ sunt apud te, &c. educ tecum, & ingredimini super terram, crescite, & multiplicamini super eam.* Altera est, quia posteriora verba, *dominamini, & imperate*, sunt eiusdem formæ, & præceptum non continent, sed potestatē, & benedictionem; imo expendo in prioribus verbis vsum fuisse Deum vocibus passiuam significationem potius, quā actiuum imperium indicantibus, non dixit, *generate*, aut *multiplicate*, sed, *crescite, & multiplicamini*, quæ in rigore non sunt verba præceptiua. Verbum autem dominādi ex modo suæ significationis magis posset indicare præceptum; ibi tamen non nisi potestatem, & beneplacitum significat.

6. *Verba Gen. dicta ad primos homines similiter præceptum, non posse nos, id naturale.*

Admitto nihilominus verba illa ad primos homines applicata continuisse præceptum; nego tamen illud fuisse positiuum (maxime quatenus referebatur ad statum naturæ lapsæ) sed naturale. Dico autem *maxime*, &c. nam duo tituli esse possunt ad obligandos homines ad generationem humanam, scilicet propagatio, & conseruatio eius. & hic posterior videtur magis præcisus, ac necessarius: nam quando species sufficienter conseruatur in vno individuo propter incorruptibilitatem eius, non est necessaria multiplicatio individuorum, nec Deus solet illa multiplicare; durante autem statu innocentiæ homines essent immortales suo modo, & ideo vsus generationis non esset ibi necessarius propter conseruationem speciei, & consequenter videri poterat non ita obligare tunc præceptum naturale generationis, quia sola propagatio solo naturali titulo non videbatur sufficiens ad hanc obligationem, nisi DEVS suam voluntatem ostendisset. At vero respectu naturæ lapsæ sine dubio fuit hoc naturale præceptum propter necessitatem conseruandæ speciei, & probabilius credo etiam in statu innocentiæ obligaturum hoc præceptum naturale; quia licet ex diuino munere natura humana perpetuo conseruaretur in vno individuo, nihilominus ipsa secundum se indiget generatione ad conseruationem suam, & ex hac indigentia nascitur præceptum naturale, quod DEVS non abstulit propter superadditum donum, præsertim cum modum ipsum generationis ita esset in illo statu perfecturus, vt sine indecentia, vel vlla culpa fieret, vt latius prosequitur Augustinus citatis locis, & 14. libr. de Ciuitat. capit. 21. & 22. Vnde etiam verisimile est, vel propter solam conuenientem propagationem potuisse tunc naturale præceptum obligare. Hoc ergo præceptum per illa verba explicare potuit DEVS, nullam vero determinationem positiuam illi addidit, sed illud naturæ suæ reliquit, vt ex ipsis verbis constat, quia nec tempus, nec personas determinauit; præceptum autem illud inprimis affir-

affirmatiuum est, & ex hoc capite non obligat, nisi tempore necessitatis speciei humanæ, sicut præceptum eleemosynæ obligat tempore necessitatis individui humani; hæc autem necessitas extrema, vt sic dicam, solum fuit in Adamo, & Eua, & ideo illos in particulari obligauit absolutè quidem ad generationem humanam, an vero ad tot, vel plures, non potest ex vi solius præcepti definiri, sed eorum prudentiæ & arbitrio definitum fuit, in quo debuerunt consulere non solum extremæ necessitati naturæ, sed etiam graui, ideoque vacare debuerunt generationi vsque ad multiplicationem sufficientem ad subueniendum tali necessitati naturæ, modo sibi speciali congruente, & sine priuato incommodo.

Post illud vero tempus vix credo fuisse vllum, in quo præceptum illud non modo singulos homines, verum nec vllum in particulari obligaueric, quia stante cessauit necessitas illa naturæ, & homines ipsi per se se satis erant ad generationem propensi; & ideo signato quolibet in particulari, etiamsi à generatione vacauerit, in nullo periculo aut graui necessitate natura humana constitueretur. Præceptum ergo ipsum semper mansit aptum ad obligandum, vt sic dicam, si necessitas sufficiens ex parte naturæ occurreret, tamen quia hæc cessauit, cessauit obligatio, vel si fortasse duravit aliquo tempore post Adamum, illud non fuit diuturnum, neque ex diuina lege habuit determinationem, sed prudentiæ hominum, vel Principum Reipub. commissa fuit. Et ideo in secundo tomo 3. p. disp. 6. sect. 1. dixi, & ex Scriptura, & Patribus ostendi, non fuisse in lege veteri vllum præceptum contrahendi matrimonium, vel vacandi generationi, vbi etiam ostendi multos sanctos viros cælibatum seruasse illo tempore, quod est signum sufficiens non fuisse contra præceptum; per se etiam verisimile est, & in sequentibus attingetur, inter Gentiles plures abstinuisse à matrimonio, etiam ante tempora legis scriptæ, quod nunquam fuit vitio datum etiam à Philosophis, vel Historiographis fide dignis. Signum ergo est post priora mundi initia non fuisse inter homines cognitam talis præcepti obligationem. Quod si de antiquioribus temporibus hoc verum est, multo est euidentius de tempore legis gratiæ, in quo nulla vrget necessitas vel propagationis, vel conseruationis humani generis, vt per se notum est.

Dicere quis potest: Esto generatio non sit necessaria humano generi, esse tamen necessariam illi individuo, quod per talem generationem producendum esset; nam si vera est Philosophorum sententia, quæ asserit individuum hoc, v. g. hunc hominem non posse naturaliter nisi ab his causis, nimirum ab his parentibus generari, clarè sequitur eos, qui virginitatem profitentur, quantũ in se est, priuare multos homines ipso bono existendi, & consequenter etiam potestate obtinendi beatitudinem, quam fortasse consequerentur; hoc autem si non iustitiæ, saltem charitati videtur contrarium. Nec satisfaciet, qui dixerit charitatem nondum obligare respectu talium hominum, quia non sunt. Nam vagus concubitus est illicitus, & maritalis etiam accessus ad vxorem menstruatam est reprehensibilis: ratio autem vtriusque turpitudinis est damnum prolis, quamuis illa nondum concepta supponatur: ergo charitas habet rationem filiorum, nondum etiam procreatorum. Et fortasse propter hanc rationem dixerunt quidam Rabini reum esse homicidii, qui liberis non dat operam, & qui non relinquit filium, excommunicatum esse à Deo. Refert illos Bellarm. lib. 2. de monachis cap. 6. sed contra hos disputauimus sufficienter in secundo tomo 3. p. loco supra citato.

Respondetur incipiendo ab hac parte vltima in actibus humanis distingui duplicia præcepta, quædam obligantia tantum ad specificationem actus: alia etiam ad exercitium; sæpe enim non tenetur exercere homo actum, si tamen illum efficit, debitũ modum seruare debet, in orando, comedendo, & similibus. Sic igitur ad prolem nondũ genitam non obligatur homo, vt sic dicam, ad exercitiũ actus, quando speciei non est necessarium, quia individua non sunt ita per se intenta, & quia talia individua, vt sic spectata, nondum sunt in actu, in quo charitatis ordo possit ad illis benefaciendum obligare, maxime cum eorũ bonum sit adeo incertũ, & latens, bonum autem proprũ, quod per hoc mediũ intendi potest, certius, & clarius sit. Accedit, quod illa obligatio esset quodammodo infinita, nec humano modo expleri posset; quia si individuatio prolis pendet ex parente, pendet etiam ex tempore, & momento generationis, & ex materia, seu cibis, & ex aliis circunstantiis similibus, quæ sub humanam considerationem non cadunt. Item eo titulo obligaretur homo ad generationis actum quoties commode posset, quod incredibile est. Denique Deus nec fecit, nec facit omnes homines, quos facere potest, quia cum sit quid infinitum quod fieri nõ potest sub certo numero, & mensura, conueniens fuit numerum certũ ab eo definiri, qui numerus non minuetur, etiamsi quilibet homo in generali sumptus à generando abstineat.

9. *Responsio prima. Duplex præceptum, vnum obligans ad specificationem, aliud ad exercitium actus.* *Secunda.* *Tertia.*

Nec timendum est, quod ea occasione aliquis beatitudine priuetur; nam si prædestinatus est, Deus prouidebit modum, vt talis homo infallibiliter generetur. Vnde non oportet nos de hac re esse solicitos, neque ob eam causam ea prætermittere, quæ nobis expediunt. At vero supposita voluntate generandi lex ipsa naturalis obligat quasi ad specificationem actus, id est, vt debito, & conuenienti modo fiat, idque non solum propter bonum huius individui, sed etiam totius speciei, nam in hoc genere obligationis hi duo respectus inseparabiles sunt: nam absolutè loquendo constat ad bonum speciei necessarium esse, vt conuenienti modo producatur; non potest autem produci immediatè in se, sed in individuis: ergo ipsa communis ratio totius naturæ postulat conuenientem individuorum generationem, in quo non est maior ratio de vno, quam de alio, & ideo hæc obligatio in quamcunque generationem cadit, supposito quod facienda sit, quanuis absolutè & nulla facta suppositione à generatione abstinere semper liceat.

10.

Dico secundo, non solum licitum, sed etiam melius est virginitatem seruare, quæ propterea licèt in Euangelica lege non præcipiatur, consulitur tamen. Conclusio est de fide, primo quia expressè asseritur & probatur à Paulo 1. Cor. 7. dicente: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, &c.* Et rationem indicat inferius dicens, *Volo autem vos sine solicitudine esse: qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, &c.* Et infra, *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu*; & infra, *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Ac tandem de vidua ita concludit, *Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium, puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.* Hoc testimonium variis modis conantur eludere hæretici, sed verba sunt adeo clara, vt superfluum sit illis respondere, præsertim cum omnes Patres, & vniuersalis Ecclesiæ traditio ita locum illum semper intellexerint, vt patet ex Chrysostomo, Hieron. Ambros. & aliis expositoribus in hunc locum. Hieronymo etiam lib. contra Heluidium, & lib. 1. contra Iouinianum, & epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, &

11. *Assertio secunda Castitatem seruare non solum licitum, sed melius est.*

Augustin. lib. de sancta virginitate cap. 13. & sequentib. Imo Tertullian. lib. de Velandis virgin. cap. 8. significat hoc Apostoli consilium tantum apud Corinthios valuisse, vt inde apud eos inceperit consuetudo velandi virgines, quos aliæ Ecclesiæ postea imitatæ sunt. De qua cõsuetudine statim plura dicemus. Ex professo eundem locũ ita exponit Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum cap. de virginitate, Cyprian. lib. de habitu virginum, & optime lib. de Cardinalibus Christi operibus, circa finem.

12. Sed aiunt Paulum exponi posse de vtilitate Virginitatis ad hanc temporalem vitam, sine matrimonii oneribus cum maiori quiete & pace transigendam, non vero de honestate eius, vel maiori honestate, bonitate, aut merito ad vitam æternam. Augustinus autem lib. de sancta Virginitate cap. 13. mirabiliter desipere dicit eos qui ita sentiunt, & planè cum Apostolus dicat 1. Cor. 7. *Consilium autem do tanquam misericordiam consequutus à Domino vt sim fidelis*, apertè indicat se dare supernaturale consilium ad fidelem dispensationem Euangelii spectans: non ergo loquitur de humana tantum, & temporali commoditate, quod etiam constat ex sequentibus verbis ipsius Apostoli, dicentis, *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Loquitur ergo de spirituali fructu Virginitatis, de quo etiam apertissime loquutus est Christus Matth. 19. cum eos laudat qui se castrauerũt propter regnum cœlorum. Nec vero solum hoc titulo laudatur virginitas, vel continentia, quod ad alia spiritualia opera hominem magis liberam, & expeditum reddit, sed etiam quod ipsa per sese amabilior sit, eo quod sit melior & honestior, & maioris etiam meriti, eò quod sit etiam difficilior. Vtrumque autem significauit Apostolus, illud quidem dicens, *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit*; non enim dixit *vtilius*, sed *melius*. Nec comparat cum matrimonio, quatenus onerosum est, sed quatenus honestum est. Aliud vero ostendit cum addit, *Beatior erit si sic permanserit*. Spe quidem in hac vita propter maius meritum, re autem in futura propter maius præmium, quantum est ex parte virginitatis, vt recte dixit Augustinus lib. de bono coniug. c. 23. & propter specialem coronam seu aureolam virginibus destinatam, quam describit Ioann. Apocal. 14. per *canticum nouum*, quod soli virgines dicere possunt sequentes agnum quocumque ierit. Quod ita exposuerunt Beda, Anselm. & alii antiqui expositores ibi, Augustin. & Hieronym. in libris citatis, & Gregor. in Pastorali 3. p. admonit. 29. & lib. 1 in 1. Regum cap. 3. & ample dicitur Ecclesia cum in hymno virginum canit, *Quocunque pergis virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes curritant, hymnosque dulces personant.*

13. Obstare autem videntur huic expositioni illa verba Apostoli, *Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem.* Nam in illis significat solum propter præsentis vitæ necessitatem illud consilium præbere, non propter futuram æternitatem. Hæc est obiectio hæreticorum non noua, sed antiqua, illam enim refert Augustinus lib. de sancta virgin. cap. 13. & 14. & his verbis respondet, *Quasi præsentis necessitatis rationem haberet Apostolus non prouidens & consulens in futurum, cum omnis eius dispensatio non nisi ad vitam æternam vocet*; verba ergo illa, *propter instantem necessitatem*, D. Thom. Caietan. & alii simpliciter exponunt vt sonant de necessitatibus, quæ ex coniugio consequuntur, propter quas vitandas consuluit virginitatem seruare: addunt tamen non perstitisse Apostolum in sola illa ratione, sed addidisse aliam ex honestate rei desumptam, dicens, *Quoniam bonum est homini sic esse.* Addit Theophylactus Paulum dixisse

*Obiectio.*

conducere hominem à nuptiis abstinere propter rei vxoriæ difficultates, atque molestias, ne quis putaret abstinendum esse à matrimonio, tanquam à re impura, & immunda. Alii per instantem necessitatem huius vitæ breuitatem intelligunt, propter quam bonum est perfectionis viam apprehendere, iuxta illud quod statim subiungit idem Apostolus, *Hoc autem dico fratres, tempus breue est*, vsque ad illa, *præterit enim figura huius mundi.* Hoc significauit Hieronym. epist. 22. ad Eustochium, dicens: *Quæ est ista necessitas quæ aufert gaudia nuptiarum? tempus breuitatum est; reliquum est vt qui habent vxores sic sint quasi non habeant.* Et contra Heluidium in fine ait, *Quæ est ista necessitas? væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* quod repetit lib. 1. contra Iouinian. Chrysostom. antem homil. 19. in 1. ad Corinth. vtramque expositionem paucis verbis complexus fuisse videtur, dicens, *Deinde præsentium aufert causam instantum necessitatem, & tempus contractum & afflictionem: multa enim attrahit matrimonium, quæ & hic tacitè significauit.* Quæ expositio mihi maxime probatur; existimo enim instantem necessitatem vocasse Apostolum illam, quam in hac vita habemus vacandi diuinis rebus, & consequenter abstinendi ab omnibus aliis, quæ illas impedire possunt; quæ necessitas partim oritur ex breuitate vitæ præsentis, partim ex curis & solicitudinibus eiusdem. Qua necessitate, vt Augustinus supra notauit, specialiter premitur vita coniugalis, non tam propter labores & afflictiones temporales, quam quia, vt idem Apostolus subiunxit, *Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est: & quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Item quia, vt ibidem ait, *tribulationem carnis habebunt huiusmodi.* Quod non de sola temporali afflictione intelligo, quanuis sic significauerit Hieronym. lib. 1. contra Iouinian. sed etiam de propria carnis tribulatione quæ impedit profectum spiritualem, & quæ potest esse occasio alicuius culpæ venialis per excessum carnalis voluptatis; hoc enim significant verba sequentia, *Ego autem vobis parco*; addit autem egregiè Hieronymus, etiamsi Paulus loquatur de temporali afflictione, non ideo illam commemorasse, vt tantum propter illam vitandam amanda sit virginitas, sed potius, vt ostenderet in omnibus virginitatem superare matrimonium. Cum enim clarum sit in spiritualibus excedere, videri poterat in carnis deliciis superari. Ait autem Apostolus has matrimonii delicias tot esse tribulationibus & afflictionibus eiusdem carnis admixtas, vt etiam in hoc virginitas præferenda videatur.

*Quoniam sit. id quod Apostolus subiungit.*

14. Ex his ergo satis est diuina authoritate probata conclusio, & obiter nonnulla Patrum testimonia attigimus, plura autem tam ex illis, quam ex Conciliis prætermittimus, quia & in sequenti assertione, & sequentibus capitibus, & infra tractando de voto solenni multa necessario sunt ex antiquitate repetẽda. Ratio autẽ huius veritatis ex dictis circa testimonii Pauli sufficienter explicata est. Nam continentia siue consideretur vt vtilis ad spiritualia bona, siue vt per se bona & amabilis, excedit coniugium: ergo simpliciter melius est. Antecedens quoad priorem partem patet discursu facto, quia est vtilis ad magis diligendum Deum: quia quantũ in se est, & cor vnit Deo, & cogitationem ad illi soli placendum prouocat. Item, quia facultatem præbet sine impedimento Dominum obsecrandi. Item, quia liberat à solicitudinibus, & necessitatibus huius vitæ. Quoad alteram vero partem declaratur, quia matrimonium quoad præcipuum finem, & actum suum non est amabile per se, ac propter suam perfectionem intrinsecam, sed solum propter aliud, scilicet, propter filiorum pro-

procreationem? virginitas autem per se spectata maximè amabilis est, vt totus homo (vt Paulus significauit) & corpore & spiritu sanctificetur, corpus suum Deo consecrando, & ab animali vita quoad fieri possit illud abstrahendo, & ad spiritualem eleuando. Vt enim eleganter dixit Basil. homil. de vera virginit. quæ habetur post librum eiusdem tituli. *Virginitas, seu castitatis gratia non solùm à gignendis liberis abstinet, sed vita omnis Christianæ modestiæ accommodata virginitatem habere videtur: nam & sermone lasciuire, & oculo licentiori vagari, & auditu inhonesto labefactari, & corde per cogitationem prauam contaminari, & præter modum incibo potuque se ingurgitare, à propria pudicitia & temperantia excidere fuerit. Qui verò sese in omnibus vitæ partibus incorruptum, continentemque custodierit, is verè perfectum virginitatis munus est adeptus: vt autem id adipiscamur, omni studio ad Dei redire similitudinem conandum est.* Propter quod etiam Patres virginitatem comparant conditioni, ac perfectioni Angelicæ, qui homines quodammodo facit imitatores Angelorum in spirituali vita, iuxta illud Matth. 22. *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Quod enim consummandum est resurrectione per gloriam corporis, hoc in hac vita viri sancti inchoant per castitatis perfectionem: quam propterea suprà homines esse, & Angelorum esse coronam, dixit Cyrillus Hierosolym. Catechesi 12. & Damascen. lib. cap. 25. *Virginitatem Angelorum conuersationem, & incorpoream naturæ proprietatem appellat.* Fulgentius autem epist. 3. ad Probam cap. 2. in corpore dicit *nihil esse integritate melius*, cuius laudes postea prosequitur virgines etiam cum Angelis conferendo. Extat de eodem argumento egregius liber de castitate Sixti III. Pontificis in 5. tomo Biblioth. estque optima epistol. 81. D. Ambros. aliàs lib. 3. Epist. 25. ad Versel. Ecclesiam.

Vltimò addere possumus virginitatis exempla, quæ in primis peti possunt ab ipsis Gentilibus. Nam, vt Hieronym. ait 1. contra Iouinian. à Græcis etiam & Barbaris virginitas in magno pretio habita est, & tam poëticis, quàm historicis monumentis laudata; & ibidem ait Sibyllas virgines fuisse, & ideo prophetiæ donum accepisse. Tertullianus etiam lib. 1. ad vxorem c. 6. hoc exemplo prouocat fideles ad castitatem, *Cùm Gentiles* (ait) *satanæ suo & virginitatis & viduitatis sacerdotia perferant.* Et subdit exempla de virginibus Romanis, Achaicis, & Africanis, vbi Pamelius alia eiusdem Tertulliani, & aliorum Patrum loca adnotat. Quibus adde eundem Tertullianum lib. de Præscriptionib. hæretic. c. 40. ipsum etiam dæmonem in hoc æmulatum esse Ecclesiam, *quòd ipse etiam & virgines habet & continentes.* Hinc enim addiscere possumus (vt sumitur ex eodem Tertullian. lib. de Monogam.) quantum Deo castitas placeat, illam enim dæmon aliquando obseruat, non quia honestas illi placeat, sed vt vel specie inani decipiat, vel vt sibi diuinos honores attribuere videatur. Quod in simili indicauit Hieron. epist. 11. ad Ageruchiam dicens, *Quod idem obseruat Gentilitas in condemnationem nostri, si hoc non exhibeat veritas Christo, quod tribuit mundi diabolo, qui & castitatem reperit per diuitem.* Hic adde egregium factum Augusti Imperatoris in commendationem casti & honesti cælibatus, quod Baronius refert tom. 1. ann. 11. Christi. Præterea, quòd in lege veteri multi sancti, & alii qui perfectionis viam profitebantur, castitatem coluerint, ostendi ex sanctis Patribus, & historia Iosephi in dict. tom. 2 disput. 6. sect. 1. Quibus addi possunt quæ refert Baron. tom. 1. ann. Christi 57. n. 58. & ann. 93. n. 8. Denique de tempore legis gratiæ infinita sunt exempla de perpetua obseruantia virginitatis, & castitatis, quæin sequentibus affere mus.

Dico ergo tertiò: Bonum & optimum est virginitatem, seu perpetuam castitatem per votum Deo consecrare. Cõclusio intelligitur per se, & ex vi talis actus & materiæ, seclusis his quæ sunt per accidens, & sic conclusio est de fide, quæ licet ex dictis sit satis per se nota, breuiter confirmanda est. Primò, testimonio Christi Matt. 19. vbi laudat & commendat, *qui se castrauerunt propter regnum cœlorum.* Est enim certissimum, ibi non accipi verbum illud in significatione propria & materiali, sed in metaphorica significatione pro castitatis obseruantia, alioqui seipsum abscindere non laudi, sed vitio daretur, vt contra hæreticos Valesios ostendit Epiphanius lib. 2. tom. 1. hæres. 58. Non dicitur autem iuxta propriam & intentam analogiam illius metaphoræ se castrare ille qui tantùm abstinet à venereis, vel matrimonio, si semper ad id retinet potestatem & liberam voluntatem, sed ille qui quantum moraliter potest fit impotens ad humanam generationem, huiusmodi enim sunt eunuchi, qui vel à natiuitate, vel iniuria hominum corporaliter tales sunt. Significauit ergo Christus esse posse, & futuros fuisse aliquos spirituales eunuchos, qui non corporali gladio, sed voluntate, nec corporali sectione, sed promissione & voto se castrarent, id est, moraliter impotentes redderent ad vsum coniugalem, quod opus excellentis virtutis esse significauit Christus tam in verbis quæ præmisit, *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*: nam cùm immediate verba causalia subdit, *sunt enim eunuchi*, ac si diceret, ideo non omnes capiunt, quia hoc genus spiritualium eunuchorum diuinum est, & excellens, quàm in his quæ subiungit. *Qui potest capere capiat*, vt Chrysostomus ibi, & Græci omnes Hieronym. Anselm. S. Thom. & alii interpretantur. Hieronym. item lib. contra Iouinian. & significauit eleganter Tertullian. lib. de cultu fœmin. cap. 9. & lib. 1. ad vxorem cap. 6. dicens: *Quot sunt qui statim à lauacro carnem suam obsignant: quot item qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt, voluntarii spadonibus pro cupiditate cœlestis saluo matrimonio abstinentia toleratur, quanto magis adempto.* In quibus verbis obseruandum est accommodatissimum *obsignandi* verbum, quod optime significat specialem carnis dedicationem & consecrationem per votum. Est etiam expendendum quod ait matrimonii debitum tolli mutuo consensu, non enim dixit tolli matrimonii vsum, sed debitum, quod non tollitur per solum propositum, aut voluntatem non coeundi, sed per promissionem mutuam.

26. *Assertio tertia. Votum castitatis est optimum.*

Similis expositio & loquendi modus frequens est apud Tertullianum, qui hac ratione voluntarios spadones vocat eos, qui perpetuam castitatem profitentur, vt patet ex lib. de Patientia cap. 13. Eandem expositionem habet Clemens Alex. lib. 3. stromat. circa princip. vbi horum eunuchorum continentiam ita definit, *Est ergo continentia corporis dispicientia conuenienter pactis conuentu cum Deo initis.* Eandem repetit in fine libri, adiungens locum Esai. *Ne dicat eunuchus, sum lignum aridum.* Eandem habet Epiphan. suprà, & Ambros. lib. de Virginib. vbi ex hoc loco antiquitatem huius voti & Christi approbationem ostendit. Idem significat Fulgent. epistol. 3. ad Probam cap. 6. & de Fide ad Petrum cap. 3. circa finem. vbi de coniugatis loquens ait, *In talibus etsi fuerit aliquis coniugali excessus, qui tamen legitimum non violet torum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum. Sed hæc illorum sunt, qui nullam vouerunt continentiam Deo. Caterùm quisquis seipsum castrauerit propter regnum cælorum, & in corde suo continentiam Deo vouerit*, &c. vbi ex antecedentibus & consequentibus verbis constat, *castrare se* nihil aliud esse quàm continentiam vouere; & eandem expositionem latè tractat Basilius

lib. de

lib. de sancta Virginitate non longè à fine, vbi hos vocat mysticos, sacros, & spirituales spadones, & votum appellat ad stipulationem constantis coniugii, scilicet, spiritualis, & fœdus sese Christo immaculatum exhibendi.

18. *Vidua per fornicationem non peccat contra primũ matrimonium.*

Secundò principaliter solet colligi hoc votum ex verbis Pauli 1. ad Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quia illa fides non potest esse nisi votum: nam vidua non agit contra fidem primi matrimonii, etiamsi fornicetur, quia per mortem mariti liberata fuit à lege viri: loquitur ergo Paulus de alia fide Deo data de seruanda castitate viduali. Et ita intellexerunt locum illum Patres & expositores omnes in eum locum, tam Græci, quàm Latini. Concilia etiam & Pontifices, & alii Patres, quos Bellarm. refert lib. 2. de Monach. cap. 24. Cui expositioni quidquid hæretici calumnientur, & intentio Pauli consonat & verba; instruit enim ibi Timotheum de moderatione & cautela seruanda in admittendis viduis ad professionem viduitatis, & inter alia monet, ne adolescentiores viduæ facilè admittantur, nam postea luxuriantur, & nubere volunt, habentes damnationem, non solùm propter incontinentiam, sed etiam propter promissionis violationem, quam fidei irritationem propriissime appellauit. Nam quòd fidei nomine promissio significari soleat, patet nõ solùm ex communi vsu Latinorum, sed etiam ipsius Pauli ad Roman. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* id est, promissionem Dei, seu fidelitatem Dei, neque in nostro testimonio potest aliter sumi, scilicet pro fide Theologali, nam illa non fit irrita, neque amittitur, etiamsi vidua luxurietur, & multò minùs si nubere velit, maxime si per votum non prohibetur. Quod autem frangere votum, iuxta vsum Scripturæ, significetur per illa verba, irritum illud facere, patet Numer. 30. *Si quis votum Domino vouerit, non faciet irritum verbum suum*, & Psalm. 88. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Vnde Clemens l. lib. 3. Constitution. Apostolicatum cap. 1. hanc ipsam doctrinam Pauli, tanquam constitutionem Apostolicam tradens de huiusmodi vidua dixit, rationem Deo reddituram, *non quia iterum nupsit, sed quia promissionem suam non seruauit*, & subiungit, *Quocirca oportet non temerè, neque inconsideratè promissionem facere, sed cautè; melius enim est non fecisse votum, quàm fecisse, & non reddere.*

19. *Probatur exemplis.*

Tertiò probari potest hæc veritas ex Conciliis & sanctis Patribus, sed quia hæc adeò sunt clara, & frequentia, vt neque ab ipsis hæreticis negari possint, & quia à modernis auctoribus copiosissimè referuntur, ideo in hoc non immorabimur, solùm attingemus, quæ ad ostendendam traditionem, & antiquam Ecclesiæ consuetudinem sufficere videbuntur. Non enim prætermittere possumus, quin illustrioribus quibusdam exemplis veritatem hanc confirmemus. Vt autem omittamus superiora tempora quæ legem gratiæ præcesserunt, de quibus incertum est an tunc hoc votum in vsu fuerit in populo Dei; primum ac præclarissimum exemplum in lege Gratiæ in Beatissima Virgine, vt in 2. tom. 3. p. disput. 6. sect. 2. & 3. fusè ostendimus, & ex verbis eius, *Quomodo fiet istud?* & ex Patrum interpretatione, & assertione late confirmaui, simulque beatissimum Ioseph Virginis socium in hoc exemplo fuisse probauimus. Eos autem ante Christum Dominum numeramus, quia ordine temporis incarnationem eius præcesserunt, & quia de ipso Christo Domino non constat; licet verisimile sit, vt in superioribus tetigi, hoc votum emisisse. Nihilominus certissimum est fuisse virginitatis Deo consecræ exemplar longè excellentius, tum quia non solùm voto, sed ipsamet diuinitate virginitatem consecrauit, & tanquam rem suæ diuinæ personæ maximè decentem illam assumpsit, & à principio conceptionis suæ immutabili decreto firmauit; tum etiam, quia ipsummet votum B. Virginis ab ipso Christo duxit originem, & in illius honorem & præparationem inspiratum & dictatum est. Idemque suo modo de voto S. Iosephi dici potest, qui etiam ratione muneris se comitandi, & propter honorem virginis & Christi, donum & singularem sanctificationem suæ virginitatis accepit, vt in eod. tom. disp. 8. prosequuti sumus. His annumerari potest D. Ioannes Baptista, quem perpetuò virginem fuisse indubitatum est; nam ex Euangeliorum narratione non obscure colligitur, vt in eodem tom. disp. 23. sect. 3. breuiter attigimus. Quòd autem votum castitatis emiserit, certo testimonio confirmare non possumus, est tamen per se valde credibile, cùm in omnibus rebus perfectionis viam tenuerit. Propter quod principium totius religionis, & monachorum princeps, seu anachoretarũ exemplar appellatur à sanct. s Patribus, quos eodem loco retuli.

*B. Virgo votum castitatis fecit.*

*Christus exemplar castitatis per votum confirmata.*

*Item B. Ioannes Baptista.*

Post hæc sequuntur Apostoli, quos non omnes Apostolatus virgines inuenit, vt ex historiis manifestum est, & colligi potest ex Matth. 8. vbi Petrus dicitur habuisse socrum, vnde filiam habuit Petronillam, quam inter sanctas Virgines Ecclesia colit. Idem colligi potest ex Paulo 1. Corinth. 9. & ideo dicere non possumus omnes fuisse virgines, dicere tamen possumus omnes ab Apostolatu perpetuam virginitatem aut castitatem seruasse. Nam Ioannes Euangelista, sicut virgo vocatus est, ita perpetuo virgo permansit, vt de illo Ecclesia canit, & in illius officio sæpe repetit, & sancti passim docent. Cui etiam fratrum Iacobum iungit Epiphanius hæres. 58. & ex illo Anastasius Nicænus lib. Quæstionum in Scripturam, quæst. 79. & in eodem numero ponit Iacobum fratrem Domini. idem significat Epiphanius hæres. 30. in principio, clariùs hæres. 78. post medium, *Iacobus* (inquit) *frater Domini postquam vixit annos 96. manens virgo mortuus est.* Atque idem sentit de Paulo in dicta hæresi 78. saltem quòd non nupserit, quia hoc ipsemet Paulus docuisse videtur 1. Corinth. 7. dicens, *Vellem omnes esse sicut meipsum*: quod repetit idem Epiphanius hæres. 79. & idem habet Hieron. epistol. 52. De cæteris verò Apostolis an omnes ante Apostolatum coniugati fuerint, necne incertum est; illud verò certum existimo, post Apostolatum à coniugibus, qui illas habuerunt, abstinuisse, etiamsi eas omnino non deseruerint, vt dicit D. Thom. infrà q. 186. art. 4. ad 1. quod intelligo quantum ad societatem cohabitationis, & mutui obsequii; quod potest etiam sumi ex illis verbis Pauli 1. Corinth. 9. *Num potestatem non habemus sororem mulierem circumducendi sicut & reliqui Apostoli?* Quamuis enim mulieris nomine necessarium non sit vxorem intelligere, vt voluit Clemens Alex. lib. 3. Stromat. & cum eo Eusebius lib. 3 hist. cap. 23. nihil tamen vetat vxorem etiam comprehendi sub illa voce, quæ de se indifferens est, & sæpe sine dubio in illo capite pro vxore accipitur. Significat ergo Paulus aliquos ex Apostolis mulieres secum circumduxisse, illas tamen siue essent veræ vxores, siue deuotæ & fideles ministrantes eis, semper fuisse vt sorores, non vt vxores. De quare inferiùs iterum redibit sermo. Actor. etiam 21. legimus habuisse Philippum Diaconum quatuor filias virgines prophetantes, quas perpetuam virginitatem seruasse refert Eusebius lib. 5. historiæ cap. 3. quod est signum illas vocatas esse virgines à Luca, non solùm, quia nondum erant nuptæ, sed etiam, quia statum illum profitebantur. Quem statum à temporibus Apostolorum à pluribus ex fi-

*Apostoli post susceptum Apostolatum perpetuam castitatem seruarunt.*

*B. Ioannes virgo fuit.*

*Idem de fratre Iacobo.*

*Vide Epiphan. tom. 2. Christo à sanct.*

delibus

delibus tam viris, quam fœminis obseruatum esse non solum nostri referunt, sed etiam Philo Iudæus in lib. de vita contemplatiua, & ex illo Eusebius lib. 2. historiæ cap. 16. & breuissime attigit Tertull. in Apologetico cap. 9. vbi pro Christianis respondens, & quasi in duas classes illos diuidens inquit. *Nos ab illo ætatis tenero diligentissima & fidelissima castitas sepsit, quantumque ab stupris, & ab omni post matrimonium excessu, & abincesti casu tuti sumus. Quidam multo securiores totam vim huius erroris virgine continentia depellunt senes pueri.* Idem latè Athanas. lib. de humanitate verbi, circa medium, & Epiphanius hæres. 48. Euseb. lib. 1. de demonstratione Euangel. cap. 8. *In Ecclesia Dei duo modi viuendi instituti sunt, &c.* & ita in sequentibus capitibus plura necessaria referemus.

Vltimo concluditur ratio ex dictis, nam perpetua castitas est per se bona, & melior quocumque statu illi repugnante: sed huiusmodi esse debet propriissima materia voti: ergo talis etiam est castitas: ergo & votum castitatis optimum est, & seruare castitatem ex voto melius est quam sine voto. Maior proxime probata est. Minor lib. 2. de voto in communi est demonstrata. Prima item consequentia per se nota est. Secunda ex eodem lib. de voto in communi constat, ibi enim ostendimus actum vouendi circa materiam proportionatam honestissimum esse, & cæteris paribus, ac per se loquendo, melius esse opus ex voto quam sine voto facere.

Sed dicunt hæretici, temerarium esse ad perpetuam continentiam se obligare, quia est res difficillima, quæ sine speciali Dei dono integra seruari non potest: ergo qui ea lege se obligat, cum non sit certus de huiusmodi dono Dei, & Deum tentat, & quantum in se est maioribus periculis sese exponit. Atque ita exponebat Caluinus verba illa Christi Matth. 19. *Qui potest capere capiat*, id est, qui certus est se habere hoc donum, & non alius, vnde inferebat illis verbis potius retrahi homines à cœlibatu, quam inuitari. Adiiciunt illud Pauli; *Si non se continent, nubant*; voluit ergo Paulus hoc remedium semper esse homini liberum: non ergo licet per votum perpetuum illo se priuare.

Ad primam partem respondeo, si per continentiæ donum intelligant donum infallibiliter perseuerandi per totam vitam sine lapsu carnis, conditionem de lege ordinaria impossibilem à nobis postulari, vt continentiam vouere possimos, quia enim via constabit homini se habere hoc donum, priusquam in reipsa illud experiamur? nisi per diuinam reuelationem, quæ nec ordinariè fit, nec expectanda est ad assumendam perfectionis viam. Si autem experientia necessaria est, vt cognoscatur hoc donum post illam, vel inutile, vel impossibile est votum, quia neque esse potest de re præterita, nec circa futuram iam locum habebit, quia talis experientia non nisi in morte consummatur. Dicerent, vt opinor, hi hæretici eo ipso quod homo non scit certo se non habere hoc donum, certo scire debere se non habere illud, quia si haberet, sciret se habere, putant enim neminem habere fidem, & gratiam, nisi certo sciat se habere. At hoc fundamentum hæreticum est, vt Concilium Tridentinum sess. 6. definit, & latius traditur in materia de gratia; cumque de præsenti gratia vanum sit & sine fundamento, de futura perseuerantia est prorsus stultissimum: vnde enim res adeo lubrica & contingens certa esse potest nisi reueletur? aut vnde talis reuelatio haberi potest, & generatim affirmari?

Fortasse tamen non grauatè concederent propter hanc causam secundum legem ordinariam non posse prudenter fieri: hoc tamen est quod falsum esse conuincunt omnia exempla adducta. Nam res tam frequens & ordinaria in Ecclesia à sui initio, non poterit semper pendere ex specialibus reuelationibus, neque imprudens aut temeraria iudicari. Hoc etiam conuincit Christi Domini consilium inuitantis homines ad perpetuam castitatem, vt supra visum est, & in illis eisdem verbis, *Qui potest capere capiat*. illud agnoscunt ibi Chrysostomus, Theophylactus, Augustinus, Fulgentius, & omnes qui de virginitate scribunt, & est manifestum ex tenore ipsorum verborum: non excitaret enim Christus ad rem impossibilem quam homines prudenter apprehendere non possent, absque speciali & inusitata reuelatione. Vnde recte Tertullianus lib. de Monogamia cap. 14. *Non potes* (inquit) *quia non vis, posse enim te si velis, ostendit, quia tuo arbitrio vtrumque proposuit.* Si autem per continentiæ donum solum intelligamus speciale Dei auxilium ad illam seruandam; sic verissimum est, non solum perpetuam, verum etiam temporalem continentiam aliquantulum diuturnam non posse sine hoc dono perfectè seruari, æquè tamen verum est posse hominem, si velit, cum diuina gratia, quæ sibi præsto est, hoc donum à Deo obtinere per orationes & alia pia opera, sunt enim de hoc diuino auxilio manifestæ Scripturæ promissiones, & ideo merito dixit Augustin. lib. 2. de Adulter. coniug. cap. 29. *Leuis erit continentia farcina si Christi erit: Christi erit si fides aderit, qua impetret adiuuante Deo, quod iusserat.* Denique experientia ipsa constat, innumeros esse qui per hæc media donum hoc impetrant, & castitatem semel Deo promissam illibatam perpetuo conseruant, vt plane constet impotentiam, quam hæretici causantur, non esse prauam eorum affectionem & voluntatem. Quomodo aliàs dixit Chrysost homil. 67. in Ioann. *Non potuerunt credere, quia noluerunt*; sic enim communi sermone quis dicit, *Non possum asperum hominem diligere*, vehementiam voluntatis potestatem appellans: & infra, *Qui nolunt ideo non possunt*, adducens illa eadem Christi verba, *Qui potest capere capiat*. Lege Nazianzen. orat. 36. non longe à principio. De alio vero testimonio Pauli dicemus commodius capite sequenti.

*Castitas sine speciali Dei auxilio seruari nequit.*

## CAPVT II.

### *Ad quid obliget votum simplex castitatis.*

2. *Prima suppositio. Votum castitatis obligat semper, & pro semper. Secunda.*

SVpponimus primo, sermonem esse de voto perpetuæ continentiæ, & ideo non inquirimus quando obliget; quia semper & pro semper obligat, quia cum sit ex parte materiæ, priuatiuum obligat ad modum præcepti negatiui, vt supra explicatum est. Quod si fiat tale votum temporale, pro illo tempore cum eadem proportione obligabit. Suppono secundo sermonem esse de voto integræ castitatis; nam, vt supra dixi, illud tantum est absolutè & simpliciter castitatis votum. Potest autem aliquando fieri votum de aliqua tantum parte materiæ castitatis, & tunc clarum est ad illam solam obligare, quia obligatio non excedit voluntatem & intentionem vouentis, iuxta illam vero efficaciter inducitur, quando promissio iusta, & honesta est. Difficultas autem quædam, quæ hic insinuabatur, de voto non nubendi, infra melius & commodius tractabitur.

3. *Tertia suppositio. Materia castitatis duplex, necessaria, & voluntaria, ad vtramque obligat votum.*

Suppono tertio materiam castitatis secundum se spectatam duplicem esse, quandam necessariam, & aliam voluntariam. Necessaria est abstinentia ab omni actu turpi, & omni experimento libidinis extra statum matrimonii, ad hanc enim tenetur homo ex vi iuris naturalis, secluso voto, & ideo necessaria vocatur secundum se, non quoad voti obligationem. Nihilominus certum est prædictum castitatis

stitatis votum ad hanc etiam partem castitatis seruandam obligare, quia illa etiam sub prædicta vniuersalitate continetur, & non repugnat illi naturali obligationi aliam voluntariam superaddere, vt in disput. 1. & 4. de voto in communi dictum est. Vnde etiam fit, qui post votum castitatis circa hanc partem aliquid peccat, non solum contra temperantiam, sed etiam contra religionem delinquere tanquam voti violatorem, & consequenter teneri ad eam circunstantiam in confessione explicandam. Quod est certissimum non solum quoad externum actum, sed etiam quoad internum consensum, & desiderium cuiuscunque turpis actus, tum quia ex parte obiecti seu circunstantiæ eius participat ille actus eandem malitiam sacrilegii, tum etiam, quia ipsemet actus internus cadit etiam sub tale votum, nam est vniuersalis promissio abstinendi ab omni actu voluntario, tam interno, quam externo castitati contrario. Atque ob eandem rationem idem locum habet non solum in interno desiderio, sed etiam in morosa ac voluntaria delectatione interiori de actu turpi, etiamsi illa fit absque desiderio, imo cum proposito non committendi talem actum exteriorem. Nam etiam illa delectatio sub tale votum cadit, & ex vi illius prohibita est religioso vinculo: & præterea etiam illa in tali persona habet pro obiecto malum aliquod religioni contrarium, & ex hac parte etiam malitiam participat. Quanuis enim ex hac duplici radice, quando hoc modo coniunguntur in eadem persona, vna tantum malitia consurgat, nihilominus vna radix est ab altera diuersa, & aliquando possunt separari: nam qui morosè delectatur circa illicitum actum cogitatum circa virginem habentem castitatis votum, non peccat ipse contra religionem, eo quod faciat actum quod ex proprio voto vitare teneatur (suppono enim ipsum non habere votum castitatis) nihilominus tamen sacrilegus est, quia de actu religioni contrario ex parte personæ ad quam tendit, delectatur. Non me latet aliquos negare delectationem illam participare malitiam illius circunstantiæ; sed quod dixi censeo verissimum, & de illa sententia censuram ferre non est præsentis instituti. Et de obligatione illius voti quoad hanc partem materiæ eius nihil aliud speciale, aut notatione dignum dicendum occurrit.

*Habens votum si peccet, duplex committit peccatum in confessione aperiendum.*

*Delectatio morosa de re turpi in habente votum est sacrilega.*

3. Altera pars huius materiæ est secundum se voluntaria, quæ est abstinentia ab omni licito vsu venereo, nam ad hunc etiam extenditur promissio & intentio vouentis. Quoniam vero primum fundamentum honestatis in tali materia est vinculum matrimonii, & ideo tota difficultas huius capitis ad hanc præcipuè quæstionem reuocatur, an tale votum obliget etiam ad abstinendum à vinculo matrimonii, quod dupliciter contrahi potest: primo animo & intentione consummandi illud; secundo sine tali intentione, imo cum proposito perpetuo abstinendi à coitu, & de vtroque dubitari potest, de priori dicemus in hoc capite, de posteriori in sequenti.

*An votum castitatis obliget ad abstinendum à matrimonio.*

4. Circa priorem ergo partem ratio dubitandi esse potest ex citatis verbis Pauli 1. Cor. 7. *Si non se continent, nubant.* Ergo quotiescunque fuerit periculum incontinentiæ, licitum est vti hac licentia Pauli: nam sub hac conditione necessario debet intelligi tale votum esse factum, quod videntur conuincere sequentia verba: *Melius est enim nubere, quam vri:* nam in voto semper intelligitur exceptum quod melius est. Secundo auget difficultatem obscura sententia Cypriani epist. 62. ad Pomponium, vbi de Virginibus loquens ait, *Quod si ex fide se Christo dicauerunt, pudicæ & castæ sine vlla fabula perseuerent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectat: si autem perseuerare nolunt, aut non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant.*

*Ratio dubitandi.*

Nihilominus certum est obligare hoc votum ad non contrahendas nuptias animo consummandi illas. Assertio est certa, & de fide, quæ sufficienter probatur ex loco Pauli 1. ad Timoth. 5. *Nubere volunt habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt*, vbi loquitur de viduis, tamen eadem ratio est de omnibus habentibus votum castitatis. Et ita expositit August. lib. de Bono viduitatis cap. 9. dicens, *In viduarum & virginum continentia excellentia muneris amplioris expetitur, quia expetita & electa, & voti debito obligata, iam non solum capessere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est.* Est etiam hæc veritas frequens apud Pontifices, Concilia, & sanctos Patres, ex quibus multa refert Gratianus 20. quæst. 1. & 27. quæst. 1. & in sequentibus capitibus aliqua necessario afferemus. Hic addere possumus verba Basilii dict. homil. de vera virgin. *Cuique* (inquit) *ab initio quod vita genus cupiat modo concessum, hoc inire & optare licet, siue in matrimonio, siue cœlibem agere, quando vero semel Deo se auctorauit per vitæ continentiam ac perpetuam castitatem, hoc detrectare non licet, nec aliter quam aliquod minus, aut hostiam Deo sacram sese illi custodire, ne reos sacrilegii, nos Dominus decernat iudicio, si dicatum ei corpus rursum rebus prophanis, & communis vitæ ministerio sordidauerimus.* Epiphan. etiam hæres. 61. circa finem, *Tradiderunt* (inquit) *sancti Dei Apostoli peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias conuerti.* Quod confirmat statim ex citato testimonio 1. ad Tim. 5. & subiungit. *Si itaque & ea quæ post mundi experientiam vidua fuit, atque Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & condemnationem habebit quod primam fidem reiecit, quanto magis quæ citra mundi experientiam virgo Deo dicata fuit, & nupsit, contra Christum lasciuit, & maiorem fidem reiecit, & iudicium habebit, &c.* Vtautem Paulus alio loco ait, *Si nupserit virgo, non peccauit*, intelligendum esse inquit, de virgine quæ non est dicata Deo. Grauissima etiam est & verissima exaggeratio Augustini lib. 1. de Adulterin. coniug. cap. 24. post castitatis votum, neque propter alicuius infidelis conuersionem licitum esse cum eo matrimonium contrahere. Qui etiam videri potest lib. 2. cap. 12. lib. 1. de ciuit. cap. 16.

*Assertio. Votum castitatis obligat ad non contrahendum matrimonium animo illud contrahendi.*

Ratio huius veritatis est, quia materia huius voti, non tantum est quæ alioqui est necessaria, sed simpliciter omnis illa, quæ est etiam supererogationis intra latitudinem castitatis; ergo sub illa comprehenditur etiam copula coniugalis, & quidquid ad illam ordinatur, quatenus tale est: ergo etiam ibi comprehenditur vinculum matrimonii saltem vt ordinatum ad copulam, & sub ordinatione consummandi illud: obligat ergo tale votum semper & pro semper ad abstinendum à tali actu; ergo illud efficere propria authoritate & sine dispensatione est intrinsecè malum, & graue peccatum sacrilegii. Prima propositio assumpta quantum ad ius attinet, demonstrata est capite præced. Quantum vero spectat ad factum, constat ex vsu totius Ecclesiæ, & ex intentione vouentium, & quia in hoc distinguitur votum castitatis simpliciter, à voto castitatis coniugalis. Denique hoc ipsum supponimus cum dicimus sermonem esse de voto integro & tali castitatis. Consequentiæ vero omnes per se manifestæ sunt.

*Probatur ratione.*

Vt autem priori rationi dubitandi respondeamus, addimus vnum tantum euentū posse excipi, in quo posset esse licitum, non obstante voto matrimonii contrahere, scilicet, quando naturale præceptum euidenter ad id obligaret; quia materia voti non potest comprehendere aliquid præcepto contrarium, & ideo quoties omissio alicuius actus vonetur, necessario habet tale votum conditionem subintellectam, scilicet, quandiu talis actus non ceciderit sub

sub præceptum. Hic autem casus in præsenti materia non est moralis, vt constat ex dictis in superiori capite, quia naturale præceptum matrimonij non obligat nisi pro articulo necessitatis humani generis, quæ necessitas non est quod nunc timeatur. Aliquando tamen posse occurrere casus, quamuis rarissimos, in quibus propter publicam pacem alicuius regni, aut conuersionem ad fidem, aut aliud æquiualens bonum commune aliquis obligetur ex charitate ad subueniendum reipubl. mediante matrimonio. Etiam hic casus adeo rarus est, vt non faciat moralem exceptionem. Addo insuper vix esse posse tam certã & claram obligationem, quin recurrendum sit ad Pontificem, vel vt dispenset, vel commutet, quod expedire censuerit. Nam extra casum vrgentis præcepti, regula tradita generaliter, & sine alia exceptione procedit propter rationem tactam à D. Thom. in hac quæst. 88. art. 12. sufficienter explicata. Per præceptum enim sufficienter explicatur nobis DEI voluntas, seclusa autem præcepto, cum votum alias de se obliget, & castitas etiam sit magnum spirituale bonum, & maxime Deo gratum, non potest priuata authoritate iudicari actionem illi contrariam esse magis Deo gratam, ac proinde seclusa obligatione præcepti talis voti obligatio per se non cessat, neq; etiam propria aut priuata authoritate commutari potest, vt in superioribus tetigi, quamuis de hac posteriori parte dubitari possit, an sit ex sola rei natura, vel ex Ecclesiæ ordinatione, quod supra etiam tactum est, & ad præsens non refert.

8. Ex his ergo ad primam rationem dubitandi (quæ coincidit cum argumento hæreticorum supra huc remisso) patet responsio. Non admitto enim tantum esse posse morale periculum incontinentiæ, vt propter illud vitandum obligetur homo ad matrimonium, quia semper supersunt alia media, quibus potest homo & occasiones fugere, & difficultates superare orando, ieiunando, & alia similia remedia adhibendo. Vnde qui votum castitatis habet, ad hæc potius debet confugere, quam ad matrimonium, imo ad hoc ipsum virtute se obligauit per tale votũ, quãdo illud emisit, iuxta exigentiam periculorum, aut necessitatem. Quando autem Paulus dixit, *Si non se continent, nubant*, de his loquitur, qui ex voto ad se cõtinendum non sunt obligati, vt ibi Chrys. Theodoret. & alii exponunt, & manifeste constat ex contextu. Deinde non simpliciter nubere præcipit, sed concedit, eaq; non castitati, sed incontinẽtiæ præferendas esse dicit, & in eodem sensu subdit, *Melius est nubere, quam vri*, non enim dixit, *quam castitatem vouere, aut seruare*, quod bonum est & melius, sed quam vri, quod peccatum incontinentiæ significat. Itaque absolute consulit Paulus continentiam tanquam meliorem, vnde absolute dicit, *Volo vos omnes esse sicut meipsum*; comparate vero, & sub conditione proportionata præfert nuptias incontinentiæ, & vstioni, quæ per metaphoram idem significat, vt bene ibi D. Tho. notauit post Theodoretum, & alios. Quamuis ergo id quod melius est, semper intelligatur in voto exceptum, nec per votum impediatur, nihilominus non includuntur nuptiæ vt exceptæ in voto castitatis, quia non sunt simpliciter meliores, sed tantum comparatione peccati, inter quæ duo extrema non est necessaria consequutio, nam semper potest homo cum diuina gratia ab vtroque abstinere, & id quod vtroque melius est, castitatem scilicet, integram conseruare.

9. Locus Cypriani aliquibus difficilis visus est, vnde varias habet expositiones. Prima est, Cyprianum loqui de virginibus quidem, quæ votum simplex castitatis emiserunt, ita tamen vt earum nuptias non approbet, sed toleret vt veras, & quamuis illicite factas, tamen minus malas, quam sit concubinatus, aut vagus concubitus talium virginum. ita indicat Pamelius ibi. Sed non placet, nec satisfacit responsio, aperte enim concedit Cyprianus illas nuptias non solum vt minus malas, sed etiam vt non malas & honestas, tum quia dicit, *Melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant*. In quo alludit ad verba Pauli, *Melius est nubere, quam vri*, apud quem certum est melius non significare minus malum, sed simpliciter bonum. In eodem ergo sensu loquutus est Cyprianus. Et quidem si etiam nubendo caderent in delictum, non recte dixisse melius esse nubere, quam cadere. Tum etiam, quia statim subdit, *Cert enullum scandalum fratribus aut sororibus faciant*: matrimonium autem contra votum Ecclesiæ notum non potest non esse scandalosum. Non loquitur ergo de huiusmodi matrimonio, sed de illo quod licite & sine peccato fit. Alii respondent, Cyprianum non loqui in illa epistola vsque ad illum locum de virginibus habentibus votum aliquod castitatis etiam simplex, quia de his cõsultus non fuerat, sed absolute de virginibus, quæ cum proposito nudo virginitatis in eo statu perseuerabant, quibus proinde licitum erat vel perseuerare, vel nubere. ita Ferdinandus Mendoça super Concil. Elibert. libr. 2. cap. 20. Mihi tamen hoc verisimile non est, quia illa verba circa principium epistolæ, *Quæ statum suum continenter, & firmiter tenere decreuerint*, satis clare votum indicant, nam firmitas decreti, seu propositi ex promissione nascitur, quam apertius infra declarat, dicens, *Quod si ex fide se Christo dicauerunt, pudice & caste sine vlla fabula perseuerent*. Nam his verbis solent Patres explicare votum castitatis, & specialiter ab eodem Cypriano in libr. de disciplina, & habitu Virginum, & infra in eadem epistol. vocat hanc virginem CHRISTO dicatam, & sanctitati eius destinatam, incestuosam & adulteram non mariti, sed CHRISTI, si alteri coniuncta fuerit: quod si separari nolit, perpetuo dicit abiiciendam esse ab Ecclesia. Quæ non possunt habere locum, nisi in persona habente castitatis votum: nec dubitari potest quin de ipsis virginibus prius loqueretur, vt eas etiam vocauerit CHRISTO dicatas.

Vera ergo intelligentia illius loci est, Cyprianum 10.
quidem in illa epistola principaliter loqui de virginibus, quæ castitatem Deo vouerunt, vel solo voto simplici, vel etiam solenni, in hoc enim res est dubia, quam infra expendemus, & de his dicit omnino perseuerandum illis esse in promissione facta, sentiens non licere eis iam nubere; cum vero adiungit, *Si vero perseuerare noluntaut non possunt*, &c. non agit de eo, quod ipsis licet post votum iam factum, sed de eo, quod expendere debent priusquam illud faciant, ita vt sensus sit: Quæ votum emiserunt, seruent illud, & hoc est quod ait, *sine fabula perseuerent*: & ideo quæ tale votum sunt emissuræ, considerent, an possint, & velint ita perseuerare, nam si aut nolunt, aut non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant: & hic sensus placuit Hosio, & Turriano, quos refert & tandem sequitur Pamelius supra, & Bellarmin. libr. 2. de Monachis cap. 34. Similem sensum clarioribus verbis expressit Chrysostomus serm. de Regularibus fœminis viris cohabitantibus, dicens, *Si concupiscunt virum & nuptias, & id genus conuersationis appetentes sunt, quia prohibebat & admonebat libertatem ne hoc fa erent, quo neque offensus Deus, neque ipsæ ab hominibus redarguti essent*. Vbi verba illa de præterito ponderanda sunt, licebat enim id ante votum, non tamen post illud. Denique addunt aliqui, quamuis Cyprian. in illis verbis, *quamuis perseuerare*, &c. loquatur post votum iam factum, intelligendum esse loqui non ad ipsas, sed ad

Pomponium collegam, ad quem scribebat, & illi dicere: Melius est dispensare cum eis, vt nubant, quam eas in eo periculo relinquere. Quæ expositio fuit Didaci Payua in libro decimo Orthodoxarum explicationum, & Michaelis Medinæ lib. 4. de continentia, controuers. 7. capit. 21. & 31. & esset apparens si Cyprianus tantum dixisset, *si non possunt*, tamen quia sub disiunctione dixit, *si nolunt, vel non possunt*, non potest defendi, quia manifeste id constituit in sola virginis voluntate independenter à dispensatione. Nam ad spensandum non solum licite, sed etiam valide cum ea, quæ habet votum virginitatis, non satis est vt nolit perseuerare, quia necessaria est iusta causa: nolle autem perseuerare, est sola malitia. Omitto incertum esse, an illis temporibus possent Episcopi dispensare in voto continentiæ, maxime quia probabile est, vt infra ostendam, Cyprian. loqui de voto impediente, & dirimente subsequens matrimonium, in quo Episcopi nunquam dispensare potuerunt. Persistendum ergo est in expositione data, quæ sine dubio vera est. Nam quod alij obijciunt Cyprianum non agere in tota epistola de virginibus sacrandis, sed sacratis, & de his si lapsæ fuerint, docere, quomodo curandæ sunt, vel puniendæ: hoc, inquam, nihil obstat, quia licet. verum sit, optime potuit Cyprianus obiter significare quid illis considerandum fuit, priusquam vouerent, nam postea non licet quod antea licebat.

*Ad validam, & licitam dispensationē voti castitatis requiritur causa iusta.*

## Caput III.

### *Virum votum simplex castitatis absolute obliget ad non contrahendum matrimonium, etiam cum intentione non consummandi.*

1. Ratio dubitandi in hac parte desumitur ex eo, quod Patres supra citati simpliciter negant, licere contrahere matrimonium post votum castitatis. Et Augustinus supra etiam citatus simpliciter dixit, *habentibus tale votum velle nubere damnabile est*; cum tamen velle sit prius, non tantum quam consummare, sed etiam quam contrahere. Et similis sententia refertur ex Hieronymo in c. *vouentibus*. d. 27. & 17. q. 1. sed sub his verbis in illo non inuenitur, meliusq; ex Augustino refertur in cap. *nuptiarum*. 27. q. 1. Item idem August. *Qui non damnarctur* (inquit) *si duxisset vxorem, post votum quod Deo promisit, si duxerit damnabitur*. Similia habet Hieronym. sæpe libris contra Iouinianum, & epistolis de Virginitate ad Eustochium, & ad Sabinianum, Chrysost. hom. 13. ad Hebr. multaq; alia refert Gratianus in tribus locis proxime indicatis. Cum ergo hi Patres nihil distinguant de intentione contrahentis, & absolute damnent huiusmodi nuptias, non licet nobis distinguere, sed quacumque intentione fiant, eas damnare. In contrarium autem est, quia per tale matrimonium factum cum intentione non consummandi, nec violandi in aliquo castitatem, non læditur virtus castitatis, neque actu, neque proposito, imo cum illo actu stat integra, & perfecta virginitas, vt patet aperte in Beatissima Virgine: ergo per talem actum tali proposito factum nullo modo frangitur votum castitatis. Probatur consequentia, quia votum castitatis non habet materiam ampliorem, quam ipsa virtus castitatis.

2. In hac re duas inuenio sententias, prima affirmat votum illud obligare ad non contrahendum etiam cum intentione non consummandi. Hæc tribuitur S. Thomæ in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. tamen eo loco non agit de hoc casu in particulari, sed solum generatim dicit non licere nubere post votum castitatis. Magis videtur fauere huic sententiæ 3. p. quæst. 28. artic. 4. ad 3. vbi vt defendat B. Virg. nem nubendo non fecisse primam fidem irritam, ait, ante matrimonium non absolute vouisse castitatem: constat autem B. Virginem ita contraxisse matrimonium, vt habuerit firmum propositum nunquam consummandi illud: sentit ergo hoc esse contra votum castitatis, si absolute præcessit. Expressius tenet hanc sententiam Richar. in 4. dist. 38. artic. 7. quæst. 1. ad 3. ait enim non licere contrahere etiam cum proposito ingrediendi statim religionem. Idem tenet Nauarr. in summa cap. 22. numer. 73. & refert D. Antonin. 3. p. titul. 1. cap. 16. §. 1. ille tamen non specificat de contrahente cum tali intentione, sed absolute loquitur. citat etiam Rosellam verbo *Votum*. §. 9. & idem tenet Syluest. *Matrimonium* 7. quæst. 5. §. *secundum*. quit refert etiam Archidiaconum, tenet etiam Cordub. in summ. quæst. 136. Lopez 1. p. Instruct. cap. 50 Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 8. & Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 43 num. 7. & in Decal. libr. 4. de voto, cap. 21. num. 4. Insinuantur autem ab his auctoribus varia fundamenta. Primum quod videtur magis per se & intrinsecum voto esse; quia voluntas contrahendi est virtualis voluntas consummandi, nec potest ab illa separari, & ideo nec separari possit quin sit contra votum. Secundum est, quia saltem exponit se periculo morali violandi castitatem, & mutandi propositum intrandi religionem, quod periculum videtur morale, & in proxima occasione, & ideo illi se voluntarie exponere, etiam est fractio voti. Tertium extrinsecum est, quia in hoc fit iniuria alteri cōiugi deludendo illum, imo significat Syluester etiam eludi sacramentum ipsum, quia intentio denegandi debitum est contra substantiam & valorem matrimonii. Quartum est, quia hoc saltem est iure prohibitum in locis supra citatis, & in cap. *si vir*, dist. 27. & in cap. *consuluit*, & cap. *rursus*, qui clerici vel vouent. Et hęc duo posteriora fundamenta non probant esse contra votum, sed in genere esse peccatum.

Secunda sententia est, non peccare eum qui dum habet votum castitatis, matrimonium contrahit quoad vinculum cum intentione intrandi religionem, priusquam aliquid aliud contra integritatem castitatis committat. Ita tenet expresse Scotus in 4. d. 38. quæst. vlt. vers. consimiliter. *Non potest* (inquit) *licite contrahere nisi cum intentione non consentiendi in copulam, & consequenter intrandi religionem*. Idem supponit d. 30 quæst. 2. & signficat ibidem Duran. quæst. 2. ad argument. Maior quæst. 1. art. 1. & 2. Supplem. Gabr. d. 38. q. 1. artic. 3. Medin. 3. p. q. 28. artic. 4. Bellarm. lib. 1. de Monach. c. 22. & tenet Angel. verb. *Matrimonium*. impedimento 5. num. 1. & citat Calderinum in c. *rursus*, qui cler. vel vouent. Idem tenuit Nauarr. in Summ. cap. 16. n. 30. per quem locum videtur alius explicandus. Tenet etiam Caiet. verb. *Matrimonium* c. 1. Fundamentum supra tactum est. Cui addere possumus, quia non minus impedit matrimonium votum religionis, quam votum castitatis, sed qui contraheret illo modo, non ageret contra votum simplex religionis: ergo neq; agit contra votum simile castitatis. Minor probatur, quia ille (vt supponimus) tō est in mora non implendi votum suum, neq; etiam se reddidit incapacem ad illud implendum: neq; etiam necesse est vt quando contrahit habeat propositum non implendi illud votum.

Inter has sententias hæc posterior videtur mihi vera per se & ex natura talis voti loquendo; in practico autem vsu ill. us magna moderatio & causa necessaria est, & ideo raro poterit ad opus licite deduci. Priorem partem mihi persuadet prima ratio facta pro illa sententia. Nam vinculum matrimonij per se spectatum non est formaliter cōtrarium castitati. Et licet radicaliter, seu virtualiter videatur opponi, id solum est quatenus ad copulam ordinatur: hic

*A Affirmatiua dum probabilis manet.*

hic autem ordo potest animo & voluntate præscindi sine vlla repugnantia, vel turpitudine: ergo si ita fiat, non habet intrinsecam malitiam vel oppositionem cum voto castitatis; quia per se non fit de non contrahendo, sed de non agendo aliquid contrarium castitati. Vt ergo dicamus hoc non esse per se malum, satis est quod non habeat intrinsecam malitiam, nec repugnantiam necessariam cum voto, & ita responsum est ad primum fundamentum alterius sententiæ. Negamus enim in voluntate contrahēdi necessario includi virtualem voluntatem consummandi; id enim ad summum verum est, quando per contrariam voluntatem formalem illa virtualis non impeditur.

*Quod maxime pendet ex intentione, qua vnusquisque vult matrimoniū contrahere.*

Quod maxime pendet ex intentione, qua vnusquisque vult matrimoniū contrahere. Regulariter enim homines non cōtrahunt matrimonium nisi vt filios procreent, & ideo voluntas contrahendi dicitur esse virtualis voluntas consummandi. Atque etiam dici posset supponere illam formalem voluntatē, eo modo, quo electio medij supponit intentionem eius. Aliquando vero contingit, vt homo qui matrimonium contrahere vult, nō tam formaliter cogitet de filiorum generatione, quam de alijs cōmoditatibus humanis, propter quas matrimoniū expedit, vt propter amicabile obsequium, propter adiutorium in gubernatione familiæ, &c. ita tamen, vt neq; formali proposito excludat copulam, nec diuturnam conuersationem, & cohabitationem familiarem: & hoc etiam satis est vt illa voluntas contrahendi sit voluntas virtualis consummādi, quia moraliter ad hoc tendit, & includit voluntatem se obligandi, & obligationem implendi. Et his duobus modis clarum est nō licere contrahere matrimonium post votum castitatis. Fieri autem potest vt intentio matrimonij cōtrahendi, nec sit fructus filiorum, neq; alia commoditas, quæ includat diuturnam cohabitationem, & ordinarium vsum matrimonij, sed potius ad finem altiorem, & aliquando ad ipsummet statum religionis referatur, cum formali proposito intrandi religionem prius quam matrimoniū consummetur: in quo casu in voluntate contrahendi non includitur virtualis voluntas consummandi.

*Diuersitas exemplis.*

Quod autem hoc ita sit primo declaratur exemplis. Nam si virgo habeat secretum votum castitatis, & non possit obtinere à parentibus perseuerantiam in illo statu, neq; audet eis votum reuelare, & speret quod si ostendat animum contrahendi matrimoniū, & contrahat, habebit commoditatem & libertatem ad ingrediendam religionem, quam alio medio obtinere non sperat, neque etiam in hoc medio timet morale periculum, aut occasionem consummandi matrimonium, in eo casu ex intentione & animo ingrediendi religionem potest contrahere matrimonium sine vlla violatione voti. Et hoc exemplum posuit etiam Henric. li. 2. de Matrimonio c. 2. n. 8. Aliud indicat Nau. dict. c. 16. scilicet, si ad contrahendum hoc modo, & cum hac intentione cogeretur aliquis ex notabili metu mortis, aut infamiæ, qui neq; esset talis, vt ad impediendum valorem matrimonij sufficeret, esset vero tantus, qui talem contrahendi modum excusaret. Tertium exemplum esse potest si ad legitimandam prolem prius male conceptam, & ad reparandā aliquo modo mulieris infamiam, tale matrimonium fieret. Hic vero tertius casus inuoluit aliā quæstionem, an illud matrimonium possit per subsequentem professionem religionis dissolui, vel, quod idem est, an censeatur ratum tantum, vel cōsummatum, quatenus copula præcesserit, de quo infra suo loco dicemus. In his ergo & similibus casibus constat matrimonium non fieri ex intentione prolis generandæ, sed ex alia intentione recta, & honesta, quæ non solum non repugnat cum materia religionis, vetum potius ad illam melius vel facilius seruandam ordinatur. Tunc ergo voluntas contrahendi non includit virtuale propositum consummandi. Nec refert quod ex illo contractu nascatur obligatio reddendi debitum, quia illa obligatio affirmatiua est, ideoq; non pro semper obligans, & ideo in principio non pro statim obligat, vt notauit D. Tho. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. q. 2. ad 2. sed conceditur ei tempus in quo sufficiēter potest tractare de transitu ad religionem, & ideo neque illa intentio est contraria tali obligationi, nec voluntas obligandi se, vt est sub tali intentione, est virtualis voluntas actus, ad quem est obligatio, sed ad summum conditionata, si in eo statu perseuerauerit.

Atque ex his patet altera pars assertionis, quam exempla superius adducta declarant. Ratio vero est, quia cum matrimonium per se ordinetur ad copulā coniugalem, contrahere illud cum apposita conditione, & excludendo omnino illum finem non habet per se congruentiam vel honestatem, & ideo magna requiritur causa, quæ honestet talē contrahendi modum. Præterea hoc declarat, & non aliud suadet secundum fundamentum primæ sententiæ, regulariter enim timeri profecto potest, & debet morale periculum incontinentiæ, & murationis propositi, & ideo nec sine magna necessitate ingerere se debet homo illi periculo, nec sine magna probatione suæ voluntatis, & firma spe perseuerandi in dicto proposito: & hinc optime colligitur hunc casum esse ratum, & non facile permittendum, non vero sequitur esse impossibilem etiam moraliter, quia nec periculum illud est adeo proximū, vt semper censeri debeat moralis occasio, maxime cum frequentius intercedere soleat multum temporis inter sponsalia de præsenti, & solennitatem nuptiarum, ante quam iuxta Ecclesiæ ordinationem non debent sponsi coniungi: neq; etiam omnes homines sunt in hac materia æque fragiles, & alioqui tantam à Deo recipiunt gratiā, vt sine temeritate sperare possint se euasuros illud periculū. 6.

Addo vero (vt res hæc facilior sit) in tali actu virtute fieri debere commutationem quandam, vel potius extensionem voti castitatis in votum religionis. Quanquam enim sub quæstione sit an teneatur ingredi religionem qui nupsit habens votum castitatis, quam tractabimus capite sequenti, quidquid tamen de illa sit, in præsenti casu pro certo habeo tenendum ex voto, qui dicto modo nupsit ad intrandam religionem, siue hæc obligatio immediate, nascatur ex voto castitatis prius facto, siue ex virtuali commutatione, aut intentione, quam fecit quando decreuit contrahere matrimonium cum illo proposito: tunc enim habere debuit voluntatem se obligandi ad statum religionis assumendum, alioqui non posset esse licita talis contractio matrimonij. Quod probatur, quia per illum actum quantum in se est, reddit se moraliter impotentem ad seruandum castitatis votum, nisi religionem ingrediatur: ergo vt licite faciat illum actum, necesse est vt velit manere obligatus ad intrandam religionem. Probatur consequentia primo, quia per illud matrimonium in hoc derogatur voto castitatis, quia iam non manet homo simpliciter loquendo, tam potens, & tam liber ad integre seruandum illud, sicut antea erat: quia si de facto non recipiatur in religione, non erit in potestate eius integre seruare illud: ergo vt hoc licite fiat, necesse est vt hoc aliquale detrimentum castitatis alio æquali, vel maiori bono compensetur: hoc autem non est nisi bonum religionis: ergo ad illud manet homo obligatus, vt locum habeat talis compensatio. 7.

*In hoc casu debet fieri commutatio voti castitatis in votum religionis.*

Secundo probatur, quia si maneret liber, posset sine culpa mutare propositum intrandi religionem, & 8.

perseuerare in statu coniugali, & consequenter etiam posset, immo & deberet debitum reddere, quod secundum se repugnat voto castitatis: ergo repugnat, vt aliquis licite se constituat in tali statu post votum castitatis: ergo vt matrimonij contractus licite fiat, necesse est vt suscipiatur obligatio intrandi religionem.

Nec mihi probabilis est opinio quam tenet Angelus supra numero secundo, & ex quibusdam alijs, quorum scripta non vidimus, refert Henriquez supra, quos ipse sequi videtur, scilicet, ex prædicto casu non oriri obligationem ex tali proposito, & ideo si illo mutato reddat sponsus debitum sponsæ exigenti, excusari à culpa, etiam prima vice, & consequenter posse aliquem post votum virginitatis voluntarie amittere virginitatem, nullo interueniente peccato, nec dispensatione, aut necessitate excusante, quod plane incredibile est.

*Etiam tenetur ad profitendum in religione.*

Vnde per contrarium extremum Caietanus supra dixit, huiusmodi personam teneri non solum ad ingrediendam religionem, sed etiam ad profitendum in illa, quia posuit se in statu, in quo non potest aliter castitatis votum implere, nisi in religione perseueret, ac profiteatur. Quod profecto in rigore videtur verum, quamuis enim nemo cedere iuri suo censeatur quoad annum probationis, nisi expressè id velit, vt post Concilium Tridentinum non possit aliter fieri professio, nihilominus quia voluntarie se constituit in illo statu, in quo necessario debet aut profiteri religionem, aut violare votum castitatis: ideo eligere cogitur professionem ne votum violet, vnde vt à principio vitaret peccatum in contrahendo, ad hoc se obligare necessarium fuisse videtur, quia alioqui euidenti discrimini integritatem castitatis exponeret, quod plane fuisset contra votum ipsum.

Nec videri debet hæc sententia Caietani nimis rigorosa, quia ex vi illius obligationis ille non tenetur ad determinatam religionem, sed satis illi est in quacumque statum religionis assumere, qui ratum matrimonium dirimat: nullus autem est, qui in aliqua saltem ex leuioribus facile profiteri non possit.

9. *Dubitatio specialis, si non possit profiteri, ad quid teneatur.*

Sed quid si in nulla ex leuioribus admittatur, & in asperioribus ipse non possit commode profiteri? Quid etiam si propter nouum superueniens impedimentum ægritudinis non possit sine magno incommodo profiteri? Nam si ratio Caietani est efficax, etiam in his casibus cogendus erit ad profitendum vbi potuerit, non obstantibus difficultatibus occurrentibus: videtur autem nimis rigorosum tam grauem obligationem imponere, maxime cum videatur non cecidisse sub intentione vouentis.

Respondeo in primis has omnes difficultates ostendere, quam sit lubricus & periculosus hic modus contrahendi matrimonium cum voto castitatis.

Dicendum ergo est opottere, vt qui sic contrahit, sit moraliter certus non solum de suo proposito, sed etiam de effectu eius, scilicet, quod sine difficultate poterit executioni mandari, quia alias manifesto periculo exponitur castitas. Vnde est etiam in præsenti ponderanda differẽtia inter votũ castitatis, & religionis: quia votũ castitatis, per se loquendo, & ante statum matrimonij, potest seruari & executioni mandari indepẽdenter à consensu alterius: votum autem religionis pendet in executione ab alterius consensu, & ex multis alijs circumstantijs, & ideo vt sub spe status religiosi possit quis licite matrimonium contrahere, non obstante castitatis voto, necesse est vt hæc spes sit certa moraliter, non solum ex parte proprij desiderij, sed etiam ex parte facultatis, seu capacitatis personæ, & ex parte etiam ipsius religionis, alioqui magna iniuria fieret voto castitatis, quia sine matrimonio potest libere seruari absque statu religionis; adiuncto vero matrimonio, iam non est liberum homini integre seruare illud, si cum effectu religiosus non fit.

10. *In quibus libere à voto castitatis matrimonio contrahatur.*

Nihilominus addo, si in principio bona fide facta fuit illa virtualis commutatio, & postea rationabili causa professio impediatur, aut sine tanta difficultate fieri non possit, vt verisimile non sit vouentem à principio voluisse ad hoc se obligare; tunc sine scrupulo posse redire ad seculum, & reddere debitum etiam prima vice sine culpa, iuxta dicenda capite sequenti.

Et ratio est, quia ex quo facta fuit dicta commutatio, vel extensio, iam votum castitatis non obligauit ad integram castitatẽ, nisi in statu religionis cum obligatione eius morali modo intellecta, prout homines solent secundum ius & secundum prudentiam ad religionem obligari: nam hoc satis est vt prima actio & commutatio licita fuerit. Semel autem facta commutatione, vt supra dixi, prius votum iam non obligat, nisi secundum id quod post commutationem de illo relictum est: & ideo impedito statu religionis in prædicto statu votum castitatis non obligat ad seruandam illam, nisi quantum sine iniuria alterius coniugis seruari potest, & ideo potest reddi debitum etiam prima vice sine vlla culpa.

11. *Dubitatio secunda principalis.*

Sed quid si post contractum matrimonium alter coniux veller castitatem vouere, & cum alio pacisci de nunquam petendo debitum, teneretur ne alius coniux nihilominus ingredi religionem? Ex dictis enim hoc sequi videtur, quia si facta est commutatio, necessarium est illam implere. In contrarium vero est, quia tunc sine ingressu religionis potest integre seruari votum castitatis.

Respondeo, in primis cauendum esse periculum incontinentiæ, quod in prædicto casu vix potest moraliter deesse, siue tales personæ cohabitent diu, siue separentur, & in seculo maneant, quod propterea Ecclesia non permittit, nisi in certa ætate, & cum quibusdam conditionibus, vt supra tactum est, & latius est dicendum in materia de matrimonio.

Secluso autem periculo, & loquendo per se ex vi voti, dicendum est in eo casu nõ teneri ad ingrediendam religionem propter rationem factam. Commutatio autem virtualiter contenta in dicto proposito intrandi religionem, intelligenda est solum quatenus illa fuerit medium ad seruandum votum castitatis, vel, quod idem est, subintellecta conditione, si aliter perseuerare non possit in statu matrimonij sine discrimine castitatis.

Quocirca si ante contractum matrimonium quispiam esset omnino certus alium coniugem non petiturum debitum, non peccaret contrahendo matrimonium, etiam sine proposito intrandi religionem, quia nullum nocumentum inde prouenit castitati, & quia hæc certitudo non potest haberi nisi per diuinam reuelationem, ideo illa interueniente clarum est hoc esse licitum: & ita multi interpretantur matrimonium Beatæ Virginis cum Ioseph post votum castitatis. Humanæ autem coniecturæ aut quæcumque promissio alterius coniugis ad hoc non sufficit.

Nam

Nam si talis sit vt per eam renuntiet iuri suo, repugnabit substantiæ matrimonij, si ante illud fiat; si vero sit quæcunque alia assertio, vel contestatio, non tollitius petendi, & consequenter non tollit reddendi obligationem, si postea cum effectu petatur. Et ideo semper talis contractus repugnat voto castitatis, seclusa reuelatione, nisi fiat prædicto animo transeundi ad religionem.

Atque hinc facile etiam expeditur tertium fundamentum prioris opinionis, quod non ex voto, sed ex iniuria, quæ fit alteri coniugi, sumebatur. Negamus enim illi fieri iniuriam alicuius momenti, nam si professio religionis impedita fuerit, illi redditur debitum suum, per quod satisfit quoad hanc partem rigori iustitiæ. Nam licet aliquod grauamen vnius coniugis sit quod alter habeat votum castitatis, ratione cuius non possit debitum petere, & ideo aliqualis decep io videatur, contrahere habendo votum, quod alter ignorat, nihilominus non videtur hoc continere iniuriam adeo grauem, vt ob eam solam causam censendum sit peccatum mortale iniustitiæ, quamquam hoc accidentarium omnino sit ad votum continentiæ, de quo agimus. Ac denique licet illa sit aliqualis iniuria, si absq; causa vel ratione fiat, tamen interuenientibus circumstantiis suprapositis homo vtitur iure suo, & ideo censendus non est formaliter decipere, aut iniuriam facere. Quod si post tale matrimonium professio reipsa sequuta fuerit, iam alter coniux manet omnino liber, & sic etiam ex hoc capite nulla ei fit iniuria.

Dicunt aliqui, interdum, præsertim ex parte mulieris, reddi difficilius matrimonium cum alio, quod ill. est iniuriosum. Respondetur negando assumptum, si loquamur per se, & secundum rectam rationem, quod autem apud aliquos pro sua voluntate sine ratione operantes id possit accidere, curandum non est. Et probatur aperte: nam in omni matrimonio ex parte vtriusque coniugis subintelligitur tacite illa conditio, *Nisi ad statum religionis transire voluero*; vnde vterque retinet ius suum ad id deliberandum & faciendum intra tempus iure præscriptum, & ideo neuter alteri facit iniuriam, quia & in hoc sunt pares, & talis conditio per se inest tali contractui: ergo quod à principio fiat contractus cum intentione vtendi illo iure, & implendi illam conditionem, non potest esse iniuriosum coniugi, cum ei non fiat maius nocumentum, eo quod illa intentio præcedat, quam si subsequatur. Vnde à fortiori constat omnino falsum & improbabile esse dicere talem intentionem esse contra substantiam matrimonij, cum non excludat verum consensum in ipsum vinculũ, quandoquidem potestas intrandi religionem cohærere possit cum vero matrimonio, & ita de hoc nulla est dubitatio inter probatos auctores.

Ad vltimum fundamentum respondemus ex vi iuris positiui non esse nouum præceptum specialiter prohibens nuptias ratione voti simplicis, sed solum declarans naturalem, & diuinam obligationem, quę ex vi talis voti oritur. Et ita plane loquuntur Sancti omnes citati capite præcedenti, à quibus ferè sumpta sunt omnia decreta, quæ à Gratiano referuntur. Illi autem nuptiarum nomine, & verbo nubendi intelligunt matrimonium, prout ordinario modo fit, & consequenter vt includat copulam vel propositum eius. Quomodo dixit Hier. Matth. 1. de Ioseph, qui dicitur vir Mariæ, *Cum virum audieris, suspicio tibi non sobeat nuptiarum.* Et in eodem sensu in cap. 2. negat Ioseph fuisse maritum, quia scilicet hæ voces matrimonium consummatum indicare solent. Sic etiam dixit Gregor. homil. 26. in Euangel. de eodem S. Ioseph. *Maria sponsum habere voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit.* De his ergo nuptijs & affectu illarũ loquuntur Sancti cum dicunt, *Habentibus votum virginitatis non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.* Sic etiam intelligendum est cap. *si vir* dist. 27. citatum in illo quarto fundamento, cum ait, *Si vir habens simplex votum virginitatis adiungitur vxori*, ibi enim verbum *adiungitur*, copulam significat, & nõ tantum vinculum, & ideo de illo subditur, *Postea non dimittat vxorem, sed tribus annis pœniteat.* Ac si matrimonium non consummasset, cogendus potius esset, vel monendus, vt vxorem dimitteret, & religionem ingrederetur. Sic etiam intelligendum est cap. *rursus*, ib dem citatum, ibi, *si ad nuptias motu proprio conuolasset.* scilicet consummando priora sponsalia quæ præcesserant, quanquam illud caput licet intelligeretur de solo matrimonio rato, nihil ad præsentem causam referret, quia ibi solũ dicitur esse validum, etiamsi post votum simplex castitatis fiat, non vero an licite vel illicite fiat. cap. autem *consuluit*, ibidem citatum, nihil ad præsens refert, & in capite seq. ex professo tractandum est.

Alia dubitatio hic supererat, an persona, quæ post votum virginitatis virginitatem amisit frangendo votum, teneatur nihilominus postea nõ nubere. Sed hæc difficultas satis expedita est to. 2. de Relig. tract. de voto in communi lib. 4. cap. 7. à num. 6. vsque ad 8. pendet enim hoc ex intentione vouentis. Si enim fecit votum virginitatis æquialens voto continentiæ, seu illud includens, clarum est quidquid peccauerit, semper obligari ad non nubendum, quia votum castitatis semper in futurum obligat quantum potest, etiamsi in præterito fractum fuerit. Si autem intentio vouentis solum fuit se obligare ad conseruandum integrum claustrum virginale, seu non cõmittendam primã fornicationem, seu primũ actum, quo perdat virginitatẽ, tunc post votum irritum factum, non manet votum ad nõ nubendum, quia obligatio non excedit intentionem vouentis. Quæ resolutio ex D. Tho. & Caiet. sumitur in hac quæst. 88. art. 3. ad 2. & est communis, & per se satis clara. Solum inquiri potest quando votum iudicãdum sit esse huius posterioris modi. Respondeo solũ quando id cõstiterit ex intentione expressa vouentis, alioqui enim qui simpliciter vouit virginitatem, & nihil declarat vel limitat, censetur vouere perpetuam castitatem. Et ita sentiunt D. Thom. & Caiet. citato loco, & alij Doctores in 4. dist. 38. Soto lib. 7. de Iustitia q. 2. art. 1. & Nau. c. 12. num. 43. Lessius lib. 2. de iust. c. 40. dubit. 13. num. 105. Azor tom. 1. inst. moral. lib. 11. c. 19. q. 14. Sanchez in Decalog. lib. 4. de voto c. 40. num 65. & alii quos d. l. b. 4. de voto c. 7. num. 7. allegaui. Cætera quę de obligatione voti castitatis desiderari possunt, inferius adiiciemus.

*Dubitatio tertia. An quæ votum virginitatis violauit, teneatur postea nõ nubere.*

## Caput IV.

### *Vtrum votum simplex castitatis per se & natura sua irritet matrimonium postea contractum.*

1. Hæc quæstio tractatur à Theologis in 4. dist. 38. & ab aliis auctoribus in materia de matrimonio, magis tamen propria est huius loci, quia magis pendet ex cognitione voti simplicis, & necessaria est ad eius vim & efficaciam explicandam. Nobis etiam conducet ad explicandam vim & naturã voti solennis. & ideo prætermitti hoc loco non potuit. Videtur autẽ hæc quæstio fuisse controuersa tempore D. Augustini, nam ille lib. de bono viduitatis c. 10. significat aliquos asseruisse nuptias post votum castitatis factas non esse nuptias, sed potius adulteria, & ideo separandos esse qui ita contrahunt. Quæ sententia variis modis suaderi potest. Primo ex ipsa antiquitate; olim namq; vota virginitatis, & castitatis, quæ erant in vsu Ecclesiæ, simplicia tantũ erant, & tamen tunc ita impediebãt matrimonium, vt iritũ illud faceret.

*Prima sententia affirmat.*

*Probatur primo.*

ergo hic effectus sequitur ex intrinseca natura talium vtorum. Consequentia est clara, quia tunc non erat solennitas aliqua per Ecclesiam introducta, cui ille effectus tribueretur. Antecedens quoad vtramq; partem sumitur ex discursu Cypriani in epist. 62. in qua loquens de virginibus, quæ se Deo dicauerunt, plane indicat se loqui de priuata dicatione per votũ simplex, quia nullam facit mentionem Ecclesiasticæ solennitatis. Et de iisdem loquens in lib. de habitu virgin. ait sæpe esse diuites, & locupletes, & ideo velle ornari, & in publicum prodire, ostentando diuitias, quæ omnia non consonant cum voto solenni, & tamen in eisdem locis significat matrimonia ab illis virginibus contracta non esse valida. Nam ea vocat adulteria, & separari præcipit, ac perpetuo excõmunicari, si in eodem statu contumaciter perseuerent, quæ fieri non possent, si talia matrimonia valida essent. Idem sumitur ex Nicolao Papa relato à Gratiano in cap. *Quod interrogasti* 27. d. & ex multis alijs quæ habentur 27. q. 1. vbi in cap. *de viduis*, dicitur viduas, & puellas, quæ in domibus proprijs à parẽtibus vel per se habitum religionis mutauerunt, si postea nupserint *separandas esse*, constat autem illud votum esse priuatum, & simplex.

2. *Probatur secundo ex iure.* Secundo argumentor ex cap. *ex parte* 1. de conuers. coniug. vbi quidam coniugatus, qui viuente prima vxore monachalem habitum susceperat, & ab illa reuocatus fuerat, illaq; mortua secundam duxerat, ab illa separari cogitur propter priorem professionem. Ex quo sumimus argumẽtum, nam illa prior professio fuerat inualida. ergo ad summum potuit inducere obligationem voti simplicis, iuxta cap. *quidam*, eodẽ tit. & tamen matrimonium postea subsequutum reputatur inualidum: ergo. Et confirmari potest ex cap. vlt. qui cler. vel vou. vbi mulier vouẽs castitatem sub conditione manendi in domo propria, & cum omni sua substantia, inhabilis censetur ad matrimonium: cum tamen votum illud simplex videatur.

3. *Probatur tertio ratione.* Tertio argumentari possumus ratione, quia res alicui semel donata non potest alteri valide donari; sed per votum castitatis etiam simplex donatur Deo corpus, vt inseruiat cultui eius abstinendo ab omni vsu venereo, cui contraria est traditio, quæ per matrimonium postea fit. Est autẽ ad hoc cõmunis responsio, votum simplex nõ esse donationem, sed promissionem tantũ, promissionem autem non habere vim irritandi subsequentem donationem. Sed cõtra hoc instat Scot. in 4. d. 38. quia respectu Dei donatio fieri potest per actum internum, nam illũ potest Deus statum acceptare: hanc autem videtur habere votũ simplex castitatis perpetuæ, quia ad hoc fit vt corpus ex tunc consecretur Deo, & ideo non fit tanquam futura, sed tanquam præsens donatio; ergo ad impediendam contrariam traditionem habet vim non tãtum promissionis, sed etiã perfectæ donationis. Accedit quod licet demus esse solã promissionem, tamẽ propter excellentiam personæ cui fit, videtur inducere maiorem obligationem, quã inducat traditio facta inter homines: ergo si traditio alicuius rei homini facta impedit ne valeat secunda donatio alteri facta, obligatio promissionis facta DEO irritabit subsequentem donationem factam homini.

4. *Secunda communis, & vera sententia negat.* Nihilominus certa & communis doctrina est, votum simplex continentiæ seu virginitatis non facere irritum matrimoniũ subsequens, etiamsi illicite contractum fit. ita docent omnes Theologi in 4. d. 38. sine vlla diuersitate opinionum, & omnes Canonistæ super iura statim citanda, & Summistæ etiam omnes. Et videtur fuisse expressa sententia Augustini in dict. lib. de bono viduitatis c. 10. vbi de illis, qui tales nuptias vocabant adultetia, inquit, *Non mihi videntur satis acute & diligenter considerare quid dicant.* Et infra dicit ex illa falsa sententia sequi vt à matitis separentur vxores, quasi adulteræ sint, & non vxores. *Et cum volunt eas* (inquit) *reddere continentia, faciunt maritos earum adulteros veros, cum suis vxoribus viuũ alteras dixerint.* Sunt qui existiment Aug. ibi non disputare contra eos qui dicunt nuptias post votum castitatis nõ esse nuptias, sed contra Tertull. & alios hæreticos, qui damnabãt nuptias viduarum, & hos tantũ referre, cum ait, *Proinde qui dicunt talium*, id est, viduarum, *nuptias non esse nuptias*, &c. Quam interpretationẽ late prosequitur Fernandus à Mendoça lib. 2. in Conc. Eliberit. c. 20. Sed esto verum sit, Augustin. in illo libro præcipue improbare illum errorem à c. 4. & 5. hoc non eneruat testimonium illud, sed potius confirmat pro instituto præsenti, tum quia verisimile est neminem vnquã negasse matrimonia viduarum esse inualida ratione voti, sed solum ex alio falso errore damnante secundas nuptias. Tum quia ad impugnãdum magis hunc errorẽ addidit Augustinus, etiamsi viduitati adiungatur votum castitatis, & ob eam causam peccetur contrahendo nuptias, nihilominus illas non esse adulteria, sed veras nuptias. Et hoc est quod ait in cap. 9 *In viduali & virginali continentia voti debito obligata, non solum capessere, sed etiam velle nuptias damnabile est.* Infra vero subdit. *Damnantur tales, non quia coniugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt*, quasi diceret, vt infra exponit, *Damnantur nuptiæ non secundum se, nec quia vere non sunt, sed quia infideliter contractæ sunt.* Et hoc est quod c. 11. subiungit, *Quapropter non possunt quidem dicere à proposito meliori lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse non coniugia, sed plane non dubitauerunt dicere lapsus & ruinas à casti tate sanctiore, quæ vouentur Deo, adulteriis esse peiores.* Est ergo clara sententia Augustini, matrimonium peccaminose contrahi contra votum, & nihilominus validum esse. Nec dubitandum est librum illum esse Augustini, quidquid Erasmus sine fundamento dixerit, quem in hoc aliqua ex parte sequitur Hosius in Confessione Catholica cap. 56. tamen sine causa; nam & stylus ipse Augustinum redolet, & tota libri doctrina est digna Augustino. Et Possidonius in indiculo illã epistolam recognouit. Adde eandem doctrinam habere Augustinum in epist. 70. ad Bonifacium, quem locum infra circa vota solemnia latius expendemus.

Secundo probari potest eadem veritas ex Epiph. hæres. 61. vbi, vt superius dixi, ait, Apostolos docuisse esse graue peccatum post votum castitatis coniugium inire, subiungit vero postea grauius peccatũ esse, *occulte scortari, aut sub solitudinis, vel continentiæ specie libidinem exercere.* Ex quo sic concludit, *Melius est itaq;* (id est, minus malum est) *vnum peccatum habere, quam plura, melius lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere secundum legem, & a virginitate multo tempore pœnitentiam agere, & sic rursus ad Ecclesiam induci, quam quotidie occultis iaculis sauciari.* Euidenter ergo docet tale coniugiũ validum esse, tum quia supponit in illo tantum esse vnum peccatum, scilicet sacrilegium, quod non esset verum, si vinculum non teneret, nam omnes actus sequentes essent peccata. Tum etiam, quia supponit post peractam pœnitentiam huiusmodi recipiendos esse in suo statu matrimonij. Aliter hunc locum interpretatur Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 34. de quo infra.

In eodemq; sensu videtur loqui Hieronym. epist. 46. de vitando suspecto contubernio cum ad virginẽ Deo per votum sactatam, quæ cum iuuene quodam non sine suspicione viuebat, sic loquitur. *Si virgo es, quid times diligentẽ custodiam? si corrupta, cur nõpa ambis nubere?* Supponit ergo illã esse capacem nuptiarũ: nec tamen illi permittit nuptias vt bonas, sed vt minus malas, sicut Epiphanius. Vndẽ subdit: *Nego, vtro hoc dico quod post peccatum tollam pœnitentiam, vt quod male cœpit, male*

*male perseueret, sed quod desperem in huiusmodi copula diuulsionem.* Et fortasse ob eandem causam idem Hieron. lib. 1. contra Iouinian. dixit, *Quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ.* Dicuntur enim generali vocabulo incestus quælibet illicita matrimonii coniunctio, vt sumitur ex l. *si adulterium.* ff. ad legem Iul. de adulteriis. maximè si sit contra religionem : adulterium verò non est, nisi vbi nullum est matrimonium, inter eos qui conueniunt. Sentit ergo Hieron. illa coniugia non esse adulteria, quia non sunt omnino nulla, sunt tamen incesta, quia sacrilega. Denique in eodem sensu accipiendum aliqui putant, quod idem Hieron. dixit epist. 8. ad Demetriadem in fine, vbi sic ait, *Sanctarum virginum propositum, angelorumque familiæ gloriam quarundam non bene se agentium nomen infamat, quibus aperte dicendum est, vt aut nubant, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere.* Hæc tamen verba non videntur tantum promissionem continere, aut consilium minoris mali ex suppositione pravæ voluntatis, sed absolutam licentiam ac derogationem præbere, & ideo non videntur ita intelligenda, vt dicta sint ad virgines voto obligatas, sed ad alias socias, vel ancillas earum, quæ votum non habebant, & ideo nimis licenter viuebant cum infamia sociarum virginum. Quem sensum satis declarant sequentia verba, *Dignæ estis, imo plectitur incedentibus dominis ancilla vi go procedit ornat or, vt pro nimia consuetudine quam incomptam videris dominam suspicias.* Et ideo in epist. 22. monet idem Hieron. *Sint tibi ieiunia, quas ieiunia tenuant, quibus pallor in facie est, quas & ætas probauit, & vita.*

7. Superfluum alicui videri potest in re clara, & non controuersa, & in iure satis declarata Sanctorum Patrum testimonia congerere. Id tamen eo consilio facimus, vt per occasionem nonnulla Patrum obscuriora verba declaremus, & vt simul intelligatur, quam vim tempore istorum Patrum haberet consuetum votum virginitatis, quod ad ea quæ postea dicentur, erit necessarium : omissis vero aliis Patribus traditur hæc veritas in multis decretis Conciliorum, & Pontificum, quæ Gratianus refert 27. quæst. 1. & d. 27. Refert decretum Theodori in suo Pœnitentiali, quod videtur editum in Synodo Anglicana, vt sumitur ex Beda lib. 4. historiæ Anglicanæ cap. 5. Verba Gratiani sunt. *Si vir simplex votum virginitatis habens adiungitur vxori, postea non dimittat vxorem, sed tribus annis pœniteat.* Idem refert Gratianus cap. vlt. 27. q. 1. vbi omittit illam particulam *simplex*, & deesse dicit in antiquis exemplaribus, necessario tamen ita intelligendum est decretum Gelasii Papæ in epist. ad Episcopos Lucaniæ cap. 23. & habetur eadem causa & q. c. penult. vbi de viduis, quæ suæ voluntate castitatem vouerunt, & postea nubunt, dicitur, licet grauiter peccent, non esse cogendas, sed admonendas, vt Deo satisfaciant, &c. Supponit ergo Pontifex illas non manere in malo statu, & consequenter matrimonium illud fuisse validum, licet male contractum, alioqui Ecclesia non satisfaceret suo muneri eas in tali statu relinquendo. Verum est in cap. *viduas*, ibidem, referri aliud statutum esse in Concilio Martini Papæ, & habetur in Concilio Triburien. cap. 25. sed fortasse tam ibi est sermo de voto solemni, seu solemnizato per Ecclesiæ statutum, de quo postea videbimus. Imo idem Gelasius in eadem epist. cap. 22. idem indicat de sacris virginibus : nam si nupserint, non dicit eas esse separandas, sed condigna pœnitentia afficiendas. Clarius hoc statuit Innocent. I. epist. 2. c. vlt. vbi satis expressè declarat se loqui de his, qui simplicem tantum promissionem emiserant. Idem sumitur ex Concil. Toletano I. cap. 16. & habetur in cap. *deuotam* & cap. *hæ vero* 27. q. 1. Præterea nouiori iure hoc expressè declaratum est in cap. *memini*, & in c. *rursus*, qui Cler. vel vou. & in c. vnico de voto, in 6.

8. Ratio quam omnes Theologi reddunt est, quia votum simplex est pura promissio : per promissionem autem alicuius rei non amittitur dominium eius, & ideo si per voluntatem eiusdem domini alteri postea tradatur, valida est donatio, seu posterior contractus. Ita vero se habet matrimonium subsequens respectu prioris voti, est enim quasi donatio, vel alienatio eiusdem rei, quæ prius Deo promissa fuerat : est ergo valida, quamuis contra fidelitatem Deo debitam fiat. Quæ ratio non parum eneruaretur si vera esset sententia dicentium votum castitatis simplex non solam promissionem, sed etiam traditionem continere. Sed illam sententiam nos supra reiecimus : atque adeo ratio firma manet. quæ confirmati potest exemplis circa promissiones & donationes aliarum rerum. Nam si quis promisit dare centum in eleemosynam, & postea illa eadem det amico, donatio tenet, licet contra votum facta sit : matrimonium etiam factum cum vna, contra promissionem vel sponsalia de futuro etiam iurata cum alia, validum est. Sistendo ergo in ratione promissionis, & voti simplicis, sine dubio est optima illa ratio.

*Dominium non amittitur per rei promissionem.*

9. Quia vero instare aliquis potest ex Scoto in 4. d. 38. interrogando, cur non possit quis ita facere votum simplex castitatis quoad illam in futurum seruandam, vt simul in præsenti se tradat voluntariè Deo, vt ita eius obsequio emancipatus maneat, quod alteri postea validè se tradere non possit ad vsum matrimonii : ideo addendum est quod supra dixi, non posse hominem sua priuata voluntate sola ita alteri tradere corpus suum extra matrimonium, vt se reddat inhabilem ad matrimonium contrahendum. Ratio autem in superioribus etiam insinuata est, quia vel talis traditio fieret ipsi Deo immediatè, vel alicui homini vice Dei : nihil autem horum dici potest probabiliter. Et quidem quoad priorem partem de Deo probaui hoc latè, quia Deus in se nullum dominium potest ab homine accipere, quod non aliter melius declaratur nisi quia ex vi talis donationis nullum ius vtendi Deo acquiritur : dominium autem seu donatio ad vsum ordinatur : ergo homo tantum potest dici tradere Deo corpus suum, non vt Deus illo vtatur, sed potius vt ipse homo propter obsequium Dei non illo vtatur suo corpore in tali materia; hoc autem votum resoluitur in simplicem promissionem. Quod etiam videre licet in votis peregrinationis, aut eleemosynæ, per quæ homo etiam obligatur ad vtendum vel pecunia, vel suis actionibus in tale Dei obsequium; quod non potest intelligi per traditionem ordinatam immediatè ad ipsum Deum, sed promissionem. Nam sicut in his votis se habet homo ad positiuum vsum talium rerum, ita in voto castitatis se habet ad talem non vsum sui corporis.

*Extra matrimonii non fit traditio proprii corporis priuata authoritate, & donatione, ita vt quis fiat inhabilis ad matrimonium.*

10. Quoad aliam vero partem de homine probatur primo inductione, quia per captiuitatem vel seruitutem transfertur dominium serui in herum, & tamen ex vi illius translationis non sit seruus ita inhabilis ad matrimonium, quin factum teneat, etiamsi inuito domino fiat : quod ex vsu Ecclesiæ certum est : & idem censeo esse de iure omnium gentium, quo iure seruitus est introducta, & fortasse non poterat aliter iure humano introduci, vel quia fuisset in præiudicium naturæ, cuius propagatio impeditur, vel quia fuisset in spirituale nocumentum personæ, cum matrimonium etiam in remedium concupiscentiæ datum sit. Multo autem certius existimo, etsi possit aliquis sua voluntate se vendere

*Probatur in traditione facta homini. Primo in traditione per seruitutem.*

in seruum, non posse tamen ea conditione se vendere, vt potestate ducendi vxorem omnino se abdicet, atque ita inhabilem se ad matrimonium reddat: vt si absque consensu domini illud contrahere tentet, non valeat, nunquam enim talis modus contractus inter homines factus, aut intentatus legitur, quod est signum illum non cadere sub humanam potestatem. Quod etiam aliquo modo sumi potest ex cap. 1. de coniug. seruor. Deinde quantumuis aliquis promittat alteri suum obsequium, vel vsum sui corporis per coniugium postea contrahendum cum illa, ita vt ex tunc velit se inhabilem reddere ad quodlibet aliud matrimonium, quasi donando alteri ius, vel potestatem quam habet ad contrahendum, non potest ita id præstare, quin eo non obstante contractus postea subsequutus validus sit, sed solum vt licite non fiat. Quod eisdem ferè argumentis, & indiciis ostendi potest. Præterea etiamsi titulo religioso aliquis se donet hospitali, v. g. propter Deum in perpetuum obsequium, & sub conditione non contrahendi matrimonium, & cum voluntate se inhabilitandi ad illud, quantum potest, vt liberius possit seruire, nihilominus semper manet ita habilis ad matrimonium, vt si contrahat, factum teneat, vt constat etiam ex vsu Ecclesiæ, & à fortioti sumitur ex dict. cap. 1. de coniug. seruor. & ex cap. vnico, de voto in 6. cum aliis pluribus supra citatis in confirmationem veræ doctrinæ. Denique ante constitutionem quandam Gregor. XIII. *Ascendente Domino*. votum simplex castitatis fiebat in Societate cum traditione sufficiente ad constituendum verum religiosum, vt prius idem Pontifex declarauerat alia bulla, *Quanto fructuosius*, & tamen tunc non reddebat personam inhabilem ad matrimonium, nec poterat religiosus, etiamsi ipse vellet eo animo se tradere, & votum emittere, se inhabilem reddere: imo neque licet religio nondum habens ad hoc facultatem à Pontifice, vellet eo animo traditionem acceptare, fuisset effectus talis subsequutus; quod est certissimum & indubitatum apud omnes: ergo signum manifestum est solam priuatam voluntatem vouentis non sufficere ad hunc effectum quantumcunque ipse illum intendat se tradendo in quemcunque vsum.

*Probatur secundò in promissione contrahendi matrimonii.*

*Probatur tertiò in donatione sui facta in seruitium hospitalis, vel alicuius Ecclesiæ, aut monasterii.*

*Probatur quartò in voto castitatis simplici Societatis Iesu ante constitutionem Greg. XIII.*

II. *Probatur ratione à priori.*

Ratio autem à priori esse videtur, quia homo non est absolutus dominus sui corporis in quemcunque vsum, vnde non potest ita se vendere alteri, vt ei liceat illum occidere, mutilare, aut sine causa iniuriosè tractare; sic etiam in particulari non est ita dominus, vt possit hanc potestatem in alium transferre, aut ius in suum corpus quoad hunc vsum, vel contrarium non vsum dare, nisi per contractum matrimonium; & ideo quantumcunque se obliget extra hunc contractum in ordine ad hunc vsum, vel non vsum, non potest habere rationem alienationis, vel abdicationis talis potestatis, sed solius promissionis. Hinc enim fit vt non possit aliquis ita dare alteri potestatem in corpus suum, vt pro se contrahat matrimonium se etiam inuito: & ideo quando aliquis dat potestatem alteri, vt nomine suo matrimonium contrahat, si ante ipsum contractum reuocet facultatem, matrimonium non valet, vel potest dare talem facultatem irreuocabilem antequam habeat effectum, quod est signum non posse illam dare per modum alienationis, seu donationis, ideoque matrimonium subsequutum potè quamcunque huiusmodi obligationem validum esse, etiamsi contra fidelitatem vel promissionem factum sit. Ratio autem, ob quam homo ex natura rei habet potestatem limitatam ad hunc vsum, videtur posse desumi ex fine eius, ordinatur enim ad bonum & conseruationem ipsius naturæ, propter hoc enim accipit homo à natura habilitatem & libertatem ad matrimonium & ad vsum eius, & ideo licet pro sua libertate possit (ex natura rei loquimur) se priuare vsu matrimonii, vel ad illam etiam priuationem se obligare, non tamen potest propria auctoritate se inhabilem reddere ad vsum contracti matrimonii, sed hoc reseruatum est publicæ potestati, quam in Ecclesia à Christo collatam certo scimus. An vero ex natura rei esset in republ. quæstio est ad materiam de matrimonio spectans.

*Matrimonium per procuratorem quando sit validum.*

Quocirca comparandum non est dominium hoc quod homo habet corporis sui in ordine ad vsum coniugalem, cum dominio aliarũ rerum externarũ, vel etiam aliarum actionum sui corporis. Nam res alias potest omnino à se abdicare, & similiter potest alienare dominium ad alias actiones per varios contractus, & in alium transferre, de quibus aliqua dicemus sequenti libro: at vero dominium in corpus suum in ordine ad coniugalem vsum solum per contractum matrimonii potest alteri donari, quia est materia propria illius contractus, & non alterius; & eadem ratione per nullum contractum priuata voluntate factum potest alteri ita donari ad alium vsum vel obsequium siue ciuile, siue religiosum, vt ex vi dominii alterius acquisiti maneat persona priuata potestate contrahendi matrimonium, & se tradendi alteri in illum vsum. Sunt enim hæc iura diuersorum ordinum & rationum, & ideo non potest vnum per aliud impediri. Neque etiam potest quis directe tradere alteri potestatem in suum corpus quoad non vsum matrimonii, tum quia dominium non ordinatur directe ad non vsum, sed ad aliquem vsum, ex quo possit sequi illa negatio, quod in præsenti locum non habet extra contractum matrimonii, vt dixi: tum etiam, quia alias stando in solo iure naturæ posset quis se inhabilem reddere ad matrimonium per donationem sui alteri factam: & rursus posset ab ipso domino ad matrimonium habilitari, quia posset illi remittere donationem factam. Et similia multa possunt facile inferri, quæ sunt planè absurda, & extra omnem vsum, quæ omnia satis indicant, quantumcunque homo se obliget Deo, vel homini propter Deum ad non vsum matrimonii, vel ad obsequium aliquod postulans matrimonii carentiam, nunquam potest à se omnino abdicare potestatem illam naturalem, quam habet ad contrahendum validè matrimonium, nec se inhabilem ad illud reddere. Atque ita concluditur votum simplex castitatis, quantumcunque vouens sua voluntate conetur ac velit seipsum tradere ad prædictum non vsum, non reddere ex se & natura sua hominem inhabilem ad matrimonium. Nam quod illa voluntas coniungatur cum tali voto, non mutat naturam eius, vt supra ostendi, sed ad summum secum affert alium contractum inducentem etiam nouam obligationem, quæ per se etiam non potest personam ad matrimonium inhabilem reddere, vt ostensum est; ergo neque illa duo vincula simul coniuncta possunt illum effectum inducere, quia ex vtroque simul non fit vnum, vt sic dicam, intensiuè maius, quod posset habere effectus alterius rationis, sed est tantum quoddam aggregatum obligationum, ex quo etiam orietur aggregatum effectuum, ita vt singuli sint proportionati singulis vinculis, non tamen excedentes. Et eadem ratione non potest illa voluntas, vel traditio adiuncta voto simplici dare illi hanc vim, quia non mutat eius naturam, vt dixi, nec traducit obligationem eius ad alium ordinem, imo neque in seipsa fortiorem illam reddit, sed solum per aggregationem, & additionem quasi extensiuam. Et ideo recte dixerunt Scotus, Paludanus, Caiet. & alii, quoties votum castitatis reddit perso-

12. *Differentia dominium proprium & alterum rerum quod habetur matrimonio &c.*

*Probatur tamen votum simplex castitatis sic non irritare matrimonium.*

personam inhabilem ad matrimonium, id non esse ex sola rei natura, vel ex sola voluntate vouentis, sed adiuncto Ecclesiæ statuto.

In prima ratione dubitandi in principio posita multa petuntur. Primum est, an in antiquo vsu Ecclesiæ votum castitatis, quod tunc fiebat, esset simplex, aut solemne. Quidam enim putant fuisse tantum simplex extra ordinem sacrum vsque ad tempora Innocent. II. qui matrimonia personarum, quæ se Deo per religionis vota dicassent, irrita esse voluit. Sed hoc difficile creditu est. Sed quia infra de hoc puncto latius dicendum est, ideo nunc suppono vtrumque votum simplex & solemne castitatis fuisse in vsu multo ante Innocent. II. etiam tempore Cypriani, vel fortasse etiam antea. Quod pro nunc ex verbis eiusdem Innocentii II. ostendi potest: nam in Concil. Romano cap. 7. quod refertur in cap. *vt lex* 27. q. 1. vbi declarat religiosorum matrimonia esse irrita, non loquitur tantum de re noua, aut à se inuenta, seu instituta, sed de re antiqua; postquam enim dixit, vt qui talia matrimonia contrahunt separentur, subdit, *Huiusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus*: non ergo ipse irritat, sed ex Ecclesiastica regula declarat esse irritum. Est enim obiter aduertendum propter glossam vltimam ibi, non omne matrimonium contra legem Ecclesiasticam esse irritum, nam etiam matrimonium, quod est contra votum simplex castitatis, est contra legem Ecclesiasticam, & non est irritum, sed tunc solum est irritum, quando lex Ecclesiastica ita prohibet, vt etiam irritare sufficienter declaret: censet autem Pontifex ibi sufficienter hoc declarari, quoties lex non permittit contrahentes in eo statu permanere, sed præcipit separari perpetuo, argumento cap. *contradi imus* 35. q. 3. Quod si aliquando non obstante valore matrimonii separentur coniuges propter crimen in eo contrahendo commissum, vt in cap. *non oportet* 2. 33. q. 4. id intelligendum est de separatione ad tempus, non perpetua, argumento cap. 1. & 2. de matrim. contract. contra interdict. Eccles. Constat autem multa iura Innocentio II. antiquiora ita prohibere matrimonia monialium, vel monachorum, vt ea perpetuo dissoluenda per coniugum separationem statuant, vt citato loco latius videbimus. & interim sumi potest ex his quæ refert Gratian. 27. q. 1.

Declaraturque breuiter ex epist. 2. Innocentii I. cap. 12. & 13. vbi aliter loquitur de virginibus quæ simplici voto promiserant permanere in proposito virginali, & de illis quæ simul velari meruerunt: nam illas priores tantum dicit fecisse pollicitationem, quam fideliter seruare tenentur, & ideo pœnitentiam esse illis iniungendam, si nupserint, non tamen esse separandas: posteriores vero dicit nupsisse Christo, & ideo si alteri nupserint, non esse admittendas in Ecclesia, donec vir moriatur, quod cum Gratiano 27. q. 1 §. vlt. intelligo, nisi ab illo separentur; eas enim comparat cum illis adulteris, quæ viuente priore coniuge alteri nupserunt, de quibus idem dicit. Iuxta hæc igitur duo decreta Innocentii intelligenda erunt omnia similia testimonia antiquorum Patrum: quoties enim significant matrimonium aliquod contractum post votum castitatis validum esse, loquuntur de personis laicis, & secularibus, quæ huiusmodi votum simplex emittere solebant. Quando vero talia matrimonia tanquam valida non admittunt, de personis per votum solemne Deo consecratis loquuntur. Quam regulam tribuit Gratian. & iuxta illam varia testimonia conciliat supra, & 27. d. §. vlt. & si attente considerentur circunstantiæ, non erit difficile hoc discernere, cuius rei varia exempla in sequentibus proferemus.

15. Vnum ergo ex illis est quod ex Cypriano adducitur in prima illa ratione, eiusque sensus postulatur. Et quidem Pamelius in scholiis ad dict. epist. num. 1. de voto simplici existimat Cyprianum loqui. Inter alias autem coniecturas quibus mouetur vna est, quod nuptias adire illis fœminis liberum erat: liberum autem appellat, non quia liceret, sed quia permittitur ab ipso Cypriano propter vitandum maius malum. Sed, vt supra dixi, hoc non potest colligi ex tota epistola; nam verba illa, ex quibus id sumit, non habent illum sensum, quia, vt supra declaraui, illa non referuntur ad virgines iam voto obligatas, sed priusquam obligentur. At de aliis iam voto ligatis expresè dicit, post peractam pœnitentiam acepta communione ad Ecclesiam admittantur, hac tamen interminatione, vt si ad eosdem masculos postea reuersæ fuerint, aut si cum eisdem simul & in vna domo sub eodem tecto habitauerint, grauiori censura eiiciantur, & infra iterum repetit. *Si obstinatè perseuerant, nec se adinuicem separant, sciant se cum hac sua impudica obstinatione, nunquam à nobis admitti ad Ecclesiam posse.* Quomodo ergo illis matrimonium permitteret? alioqui non illos separare præciperet, si matrimonium inter eos validum esse posse iudicaret. Quamuis enim peccet qui contra simplex votum castitatis matrimonium contrahit, Ecclesia tamen eos non separat, cap. *Si vir*, 27. d. cum aliis supra citatis, id enim esse contra ius alterius coniugis, & moraliter loquendo, periculum animarum inde crearetur. Dicere vero potest aliquis Cyprianum non loqui de illis qui matrimonium contraxerant, sed qui turpiter miscebantur contra votum castitatis, & posse recte intelligi de voto simplici. Quæ expositio posset quidem admitti, si aliæ circunstantiæ cogerent. Re tamen vera est nimis violenta, tum quia si inter illas personas posset esset validum matrimonium, cum alias posset eo tempore priuatim contrahi, non deberet absolutè præcipere eas separari, sed examinare prius an essent cõiugatæ, necne; tum etiam, quia nimis generaliter loquitur, & sine vlla limitatione. In quo planè non solum supponit coniunctionem illam esse iniquam, sed etiam non posse esse honestam.

16. Vnde Gratianus cap. 4. & 5. 27. q. 1. iuncto §. vlt. totius quæst. apertè intelligit Cyprianum ibi loqui de virginibus habentibus votum solemne castitatis. Eidem sentiunt ibi Hugo, Turrecrem. & alii dicentes Cyprianum loqui de monialibus, & sanctimonialibus, quæ iam nubere non poterant. Et mihi videtur verisimilius, & coniecturæ in contrarium multum vrgent, si aduertamus virgines Deo dicatas, seu velatas eo tempore non semper habitasse in separatis monasteriis, sed in domibus parentum, vt colligi potest ex can. 27. Concilii Illiberitani, qui sic habet, *Episcopus, vel quilibet clericus alius, aut sororem, aut filiam virginem dicatam Deo tantum secum habeat.* Loqui autem ibi Concilium de virginibus habentibus votum solemne virginitatis, non obscurè colligitur ex can. 13. eiusdem Concilii. Vtrumque etiam probat sufficienter canon 33. Concilii Carthag III. statuens, *vt virgines sacræ, si parentibus, à quibus custodiebantur, priuatæ fuerint, Episcopi prouidentia in monasterio virginum, vel grauioribus fœminis commendentur, &c.* Constat autem Concilium illud fuisse multo post tempora Cypriani. Quod autem ibi fit sermo de velatis virginibus, nomen sacrarum virginum satis ostendit, non enim solent ita appellari, nisi quæ publico, & solemni ritu Deo sunt consecratæ. De his ergo loquitur Cyprianus, quas propterea dicatas & nuptas Deo vocat. Et ideo

ideo mirum non est quod supponat aliquas earum potuisse liberius discurrere & vagari, & in habitu minus decenti, & balneis vti, & societate hominum minus pudica; ex his enim coniecturis non statim colligitur illas solum fuisse dicatas voto simplici, sed non fuisse ita clausas & custoditas, sicut modo sunt Sanctimoniales. Quod autem Cyprianus ait quasdam illatum fuisse locupletes, vel ideo esse potuit, quia votum castitatis etiam solemne fortasse tunc fieri poterat sine voto paupertatis, sicut nunc fit à clericis in sacris: vel ideo dicuntur diuites, quia habebant parentes diuites cum quibus habitabant.

17. Ad alia iura, quæ in illa prima ratione citantur, iuxta regulam positam respondendum est. Nam illa quæ habentur 27. q. 1. ante cap. *nuptiarum*, de voto solemni à Gratiano & Doctoribus intelliguntur, & à glossa in cap. *rursus*, verb. *Apud Deum*, qui cler. vel vou. Cap. autem 1. ibi citatum in primis non habetur in Concil. Toletano, ex quo à Gratiano citatur. Deinde intelligi potest de voto simplici, quia ibi expressè non dicitur illa coniugia esse irrita, sed esse illicita & correctione digna. Est tamen hæc difficilis expositio, quia ibi dicitur tales fœminas perpetuò esse communione priuandas, si emendare neglexerint quod illicite perpetrarunt. Emendare enim non significat tantum agere pœnitentiam delicti commissi, sed recedere ab eo quod malè factum fuerat: significat ergo dissoluendum & separandum esse tale coniugium; supponitur ergo non fuisse validum. Et ideo glossa ibi verb. *propriis*, textum illum intelligit de voto solemni castitatis, quod fieri tunc poterat, & solebat in domibus parentum, seu propriis, vt supra tactum est; & ideo nihil obstat quominus votum illud potuerit esse solemne. Maxime cum ibidem dicatur factum quidem fuisse in domibus propriis, sed per susceptionem religiosi habitus. Solum potest huic interpretationi obstare, quia in eo non est tantum sermo de virginibus, sed etiam de viduis, viduæ autem eo tempore non admittebantur ad votum solemne faciendum, vt colligi potest ex Gelasio Papa in alio cap. *de viduis*, quod habetur in fine eiusdem quæst. quatenus ibi dicitur viduas non esse cogendas ad seruandam castitatem, licet illam promiserint, sed monendas.

18. Ad hoc tamen responderi potest negando minorem, quæ ex altero cap. *de viduis*, non satis probatur, quiaibi non absolutè dicit Pontifex viduas non esse velandas, sed nulla benedictione velandas esse, quod longe diuersum est. Sed hinc nascitur maior difficultas; nam tunc quomodo dicere posset Pontifex tales viduas non esse cogendas ad seruandam castitatem promissam, nam earum votum solemne fuisset: nam viduæ quæ velabantur æquale votum cum virginibus emittebant, quanuis non acciperent velum benedictum, nec de manu Episcopi, vt ex multis capitulis *eiusdem quæstionis* colligi potest. Ad hoc verò responderi potest, negando Gelasium in posteriori parte illius capitis loqui de viduis velatis: sic enim ait. *De viduis sub nulla benedictione velandis superius Latius diximus differendum. Quæ si propria voluntate professam pristini coniugii castitatem mutabil. mente calcauerint, periculi earum intererit, &c.* Dici ergo potest relatiuum illud *quæ*, non referre viduas velatas, sed viduas simpliciter; ita vt virtute ibi distinguat duo genera viduarum: quædam sunt quæ velantur, de quibus nihil ibi dicit, sed dixisse commemorat: aliæ quæ votum castitatis priuatim emittunt, sic enim intelligo illa verba, *si propria voluntate professam castitatem*, &c. quæ alia inferius subiecta declarant. Sic habita secum deliberatione promissam Deo pudicitiæ fidem debuerunt custodire. De his ergo tantum posterioribus dicit suæ conscientiæ committendas esse, & propositis pœna & præmio exhortandas; non vero ad castitatem seruandam cogendas, quia votum earum rerum est tantum simplex. Hæc autem expositio est difficilis, si semel admittamus Gelasium ibi non prohibere velari viduas, sed solum modum præscribere, scilicet, vt sine benedictione velentur, nam tunc iuxta sincerum & planum contextum de eisdem sic velatis tractat, cum tradit modum quo inducendæ sunt, & non cogendæ ad castitatem seruandam.

Et ideo aliter dici potest Gelasium quidem ibi loqui de voto simplici, & de viduis non velatis, nec velandis, quia ipse simpliciter prohibuerat viduas velari, & non solum benedici, vt clarius colligitur ex eius epist. cap. 15. ibi, *Viduas velare Pontificum nullus attentet*, vbi nulla benedictionis mentio fit, nec fit distinctio de velo sacrato, & non sacrato. Et ita videntur intellexisse illud decretum Patres Concilii Triburiens. sub Arnulpho cap. 25. Ipsi tamen addiderunt, *quod si vidua sponte velamen quamuis non consecratum sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas Deo sacrificium obtulerit, velit nolit sanctimoniæ habitum retinere debet.* Sed negari non potest quin multo ante tempora Gelasii fuerit permissum viduis æque ac virginibus sanctimoniales fieri, & velamen religionis accipere, hac tantum seruata differentia, quod virgines, vel earum velum benedicebatur, non vero viduarum, vt colligitur ex multis capitulis quæ referuntur dict. 27. q. 1. & signatim ex alio cap. *de viduis*, quod tractamus. Quod si quis dicat illud fuisse editum post Gelasium; illud in primis certum est, quia non constat illud cap. fuisse Concilii Toletani IV. Et deinde in Concilio Arausicano I. quod multo antiquius est Gelasio, cap. 27. sermo est de professione viduæ coram Episcopo, in qua vestem vidualem à presbytero accipiebat, quæ professio, *non violanda* dicitur; & additur; *Raptorem vero talium, vel ipsam talis professionis desertricem merito esse damnandam.* Et idem ferè habetur in Concilio Turonensi II. cap. 21. & alia multa videri possunt in Concilio Moguntino II. cap. 26. Concilio Toletano IV. cap. 55. & Concilio Toletano X. cap. 4. Et in Concilio Vormatiensi cap. 25. sacrum etiam velamen eis conceditur, quod postea iure nouiori introduci potuit, sicut nunc durat, nam in hac re pro diuersitate temporum & regionum magna fine dubio fuit varietas: nunquam tamen videtur fuisse absolutè prohibitum, quin viduæ possent religiosæ fieri, sicut virgines, neque apparet vlla ratio probabilis, ob quam Gelasius suo tempore absolute hoc prohibuisset. Solum ergo benedictionem vetauit, & ita communiter textus ille intelligitur. 19.

Nihilominus semper videtur necessario dicendum, Gelasium in illo cap. loqui de votis simplicibus. Neque enim verisimile est illud votum tale fuisse, vt matrimonium irritaret, & quod vidua contrahens matrimonium cum illo voto non cogeretur per Ecclesiam separari à marito: hoc enim seruat Ecclesia in voto simplici castitatis, iuxta cap. *veniens*, & cap. *insinuante*, qui cler. vel vou. quia tunc matrimonium validum est. In voto autem solemni nunquam dissimulat Ecclesia, vt ex tota illa q. 1. 27. causæ manifestum est. Et ratio etiam est euidens, quia illud esset permittere concubinatum perpetuum cum sacrilegio, cum scandalo, iniuria, & infamia prolis, & aliis infinitis incommodis. Cum ergo Gelasius ibi dicat pastores Ecclesiæ tuta conscientia posse dissimulare & tolerare tale matrimonium, non videtur 20.

dubium

dubium quin de illis loquatur, quæ tantum votum simplex emiserant.

11. Atque ita intelligunt glossa ibi, Archidiaconus, Turrecrem. & alii, Ioan. Andr. Antonius & alii in cap. *cursus*, qui cler. vel vou. Hostiensis in Summa tit. qui cler. vel vouentes §. 3. Ex hac vero interpretatione conantur aliqui ex illo textu colligere antiquum votum castitatis fœminarum sacrarum tantum fuisse simplex, quia eadem est ratio de quibusdam, & de omnibus, & de virginibus ac de viduis, quia æqualiter vouebant, solumque in externa benedictionis cæremonia differebant. Sed hoc, vt dixi, verum non est, vt constat ex testimonio Innocentii citato, qui fuit antiquior Gelasio. Credibile ergo est, quamuis tunc esset status monialium, in quo viduæ etiam veram professionem & votum solemne emittebant, fuisse etiam alias quæ priuatim in suis domibus castitatem vouebant, & sua etiam sponte & voluntate habitum aliquem peculiarem, aut velum illius voti significatiuum assumebant. De his ergo tantum loquitur Gelasius in illo capite, vt verba eius indicant, quæ in prima expositione adnotauimus, quæ quoad hanc partem nobis probatur, & simpliciter sustineri potest; ita vt prius agat de viduis solemniter velatis quæ erant religiosæ, de quibus nihil dixit, nisi vt non benedicantur, quia in reliquis pares erant cum aliis monialibus, postea vero tractat de vouentibus tantum simpliciter castitatem etiam publicè, & cum aliqua veli vel habitus mutatione, qualem nunc etiam fieri videmus in multis tam viduis, quam virginibus, quæ vulgo *Beatæ* appellantur.

12. Superest adhuc in illo argumento respondendum ad cap. *quod interrogasti* 27. d. in quo quantum ad præsens attinet nulla est difficultas, quia manifestè ibi est sermo de voto solemni, vt patet, tum quia de vidua, de qua ibi est sermo, dicitur, sacrum velamen capiti suo imposuisse, quamuis enim solum aliquod peculiare possent viduæ seculares castitatem vouendo sua voluntate assumere, velum autem sacrum non nisi in professione religionis. Tum etiam, quia ibidem subditur, *Et finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse*. Et ita intelligunt textum illum glossa & Doctores. Quod autem in eo textu videri potest difficile, quomodo matrimonium ab illa fœmina contractum censeatur irritum, & dissoluendum, cum ibi supponatur votum illud seu professionem religionis, non ex animo, sed fictè fuisse factum, quia tunc votum non fuit validum, & consequenter personam non potuit reddere inhabilem ad matrimonium. Ad hoc vero dicendum est Ecclesiam non iudicare de occultis, & ita etiam non credere illi internæ fictioni, quando defectus consensus exterius probari non potest, vt latius dicemus infra tractando de professione religiosorum, vbi etiam videbimus, an potuerit Ecclesia non obstante illa fictione irritare matrimonium postea subsequutum, & an de facto id fecerit.

13. Ad secundum argumentum respondetur, licet illa quæ in eo citantur difficilia fortasse sint, tamen in præsenti quæstione difficultatem non facere, quia illa solum censentur irritare matrimonium, quæ solemnia iudicata sunt, & annexa professioni religionis, vt ex ipsis iuribus, & communi interpretatione manifestum est. Est autem difficile in priori cap. *ex parte*, quomodo professio facta viuente priori coniuge valida fuerit, & sufficiens ad irritandum secundum matrimonium contractum post mortem eius. In posteriori autem cap. vlt. difficile est quomodo professio facta sub conditione reputante paupertati, valida etiam censeatur, & sufficiens ad irritandum matrimonium subsequutum. Sed hæ difficultates luculentius expeditæ sunt superius, explicando conditiones necessarias ad valorem professionis religiosæ. Nunc breuiter ad priorem difficultatem dicitur, illud votum fuisse validum, & solemne, quia factum fuit consentiente vxore, qui solus consensus ex parte vxoris est necessarius, & sufficit ad valorem professionis. Quia vero vxor ipsa castitatem non vouerat, ideo illa viuente redditus est ei matitus, vt ipsa suo iure vteretur, & ne castitatem quam non promiserat seruare cogeretur: illa vero mortua non potuit simile ius alteri de nouo acquiri. Ad alteram vero difficultatem, quæ grauior est, respondetur, vel conditionem illam tractu temporis tacite fuisse sublatam; nam cum fœmina illa post votum factum habitum religionis susceperit (scilicet professorum) & in eo biennio permanserit, tacite iam consensit, in omnia substantialia religionis. Vel certe conditio illa à principio non fuit de dominio & proprietate substantiæ retinenda, sed de vsu & administratione de consensu religionis, in quo sensu & si conditio esset indecens, non tamen contra substantiam religionis.

Ad tertiam obiectionem responsum iam est, votum simplex castitatis nec per se includere traditionem, neque etiamsi ex accidenti illam habeat adiunctam, sufficere per se ad irritandum subsequens matrimonium, secluso statuto Ecclesiæ. Ad replicam autem ibi factam respondetur, licet circunstantia personæ, cui per tale votum fit promissio, multum augeat, & ad ordinem altiorem eleuet obligationem promissionis; nihilominus non habet eam formalem repugnantiam cum traditione matrimonii, quam habet vnum matrimonium cum alio, vel prior donatio eiusdem rei vni facta cum donatione facta alteri. Et ideo circunstantia illa potest quidem augere culpam, non tamen valorem matrimonii impedire. 24.

## Caput V.

### *Ad quid obliget simplex votum castitatis post matrimonium contractum.*

QVamuis tale matrimonium iniquè factum valeat, non tamen per illud votum simplex castitatis extinguitur, aut eius obligatio omnino tollitur, si reuera votum ipsum absolute fuit de castitate seruanda. Quia licet votum semel & iterum violetur, semper in futurum obligat, quando ex se perpetuum est, & quamuis non possit quoad omnia seruari, propter mutationem rerum factam, nihilominus ad ea saltem obligat, quæ manent sub potestate vouentis, quæ omnia ex superius dictis de voto in genere satis nota sunt. Quæ vero sint ea, ad quæ tale votum obligat, in particulari explicandum est. 1.

Primum autem ac præcipuum punctum in hoc dubio est, an is qui sic contraxit possit licitè consummare matrimonium, saltem reddendo debitum prima vice. Et ratio dubitandi est, quia si alter coniux petat, exigit ius suum: ergo alter potest licite reddere sine noua violatione voti, quia propter mutationem factam in materia, iam non est in illius potestate morali seruare votum quoad illum actum: ergo non peccat reddendo. In contrarium autem est, quia si ille velit ingredi religionem, potest iustè debitum negare, quia reuera non est simpliciter debitum, sed solum sub ea conditione, *nisi malit religionem ingredi*: ergo tenetur seruare castitatem eo modo quo potest: ergo si matrimonium consummet, iterum violat votum. 2. *Prima difficultas, an cum voto castitatis contrahens matrimonium, possit illud consummare saltem reddendo debitum prima vice.*

Pro-

3. *Communis sententia negat licitè posse consummare.*

Propter rationem posteriori loco factam est communis sententia, votum illud obligare ad non consummandum matrimonium, ita vt si alter coniux velit perpetuam cum ipso castitatem seruare, possit licite in seculo manere, & matrimonium non consummare; si autem alter nolit, sed ius suum exigere, teneatur potius religionem ingredi, & profiteri. ita supponit D. Thom. 2. 2. q. 189. artic. 8. arg. 3. & clarè affirmat in 4. d. 38. q. 1. art. 3. q. 2. ad 3. vbi idem tenet Palud. q. 3. art. 5. concl. 5. Richard. art. 7. q. 1. & 2. Supplem. Gabr. q. 1. art. 3. & d. 27. q. 2. Antonin. 3. p. titul. 1. cap. 22. §. 2. & cap. 16. §. 1. Veracruz in speculo coniugiorum part. 1. artic. 15. Sylvest. *Matrimonium* 7. quæst. 5. Nauarr. in Summa cap. 16. num. 30. Vbi dicit omnes (nulla addita exceptione) tenere hanc sententiam. Fundamentum iam explicatum est: potestque variis modis confirmari.

*Probatur primò.* Primo, quia si talis persona habens votum castitatis absque interuentu matrimonii propter alia seculi, vel suæ naturæ impedimenta, non posse moraliter seruare castitatem, teneretur ingredi religionem ad eam seruandam: ergo quando impotentia ad castitatem seruandam prouenit ex matrimonio illicitè contracto, multo magis tenebitur, vt integram castitatem seruet.

*Secundò.* Secundo si quis non posset vitare fornicationem nisi ingrediendo religionem, teneretur ingredi: ergo qui non potest vitare copulam contrariam voto, nisi ingrediendo religionem, teneretur ingredi, si intrando possit illam vitare. Patet consequentia, quia non minus mala est violatio voti, quam fornicatio. Tertio, quia ille qui reddit debitum prima vice, nullam habet excusationem, nam si quam habet, maxime quia negando iniustè ageret: sed hoc est falsum: ergo. Quarto, quia si post contractum matrimonium ratum quis emisisset votum castitatis, peccaret postea consummando matrimonium, quia talis persona hanc potissimè castitatem vouere censetur: sed tam efficax est votum, quod præcessit, quam factum post votum: ergo.

4. *Secunda sententia affirmat.*

Nihilominus multi auctores moderni contrariam sententiam, vt veram, vel saltem vt probabilem & tutam, docuerunt. Soto in 4. d. 38. q. 2. art. 1. ante concluſ. 3. Ludouic. Lopez in Institutione part. 1. cap. 50. Cordubain Summa quæst. 136. qui referunt Victoriam pro hac sententia, qui eam insinuat in Summa 4. num. 273. quatenus sine restrictione dicit votum simplex non impedire, quin si matrimonium contrahatur, teneat, & liceat reddere debitum, & consequenter nec teneri ingredi religionem, ad seruandum votum. Et eodem modo citari potest pro hac sententia Ledesma in 2. p. 4. quæst. 55. art. 1. & 66. q. art. 4. & Veracruz supra censet hanc opinionem esse practicè probabilem. Quam etiam aperte supponit Angelus *Matrimonium* 3. impedimẽto 5. num. 2. qui etiam addit, quod licet contraxerit cum proposito ingrediendi religionem, mutato proposito non peccat consummando, quæ nimia licentia est, sed de hoc puncto iam dixi supra. Hanc etiam opinionem tenet Henriquez lib. 2. de Matrimonio cap. 2. num 8. Sancius lib 9. de matrim. disp. 34 num. 3. Et in Decalog. lib. 4. de voto cap. 21. num. 12. Fundamentum huius opinionis est, quia ille non vouit religionem, sed tantum castitatem cum tanto onere, quale est mutare statum, & religiosum fieri. Quod probatur, quia votum non obligat vltra intentionem vouentis: ille autem qui castitatem vouit, non intendit se cum tanto rigore & onere ad castitatem obligare, maxime tanta rerum mutatione interueniente. Nec refert quod illa mutatio ex propria culpa acciderit, si iam de facto impossibilitas, vel difficultas nec cogitata, neque intenta existit. Quod confirmatur & declaratur exemplo: nam si quis eo tempore, quo habet abundantiam diuitiarum, aliquas eleemosynas vouisset, postea vero sua culpa ad tantam paupertatem deuenisset vt non posset votum implere, nisi cadendo ab statu, & alium vilem vel onerosum sumendo, non esset ad hoc obligandus ex vi talis voti, ex sententia omnium: ergo eadem ratione in præsenti non est aliquis cogendus ad seruandum votum cum tam graui mutatione status, quam non promiserat. *Fundamentum primum.* *Confirmatur.*

Secundo præcipuè probatur hæc opinio ex Ioanne XXII. in Extrauag. *Antiquæ*, de voto, vbi agens de illo qui post matrimonium ratum non consummatum ordinem sacrum suscepit, inquit, *An ingressum huiusmodi (id est, religionis) per diœcesanum instanter moneri præcipimus, & induci, quod si forsan renuerit adimplere, ipsum, si sponsa eius institerit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus, contractum matrimonium consummare.* Ergo ex sententia Pontificis is qui habet votum castitatis in statu matrimonii rati, potest licite nolle ingredi religionem, & matrimonium consummare reddendo debitum petenti: nam si hoc non liceret, non posset Ecclesia per censuras Ecclesiasticas ad id compellere, sed deberet potius per censuras cogere huiusmodi personam ad ingressum religionis. Vnde rectè glossa ibi verbo *renuerit*, notauit, supponere expressè posse renuere, scilicet, licitè. Nec refert, imo potius iuuat quod tale votum fuerit emissum post matrimonium contractum: nam si hoc non obligat ad ingressum religionis propter seruandam castitatem, multo minus obligabit quando præcessit, quia existente iam matrimonio poterat etiam videri difficultas, & necessitas illius medii ad implendum votum, & ideo videri poterat volita & intenta castitas etiam per illud medium, quod secus est in nostro casu. Dicere autem quis potest, votum castitatis annexum ordini non aliter intendi à vouente, nisi prout Ecclesia illud intendit, & quia in eo casu Ecclesia non vult amplius obligare, ideo neque ex peculiari intentione vouentis plus obligare votum: quando autem votum absolutè fit ex propria voluntate multo plus obligare. Sed hoc nullius momenti est, tum quia votum clericorum ex intentione Ecclesiæ reuera est absolutè & simpliciter votum castitatis, tum etiam, quia ibi Pontifex non limitauit tale votum, sed explicauit naturam eius; vnde ideo dixit huiusmodi clericum esse monendum, & non cogendum ingredi religionem, quia ex vi solius voti castitatis ad hoc non obligabatur, & alio titulo aut iustè aut conuenienter cogi non poterat. *Secundum fundamentum.*

Tertio videtur hæc sententia manifestè probari ex Innocent. III. in cap. *ex parte*, de conuers. coniug. vbi mulier quædam post matrimonium ratum, votum castitatis emisit, consultus autem Pontifex quid agendum cum illis esset, respondit: *Si voluerit in domo propria manere, quasi propositum castitatis seruatura, nihilominus consummandum est matrimonium tam contractum, nisi se voto (inquit) astrinxerit ad obseruantiam regularem, in quo casu compelli potest vt relicto seculo religionis propositum exequatur.* Vbi non solum de voto castitatis, sed etiam, quod grauius est, de subsequente loquitur, dicitque non obligare ad ingressum religionis propter vitandam consummationem matrimonii, nisi habuerit coniunctum votum religionis. Quod enim hæc sit mens Pontificis manifestum est, tum quia absolute dicit, si velit in domo propria manere, quod profecto non diceret, & absolutè admitteret; si absque peccato id velle non posset: tum etiam, quia si mulier habuisset votum religionis, fuisset compellenda ad ingressum, vt ibi- *Tertium fundamentum.*

dem

dem dicitur, non alia ratione, nisi quia ad hoc tenebatur ex voto, & quia non poterat matrimonium sine peccato consummare: ergo signum est ex solo voto castitatis ad hoc non fuisse obligatam, nam si fuisset, etiam esset compellenda.

7. Hæc ergo posterior opinio tanquam rationi & iuri etiam positiuo valde consentanea, non solum secura mihi videtur, sed etiam in rigore probabilior. Addo vero iuxta ius proxime citatum monendum esse huiusmodi hominem vel à confessore, vel à prælato, si postea de impedimento illi constet, vt religionem ingrediatur. Non est autem instanter monendus, nedum obligandus, vt renuntiet aliquo modo anno probationis, neque vt cum maxima difficultate & repugnantia profiteatur, etiamsi post probationem religio sibi displiceat, quia hoc non solum sub obligationem non cadit, verum etiam potest esse valde periculosum, & nociuum animæ. Denique si quis voluerit ad maiorem securitatem dispensationem procurare, existimo posse ab Episcopo concedi, non simpliciter quoad votum castitatis, sed quoad licentiam consummandi. Neque erit alia causa necessaria præter difficultatem & impotentiam seruandi castitatem, nisi per tale medium.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ negatur ex voto castitatis obligari quempiam ad seruandam castitatem per omne medium possibile, etiam includens talem mutationem status, sed per media proportionata quæ moraliter cecidisse intelliguntur sub intentionem vouentis. Ad primam autem confirmationem negatur exempli similitudo, quia nunquam potest esse homini soluto ita difficile seruare votum castitatis sine ingressu religionis, quin simpliciter, imo etiam moraliter sit sibi possibile, quia & libertatem habet, & orare potest, & procurare auxilium gratiæ. Quoties ergo videtur tali homini necessarius status religionis, vel est tantum necessitas secundum quid, id est, ad melius esse, vel est necessitas tantum ex suppositione, scilicet, quia ipse est negligens, & in præsenti statu non facit quod in se est, quæ suppositio etiam in præsenti libera est, & tolli posset, & ita etiam posset seruari castitas sine ingressu religionis. At vero in nostro casu matrimonium iam semel factum tolli non potest, nisi per religionem, & illo durante non est in potestate hominis licite negare debitum; & ideo casus ille censetur impotentiæ simpliciter, & in priori voto non eo comprehensus.

Ad secundam confirmationem eadem est responsio, supponit enim antecedens impossibile, nulla est enim necessitas quæ extra religionem ad fornicandum cogat, nisi voluntaria, quæ potius erit moralis occasio, quam necessitas. Deinde non est bona illatio: nam supponit primam copulam reddendo debitum esse contrariam voto, quod nos negamus: quod si intelligatur de contrarietate quasi materiali, tunc non est par ratio, quia hoc modo non exequi votum non est ita intrinsecè malum, sicut fornicari, nam ex impedimento denuo orto, cessare potest obligatio voti, vt supra est ostensum. Ad tertiam confirmationem negatur antecedens, nam reuera habet illa persona iustam excusationem in reddendo: quia non posset iniustitiam excusare negando, nisi assumpto medio difficillimo religionis ad quod non se obligauit.

Ad quartam respondetur primo, consequentiam non esse necessariam, quia, vt iam tetigi, quando votum subsequitur post matrimonium ratum, videtur planè intendere vouens seruare castitatem non obstante tali matrimonio, quod cum non possit facere nisi dissoluendo illud, consequenter hoc etiam intendere videtur. Quæ ratio non habet locum quando votum antecessit. Et explicari potest exemplo proxime posito: nam si quis vouit dare eleemosynam iam constitutus in tali statu necessitatis, vel minoris abundantiæ; obligabitur ad dandam illam, etiamsi necesse sit suum statum diminuere, quia cum illa necessitas non superuenerit, sed fuerit præcisa, conuincitur se voluisse obligare illa necessitate non obstante: quod secus est quando necessitas superuenit voto, & non fuit præuisa. Ita ergo dici posset in præsenti. Secundo vero respondeo, quod licet multi admittant illud antecedens tanquam certum, vt videre licet in Paludan. d. 32. quæst. 2. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 22. §. 2. Sylvest. verb. *Votum* 5. quæst. 2. & aliis Summistis. Nihilominus ex dicta Extrauag. Ioannis XXII. videtur oppositum aperte colligi: nam si votum solemne castitatis annexum ordini sacro ad hoc non obligat, vt ibi dicitur, cur obligabit votum simplex? Inquirenda ergo est diligenter intentio vouentis; nam ex illa colligenda est obligatio: nam votum ipsum ex vi materiæ & obiecti reuera ad hoc non obligat, vt probant argumenta facta.

*Votum castitatis post matrimonium factum non obligat ad ingrediendam religionem.*

11. Fieri autem potest, vt vouens intendat directè ac formaliter se obligare ad seruandam castitatem etiam respectu suæ sponsæ, non reddendo seu consentiendo desiderio eius. Et hoc ipsum potest intendere duobus modis, primo ex ignorantia, quia putat se posse licitè id facere permanendo in seculo: & tunc clarum est non obligari ad ingrediendum religionem, neque ad debitum non reddendum, nisi fortè ex conscientia erronea, quæ est per accidens, alioqui enim ignorantia illa causabit inuoluntarium, & ideo illa ablata potest licitè reddere debitum. Alio vero modo potest quis habere illam intentionem ex certa scientia: & tunc necesse est, vt vel in particulari velit medium religionis tanquam necessarium ad intentionem implendam, vt supra argumentabamur; vel certè vt saltem in generali velit omnino abstinere à copula matrimoniali eo modo quo licitè potuerit, & in vtroque casu censeo manere obligatum ad ingressum religionis. Et de priori quidem est res clara: de posteriori autem patet, quia in illa intentione generali includuntur omnia media necessaria, quæ licet difficilia sint, tamen quia hæc difficultas est sufficienter præuisa, cum status matrimonii iam supponatur, ideo medium etiam religionis in illa intentione generali comprehensum censetur.

*Ex intentione vouendi non potest obligare ad ingressum religionis, & non reddendum copulam.*

12. Sed quid si quis faceret tale votum animo quidem se obligandi ad castitatem integram, sine intentione tamen implendi votum, obligabitur ne tunc ingredi religionem ex vi talis voti? Videtur etiam consequenter ita esse affirmandum: nam iuxta generalem doctrinam supra datam, vt votum obliget, sufficit, vt sit intentio obligandi, etiamsi habeat animum non implendi. Nihilominus in præsenti censeo ex tali voto non oriri huiusmodi obligationem. Ratio est, quia tale votum non obligat ad religionem ex vi materiæ, & immediate eius promissione (supponimus enim non habere expressam, & formalem intentionem se obligandi ad religionem;) obligare ergo debet ex virtuali intentione propter connexionem talis medii cum materia voti. Hæc autem virtualis intentio excluditur per formalem intentionem non seruandi votum illud: nam ille reuera non vult se obligare ad seruandam castitatem per tale medium, sed temerè illam vouet, quia illam seruare non putat: non est ergo tunc obligandus, nisi ad castitatem illam, quam in tali statu seruare potest, nempe coniugalem. Idemque censeo generatim dicendum, quoties hoc votum

*Dubitatio specialis in hoc punctu, Quid, si habeat animum non implendi votum Resolutio.*

tum fit sine expressa intentione se obligandi ad non reddendum debitum, sed solum confusè de seruanda castitate, interpretandum est enim de castitate coniugali durante illo matrimonio, vel melius de castitate quantum in ipso fuerit durante illo statu, ac deinceps perpetuo; sicut si factum esset votum post matrimonium consummatum. Quia si vouens non cogitauit de dissolutione matrimonii, vel separatione ab altero coniuge, interpretanda est eius intentio eo modo quo honestè & prudenter haberi potest, absque mutatione status, seu extra religionem ad quam nemo est obligandus, nisi de formali vel virtuali eius consensu satis constiterit: & hoc totum probat dicta Extrau. Ioann. XXII.

13. *Secunda difficultas, an habenti votum castitatis liceat petere debitum.*

Vlterius vero inquiri potest, an liceat in eo casu non solum reddere, sed etiam petere debitum. Pars enim affirmans suaderi potest, saltem iuxta opinionem eorum, qui putant post semel consummatum matrimonium licere habenti tale votum non solum reddere, sed etiam petere debitum: nam si hoc licet secunda vice, cur non etiam prima? quia prima non contulit nouum ius ad secundam, nec minuit obligationem voti. Tenet autem illam opinionem glossa in cap. *Si quis votum* 27. quæst. 1. & Hostiensis in cap. *rursus*, qui cler. vel vouent. quos refert & sequitur Angelus *Matrimonium* 3. impedimento 5. num. 3. Et videntur in hoc fundari, quia per matrimonium consummatum extinguitur votum castitatis. Nihilominus certissimum esse debet in eo casu non licere agere contra votum petendo vsum matrimonii. ita docent omnes Doctores tam citati in superiori puncto, quam proxime hic citandi & Canonistæ omnes in dict. cap. *rursus*, & in cap. *quidem*, & in cap. *placet*, cum glossa ibi, de conuers. coniug. glossa etiam in cap. Agathosa 17. q. 1. & sumitur etiam ex dict. Extrauag. Ioann. XXII. ibi, *Si sponsa eum institerit*. Vbi glossa infert, *Non ergo aliter matrimonium cogitur consummare*: nos autem inferre possumus, non ergo aliter licet ei consummare, quia tantum ei licet, quod iustè excusare non potest in eo statu: potest autem iustè excusare petitionem, licet non possit iustè resistere petenti, & ideo in tali materia hæc duo conueruntur, quod potest fieri licite, & quod potest etiam per coactionem exigi. Ratio autem constat ex principiis positis in initio capitis. Nam votum castitatis, non obstante matrimonio male postea contracto obligat ad totum illud seruandum, quod sine iniuria alterius coniugis seruari potest: ergo quantum est in se tenebitur abstinere à consummatione matrimonii.

14. *Sustinet argumentum partis contrariæ.*

Ad argumentum autem de subsequentibus actibus post consummatum matrimonium fortasse responderent auctores illius sententiæ per matrimonium ratum, & non consummatum, non extingui votum castitatis; post consummationem autem manere extinctum, & ideo non esse similem rationem. Verius tamen respondetur sententiam illam falsam esse, & contra communem Doctorum, quos citauimus: & ferè in iisdem terminis declarata est in cap. *quidem*, & cap. *placuit*, qui cler. vel vouent. & sequitur ex ratione proxime facta. Et addi possunt hoc loco quæ supra diximus de voto castitatis emisso à coniuge post matrimonium contractum, nam supposito valore talis voti, eadem ratio est de illo, & de eo quod antecessit matrimonium. Falsumque est & improbabile dicere extingui votum castitatis per matrimonium consummatum, potiusquam per ratum: nam tale votum certũ est obligare durante matrimonio ad castitatem saltem coniugalem. Certum etiam est mortuo coniuge obligare ad non nubendum iterum; vt est communis sententia, & dicto loco ostensum est. Neque est vlla ratio ob quam copula subsequens extinguat votum, potius quam vinculum: solum ergo efficit vt matrimonium longe indissolubilius sit, quam ante consummationem esset ratione solius vinculi. Reliqua igitur, quæ ad obligationem huius voti spectant, eiusdem rationis sunt cum his quæ pertinent ad simile votum emissum post matrimonium vel ratum, vel etiam consummatum; illa vero tradenda sunt inferius, cum de irritatione horum votorum agendum, vbi latè explicabimus quomodo censeatur quis reddere & non petere debitum, etiamsi alter non expresse petat, sed insinuet, vel quocunque modo necessitatem aut periculum suum ostendat.

*Votum castitatis non extinguitur per matrimonium consummatum.*

## *Dubium primum circa votum castitatis imperfectum, seu quoad vnam partem emissum ad quid obliget.*

Solum superest in hoc capite aduertendum prædicta procedere in voto quod simpliciter est votum castitatis. Quod in principio eius significaui cum dixi, *Si votum ipsum absolutè & simpliciter fuit de castitate seruanda*. Si autem votum castitatis tantum sit dimidiatum, seu secundum quid, considerandus est modus eius, vt iuxta proportionem debitam intelligatur eius obligatio. Itaque si votum fuit temporale, tunc cessat eius obligatio, quando tempus finitur, vnde si ante illud tempus elapsum matrimonium contrahatur, peccatur mortaliter contra votum regulariter loquendo, minus tamen grauiter, quam si votum esset perpetuum, quia minus est castitatis religioni obligata, & ita minor etiam est obligatio religionis. Dico autem, *regulariter*, quia si matrimonium fieret cum animo non consummandi matrimonium ante elapsum tempus obligationis voti, facilius posset hic vitari periculum, & consequenter etiam peccatum. Non est tamen id facile permittendum, nisi fortasse inter absentes, & quando tempus est adeo breue, vt nullum sit morale periculum cohabitationis ante conueniens tempus. Quin potius etiamsi matrimonium illicitè contractum sit, tenetur qui habet votum procurare, quantum potuerit, vt copula differatur, vsque ad legitimum tempus. Et, vt ego opinor, quanuis non habeat animum ingrediendi religionem, potest se continere toto tempore à iure concesso ad deliberandum de tali ingressu, quia in hoc vtitur iure suo, & quod hodie non appetit, poterit eras fortasse appetere. Vnde si tempus voti adhuc durat, potest & debet negare debitum, quia in hoc non facit alteri iniuriam, & aliunde tenetur quantum in se est pro tunc castitatem seruare. Et hæc addi possunt superius dictis in præcedenti puncto ad limitandam vel explicandam resolutionem ibi positam, nam si votum temporale habet hanc vim, multo magis habebit perpetuum. Tunc ergo solum licet non obstante voto castitatis consummare matrimonium reddendo debitum, quando aliquis iam non habet ius, vel legitimam vllam rationem negandi, vel differendi copulam. Vnde etiam à fortiori in temporali voto, si tempus eius diuturnius est, quam duorum, v.g. vel trium mensium, licebit, & necessarium erit redde redebitum transacto tempore pro quo illa facultas durat, petere autem non licebit donec tempus finiatur.

*Quam ob rationem finiens votum castitatis temporis.*

16. *Ad quid obligetur qui votum castitatis partiale emittit.*

At vero si votum castitatis sit tantum partiale, considerandus est pars quæ vouetur. Nam in primis esse potest votum castitatis coniugalis, quod ad præsens nihil refert, quia neque illud impedit quin matrimonium licitè contrahatur, nec propter matrimonium contractum mutat obligationem suam: eadem

eadem enim semper durat, cum nihil sit quod ei repugnet. Aliud partiale votum esse potest votum virginitatis, non in eo sensu in quo solet absolutam castitatem includere, sic enim idem, vel eiusdem rationis est cum voto castitatis iuxta personæ capacitatem, sed in eo sensu quo aliquis solum vult se obligare ad non violandam virginitatem abstinendo solum à primo actu, & non amplius. Quod quidem votum rarissime fit, & nisi expresse ita explicetur à vouente, nunquam ita est intelligendum, vt supra tradidimus: tamen quia ex voluntate vouentis satis explicata non repugnat hoc fieri, dicendum in præsenti est hoc etiam votum ex se impedire ne matrimonium licitè fiat. Patet, quia matrimonium quantum est ex se obligat ad agendum contra tale votum. Secundò dicendum est etiam post matrimonium contractum peccare coniugem habentem tale votum petendo, vel procurando consummationem matrimonii. Probatur, quia ille actus consummandi est tali voto contrarius, & ex matrimonio non est orta obligatio petendi, vel procurandi talem actum; ergo durat obligatio voti quoad non petendum. Tertio assero post contractum matrimonium illicitum contra tale votum licitum esse consummare reddendo debitum. Probatur, quia ex matrimonio orta est obligatio iustitiæ ad reddendum, quam non obligatur quis effugere ingrediendo religionem, vt à fortiori patet ex supra dictis. Vnde aliqui moderni Summistæ, qui contra hanc assertionem sentiunt, videntur procedere in ea sententia quod votum castitatis obligat ad ingrediendum religionem in eo casu. Sed oppositum nos defendimus. Et certe in præsenti minorem habet probabilitatem dicta opinio: quia hoc votum minus graue est, & ideo multo minus potest obligare ad medium adeo difficile, & extraordinarium. Quarto dico post consummatum matrimonium illud votum finitum seu extinctum manere, & ideo iam liberum esse & petere & reddere debitum. Patet ex materia talis voti prout explicata est. Solum enim fuit abstinentia à primo actu, seu conseruatio integritatis virginalis claustri, de quo supra dictum est.

Veruntamen ex hoc principio non statim sequitur votum illud non obligare ad non petendum debitum post tale contractum matrimonium, quia licet votum illud non sit castitatis, quia non se extendit ad omnem materiam castitatis alias prohibitam iure naturæ, qui enim fornicatur, non agit contra illud votum, includit tamen totam materiam castitatis alias licitam; nam rota hæc materia includitur in vsu matrimonii; qui autem promittit abstinere à matrimonio, promittit abstinere ab omni vsu eius: ergo quamuis violet hoc votum contrahendo matrimonium, adhuc manet obligatus quantum est ex se ad non vtendum illo in materia castitatis: ergo manet obligatus ad non petendum: hoc enim est quod ex parte sua facere potest. Atque in hoc sensu à fortiori sequitur hæc sententia ex opinione Caietani supra insinuata. Et in specie id asseruit Palud. in 4. distinct. 38. quæstion. 2. articul. 9. Soto vero & alii, qui negant illud votum esse castitatis absolutæ, de hoc puncto in particulari nihil dicunt, vt videre licet in Soto in 4. d. 38. quæst. 2. artic. 1. circa 1. concl. Nauarro cap. 12. num. 48 Mihi autem hoc videtur pendere ex intentione vouentis: nam si ille habuit animum se obligandi ad totam materiam castitatis matrimonialis non tantum remotè, & quasi in radice, sed etiam formaliter, & in se, illius non vsum promittendo: tunc clarum est, obligationem talis voti immediatè cadere in ipsam copulam, & ideo manere quantum potest etiam post contractum matrimonium. At vero si vouens solum intendit obligare se ad non assumendum illum statum, vel vinculum, & non amplius; tunc violato semel illo voto non manebit obligatio ad non petendum debitum durante illo matrimonio, quia illa non fuit materia talis voti. Quæ ratio locum habet tam in primo actu consummandi, quam in cæteris. Manebit tamen obligatio ex vi talis voti ad non contrahendas secundas nuptias, si prior coniux moriatur, quia cum votum fuerit negatiuum, & de se perpetuum, obligat ad nullum matrimonium contrahendum, & consequenter tam secundum, quam primum prohibet. Dico, ergo etiam obligat ad non permanendum in primo matrimonio, quantum fieri possit; ergo ad non consummandum, sed ad ingrediendum religionem, ne in eo statu permaneat. Respondetur negando consequentiam, tum quia aliud est non contrahere, aliud dissoluere contractum, & ideo qui obligatur ad prius, non eo ipso obligatur ad posterius, nisi aliunde ex intentione præcipientis, aut vouentis, aut ex parte materiæ illa duo connectantur: nihil autem horum in præsenti inuenitur. Tum etiam, quia licet vouens intenderit se obligare ad non assumendum illum statum, non tamen ad assumendum excellentiorem statum perfectionis, vt in alio inferiori non permaneat.

18.

## *Dubium secundum, circa votum non nubendi ad quid obliget.*

17. Alio tandem modo potest hoc votum esse tantum non nubendi. De quo est etiam certum impedire ne matrimonium licitè contrahatur, quia hæc est directa materia eius; matrimonium autem factum nihilominus validum est, vt à fortiori patet ex dictis de voto simplici castitatis. Vnde etiam est certum post tale matrimonium licitum esse reddere debitum, quod est clarius post consummationem eius: nam de primo actu possent esse opiniones supra tractatæ. Apud me autem nullum dubium est, quin nulla sit culpa tale matrimonium consummare reddendo debitum, nam à fortiori hoc sequitur ex dictis. Hic vero specialem difficultatem habet, an hoc votum obliget ad non petendum debitum, vel prima vice, vel etiam semper post matrimonium consummatum. Et quidem Doctores, qui sentiunt hoc votum æquialere voto castitatis, & ideo esse reseruatum, necessario dicere debent obligare ad non petendum, alias non obligaret de se ad castitatem ipsam, sed solum ad non contrahendum vinculum matrimonii, alias non posset dici æquialens voto castitatis. Tenent autem illam opinionem Caietan. & alii, quos infra citabo tractando hoc punctum de reseruatione. Nos autem hic supponimus illud votum non æquialere voto castitatis, quæ est communior & certior sententia.

Difficultas vero est quid iudicandum sit de hoc voto, quando vouens nihil aliud in sua intentione expressit, sed simpliciter vouit non nubere. In quo in primis dicendum est respiciendum esse ad finem propter quem hoc vouit. Nam si id non fecit ex speciali affectu aut desiderio castitatis, sed ex affectu vacandi orationi, v. g. aut aliis operibus pietatis, vel denique ex intentione carendi sollicitudinibus & impedimentis matrimonii, tunc est magnũ signum, & moraliter certum, materiam illius voti solum fuisse carentiam vinculi, priuationem vero vsus non in se, sed tantum in radice fuisse promissam, quod non satis est vt obligatio voti se extendat ad ipsum vsum, quacumque ratione contingat matrimonium esse factum non obstante voto. At vero si constet votum fuisse factum ex affectu ad castitatem, & ex desiderio

19. *Dubitatur in hoc puncto, quando iuuis candum sit votum non nubendi extendi ad solum vinculum matrimonii, vel etiam ad illius vsum.*

rio nunquã cognoscendi coniugem, tunc magnum signum est intentionem se obligandi fuisse extensam etiam ad ipsum vsum. Et sic exposita videtur habere locum opinio Paludani. Nam hinc videtur sequi, quoties aliquis simpliciter vouit non nubere non apposita extranea intentione, sed ex affectu ad materiam talis voti, obligari immediatè ad seruandam castitatem in omni materia licita seu matrimoniali, & consequenter obligari ad non petendum post matrimonium contractum. Probatur, quia carentia matrimonii per se ordinatur ad non vsum: ergo qui vult hoc medium, signum est velle etiam finem.

20. *Resolutio. Non obligat ad non petendum debitum.*

Sed nihilominus hoc signum mihi non videtur sufficiens, & ideo contrariam regulam potius statuo, quoties non constiterit de contraria, & expressa intentione vouentis, votum non nubendi non obligare ad non petendum debitum post matrimonium contractum. Ratio est, quia licet abstinentia ab omni vsu venereo sit finis illius voti, non inde sequitur esse materiam eius, nam hæc duo longe diuersa sunt. Sicut enim in lege dicitur finem legis non cadere sub lege, sed materiam, ita de voto dicendũ est. Et in præsenti in hoc eodem voto declaratur, nam qui ex affectu castitatis vouit non nubere, si prudenter vouit, integram castitatem seruare intendit, non tamen propterea se obligat illo voto ad non fornicandum & similia, nam quia hæc iure naturæ sibi interdicta sunt, ad illum finem sufficere sibi putat, si matrimonium sibi ipsi prohibeat. Simili ergo modo licet vt finem intendat integram castitatem, non est necesse vt illam etiam, quæ licita est, immediate sumat vt materiam voti, sed solũ non contrahere vinculum matrimonii, quia hoc satis sibi existimat, vt reliqua omnia prohibita sibi sint: ergo quandiu de alia intentione non constiterit, ita est explicandum votum illud, quia semper interpretandum est votum mitiori modo in fauorem vouentis. Et confirmatur, quia longe grauius & difficilius est abstinere ab vsu matrimonii post illud vinculum seu statum assumptum: ergo qui expresse castitatem non vouit, sed solum non contrahere matrimonium, ex vi talis voti non se obligat ad seruandam castitatem in ipso matrimonio, sed solum ad conseruandum se in eo statu, in quo facilius possit castitatem seruare. Vnde non refert quod negatio vinculi natura sua ordinetur ad non vsum copulæ, tum quia etiam ordinatur ad alios fines, tum etiam quia ille ordo non sufficit vt obligatio cadat immediatè in vtrumque: tum denique, quia non vtcumque ordinatur, sed mediante alia conditione talis vsus, scilicet, quod alias sit per se prohibitum, ideo enim quis non vult nubere, quia non vult vt carnalis copula sibi liceat, vt ita semper obligatus maneat ad abstinendum ab illa. Et hic est finis illius voti secundum se spectati, & nulla addita intentione extrinseca vouentis; violato autem voto, & contracto matrimonio, necessario sequitur, vt iam copula non sit illicita ex se, & ideo neque est materia talis voti, neque proprie cadit sub immediatum finem eius, atque adeo satis tutum & verum censeo tale votum non obligare ad non petendum debitum, supposito illo statu.

## Caput VI.

### *Vtrùm simplex votum castitatis vim habeat dirimendi matrimonium ratum.*

1. *Quid hic intelligatur per votum simplex.*

Hæc quæstio necessaria erit ad ea quæ de votis solemnibus dicenda sunt, & ideo quamuis facilis videatur, hoc loco præmittendam duxi, nam occasionem etiam nobis præbebit aliqua ex antiquitate declarandi. Per votum autem simplex nunc illud tantum intelligimus, quod non irritat matrimonium postea contractum, nam si habeat hunc effectum, etiamsi ex alio capite simplex dicatur, de illo nunc non agimus, comprehendimus autẽ quodcunque aliud, etiamsi habeat adiunctum quemcunque alium statum, vel quamcunque aliam solemnitatem. Suppono ergo vt certum, quæstionem hanc non habere locum in matrimonio consummato, nam hoc nec per solemne votũ dissolui potest quoad vinculum: suppono etiam votum simplex nudum ac solitariè sumptum non dissoluere matrimonium ratum, id enim certissimum est ex communi sententia omnium Doctorũ quos retuli capite præcedenti, & ex communi praxi, Ecclesiæ, & à fortiori patebit ex dicendis: nunc verò sufficiat hoc argumentum euidens, quia votum solemne ordinis sacri non dissoluit matrimonium ratum Extrauag. vnica de voto Ioan. XXII. ergo multo minus votum simplex. Patet consequentia, tum quia illud votum includit quidquid votum simplex, & addit aliquid, tum propter rationem in eodem textu his verbis subiunctam, *Cum nec iure diuino, nec per sacros reperiamus canones hoc statutum.* Hæc enim ratio etiam hic locum habet. Et quoad posteriorem partem est manifesta, quia potius multi canones sunt in contrarium, vt patebit. Quoad priorem vero patet ex auctoritate Pontificis; & ratione, quia vel hoc ius diuinum esset positiuum, & hoc non, quia non est scriptum, nec traditum: vel naturale, & hoc etiam non, vt ex dictis capite 4. à paritate rationis ostendi potest: nam qua ratione promissio simplex non potest impedire valorẽ subsequutæ traditionis, eadem vel maiori non potest ex sola sua vi & natura dissoluere traditionem, donationem, aut venditionẽ alteri factam, matrimonium autem ratum continet veram traditionem, & translationem dominii, & votum simplex est sola promissio: ergo. Denique si votum solemne ordinis sacri neutro iure diuino habet hunc effectum, profecto nec simplex habebit.

*Votum simplex non dissoluit matrimonium ratum.*

2. *Opinio affirmans votum simplex ad matrimonium ratum dirimendum vel ipsa dissolvere matrimonium ratum.*

Hinc ergo videtur orta opinio quorundam dicentium, licet votum simplex nudè sumptum non sufficiat ad hunc effectum, nihilominus si ei adiungatur traditio matrimonio repugnans, qualis est illa quæ in religione fit, necessario dissoluere matrimonium ratum. Possunt pro hac opinione citari auctores qui dicunt, per ingressum religionis dissolui iure naturæ matrimonium ratum. Sed hoc vel non dicunt, vel certe consequenter hoc dicere non possunt, nisi illi qui eodem modo dicunt per traditionem religiosis iure naturę fieri hominem inhabilem ad subsequens matrimonium, vt videre licet in D. Thom. Bonau. Rich. Dur. Soto, & aliis in 4. d. 27. quorum sententiam infra tractando de voto solemni examinabimus, nam quod ad præsens attinet, ipsi fatentur, vel fateri debent votum soluens matrimonium præcedens semper esse solemne, quia semper habet effectum irritandi matrimonium post cõtractum. Idem fere dici potest de illis auctoribus, qui putant hunc effectum esse de iure diuino, de quibus soluendo argumenta commodius dicemus: propriè igitur pro hac sententia citari potest Palud. in 4. d. 27. q. 3 num. 25. vbi expresse dicit, non conuenire voto soluere matrimonium ratum propter solemnitatem, alias (inquit) votum ordinis sacri irritaret matrimonũ, sed inesse ei ratione mortis; & subdit, votum Eremitæ non esse solemne, & nihilominus per illud solui matrimonium ex natura actus mundo se mortificantis, & ex diuina institutione, à qua est vita eremitica, vt in Ioanne Baptista. Idem insinuat Maior ibi q. 2. §. *Contra primam*; nam ait, hanc exceptionem non solum esse ad religionem, sed etiam ad eremum, in quo vouetur castitas.

*Fundamentum huius sententiæ.*

Fundamentum huius sententiæ est, quia à principio nascentis Ecclesiæ matrimonium ratum dissolutum fuit per votum castitatis cum traditione religio-

religiosa, & tamen votum illud castitatis tunc non erat solemne: ergo erat hic effectus voti simplicis. Maior probatur variis exemplis, nam in primis Ioannes Euangelista creditur ex matrimonio rato in nuptiis in Cana Galilææ contractis vocatus ad Apostolatum, matrimonio soluto, ex sententia Bedæ in præfatione in Euangelium Ioannis ex quodam prologo, qui nomine Augustini in præfatione ad tractatus eius in Ioannem circumfertur, & D. Thoma 2.2. q. 186. art. 4. ad 1. Ruperto secundo libro in Ioannem, D. Bonauentura in vita Christi, D. Antonino 3 p. Sum. tit. 1. & p. 1. histor. tit. 5. Lyrano ad locum Ioannis de nuptiis, vbi habet hæc verba. *Dicitur communiter quod nuptiæ istæ fuerunt Ioannis, à quibus eum Christus vocauit ante consummationem matrimonii; ex hoc in Ecclesia obseruatur, quod ante carnalem copulam potest licitè alter coniugum intrare religionem.* Secundum exemplum est de Thecla, quæ cum esset desponsata à Paulo fuit consecrata, & à nuptiis absoluta, teste Epiphanio hæres. 78. vbi sic ait, *Thecla incidit in Paulum, & à nuptiis exoluitur, cum curatorem, seu sponsum haberet formosissimum.* Et Ambrosius lib. 2. de virginibus parum à principio, *Thecla* (inquit) *docuit immolari, quæ copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutauit.* Idem sumitur ex Augustino lib. 30. contra Faustum, vbi cum Faustus cap. 4. dixisset, Apostolum Theclam oppignoratam iam thalamo in amorem sermone suo perpetuæ virginitatis incendisse. Augustinus hoc non refutat, sed tacendo admittere videtur. Tertium sit de Valeria ex Martiali epist. 2. ad Tholosanos cap. 8. *Illa enim cum esset sponsa Regis terrestris, effecta est sponsa Regis cælestis* (ait Martialis) *per meam prædicationem, virginitatem mentis, & corporis Deo deuouens.* Hoc vero exemplum non probat dissolutum fuisse vinculum; nam de sponso etiam refert inferius Martialis, quod copulam carnalium nuptiarum euitauerit per suam prædicationem, quatenus liberius Deo famulari posset. Vnde etiam constat ex communi consensu vtriusque factam esse separationem. Sunt ergo illa optima exempla castitatis, non tamen dissolutionis matrimonii ex vi voti simplicis; præterquam quod non constat qualia fuerint illa sponsalia. Quartum ergo exemplum sumitur ex Iuliano Martyre, qui ab sponsa Basilissa separatus est, & monachus factus, cuius historia legitur ex Simeone Metaphraste apud Surium tomo 1. die Ianuarii. Quintum adduci potest de Ammone, qui post matrimonium etiam sponsam reliquit, & in monte Nitriæ vitam monasticam instituit. Sextum de Macario celebri inter Ægyptios Eremita, qui etiam celebratis nuptiis vespere relicta incognita sponsa in eremum secessit, & cælibem vitam ibi perpetuo duxit, vt ex Hieronymo refert Gratianus in §. *Ecce*, post cap. *scripsit* 27. q. 2. Septimum annumerari potest de Alexio, quem ibidem commemorat Gratianus, nam ex nuptiis diuinitus vocatus sponsam intactam deseruit, & perpetuam castitatem seruauit, de quo etiam constat religiosum nunquam fuisse. Denique affertur exemplum de Gregoria ex Gregorio lib. 3. Dialogorum cap. 14. quod parum ad præsentem causam refert.

Secundo probatur eadem minor ex decreto Eugenii Papæ, quod refertur à Gratiano 27. q. 2. cap. 27. *Desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere, licet tamen illis monasterium sibi eligere.* Fuit autem hic Pontifex ferè ante 1300. annos, & cap. 28. refert idem Gratianus sententiam Gregorii ex lib. 6. regist. epist. 20. alias cap. 184. vbi defendit quandam virginem, quæ relicto sponso religionem intrauerat, & præcipit ei restitui omnia, quæ in matrimonio attulerat; *Quia decreta* (inquit) *legalia desponsatam si conuerti voluerit nullo omnino censuerunt damno mulctari.* Vbi alludit ad Authent. Iustiniani Imperatoris collat. 9. titul. 15. de sanctissimis Episcopis cap. 39. & 40. Et in l. *Deonobii*. Cod. de Episcopis, & clericis. Est ergo consuetudo hæc satis antiqua in Ecclesia; quæ fundata est non in aliqua solemnitate, sed in hoc solum, quod traditio inferioris ordinis, qualis est illa, quæ per matrimonium fit, quando non est ita consummata, vt vir, & vxor facti sint vna caro, dissolui debet per altiorem traditionem, quæ ad statum perfectionis constituendum sufficiat; ad hoc autem sufficit traditio voto simplici confirmata, quod infra tractando de statu religionis, & in particulari de Societate latius confirmabimus, nunc autem ex antiquitate etiam ostendi potest ostendendo alteram propositionem assumptam.

Probatur ergo minor, nimirum votum castitatis dissoluisse matrimonium illis priscis temporibus, quando nondum erat solemne, id est, inhabilitans personam ad matrimonium in posterum contrahendum. Probatur, quia Athanasius in epist. ad Dracontium sic ait, *Multi Episcopi matrimonia non inierunt; monachi contrà parentes liberorum facti sunt, quemadmodum Episcopos vicissim filiorum patres, generis potestatem non quæsisse.* Nec videtur satisfacere quod aliqui respondent Athanas. loqui de monachis perditè viuentibus, & extra matrimonium filios generantibus, propter illa verba, *Et monachos generis potestatem non quæsisse*, non enim videtur loqui de potestate, vt sic dicam, physica, sed morali, id est, licitè generandi, scilicet per dispensationem sui voti. Vnde statim subdit, *Sic enim licet, & ad eum modum non prohibebitur, sed quisquis sibi volet, decernet, non enim corona pro voto sed pro facto redditur.* 5.

Hic etiam addi potest testimonium Epiphanii ex hæresi 61. quod supra tractaui, & ostendi ipsum loqui de voto simplici. Item adducunt aliqui testimonium Augustini libro de bono viduitatis supra etiam tractato, vbi docet secundas nuptias viduæ consecratæ per votum esse validas, quia loqui videtur de viduis monialibus, ac verè religiosis. Adduci etiam possunt testimonia Hieronymi in cap. 4 tractata, sed præcipuè videntur difficilia illa verba epist. 22. post medium. *Si qua simulat fugiens seruitutem, huic apertè Apostolum lege, melius est nubere, quam vri.* Vbi loqui videtur de virginibus consecratis. Facere etiam potest quod in vita Malchi monachi refert idem Hieronymus, cum Malchus in captiuitate positus ad ducendam vxorem à Domino induceretur, solum se excusasse, eo quod fœmina virum adhuc viuentem haberet: non credebat ergo ob monachatum se esse inhabilem ad matrimonium, alioqui hanc potius excusationem allegasset. Difficilius vero argumentum sumitur ex Gregorio homil. 38. in Euangelia, vbi refert tres sorores patris sui sub districtione regulari degentes, & eodem tempore sacratas fuisse, & duabus illarum mortuis, tertiam scilicet Gordianam marito nupsisse, & illud validum fuisse significat. Denique Petrus Damianus epist. 5. cap. 11. de quodam monacho benedicto à parentibus à pueritia religioni oblato refert adolescentem iam factum religione dimissa vxorem duxisse (quod etiam validum esse ibidem significatur) quanuis non sine magno crimine, propter quod mirabili modo diuinitus castigatus est, vt ibi refertur. 6.

Secundo ad idem confirmandum adduci possunt multa decreta antiquorum Pontificum, & Conciliorum, in quibus ita reprehenduntur matrimonia contracta à monachis, aut sacratis virginibus, vt tamen irrita non censeantur, quia vel de hoc nullam mentionem faciunt, vel certè post condignam pœnitentiam sic contrahentes in illo statu durare permit- 7.

mittunt, quæ infra suo loco fusè tractabimus, interim videri possunt apud Gratianum 27. quæst. 1. ferè per totum, & dist. 27. Ex illis ergo decretis constat votum illud fuisse simplex, & tamen per illud dissoluebatur matrimonium, vt ostensum est.

8. *Probatur ratione.* Vltimo confirmatur ratione hæc sententia. Nam votum solemne castitatis vltra simplex solum addit vim à lege traditam inhabilitandi personam ob subsequens matrimonium, vt supra visum est; hæc autem conditio est impertinens ad dissoluendum matrimonium ratum præcedens; ergo. Patet minor, tum quia votum habens illam vim potest non habere alteram, vt patet in voto ordinis sacri: tum etiam, quia duo illi effectus sunt diuersarum rationum, & vnus non pendet ab alio: ergo secluſa virtute inhabilitandi in posterum potest dari votum castitatis irritans matrimonium præcedens: tale autem votum erit simplex, iuxta superius dicta. Cum ergo nudum hoc votum ex se non habeat hoc, saltem vt coniunctum traditioni, & mancipationi ad diuinum obsequium, habebit illud.

9. *Resolutio vera. Votum simplex non dissoluit matrimonium ratum.* Nihilominus dicendum censeo votum simplex castitatis nunquam esse sufficiens ad dissoluendum prius matrimonium ratum. Hanc assertionem, vel asserant, vel vt certam supponunt Doctores communiter, dum effectum hunc solum tribuunt voto solemnisato per professionem religionis, vt videre licet in 4. dist. 27. & 38. Et in Summistis, & aliis, qui de matrimonio disputant. Vt autem probetur, suppono primum nudum votum castitatis per se, aut natura sua, vel diuino iure non habere hunc effectum dissoluendi matrimonium ratum. Hoc sufficienter patet ex dictis in principio capitis.

10. Secundo suppono nullum contractum, vel traditionem quantumuis piam, & religiosam coniunctam voto castitatis dare illi vim, aut cum illo simul sumpto dissoluere natura sua, & quasi intrinseca vi matrimonium ratum secluſa positiua lege, & institutione. Hoc eodem modo probandum est, quo simile assertum probauimus quoad vim inhabilitandi ad matrimonium futurum: vnde auctores, qui illud tenent, hoc etiam affirmant. Nam difficilius est dissoluere quod ratum & validum est, quam impedire ne fiat. Difficilius item est priuare aliquem iure acquisito, quam acquirendo. Ac denique, *Turpius eicitur, quam non admittitur hospes.* Cum ergo voluntas vouentis castitatis adiuncta quacunque traditione sacra non sufficiat natura sua ad impediendum matrimonium subsequens, ita vt per illud non acquiratur ius alteri coniugi, multo minus poterit irritare factum, & tollere ius acquisitum. Secundo est ratio vtrique communis, quæ hic speciali modo vrget, nam traditio matrimonii, vt supra dicebam, & traditio ad quoscunque alios vsus, sunt diuersarum rationum, & per vnam non donatur quod per aliam traditum fuerat, & ideo ex natura rei traditio ad vsum coniugalem quæ fit per matrimonium, valida est, non obstante priori traditione ad alios sacros vsus: ergo quanuis mutato ordine traditio ad vsum coniugii antecedat, quæ postea subsequitur est alterius rationis, & priori formaliter nō repugnat, vt illam pro se dissoluat, non est enim maior repugnantia posito vno ordine, quam alio. Quin potius quando traditio matrimonialis præcessit, si ei repugnaret subsequens traditio, natura sua potius illam impediret, quam ab illa destrueretur, quia posterior censeretur facta de re aliena, ideo enim secundum matrimonium quantumuis consummatum, est nullum, etiamsi prius solum ratum fuerit.

11. Vnde possumus tertio hoc confirmare ex illo Matth. 19. *Quos Deus coniunxit homo non separet.* Quanuis enim hoc conuenienter intelligi possit de matrimonio consummato, tamen etiam in rato verum habet, quia iure etiam diuino indissolubile est saltem priuata & propria auctoritate: ergo voluntas vouentis quantumuis se velit obligare, aut tradere, si sola sua potestate, & non legis auctoritate nitatur, nunquam poterit priorem sui traditionem validè factam irritare; si ergo nulla sit diuina lex positiua, in qua niti possit, atque etiam excludatur lex humana, omnino non poterit. Sicut si quis semel donauit vas argenteum Petro, non poterit sua auctoritate illud Ecclesiæ, vel pauperibus dare, quia suum non est: ergo non est hic effectus ex sola naturali repugnantia, & virtute traditionum, seu contractuum, quatenus propria tantum voluntate fieri possunt, & in hoc sensu dicimus hanc dissolutionem, non esse ex sola rei natura. Nec potest dici probabiliter per matrimonium ratum non tradi dominium corporis omnino absolutè, sed sub ea conditione, vel exceptione, vt ante copulam liceat, si placuerit diuino cultui illud dicare, quanuis id insinuet Soto in 4. d. 27. quæst. 1. artic. 4. in fin. 1. concl. esseque verisimile, si suppositа aliqua lege positiua, & virtute, & quasi intentione eius intelligeretur inclusa illa conditio, ipse tamen loqui videtur in sola rei natura modo explicato. Sic autem nobis non probatur, tum quia regulariter loquendo, hoc est contra intentionem personalem contrahentium: tum etiam, quia alias etiam posset quis contrahere sub exceptione, nisi placuerit prius sacerdos fieri, vel se dicare alicui modo viuendi religioso ab Ecclesia non probato pro religionis statu, & similia possunt inferri, quæ sunt plane absurda, tale enim matrimonium non esset verum, & absolutum matrimonium. Igitur, quantum est ex parte contrahentium omnino absolutus est contractus, & ideo firmus, & indissolubilis: vt ergo per aliam traditionem dissoluatur, necesse est vt diuina auctoritas, vel alia potestas, quæ ab illa manet, intercedat.

12. *Confirmatur ex parte rei.* Et confirmatur, quia neque in lege naturæ, neque in veteri poterat matrimonium ratum omnino solui, & tamen poterat sponsus in eremum discedere, & vouere ibi castitatem, vel alio modo se tradere, & mancipare perpetuo diuino obsequio: ergo signum est hunc effectum non esse ex natura rei ex tali actu, quia rei natura eadem tunc erat. Ratio ergo est, quia deerat illi actui auctoritas legis diuinæ, vel humanæ. Qua ratione vtitur ad hanc sententiam confirmandam Michaël Medina supra, & mihi videtur satis efficax, & apta ad declarandum prædictam conditionem non includi ex natura rei in contractu matrimonii, alioqui in omni statu includeretur. Estque hoc valde consentaneum rationi, quia illa conditio est nimis incerta, & indeterminata, quis enim modus actus vel traditionis, aut separationis potest ex natura rei determinari, vt coniunctus cum voto simplici castitatis sufficiat ad matrimonium dissoluendum, vel vt subintelligatur excepius ex natura rei in ipso contractu matrimonii. Et hæc ratio etiam procedit contra id quod Palud. dicebat de morte; nam cum hæc non sit mors naturalis, sed ciuilis, & metaphorica, non habet certum actum, vel priuationem, in quo ex natura rei consistat: oportet ergo vt aliqua lege positiua definiatur, alioqui nihil erit certum, nec firmum, sed in vniuscuiusque arbitrio erit hanc metaphoricam mortem huic, vel illi actui accommodare, & ita etiam Maior supra semper adiungit Ecclesiæ determinationem.

13. *Confirmatur ex Bulla Gregor.* Vltimo confirmatur ex Bulla Gregor. XIII. in confirmationem Instituti Societatis, quæ incipit, *Quanto fructuosius*, anni 1582. in qua declarat, eos qui post biennium tria vota in Societate emittunt, esse

esse verè & propriè religiosos, etiamsi illa vota simplicia sint, & eo tempore non haberent vim irritandi matrimonium post illa emissa contractum, quo tempore certum etiã est talia vota non habuisse vim dissoluendi matrimonium ratum non consummatum, quanquam hic posset esse aliquod dubium, de quo infra. Illius autem ratio nulla alia esse potest, nisi quia illa vota erant omnino simplicia, id est, absque participatione proprij effectus voti solennis, & tamen tunc illa vota habebant coniunctam traditionem sufficientem ad constituendum verum statum religiosum: ergo signum est votum simplex etiam cum tali traditione coniunctum nõ sufficere ad matrimonium irritandum. Quod autem eo tempore hoc ita esset, constat ex communi vsu, & praxi huius religionis, & ex ratione tacta ex Ioanne XXII. quia talis effectus non potest soli diuino iuri attribui, neque etiam iuri humano proprio talis religionis, quia nulla erat de hoc Apostolica Bulla, & constitutio: neque etiam potest tribui communi iuri Ecclesiastico, quia, vt statim dicam, ille effectus solum tribuitur professioni religiosæ, illa autem non est vera professio, vt ex communi etiam sensu eiusdem religionis constat, quia propria professio in aliud tempus diuturnius reseruatur.

14. Tertio supponendum est per Ecclesiasticam legem communi iure contentam nullum votum castitatis cuicunque statui adiunctũ dissoluere matrimonium ratum, quod non etiam inhabiliter personam ad matrimonium contrahendum. Probatur primo ex cap. 2. de conuers. coniug. & ex cap. *ex publico*, eod. tit. & ex cap. *commissum*, de sponsalibus. Verũ est Alexand. III. hîc locis non explicare illam voti conditionem, sed absolute loqui de transitu ad religionem, vel monasterium. Nihilominus tamen ferè ex omnibus capitulis illius iuris constat per hęc verba significari veram professionem religionis, per quam persona fit inhabilis ad matrimonium. Maxime autem id declarat Innocent. in cap. *ex parte* 2. eod. tit. quem textum in hac materia & ad antiquitatem declarandam notandum censeo: est enim illius casus, in quo quædam mulier post matrimonium ratum velum viduitatis corã duobus Abbatibus assumpsit benedictione solenni cum celebratione Missæ, ac litaniæ accedente. Et subdit Pontifex, *Licet prædicta mulier in veli susceptione religionis habitum assumpsisse videatur, si tamen velit in domo propria remanere quasi propositum castitatis in seculo seruatura, nihilominus censemus mandandum est matrimoniam contractum, nisi se voto astrinxerit ad obseruantiã regularem, in quo casu cõpelli potest, vt relicto seculo religionis propositum exequatur.* Ex hoc ergo textu habemus votum simplex castitatis publice & cum externa solennitate factum, imo & cum traditione coram Abbate non dissoluisse matrimonium ratum. Neque enim probabile est quod quędam glossa ibi significat, in illa cæremonia non interuenisse votum castitatis, quia hoc ibi non exprimitur, & quia Pontifex infra solum dicit, *quasi propositum castitatis in seculo seruatura*, & quia votum cum simili cæremonia factum, etiam si persona in domo propria maneat solenne est, argumento cap. vlt. qui cleri. vel vouent. & capit. vlt. 20. quæst. 1. & c. *de viduis* 1. 27. q. 1. Hæc (inquam) responsio probabilis non est, primo quia in iure sicut cuncta assumere semper significat votum Terræ sanctæ, quia cum illa cæremonia fieri solebat: ita velum sacrum, aut viduale assumptũ, præsertim cum illa publica cæremonia est certum indicium voti virginitatis, aut continentiæ vidualis. Secundo quia illa verba, *Quasi propositum castitatis in seculo seruatura*, non de quocunque proposito, sed de illo quod habet obligationem voti adiunctam intelliguntur, tum quia verbum *seruare*, proprie sumptum obligationem supponit, tum etiam, quia simili phrasi locutionis dixit statim Pontifex, si votum religionis habeat, cogendam esse, vt *voti propositum* exequatur. Tertio colligitur ex fine propter quem illa mulier velum sumpserat, scilicet, quia *viri fuerat abominata complexum*; ad hoc autem necessarium erat saltem votũ castitatis emittere. Declarat autem Pontifex illud genus voti sic tantum solennizati non sufficere ad illam separationem faciendam. Hanc tandem expositionem magis probat glossa, & sequuntur Innocentius, Hostiensis, Panormit. & alij.

Atq; hinc consequenter negandum est susceptionem veli viduitatis etiam cum publica cæremonia & solennitate significare semper in iure propriam professionem cum solenni voto, nam ex hoc loco manifeste constat oppositum. Et optime consonat cum cap. *de viduis* 2. 27. q. 1. Et cum his quæ supra circa illud notauimus c. 4. Et hoc etiam notauit ibi Panormit. num. 6. aduertens in iure multiplex esse velum circa glossam in cap. *Illud autem* §. velamen 22. quæst. 1. & votum castitatis priuatum interdum fieri solitũ cum mutatione habitus, aut veli. cap. *quod Deo Patri*. 33. q. 5. Denique hinc constat cum infestius loquitur Pontifex de voto religionis quo quis obligatur ad obseruantiam regularem, loqui proprie de voto solenni, & ita interpretari responsa prædecessorum suorum, *qui* (vt ait) *responderunt consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum, reliquo inconsulto ad religionem transire ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari.* Atque ita ex illo textu colligunt omnes auctores, & specialiter Panormit. num. 6. qui hinc colligit regulam generalem, matrimonium ratum non absolui nisi per professionem in religione approbata iuxta Extrauag. *Antiquæ* Ioann. XXII. de Voto. Et ante illam Extrauagantem idem notat Abbas antiquus in dict. cap. *ex parte*, & obiter aduertit hunc effectum voti esse tantum ex statuto Ecclesiæ, inde colligens posse Ecclesiam in matrimonio rato dispensare, de quo alias.

Denique iuxta prædictam Pontificis declarationem intelligendum censeo antiquum canonem Eusebij Papæ in cap. *desponsatam* 27. q. 2. *Desponsatam* (inquit) *puellam non licet parentibus alij viro tradere, licet tamen illi monasterium sibi eligere.* Quem textum de desponsatione per verba de præsenti Doctores intelligunt cum glossa ibi, glossa etiam & Doctores in c. 2. de conuers. coniug. Imo Alex. III. in eo cap. 2. videtur vsurpasse phrasim locutionis ex Eusebio, & illius mentem explicasse, dum ait, *Post consensum legitimum de præsenti licitum esse alteri altero repugnante eligere monasterium.* Idem ergo in vtroque loco significat, *eligere monasterium.* Ostensum est autem per illa verba intellexisse Alexandrum electionem monasterij ad profitendum in illa per vota solennia: idem ergo intellexit Eusebius, qui ferè ante 1300. annos præcessit. Eodem modo intellexit (vt existimo) textum illum Iustinianus Imperator collatione 9. tit. de Sanctissimis Episcopis cap. 39. Denique in Concilio Tridentino sess. 24. can. 6. tacite ita explicat hæc iura, dum ita definit, *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solennem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.* Ex quib. omnibus moraliter concluditur argumentum apud me efficacissimum, nam omnia iura quæ de hoc effectu loquuntur, solum illum tribuunt professioni solenni, vel expresse per hæc verba, vel per æquipolletia distinguendo interdum talem professionẽ à voto simplici, etiamsi adiunctam habeat solennitatem accidentalem, vel aliam traditionem: ergo omnino dicendum est hanc solutionem matrimonii rati, quantum est ex cõmuni iure, non fieri nisi per votum solenne, quale describitur in cap. vnico, de voto in 6. scilicet quod

efficax etiam sit ad matrimonium post contractum diuimendum, hoc enim est quod in iure communi distingui solet à voto simplici.

17. Ratione potest etiam hoc suaderi, quia, vt supra in priori suppositione dicebam, difficilius soluitur contractum, quam impediatur contrahendum, vt omnia iura clamant cap. *quemadmodum.* de iureiurando, cum similibus, & est per se satis notum, & ideo, vt in eodem textu dicitur, multa impediunt contrahendum matrimonium, quæ si post iam contractum superueniant, illud non dirimunt: nullum vero est impedimentum quod matrimonium iam contractũ dirimere possit, quin multo magis possit impedire & intitare cõtrahendum: ergo nullum est votum castitatis, cuiuscunque conditionis sit, quod vim habeat dissoluendi matrimonium ratum, nisi etiam vim habeat inhabilitando personam ad matrimonium contrahendum. Et sane, vt modo nõ disputem an hoc possit fieri per Ecclesiasticam legem de absoluta Ecclesiæ seu Pontificis potestate, certum videtur, iure communi non esse factum, neque esse consentaneum vt fiat: quia posset vxor, v. g. separari à proprio marito titulo religionis, & deinde nubere alteri propria auctoritate, & sine alia dispensatione, quod videtur absurdum in materia morali, maxime quod id constituatur vniuersali lege, & non ex aliqua speciali causa: quod adiungo propter argumentum quod fieri solet iuxta sententiam quæ asserit posse Pontificem dispensare in voto continentiæ solemni: nam tunc etiam fieri potest vt qui prius cum vna sit dispensatus per matrimonium ratum, quod postea fuit solutum per votum solenne religionis, postea per dispensationem fiat habilis ad ducendam aliam, & quod de facto contrahat, hoc enim non est inconueniens in casu particulari, in quo necesse est vt grauissima causa intercedat. Constituere autem hoc tanquam regulam generalem absque alia causa vrgente, non videtur rationabile. Quod tandem confirmatur ac declaratur ex illa metaphora, per quam Doctores communiter declarãt, quare professio religionis dissoluat matrimonium ratum, scilicet, quia professio est quædam mors ciuilis, per quam religiosus moritur mundo, per mortem autem matrimoniũ soluitur. At certe per mortem non fit homo minus inhabilis ad matrimonium contrahendum, quam ad perseuerandum in iam contracto; quare ergo statueret Ecclesiæ vel reputaret aliquem esse mortuum ad perseuerandum in matrimonio iam contracto, quam adhuc viuum & habilem relinqueret ad matrimonium contrahendum.

18. *Ex iure diuino positiuo nullum votũ simplex castitatis dissoluit matrimonium ratum.*

Quarto suppono ex diuino iure positiuo nullum votum simplex castitatis dissoluere matrimonium ratum, etiamsi habeat adiunctam quamcunque traditionem, vel quasi donationem sui factam ex sola voluntate vouẽtis, vel Deo ipsi, vel alteri vice Dei ad ipsius obsequium. Hocã fortiori sentiũt omnes qui dicunt, etiam votum solenne non habere hanc vim nisi ex statuto Ecclesiæ, quos iam libro 2. late allegauimus, & latissime refert Henriquez lib. 11. de Matrimonio c. 8. n. 6. lit. I. & Sancius lib. 7. de matrim. disput. 21. & 26. Et infra agentes de voto solenni castitatis, quantum oportuerit, eos referemus. Ex his vero qui illud attribuunt iuri diuino respectu voti solennis, nullum inuenio qui hoc extendat ad votum simplex, loquendo proprie de diuino iure positiuo. Vt ergo hoc declaremus & probemus, aduerto duobus modis intelligi posse hunc effectũ manare à iure diuino. Primo quoad potestatem, scilicet, quia Christus Dom. dedit Ecclesiæ potestatem instituendi aliquem statum perfectionis, in quo, seu per quem matrimonium ratum dissolueretur. Secundo quoad actum ipsum, scilicet, quia ipsum diuinum ius immediate statuit, vt per tale votum simplex castitatis matrimonium ratum dissolueretur absque alia Ecclesiæ determinatione. Hic posterior modus insinuatur quidem à Paludano, sed reuera probabilis non est. Primo quidem propter rationem proxime factam in puncto præcedenti, & propter aliam similem positam in secundo puncto, quia nudum simplex votum ad hoc non sufficit, vt demonstratum est in principio capitis: ergo debet illi aliquid adiungi, quid autem hoc sit, non est determinatum iure diuino, nullum enim de hoc ostendi potest, neque aliquis prudenter potest, vel cum aliquo probabili fundamento hoc determinare.

Confirmatur, ac declaratur, nam si tale extat ius diuinum, vnde constat in casu dict. cap. *ex parte* 2. de conuers. coniug. votum illius viduæ cum solenni veli susceptione non fuisse sufficiens ex hoc diuino iure ad dissoluendum matrimonium? Item vnde constat votum illud quod emittunt fœminæ, quas Iuristæ *Mantelatas* vocant, quamuis habeant adiunctum specialem vouendi modum ad perfectionem conferentem, non sufficere ex hoc iuri diuino ad dissoluendum matrimonium; vt est communis sententia, de qua videri potest Panorm. in dict. cap. *ex parte* nu. 6. Videntur autem esse huiusmodi illæ sorores, quæ dicuntur tertii ordinis, vt sumitur ex glossa in Clem. 1. de Religiosis domib. verb. *Obedientiam*, & ex glossa iuncta text. in cap. *cum eo*, de sentent. excomm. verbo *Tertio*. Præterea vnde cõstat sacerdotium adiunctum voto castitatis non comprehendi sub illo diuino iure? Dices constare ex dicta Extrauag. Ioann. XXII. sed hoc ipsum est quod quæro, vnde potuisset hoc constare Pontifici, si tale esset diuinum ius, & inde colligimus nõ esse, cum recte potuerit hoc definire, eo ipso quod Ecclesia non adiunxit illi statui talem effectum. Denique status etiam Episcopalis licet sit præcipuus status perfectionis, & adiungatur voto castitatis, nõ habet ex iure diuino hunc effectum, quia de facto illum non habet etiam cum voto solenni ordinis sacri iuxta veram & receptam doctrinã quam infra trademus: ergo vel de nullo alio actu potest cum probabilitate dici, quod immediate ex iure diuino tribuat voto simplici, cui adiungitur, vim dissoluendi matrimonium ratum. Quod ex alio membro euidentius fiet. 19.

Circa prius ergo membrum aliquid certum est, & aliquid ambiguum. Certum quidẽ est esse in Ecclesia potestatem ad instituẽdum vel determinandum statum, in quo matrimonium ratum per aliquod votum castitatis dissoluatur: nam certum de fide est ita factum esse, vt ex dictis constat. Certum item est ad hoc fuisse necessariam potestatem supernaturalem, præsertim in lege gratiæ, in qua matrimonium ratum est verum sacramentum. Certum est ergo hoc factũ esse per potestatem à Christo concessam, atque adeo ex diuino iure manare. Duobus autem modis intelligi potest hoc fieri vel determinari per hanc potestatem. Primo immediate adiungendo hunc effectum tali actui, seu statui. Secundo solum mediate, & quasi in radice, scilicet, acceptando solum hunc actum, vt sufficientem ad constituendum statum religionis, & inde statim ex diuino iure sequatur, quod per talem statum dissoluatur matrimonium ratum; ita vt iure diuino statutũ sit per statum religionis dissolui matrimonium ratum; relictum autem sit determinationi Ecclesiæ, vt statuat vel determinet aliquem viuendi modum pro statu religionis. Atque hoc posteriori modo videntur explicare hoc diuinum ius Scotus in 4. d. 31. D. Thom. Rich. Bonau. & alii d. 27. Si tamen attente inspiciantur ipsi, loquuntur de statu religionis, prout suo tempore tantum erat in vsu, & intelligunt illum statum, in quo ita aliquis se tradit religioni, vt 20.

ni, vt fiat inhabilis ad matrimonium subsequens. In quo sensu nobis non contradicunt, etiamsi id quod asserunt admittamus, quia iam illud votum non est simplex, de quo hic agimus, sed solenne, præterquam quod illa etiam sententia nobis non placet, nam potuisset Ecclesia instituere vel approbare statum religionis, in quo votum etiam solenne castitatis fieret quoad dirimendum matrimonium post cõtractum; qui tamen non esset sufficiens ad dirimendum matrimonium ratum, quia sicut in sacro ordine hos effectus separauit, ita potuit eos in statu religionis seiungere; nulla enim ostendi potest repugnantia specialis, vel ex sola rei natura, vt patet ex dictis in secundo puncto, vel ex speciali iure positiuo, quo specialiter præceptum fit, vt illa duo necessario sint connexa in statu religionis, vbi enim est hoc diuinum ius? vel ex qua Scriptura aut traditione habetur? Sed de hoc plura infra tractando de votis Societatis. Multo autem certius est non esse factam talem connexionem, vt sic dicam, huius effectus cum statu religionis in communi immediate ex iure diuino. Nam status religionis, vt nunc tãquam certum suppono, abstrahit abillo effectu inhabilitãdi personam ad subsequens matrimonium, id est, potest esse sine illo, immo & de facto ita contigit: nulla autẽ ratio vel auctoritas suadet magis esse cõnexum ex diuino iure cum statu religionis priorem effectum dissoluendi matrimoniũ ratum, quam posteriorem inhabilitãdi personam ad matrimonium subsequens, quod etiã prædicti Theologi pro comperto habent. Item, quia alias etiam dicere quis posset hunc effectum esse iure diuino immediate connexum cum statu eremitæ, qui non vouet obedientiam, nec paupertatem, vt significabat Paludanus, cum tamẽ constet illum non esse statum religionis: consequens autẽ est plane falsum, & contra communem sententiam, vt videre licet in gl. ossa in d. c. *exparte*, & ibi Panorm. n. 10. Et similiter inferri possunt alia incommoda superius insinuata.

Relinquitur ergo, vt hic effectus solum manet ex iure diuino quoad potestatem tribuendi illum alicui statui perfectionis, proxime autem nõ tribui nisi per Ecclesiam immediate statuentem, & volẽtem vt talis status effectum habeat. Hoc recte concluditur ex dictis à sufficienti partium enumeratione, quia non superest alius modus quo possit talis effectus ex iure diuino manare. Inde tamen consequenter concluditur, talem institutionem simpliciter & absolute non esse de iure diuino, sed humano, qa omnia quæ sunt de iure Ecclesiastico, manãt à iure diuino quoad potestatem, per quam instituuntur, vel præcipiuntur; simpliciter autem sunt de iure humano, quia res simpliciter est talis secundum esse quod in se habet, non secundum esse suæ causæ: licet ergo potestas sit ex iure diuino, nihilominus actus in seipso non est ex iure diuino, sed humano. Sicut etiam in naturalibus, licet potestas, v. g. intelligendi sit immediate à Deo, actus est immediate ab ipso homine: ita ergo in præsenti hæc institutio humana est, licet procedat à potestate diuinitus concessa. Vnde etiã variationem, seu mutationem recipere potest. Posset enim Pontifex statuere vt aliqua sit religio in qua per ingressum, seu vinculum eius non dissoluatur matrimonium ratũ, imo & aliquando iamiam feciſſe infra ostendemus. Posset etiam ordinare vt per professionem alicuius religionis, per quam nunc dissoluitur matrimonium ratum, in posterum non dissoluatur. Vt, v. g. de professione militum S. Ioannis, dubitatum ab aliquibus est, an dissoluat matrimonium ratum, iuxta communem & veram sententiam verius est nunc dissoluere; posset tamẽ sine dubio Pontifex statuere vt in posterum non dissolueret relinquendo castitatis votũ inregum quoad reliqua omnia, etiam quoad inhabilitandam personã ad subsequens matrimonium: nulla enim in hoc ostendi potest repugnantia, nec deesse posset causa cur id fieret, quãdoquidem multi existimant iam ita de facto esse. Dices, ergo etiam posset Pontifex de omnib. religionibus idem statuere. Respondeo, si de omnibus diuisiue, seu de singulis sit sermo, illud non esse inconueniens; si autem de omnib. collectiue, seu de toto statu religioso loquamur, esset grauissimus error seu abusus potestatis, si Pontifex id faceret, & ideo quamuis demus absolutam potestatem non deesse, non permitteret Deus Pontificem ita abuti sua potestate in destructionem & commune nocumẽtum Ecclesiæ. Sicut et am posset Pontifex de absoluta potentia omnia præcepta positiua tollere, & in singulis posset forte illa potentia in actum reduci, tamen omnibus absolute non permittet Deus, quia esset intolerabilis error.

Addo præterea non esse inconueniens admittere, 22.
teneri Summum Pontificem iure diuino ad ita statuendum & disponendum gradus, & status Ecclesiæ, vt in ea sit aliquis perfectionis status, ad quem liceat transire ex matrimonio rato; libertate relicta alteri coniugi, atque adeo soluto matrimonio. Quamuis enim de hoc præcepto nihil scriptum sit, vt inde possit euidenter probari, est tamen conformis Ecclesiasticæ traditioni supra tactæ in fundamẽto prioris sententiæ, & in eius solutione amplius declarabitur. Imo probabiliter dici potest supposita potestate data Petro, & fine illius, & necessitate Ecclesiæ, ex natura rei sequi hanc obligationem: Nam tenetur Christi Vicarius vti potestate sibi cõcessa prout expedit ad bonum Ecclesiæ, nõ tantum in his quæ sunt simpliciter necessaria ad salutem, sed etiam in his quæ generaliter pertinent ad perfectionem eorum qui eam intendere & profiteri voluerint. Ob hanc enim causam nõ posset nunc Pontifex sine graui culpa priuare Ecclesiam hoc bono, & vtili medio tendendi ad perfectionem: ergo eadem ratione verisimile est etiam à principio vel Apostolos, vel eorum successores quicunq; illi fuerint, hoc ordinasse ex necessaria obligatione sui muneris, & pastoralis curæ.

Hinc autem adhuc non sequitur institutionem hãc 23.
esse proprie & simpliciter diuini iuris, sed solum ab illo manare mediate cum quadã necessitate, immediate vero semper est ab Ecclesia. Sicut etiam est verisimile fuisse obligatos Summos Pontifices ex diuino iure, vel ex vi sui muneris ad determinandum tempus obligationis confitendi, vel communicandi, & nihilominus talia præcepta determinãtia tempus Ecclesiastica sunt, non diuina. Deniq; vt non fiat vis in modo loquendi, satis est in particulari non habere hunc effectum votum aliquod vel professionem alicuius status, nisi ita fuerit ab Ecclesia determinatum: ostensum autem est Ecclesiam nunquam determinasse vt votum non solenne, id est, non inhabilitans personam ad matrimonium subsequens, sufficiat in aliquo statu dirimere matrimonium ratum prius cõtractum: ergo nulla probabilitate affirmari potest ipso iure diuino esse hoc immediate concessum alicui voto simplici in quocunque statu fiat.

Ex his ergo satis probata est assertio posita: nam 24.
votum simplex non habet prædictum effectum per se ac solitarie sumptum quatenus promissio est, coniunctum vero alicui statui etiam non habet illum ex sola rei natura, neq, etiam ex constitutione Ecclesiastica, neq; etiam ex iure diuino positiuo, quæ omnia ostensa sunt: nulla ergo via seu causa relinquitur vnde illũ habere possit. Sed dicunt habere ex antiqua traditione ab initio Ecclesiæ. At enim omnis traditio Ecclesiastica, cuius initium ignoratur, aut iure diuino ostendit, aut saltem Apostolicum; si ut ergo verum est nullum esse tale ius diuinum, aut Ecclesiasticum,

ita

ita etiam falsum est dari aliquam traditionem in Ecclesia, quæ ostendat solum votum simplex castitatis in aliquo viuēdi modo, vel nunc, vel aliquando matrimonium ratum dissoluisse; quod enim tempore Alex. III. Innoc. III. Ioan. XXII. & aliorum, qui de hac materia expressius loquuti sunt, talis consuetudo non fuerit in Ecclesia, sed potius quod tātum per solenne votum matrimonium dissolueretur, manifestum est ex eorum decretis, & ex omniū interpretum dispositione, & sententia, post illa vero tempora ius illud à nullo summo Pontifice amplificatum est: ergo etiam hodie non possumus cum fundamento hunc effectum attribuere alteri voto, & eodem ferè modo concludere possumus etiam ante tempora illorum Pontificū non fuisse in Ecclesia ius aliud, neq; aliam consuetudinem, quia illi Pontifices non condiderunt nouum ius, vel limitarūt antiqua, sed sicut illud in Ecclesia inuenerunt, ita seruari mandarunt; & ex eorum verbis, & præsertim Innocentij, cōstat: ergo sine fundamento dicitur aliud posse constare ex Ecclesiastica traditione.

25. Fundamentum ergo prioris sententiæ partim deficit in exemplis quæ adducit, partim in modo, quo explicat veterem traditionem, & consuetudinem, & ideo de cæteris in particulari dicendū est. Maior ergo propositio de voto simplici intellecta falsa est. Ad primum autē exemplum de Ioanne Euangelista vocato ex nuptijs Cana Galileæ, scio vulgatem esse sententiam, nullo tamen fundamento niti. Nam licet soleat tribui D. Hieronymo, in illo tamē non inuenitur. Refertur enim in quadam præfatione ad Euangelium Ioannis, quam inter eius opera diligentius collecta ego non inuenio. Barradas vero tom. 2. in concord. Euang. lib. 3. cap. 1. diligenter obseruauit hunc prologum qui Hieronymo tribuitur haberi sine authoris nomine, & in Bibliis Complutensibus, & in Regiis, sic præfigi Ioannis Euangelio in operibus Bedæ. Ex cuius scriptis ab aliquo fuisse concinnatum existimat Cardin. Toletus Ioannis II. Annot. 13. Maldonatus autem in initio Euangel. Ioannis refert Hieronymum lib. 1. contra Iouinian. dicentem, Ioannem simul fuisse maritum & virginem, quod non parum faueret dictæ sententiæ. Ego vero verba Hieronymi aliter intelligo, illa enim sunt, *Petrus Apostolus est, Ioannes Apostolus; maritus, & virgo: sed Petrus Apostolus tantum, Ioannes Apostolus, Euangelista & Propheta.* Quorum verborum planus sensus est, vtrumque fuisse Apostolum, sed Petrum fuisse maritum, Ioannem autem virginem, Petrum Apostolum tantum, Ioannem Apostolum, Euangelistam & Prophetam. Qui sensus ex ipsa phrasi locutionis & partitionis satis manifestus videtur, præterquam quod iuxta communem phrasim præsertim Hieronymi, sponsus non appellatur maritus, nisi ad vsum coniugij peruenerit, nam propterea alibi negat Iosephum fuisse maritum, & præterea satis alienum hoc erat ab scopo Hieronymi in illo loco: proposuit enim probare Ioannem tunc fuisse puerum, cum quo non recte consonat illum vocare maritum.

26. Illa ergo sententia nullum habet fundamentum in Hieronymo; nec etiam in Augustino, nam licet in præfatione eius ad expositionem Ioannis in fine habeantur hæc verba, *Iste est Ioannes quem Dominus de fluctibus ad nuptiarum tempestate vocauit*: tamen certum est illam præfationem non esse Augustini, sed incerti auctoris. Videntur autem desumpta illa verba ex Beda in præfatione ad Ioannem dicente de Ioanne, *Quem de nuptijs, volentem nubere, vocauit Deus.* Vbi nō explicat vocasse de nuptijs Cana, posset̄q; exponi *de nuptijs*, id est, ab statu nuptiali, maxime cum nō dicat nuptum vocasse, sed *volentem nubere*, quod dici potuit propter mores illius temporis, in quo omnes nuptijs vacabant. Et eadem ferè verba vsurpauit D. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 4. ad 1. dicens, *Ioannem autem volentem nubere à nuptijs reuocauit.* Rupertus autem l. 1. br. 2. in Ioannem circa finem sic ait, *Ioannem Euangelistam relictis nuptijs (ipsius enim ista fuisse nuptias opinio ferè omnibus est) ipsum Dominum sequi cœpisse arbitramur.* Sed profecto quod antea iam cœpisset illum sequi, ex eo constat, quod iam à Christo vocatus fuerat, vt ex Matth. 4. & Marc. 1. patet. Verisimilius ergo est non vt sponsum sed vt discipulum nuptijs adfuisse: nam vt ipse refert, ad illas vocatus fuit Christus, & discipuli eius, vnus autē ex ipsis discipulis ipse fuit. Et sane August. tract. vlt. in Ioannem absolute negat Ioannem nuptias celebrasse. Non est ergo multum probabile fundamentum illius argumenti. Et præterea illo concesso collectio æque incerta est, tum quia non constat dissolutum esse illud matrimonium quoad vinculum, nam dicere quis posset Christum vocādo Ioannem sponsæ etiam castitatem inspirasse, vt matrimonium nunquam contraheret, habetque hoc probabilem congruentiam, quia alias scandalum generaretur illi populo si sponsus inuitam sponsam reliquisset, & deinceps illa alium maritum assumeret: vtrumq; autem videri poterat contra legem naturæ, quando lex gratiæ, eiusq; excellentia nondum introducta erat. Denique licet totum admittamus, nihil inde probatur, quia forte Christus tunc potestate excellētię non ordinaria vtebatur, & quia verisimile est Ioannem non tunc statim votū castitatis emisisse, sed postea quādo perfecte, & inseparabiliter sequutus est Christum.

Ad secundum exemplum concedo Theclam fuisse à Paulo vocatam, & ab sponso separatam; temerarium enim esset negare historiam tantorum Patrum auctoritate firmatam. Vnde autem constat Paulum separando Theclam, & illam cōsecrando virginem, vt Epiphanius ait, non ita acceptasse votum eius auctoritate Apostolica, vt illam inhabilem constitueret ad matrimonium contrahendum? certe hoc per se verisimilius est, & contrarium nulla auctoritate, vel coniectura ostenditur. Accedit quod Thecla infidelem habebat sponsum, verisimileque esse, non potuisse cum illa cohabitare sine iniuria creatoris, cum Ambrosius referat, furore sponsi postea fuisse damnatam. Hoc ergo titulo potuit etiam à Paulo separari. Nam cum liceat fœminę conuertę ad fidem, etiam post matrimonium consummatum alium matrimonium ad fidelem sumere, si cum infideli manere non possit sine iniuria creatoris, multo magis licebit separari ab huiusmodi sponso infideli ante matrimonium consummatum propter seruandam virginitatem. Vnde in eo casu ego facile cōcederem diuortium illud fieri potuisse per solum simplex votum castitatis. Neq; inde potest sumi argumentum ad rem de qua agimus, tum propter rationem dictam, tum etiam, quia illud vinculum non erat sacramentum, sed merus contractus humanus suo quidē modo indissolubilis, multo vero minus quam sit matrimonium inter fideles baptizatos, de quo nos disputamus.

Tertium exemplum de Iuliano, & Basilissa immerito ad præsentem causam affertur. Primo, quia Iulianus non reliquit sponsam inuitam, sed prius à Deo illi impetrauit castitatis propositum, & ita ex mutuo consensu ab omni copula abstinuerunt. Secundo, quia nullum votū ab eis factum expresse legimus, sed solum mutuum consensum, & beneplacitū seruandi castitatem, post quod ambo orarunt. *Confirma hoc Deus in me quod operatus es in nobis.* Vel certe, vt concedamus emisisse votum illud, in principio non fuit nisi purè & omnino simplex, absq; aliquo alio actu, quo vinculum matrimonij dissolui posset, quamdiu ipsi cœlibatum suum occultantes dabant operam vt quod faciebant, tantum à Christo Domino & eius Angelis cogno-

cognoscceretur. Postea tamẽ verum esse eos seperatim religiosam vitã instituisse, & Iulianum multorũ monachorum patrem, Basilissam vero multarum fœminarum castitatem vouentium ducem fuisse, & in eo statu vsq; ad mortem perseuerasse. Non potest autem ex tota illa historia sufficienter colligi matrimonium illud fuisse inter eos solutum quoad vinculum, nam etiamsi matrimonium cõsummassent, potuissent illo modo religionẽ profiteri, maxime cum ibi legatur, habuisse inter se mutuam familiaritatem, & prouidentiam, vel subordinationem. Deniq; vt concedamus vinculum etiam illius matrimonij fuisse solutũ, vnde constat illos veram professionem & solenne votum non emisisse? nam ex solo illo generali principio, quod votum solenne non sit tam antiquum, id non potest colligi, vt infra ostendam.

29. De Ammonio, qui quarto loco in exemplum afferebatur, Athanasius in vita Antonij solum refert illum fuisse monachum qui Nitriæ morabatur, vbi perseuerauerit in sanctitate à pueritia vsq; ad senectutem vixerat, de desponsatione autem eius, & separatione ab sponsa nihil meminit. Socrates autem lib. 4. Historiæ cap. 18. illius mentionem facit, ita tamen vt quod de Iuliano diximus, de illo etiam dicere videatur. Dicit enim inuitum ad nuptias fuisse inductum, sponsæ autem persuasisse, vt perpetuam castitatem seruaret, atq; de ea re quasi fœdere inter se pacto ambo simul in montem Nitriæ discessisse, ibiq; in eodẽ domicilio multo tempore cohabitasse sine vlla castitatis violatione; tandem vero separasse cohabitationem, & religiosam vitam vtrumq; per se instituisse; ex qua narratione constat eandem esse de hoc quam de superiori exemplo rationem.

30. Vide Ioan. Maior. in 4. dist. 27. q. 1. Quinto loco adiungebatur Macarius, cuius historiam Hieronymus nullibi refert, neque pertinet ad duos illos Ægyptium, & Alexandrinum, quos Ecclesia vt sanctos veneratur. Sed ad quẽdam alium, qui Romanus esse dicitur in vita eius, quæ in vitis Patrum 1. p. refertur: non habet tamen auctoritatem, sed inter apocryphos computatur, & ideo nullum ex illa Theologicum argumentum sumi potest. Admissa autem illa historia idem de Macario, quod de Alexio dicendum est.

31. Sextõ igitur loco annumeratur Alexius, cuius historia certa est; eam enim Ecclesia amplectitur, ac celebrat. Illa vero nõ potest in exemplum afferri, quia in ea maxime locum habet quod Innocentius III. in dict. cap. *ex parte*, dixit Sanctos aliquos ex reuelatione diuina, quæ superat omnem legem, sponsas suas post ratum matrimoniũ intactas, & inuitas reliquisse. Addo etiã ex illa historia non constare B. Alexium votum aliquod emisisse, & ex ea potius colligo per illius discessum & illius absentiam matrimonium illud dissolutum non fuisse, quia, vt Metaphrastes refert, Alexius discessurus annulũ suum, & caput baltei in velo purpureo inuolutum sponsæ tradidit, dicens, *Accipe hæc, & serua, & Deus erit inter me & te, donec illi placebit*, quasi admonẽs illam ne alteri nuberet, quod ipsa seruauit, dicens ad socrum, *A te non discedam, & tantum me imitabor, & forti animo feram, & expectabo dum audiam quid viro meo, qui præclaram viuendi rationem elegit, acciderit.* Ac tandem post mortem eius sic conqueritur sponsa, *Tot annos propter te vixi solitaria, & hodie vidua relinquor.* Hinc ergo argumentum potius in contrarium sumi potest.

32. De vltimo vero exemplo adducto ex Gregorio lib. 3. Dialog. cap. 14. dixi parum ad præsentem causam referre, tum quia Gregorius non dicit Gregoriam nuptam fuisse, sed constituris iam nuptijs in Ecclesiam fugisse, quæ verba in rigore non significant fa-ctas nuptijs, sed præparatis; infra vero dixit, *Quia sponsum fugit in terra, habere sponsum meruit in cœlo.* Quod etiam optime potest intelligi de fuga ante matrimonium contractum, ne per illud sponsum haberet in terra. Tum maxime, quia de illa Gregoria dicitur, fugisse, vt sanctimonialis vitæ conuersationem quæreret, & ad eum habitum, quem desiderabat, perductam esse: verisimile autem non est Romæ & Gregorij tempore nondum fuisse introductam in Ecclesia solennem sanctimonialium professionem.

Quocirca (vt ad secundam probationem respondeam) ex dictis exemplis non cogimur dicere vinculum matrimonij rati fuisse illis temporibus per votũ castitatis dissolutum, nam reuera omnia illa habent sine hoc effectu conuenientem intelligentiam, & interpretationem, & nescio an ex illa antiquitate possint clariora vel firmiora exẽpla adduci, quibus hoc ostendatur. Nam quod præter illa afferri solet de Euphrasia virgine, nihil probat, quia vix quintum annũ ætatis attigerat, quando parentes eam desponsarunt, & ante septennium expletum, monasterium ingressa est, vt ex eodẽ Metaphraste constat. Ex quibus manifestum est sponsalia illa de futuro tantũ fuisse, & nondum plenè firma. Sancta vero Cæcilia, quæ in exemplum etiam adduci solet, seruauit quidem post desponsationem virginitatem, non tamen sine sponsi consensu, Deo etiam miraculose cooperante ad illũ extorquẽdum. Neuter autem illorum legitur aut religionis statum assumpsisse, aut post matrimonium votum aliquod vouisse, sed post breue tempus martyrium subiisse. Vnde necesse non est vt vinculum matrimonii inter eos fuerit solutum. 33.

Adiungi etiam solet ex Gregorio Turonense in historia de vita Patrum cap. vltim. exemplum sancti Leobardi, qui post sponsalia in remotum locum secessit, ibiq; solitariam & eremiticã, aut monasticam vitam egit: neq; enim satis certo nobis constat qualis viuendi modus ille fuit. Ex hoc ergo exemplo verisimilior fit coniectura quantum spectat ad dissolutionem matrimonij rati per statum aliquem religionis, tamen etiam quoad hoc non est efficax, quia nec satis ibi explicatur qualia fuerint illa sponsalia, de præsenti ne, an de futuro: nec etiam explicatur, fuerint ne ita soluta, vt sponsa libera manserit ad matrimonium contrahẽdum, maximè cum nec etiam constet an Leobardus ille votũ aliquod non additur, semper sponsæ nomen æquiuocum manet: potuerunt ergo esse illæ sponsæ per solam promissionem desponsatę. Deinde de illis etiam refert Augustinus, ipsas etiam exemplo virorũ dicasse suam virginitatẽ Deo: vnde constare non potest se existimasse sponsalium vinculo solutas. Ac denique hic etiam dici potest monachatum illum sicut præteritum, ita & futurum matrimonium irritate potuisse. 34.

Quamuis ergo hæc omnia in rigore vera sint, non tamen negamus hunc effectum dissolutionis matrimonij rati per votũ aliquod religionis habere multa vestigia antiquitatis, & fortasse Apostolorum tẽpore incepisse, vt de sancta Thecla diximus, vel ad minimũ Spiritum S. variis exemplis indicasse & posse & expedire id fieri, ac propterea id tandem Ecclesiam statuisse, & approbasse. Quando autem hoc proprie & in rigore cœperit, incertum est: nunc autem nos solum dicimus, non prius contractum matrimonium, quam contrahendum cœpisse per statum religionis irritari. Vnde ad secundam probationem illius partis 35.

facile concedimus tempore Eusebij & Gregorij Papæ hoc fieri potuisse, sic enim decretum Eusebij supra interpretati sumus ex mente recentiorum Pontificum: quanquam enim non sit omnino certum, ipsum in illo decreto loquutum esse de desponsatis per verba de præsenti, id tamen cum communi sententia libenter supponimus, & tanquã magis pium, & tanquam verisimilius, tum quia si de solis sponsis de futuro Pontifex loqueretur, neq; ita absolute & simpliciter absq; alia declaratione rem adeo grauem voce æquiuoca traderet, neq; etiam vt rem adeo difficilẽ, & Pontificia declaratione indigentem, illam proponeret. Et eodem sensu plane loquũtur Gregor. Papa, & Iustinianus Imperator. Tamen sicut hi loquuntur de vinculo matrimonij carnalis, ita etiam loquuntur de vinculo veræ professionis, spiritualis per solenne votum, sicut posteriores Pontifices, & Ecclesiæ consuetudo declararunt. Vnde falsum est ad hunc effectum sufficere quamcunque aliam traditionem religiosam simplici voto firmatam, quia Ecclesia nunquam hoc ita intellexit, aut declarauit, & aliunde haberi non potest, vt late probatum est.

36. Ad argumenta alterius partis probantia eo tempore quo votum castitatis dissoluebat matrimonium ratum, nondum irritasse matrimonium post contractum. Respondemus primo generaliter negando assumptum, supra enim ostensum est tempore Innoc. I. iam fuisse in Ecclesia votum aliquod religiosæ castitatis irritãs matrimonium post contractum. Fuit autem Innocentius quoad hæc ferè æqualis Eusebio, quia licet centum ferè annis posterior fuerit, tamen de illo tempore non est controuersia, nec Innocentius eam tradit vt rem nouam suo tempore inuẽtam, sed vt antiquam & consuetam in Ecclesia, præterquã quod inferius antiquitatem hanc vsq; ad ipsos Apostolos perducere conabimur. Secũdo licet gratis demus Patres in illo argumento citatos loqui de personis, quæ vota simplicia tantũ emiserunt, nõ sequitur, aut nullum alium vouendi modũ eo tempore fuisse in tota Ecclesia, aut easdem personas, quæ illud tantũ genus votorum emiserunt, per illa potuisse à matrimonio rato, vinculo dissoluto, separari: nullum est enim testimonium quod vtrumq; simul eidem personis attribuat, quod tamen necessarium erat vt solida esset probatio. Itaq; fieri potuit, vt in aliqua prouincia, vt v.g. in Cypro, vbi scripsit Epiphanius, non esset eo tempore vsus religionũ per vota solennia dirimẽtia matrimonium post contractum. Hoc tamen posito consequenter dicendũ est, ibi non fuisse consuetudinẽ, vt dissolueretur matrimonium precedẽs p talia vota, quia non est verisimile prius illud, quã hoc alicubi incepisse, propter probationes superius adductas. Fieri præterea potuit vt in eodẽ loco & tempore, fuerint varij modi viuendi cum voto castitatis, sicut nũc esse videmus: & ideo licet aliqui Patres antiqui permittãt vt validum, matrimoniũ contractum post votũ castitatis, nõ sequitur eo tẽpore nullũ aliud genus voti fuisse, quia nõ oportet vt Patres de omnibus vbiq; loquantur, quas respõsiones ferè attigit in simili. Hugo de Sanct. Victore li. 2. de Sacr. p. 11. c. 10.

37. *Satisfit Patribus in cõtrarium allegatis.* Tertio vero vt hæc clariora fiant, & Patres melius intelligantur, ad singula eorum testimonia respondere necesse est. De Athanasio Bellarminus lib. 2. de Monach. c. 34. pro comperto habet Athanasium loqui tam de Episcopis, quam de monachis qui filios genuerunt, & reprehendere illos perdite viuentes, non caret tamẽ expositio difficultate, propter ea quę in argum. obiecta sunt, & præterea quia in omnibus aliis membris, quæ ibi cõtraponit, nunquam vtitur verbis significãtibus vitium, sed vel rem bonã, vel indifferentem, vnde nullo verbo vtitur quod reprehẽsionem indicare videatur, neq; in eo loco hoc intendebat, sed sosũ explicare in vtroq; statu posse actiones magis vel minus perfectas inueniri. Est ergo mihi valde verisimile Athanasium loqui de legitima procreatione filiorum in matrimonio, non tamen loqui de matrimonio post monachatũ cõtracto, sed antea, q; ex verbis eius colligo, sic enim ait, *Multi quoq; ex Episcopis matrimonia non inierunt, monachi contra parentes liberorum facti sunt.* Certe prior pars de Episcopis ante Episcopatum acceptum intelligẽda est, nam post Episcopatum acceptum non multi, sed nulli omnino Episcopi matrimonia inierunt, vt in sequẽtibus hoc libro ostendemus: ergo altera etiam pars, qua dicit monachos (scilicet aliquos) parentes liberorũ factos esse, recte intelligitur in matrimonio id fecisse, sed ante monachatũ cõtracto: vnde quod subdit, *Quemadmodum vicissim Episcopi filiorũ patres, & monachos generis potestatem nõ quæsiuisse*: Recte intelligitur de Episcopis, qui antequam cõsecrarentur, vnius vxoris vsum habuerunt, & de monachis, qui perpetuo matrimonio abstinuerunt: hoc enim est *generis potestatẽ non quæsiuisse*. id est, generandi facultatẽ, quæ in matrimonio datur. Est autem illa antithesis hoc modo explicata sufficiens & accommodata interpretationi Athanasii, quæ erat persuadere, viros perfectos & imperfectos posse in vtroq; statu inueniri, vel ad illum assumi.

Ad Epiphanium iam supra c. 4. concessum est, Epiphanium ibi loqui de virginibus vouentibus votũ simplex castitatis, quamuis improbabile nõ sit quod Bellarm. ait cùm Epiphan. dicit, *melius esse lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere secundum legem*: non loqui de virginibus ex voto, sed de virginibus quæ alia occasione innuptæ manent, vel sua voluntate, vel necessitate, ita enim paulo ante exposuit illud, *Si nupserit viro, non peccabit*: inquiens illam virginem dici quæ nõ est dicata Deo, sed propter penuriam raritatis in illo tempore eorum qui Christo credebant, necessario sic fiebat. De huiusmodi ergo virgine intelligi põt quod postea subdit, si contingat illam labi, & scortari incipere, melius esse, vt post vnum stupri lapsum publice maritum accipiat, quam quod sub specie continentię plura similia peccata committat. Nam de aliis virginibus per votum consecratis Deo iam dixerat illis esse nuptias interdictas. Sed sustinendo priorem sensum, qui planior videtur, dicendum est Epiphanium non necessario ibi loqui de omnibus virginibus vel continentibus, sed de laicis, quæ enim necessitas cogit nos vt dicamus eum comprehendere omnes, etiã proprie religionem professas? nam licet eas vocet dicatas Deo, hoc etiã conuenit in eas, quæ solũ per votum simplex se dicant Deo; eo vel maxime, quod tale votum interdum fit publicæ, & cum solennitate accidentali, quæ suo modo consecratio virginitatis dicitur, absq; professione tamen religionis. Nam de similibus loquitur etia Paulus, quem Epiphan. citat. 1. Timoth. 5. *Adolescentulas viduas deuita*, vsque ad illud, *habẽtes damnationem quod primam fidem irritam fecerunt.* Itaque ex hoc loco solum habetur Epiphanium tacuisse quidem de voto solenni, & de eius efficacia, non vero illud negare aut non agnouisse.

Idem dicendum est ad testimonium Augustini, quod supra etiam explicatum reliquimus, & cum cõmuni sententia diximus de voto simplici esse intelligendum. Quanquã enim (vt ibi etiam dixi) aliqui cõtendant Augustinum ibi non agere de nuptijs factis contra votum, cum dicit illas esse validas, sed simpliciter de secundis nuptiis, quæ expositio, si vera esset, facilius expediret præsentem difficultatem. Nihilominus negare non possum ibi docere Augustin. validas esse nuptias contra votum factas. Quod ita pro constanti habuit Gratianus, vt in cap. 2. d. 27. ita sententiam Augustini retulerit, *quidam nubentes post votũ*, &c. cũ tamẽ hæc particula, *post votum*, apud Augustin. non

non legatur, quia illa verba Augustini in dict. lib. c. 11. æquivalentia sunt. *Non possum dicere à proposito meliore lapsas, si nupsissent, fœminas, adulteria esse, non coniugia.* nam per propositum melius manifeste votum intelligit, & ideo deficere ab illo lapsum appellat, quem statim dicit esse peiorem adulterio: quia est *lapsus à castitate sanctiori quæ vouetur Deo.* Non ergo sine causa ita intellexerunt Augustinum omnes non tantum moderni, sed etiam antiqui, & inter eos etiam Hugo de Sanct. Victor. dict. lib. 2. de Sacramentis p. 11. cap. 12. vbi cũ Augustini auctoritate premeretur, prius dixit Augustinum fortasse fuisse loquutum iuxta morem suitéporis, nunc autẽ id dici non posse. Quę responsio supponit Augustinũ loqui de voto & professione religionis, & concedit tunc non habuisse hunc effectum. Quo posito nos in præsenti respondemus consequenter fuisse dicturum Augustinum talem professionem non dissoluisse tunc prius matrimonium ratum: nec potuit ex Augustino aliud colligi. Quia vero illa responsio plus admittit, quã necessarium sit, & fortasse quam rei veritas habeat, vt ex Cypriano & alijs colligi potest; ideo respondet secundo idẽ auctor Augustinum loqui de viduis quæ post votum occultum, non de ijs quæ post votum publicum nubunt, quod sano modo intelligendum est iuxta supra dicta de voto simplici & solenni. Loquitur ergo Augustinus de viduis quæ in statu viduitatis permanent, & illũ per votum castitatis simplex Deo consecrant. Et de ijsdem videtur loqui in lib. de Sanct. Virginit. c. 33. dum de his viduis dicit aliquando non nubere, non quia non optent, sed quia impune non possunt, vbi non dicit simpliciter nõ posse, id est, sine peccato dedecoris & infamiæ. De illis autem, quæ omnino statum mutant, & religiosæ fiunt, ibi nullã mentionem facit. Neque propterea cogimur dicere Augustinum non cognouisse alium vouendi modũ qui in proprio statu religionis tunc fieret. Nam in Psal. 75. distinguit simpliciter virginitatem vel castitatem vouentes ab his qui relictis omnibus vouent ire in vitam cõmunem, & societatem sanctorum, quo nomine religionem significare videtur. Et in Cõcilio Carthaginensi IV. vbi Augustinus interfuit cum alijs Patribus can. vlt specialis mentio fit viduarum quę se deuouerunt Domino, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi, & Ecclesiæ religioso habitu apparuerũt: in qua descriptione significatur alias fuisse viduas merè seculares & laicas, quæ interdũ etiam cum voto, in eo statu permanebant: nec videtur Augustinus de prioribus loqui in prædicto libro, vt ex discursu illius cõstat, probabileq; est illarum votum solenne fuisse, vt in prædicto canone indicatur, & in Conc. Tolet. IV. c. 55. & 56. quamuis non sit certum, quia, vt supra tetigi, aliquando viduæ publice, & cum externo apparatu vouentes castitatem, simplex tantum votũ emittebant, & ideo in antiquitate hæc duo discernere sæpe difficile est, vt infra videbimus.

40. Ad Hieronymum respondeo in illa epist. 22. sine dubio loqui ad virginẽ laicam, quæ in domo sua virginitatem seruabat, quam per votum Deo consecrauerat, & ideo non dubito quin votum illud simplex fuerit. Vnde illa verba quæ in argumento citantur, de socijs, seu famulabus intelligi possunt in eodem statu viuentium. Quia vero Heron. indicat illas non solũ valide, sed etiam licite potuisse nubere, dicaturque illis proponendũ esse illud Apostoli, *Melius est nubere quã vri*, rectius dicitur loqui de illis quæ virginitatem nõ vouerant, sed tantum eam seruabant imitatione dominarum, & postea nubere cupiebãt, sub eo colore, quod onerosum esset alijs seruire: hoc enim est quod ait, *si qua simul fugiens seruitutem*, &c. Potest q; hic locus ex alio simili supra tractato commode explicari ex epist. 8. eiusdem Hieron. in vltimis verbis. Quod vero de Malco ex eodẽ Hier. affertur, nullius momenti est: nã licet Malcus esset inhabilis ad matrimonium, potuit merito illam rationem tacere, quam fortasse infidelis herus non intelligeret, & aliam proponere, quæ sufficiebat, & facilius solo lumine naturę percipi poterat. Sed demus Malcum illum non talem fecisse professionem in monachatu, quæ ipsum inhabilem ad matrimonium redderet, nunquid propte ea cogimur dicere nullum tunc fuisse religionis statum, qui hunc effectum haberet, aut illum quem Malcus habebat, sic explicatum fuisse sufficientem ad matrimonium ratum dissoluendum? nulla sane coniectura est, quæ hoc ostendat.

Ad Gregorium respondeo primo tres illas sorores 41.
patris sui non fuisse religionem veram professas, sed solum priuatam vitam cœlibem egisse: quod ex illis verbis colligi potest, *In domo propria socialem vitam ducebant*, & ex illis, *Conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit.* Ex quibus manifeste constat illas non renuntiasse bonis proprijs, ac proinde nec moniales fuisse, nec seculo mortuas omnino fuisse. Quocirca sine eo statu ad futurũ matrimonium inhabiles omnino non erant, nec ad dissoluendũ præcedens matrimonium sufficientem statum habebãt. Adde ex narratione Gregorij non satis constare an matrimonium illud Gordianæ validum fuerit: nam in fine illius homiliæ indicat Gordianam illam fuisse damnatam, cum eam dicit ab excellentia sanctimonialis habitus ad pœnam corruisse.

Solum superest historia relata à Petro Damiano, 42.
ad quam respodemus, facile posse in contrarium retorqueri, nam videtur ex ea colligi matrimonium illud non fuisse validum, quandoquidem ille qui monasterium dimiserat, & vxorem duxerat, cum esset morti vicinus, vt posset tanti delicti dignam pœnitẽtiam agere, ad monasterium reportari expetijt, habitumq; monachatus, & pœnitudinẽ de suis prauitatibus accepit. Quod tamen illi necessariũ non fuisset, si matrimonium validũ extitisset, sufficeret enim vt de peccato commisso doleret, imo nec licuisset inuita vxore, quia, vt ibi significatur, matrimonium illud consummatum fuit.

Ex antiquis ergo Patribus, vel historijs nihil soli- 43.
dum, quod ad rem præsentẽ faciat, accipi potest; nec etiam ex decretis Conciliorum aut Pontificum antiquis; nam sicut in illis aliquãdo indicantur vota virginum aut viduarum non irritantia matrimonium postea sequutum, ita etiam in alijs locis significantur vota sufficientia, vt videbimus. Nullum autẽ vel minimum indicium ex eis accipi potest ex prædictis decretis ad ostendendum in aliquo tempore vel statu fuisse sufficiens ad dirimendũ matrimoniũ prius cõtractum non inhabilitando personam ad subsequẽs matrimonium. Nec denique ratio quæ vltimo loco subiungitur aliud probat, quam non simpliciter repugnare separari hos effectus, quod gratis admittimus, & de facto constat aliquod votum irritare subsequens matrimoniũ, quod non dissoluit præcedens, vt patet in voto ordinis sacri. Negamus autem è contrario aliquando factum esse, quia nec rationabile erat, neq; expediens, vt aliquod votum dirimeret matrimonium factum, quod non impediret faciẽdum, vel quod persona liberaretur à vinculo matrimonij rumpendõ ius alteri acquisitum, relicta habilis ad contrahendum cum alia, vt satis explicatum est.

## CAPVT VII.

### *Vtrum votum simplex castitatis vim habeat ad dissoluenda sponsalia de futuro.*

VArijs modis potest hoc votũ fieri, scilicet ante, vel post sponsalia, quæ & simplicia & iurata esse possunt: fieri etiam potest vt post sponsalia subse- 1. *Varij modi præsentis difficultatis.*

quuta sit virginis defloratio spe futuri matrimonij, aut alij actas, vel nimia familiaritas, quæ nomen illius obscuret, eamq; minus idoneam ad contrahendum cum alio reddat, vel quod nihil aliud intercesserit, præter pura sponsalia. Ex quibus varia oriuntur dubia, quæ licet ab alijs tractentur in materia de Matrimonio, hic expedienda sunt, quia ex perfecta cognitione huius voti magis pendent, & ad illam exacte tradendam necessaria etiam sunt.

2. *Primum dubium, an votum Castitatis antecedens irritet sponsalia.*

Primum ergo dubium est, quando votum castitatis antecedit. In quo dicendum est hoc votum impedire, & irrita reddere sponsalia quæ postea contrahuntur, per se ac regulariter loquendo. ita sentiunt communiter Doctores statim citandi, & videtur casus expressus in cap. *rursus*, qui cler. vel vouent. Ratio est, quia talia sponsalia tendunt contra obligationem voti: ergo illicite fiunt. Rursus obligatio voti ex genere suo grauior est, & præcedere supponitur, ergo vincit, & non admittit superuenientem sponsaliorũ obligationem sibi repugnantem: ergo irritat illam. Et declaratur amplius, nam illa sponsalia continent promissionem de re illicita, nempe de matrimonio contrahendo contra votum castitatis: ergo sunt irrita. Quæ ratio probat hoc esse verum etiamsi sponsalia iurata sint, quia iuramentum non obligat ad promissionem turpem implendam, atque ita etiam expressum est in dicto cap. *rursus*.

3. Obijcies, quia supra dictum est, sponsalia per verba de præsenti sine animo consummandi aliquando esse licita, à fortiori ergo licebit eadem sponsalia promittere, & consequẽter erit etiam valida promissio. Respondeo, ideo dixi, *per se & regulariter loquẽdo*, quia hoc etiam modo illicitum est post huiusmodi votum vinculum matrimonij contrahere etiam sine animo consummandi illud. In eo autem casu, & cum illis circunstantiis, cum quibus licitum est matrimonium contrahere post votum castitatis, licebit etiam antea illud polliceri per sponsalia de futuro, sine intentione tamen consummandi illud, cum hæc enim nunquam potest esse licitum, cum sit voto contraria: sine illa vero nõ repugnat interueniente aliqua morali necessitate, quæ rarior quidem in sponsalibus de futuro, quam de præsenti esse potest. Et ideo regulariter loquendo, illa exceptio vel limitatio parum necessaria est. Posito tamen casu, in quo talis promissio liceat, non statim necessario sequitur, vt postea obliget, nisi etiam talis sit occasio, vel tanta necessitas, vt ad reparandum graue damnum, vel infamiam alicuius personæ, obligetur quis ad matrimonium cõtrahendum animo ingrediendi religionem: quod vix credo posse contingere, nam in eo casu potius dicerem illum excusari ab integra obseruatione voti, & posse cõsummare matrimonium illud saltem reddẽdo debitum: quia nec votum castitatis se solo obligat ad ingressum religionis, vt supra dixi, nec propter reparandum temporale damnum alterius obligatur quis religionem ingredi. Igitur ad summũ potest tale matrimonium aliquãdo esse licitum, ac permissum, & ideo promissio illius per sponsalia de futuro, non erit per se mala. Nihilominus vero postea obligatio voti, quæ maior est, præferri poterit sine culpa, vt à fortiori ex sequenti puncto patebit.

4. *Secundum dubium, an hoc votum subsequẽs sponsalia simplicia de futuro, illa irritet,*

Secundo ergo loco videndum est, an si votum hoc subsequatur post simplicia sponsalia de futuro, irritet illa. Multorum enim sententia est non irritare, immo votum illud esse illicitum, nisi fiat sub conditione consensus alterius partis, & consequenter non obligare nisi alter cedat iuri suo. ita sentit Palud. in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. concl. 5. & dist. 38 quæst. 3. artic. 5. concl. 4. & idem sentit D. Antonin. 3 p. cap. 18. §. 1. & 2. Sylvest. verbo *sponsalia*. quæst. 7. Cordub. in summa quæst. 136. Nauarr. in summ. cap. 22. n. 27. versic. Decimo. Expresse Abbas in cap. *veniens*, qui cler. vel vou. cum glossa ibi, & Hostiens. & Antonio in cap. *rursus*, eodem tit. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia vel hæc dissolutio fieret iure naturali, vel positiuo; non primum, quia promissio humana acceptata inducit obligationem iustitiæ, vel saltẽ nunc de illa loquimur, nam sponsalia cum consistant in mutuo contractu, sine dubio inducunt iustitiæ obligationem: ergo votum superueniens iure naturę non obligat, vnde nec dissoluere potest priores consensus. Probatur consequentia, quia votum factum de re aliena, vel, quod perinde est, de re alteri ex iustitia debita, non est firmum, nisi in ordine ad consensum alterius, à quo proinde irritari potest si consentire nolit, neque aliter acceptatur à Deo, vt supra visum est, quia Deus non vult dona, vel promissiones de rebus alienis, quia iniuriosæ sunt proximo, ac proinde contra rectam rationem. Quæ ratio etiam locum habet, quando licet res translata in dominium alterius est illi ex iustitia debita, quia etiã ibi violatur iustitia cum priuetur proximus iure suo, sed sponsalia inducunt rationem iustitiæ, vt suppono: nõ ergo potest illa irritare. Quin potius per dissensum alterius sponsæ potest tale votũ irritari, saltem quantum ad id in quo repugnat iuri alterius, si illud petat.

Et confirmatur primo à simili, nam votum castitatis factum post contractum de præsenti non potest priuare alterum coniugem iure suo: & ideo licet vouens obligetur non petere debitum, tenetur tamen reddere petenti: sic ergo votum castitatis factum post sponsalia de futuro, licet obliget vouentem ad non petendum nec procurandum vinculum matrimonij, nihilominus semper tenebit promissum reddere petenti: ex quo principio sequitur quod non potest alterum priuare iure suo, & consequenter neq; hoc pet votũ promittere. Confirmatur secundo, nam si quis promisit alteri vas aureum, v. g. & alius acceptauit, non potest promissor postea votum facere dandi illud idem vas in eleemosynam, quia hoc esset contra iustitiam, vel fidelitatem, & Deo simpliciter infidelis promissio etiam homini facta. Sed hæc ratio æque procedit in casu nostro, nam licet votum castitatis sit grauius, eandem proportionem seruat ad sponsalia, quæ grauiorem etiam obligationem inducunt. Tandem confirmatur sumpto generali principio, quo ex supra traditis de voto in genere videtur certissimum, scilicet, quod sine voto non liceret facere, non licere etiam per votũ promittere, quia votum nõ facit rem esse licitam, sed supponit licitam, & bonum, & reddit meliorem, sed post sponsalia nõ liceret manendo in statu seculari cœlibem vitam ducere absq; voto inuita sponsa, vt videtur per se notum, quia est violatio promissionis, & quia alias frustrafere fierent sponsalia, quia illis non obstantibus posset quis licite non contrahere: ergo si hoc non licet, nec etiam licet voto se obligare ad non nubendum manendo in seculo: ergo neq; ad castitatem, quatenus includit obligationem non nubendi tali sponso, ipso inuito, ita enim semper loquimur. Et ideo aliud est in voto religionis: nam post spõsalia potest aliquis licite religionem ingredi, & ideo potest ad id voto se obligare, & eadem ratione poterit intuitu religionis votũ castitatis implere, & per ingressum in illa ipsum integre seruare: tamen intentionem manendi in seculo, & ibi abstinere à matrimonio inuito sponso, non videtur ex natura rei esse licitum: nõ ergo potest tale votum ex natura rei sponsalia præcedentia irritare.

Altera vero pars de positiuo iure probatur, quia illud Ecclesiasticum nõ est, nullum enim exat de hac re scriptum decretũ, quod ab aliquo auctore citetur, vel ego inuenerim. Quin potius in c. *veniens*, qui cler. vel vou. indicat Pontifex quandã mulierẽ reprehen-

sione

sione pœnitentiæ dignam esse propter votum contientiæ post sponsalia factum, quod ipse appellat *propter mentitam fidem*. Si autem sponsalia soluerētur per hoc votum, non esset licitum. Dicet fortasse quis illā fœminam directe fecisse votum ne cogeretur nubere timens sponsi seueritatem. Sed certe ob hanc causam non posset dici mentitam fuisse fidem, quia vtebatur medio alias concesso, sed ad summum imputari posset ei aliqua culpa propter indebitam intentionem in vouēdo, quæ magis ad religionis defectum, quam ad infidelitatem in seruando promisso pertineret.

7. Tandem dici non potest esse hoc ius diuinum, vbi enim est data hæc licentia sponsis? quia neq; in Scriptura habetur, neq; ex aliqua traditione colligi potest, quia sancti Patres, ex quibus traditiones Ecclesiasticas accepimus, nullam mentionem faciunt de solutione sponsalium per huiusmodi vota. Neq; etiam fuit necessaria in Ecclesia huiusmodi licentia, cum in ordine ad perfectionem satis sit quod per votum religionis possint huiusmodi sponsalia dissolui.

8. Secunda opinio tenet solui sponsalia per subsequēs votum simplex castitatis. tenet Angelus verbo *sponsalia*, n. 40. citans Directorium & Ioan. Andr. in c. *de illis*, de sponsal. & Sylu. citat Ant. in c. *de illis*, de desponsat. impub. Sequitur Rich. in 4. d. 27. art. 3. q. 4. qui aduertit, si sponsalia sint publica, oportere etiā votum esse publicum, & dissolutionem fieri iudicio Ecclesiæ; si vero sint occulta, per votum etiā occultum dissolui posse. Idem tenet Maior ibi q. 5. art. 2. Sot. q. 2. art. 5. qui *hoc* (inquit) *in dubium reuocari non debet*. Tenet etiā Veracruz in specul. coniug. 1. p. art. 21. casu 12. Ratio quam Soto adducit, est, quia votum castitatis est de perfectiori modo vitæ; ergo est integre validū & firmum, non obstantibus prioribus sponsalibus. Patet consequentia, quia in sponsalibus semper implicite intelligitur exceptio melioris frugis: ergo obligat nō obstantibus illis: ergo irritat illa.

9. Ad hoc vero fundamentum respōdent aliqui Canonistæ negando consequentiam, præsertim vltimā & penultimam; quia votum, inquiunt, & sponsalia æqualis obligationis sunt, & ideo quæ tēpore antecedit, alteram vincit. ita refert Sylu. ex Innoc. & Hostiense. Sed illi loquuntur de sponsalibus iuratis, de quibus infra; omisso tamē iuramento negare nō possumus, quin obligatio voti ex genere suo maior sit, quam cuiuscunq; promissionis humanæ: & ideo melius respondebitur negando primā consequentiam. Itaq; quāuis obligatio sponsalium ex suo genere minor sit, tamē quādo ipsa antecedit, mutat materiam, & reddit illam incapacem obligationis voti omnino firmi, vtpote iam alterius iuri subiecta; & ideo superueniens voti obligatio non potest priorem tollere, quia non est in suo genere perfecta & firma, imo includit conditionem, si alter cedat iuri suo. Quod aūt Soto dicit de cōditione melioris frugis, si per meliorem frugem intelligeret statū religionis, esset id iure fundatum, tamen intellectum vniuersaliter de cœlibatu in sæculo, sine fundamento id dictum est: quia neq; ex iure communi implicatur in sponsalibus illa conditio, nullū enim extat tale ius, nec ex personali intentione contrahentium, nullus enim ferè de hoc cogitat, & quamplures licet cogitarent, talem intentionem non haberent: absolute ergo vult vnusquisq; & obligare se, & obligare alium, quantū potest. Neq; etiam dici potest ex natura rei implicari illam conditionem tanquā necessariam ad honestatem contractus, sicut implicatur in voto respectu Dei exceptio, vt non impediat maius bonum. Hoc, inquā, dici non potest, quia in contractibus ciuilibus, seu promissionibus humanis, non est necesse talem exceptionē intelligi, vt honestè fiat, sponsalia vero sunt quidam cōtractus ciuilis, seu humana promissio: ergo. Maior patet inductione, nam matrimonium licet impediat perfectionē status, non propterea illicitū est, neq; ad suam honestatem requirit, vt illam exceptionem includat: nam licet aliquis mordicus id dicat de matrimonio rato in lege Euangelica, de cō summato id dicere non potest, nec de rato secundū se sumpto potuit erat in lege naturæ, aut veteri. Præterea idem videre licet in quacunq; alia donatione, vel promissione, nā si Petrus promisit centum Paulo per veram & rigorosam stipulationem, licet fortasse melius fuisset illa dare in eleemosynā, nihilominus ex vi promissionis impeditus manet, neq; intelligitur inclusa conditio melioris vsus, seu frugis, vt constat ex cōmuni sensu omnium hominū, alioqui nihil esset firmū in humanis promissionibus. Ratio aūt est, quia homo non tenetur facere q̄ melius est, neque etiam se expeditum conseruare ad illud eligendum: ergo licite potest aliquid facere, vel ita se obligare, vt iam non solum non sit melius, verum nec liceat quod antea melius erat: ergo ex natura rei ad honestatē actus nō est necessarium, vt subintelligatur illa exceptio melioris frugis: ergo per sponsalia potest homo ita se obligare, vt iam sibi non liceat non nubere; & sine dubio si fingamus sponsalia fieri cum hac expressa; & quasi reflexa intentione, nō video cur non sint efficacia ad inducendam illā obligationem, cum auctoritate legis nō impediātur, & alioqui sint de re honesta, & proprio dominio volūtatis subiecta. Quod si hoc genus obligationis est in potestate cōtrahentium quoties absolutē spondent, & nihil excipiūt, intelligendi sunt ita se obligare, & eligere minus bonum relicto meliori.

10. *Differentiā inter votū religionis, & castitatis quoad hoc.*

Neq; in hoc facienda est comparatio cum matrimonio rato, quia in illo sola exceptio religionis admittitur, non quia quōmodocunq; est melius bonū, sed quia est tale quod auctoritate legis hoc habeat priuilegium, & ideo quantumcunq; quis contrahendo matrimoniū intendat ita se obligare, vt non possit religiosus fieri ante consummationem, nihil facit quoad hoc, sed semper retinet idē priuilegium, quia est lege introductum in fauorem boni communis, cui non potest persona priuata cedere. Econtrario vero quamuis sacerdotium cum suo voto solenni sine dubio sit perfectior status, quam matrimonium, nihilominus non intelligitur exceptus in contractu matrimonij rati, quia nullius legis auctoritate illa exceptio nititur, & alioqui cōtractus simpliciter & absolute fit: non est ergo verum illud principiū, in humano contractu implicari exceptionē melioris boni absolute, sed illius tm, quod legis auctoritate fundatur, & ita in præsenti fatemur includi exceptionē religiosi status, non tamē voti simplicis castitatis, quia hoc legis auctoritate non fundatur. Alioqui non solum votum, sed etiā propositum perpetuæ virginitatis iritaret, vel impediret obligationem sponsalium: quia status virginitatis etiam secluso voto est perfectior quā status matrimonij, vt plane sentit Paul. 1. ad Corinth. 7. non enim dixit, *Qui vouit, melius facit*, sed, *Qui non iungit, melius facit*: ergo hoc etiam bonum intelligitur exceptum in sponsalibus, etiam secluso voto, quia etiā hæc est exceptio melioris frugis. At hoc nemo dicet, alias sponsalia nullā affirmatiuam promissionem continerent, sed solum hanc negatiuam, *Non contrahat matrimonium cum alia præter te*; nam iuxta illam sententiam, si velit cum nullo omnino contrahere, sed cœlibatum retinere, liberum illi est non obstantibus sponsalibus. Consequens autem est, & contra Doct. communiter, & contra ordinariam intentionē contrahentium. Ergo etiam in sponsalibus constat non esse vniuersaliter verum illud principiū de subintellecta exceptione melioris boni. Dicere autem illud bonū voto firmatum esse maius, pluſq; participare de ratione status perfectioris, est quidem

verum, non tamen sufficiens, vt dicere possimus, sine alia legis auctoritate, vel expressa cõtrahentium voluntate huius boni exceptionem includi in tali contractu, quia magis & minus non variant speciem, seu rationem, alioqui erit, vt sic dicam, exceptio arbitraria, & de multis alijs bonis posset quis dicere etiam intelligi excepta: vt, v.g. si quis fieret conuersus in religione, in qua nullum votum, etiam simplex castitatis conuersi emittunt, sed solum se tradunt seruitio religionis, per illum actum diceret quis solui sponsalia, quia est melius bonum, & fortasse æquialens voto simplici continentiæ, & quædam participatio status perfectionis: nam proprie status perfectionis etiam per votum simplex continentiæ non constituitur. Et ideo non est inefficax argumentum quod Cordub. etiam sumit de voto diutius contemplandi, & fortasse efficacius sumi posset de voto simplici paupertatis, & de voto, v. g. perpetuo peregrinandi, & similibus: non videtur ergo hoc relinquendum priuato arbitrio, sed auctoritati legis, vel pactioni factæ insistendo.

11. *Ad confirmationem de voto.* Vnde non est simile quod de voto afferebatur, quia in illo includitur exceptio melioris boni; est enim ratio longe diuersa: tum quia scopus voti est diuinus cultus, qui semper est maior in meliori voto; in promissione autem hominis proxime intenditur commodũ vel vtilitas eius cui fit promissio: & ideo quod aliud bonum sit melius, impertinens est ad scopum talis promissionis: Tum etiã, quia in voto, dum bonum minus propter maius relinquitur, semper est in ordine ad eandem personam, cui factum est votum, & ex consensu eius saltem interpretatiuo: at vero in præsenti illud bonum quod maius est non pertinet ad personam cui facta est promissio, vt per se patet, neque eius consensus expectatur, vt suppono: nam si illa cederet iuri suo, non esset quæstio. Hoc ergo fundamentum de illa exceptione subintellecta non videtur solidum, neque vllo iure aut ratione fundatum; nullum autem aliud huius sententiæ fundamentum in illis auctoribus inuenio, nec facile poterit excogitari.

12. *Tale votũ non dissoluit sponsalia ex parte vouentis.* Propter hæc ergo censeo priorem sententiam in rigore esse veriorem & magis securam, ac iuridicam. Intelligenda vero est ex parte ipsius vouentis, nam ex parte alterius, vt Palud. expresse declarat, & alij sequuntur, sine dubio remittitur obligatio spõsalium, non enim cogitur quis contrahere matrimoniũ cum illo, quem nouit denuo esse voto castitatis ligatum, quia hoc sibi esset graue onus, quia nõ posset vti matrimonio, nisi petendo debitum; hæc autem mutatio si peruenit post sponsalia ipso inuito, & ideo ipsum excusat ab obligatione implẽdi sponsalia. Si autem ipse nihilominus contrahere voluerit, alter non poterit excusari propter mutationem factam, etiamsi matrimonium sit illi futurũ onerosius, quia voluntate eius talis mutatio facta est, & ideo illum non excusat cum iniuria alterius; & alia ratio excusationis nulla relinquitur ratione voti, vt ostensum est. Addendum item est in hac sententia illam non negare quin votum illud validum sit, sed solum negare esse firmum, seu perfectum quoad omnia. Obligat enim primo vouentem ad non contrahendum matrimonium quantum in ipso est, & consequenter ad non petendum vt matrimonium contrahatur, & ad acceptandam solutionem sponsalium, si alter consentire voluerit. Si vero ad petitionẽ alterius matrimonium contrahatur, obligat nihilominus ad non petendum debitum, & ad castitatem coniugalem durante matrimonio, & si obtingat dissolui per mortem coniugis, ad integram castitatem. Ratio omnium est, quia tale votum est validum, & obligatorium in his omnibus, quæ alterii iniuriosa non sunt. Addunt Palud. & alij etiam obligare ad ingressum religionis, vt vitare possit matrimonium. Sed hoc non credo verum, propter ea quæ cap. 4. disputaui de matrimonio rato, quæ à fortiori procedunt de sponsalibus.

*Adquid obligetur vouens in hoc casu.*

Nihilominus negare non possumus, quin altera sententia, vtcunque probabilis sit, saltem propter authoritatem plurium Doctorum, qui ducti videntur pietate quadam in fauorem pudicitiæ, & castitatis. Potuit etiam eos mouere proportio quædam, nam sicut professio solemnis ad matrimonium de præsenti, ita se habet votum simplex ad sponsalia de futuro: sicut ergo matrimonium per professionem, ita sponsalia per votum simplex dirimantur. Quæ proportio esset satis efficax, si firmo esset de voto simplici religionis, quia sicut sponsalia ad matrimonium, ita hoc votum ad statum religionis ordinatur, quę ratio non ita procedit in voto castitatis, nam simpliciter factũ non ordinatur ad statum religionis. Quia vero est magna quædam participatio illius status, & quæ magis directe repugnat matrimonio, ideo dicti authores opinati sunt æquialere quoad hunc effectum voto religionis. Præterea iuuari posset hæc opinio ex antiqua consuetudine Ecclesiæ, quæ ex adductis in capite præcedenti constare potest, nam multa exempla ibi adducta sunt, quæ de sponsalibus de futuro, & voto simplici continẽtiæ facilius exponuntur. Quod si de hac consuetudine ab ecclesia tolerata etiam hoc tempore cõstare posset, multum probabilitatis huic opinioni accederet: nam reuera argumenta prius facta conuincunt ex sola rei natura non posse colligi hunc effectum, quia consuetudo habet vim legis, ideo posita hac consuetudine interpretari possumus fieri hunc effectum authoritate Ecclesiasticæ legis, vel certe consuetudo ipsa declarat sponsalia inter Christianos fieri subintellecta dicta exceptione. Hęc autem consuetudo colligetur ex vsu Prælatorum Ecclesiæ, sine quorũ iudicio dissolui non possunt sponsalia publica, alterapartevinita, vt merito dixit Richardus, quia non herent sine scandalo & perturbatione. Si ergo iudex Ecclesiasticus, probato voto simplici virginitatis, seu continentię facto post sponsalia etiam publica, seu in iudicio probata, vouentem iudicat liberum ab obligatione sponsalium, tutus erit in conscientia, & illud erit graue indicium, voluntatem, vel consuetudinem Ecclesiæ esse, vt spõsalia includant illam tacitam exceptionem, ac proinde votum per se sufficere ad dissoluẽda illa, in publicis autem requiri iudicium Ecclesiæ propter debitum ordinem, in occultis vero votum ipsum per se sufficere. Absolute autem loquendo existimo non esse talem consuetudinem, nec de illa cõstare posse: nam si quis est huiusmodi vsus, ille potius procedit ex dicta opinione, quam è conuerso opinio ipsa in priori consuetudine fundetur. Et ideo dixi priorem sententiam per se, ac simpliciter esse veriorem, quamuis practice posteriori etiam probabilis sit.

13. *Probabilius est secundam sententiam, affirmantem votum dissolui sponsalia.*

Atque ex his constat quid dicendum sit, si sponsalia, quæ præcesserunt, iurata fuerunt. Nam iuxta priorem sententiam constat à fortiori dicendum esse illa sponsalia non solui per votum subsequens, & de his sponsalibus iuratis expressius loquuntur Innocentius & Canonistæ supracitati, & summa confessorum lib. 1. tit. 8. q. 23. Iuxta aliam vero opinionẽ consequenter dicendũ est, etiamsi sponsalia iurata sint, solui per votũ subsequens. Nec refert, etiamsi demus iuramenti obligationem esse æqualem; hoc enim nõ est propter excessum in obligatione, sed quia ibi non opponuntur, sed votum non subtrahit materiã priori iuramento. Si enim votum continentiæ subsequens dirimit spõsalia simplicia, ideo est, quia in ipsis sponsalibus includitur prędicta exceptio: quando ergo illis additur iuramentum, non mutat illa, nec excludit

exceptio-

exceptionem, sed eadem cum eodem modo promissionis firmiora reddit. Quando ergo postea votum fit, exceptio adimpletur, & ideo sicut obligatio promissionis in eo casu iam non habet locū, ita nec obligatio iuramēti. Quapropter in hoc negatio nihil refert, quod priora sponsalia fuerint iurata, necne. Posset tamen hic obiici cap. *commissum*, de sponsal. sed in illo textu non est sermo de voto castitatis, sed de voto religionis, de quo postea dicemus; non est autē similis ratio in vtroque, nam votū religionis per se obligat ad ingrediendam religionem, & ideo stante illo perfecto, & integro, non potest quis obligari ad matrimonium, quia vel obligandus esset consequenter ad religionem, quod ipse non vouit, vel ad consummandum matrimonium, quod voto repugnat. Propter quam quod ordo ille, qui in prædicto cap. consulitur, fortasse non est in præcepto, vt infra suo loco videbimus.

Sed quid si sponsalia non fuerunt pura, sed intercessit copula, vel alij actus, qui reddunt difficiliorem alteri sponso facultatem contrahendi matrimonium. Quæ difficultas habet locum ex parte fœminæ, nam vir ex hoc capite nullum onus, aut grauamen recipere solet, moraliter loquēdo, fœminæ vero magnum famæ, & honoris detrimentum hinc prouenire solet, & ideo sine dubio auget sponsi obligationem standi promissis. Iuxta priorem autem sentētiam supra tractatam maiori ratione dicendum est, tale votū quoad intentionem non ducendi sponsam in vxorem esse iniquum, & nō obligare. Quod adnotauit Viuald. vlt. parte Candelabri c. 14. nu. 64. Vbi refert aliquos iuxta opinionem secundam opinatos esse, etiam in hoc casu votum esse obseruandum, & sponsalia prætermittenda, damnū vero illud, quod ex copula, vel ex alijs actibus alteri redundat, quatenus iniurioſum fuit alijs modis esse reparandum. Sed hæc sententia addita hac circumstātia multo minus probabilis est, & moraliter, & practice vix in aliquo casu videtur admittenda. Suppono enim sponsam sub spe futuri cōiugij in illum actum cōsensisse: ergo si postea frustretur illa spe cum graui damno, & infamia, fit illis grauis iniuria: ergo si votum ad hoc ordinetur, est de re illicita: ergo nec tale votum obligat, neque ille actus potest ab infidelitate, & iniustitia excusari occasione talis voti. Confirmatur, nam licet gratis admittamus, vt vult secunda opinio supra tractata, puta sponsalia inuoluere exceptionem melioris frugis, quæ tamen quando vlterius proceditur vsque ad copulam, sufficienter indicant sponsi se recedere à tali conditione, & omnino ac sine vlla exceptione velle stare promissis, quod facere possunt, vt supra ostendi; quod autem faciant, patet, quia alias reuera sponsæ non consentirent in talem actum.

Dices, si hoc argumentum est efficax, etiam probat sponsum in eo casu nō posse ingredi religionem, neq; ad id voto se obligare cum tanta iniuria tertij. Respondeo primum nō esse omnino simile, quia religionis status habet authoritate legis vim dissoluendi matrimonium ratum non cōsummatum, etiamsi ante ipsum matrimoniū illicita copula inter sponsos præcessisset, vt infra ostendā, quā vim non habet votum simplex continentiæ. Quæ differentia vera est quoad hoc, vt factū teneat in casu, quo solemnis professio teipsa fiat, non vero generaliter videtur satisfacere, vt licite fiat. Et ideo respondeo secundo concedendo illatum, si eædem circūstantiæ concurrant, nimirum q̄ damnū fœminæ graue sit, & moraliter irreparabile per aliud medium, quia sicut votū simplex, ita etiam solemne nō fit licite cum graui iniuria proximi, qualis sine dubio in eo casu interuenit. Potest autem aliqua assignari differentia quoad hoc inter professionem religionis, & simplicem continētiam; nam si damnum illatum fœminæ iudicio virorum prudentum posset aliter resarciri, quā per matrimonium, & vir paratus esset ad reparandum damnum illo modo, posset religionem ingredi etiā inuita fœmina, aliud sufficiens remedium illi præstando: manere autem in seculo cum solo voto continentię ipsa inuita, non posset licite, etiamsi alia via sufficientem satisfactionem offerret.

Ratio vero huius differentiæ est, quia in priori casu non tenetur ad contrahendum matrimonium ratione directæ obligationis, sed solū ratione damni illati, & ideo si alia via sufficienter reparatur damnum, cessat obligatio, nam qui damnum passus est, nō potest obligare ad vnū definitum modū satisfactionis, quando plures sunt possibiles, & vnusquisq; eorū per se sufficit. At vero in posteriori casu obligatio nō solum ex nocumento, sed etiam directe ex facto nascitur, vt ostensum est: Et ideo inuita sponsa non potest vir matrimonium ei denegare, nec cogere illam ad aliam satisfactionem acceptandam. Secus vero est, si voluntariè illā acceptet, nam tunc non solum poterit vir licite illam præstare, sed etiam tenebitur ratione voti, vt votum ipsum obseruare posset. An vero idem dicendum sit, quando votum castitatis præcesserit sponsalia, vel etiam si sponsalia non fuerunt vera, sed ficta ad decipiendā fœminam, & extorquendū consensum in copulā illicitam spe matrimonij, iudicandum est, non ex obligatione sponsalium, vel dissolutione eorū, quia reuera in illis casibus valida nō sunt, sed ex ratione iniuriæ, & condignę restitutionis: nam si hæc aliter fieri non poterant, iustitiæ obligatio præsentēda esset, quia propter mutationē grauem factam ex parte materiæ, obligatio voti quoad illum articulum cessat, sicut cessaret obligatio voti eleemosynæ, si aliunde orta esset obligatio restituēdi alienum, vel reparandi damnum illatum. Si autem nocumentum potest alio modo resarciri, ille seruandus est, vt votum simul seruetur, sicut in simili iam diximus. Quid vero de voto continentiæ sacri ordinis quoad hunc effectum, dicendum sit, inferius declarabitur.

17. *Quid sentiendum, si votū præcessit, vel sponsalia ficta fuerūt ad extorquendam copulam.*

## CAPVT VIII.

### *Virum posit maritus votum continentiæ ab vxore sine sua licentia emissum irritare.*

1. EX his, quæ de irritatione voti simplicis assumendi statum religiosum diximus li. 4. facile colligitur, posse similiter parentes votum castitatis à pueris, vel puellis in ætate impuberi emissum irritare. Præcipua vero difficultas circa potestatem irritandi hoc votum castitatis est de marito respectu vxoris, & vice versa, & ideo hic non est prętermittenda. Incipiendo ergo à marito, inquirendum est hoc capite, an votum continentiæ ab vxore factum possit maritus irritare? In quo non quæritur de voto cōtinentię, aut religionis facto ante matrimonium consummatum. Nam si illud solemne sit, dissoluit ipsum matrimoniū ratum: si vero sit simplex, & sit votū religionis, siue sit emissum ante matrimoniū cōtractum, siue post, implendum omnino est; nec maritus pōt illud impedire, aut irritare, quia per illud ei non fit iniuria, eo quod matrimonium quamdiu non est consummatum semper habet illam conditionē subintellectam, & ideo peccaret grauiter coniux reddens debitum, & consummans matrimonium post tale votū, quia se reddit inhabilem ad implendum illud. De voto etiā castitatis, si præcessit matrimonium ratū, certum est, non posse irritari à marito, vt infra dicam. Si vero factum fuit post matrimonium ratū antequam consummaretur, idem censeo, & patebit à fortiori ex dicēdis; & de vtroque est specialis difficultas, an teneatur coniux in eo casu ingredi religionem, ne cogatur matrimoniū consummare, & contra votum agere, quam infra tra-

*Votum religionis ab vxore factū non potest à marito irritari.*

*Neq; votū castitatis si ante, vel post matrimonium ratum, & non consummatum fiat.*

ctabimus; nunc enim sufficit certum esse coniugem habentem tale votum non teneri ad reddendum debitum, si velit religionem intrare intra tempus à lege præscriptũ; modo agimus de voto castitatis post matrimonium consummatum emissum, de quo etiam non dubitamus quoad obligationẽ reddendi debitum; nam quoad hoc tale votũ per se irritum est, nec potest obligare cum sit de materia iniusta; vnde non indiget mariti irritatione. De quo eleganter scribit Aug. epist 199. circa princ. Quamuis si factum esset sub conditione, si maritus non repugnauerit, vel non consenserit, tunc posset quidem vxor rogare maritũ, vt à petendo desisteret, sibiq; abstinendi omnino licentiam daret: maritus tamen posset libere negare, atque hac ratione posset dici indirecte irritare tale votum etiam quoad hanc partem.

*An in hoc casu sentiatur vxor non reddere debitũ.*

2. Illa vero omissa, difficultas est quoad alia omnia quæ sub tale votum cadunt: & quidem ex opinione Soti supra tractata, & ex verbis eius colligi videtur, absolute loquendo posse virum hoc votum irritare, etiamsi fuerit castitatis, & omnino illud tollere. Verba enim Soti sunt: *Nullo excepto, vir potest vniuersa vota vxoris irritare.* Et ratio etiã eius vniuersalis est, scilicet, quia est subiecta quoad vltroneam obligationem. Idẽ tenet expressius in 4. d. 32. art. 2. vbi falso pro hac parte citat Augustin. in c. *manifestum*, 33. q. 5. nam in illo textu non loquitur de voto cõtinentiæ. & in q. 59. in Num. vnde textus ille sumptus est, oppositum docet. Nec Gratianus in §. post illum textum, qui etiam citari solet, loquitur de voto continentiæ, quoad petitionem, sed simpliciter, atque adeo quoad redditionem debiti.

*Opinio Soti asserentis posse maritum absolute irritare votum vxoris factum post matrimonium consummatũ.*

3. Mihi autem hæc opinio improbabilis & intolerabilis videtur, quoad hanc vniuersalitatem; nam votum castitatis vxoris præter redditionem debiti, quã non prohibet, ad tria potest obligare. Primum est, ad seruandam castitatem coniugalem, durante illo matrimonio. Secundum est, ad seruandam castitatem soluto matrimonio per mortem viri: tertium est, ad non petendum debitũ. Igitur quoad duo prima certissimum censeo, votum illud esse firmissimum, nec posse à viro irritari. Quam sententiam censeo cõmunem, & auctores statim referam. Sumi autẽ potest ex c. *placet*, de conuers. coniug. vbi Pontifex præcipit, vt mulier quædã, quæ viuente viro, per ignorantiã religionem ingressa fuerat, putans virum fuisse defunctum, & ideo ad cohabitandum illi fuerat postea cõpulsa, rursus iam mortuo marito castitatẽ seruet. Vnde respondeti posse inde solũ colligi, tale votum nõ fuisse de facto irritatum à marito, non vero non potuisse irritari. Sed certe cum Pontifex absolute respondeat, neq; vllam mentionem faciat irritationis mariti, supponit, nullam esse potuisse, alias debuisset addere conditionẽ, si maritus tale votum non irritauit. Nam verisimile erat, maritum in eo casu irritaturum fuisse votũ si potuisset, & ita ibi notant Hostiens. Panorm. & alij, qui licet nõ dicant expresse, maritum non posse irritare hoc votum, dicunt tamen tale votum continẽtiæ esse omnino firmum, & quoad illud pares esse maritũ, & vxorem. Ratio etiã hoc videtur conuincere. Cur enim daretur hæc potestas marito? An illi præiudicium est, quod vxor seruet castitatem? vel vxor patitur aliquem defectum rationis, vt propterea votum eius debuerit mariti potestati subdi? Cum ergo per se constet hæc dici non posse, & nulla alia fingi possit ratio, vel fundamentum huius potestatis, non potest cum aliqua probabilitate viro tribui quoad has duas partes, & consequẽter nec quoad directam irritationem talis voti in seipso.

*Vtrum hoc ad tria obligare possit.*

4. Quoad tertiam vero partem de obligatione non petendi debitum, est nõnulla maior difficultas, quia ex ea redundat aliquod grauamen in maritum. Et ideo videtur habere rationem aliquam, seu titulum ad irritãdum tale votum quoad obligationem non petendi debitum. quæ fuit antiquorum opinio, quã referentes D. Thom. in 4. d. 32. q. vnica art. 4. ad 3. eam censet probabiliorem. Et pro eadẽ sententia refertur Ioan. de Neapol. quodlib. 8. solentq; pro eadem sententia referri Albert. & Durãd. sed immerito. Eam vero tenet Sot. supra, & in 4. d. 32. art. 3. Et idem sentit Nau. in sum. c. 12. n. 60 & 65. qui tamen vtitur distinctione quadam infra tractanda. Et alij, quos allegat, & sequitur Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 39. n. 11.

*Potendum debitum ex aliquorum opinio.*

Contrariam vero sententiam censeo veram, scilicet maritum non posse irritare tale votum vxoris, sicut neq; vxor potest irritare simile votum mariti; nam in hoc pares sunt, vt notauit August. d. q. 59. in Num. vbi etiam hanc tenet aperte sentẽtiam, quod potestas irritandi mariti nullo modo se extendit ad votum continentiæ, scilicet præter id, in quo ipsum de se nullum est, vt declaraui. Eadem sententia est communis Theologorum in 4. d. 32. vbi Albert. artic. 4. dicit quidem esse stultum votum. Et Durandus q. 2. vocat indiscretum. Sed neuter illorum audet dicere esse nullum, vel posse tolli à marito; sed ad summum per Episcopi dispensationem, de quo postea. In eandem sententiam inclinat ibi Paludanus quæst. 2. & d. 38. q. 4. art. 2. concl. 5. Richard. d. 32. art. 2. q. 1. vbi hanc opinionem dicit esse communiorem, & securiorem: quam etiam sequitur Caiet. in summ. verb. *votum* c. 3. Petr. Ledesm. q. 64. art. 4 dub. 2. concl. 1. Valent. tom. 3 disp. 6. q. 6 de voto, punct. 6. Ant. 3 p tit. 1. c. 22. §. 2. Et in eam magis inclinat Greg. Lop. in libr. 3. titul. 8. part. 1. Palac. in 4. d. 32. disput. 2. Sylvest. *votum* 5. q. 2. quamuis velit in aliquam concordiam opiniones redigere, de quo stat m. Eadem est Canonistarum opinio in dict. c. *placet*, de conuers. coniug. Hostiens. Abb. qui idem sentiunt in cap. *quidam* eodem tit. Ex quo textu recte potest hæc sententia confirmari ex verbis illis, *Vlterius vero non potest vxorem accipere, promisit enim non exigere debitum, quod in illius erat potestate; & ideo quoad hoc votum tenuit.* Nam in illis aperte significatur in primis, tale votum non vt cunque fuisse validum, sed etiam omnino firmum, ac perpetuum. Deinde redditur ratio, quia hoc est in potestate coniugis; ergo potest libere id vouere.

5.

Quæ ratio amplius declaratur ex dictis; nam tale votũ nõ subiacet potestati mariti ratione materiæ; & consequẽter nec quoad irritationem indirectã; ergo multo minus quoad irritationem directam. Consequẽtia est clara ex dictis, quia votum vxoris non subiicitur potestati mariti, nisi ratione materiæ. Antecedens autem probatur, quia vir non potest cogere, aut præcipere vxori, vt petat debitum, quia ad hoc nullum habet ius, neque ipsa ad hoc se obligauit, cum ei tradidit corpus suum, sed solum ad reddendum. Neque ad finem matrimonij est hoc necessarium; imo videtur impertinẽs, maxime ex parte viri. Cum enim ipse possit exigere ius suum, & ex se hoc nõ sit rei onerosum, quid necesse est, quod præcipiat vxori, vt petat? Si autem hoc non potest præcipere, nec etiam id potest vetare ex se, vt per se constat; ergo nullam potestatem habet circa talem materiam voti: ergo neque circa votum ipsum.

6.

Confirmatur primo, quia si vxor emittat tale votum de licentia mariti, etiamsi maritus postea velit irritare votum, & dare vxori facultatem petendi debitum, non potest, nec solũ in eo facto peccat, sed etiã factum non tenet, vt est constans omnium sententia, in qua nec D. Thom. nec Ioannes de Neapol. dissentiunt, nec alius, quem ego viderim præter Soto. Et vltra citatos videri possunt Nauarr. n. 61. Antonin. supra §. 3. Summa Pisana *votum* 3. §. 3. Tabien. *Matrimonium* 1. §. 3. Sylu. *votum* 5. q. 1. & Gratian. 33. q. 5.

7.

*Posse irritari quoad*

post

post cap. *Manifestum*, & ferè in vltimis verbis & specialem huius rei rationem inferius reddemus. Ergo signum est, etiamsi votum factum sit sine licentia mariti, non posse illud validè irritare quoad hanc obligationem non perendi debitum. Patet consequentia ex supradictis, quia in aliis votis, in quibus habet potestatem irritandi, eam retinet etiam post licentiam datam, saltem vt factum teneat: nam id satis colligitur ex Num. 30. iuxta expositionem Augustini dict. q. 59. & iuxta doctrinam supra datam de religiosis, quæ pari ratione hic habet locum. Videtur autem esse eadem ratio de hoc voto, & de aliis, sin hoc haberet maritus potestatem irritandi. Hæc vero ratio videtur posse instari in voto reddendi debitum, de quo infra est dicendum; & ibi constabit, quantam habeat efficaciam.

8. Tandem confirmatur secundo, quia vir non potest irritare votum castitatis suæ vxoris, si emisit illud ante matrimonium contractum; non potest, inquam, quoad hanc obligationem non petendi debitum; ergo neque id potest circa votum post matrimonium emissum. Patet consequentia, quia æqualem potestatem habet vir circa vota vxoris ante, vel post matrimonium emissa, vt colligitur ex dicto loco Numer. & Augustin. ibidem, & latius dicemus. Antecedens autem constat ex communi consensu omnium. Caiet. hic art. 6. Sylvest. Nauarr. & aliis citatis locis. Patet etiam ex vsu Ecclesiæ, semperenim censetur necessaria dispensatio, vt talis vxor possit debitum petere: ergo signum est, non posse irritari à marito; si enim posset, facilius esset remedium. Item constat, vxorem non posse irritare tale votum mariti factum ante matrimonium; ergo nec è conuerso, quia in hac materia castitatis pares sunt. Denique est optima congruentia, quia in omni promissione, vel contractu matrimonii nondum consummati inter virum & vxorem subintelligitur conditio, vt non impediat meliorem frugem, seu maius bonum. Vnde sponsalia de futuro non impediunt absolutum votum castitatis; & matrimonium ratum non impedit professionem, & solemne votum castitatis. Ergo seruata proportione, matrimonium etiam consummatum non impediet, quo minus intra illum statum possit quis castitatem vouere, quantum potest sine iniuria alterius coniugis; ergo hoc votum non potest irritari à marito. Quocirca licet in aliis votis concederemus, habere maritum potestatem irritandi illa, in voto castitatis id non esset admittendum, quia modo est de bono alterius ordinis; quod eo modo, quo esse potest cum statu matrimonii, nunquam intelligitur excluſum.

9. Quod autem contraria sententia dicebat, hoc esse onerosum alteri coniugum, in primis non obstat, si non sit iniuriosum; quia vxor non se obligauit per traditionem sui corporis ad tollendam maritо omnem difficultatem, quam ipse potest ex se habere in petendo debito, sed solum ad reddendum vsum eius, ipso petente. Deinde vt tollantur scrupuli, & res fiat facilior, intelligendum est, mulierem ex vi talis voti non posse omnino facere petitionem debiti; si autem ipse vel expresse petat, vel saltem si quis indicet, ita vt ipsa sufficienter intelligat, eum ardere tali desiderio, & tacite postulare, id satis sit, vt ipsa sine scrupulo reddere possit, non obstante voto; imo licet fortasse ad hoc non teneatur debito iustitiæ, propter rationem supra factam; tamen ex lege charitatis propria illius status videtur teneri ad subueniendum marito in tali periculo existenti, quia nisi ipsa tunc se facilem præbeat, est in periculo pollutionis, vel alterius similis peccati. Quocirca cum dicitur materia talis voti esse non petere debitum, intelligendum est de petitione pura, vt sic dicam, quæ non habet rationem redditionis debiti ex iustitia, vel charitate. ita enim interpretandum est tale votum, vt sit de meliori bono.

Et iuxta hanc interpretationem posset exponi dictum D. Thomæ (licet eius authoritas in 4. non ita nos cogat, ac si in partibus id scripsisset.) tamen etiam ibi non dixit, maritum posse irritare hoc votum vxoris; sed indifferenter loquitur de vtroque coniuge; & non dicit, posse irritare votum alterius; sed neutrum posse sine alterius consensu tale votū emittere; quod potest intelligi, si votum fiat nunquam accedendi ad alterum, nisi illo expresse petente, & ratione iustitiæ exigendi. Et tunc iam locum habere potest, quod Albert. & Durand. dicunt, tale votum esse indiscretum, & reprehensione dignum. Nam votum illius castitatis, & non petendi dicto modo explicato secundum se non est, cur indiscretum censeatur, licet in hac, vel illa persona possit non expedire; factum autem cum maiori extensione erit indiscretum, imo etiam nullum quoad eam partem, in qua impedit maius bonum, & debitum saltem ex ordine charitatis. 10.

Huc denique spectare videtur quod Sylvest. *votum* 4. num. 5. dixit, si votum sit de non reddendo, absolu è non valere, quia præiudicat alteri coniugi. Si vero sit de non petendo ratione sui, sed tantum ratione alterius socii, tenere, quia non præiudicat: atque adeo si vxor vouet se non coituram, nisi ad complacendum marito, votum esse licitum, nec posse irritari. Hæc enim distinctio, vt veritatem contineat, ita intelligenda est, vt petere ratione alterius non sit proprie, & (vt ita dicam) primario petere, sed condescendere tacitæ petitioni, vel insinuationi alterius. Et similiter cum additur limitatio, nisi ad complacendum marito, restringatur ad eundem casum, in quo ille ita iam tacitè petit, vt illi imminеat periculum; & ideo ratio charitatis postulet illi subuenire. Atque hanc doctrinam sic expositam videtur satis expresse tradere D. Thomas in 4. d. 38. q. 1. art. 3. & q. 2. ad 2. Vnde Greg. Lop. dicta l. 3. referens hoc dictum Sylvest. ait, aut ipsum non discrepare à communi opinione, aut se non satis intelligere quid dicat. 11. *Opinio Sylu. d. votо non reddendi debitum, explicatur.*

Nauarrus etiam dicto num 60. & 65. licet absolutè opinionem Ioannis de Neapol. sequatur, ab hoc dicto Sylvest. non discrepat. Addit vero distinctionem illam non vsitatam, dicens, maritum habentem votum castitatis posse petere debitum, non tamen posse exigere: nec satis explicat quid differant petere, & exigere; insinuat tamen, petere esse ab alio postulare non cogendo, sed si voluntariè dare voluerit. Exigere vero esse extorquere etiam ab inuito; putat enim coniugem habentem votum posse petere in gratiam alterius; & ideo solum inuitando, si alius voluerit dare, petere posse, non vero posse petere in gratiam sui, & ideo non posse exigere. Quam distinctionem inuenit, vt responderet ad cap. *quidam*, & cap. *placet*, de conuers. coniug. quæ verbo exigendi vtuntur. Quam distinctionem ego etiam admittam, si ad prædictum sensum trahatur, alioqui repugnantiam inuoluit. Nam si maritus tunc habet ius iustitiæ, potest petere, & exigere. Quod si exigendo peccat contra votum; etiam petendo, si omnino ipse inchoet, & inuiter, quia tunc non cedit iuri alterius, sed proprio vtitur, cui per votum renuntiauit, vt in dictis iuribus indicatur. Si autem non ipse incipit inuitando, iam non est petitio, de qua agimus, eritque dissensio solum in termino. 12. *Explicatur opinio Nauar. in hoc puncto.*

## Caput IX.

### *Quid possit vxor circa votum castitatis mariti sine eius consensu emissum, & quid de voto castitatis vtriusque ex mutuo facto consensu.*

1. EX dictis à fortiori constat, quid dicendum sit de voto castitatis emisso à voto sine consensu vxoris siue ante, siue post matrimonium. Nam certum est, tale votum non obligare ad non reddendum debitum, quia talis materia iniusta est; vnde ad hoc non indiget irritatione. Certum est etiam votum, hoc in se, & in tota sua amplitudine non posse irritari tum ratione speciali, tum etiam generali; quia votum hoc saltem quoad obligationem castitatis coniugalis, vel vidualis post mortem vxoris auferri non potest ab vllo coniuge. Quantum vero ad obligationem non petendi debitum, aliqui putant, tale votum per se non obligare, quia est in magnum præiudicium vxoris, & quia in tali persona non est de meliori bono. Sed hoc non credo verum, quia saltem si vxor non contradixerit, sine dubio tale votum obligat, quod probant omnia supra adducta; quia in hoc maritus est sui iuris; & illud, quod vouet, simpliciter est melius, si rationabili modo illud interpretemur, vt supra factum est. Denique iudicium manifestum est, quia si vxor cognito voto mariti contenta sit, sine dubio vir tenetur voto; quia tunc cessat omne præiudicium; ergo signum est, à principio non fuisse omnino irritum. Quocirca si maritus nolit manifestare votum vxori, semper tenebitur illo voto in omni probabili opinione. An vero male faciat maritus, non manifestando vxori suam obligationem, & cessando à petendo absolutè, iuxta sequentes opiniones iudicandum est.

*Opinio asserentium hoc votum non obligare ad non petendum debitum.*

2. Dicunt vero aliqui, votum illud quantum ad obligationem non petendi posse irritari ab vxore. Quod sentiunt plerique eorum, qui de marito id affirmant; imo putant maiorem rationem quoad hoc esse in vxore, quia hoc non prouenit ex potestate superiori, sed ex præiudicio: maius autem præiudicium sit mulieri per huiusmodi votum viri, quam è conuerso, eo quod pudori fœmineo onerosius sit semper debitum postulare: ita sentit Sor. vbi supra Nauar. & præter alios supra citatos tenet Henriq. l. 11. de matrim. cap. 15. num. 8. ad fin. & Emman. Roder. tom. 2. Summ. cap. 90. num. 3.

*Opinio asserentium tale votum quoad obligationem non petendi debitum ab vxore irritari posse.*

*Fundamentum.*

3. Verius tamen existimo, etiam quoad hanc partem, non posse vxorem, si proprie loquamur, votum viri irritare; sed aut illud per se non obligare, si ineptè factum sit, aut in eo quod est validum, irritari non posse. Ita sentiunt reliqui autores supra citati. Imo & Sancius præcedenti puncto nobis contrarius in hac parte assentitur tum lib. 9. de matrim. disp. 42. num. 7. tum etiam in Decalog. lib. 4 de voto cap. 34. num. 27. Et generatim ostenditur, quia in hoc iure debiti æquales sunt vir, & vxor, 1. Cor. 7. & cap. *si quis primo* 32. q. 1. Deinde ita declaratur; quia vel votum est de non petendo ex se & propter se, & quasi iam inchoando, & tale votum & validum est, & per se loquendo licitum, & omnino firmum, ita vt ab vxore irritari non possit, quia nec super personam mariti, nec super talem materiam habet potestatem vllam. Nec inde aliquod grauamen ei accrescit, vel si quod accedit, est valdè extrinsecum, & non est iniustum, nec contrarium charitati; vel votum mariti est de non accedendo ad vxorem vllo modo, donec ipsa expresse petat, etiamsi illam videat in periculo constitutam, & tacitè petentem, & desiderium significantem: & tunc tale votum censeo esse indiscretum, & contrarium, vel minus consentaneum ordini charitatis, & prudentiæ seruandæ in illo statu. Et ideo non obligat quoad illam partem, seu excessum. An vero in hoc possit vxor cedere iuri suo, & ita quoad hanc partem dare valorem huic voto, statim dicam: nunc solum assero non teneri maritum ad postulandum, vel expectandum talem consensum vxoris, sed quoad illam partem statim, ac per se non obligari tali voto; & ita proprie hic non habere locum irritationem.

*Votum nõ habentis copulam, nisi expressè petatur, aliquando nõ obligat.*

4. Vlterius ex his constat, quid dicendum sit, quando vir, & vxor ex mutuo consensu votum castitatis emittunt? Circa quod occurrebat disputatio cum hæreticis, an tale votum licitum sit. Hæretici vero illud damnant tanquam contrarium illi diuino præcepto, *Quos Deus coniunxit*, &c. Veruntamen necesse non est contra hanc ineptissimam hæresim disputare, tum quia per tale votum non soluitur matrimonii vinculum; & ita non agitur contra diuinum præceptum; tum etiam, quia per talia vota neutri coniugi fit iniuria, quia vterque cedit iuri suo; & volenti, & consentienti non fit iniuria. Tum denique, quia perpetua Ecclesiæ traditione, & innumeris sanctorum exemplis, ac testimoniis huiusmodi vota approbata sunt, vt eruditè ostendit Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 37. Quin potius August. lib. 1. de serm. Dom. in mont. cap. 14. beatiora vocat huiusmodi coniugia, in quibus coniuges inter se continentiam pari consensu seruare potuerunt. Supposita ergo honestate huius voti, certum est, in eo casu vtriusque coniugis votum & validum esse, & firmum, ita vt neuter possit votum alterius irritare; quod est certissimum quoad perpetuitatem voti, & quoad alias materias extra copulam matrimonialem.

*Difficultas, quando tale votum cum consensu facti.*

*Tale votum est validum.*

*Etiam si validum.*

Circa hanc vero dubitari potest, an tale votum obliget ad non reddendum, etiam altero petente, & exigente? Palac. in 4 dist. 32. disp. 4. col. 8. asserit, non teneri ad reddendum, donec alter reuocet consensum. Si autem reuocet, & reddere posse, & debere. Sed distinctio minimè necessaria videtur. Nam reddere nemo potest, donec alter petat. Eo autem ipso, quod petit, iam reuocat priorem consensum, & recedit à priori pacto. Diceret tamen fortasse hic autor, quando alter coniugum in eo casu petit, alium non debere statim reddere; sed se excusare, quod iam non teneatur ratione pacti, nec possit ratione voti. Si autem alter tunc reuocauerit priorem consensum, & non solum rogauerit, sed ius suum exegerit, alium tunc licitè posse reddere debitum, & consequenter teneri. Ratio esse potest, quia supra dictum est, superiorem valide posse reuocare licentiam vouendi datam subdito; & tunc licet ipse peccet, subditum excusari: ergo idem erit in præsenti.

*Communis sententia affirmans posse reddere.*

6. Communis tamen sententia est in contrarium; dicit enim, in eo casu neutrum coniugum posse alteri reddere debitum, etiamsi maxime exigat, & velit priorem consensum reuocare. ita sentiunt communiter Theologi in 4. d. 32. vbi D. Thom. Palud. Richard. Supplem. & Sot. art. 3. & d. 27. q. 1. art. 4. Sylvest. dicta q. 2. Tabien. *matrimonium* 4. §. 30. Nauarr. in Summ. dict. cap. 12. num. 59. & cap. 16. n. 32. & Panorm. in cap. *charissimus*, de conuers. coniug. num 6. Lessius lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 10. n. 85. & Sancius in Decalog. lib. 4. cap. 34. num. 15. Potest autem hoc fundari & in voto ipsius coniugis, qui redditurus est debitum, & in voto alterius, qui illud exigit. Priori modo fundamentum esse debet, quia quantumuis alius, qui petit debitum, reuocet consensum prius datum, votum alterius manet firmum, quia reuocatio illa non potest esse efficax ad

ad inualidandum contractum prius factum inter ipsos coniuges, ratione cuius iam alter cessit iuri suo; & consequenter alium liberauit onere, & obligatione reddendi debitum; quam non potest iterum imponere reuocando priorem consensum. Quod confirmatur, & declaratur, quia pacta, & conuentiones iustæ, in quibus æquale pro æquali redditur, absolute & sine conditione factæ, sunt perpetuæ, nec reuocantur, eo quod alter retractat voluntatem suam; sed inter maritum, & vxorem in eo casu præcessit pactum mutuum, & vtrinque fuit conditio æqualis; ergo non potest alter coniugum reuocare pactum alio inuito; ergo quantumuis reuocet alter, semper obligatur voto ad abstinendum absolute à copula coniugali. Patet consequentia, quia ratione pacti potest licite negare debitum; ergo ratione voti tenetur. Vnde recte Nauarrus supra considerat, discrimen esse, quando præcessit inter coniuges pactum nudum, vel voto firmatum; quia quando pactum fuit nudum, licite possunt coniuges ex mutuo consensu ab illo recedere argumento c. 2. de sponsal. quia vnusquisque potest cedere iuri suo. Imo addit Nauarr. citans Hugonem Card. in cap. 6. 1. ad Cor. in eo casu si alter coniugum petat, vel se ostendat propensum, &c. alium debere condescendere. Sed non credo teneri debito iustitiæ, aliàs præcedens pactum nihil operaretur. Sed aliquando poterit interuenire debitum honestatis, vel charitatis, si alter in periculo versetur. At vero quando vltra pactum mutuum accessit votum, iam non est liberum illis recedere à pacto, neque alteri reuocationem alterius acceptare, aut illi consentire, aut suo iuri per pactum acquisito cedere, quia in hoc ageret contra absolutum votum castitatis.

Sed quid, si semel coniuges mutuo consensu pactum prius factum, quantumuis voto firmatum, reuocarint, nunquid peccabit postea alter eorum reddendo alteri debitum? Quod enim in illa reuocatione pacti peccauerint, & contra votum egerint, dubium non est, vt ex dictis patet. Tamen quia illa reuocatio facta tenet, videntur postea non peccare reddendo debitum, etiamsi peccent petendo. Primum patet, scilicet reuocationem fuisse validam; quia licet fuerit peccaminosa contra votum, non tamen contra iustitiam, cum vnusquisque coniugum semper maneat dominus iuris sui, cui potest cedere; ergo quibus voluntatibus illud pactum factum sit, dissolui potuit efficaciter quantum ad mutuam obligationem, quicquid sit de peccato contra promissionem Deo factam. Hinc vero sequi videtur secundum, scilicet nullum eorum peccare reddendo debitum, quia iam materia illa est aliena, & redit ad antiquum statum, in quo ex vi matrimonii tenentur coniuges reddere debitum. Quocirca simile videtur in eo casu contingere, ac in eo, qui matrimonium contrahit habens votum castitatis. Nam licet semel peccet, factum tamen tenet, ratione cuius potest licitè, & debet postea debitum reddere. Respondent aliqui hoc ad summum procedere de obligatione ex vi proprii vori, quod iam non videtur obligare ad non reddendum, supposita dissolutione pacti; aliunde vero manere obligationem ex vi cooperationis ad malum, sed de hoc statim.

Respondeo igitur, in eo casu teneri vtrumque coniugem ex vi sui voti pactum reiterare, & mutuo sibi remittere obligationem reddendi debitum; quia obligatio voti in vtroque semper manet; ergo vterque tenetur facere quod potest, vt non reddat debitum; quia ad hoc etiam votum à principio obligauit: possent autem hoc facile præbere ad prius pactum redeundo; ergo ex vi prioris voti ad hoc semper tenentur. Denique recedendo à pacto, & reuertendo ad ius antiquum, contra votum peccarunt; ergo perseuerando in eo statu, semper contra votum agunt; tenentur ergo semper ad pactum redire. Vnde fit, vt ex tali collusione, seu mutua remissione nullum commodum reportent huiusmodi coniuges quoad culpam vitandam, quia semper in eo peccant contra votum, quod prius pactum non seruent. Quod si fortasse alter eorum post talem reuocationem pœnitentia ductus illam retractare velit, alter vero nolit, non poterit quidem ille, qui inuitus est, alterum cogere; quia iam de facto cessit iuri suo, & valide quidem quantum spectat ad rationem iustitiæ. Et ideo ille, qui sic pœnitens, & inuitus reddiderit debitum, non peccabit directe contra votum suum, quia ex vi eius iam non tenetur non reddere, facta tali rerum mutatione. An vero ex vi voti alterius coniugis teneatur non reddere, iam dicetur.

*Quid si alter eorum velit reiterare reuocatum consensum, & alius nolit. Tenetur reddere petenti.*

Alio ergo modo fundari potest hæc sententia communis in voto alterius coniugis; quia nimirum ille peccat petendo debitum in eo casu, etiamsi datum consensum reuocauerit, & ideo hic non potest reddere debitum, nisi cooperando peccato eius, quod nunquam licet. ita sumitur ex Nauarro supra n. 59. qui refert D. Thomam in 4. d. 38. Et explicari potest à simili; nam licet iure naturæ teneamur alteri reddere rem suam, vel depositum; si tamen constet, illam velle in malum vsum, & præiudicium tertii, non debemus dare, etiamsi petat, vt Tryphon. Iureconsl. tradit in l. bona fides. ff. depositi. ergo à fortiori in præsenti. 9.

Contra hanc vero rationem instari posse videtur. Nam si alter coniugum emittat votum castitatis sine alterius consensu, & postea debitum petat, quamuis in eo peccet, & in copula etiam, quæ ex vi talis petitionis sequitur, nihilominus alter coniux non peccat reddendo, imo reddere tenetur. Quod tenet expresse Sot. in 4. distinct. 17. quæst. 1. art. 4. circa finem. Et ratio esse potest, quia ille petit ius suum, & actus quem petit de se licitus est; malitia vero, quæ illi admiscetur ex voto coniugis, est valde extrinseca, quæ non imputatur alteri reddenti ius, nec potest dici, ad illam cooperari, sed solum permittere illam, quia nec directe vult illam malitiam, nec actum cui illa sit intrinsecè adiuncta; sed per accidens in tali casu, in quo ipse non tenetur vitare actum, aut negare, quod debet; ne talis malitia sequatur. Confirmatur à simili: nam D. Thomas, & multi Theologi sentiunt peccare maritum petendo debitum ab vxore menstruata, & illam nihilominus non peccare reddendo; ergo idem dici potest in præsenti. Illa ergo ratio ex hoc præcisè capite non videtur firma. 10.

## Caput X.

### *Quid dicendum sit de coniuge, qui de licentia consortis continentiam vouit, & an talis licentia sit reuocabilis.*

VLtimo ex dictis constat, quid dicendum sit, quando alter coniugum solus votum castitatis emisit de licentia sui consortis nam in hoc casu certũ est, eum qui facultatem alteri dedit ad vouendum, non teneri reddere debitum ei petenti, imo nec licitè posse reddere. Ratio prioris partis est, quia eo ipso quod alter petiit facultatem vouendi, & datam acceptauit, cessit iuri, quod habebat ad petendum debitum; ergo iam alter nõ tenetur reddere petenti. Et hinc probatur altera pars; quia si nõ tenetur reddere, ergo cum sciat, alterum petendo, & vtendo peccare, tene- 1. *Assertio. Dans facultatem alteri vouendi continentiam nec tenetur, nec potest licitè reddere debitum.*

tenetur non cooperari illi; quia cum alias licite possit, nihil est, quod talem cooperationem à culpa valeat excusare. Et in hoc casu maxime procedit opinio Nauarri proxime tractata, quando scilicet facultas data est, siue ex alterutra parte, siue ex vtraque, & res est integra. Quod addo, quia si ius non est in eodem statu, sed ille qui facultatem dedit, illam reuocauit, maiorem habet dubitationem, quia iam videtur alteri restiturum ius, cui cesserat. Sed in primis iuxta superius dicta constat, illum, qui consensum dederat, reuocando illum grauiter peccare. quod enim diximus circa hoc de superiori religionis, eandem rationem in præsenti habet, vel certe maiorem, quia coniux consentiens non proprie se gerit vt superior; nam potius in hoc iure coniuges sunt æquales; sed agit tanquam dominus, qui iuri suo cedit; vnde non potest licitè donationem factam retractare. Nec enim satisfaciet qui respondebit, reuocare illam ex consensu eius, cui facta fuit, & ideo id licere. Oportet enim aduertere, non soli coniugi, sed suo modo Deo ipsi factam esse illam donationem, seu cessionem iuris, & ideo non satis esse socii consensum, vt licite fiat.

*Quid si talem licentiam reuocauit.*

*Peccat reuocando.*

2. *An sit validare uocatio licentiæ.*

Dubitari vero vlterius potest, quam certum sit quod supra dicebamus, talem reuocationem facultatis datæ non solum licitam non esse, verum etiam non esse validam. Nam licet hoc teneant multi Doctores supra citati; nihilominus Sot. lib. 3. de iust. q. 3. art. 1. & in 4. d. 27. q. 1. art. 4. circa fin. absolutè, & sine hæsitatione docet contrarium; imo nihil distinguens inter licitum, & validum, simpliciter dicit, posse illum, qui talem facultatem dedit, illam reuocare; solumque allegat cap. *Manifestum* 33. q. 3. vbi August. non loquitur de voto continentiæ, sed de aliis. Et Gratian. in §. quem immediatè post illud cap. subiicit, ait, non esse parem rationem in his votis; idemque repetit in fine totius quæstionis. Et ex loco August. vnde sumptum est illud caput, scilicet ex q. 59. in Num. idem colligitur. Nihilominus idem Sot. d. 32. a. 3. in eadem perstitens sententia Richardum pro ea citat ibi art. 2. q. 2. Veruntamen Richardus cautius, & distinctius loquitur; nam in primis distinguit de licentia in facie Ecclesiæ, & coram suo ordinario data, vel priuatim, & occultè concessa. Rursus distinguit de reuocatione ante, vel post votum emissum. Ac tandem insinuat, licet non clarè dicat, aliud esse loqui stando in iure naturali solo; aliud in positiuo. Primum ergo ait, licentiam priuatam ante emissum votum reuocari posse. Significat autem, hoc esse ex concessione iuris habentis suspectas, & periculosas reputantis has priuatas, & secretas licentias: solum autem affert cap. 1. de conuers. coniug. de quo cap. statim dicam.

3. *Opinio asserens validè reuocari licentiam ante votum emissum.*

Videtur autem hæc pars per se probabilis etiam ex vi iuris naturæ ex fundamento posito à Caietan. supra artic. 8. Nam licet facultas data sit, si votum non est emissum, nondum etiam dominium actuale in alium transiuit; nec is, qui facultatem dedit, ius, quod habebat, amisit; sed tantum erat quasi in potentia: ergo quandiu non reducitur in actum, reuocatio facta erit valida, siue facta sit cum aliquo peccato ex rationabili causa, quia prior facultas imprudens iudicata est. Et confirmatur, ac declaratur, quia post datam illam facultatem ante emissum votum, potest qui illam dedit, petere debitum, & alter tenetur reddere, quia nondum obligatus est altiori vinculo. Vnde ipse etiam licentiatus potest petere ante emissum votum, vt per se constat, & alter tenetur reddere; ergo signum est, nondum iura fuisse immutata ex vi solius facultatis; ergo reuocatio eius valida est, cum procedat ex iure proprio, quod adhuc durat. Quare in eo casu non dixerim melius facturam mulierem non vouendo, vt Richard. concludit; sed dixerim non posse vouere quoad non reddendum, quia voueret rem alienam; quoad non petendum vero ita posse vouere sicut supra dictum est de coniuge vouente sine licentia mariti.

Secundo si licentia reuocetur post emissum votum, Richardus dubius, & quasi problematicè procedit, vtriusque partis argumentum soluens. Fatetur enim opinionem communem esse, talem reuocationem esse inualidam, & votum semper manere firmum. Deinde addit aliam opinionem dicentem, nisi licentia fuerit data autoritate Diœcesani reuocari posse valide, quamuis reuocans peccet. Quod autem valeat reuocatio, probat ex cap. 1. de conuersio. coniug. Vnde cum opinio autoris intelligi debeat iuxta id quod allegat, vt Iuristæ dicunt, videtur plane Richardus non loqui de quocunque voto castitatis, sed de solemni facto per professionem religionis, nam de hoc est sermo in illo textu. Vnde etiam non loquitur de iure naturali, sed de positiuo. Iuxta quod certum est, professionem factam ab vno coniuge etiam de priuata licentia alterius ipso in sæculo remanente, non esse firmam, sed posse ab Episcopo reuocari coniugem illum, vt cum alio cohabitet, nisi alter velit perpetuam castitatem vouere, ad quod cogendus non est; ita enim statuitur in dict. c. 1. de conuers. coniug. Tunc autem alter coniux non reuocat licentiam, sed Episcopus declarat sufficientem fuisse, vtpote non secundum ius concessam. Vnde in eo casu nec peccare existimo coniugem, qui alium postulat à monasterio reuocari; quia prior licentia fuit inualida, & insufficiens, ideoque ipse semper retinuit ius suum integrum. Dum ergo illo postea vtitur, non peccat. Ex illo vero textu, & casu non potest argumentum sumi ad vota simplicia, & priuata, de quibus Ecclesia nihil disposuit. Quin potius in illo etiam casu, in quo maritus reuocatur à monasterio, vt cohabitet cum vxore, dubitari potest an sit liber à voto castitatis? Nam licet professio non tenuerit in eo, quæ præiudicat vxori, potuit valere votum quoad id, quod est in potestate, & iure ipsius mariti, iuxta cap. *quidem*, & cap. *placet*, de voto, in quibus ita iudicatur quando maritus professus est inuita vxore; ergo à fortiori idem erit, quando ex voluntate vxoris id fecit, etiamsi voluntas illa postea reuocetur. Nec argumentum ab irritatione votis solemnis per Ecclesiam facta ad votum simplex validum est, vt in superioribus vidimus.

4. *Post votum emissum alia opinio negat, alia affirmat.*

Videtur ergo illa sententia relinquenda: contrariam enim tenet Magist. in 4. d. 32. cum omnibus Doctoribus, quos supra retuli. Ratio autem huius communis sententiæ est supra tacta, quia eo ipso, quod alter coniugum alteri fecit facultatem vouendi, cessit iuri suo intuitu diuini honoris. ergo postquam materia illa iam est promissa Deo, nullum relinquitur ius coniugi, qui facultatem dedit ad reuocandam illam, & petendum debitum; ergo quantumuis ille reuocet, alter non potest licite reddere, quia non cogitur ad soluendum ius alteri, cum alter iam non habeat; ergo nullo titulo excusari potest, quo minus seruare votum teneatur; ergo reuocatio illa valida non est. Confirmatur primo à simili, quando votum factum est ab vtroque coniuge ex mutuo consensu: nam tunc irreuocabile est, vt Soto iam fatetur, etiamsi ex mutuo consensu reuocare illud velint. Ergo eadem ratione consensus datus ab vno solo est irreuocabilis ab ipso. Patet consequentia, quia non magis efficax est vnius voluntas ad reuocandum quod vtriusq; voluntate donatum fuit: imo videtur in hoc esse maior ratio, quia secluso voto, pactum mutuum etiam consensu reuocari potest; & tamen propter votum est irreuocabile: at ve-

at vero simplex promissio facta ab altero coniugum de non petendo debitum tali tempore, non potest ab eodem valide reuocari sine consensu alterius, licet cum illo possit. Ergo si talis concessio facta sit in ordine ad votum, & iam per votum firmata sit, manet illa irreuocabilis, quia nec alter potest reuocare valide sine consensu alterius, nec alter potest consentire ratione voti.

6. Superest vero reddenda differentia inter hoc votum, & alia. Diximus enim supra, si superior concedat subdito facultatem vouendi aliquid, & post votum emissum eam reuocet, reuocationem esse validam, etsi superior peccet. Quod à fortiori verum habet in aliis votis vxoris factis cum licentia mariti; imo de his expressius loquitur lex Numer. 30. iuxta expositionem August. receptam. Cur ergo non erit idem in voto continentiæ? Dicendum ergo est, duo esse in voto continentiæ vnius coniugis facto ex licentia alterius; scilicet non petere, & non reddere debitum. Propter primum non est necessaria facultas alterius coniugis, vt votum non petendi sit & validum, & firmum modo superius declarato; & ideo in hac parte non habet locum reuocatio, cum nec licentia loqum habeat. Quod si forte ex quadam vrbanitate, & ad maiorem tranquillitatem petita fuit, & concessa, multo minus poterit reuocari, cum illa non esset necessaria; & quanuis negata fuisset, & votum factum esset illa petita, & non obtenta, nihilominus firmum fuisset quoad hanc partem non petendi.

*Licentia non datur propriè ad votum reddendum.*

7. Proprie ergo agendum est de facultate non reddendi, in qua habet vnusquisque ius suum; & de hac dicendum est, non esse proprie facultatem, seu licentiam, qualis est illa, quæ à superiore datur, sed esse renunciationem proprii iuris, quæ dum voto firmatur, habet vim cuiusdam donationis irreuocabilis. ita sentit Gratianus supra. Ex quo in hunc modum explicatur, quia vir, & vxor in his, quæ ad torum, & castitatem spectant, pares sunt. Vnde sicut vxor non potest per se facere votum castitatis quoad non reddendum, ita nec vir: & sicut illa potest de consensu mariti, ita & hic de consensu vxoris; ergo signum est, hanc non esse licentiam superioris, sed renunciationem proprii iuris sicut in vxore, ita & in marito. Renunciatio autem iuris proprii quædam donatio est, & materia illius renunciationis iam est per votum dicata Deo, & ideo irreuocabilis manet. Hoc autem non ita est in facultate, quam superior dat ad faciendum aliquid, quia per illam nec renunciat, nec forte renunciare potest officio superioris, nec transfert ius in alterum, sicut in præsenti fit.

*Poßitur ßperior, quod facultas licentiam non firmet.*

*Vitatur.*

8. Adhuc tamen superest difficultas, quia in primis sequitur ex dictis; quoties maritus, v. g. liberè facit facultatem vxori non reddendi debitum, quanuis illam voto non firmauerit, nec etiam vxor votum castitatis emiserit, liberam illam manere ab obligatione reddendi debitum, ita vt licet velit maritus illam licentiam reuocare, non possit. Consequens autem est contra dicta, & contra omnes. Sequela quoad vltimam partem, in qua est difficultas, probatur, quia illa licentia est donatio quædam, nam per illam cedit maritus iuri suo, & remittit debitum vxori; ergo licet postea velit, non potest reuocare, nec iterum illam obligare; vel certe si tunc potest, etiamsi votum vxoris intercedat, poterit idem facere saltem validè, quia votum non tollit illi ius suum. Deinde si maritus fecit facultatem vxori promittendi Ecclesiæ calicem, & illa emisit votum, si maritus postea reuocet facultatem dandi, vxor liberatur debito voti; & tamen ibi etiam maritus cessit iuri suo, & donauit rem illam vxori quantum ad illum vsum; ergo similiter, &c.

Tertio est etiam grauis difficultas, si contingat maritum versari in graui periculo pollutionis, vel fornicationis, nisi vxor reddat debitum postquam ipse reuocauit licentiam datam, iura enim reuocant etiam à religione virum, qui cum facultate vxoris ingressus est, quando ipsa votum non emisit, nec vult emittere; idque propter vitandum periculum incontinentiæ in vxore; ergo à fortiori quando votum simplex factum est de licentia mariti, etiamsi licentia fuerit ad non reddendum, si illemet votum non emisit, & reuocet licentiam, vxor tenebitur illi parere saltem quoad reddendum debitum; idemque est de ipso marito, si ille fuit qui votum emisit. 9.

Propter hæc & alia videtur hæc pars non improbabilis, nihilominus recedendum non est à communi sententia, quæ videtur satis expressa Augustini epist. 199. & refertur in c. *quod duo* 33. q. 3. Est etiam Gratiani ibi post cap. *Manifestum*, & in fine quæstionis. Ratio etiam supra facta efficax est, magisque ex solutione harum difficultatum elucidabitur. Ad primam ergo respondeo, dupliciter posse maritum (idemque semper intelligitur de vtroque coniuge) illam licentiam concedere vxori ante votum emissum, vno modo in ordine ad votum omittendum: alio modo simpliciter & absolutè per modum cessionis, seu absolutæ remissionis debiti. Priori modo loquuntur Doctores, cum dicunt, posse talem licentiam reuocari ante emissum votum; Estque verissimum, quia nondum maritus abdicauit à se dominium, sed quasi sub conditione, & dependenter à voto vxoris. Si ergo hoc modo procedat argumentum, negatur sequela: Et est ratio clara, quia ante illud votum nondum est consummata, nec abdicatum est ius, & ideo potest valide reuocari. 10. *Responsio ad obiectionem.* *Duobus modis potest talis licentia concedi.*

Si autem maritus posteriori modo cessisset iuri suo, absolute scilicet, & sine ordine ad votum, concedo in rigore, & ex vi iustitiæ non teneri postea vxorem ad reddendum debitum, quantumuis alter reuocet, vt argumentum probat; quia fuit liberata à debito, & renunciatio habuit effectum, & consummata fuit absque voto. Et declaratur, quia si mutuo pacto vterque coniugum cedat iuri suo, etiamsi votum non faciant, vterque liber manet ab obligatione iustitiæ quoad debitum reddendum: nec tenetur alter consentire, licet velit alter à pacto recedere, quanuis in eo casu libere possit, vt dixi supra; ergo idem est etiamsi ex altera parte tantum facta sit renunciatio debiti, & proprii iuris. Patet consequentia; quia non minus est efficax, & irreuocabilis simplex donatio absoluta, quam alii contractus mutui. Non ergo potest cogi in eo casu vxor ad reddendum debitum; potest tamen, si voluerit, ratam habere reuocationem mariti, & tunc postea tenebitur reddere, quia postquam semel liberata fuit à debito, licet non possit inuita iterum obligari, tamen sua voluntate potest; cumque in eo casu votum non intercesserit, liberum erit ei id facere, si voluerit; imo aliquando recte faciet, si maritus indiguerit. 11.

Hinc vero sequi videtur, quod licet maritus post votum factum licentiam reuocet, vxor non teneatur reuocationem mariti acceptare, imo nec licitè possit, quia aget contra votum; nihilominus si illam accepteret, & voluntariè quasi reddat marito ius suum, seque denuo illi obliget licet in hoc peccet, validum tamen esse actum, & ex tunc tam teneri ad reddendum debitum, & consequenter non peccare in eo reddendo. Explico singula, & primo, quod non teneatur acceptare reuocationem mariti, constat ex dictis; quia nemo tenetur (loquor, per se) alteri reddere quod sibi donatum est semel, quantunuis alter velit donationé reuocare. Secundo quod non possit licitè, etiam est clarum, quia talis acceptatio repugnat 12. *Sex Corol. Soria l. mi. tantia propositam doctrinam commu. nem.*

pugnat voto, quia illud ipsum, quod sibi donatum fuit, Deo iam promissit, & dicauit; & ideo dum vult iterum illud humano iuri subiicere, contra votum agit. Tertio quod nihilominus illa reuocatio acceptata voluntariè ex parte vxoris teneat, patet; quia licet sit contra votum, non est contra iustitiam. Donatio autem alicui facta de re alteri promissa valida est: sic enim valet matrimonium non obstante priori voto simplici castitatis. Quarto hinc fit, vt vxor ex tunc teneatur reddere debitum, quia iam maritus retinet integrum, & expeditum ius, quod per matrimonium acquisiuit. Vinculum enim semper manet integrum, atque adeo proprietas, & dominium radicale in corpus alterius; solumque renuntiauerat vsui & iuri petendi. Sed hæc abdicatio sublata fuit per reuocationem ab vxore acceptatam. Quinto hinc tandem fit, vt non peccet vxor in posterum reddendo, quia nemo peccat seruando iustitiam, nec votum iam obligat ad oppositum. Simile exemplum est supra adductum de illo, qui duxit vxorem, cum votum castitatis haberet; peccauit enim id faciendo, postea vero non peccat reddendo, imo ad id tenetur. Sexto vero addendum est, in eo casu non posse vxorem illam licite petere, quia quoad hoc simpliciter votum mansit integrum, quod per se patet. Iuxta hunc ergo modum existimo limitandam & explicandam communem sententiam, etiamsi Doctores non ita distinctè hoc declarent.

13. *Satisfit primæ confirmationi.* Ad primam confirmationem aliqui putant idem esse dicendum in eo casu, scilicet si maritus reuocet licentiam ante votum vxoris factum, validam esse reuocationem; aliàs vero si votum iam factum sit, non esse validam, & vxorem posse, ac debere (si absque scandalo valet) votum suum implere, quia illa reuocatio est in præiudicium tertii. Veruntamen cum hoc præiudicium non sit contra iustitiam, sed solum contra votum, non potest ob eam solam causam reuocatio censeri nulla, sed illicita solum, & sacrilega. Et ita mihi videtur in eo casu dicendum, & sentit Caiet. in art. 8. Sot. & omnes. Negatur ergo similitudo rationis; nam in illo voto reali de calice Ecclesiæ dando, vel quid simile, nunquam maritus abdicat à se dominium, quod habebat in rem illam; imo licet non ipse, sed vxor habeat proprium, & directum dominium, non abdicat à se administrationem, quauis licentiam ad talem vsum præbeat; semper enim manet superior, etiam post licentiam datam. Et ideo si illam reuocet, factum tenet; in præsenti vero abdicat à se dominium, seu proprium ius, vt declaraui. Vnde in illo exemplo, & in quolibet simili voto reali eadem differentia versatur respectu voti continentiæ, quæ inter alia vota personalia ad idem votum continentiæ comparata; videlicet quod in continentia non se gerit alter coniugum, vt superior dans licentiam, sed vt æqualis cedens iuri suo. In aliis vero solum vt superior, qui semper retinet ius suum gubernandi, & regendi, & consequenter reuocandi facultatem datam.

14. *Satisfit secundæ.* Ad secundam confirmationem in primis dicitur, esse similem rationem quando votum factum est de licentia coniugis, vel sine illa. Nam in hoc posteriori casu retinet ille ius suum integrum, nec tenetur vllo modo abstinere, aut occasionem libidinis cum propria vxore vitare; illa etiam licet non debeat petere, debet tamen reddere etiam tacitè petenti; in eo autem casu censetur tacite petere, & ideo parere tenetur. At vero quando votum absolutum etiam quoad non reddendum factum est de licentia mariti; tunc ipse etiam maritus tenetur à coniuge abstinere, eamque non inducere ad malum, nec sese exponere periculo libidinis cum illa. Et ideo ipsa non excusatur ab obligatione propter periculum eius, sed debet quærere alia media, & cogere illum, vt eis assentiatur. Si vero sine magna separatione, & scandalo non possit vitari tale periculum vel proprium, vel coniugis, illa erit sufficiens causa obtinendi dispensationem, quam, vt infra dicam, Episcopus concedere poterit, vel aliquis confessor priuilegiatus. Per modum autem irritationis tale votum tolli non potest. Per quod etiam patet responsio ad alteram partem de voto solemni, seu professione religionis. Nam ibi etiam non tollitur obligatio per modum irritationis, sed auctoritate Ecclesiæ, quæ impediuit talis voti firmitatem, quod tamen in simplici voto non fecit. Et ratio fortasse fuit, vel quia professio est res publica, quæ maxime fit auctoritate ipsius Ecclesiæ; votum autem simplex est res priuata, & occulta; vel quia votum solemne est firmius, nec facile habet remedium si semel fiat omnino ratum, & validum. Votum autem simplex facilius auferri potest etiamsi à principio totum suum valorem obtineat. Et ideo de voto simplici vnius coniugis nihil Ecclesia disposuit; vt scilicet fieri non posset altero coniuge non vouente, sicut de professione religionis statutum est. *Sotus.*

Addit vero Abulens. quæst. 81. in cap. 30. Num. in hoc esse aliquam differentiam inter virum, & vxorem. Nam si vir fecit votum de licentia vxoris, procedunt indistinctè omnia, quæ diximus; quia nulla ratione vir debet consentire. At vero si vxor fecit votum de licentia viri, & ipse postea reclamet, & petat debitum, licet per se loquendo etiam vxor postea non teneatur parere, nec debeat, si absque incommodo possit; si tamen perturbatur inde pax, vel timet periculum; potest, & debet reddere. Quod si obiiciatur, quia vir, & vxor in hoc negotio sunt pares 1. Cor. 7. 33. quæst. 1. cap. *si quis vxorem* 1. quæst. 1. cap. *Præcepit*. Respondet, Ecclesiam absoluere in eo casu vxorem à voto ne maiora mala sequantur; quod tamen non concessit in viro; quia cum ille sit potentior, non est periculum, nec grauis discordia, etiamsi illi semper resistat. Ipse autem non ostendit vbi hoc concesserit Ecclesia, nec ego inuenio. Vnde in eo casu censeo esse optimam causam dispensationis; per se autem non esse sufficientem causam, vt cesset absolutè, & ex se obligatio voti in vxore, quauis in particularibus actibus possit interuenire excusatio, si intercedat periculum mortis, aut alicuius grauis mali, quod facilius potest ex parte vxoris contingere, quam viri; sed hoc per accidens est; absolutè enim semper est verum, tale votum non posse à marito irritari. *Abulens. aliam diff. fratrum supra.*

## Caput XI.

### *Vtrùm præter summum Pontificem aliquis per potestatem quasi ordinariam, seu generalem in voto simplici Castitatis dispensare valeat.*

*Inuocatio nominis Pontif.*

SVppono, solum summum Pontificem nunc de facto dispensare in voto etiam simplici castitatis. Et idem est de quatuor aliis reseruatis per potestatem simpliciter ordinariam; alios vero, si aliquando dispensant, solum id facere delegata potestate, seu ex priuilegio ipsis personis non officio in perpetuum concesso. Solum difficultas est hoc loco de Episcopis, vtrum pro aliquo casu habeant generalem facultatem, & quasi ordinariam ad dispensandum, seu commutandum in hoc voto castitatis? Et eadem ratio est de aliis reseruatis; in qua prima, & communis sententia hanc illis potestatem concedit in casibus, quibus necessitas reuera magna est, & periculum in mora, vel impotentia adeundi Pontificem.

*Conclusio.*

*Colli-*

2. Dendamnonici.

Colligitur hæc opinio ex interpretibus iuris Canonici in cap. *Veniens*, qui clerici, vel vouentes, vbi ob periculum fornicationis Papa licentiam tribuendam dicit cuidam fœminæ ad nubendum post emissum castitatis votum, vbi Panormit. num. 6. ait, in casu illius textus, seu in omni simili posse Episcopum dispensare; quia reperimus, inquit, casum concessum ab Ecclesia, & non reperitur sibi prohibita dispensatio: citatque Speculatorem tit. de legibus in §. *Nunc de Episcoporum*, vers. 122. absolutè dicentem, Episcopum posse dispensare in voto simplici castitatis. Quod dictum ex Ioanne Andr. & aliis doctoribus refert etiam Angelus *votum* 4. num. 9. Et dicit, limitandum esse ad duos casus. Vnus est, quando votum castitatis fuit ex aliquo metu emissum, etiamsi metus non fuerit omnino iustus: alius est propter periculum fornicationis, quando verosimiliter timetur de incontinentia. Quæ duæ circunstantiæ videntur concurrisse in casu illius cap. *Veniens*. vbi Cardin. Anton. in eadem sunt sententia. A quibus auctoribus in verbis videtur dissidere Sylvest. *votum* 4. quæst. 4. tamen in re existimo non dissentire; solum enim addit, requiri vt sit periculum in mora; & idem tenet Armilla verbo *dispensatio* num. 17. Tabien. num. 9. Palacius in 4. d. 38. disp. 3. Et idem sensit Nauarr. cap. cap. 12. n 76. vbi requirit, vt non possit adiri Papa.

3. Confirmatio.

Et confirmari potest hæc opinio, quia generaliter censent Doctores posse Episcopum dispensare simili necessitate vrgente in quocunque casu sibi alias non concesso, vel etiam prohibito, vt est communis sententia Canonistarum in cap. *at si clerici*. §. de adulteriis, de iudic. quam tenet etiam Sylvest. verb. *Dispensatio* §. 9. & Angel. num. 5. Nauarr. cap. 22. num. 35. & alii, quos refert Cordub. lib. 1. quæstion. q. 11. Ludouicus Lop. in Instructorio p. 1. cap. 49. Ergo idem dicendum est in præsenti casu; quia omnes rationes, quæ in aliis casibus mouere possunt, non minus vrgent in præsenti. Præcipua autem est, quia non est verisimile, Pontifices reseruasse huiusmodi casus cum eo rigore, vt etiamsi scandalum, aut periculum animarum interueniat, non possit ab Episcopis dispensari; quia Papa ita vtitur sua potestate, vt redundet in ædificationem animarum, non in destructionem. Et confirmatur ex ratione textus in cap. vlt. de pœnit. & remiss. ne propter dilationem pœnitentiæ periculum immineat animarum, &c. Iuxta quam etiam Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. ait, *ne occasione reseruationis aliquis pereat, custoditum ab Ecclesia semper fuisse, vt in extrema necessitate nulla sit casuum reseruatio.* Ergo simili ratione, ne ob dilationem dispensationis aliquis pereat, censendum est, in tali casu dispensationem similem non esse reseruatam.

4. Nihilominus contrariam sententiam tenent aliqui moderni; & sumi potest ex Corduba supra, & ex his, quæ ipse refert pro sua sententia, quanuis ipse non loquatur de dispensatione voti, sed de dispensatione in gradu prohibito ad contrahendum matrimonium in simili casu necessitatis. Videtur autem esse eadem ratio in vtroque casu; & ita extendit sententiam illam Emmanuel Rod. in expositione Bullæ Cruciatæ §. 9. dub. 1. n. 118. quanuis idem autor in sum. 2. p. cap. 100. num. 3. priorem sententiam teneat. Potest autem hæc sententia suaderi, quia dispensare est actus iurisdictionis, ergo nulla necessitas potest efficere, vt dispensatio data ab eo, qui iurisdictionem non habet, valida sit, quia necessitas ipsa non dat iurisdictionem; sed Episcopus non habet iurisdictionem ad dispensandum in his votis reseruatis; ergo neque in casu necessitatis potest in eis dispensare. Probatur hæc vltima consequentia, quia etiam tunc non habet iurisdictionem: quis enim illam contulit? Non quidem diuinum ius; suppono enim Episcopos non habere immediatè iurisdictionem à diuino iure; & quanuis haberent, negari tamen non potest, quin limitari, & saltem ex parte auferri possit per summum Pontificem. De facto autem limitata est, & ablata quoad hæc vota per se, ac regulariter loquendo. Quærimus autem, quo iure sit pro illo casu necessitatis restituta? Et hoc modo dicimus, non posse tunc ex iure diuino: nam quod per hominem ablatum est, non obstante iure diuino, ab eodem homine iterum dandum est, vt haberi possit. Nisi quis fortasse dicat, ipsum diuinum ius non permittere, vt pro tali articulo necessitatis reseruatio fiat, seu iurisdictio ab Episcopo auferatur. At hoc nulla ratione probabili dici potest; tum quia statim ostendemus, reseruationem in eo sensu factam non esse irrationabilem, vt iure diuino prohibita sit; tum etiam, quia multominus probabile est, eam fore validam; quod esset necessarium, vt Episcopus haberet iurisdictionem à iure diuino.

5. Neque etiam dici potest, quod in eo euentu habeat Episcopus iurisdictionem à iure humano. Nam si alicubi haberetur, maxime in cap. *veniens*, qui clerici, vel vouent. inde autem nihil tale colligitur: ergo. Maior certa est apud iurisperitos; nullum enim aliud ius inuenitur, in quo hoc committatur Episcopo. Minor vero probatur. Primo, quia glossa ibi exponit non dari in eo textu facultatem dispensandi, sed solum permittendi matrimonium illud ad euitandum maius malum. Hæc tamen responsio improbabilis est; tum quia nulla ratio erat permittendi tale matrimonium, si violandum erat votum, & sacrilegium committendum; tum etiam, quia verba non significant permissionem, sed facultatem, & licentiam; tum præterea, quia Pontifex dicit, tutius esse, tale matrimonium contrahere, quam in fornicationem incidere; & deinde dicit, vt satisfactione iuncta pro priori culpa licentia concedatur. Quid autem referret satisfactionem imponere pro culpa, & ad nouam culpam licentiam dare? Non est ergo dubium, quin ibi sit sermo de licentia ad actum licitum faciendum. Dicunt vero aliqui, vt Hostiens. ibi refert, illam non fuisse dispensationem, sed declarationem potius, quod votum non obligaret, eo quod factum esset post fidem desponsationis alteri datam. Sed hæc expositio supponit falsum; nam sicut votum solenne post matrimonium ratum tenet, & dissoluit matrimonium ipsum; ita probabilius est, votum simplex castitatis vel religionis post sponsalia etiam iurata validum esse, & illa dissoluit, maxime quando copula non intercessit, vt latius infra suo loco dicemus.

6. Alii ergo dixerunt, ex eo textu colligi non posse, quam potestatem habeat Episcopus circa votum castitatis; quia non constat, Pontificem ibi ad Episcopum scribere, vt illius iurisdictioni hoc committere censeatur. Assumptum patet, quia in textus inscriptione nihil de hoc habetur. Cum enim in quatuor præcedentibus capitulis dicatur: Alexander III. seu idem tali, aut tali Episcopo, in dicto cap. *Veniens*, solum dicitur idem, scilicet Alexander; cui autem respondeat, non dicitur, neque etiam in Concilio Lateran. p. 5. cap. 10. habetur. Nihilominus tamen probabilius est, etiam responsum illud datum esse alicui Episcopo: quod notauit Anton. August. in annotationibus circa illum locum, dicens: *Apparet ex superscriptione ad Episcopum mitti hoc rescriptum*; quod videtur colligere ex his verbis, quæ desunt in textu Decretalium: *Fraternitati tuæ per A. S. mandamus, &c.* nam hoc modo solet Pontifex ad Episcopum loqui. Colligi etiam potest ex fine textus; nam ibi supponitur, eum, ad quem Pontifex scribit, habuisse pastoralem curam illius mulieris, potuisseque illius matrimonium impe-

impedire, quandiu illa castitatis voto erat obligata. Huiusmodi autem iurisdictio per se ad Episcopum spectat.

7. Vera ergo expositio est, vel Papam ipsum immediatè dispensasse; ideoque scripsisse ad Episcopum, vt licentiam dare non dubitaret; id est, vt non prohiberet talem fœminam nubere. Sic enim exponit Innocentius ibi. *Non postponas*, id est, non prohibeas, quod non est intelligendum in sensu tantum permissiuo, iuxta primam expositionem; sed in hoc sensu, quod Papa dispensando tollit impedimentum, propter quod posset Episcopus tale matrimonium prohibere. Vel ad summum dicendum est, Papam commisisse talem dispensationem Episcopo, vt Palacius etiam animaduertit in 4. dist. 38. disp. 3. Ex quo potius sumitur argumentum in contrarium ab speciali; nam si in eo casu necessaria fuit specialis concessio summi Pontificis, signum est, Episcopum ex solo suo munere non posse in simili casu talè dispensationem concedere. Vnde quoad hoc non dubito, quin sit falsa generalis regula à Panormitano posita, scilicet, quotiescunque occurrerint circunstantiæ similes illis, quæ in casu illius textus mouerunt ad dispensationem concedendam, Episcopum posse dispensare ex se sine speciali commissione Papæ. Quod patet; nam in casu illius textus non potuit Episcopus eam dispensationem dare priusquam ad Papam recurreretur, & ipse suam autoritatem interponeret; interponit autem non declarando quod Episcopus id facere possit, sed interponit dispensando, vel saltem mandando, & committendo Episcopo, vt si ita est, ipse dispenset. Quod satis indicant illa verba, quæ in integro textu habentur: *Fraternitati tuæ per Apost. sedem mandamus*. Et confirmatur, ac declaratur amplius. Nam licet in casu illius textus interuenerint causæ sufficientes ad dispensationem, scilicet metus in vouendo, & periculum in implendo; nulla autem interueniebat necessitas dispensandi sine recursu ad Pontificem, cum ille non fuerit difficilis; & ideo de facto seruatus fuerit; ergo ex illo textu potius colligendum est, quoties similes causæ occurrerint, ad Pontificem recurrendum esse; dicere enim eo ipso, quod Pontifex casum illum commisit Episcopo, condidisse vniuersale ius, vt in omni simili casu possit Episcopus dispensare sine recursu ad Pontificem; est quædam extensio planè improbabilis, & sine vllo fundamento in textu, vel in iure, & contra communem etiam Ecclesiæ consuetudinem circa dispensationem talis voti. Quod si quis fortasse dicat, colligi saltem ex illo textu, quod concurrentibus eisdem, vel similibus causis ex parte dispensationis, & existente difficili aditu ad Pontificem Episcopus possit per se dispensare: non video etiam ex quibus verbis illius textus hoc colligatur, nec qua efficaci ratiocinatione: nam ad summum fieri potest hæc coniectura; quod si Pontifex in tali casu commisit Episcopo; idem esset facturus in simili casu, si ad illum pateret recursus; ac proinde quando non patet, tacitè, seu interpretatiuè censetur eandem facultatem committere Episcopo.

8. At vero hinc augetur difficultas, & consummatur inchoatus discursus. Ex dictis enim satis ostensum videtur, Episcopum in eo casu non habere iurisdictionem ordinariam ad dispensandum, quia neque habet ex iure diuino, neque ex iure communi, neque ex vi proprii muneris tantum. Habetur etiam ex dictis non habere illam delegatam per aliquam expressam voluntatem Pontificis, quia nec per generalem habet, cum hæc nullo iure habeatur; nec per specialem, cum supponamus non fieri recursum ad Pontificem. Tantum ergo superest, vt dicatur, illam habere per voluntatem interpretatiuam, seu coniecturatam: hæc autem non videtur in præsenti sufficiens ad talem actum, quia huiusmodi voluntas satis non est ad dandam iurisdictionem, vt constat de iurisdictione ad absoluendum à peccatis, vel à censuris, vt in propriis locis dictum est. Et in præsenti declaratur; quia vel tales coniecturæ ostendunt futuram voluntatem, quæ solet dici ratihabitio de futuro; & de hac certum est, non sufficere ad exercendum validè actum iurisdictionis; nam voluntas postea subsequuta non potest dare iurisdictionem pro tempore præterito; vnde nec potest facere, quin dispensatio data sine iurisdictione inualida fuerit, sed solum potest illam denuo concedere. Vel illæ coniecturæ ostendunt voluntatem superioris pro illo tempore solum sub conditione; scilicet, quia si hic & nunc sciret occurrentes circunstantias, vellet dare iurisdictionem, vel dispensationem: & hoc etiam non sufficit, quia conditionalis nihil ponit in esse quandiu conditio non est posita: hic autem conditio non ponitur vt supponimus, quia Papa non potest aditi, vel de facto ab illo non postulatur dispensatio, nec ei datur notitia talium circunstantiarum: ergo illa voluntas conditionata non sufficit ad dandam iurisdictionem.

9. Vel denique coniecturæ ostendunt hanc fuisse à principio Pontificum voluntatem, scilicet quia vel in ipsa reseruatione voluerunt tale votum pro tali euentu reseruari, vel (quod perinde est) quia in ipsamet institutione, seu determinatione Episcopalis iurisdictionis, voluerunt generaliter vt se ostenderet ad omnes huiusmodi euentus quasi immutabiliter; & hoc quidem sufficiens erit; difficile tamen est afferre tales coniecturas, quæ hanc voluntatem sufficienter ostendant; easque diligenter examinare necesse est, quia materia est grauis, & ad salutem animarum multum necessaria, & valde generalis ad plures materias; supponimus autem ad viurpandam iurisdictionem, seu exercendum actum eius non sufficere quancumque leuem coniecturam, sed eam, quæ saltem efficiat moralem probabilitatem, & certitudinem. Possumus autem has coniecturas in duos ordines distinguere, quos vocare possumus facti, & iuris. Facti coniecturas vocamus illas, quæ directè indicant voluntatem superioris qui daturus fuit iurisdictionem, & hæ sunt omnium optimæ: quia iurisdictio per voluntatem datur, & ideo propria signa iurisdictionis sunt ea, quæ directè indicant hanc voluntatem. Inter hæc autem quædam indicant illam immediatè, vt verba, scriptura, atque etiam aliqua facta eiusdem superioris, quamuis hæc minus soleant expresse significare. Quædam vero mediatè, vt est vsus & consuetudo; vt enim alibi diximus, consuetudo per se non potest dare iurisdictionem, indicat tamen voluntatem superioris dantis illam. In præsenti autem nullum ex his signis habemus, quæ ostendant Pontificis voluntatem, quia nec habemus verba eius, nec ius scriptum, neque aliquod eius factum, quod demonstret hanc voluntatem, vt ex dictis, præcipue circa cap. *Veniens*, manifestum videtur. Neque enim constat nobis de consuetudine, quam Episcopi habeant dispensandi in hoc voto, aut in aliis reseruatis, sed contrarium potius consuetudine receptum est.

10. Coniecturas iuris appello eas, quæ non tam ostendunt voluntatem ipsam, quam debitum habendi illam, id est, quæ probare videntur Pontifices, aut non debuisse, aut iure non potuisse auferre talem iurisdictionem Episcopis pro similibus euentibus; quia credendum est, Pontificem eo modo facere aliquid quod iure debet ac potest. Hæ vero coniecturæ per se solæ valde incertæ sunt; quia sicuti dicimus generalem legem non cessare in particulari, nisi

nisi quando finis eius contrariè cessat; ita in præsenti dictæ coniecturę per se solæ non sufficienter ostendent talem voluntatem in particulari casu cum exceptione à regula generali, nisi ostendant aliam voluntatem fore iniquam, & contrariam bonæ gubernationi: quod tamen difficillimum est ostendere, præsertim in casu præsenti. Quia dispensatio in voto, moraliter loquendo, numquam potest esse adeo necessaria ad salutem. Aut enim obseruatio eius in tali euentu est contraria bonis moribus, vel moraliter impossibilis; & tunc non est necessaria dispensatio: nam ipsa obligatio voti per se cessat, vt supra ostensum est. Poterit autem tunc Episcopus habere specialem auctoritatem interpretandi, & iuridicè declarandi eam esse occasionem, in qua voti obligatio cessat, quia hæc potestas conuenit illi ex vi sui muneris, & non est ablata, nec restricta circa vota alias reseruata quoad dispensationem. Aut obseruatio voti in tali casu est simpliciter bona, & moraliter possibilis: & tunc quamuis multæ causæ dispensationis occurrant, nihilominus finis reseruationis voti non cessat contrariè, quia nulli fit iniuria, etiamsi reseruatio vsque ad illum casum extendatur: neque propterea fit aliquid, quod absolutè sit contra spiritualem salutem subditi, vel quod constituat illum in morali periculo peccandi, cum supponatur moraliter posse occurrentes difficultates vincere, & seruare votum. Quod autem inde sequantur alia moralia incommoda, valde accidentarium est, & insufficiens ad illam interpretationem faciendam.

11. Dispensatio reseruationis casuum, & peccatorum, seu diuersa.

Et in hoc est maxima diuersitas inter reseruationem voti quoad dispensationem, & reseruationem peccati, seu censuræ quoad absolutionem: nam multo maius periculum imminere potest ex hac reseruatione, quam ex priori, & ideo argumentum quod ab hac posteriori sumebatur, non est efficax; imo potest in contrarium retorqueri: primo quidem, quia etiam reseruatio culpæ non cessat generaliter propter quemcumque gradum necessitatis, sed solum propter extremam, seu mortis periculum. Deinde, quia etiam in illo casu potestas ad absoluendum non sumitur ex sola congruentia iuris, sed adiuncta consuetudine. Vt colligi potest ex illis verbis Concilii Tridentini Sessione 14. capite septimo. *Verumtamen piè admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt in articulo mortis nulla sit reseruatio.* Vbi vtrumque indicium iuris, & facti coniunxit. Et ideo Corduba supra generaliter probat, ad huiusmodi actus iurisdictionis non satis esse ostendere debitum voluntatis superioris, nisi ostendatur etiam voluntas. Quod quidem verissimum est, quia non debitum voluntatis, sed actualis voluntas est, quæ dat iurisdictionem: Nos vero addimus, ex debito, etiamsi probetur, non satis colligi voluntatem; maxime quando illud debitum non ostendit contrariam voluntatem esse turpem, aut contra bonos mores. Eo vel maxime, quod in hac materia dispensationum non omne id quod videtur expediens in aliquo euentu respectu particularis personæ, est simpliciter expediens respectu boni communis, vel ad debitum vsum talis potestatis: & è contrario in reseruatione ea quæ videtur esse nimis rigorosa in particulari euentu respectu priuatæ personæ, absolute & consideratione boni communis fortè non est rigorosa, sed expediens, quia minus incommodum est, v. g. in præsenti materia quod aliquis cogatur pro aliquo tempore carere dispensatione, & superare difficultates occurrentes ad seruandum votum, quam vt aperiatur ianua ad eneruandam huiusmodi reseruationem, & ad committendum vniuscuiusque arbitrio iudicium de necessitate talis dispensationis, & periculi, ac difficultatis, & moræ consulendi summum Pontificem.

12.

Cæterum quamuis hæc posterior sententia in rigore iuris, & rationis satis efficaciter confirmetur, quia tamen prior nunc magis recepta est, & in praxi potest esse necessaria, ideo illam absolutè magis approbo; præsertim si conuenienti modo applicetur, sicut statim applicabimus; atque ita eam semel, atque iterum sequutus sum tum præcedenti tomo lib. 9. de voto cap. 26. à n. 8. generatim agendo de votis reseruatis, tum etiam tract. de Leg. lib. item 6. c. 14. n. 10. agendo de potestate Episcoporum ad dispensandum in lege superioris in casibus extraordinariis, & vtrobique plures in hanc sententiam allegaui, quibus nunc adde Lessium lib. 2. de iustitia cap. 40. dub. 13. n. 106. & Ledesmam tom. 2. summæ.

13.

Ad hanc igitur sententiam plenius explicandam duas statuo regulas generales, ex quibus melius intelligitur quantum, & quando possit Episcopus cum subditis in voto castitatis dispensare. Prima est, quando in illo casu vrgentis necessitatis, & difficilis accessus ad Pontificem subueniri potest necessitati subditi sine absoluta dispensatione in voto, non potest Episcopus illam concedere. Probatur, quia nec potest iure ordinario, vt ex reseruatione supponitur; neq; ratione necessitatis, quia illi potest aliter quam per absolutam dispensationem subueniri, vt in casu, & in supposita regula supponitur. Secunda regula est, in eo casu si sit necessaria aliqualis dispensatio, vel moderatio in vsu talis voti pro aliquo tempore, vel pro aliqua parte eius, concedi posse ab Episcopo, quando grauis est necessitas, & difficilis recursus ad Pontificem. Probatur ex dictis in præcedenti puncto de votis affirmatiuis: nam hæc etiam non est dispensatio simpliciter in tali voto; sed tantum secundum quid: ergo non censetur reseruata; maxime concurrentibus dictis circunstantiis.

*Primaregula. Quando Episcopus in casu vrgentis necessitatis alio modo potest subuenire, non potest dispensare in voto castitatis.*

*Secunda regula. In eo tamen casu potest aliqualem dispensationem in vsu voti concedere.*

14. *ponuntur tria exempla.*

Exempla sunt. Primum si fragilis fœmina votum castitatis habeat, proindeq; maxime indigeat dispensatione, vt nubere possit, & ex dilatione maximum timet periculum peccandi sæpius, & incurrendi grauem infamiam, & amittendi optimam occasionem alicuius matrimonii. Secundum exemplũ est, si esset periculum quod aliquis voto castitatis astrictus moreretur absque filiorũ legitimatione, & fortasse cum animæ periculo. Tertium, quod frequentius in praxim venire solet, est, si quis post votum castitatis matrimonium illicitè contraxit, & postea sit in magno periculo sæpius peccandi eò, quod non possit licitè petere debitũ: poterit quidem Episcopus cum eo dispensare ad petendum, non poterit tamen absolute dispensare in illo voto castitatis. Primũ asseruit Soto in 4. d. 37. art. 2. sequutus Syluestrũ verbo *dispensatio.* q. 9. Indicat autem Soto probabile esse hoc posse Episcopũ iure ordinario, etiamsi non sit difficilis aditus ad summũ Pontificem. Et videtur sequi ex dictis à nobis, nam si illa dispensatio non sit contra reseruationem, simpliciter erit in potestate Episcopi. Syluester autẽ tum ibi, tum clarius *Votum.* 4. q. 4. melius docet, hoc non posse Episcopũ nisi in casu necessitatis, & difficilis aditus ad summũ Pontificem, ita vt sit periculum in mora. Ratio est, quia licet illa non sit totalis dispẽsatio in voto castitatis; tamen est partialis, seu quoad aliquem actum voto contrarium: ergo in rigore etiam illa dispensatio sublata est per reseruationem: nam qui non potest dispensare in aliqua lege, non potest dare licentiam ad faciendum vnum actum prohibitum per illam legem; ergo similiter in præsenti: necessarium ergo est vt saltem sit difficilis recursus ad Pontificem, & periculũ instet, vt Episcopus possit legitime hac vti potestate. Ratio autem superius à nobis facta in eo sensu intelligenda est, vt

est, vt solum intelligamus non esse hanc dispensationem directè, & adæquatè contrariam reseruationi, nec per se primo per illam intentam, non vero quod nullo modo sit in illa inclusa.

15. *Obiectio diluitur.*

Dices, rationem hoc modo explicatam non conuincere quod intendit. Respondeo. Fateor non esse demonstrationem, deseruit tamen ad explicandum quomodo hic actus facilius concedi possit Episcopo in tali necessitate, quia non est contra primariam intentionem reseruationis. Cuius etiam argumentum est, quia per priuilegia religiosorum facile conceditur potestas ad hanc dispensationem, cum tamen facultas ad absolutam dispensationem in voto contineantiæ nullo modo concedatur. Vbi etiam obiter aduerto quod licet religiosis detur priuilegiū generale ad dispensandū in votis : nunquam intelligitur comprehensa facultas ad dispensandū cum coniuge in prædicto casu, nisi specialiter exprimatur : quod satis constat tam ex forma dictorum priuilegiorum, quam ex illorū vsu. Et hoc etiam est signum Episcopum non posse per se & absolute dare hanc dispensationem; ex accidenti autem posse in prædicto casu : & vtrumque etiam comprobat consuetudo.

*Potestas religiosis concessa ad dispensandum in voto, non extenditur ad dispensandū cum coniuge ad petendum debitum, nisi exprimatur.*

16. *In casu necessitatis potest Episcopus dispensare cum habente votum ad petendum debitum tantum, & ad nihil aliud.*

Circa alteram partem Syluester supra nihil distinguere videtur inter dispensationē cum tali coniuge ad petendum debitum, & in voto castitatis, & significat vtranq; posse concedere Episcopum in eo casu. Mihi autem videntur hæc duo esse distinguenda, si proprie loquamur : large enim loquēdo, ipsamet dispensatio ad petendū debitum, est quædā dispensatio in voto castitatis, est tamē dispensatio partialis & secundum quid, vltra quam potest intelligi absoluta relaxatio totius voti, ita vt ex vi illius ad nullum actum, & pro nullo tēpore aliqua maneat obligatio. In hoc ergo casu Episcopum non posse in illo voto coniugis dispensare, probatur, quia si dispenset cum illo ad petendum debitum, sufficienter subuenit necessitati eius: ergo non est cur tollat ab illo duplicem aliam obligationem quæ ex tali voto prouenire potest sine morali periculo. Vna est, ad seruandā castitatem coniugalem durante matrimonio : alia ad seruandā perpetuam castitatem, si matrimonium quacumque ratione dissoluatur. Cum ergo votū castitatis prius factum totum hoc includat, non poterit ab Episcopo in eo casu omnino tolli. Et confirmatur; nam potestas in eo casu solum conceditur Episcopo veluti per quandam epiichiam : ergo solum id concedendū est ei, quod simpliciter necessariū fuerit ad subueniendum subdito in tali periculo : huiusmodi autem solum est petere debitum, non vero reliqua.

17. *Obiectio diluitur.*

Dices, repugnat, vt manente voto castitatis, fiat licitus actus petendi debitum. Respondeo, ex dispensatione non repugnare: quando enim promissio includit obligationem ad multa, bene potest is, cui facta est promissio, remittere vnum, non remittendo alia : hoc ergo etiam potest in materia voti facere Deus, vel eius dispensator illius nomine. Vnde non est dubium, quin Papa possit hoc modo aliquando dispensare cum tali coniuge : imo aliquando erit iusta dispensatio si hoc modo detur, non vero si absolutè concedatur à summo Pontifice, non quidem ex defectu potestatis, si causa subesset, sed ex defectu causæ. Et in hoc est differentia notanda inter Pontificem & Episcopum in prædicto casu, quod Pontifex, si sufficiens causa subsit, potest votum relaxare : Episcopus vero etiam subsistente rationabili causa non potest absolutè totum votum relaxare, si periculum moræ tantum sit in non petendo debitum. Sicut in superiori tomo lib. 6. de voto dixi, non posse omnino auferre votum peregrinationis Hierosolymitanæ, sed solum differre executionem quando periculum moræ solum est in accelerata voti obseruatione. Ex quo etiam obiter colligo, eos qui habent priuilegium ad dispensandum cum huiusmodi coniuge in petitione debiti, non posse dispensare absolutè in voto castitatis omnino auferendo illud, etiamsi causa rationabilis non desit, quia deest potestas, nam ex vi talis priuilegii non datur facultas ad tollendum simpliciter votum, sed solum ad dispensandum in illo actu durante hoc matrimonio : nam verba priuilegii non sunt extendenda vltra suam proprietatem & formalitatem : dispensare autem quoad petendum debitum propriè & in rigore non est omnino auferre votum : vt omnes fatentur, & est per se notum ex dictis.

*Episcopus quamuis autem causa, non potest dispensare cum coniugato in toto voto castitatis, sed tantum ad petendum debitum.*

Secundum exemplum sit de voto castitatis emisso post consummatum matrimonium, quod potest esse factum variis modis. Primo quod sit tantum non petendi debitum : & de hoc nullum est dubium quin possit ab Episcopo dispensari, siue sit factum de licentia alterius coniugis, siue non, quia illud præcisè sumptum non est votum castitatis, & ideo non est votum reseruatum; dispensari ergo potest ab Episcopo, non tantum in accidentali casu ob periculum moræ, sed per se, & ex vi suæ potestatis. quod à fortiori patebit ex his quæ dicemus de voto non nubendi. Vnde etiam constat, quod licet tale votum factum sit ab vtroque coniuge ex mutuo consensu; si in obiecto & materia sua nihil amplius includat, potest ab Episcopo dispensari. Probatur eadem ratione, quia vtriusque votum in eo casu non est simpliciter votum castitatis : & ita tenent plures autores statim citandi. 18. *Quid possit Episcopus circa votum facta post matrimonium.* *contractum.*

Secundo potest tale votum esse absolutum, & ex se de perpetua castitate. Potest autem fieri, vel ab vtroque coniuge ex mutuo consensu, vel ab vno tantum ex licentia alterius, vel à quolibet eorum sine alterius facultate. De voto posteriori modo facto est in primis controuersia inter auctores, an possit per se ab Episcopo dispensari tanquam votum non reseruatum ? Affirmat Maior in 4. d. 32. q. 2. Soto d. 27. q. 1. art. 4. circa finem. Sed reuera hæc sententia in hoc sensu mihi non est probabilis, quia tale votum vtriusque coniugis est verum votum castitatis simpliciter, nam obligat, & ad castitatem seruandam extra matrimonium cum quacumque alia, & ad seruandam illam inter se, tam non petendo, quam non reddendo debitum, & ad non contrahendum iterum, etiamsi alter eorum decedat : & ita melius sensit Nauar. c. 12 n. 59. Palac. d. 38. disp. 2. non posse Episcopum in tali voto dispensare, & fortasse alii auctores non sunt in eo sensu loquuti, vt statim dicam. 19. *Quomodo votum petendi debitum tantum, & non reddendi, sit votum castitatis, vel secus.*

Quanquam enim dicta sententia vera sit de absoluta seu integra dispensatione dubitari tamen potest an saltem possit Episcopus cum talibus coniugibus dispensare, vt durante matrimonio possint inter se petere, & reddere manente obligatione voti quoad omnia alia, & quoad absolutam & perpetuam castitatem in eo qui superuixerit. Potest autem hoc dubitari vel simpliciter, & per se, ac ex ordinaria potestate Episcopi, vel in casu in quo imminet graue periculum propter moram vel difficultatem adeundi summum Pontificem. Multi ergo affirmant Episcopum posse dispensare priori modo. Et hæc videtur fuisse sententia Soti & Maioris. Et loquuntur consequenter, quia idem sentiunt, præsertim Soto de dispensatione ad petendum debitum cum eo qui castitatis votum habebat antequā matrimonium contraheret, nam est quædam maior ratio in præsenti casu, quam in illo, eo quod in illo quando votum antecessit, cum iniuria & transgressione eius constituit se aliquis in eo statu, in quo postea sentit periculū. In præsenti vero casu nulla præcessit malitia vel transgressio voti. Hæc vero differentia quamuis ostendat ex par- 20. *An saltem possit dispensare cum petitione debiti.*

ex parte vouentium esse aliquam maiorem congruitatem ad dispensationem in præsenti casu quam in præcedenti, non tamen ostendit esse in Episcopo maiorem potestatem, nam ad hanc nihil confert malitia, vel innocentia vouentis. Imo malitia quæ præcessit, parum obstat, quia ratio dispensationis ex præsenti periculo attendenda est.

21. *Opinio Nauarri.* Propterea Nauarr. supra, quem multi sequuntur, ait in hoc voto non posse dispensare Episcopum ordinario iure; sentit tamen posse dispensare in eo casu, in quo vrget periculum, & est difficilis accessus ad summum Pontificem. Nihil autem ipse distinguit de dispensatione simpliciter, seu totali, & de dispensatione ad petendum debitum; & sane de vtraque videtur loqui. Nam maior quem citat, & cuius sententiam sic limitatam approbat, de hac loquitur. Ego vero non censeo esse extendendam hanc facultatem ad dispensationem totalem propter easdem rationes supra factas, quæ eandem vim in præsenti habent, quia etiam in hoc casu non est talis dispensatio necessaria, neque quoad eam est periculum in mora, vt non possit & debeat talis dispensatio à summo Pontifice postulari. Igitur intelligenda est hæc sententia de dispensatione secundum quid, & hoc sensu est vera, sicut in præcedenti puncto diximus. Quoad aliquid vero maior est hæc dispensatio, quam in præcedenti casu: nam ibi solum est dispensatio ad petendum, quia ad reddendum non est necessaria dispensatio etiamsi votum castitatis ante matrimonium præcesserit, hic autem dispensatio fit tam ad petendum, quam ad reddendum, quod non est inconueniens, si vtrumque est necessarium ad vitandum periculum. Potest tamen non incongrue dici, etiam hic dispensationem formaliter tantum cadere in petitionem debiti, quoniam hæc satis est: nam eo ipso quod petere vni coniugum est licitum ex dispensatione, etiam reddere est licitum alteri, imo & debitum etiamsi in hoc formaliter dispensatum non sit. Vnde posset Episcopus in eo casu dispensare cum fœmina ad petendum, & cum viro nullo modo: & nihilominus tenetur tunc vir, non obstante priori voto, ad reddendum vxori petenti, ipse tamen non posset petere, neque etiamsi peteret vxor posset ei licitè reddere debitum, quia ille neciustè, nec licitè peteret. Interueniente autem sufficiente causa, posset Episcopus cum vtroq; dispensare ad petendum, & consequenter manebunt etiam dispensati ad reddendū. Exemplum simile est, si contingat vtrumque coniugem ante matrimonium emisisse votum castitatis, tunc enim post matrimonium neuter posset petere, & fortasse nec reddere, vt multi volunt, propter cooperationem ad malum; quod tamen incertum est, vt supra tetigi. Cum illis autem posset in simili casu Episcopus dispensare ad petendum, vt patet ex supradictis: nam qua ratione potest cum vno, poterit cum vtroque si vterque indigeat. Denique addit Panormitanus in c. *tuanos.* 2. de iureiur. n. 2. & 6. Episcopum in eo casu, scilicet, quando coniuges sunt iuuenes, & graue periculum maioris peccati immineat, non solum posse dispensare cum illis volentibus, sed etiam posse eos cogere ad illam acceptandam, quia potest eos cogere ad honeste viuendum, & morale periculum peccandi vitandum, quod est probabile. Vt tamen ad praxim possit reduci, necesse est quod de tali periculo publicè & manifestè constet, & quod alia via tolli non possit.

22. Atque ex his facile constat quid dicendum sit de voto emisso ab vno tantum coniuge. Clarū est enim si in eo casu similis necessitas intercedat, posse Episcopū dispensare cum illo coniuge vt petat debitum: nam si hoc potest facere cum vtroque simul vbi votū ratione pacti mutui videtur firmius, maiori ratione id facere poterit cum altero tantum, pari causa præsuppositā: secluſa autem simili occasione & necessitate, non credo id posse, sed recurrendū esse ad summum Pontificem, vt in similibus casibus dixi. Oportet tamē semel animaduertere, in huiusmodi casibus quando ineſt periculū, moraliter loquendo tale esse, vt non patiatur moram eundi ad Pontificē, interim enim multa peccata committentur, vel moraliter timeri possunt, & propterea multi Doctores absolutè dicunt posse Episcopum dispensare cum huiusmodi coniuge ad petendum debitum. Dispensare autem simpliciter etiam in eo casu tollendo votum, non potest, propter easdem rationes supra factas.

23. *Obiectio.* Dicet aliquis, hoc votum factum ab vno tantum coniuge non est absolutè & simpliciter votum castitatis, quia non obligat ad non reddendum debitum, etiamsi ex consensu alterius sit factum, quia dando facultatem alteri ad vouendum, non propterea qui illam dat, cedit omnino iuri suo, aut se obligat ad non petendum: ergo tale votum non est reseruatum, quia cum reseruatio sit odiosa, restringi debet ad illud votum, quod simpliciter & absolute tale est, vt statim variis exemplis constabit. Et hoc magis vrget quando votum est sine consensu alterius coniugis, quia ex se minus firmum est, adeo vt multi putent esse nullum. *Responsio.* Respondeo, imo tale votum ex se esse simpliciter & absolutè integræ castitatis, quantum est ex parte vouentis (suppono enim hac intentione factum esse) & signum erit, quia si alter coniux moriatur, ad omnimodam castitatem obligabit. Idem ergo facit statim quantum est ex se, quia obligatio eius non fuit per intentionē vouentis dilata. Quod autem durante matrimonio possit reddere debitum, est ex impedimento materiæ, non quia votum ipsum in se sit diminutum, aut dimidiatum, & ideo tale votum reseruatum est. Nec refert quoad hoc, vt sit factum sine consensu alterius coniugis, quia hoc nec minuit valorem, nec tollit integritatem talis voti, facilitare autem potest dispensationem, suppositā tamen potestate in eo qui dispensaturus est.

*Votum castitatis factum ab vno coniuge cum consensu alterius, vel sine illo, est reseruatū.*

24. *Conciliantur duæ opiniones initio positæ.* Hactenus explicuimus quomodo in casu speciali propter periculum imminens possit Episcopus dispensare ex parte in his votis negatiuis: superest vt dicamus, an etiam possit aliquando simpliciter dispensare omnino tollendo votum. Quoad hoc enim videtur maxime procedere secunda opinio supra tractata, quæ posset in concordiam redigi cum communi sententia de dispensatione tantum ex parte, cum affirmat Episcopum posse dispensare, illam vero sententiā, quæ hoc negat, exponendo de dispensatione simpliciter & totali. *Obiectio.* Obiici vero potest, nam vel occurrit cum eadem proportione necessitatis, & periculi casu in quo sit tam necessaria dispensatio absoluta, sicut in alio est necessaria dispensatio partialis; vel in hoc non seruatur proportio. Si hoc posteriori modo procedatur, non est doctrina formalis, neque ad rem, iam enim ostensum est potestatem Episcopi ad dispensandum in his casibus, non extendi ad ampliorem dispensationem, quam necessitas postulet: quapropter si necessitas non postulet dispensationem totalem, mirum non est quod illam non possit concedere. Si autem proponatur proportio in necessitate, ita vt tanta sit necessitas in hoc casu dispensationis absolutè, quanta in illo dispensationis secundum quid; non videtur neganda Episcopo proportionalis potestas, si consequenter loquamur. Quia potestas ad dispensandum ex parte in aliquo casu, non ei conceditur per se, sed ex accidenti, & quasi per epiicheiam, & subintellectam exceptionem: sed seruata dicta proportione, eadem est ratio potestatis eius quoad vtramque dispensationem, quia tota ratio in subditorum necessitate fundatur.

25. *Responsio.* Respondeti potest primo negando totam rationem huius potestatis sumi ex necessitate, hæc enim nec dat iurisdictionem, nec sola est sufficiens signum eius, nisi accedat aliqua consuetudo quod Episcopi aliqualem dispensationem concedant in huiusmodi votis: quod autem absolutè dispensent nulla videtur esse consuetudo. Præterea dici potest (& est radix dictæ diuersitatis in consuetudine) occasiones, & pericula, in quibus sit necessaria dispensatio secundum quid, esse frequentes, & morales; & ideo ad bonum regimen animarum necessarium fuisse vt tales casus non omnino eximerentur ab Episcoporum iurisdictione, nisi tunc solum, quando facilis esset aditus ad summum Pontificem. Casus vero in quo absoluta dispensatio sit necessaria, vel nullus est, vel adeo rarus, vt non veniat in moralem considerationem; & ideo reseruatio talis dispensationis omnino absoluta est, & sine exceptione, qua leges morales non respiciunt casus rarissimos, & inusitatos. Probatur & declaratur hæc doctrina ex alia communi Theologorum, qui dicunt Episcopum secluso speciali iure, posse dispensare in lege pontificia, quando casus frequens occurrit, nō vero si rarus sit; nisi aliunde de potestate constet, vt videri potest in Caiet. 1.2. q.97. & Sot. 1. de Iust. q. 7. art. 3. & Cordub. l. 1. qq. quæst. 11. ergo ad eundem modum recte in præsenti philosophamur ad tempus, vel ex parte in voto castitatis, eo quod frequenter necessarium sit concedi Episcopis, totalem vero non concedi, cum rarissima esse possit, & de tali potestate aliunde non constet.

26. *In nullo casu Episcopus in voto castitatis totaliter dispensare potest.* Concludo igitur, moraliter loquendo & absolutè Episcopum nunquam posse absolutam, seu totalem dispensationem concedere in voto castitatis perpetuæ propter discursum factum. Si quis autem speculatiuè defendere velit data hypothesi habere hanc potestatem, quæ per hanc conditionalem explicatur, *Si occurrat casus tantæ necessitatis, &c.* non multum cum eo contendendum censeo, quia existimo hypothesim non esse moralem, & ideo ad praxim nihil referre, quamquam ex hocipso principio probabilissime concludatur, de facto non esse datam potestatem hanc pro tali casu excogitato potius, quam vero vel possibili.

## Caput XII.

### *Aliquot dubia circa reseruationem voti simplicis castitatis.*

1. *Primum dubium; an votum castitatis temporale sit reseruatum.* PRimum circa votum castitatis dubitari solet, si illud perpetuum non sit, sed temporale, an sit reseruatum, vel possit per Episcopum dispensari: vt, v. g. si voueat quis seruare continentiam per annum, &c. in quo communis resolutio est hoc votum non esse reseruatū, sed posse per Episcopum dispensari. ita Palud. in 4. d. 38. q. 4. a. 4. concl. 5. D. Antonin. 2. p. Theolog. cap. 2. n. 6. Sylueſt. *Votum* 4. q. 3. & omnes Summistæ eodem verbo, Soto lib. 7. de iustitia q. art. 3. Nauarr. in summ. cap. 12. n. 76. Card. Tolet. lib. 4. c. 18. n. 11. Azor tom. 1. lib. 11. c. 19. q. 6. Henriques lib. 7. de Indulgent. cap. 3. n. 6. Ratio est, quia illud non est simpliciter votum continentiæ, sed secundum quid. Dices, votum ieiunandi est simpliciter tale etiamsi ad annum limitetur, vnde si votum ieiunii esset reseruatum, tale votum sine dubio reseruatum esset. Respondeo ex doctrina Caietani hic art. 12. circa ad 3. esse differentiam inter votum continentiæ, & ieiunii, v. g. quod illud est ex se perpetuum, quia si absolutè & sine adiectione vlla fiat, perpetuū est; & vt fiat temporale, requirit specialem limitationem ex intentione vouentis. Cuius ratio esse videtur, quia continentia perfecta consistit in quadam generali priuatione, quæ ex se ad totum huius vitæ tempus se extendit: & ideo simpliciter promissa perpetua est. Alia autē vota vel ex se limitantur ad tempus necessariū ad actiones promissas, vt ad peregrinationē, v. g. vel necesse est vt ex intentione operantis recipiant determinationem, vt in voto ieiunii patet. Cum ergo Papa reseruet absolutè votum continētiæ, intelligitur de voto perpetuo, quia continentia simpliciter dicta perpetuitatem includit: negatio enim non limitata, omnia destruit. Et priuatio perfecta, qualis est cōtinentia simpliciter dicta, omnino & pro omni tempore excludit formam oppositam.

2. *An votum castitatis factum, vt obliget per certum tempus ita reseruatur.* Sed obiiciet aliquis: Ergo votum continentiæ factum, vt tantum obliget post annum, vel decem annos, non erit reseruatum, sed poterit per Episcopum dispensari. Patet sequela, quia illud non potest dici perpetuum, nam hæc perpetuitas solum comprehendit tempus residuum vitæ, ex quo votum emittitur, ex quo tempore magna pars admittitur per illam limitationem, ob quam etiam non erit illud votum continentiæ simpliciter. Consequens autem est falsum: nam votum factum ab vxore de seruanda perpetua continentia post mortem mariti, vel à filio post mortem parentis, non potest per Episcopum dispensari, vt supra dictum est ex consensu omnium: ergo à fortiori licet quis voueat continentiā seruandam à tali die, vel post tale præscriptum tempus, erit tale votum reseruatum. Respondeo igitur, negando sequelam: primo quidem, quia hæc vota communi vsu & consuetudine reseruata censentur: hæc autem reseruatio ex consuetudine potissimum pendet, vt Caiet. supra notauit, & cæteri omnes docent, non enim inuenitur in iure scriptum. Vnde intelligitur secundo, tale votum iuxta communē æstimationem censeri votum continentiæ simpliciter, atque adeo votum continentiæ. Ratio autem reddi potest, quia perpetuitas huius voti non attenditur ab instanti in quo fit, sed ab instanti pro quo fit, quia non tam dicit perpetuitatem subiectiuam, quam obiectiuam, vt sic dicam; vnde non est necesse vt materia ipsa tantum duret, quantum votum. Quo etiam fit, vt hæc perpetuitas non sit sumenda à parte ante, vt philosophico more loquar, sed à parte post; consistitque in hoc, vt castitati semel inchoatæ, vel inchoandæ ex vi voti nullus certus terminus præfigatur ante mortem: ideoque non est contra hanc perpetuitatem quod ad inchoandam castitatem terminus aliquis præfigatur ac differatur post aliquod tempus.

3. *Dubium reseruationis. An votum non habendi matrimonium reseruatum sit.* Secundum dubium est, an votum non contrahendi matrimonium reseruatum sit, vel possit Episcopus in eo dispensare. Quod dubium cum alio coincidit, an hoc sit votum castitatis, necne: nam si est castitatis, reseruatum est; secus vero si non fuerit. Caietanus ergo tom. 2. Opusc. tract. 11. q. 1. censet hoc esse votum castitatis, vel formaliter, vel æquiualenter, vnde concludit esse reseruatum. Ratio eius est, quia tam votū, quam dispēsatio in materia castitatis, proprie loquendo, solum habet locū circa materiam supererogationis; sed votum non nubendi includit totam materiam supererogationis, quæ potest esse in castitate: quia secluso matrimonio nullus vsus venereus castitati contrarius licitus est: ergo tale votū tam quoad proprietatem voti, quam quoad indispensabilitatē æquiualet voto castitatis. Maior patet, tum quia supra dictum est, propriam materiam voti esse supererogationis: tum etiam, quia Pontifex non potest aliam materiam licitam facere dispensando.

4. Contraria nihilominus sententia communis, & recepta est, quam tenet Angelus verb. *Votum* 4. n. 9. Sylueſter eod. q. 4. Tabiena verb. *dispensatio* n. 9. Rosela verb. *impedimentum* 4. n. 12. Nauarr. dict. n. 43. & 76. Soto in 4. d. 38. q. 2. art. 1. Henriquez lib. 7. de Indulgent. cap. 30. num. 6. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 19. quæst. 5. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 105. Sancius

cius lib.8.de matr. disp.9.n.11. Et lib.4 Decalog. c.4. n.66. Fundamentum huius sententiæ est, quia votū castitatis multo vniuersalius est, quā votum non cōtrahendi matrimonium: quod patet manifeste, quia votum castitatis coniugalis est verum ac proprium votum, & est quasi pars voti continentiæ simpliciter. Altera vero pars est ipsum votum non contrahendi: ergo votum castitatis est vniuersalius vtrumq; illud cōprehens: ergo sicut pars non est totum, ita nec votum non cōtrahendi est votum castitatis: vnde consequenter fit vt non sit reseruatū. Sicut votum castitatis coniugalis reseruatum non est, quia non est simpliciter votū castitatis. Vnde facile satisfit fundamēto Caietani, negādo hoc votum esse votum castitatis, aut æquiualere illi. Quod patet, nam si is qui habet votū non nubendi fornicetur, licet peccet contra tēperantiam, nō est sacrilegus, sicut esset si haberet votum castitatis. Est etiā aliud discrimen notabile: nam qui habet votum simplex castitatis, si contrahat matrimonium, & peccet contra votum, & postea nō potest petere debitum: si autem tantum haberet votum non contrahendi, licet peccaret contrahendo, non tamen peccaret postea petendo, quia ex vi illius voti non se obligauit ad abstinēdum à copula carnali, sed præcise ad non contrahendum matrimonium.

*Votum castitatis coniugalis non est votum castitatis.*

Dices. Ergo tale votum non est verum votum, quia non est de re ad diuinum cultum pertinēte: nam abstinere à solo vinculo matrimonij, si homo non abstrahatur etiam à copula carnali, est impertinēs ad diuinum cultum. Propter hoc aliqui distinctione vtuntur, dicentes, si quis illud voueat sine intentione liberius vacandi Deo, votū esse nullius momenti, quia est de re ind fferenti: posse tamē fieri ex intentione diuini cultus, & tunc esse validum votū, & procedere quę de illo dicta sunt. Dico tamen, votum illud ex vi suæ materię validū esse, etiamsi specialis finis bonus à vouente non apponatur, iuxta dicta in tract. de voto in cōmuni lib.1.c.5. Ratio est, quia votum illud ex solo obiecto suo per se conferre pōt ad perfectionē, & ad maiorē Dei cultum, quatenus cōseruat hominem liberum ad altiorē statum assumendū, si voluerit, minusq; impeditum terrenis curis, q̄ satis est, vt votum ex se validū sit. Sicut etiā votum paupertatis per se est de materia voto proportionata, quia licet paupertas de se non sit virtus, tamen voluntarie assumpta est vtilis ad virtutē: & quamuis ipse vouens formaliter & per se non ordinet paupertatē ad hunc finem, satis est quod illi non adiungat malum finem: nā Deus respiciens ad vtilitatē illius materiæ, illā promissionē acceptat. Vnde non est impertinens obligari ad abstinendum à vinculo matrimonij præcise, & absq; speciali obligatione ad abstinendū à copula; quia si homo hanc obligationē obseruet, per hoc sufficienter abstrahitur ab omni copula licita: ab illicita vero sufficienter prohibetur naturalib. præceptis, etiāsi noua obligatio ex voto nō adiūgatur, potest aūt homo pro sua voluntate illā sibi præcipere obligationem, & nō maiorem. Vnde ex vi illius voti sicut nō obligatur ad abstinendū à copula illicita, ita etiā formaliter & immediate nō obligatur ad abstinendū à copula licita, sed tm radicaliter, quatenus obligatur ad abstinendū à fundamēto illius copulę, q̄ est vinculū matrimonij: vnde fit, vt peccet quidem assumendo hoc vinculum contra votum factum; non vero postea in vsu matrimonij etiā petendo debitum. Sicut qui habet votum simplex religionis, peccat contrahendo & consummando matrimonium, postea vero iam non peccat etiā petendo, iuxta communem & veram doctrinam.

Ad alteram vero partem, quā attingit Cajet. de dispensatione circa materiam castitatis, respondetur, nō solum cadere in materiam supererogationis, sed etiā in materiam necessariam quantum ad proprium, & adæquatum effectum huius dispensationis, qui est facere, vt talis materia iam non sit illicita ex vi voti, seu in specie sacrilegij: quod reuera facit Pontif. dispensando in voto castitatis tā circa fornicationem, q̄ circa copulam coniugalem. Non pertinet autem ad hanc dispensationem reddere actum licitū ex omni capite; sed ablata hac obligatione, illū relinquit naturæ suę. Sic ergo constat, dispensationem in voto castitatis maiorem esse, & ad plura se extendere: & ideo cum illa sola reseruetur, cum votum castitatis reseruatur, & materia sit odiosa, nō est extendenda ad minorem dispensationem. Quod autem Cajet. ait, finē huius reseruationis ex intentione Pontificis esse ne vinculum matrimonij contra voti obligationem sine sua licentia cōtrahatur, facile negari potest; nō enim id est verum de obligatione cuiuslibet voti, sed solū de voto castitatis, aut religionis. Et deinde quidquid sit de intentione legislatoris, verbis eius standum est, nec intētio eius plus obligat, quā verbis exprimatur.

7. *Votum non nubendi non est reseruatum.*

Hęc ergo sententia posterior in rigore vera est, & cū sit fauorabilior facilius etiā recipitur. Vnum solū occurrit aduertendum, hanc reseruationem non esse in iure scriptā, & ideo ex proprietate verborū legis haberi non posse quale sit votum, quod reseruatur, quia nulla sunt talia verba. Et ideo sicut hæc reseruatio ex cōsuetudine habetur, ita etiā consuetudo ipsa interpretari debet quale sit hoc votū; consuetudo autem solū habet vt votum proprium castitatis reseruatum sit. Quod si fortasse non est positiua cōsuetudo, vt sic dicā, q̄ Episcopi dispensent in voto contrahendi matrimonium, ideo est, quia rarissime fit tale votum vt distinctum à voto cōtinentię; tamen ob eandem causam constare non pōt de contraria consuetudine, scilicet, q̄ tale votum à solo summo Pontifice dispensetur, & ideo supposito (vt ostensum est) hoc nō esse verum castitatis votum, talis cōsuetudo quasi negatiua seu ipso vsu limita a ad vsum castitatis, sufficit vt ad illud votū non extēdatur. Nam. aūt refert, posteriorē opinionem seruari in sacro Pœnitentiariæ prætorio.

8. *An votum suscipiendi ordinem sacrum reseruatum sit.*

Tertium dubium est de voto suscipiendi ordinem sacrum, an comprehendatur sub voto castitatis, & sit reseruatū Papæ. Cajet. enim à fortiori deberet de hoc voto dicere esse reseruatum: nam in primis includit votū non ducendi vxorem: nam qui vouet sit tum repugnantem matrimonio, à fortiori vouet negationē matrimonij: vnde non est dubiū quin peccet grauiter qui habens tale votum, ducit vxorem, præterea hoc autem includit tale votum, votū castitatis, q̄a ordo sacer includit obligationem ad perpetuā continentiā: ergo qui se obligat ad illum statum, virtute vel æquialenter se obligat ad perpetuā continentiam: ergo maiori ratione censendum erit hoc votum reseruatum, q̄ primum. De hoc autem in particulari nihil expressit Cajet. Alij vero Doctores, qui hoc attingunt, negant hoc votum esse reseruatum. ita tenet Nauar. li.3. Conſ.tit. de voto. conſ.18. Azor tom.1.li.11.c.19. q.9. Lessius lib.2. de iustitia c.40. dub.13.n.105. Sanctius li.8. de Matrim. disp.9. Et in Decal. li.4. de voto c.40 n.69. idem ego docui to. præcedenti li.6. de voto c.21. n.7. & c.24. n.2. Ratio est, quia illud non est formale votum castitatis, & reseruatio, vt sæpe dictū est, restringenda est ad talia vota propria: ergo. Maior patet, primum à signo, nam licet habens hoc votum fornicetur, non peccat contra votum, & licet ducat vxorem, & in hoc peccet, postea non peccat cōsummando, aut petendo debitum. Deinde à priori, quia quod immediate promittitur per tale votum non est castitas, nec satis est quod habeat obligationem castitatis annexam, quia non propterea castitas ipsa est materia talis voti. Sicut etiam votum religionis est de re includente obligationem castitatis; & nihilominus ipsum distinctum est à voto castitatis.

Ex quibus infero primo, quod licet votum castitatis reseruatum sit; votum tamen vouendi castitatē non est reseruatum, sed potest ab Episcopo dispensari, nisi sit votum religionis, quod etiā dici potest votum vouēdi solenniter castitatem. Ratio est, quia est votū distinctum à voto castitatis, & ab alijs quatuor reseruatis. Nec sufficit æquiualentia, tum quia requiritur identitas & proprietas, cum reseruatio sit stricti iuris: tum etiā, quia neq; æquiualentia intercedit, vt à fortiori patet ex dictis de voto ordinis facti, quod etiam dici potest votum vouendi castitatem.

9. *Corollaria. Primum. Votum vouendi castitatem non est reseruatum.*

Secundo infero, votum assumendi quemcunq; statum seu viuendi modum includentem cælibatum, si non sit formale votum, de ipso cælibatu, & de custodia castitatis in illo, non esse reseruatū. Ratio est clara ex dictis. Exemplū vero vulgare est de his qui dicuntur esse tertij ordinis D. Francisci, vel Dominici, qui non sunt propriè religiosi, vt nunc suppono, & infra suo loco videbimus. Si quis ergo fecerit votum assumendi illum statum, nondum vouet castitatē, & ideo ex hac parte votū eius reseruatum nō est. Neq; etiam ex alio capite, quia illud nō est votū religionis. Aliud exemplū est de his fœminis, quas Hispani *Beatas* vocant, & verè religiosæ non sunt, quamuis largo modo aliquando ita vocentur, & peculiarem habitum deferre soleant, & votum castitatis emittere. Votum ergo assumendi talē viuendi modū, vel induendi talē habitum, reseruatū non est, nisi ea quæ vouet, habeat expressam intentionē ex tunc promittendi castitatē, quia alias tale votum nec castitatis est, etiamsi sit votum vouēdi castitatē, vt ex dictis patet: neq; etiam est religionis, vt per se cōstat, & ideo reseruatum nō est.

10. *Secundum. Votum assumendi statum, vel modum includentem cælibatum non est reseruatum. Probatur in voto tertii ordinis. Item in fœminis Beatis.*

Infero ex dictis tertio, non omne votum in materia castitatis etiam ex obiecto suo perpetuū reseruatum esse: cōstat enim multa ex dictis votis perpetua esse, quæ nō sunt reseruata, vt patet in voto vouendi castitatē, nam ipsum votum castitatis de se perpetuū est, & ideo promissio eius ex obiecto est ppetua. Imo votum partiale castitatis in ea parte potest esse perpetuum, & tamē non est reseruatum, quia nō est simpliciter votum castitatis. Exemplum vulgare est in voto simplici castitatis coniugalis, q; de se est perpetuum, & ex omnium sententia non est reseruatum. Aliud exemplum sumitur ex Nauar. lib. 3. Consiliorum tit. de voto, cons. 42. scilicet de voto non tangendi mulierē libidinosam, quod perpetuū est, vt per se patet, & tamen, vt ipse ibi definit, non est reseruatum, quia non est votū castitatis simpliciter, nam castitas simpliciter dicta multo plura includit, quam nō tangere mulierem libidinosam, quod est manifestum, si vox illa *libidinosam*, dicat culpā: nam tunc ex vi talis voti nō prohibetur quis ducere & cognoscere vxorem. Si vero non dicat culpam, sed quemcunq; affectum veneree tactus, siue licitum, siue illicitum, videri potest res magis dubia; quia illud non tantum est votum nō ducendi vxorem, sed etiam nō fornicandi: nihilominus tamen censeo etiam hoc modo esse partiale votum, quia in illo non includuntur omnes actus contra naturam, quas includit absolutum votum castitatis: quapropter votum illud in vtroque sensu reseruatum non est, vt idem Nauarrus sentit.

11. *Tertium. Non omne votum in materia castitatis perpetuum reseruatur.*

Aliud exemplum esse potest, de illo qui vouit simpliciter castitatem, cum hac sola conditione, & exceptione, vt sibi liceat matrimonium contrahere cum aliqua quæ secum velit castè & sine copula viuere. Quem casum attingit Nau. supra Consil. 11. non tamen tractat an tale votū sit reseruatum, nec ne, sed ad quid obliget: significat autē obligare simpliciter ad seruandā castitatem, & addit non obligare ad cōtrahendum matrimoniū: quod erat per se manifestum, tum quia hæc non est materia voti, vt supra diximus: tum etiam quia sic vouens non addit illam exceptionem, vt teneatur; sed vt licite possit matrimonium cōtrahere. Indicat vero vlterius, nec licere sic vouenti matrimonium contrahere; quia cōditio illa includit repugnantiam, quia est contra substātiam matrimonij, & ideo impleri non potest, nisi saltem se obligando ad reddendū debitum, q; iam esset contra idē votum vt supra castitatem cadit. Atq; ita fit vt iuxta hanc opinionem talis exceptio habeatur tanquam non adiecta, ac proinde vt votum illud simpliciter sit castitatis, & consequenter reseruatum.

12. *An votum castitatis, cum conditione vt sibi liceat nubere cū aliqua, quæ secum velit castè, & sine copula viuere, reseruatū sit.*

Opinio Nauarri.

Ego vero in primis probabile censeo exceptionem illam validam esse posse, & pactum mutuum inter virum & fœminam de seruanda castitate absq; petitione & redditione debiti non esse contra substantiam matrimonij, etiamsi ante contractū præcedat. Quæ fuit opinio Paludani & aliquorū in 4. dist. 29. sed incerta. Addo vero vlterius, si conditio illa supponatur contraria substātiæ matrimonij, etiam inde sequitale votū non obligare simpliciter ad castitatē, sed solum ad illā, cum qua possit, castitatem, vt liceat matrimonium de nouo contrahere: qualis erit in eo casu omnis alia castitas præter obligationē ad reddēdum debitum sine potestate licite petendi. Nā supposita illa sententia, hoc saltē necessarium est ad valorem matrimonii, & sufficit, quia ad substantialem finem matrimonii sufficit q; vnus coniugum licite petere possit, & alter reddere teneatur. Quod aūt in eo casu licitū sit tale matrimoniū, non obstante voto, probatur, ga licet ille videatur habuisse intentionē se obligādi ad seruandam castitatē omnino, etiā non reddendo debitum; tamē hæc intentio fuit fundata in ignorantia: nam ille qui sic vouit, existimabat se posse cōtrahere matrimonium cum tali pacto: ignorantia autē causat inuoluntarium, & est contra valorē voti, vt supra vidimus: ergo etiam in præsenti annullat seu diminuit votum quoad hanc partē. Quod amplius declaratur, nam ille homo expresse voluit se obligare ad nō contrahendum matrimonium, sed solum ad non consummandum; si ergo istę duæ voluntates virtute sunt contrariæ, cum hoc ipse ignorauerit, standū est priori voluntati expressæ & formali, & altera voluntas tantum moderanda est, vt priori non sit contraria. Tum quia in reliquo voluntas est ex ignorantia, & ideo nō satis libera; tum etiam, quia hic modus conciliandi tales voluntates est fauorabilior ipsi vouenti, & in dubio illi fauendum est.

13. *Assertio.*

Hoc ergo supposito concludendum est, hoc votum tamen sū perpetuum, non esse reseruatū, quia re ipsa non fuit votum absolutū & totale castitatis, quā do quidem sine violatione eius potest vouens & matrimonium contrahere, & reddere debitū, iuxta prædictam sententiam. Quod magis dubium esset in opinione Paludani, in qua licet posset matrimonium licite contrahere, non tamen absq; pacto mutuo non petendi nec reddendi, sicut per votum promissum fuerat: & integra ita videtur castitas illæsa seruari, & consequenter votū illud fuisse verum votum castitatis: quia solum matrimonij vinculum, si copula subsequutura non sit, non minuit castitatem. Castitas enim B. Virginis integerrima & omni ex parte perfecta fuit, quamuis verum matrimonium contraxerit, quod etiam nihil impediuit verum & absolutū castitatis votū. Nihilominus tamen etiam in ea sententia existimo tale votum non esse reseruatum, quia licet præcise considerata materia virtutis castitatis & virginitatis possit esse integra castitas cum vinculo matrimonij, vt argumētum probat, tamen considerando votū castitatis prout est in communi Ecclesiæ vsu, non includit solum illam materiam & vsum matrimonii, sed etiam ipsum vinculū, quod regulariter habet illum vsum adiunctum, & obligationē eius habet per se annexam, ideoq; reseruatio voti castitatis, quæ consue-

*Assertio. Tertia conclusio. Votum castitatis non est reseruatum.*

consuetudine etiam Ecclesiæ introducta est, super hoc votum cadit, prout in eadem Ecclesia cõsuetum est. Aliud ergo votum quod fit cum exceptione vinculi matrimonij, sicut vsitatum nõ est, ita etiam neq; est reseruatum, nec simpliciter est votum castitatis, quale in ecclesia fieri consueuit. Ideo enim dixit Hieronym. vouẽtibus virginitatẽ non solum nubere, sed etvelle nubere dãnabile est, vt ex illo refertur 17. q. 1.

17. Diuisio ultimum. An votum castitatis conditionatum impletã conditione reseruetur.

Vltimo hic disputari posset, vtrum votum castitatis conditionatum etiam post conditionem impletã sit reseruatum; sed hanc & similes alias quæstiones & dubia, quæ similem habent difficultatem in alijs votis reseruatis, generatim tractauimus præcedenti tomo lib. 6. à capite 22. vsq; ad 26. vbi varia exempla in specie adduximus.

## Caput XIII.

### *Vtrum obligatio seruandi continentiam iure diuino fuerit alicui ordini annexa.*

1. De voto continẽtiæ ordini sacro annexo tractari solet in materia de ordine, & aliqui integros de illo scripserũt libros, quia vero in hoc libro de omnibus votis castitatis tam simplicibus, quam solemnibus dicere decreuimus, ideo prætermittere hoc non possumus, quod vnum ex præcipuis est: illius tamen materiam breuiter comprehendere poterimus, quia ex generalibus principijs positis, & ex consortio aliorum votorum breuius poterit expediri. Dicemus ergo de antiquitate huius voti, & de conuenientia illius, & quibus ordinibus annexum sit, & quo modo emittatur, quantumq; obliget, seu quos effectus habeat; vbi etiam explicabimus, an dispensari possit, & quomodo solemne dicatur.

2. Collius est annexio non iuris diuini.

Supponimus vero de facto continentiæ obligationem esse cõiunctam cum ordinibus sacris qui numerantur à subdiaconatu vsque ad Episcopatum secundum præsentem vsum Ecclesiæ Latinæ. Quod ipso vsu satis euidenter constat, & expresse traditur ab Innocentio II. in cap. *vt lex* 27. q. 1. & alibi sæpe, & ideo de hoc nec mouetur quæstio, nec maior probatio est necessaria; ratio autem, & origo huius legis latius inquirenda est. Sunt autem in hac dubitatione duæ extremæ sententiæ.

3. Prima sententia hæreticorum.

Prior est hæreticorum huius temporis dicentium hanc consuetudinem esse ortam ex solis decretis Romanorum Pontificum, quidam dicunt incepisse ante quadringentos annos, vel quingentos, alij ad summum illam referunt vsq; ad Siricium Papam, qui fuit ferè ante mille ducentos annos; audent tamen dicere esse contra ius diuinum, & naturale. Ad hoc vero vltimum solum mouẽtur ex alio errore, quo cum Iouiniano virginitatem, & cælibatum abominantur, de quo fundamento satis in hoc libro agendo de voto simplici castitatis dictũ est. Hic autẽ simpliciter probant esse contra ius diuinum, quia est contra Scripturam primam ad Tim. 3. & ad Tit. 1. vbi de Episcopo dicitur, oportere *irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum.* Quod si hoc de Episcopo dicitur, multo magis de omnibus inferioribus ordinibus verum erit. Secundo probant esse contra ius naturæ non solũ illa generali ratione, scil. quia est contra bonum speciei humanæ, sed præterea specialiter, quia nec castitas repugnans matrimonio, vel vsui eius, nec votum illius est materia humani præcepti: ergo abutitur sua potestate, & cõtra ius naturæ facit Pontifex dum hanc necessitatem imponit clericis in sacris; Princeps enim, qui subditis imponeret onera grauia, & importabilia, contra ius naturæ ageret. Antecedens probatur, quia obseruantia castitatis est res difficillima, & valde repugnãs naturæ, propter q̃ Deus ipse noluit eam sub præcepti obligationem ponere etiam ministris sacris: ergo est materia, in quam nõ potest etiam cadere humanum præceptum. Maxime cum hæc obseruantia ad finem potestatis Ecclesiasticæ, id est, ad bonam, & decẽtem gubernationẽ Ecclesiæ, & sanctum vsum cuiuscunq; ministerij sacri necessaria non sit: in lege enim veteri sancte, & decenter ministrabant Sacerdotes sine hac obseruatione; & in lege noua Orientales clerici sancte pertractant ministeria sacra, & sacramenta, & tamen cælibatum non seruant. Quin etiã, & Apostoli vxorati fuerunt, & multi etiã Episcopi, & sacerdotes in primitiua ecclesia. Non est ergo necessaria hęc obseruantia ad finẽ Ecclesiasticæ potestatis: est ergo extra materiã illius; neq; enim potest Ecclesia præcipere quidq̃d melius est, sed im̃ potest consulere. Tertio quidquid sit de potestate probari potest saltem hoc non expedire, qa infinita hominũ multitudo manifesto fornicationis, & sacrilegij periculo exponitur. Quod videtur probari experientia. Et ratio est am est in promptu, quia multitudo clericorũ maxima est, & in iuuenili ætate plerunq; ordinantur, & non viuunt in claustris, nec carẽt deliciis corporis, nec ab humanis occasionibus, & conuersationibus separantur: ergo morale est, vt quãplures, & fortasse maior eorum pars votũ castitatis violet: ergo nõ expedit huiusmodi obseruatio sub necessitatem generaliter constituti.

4. Secunda sententia est, hanc obligationem esse cõiunctam sacris ordinib. ex iure diuino. In quam sententiam maxime inclinat Maior in 4. dist. 24. q. 2. & tenet Clitouæus lib. de contin. Sacerdot. cap. 4. & sequentibus, & idem sentit Waldensis li. 2. de Sacram. c. 128. & 129. & li. 3. de Sacramental. c. 66. & 67. Turrian. lib. 2. de iure ordin. min. Eccl. c. 6. & lib. de charact. dogmaticis, & Michael Medina lib. 2. de continent. c. 7. & sequentib. Sunt autem duo distinguenda in huiusmodi continentia. Vnum est, non contrahere matrimonium post sacrum ordinem susceptum. Aliud est, quando contingit sacrum ordinẽ post matrimonium contractum recipi, abstinere ab vsu matrimonij. Dicti ergo authores præcipue loquuntur de priori puncto, putantq; ex vi sacri ordinis fieri hominem inhabilem iure diuino ad matrimonium, & hoc modo obligari iure diuino ad obseruantiã castitatis. Fundanturq; præcipue in perpetua Ecclesiæ traditione, semper enim in Ecclesia Dei obseruatũ fuit à temporibus Apostolorũ, vt post ordinẽ sacrum susceptũ, nullus accipiat vxorem, vt postea videbimus: ergo signum est, hanc obseruantiã manasse ex Christi præcepto, alioqui nõ fuisset tã inuiolabiliter obseruatũ.

*Ordo sacer dirimit matrimonium subsequens ut-to ieiunio.*

5. De alio vero puncto Maior nihil dicit, Clitouæus autem non existimat id esse de iure diuino. Nam certum est per matrimonium nõ fieri aliquẽ ita inhabilem ad sacros ordines, quin si ordinetur, verè maneat ordinatus, vt est de fide certum, & euidenter probãt testimonia Pauli supra adducta, & exempla aliquorũ Apostolorum, & traditio, ac cõsensus ecclesiæ. Et eodem modo certum est per talẽ ordinationem nõ dissolui prius matrimonium quoad vinculũ, vt infra ostendemus. Certũ ergo, ac de fide est, matrimonium, & sacram ordinationem ex vi iuris diuini posse simul esse si tali ordine suscipiantur, vt matrimonium antecedat: ergo non est tunc prohibitus iure diuino vsus matrimonij, quia ius diuinũ eo modo, quo non prohibet vinculũ, nec prohibet vxorẽ. Hic vero author, vt consequẽter in hac parte loqueretur, dicere deberet nõ esse simpliciter prohibitum vsum matrimonij tali personæ, quia põt abstinere ab vsu sacrorũ ordinum, vel fortasse ẽt debet, vt vxori debitũ reddat. Nihilominus tamẽ dicendũ esset iuxta p. q. dictã sententiam prohibitũ esse iure diuino tali clerico vsũ matrimonii, si vsũ ordinũ habere velit: nã ea dẽ traditio, q̃ docet, nõ licere clerico in sacris vxorẽ ducere, docet non licere eidẽ clerico vxorato vxore vti, si ministeriũ sui ordinis exercere velit. Si ergo in priori traditio

ostẽ-

ostendit ius diuinum, etiam in posteriori, eo vel maxime quod si matrimonium prohibetur clerico, id est propter vsum: ergo etiam prohibetur vsus, quando contingit matrimonium antecedere.

6. Inter has extremas sententias, distinguemus semper illas duas partes huius continentiæ, scilicet abstinere à matrimonio suscipiendo post sacrum ordinem receptum; & abstinere ab vsu matrimonij prius suscepti, si sacer ordo postea recipiatur. De tota autem alia materia castitatis, quę per se mala, ac prohibita est, nihil ibi dicere est necesse, quia nec hæretici dicunt illam esse licitam clericis, nec catholici addunt quoad illam specialem obligationem iuris diuini positiui; an vero illa cadat sub hoc voto, vel ex natura rei habeat specialem deformitatem propter circumstantiam ordinis sacri, dicam inferius.

7. *Ordo sacer ex solo iure diuino non inhabilitat ad subsequens matrimonium.*

Dico ergo primo, nullus ordo sacer ante matrimonium susceptus reddit ex vi solius diuini iuris personam inhabilem ad matrimonium cõtrahendum: est expressa sententia D. Thom. 2.2. q. 88. art. 11. & ibi Caiet. & tom. 1. opuscul. tract. 27. q. 1. sequuntur ex sententiatiis Albert. Mag. in 4. dist. 37. art. 1. Durand. q. 1. Palud. q. 1. art. 1. quibus accedunt Albert. Pigius controuersia 15. ad finem, Bellarm. libr. 1. de clericis c. 18. Palat. in 4. dist. 25. disp. 2. q. 6. Soto dist. 27. q. 1. & lib. 7. de iustitia q. 5. & 6. imo hæc est omnium Theologorum, Canonistarum, & Summistarum, qui pro comperto habent posse in hoc Papam dispensare, vt infra dicemus: nam si talis persona esset inhabilis iure diuino, non posset per Ecclesiam habilitari, sicut non potest Ecclesia facere, vt fœmina ritè ordinetur, quia iure diuino inhabilis est. Et hęc erat sufficiens probatio huius assertionis, nam videmus quotidie fieri, vt cõstitutus in sacris authoritate Pontificis matrimoniũ contrahat; impium autem esset dicere in hoc errare, quia licet in facto particulari posset aliquando errare Pontifex, tamẽ in tota specie facti, vt sic dicã, & in re adeo graui, & frequenti errare vtendo potestate, quã non habet, esset grauis error, & valde pernicios⁹ Ecclesiæ, tum etiã, quia non solet in hoc dispensare tanquam in re dubia, vtẽdo opinione probabili, alioqui nec tam frequenter, nec tã facile dispensaret, sed tanquam certam, & indubitatam potestatẽ habens, sicut dispensat in alijs votis, & spiritualibus impedimẽtis. Ratio vero propria est, quia nullũ est principium, ex quo tale diuinum ius colligi possit, quia nec in Scriptura habetur, & traditio non solũ non ostendit sufficienter ius diuinũ, verum etiã nec ex traditione sufficienter constare potest, hoc semper fuisse in ecclesia impedimentum irritans. Quæ omnia ex sequentibus constabunt.

8. *Nullum datur ius diuinum prohibens matrimonium ordinatis in sacris.*

Dico secundo. Nullum est præceptũ diuinum prohibens, ne ordinati in sacris vxores ducant. Hęc assertio est diuersa à præcedenti; nam posset esse præceptũ prohibens, & nõ irritans, sicut & præceptum vetans ne is qui habet votum simplex castitatis matrimoniũ contrahat. Et in hoc sensu videntur contra nostram conclusionem opinari Waldensis, Turrian. & Medina pro secunda sententia citati. Dicimus ergo neque hoc præceptum esse iure diuino cõiunctum cum ordine sacro, ita docẽt D. Thom. & alij authores supra pro prima conclusione citati, & sicut præcedens assertio, ita & hæc à posteriori etiam potest probari ex dispensatione in hoc præcepto, de qua infra in particulari dicturi sumus. Et licet aliquis opinari possit, Ecclesiam aliquando dispensare in præcepto diuino, tamen hoc, & improprie dicitur, & in rigore falsum est, loquẽdo de absoluto præcepto, quale esset hoc, si datum fuisset, & quãdo id admitteretur, esset in casu rarissimo, & propter grauissimã causam ad cõmune bonum pertinentem, vt Maior etiam aduertit; hæc autem dispensatio longe facilior est, vt videbimus.

Ratio huius assertionis est, quia hoc ius diuinum; aut esset naturale, id est, connaturale ipsis sactis ordinibus, & ad illorũ dignitatẽ, seu characterem intrinsece consequens, aut esset positiuum à Christo superadditum; vtrumq; enim à dictis authoribus insinuatur: neutrum autem cum fundamento dicitur: ergo. 9.

Probatur prior minor quoad priorẽ partem, quia ex vi ordinationis sacræ solum sequitur obligatio ad ministeria talium ordinũ sanctè, & cum dignitate tractanda; sed huic obligationi non repugnat intrinsece vinculum matrimonij: ergo talis prohibitio non potest sequi intrinsece ex vi ordinationis. Patet minor, quia vinculum matrimonij, nec excludit gratiã, nec circumstantiam aliquã necessariam, vt illa ministeria digne, & honestè tractentur. nam licet illud ministerium purissimum sit, & ad maiorem decentiam postulet omnimodam puritatem, & continentiam, tamen cum matrimonium non includat incontinentiam turpem, vel inhonestam, nihil etiã includit absolute repugnans honestati, & sanctitati illius ministerij, sed illa maior continentia erit quidem melior, non tamẽ præcepta, cum carentia il ius intra limites matrimonij non tollat moralẽ honestatem, vel sanctitatẽ. Altera vero pars minoris probatur, qa in primis in nouo Testamẽto tale præceptũ non habetur, omitto enim vetus, tũ quia eius præcepta positiua ad nos non pertinent, tũ etiã, quia de illo manifestius hoc est, vt cõstat ex Aarone, & successoribus eius. De nouo autẽ Testamento probatur petendo locum, ex quo tale præceptum colligatur, qui profecto proferri non poterit; nam verba Christi, quæaliqui adducit ex Luc. 21. *Attendite vobis, ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa.* Hæc, inquã, verba nihil ad rem pẽsentem faciũt, tum quia generaliter dicta sunt ad oẽs fideles, vt omnes parati sint ad diem iudicii; tum etiã, quia solũ continent præceptũ quantum ad vitãda illa omnia, quatenus occasionẽ moralẽ afferunt peccãdi moraliter, seu quatenus cũ diuina gratia repugnant, quoad alia vero, non præceptum, sed consiliũ continent; tale autẽ est id, de quo agimus ex natura rei loquendo. Nullũ ergo est testimonium ex nouo Testamento, ex quo tale præceptũ colligi possit; nec Christus Dominus suis discipulis, vel Apostolis hoc vnquã tanquã præceptum proposuit, sed tanquã promissionem, & Paulus in citatis testimoniis supponit non repugnare dignitati Episcopi habere curã filiorũ & familiæ cõiugalis; quãuis enim verũ sit illũ loqui de illo, qui vxorẽ, & filios habebat, priusquam Episcopus eligeretur, nunquam tamen significauit præceptum aliquod, præsertim à Christo Domino, datum, quo prohibeatur Episcopus, etiam post Episcopatum sumere.

Denique, ꝙ etiã ex traditione tale præceptũ diuinũ non colligatur, probatur, nã etiamsi admittamus dari hanc traditionẽ à temporibus Apostolorum, quod postea videbimus; nihilominus inde non statim colligitur præceptũ diuinum, nam etiã Apostolica sunt humana, & non diuina, iuxta illud Paul. 1. ad Cor. 7. *Præcipio ego, non Dominus*, & tamẽ de præceptis vel cõsuetudinibus introductis ab Apostolis etiã constat ex traditione q̃ vsq; ad ipsorũ tempora reuocatur: ergo ex traditione Apostolica nõ satis colligitur præceptũ diuinum, nisi aliunde aut ex materia, aut ex alijs iudicijs innotescat, nihil autẽ horũ in præsenti reperitur. Præterea hæc traditio in subdiaconatu & diaconatu nõ semper fuit eiusdẽ modi, neq; omnino inuiolata, vt in sequẽtibus ostendemus: ergo omnino inuiolata, vt in sequẽtibus ostendemus: ergo quoad illos clarũ est non fuisse prohibitionẽ diuinam, maxime cum in Concilio Ancyrano cap. 10. dicatur Diaconum de licentia Episcopi posse vxorẽ ducere. Quoad presbyteros autem & Episcopos est magis constans traditio, quia 10.

quia non solum consuetudo contraria, verum etiam dispensatio non facile in tota antiquitate reperietur. Nihilominus non bene inde colligitur diuinum ustum propter rationem dictã, tum etiam quia prohibitio hæc eiusdem rationis esse censetur in omnibus sacris ordinib. Tum denique, quia illa maior observãtia in Episcopis & presbyt. ex alijs causis prouenire potuit, quia & illi ordines sacratiores sunt, & ad illos non assumebãtur olim nisi homines proiectæ ætatis.

11. Dicotertio, non est de iure diuino præceptum aliquod prohibens clericis in sacris vsum vxoris, si ante ordinationem illam duxerint. Ita S. Thom. 2.2. q. 88. art. 11. Sot. 7. de Iust. q. 6. art. 2. Sylu. in Sum. verbo *Matrimonium* 8. q. 12. & alij. Hæc assertio sequitur à fortiori ex præcedentibus, nam si ius diuinum non prohibuit clericis in sacris contrahere matrimonium, etiam post ordinationẽ: ergo nec prohibuit illis vsum matrimonij seu vxoris, cum matrimonium ad vsum ordinetur, & quia inutiliter, ac periculose permitteretur illi cui vsus prohibetetur, per se ac moraliter loquẽdo: ergo multo minus prohibitus est hic vsus iure diuino illis clericis, qui ante ordinationes vxores habebant. Et confirmatur, quia Ecclesia Græca suis clericis huiusmodi vsum nõ prohibuit, de quo exrat historia quædam Concilij Nicæni, quam referunt Socrates li. 1. c. 8. & Sozom. li. 1. c. 22. & habetur in 1. tom. Concil. 3. Conc. Nic. post canon. 8. iuxta P. Isani versionem. Decreuerant enim Patres illius Concilij decreũ facere, ne Episcopi, Presbyt. Diaconi, aut subdiaconi cũ vxoribus, quas antea duxissent q̃ essent sacris initiati, neutiquã dormirẽt, Paphnutium autem confessorem interceſſisse & proposuisse Concilio ne decretum adeo difficile tunc conderetur; atq; ita protunc suspensum esse. Ex quo duo elicimus: vnum est ante cõcilium Nicenum non fuisse illã legem salutem in Græcia, & consequenter non esse diuinam. Aliud est, non fuisse tunc consuetudinẽ promittẽdi perpetuam continentiam à propria vxore in his qui cum ordinarentur coniuges erãt: nam si tale votum fieret, neq; illa nota lex fuisset necessaria, neq; Paphnutius in Concilio ausus esset dicere hanc continentiã cum propria coniuge voluntati & arbitrio talium personarũ relinquendam. Nec dici potest hanc Græcorũ consuetudinem esse iuri diuino contrariam, cum ecclesia Latina illam non reprobet, vt constat ex c. *cum olim*, de conuers. coniug. Tandem hanc & præcedentes conclusiones satis confirmat Concil. Trid. sess. 24. can. 9. vbi continẽtiam clericorum in sacris in legem refert Ecclesiasticam, & alia similia decreta antiquiora afferemus in sequentibus; discursus etiam in præcedẽti assertione factus ad hanc potest accõmodari.

12. Dico quarto ordinatos in sacris obligari ab Ecclesia ad perpetuam continentiam, vel abstinẽdo à matrimonio, si antea illud non contraxerant, vel ab vsu eius si contraxerant, non est contra ius diuinum, sed potius est quid maxime consentaneum. Prior pars de fide est, satisq; probari potest ex dictis supra de voto castitatis. Si enim in cæteris hominibus tale votũ non est contra ius diuinũ, cur erit in sacratis hominibus? Dices, voluntarie emittere tale votum, non est contra ius diuinum, cogi tamẽ ad illud emittendum esse contra ius diuinum. Sed contra, quia reuera non cogũtur, sed eis optio datur, vt vel non ordinentur, vel castitatẽ seruent, si ordinari velint: in hoc enim nulla iniuria eis fit, cum Ecclesia nulli debeat sacram ordinationẽ, & si expedire iudicauerit, poterit neminem ad illã admittere, nisi sub tali conditione & quasi pacto vt amplius in solutione argumentorũ declarabimus. Sic ergo concluditur ratio, aut hæc obligatio est contra ius diuinum naturale, aut contra aliquod positiuum: primũ dici non pot; quia in hac obligatione nulla est intrinseca malitia, neq; ex obiecto, neque ex modo, nec cõtinet aliquã iniuriam, nec violationem alicuius præcepti naturalis, quæ omnia ex dictis facile patent: nõ est ergo contra ius diuinũ naturale. Secundum membrum patet, quia tale præceptum positiuum scriptũ non est, vt respõdendo ad argumenta constabit, neq; etiam est traditum, vt ex contraria & antiquissima traditione statim patebit: ergo.

13. *Castitas conuenit ordinatis in sacris.*

Altera vero pars ex consonantia ad vtrumq; ius diuinum naturale & positiuum ostendi potest. Primum de naturali suadetur ratione hoc modo, nam quo status personæ aptior & magis consentaneus fuerit muneri, & actionibus eius, eo magis cõformis iuri & rationi naturali; sed status continentiæ est aptior, magisq; consentaneus muneri & actionibus clerici in sacris constituti: ergo obligatio ad huiusmodi statum continẽtiæ in his qui ad illũ gradum clericorũ ascendere volũt, est maxime conformis iur naturali. Maior per se nota videtur ex terminis; minor probatur discurrendo breuiter per singulos ordines. Nã inprimis Episcopus ad hoc ordinatur, vt cõstituatur in Ecclesia in supremo ordine & statu perfectionis: ergo optime cũ illa dignitate cõgruit status castitatis. Quod argumentũ euidentius fiet ex his quæ infra dicemus de statu perfectionis. Secundo Episcopus est tanquã sponsus suæ Ecclesiæ cui per electionẽ, confirmationem & consecrationẽ perfecte copulatur, iuxta c. *inter*, & c. *licet*, de translat. Episc. ideoq; eius spiritualib. cõmodis & temporalibus etiam quantũ ad spiritualia necesse fuerit, inseruire debet: ergo quo fuerit abstractior à re vxoria, eo erit aptior ad suũ munus explendum. Nam vsus vxoris, & filiorũ procreatio & animum diuidunt, & plures seculares curas afferunt, quę spirituales impediunt. Tertio, qa Episcop. consecratur ad actiones valde sacras & puras exercẽdas: ergo status est maxime purus cõsentaneus est illi dignitati. Atq; hæc ratio potissime locũ habet in Presbyteris, nullus est enim ordo per se & præcise spectatus qui ad actionem adeo sacram & diuinã referatur, scil. ad consecrationẽ & mundam oblationem corporis & sanguinis Domini. Item rationes aliæ quamuis nõ æqualiter in Presbyt. locum habeant: omnis enim sacerdos, vt ait Paul. ad Hebr. 5. *ex hominib. assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum*: & ideo & sacrificijs offerendis, & orationibus ac lectioni sacræ vacare debet: & ideo status continentiæ illi etiam accommodatissimus est. In Diacono vero licet non sit tanta perfectio, est tamen magna participatio illius, magnaq; cooperatio ad sacra ministeria, & ideo in illo etiam est sufficiens congruentia & consonantia cũ eadem ratione naturali. Idemq; est suo modo de subdiacono, quãuis hic inferioris sit gradus, & remotius concurrat ad sacra ministeria, ideoq; in Scriptura minor fit de illo mentio. Estq; in his duobus gradibus talia congruentia, nam cum sint sacerdotio valde propinqui, & ex illis ad presbyterum facile ascendatur, expediens est vt ab illis ordinibus incipiat clericus statum continẽtiæ profiteri, vt ad illum sacratiorem ordinem possit esse conuenienter dispositus.

14. *Sacerdotes legis veteris aliquatem continentiam obseruabant.*

Hanc congruentiam, seu decentiam ex ipso naturali iure desumptam cõfirmat ius diuinum scriptum etiam in antiqua lege, nam licet tunc Sacerdotes legales nõ profiterẽtur statum castitatis, quia nec ratio vel necessitas illius ætatis hoc admittebat, nec sacramenta illius temporis egena & infirma, nec carnalia sacrificia tãtam perfectionem & puritatẽ exigebant: nihilominus aliquis modus continentiæ illi tempori accommodatus obseruabatur: nam quo tempore in templo ministrabant, ab vxoribus abstinebãt, vt notauit Abulens. 1. Paralip. 9. q. 17. & Leu. 15. vbi declaratum erat contrahi immunditiam ex accessu ad vxorẽ, quæ durabat vsque ad vesperam, donec per ablutionem aquæ tolleretur; & ideo non poterant illo tempore

porę ministrare. Et ob hanc etiam causam inter alias, quo tempore ministrabant iuxta vices suas non egrediebantur de circuitu templi, sed ibi dormiebant, vt colligitur ex 1. Paralip. 9. vbi id etiam notat Abulens. q. 16. & in cap. 28. Exod. q. 22. & in c. 25 Matth. q. 4 & colligitur ex verbis illis Luc. 1. vbi de Zacharia dicitur, *& factum est vt impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suã.* Ergo intra illos dies non ibat. Quod etiam non obscurè colligitur ex 4. Reg. 11. & ex 2 Paralip. 22. & 23. & indicauit Siricius Papa epist. 1. c. 7. & Innocent. I. epist. 2. c. 9. Illis etiam sacerdotibus, nisi ab vxoribus prius abstinuissent, non licebat panes propositionis manducare, vt ex 1. Reg. 21. Abulensis supra aduertit. Ac deniq; etiam propter nocturnã pollutionem non licebat eis sequenti die ministrare donec mundarentur, vt in c. 40. Exod. q. 9. idẽ Abulens. notat ex Deuter. 23. His ergo & alijs similib. obseruationibus satis significauit Deus continẽtiam ab omni libidine, etiã non turpi, neq; mala, esse valde decentem, ac conuenientem dispositionem ad sacra ministeria. Vnde si pròportionale fieri potest argumentũ, magis superat sacerdotium, & sacrificium legis nouę, sacerdotium, & sacrificia legis veteris, quã perpetua continentia superet temporalem illam munditiem quæ in sacerdotibus Leuiticis requirebatur: ergo hęc perpetua continentia est valde consentanea diuino iuri ex illa lege præscripto.

15. Denique, valde etiam conformis est præceptis & cõsilijs legis Euangelicę, nam inprimis Christus Dominus omnibus continentiã consuluit, & præcipue Apostolos suos eam seruare docuit, vt infra dicemus. Paulus etiã 1. ad Cor. 7. omnes cupiebat esse sine vxore, sicut erat ipse: maxime ergo Pontifices & sacerdotes; vnde ad Tit. 1. ait ipse oportere *Episcopum sobrium esse, iustum, sanctum, continentẽ.* quamuis enim hoc vltimum verbum de continentia ab omni turpi libidine intelligi possit, tamen certum est iuxta mentem Pauli, quo illa fuerit maior, eo magis esse consentaneam sacerdotali muneri. Præterea quoslibet coniugatos etiam Laicos monet Paul. 1. ad Cor. 7. inuicem separari ex consensu ad tempus, vt vacent orationi: ergo multo magis consentaneum est, vt sacrati homines, qui diuinis ministerijs & orationibus frequenter, & ex officio incumbere debent, ab vxoribus separẽtur.

16. Ex his ergo manifestum est, genus hoc continentiæ sacratis hominib. indictæ non habere repugnantiam cum diuino iure, imo ex se esse maxime decẽs, & cõueniens, imo obiter etiã ostensum est per se loquendo, expediens esse, & non repugnare absolute illi libertati sub qua obseruantia castitatis relicta est, donec necessitas eius voluntarie accipiatur. Quod autem propter extrinseca pericula vel accidentales lapsus hoc bonum prætermitti non debuerit, in solutionibus argumentorum dicetur.

17. Ad primum enim argumentum sumptum ex verbis Pauli, *vnius vxoris virum*, respõdetur primo cum Heli 1. contra Iouin. & omnibus expositoribus, verba illa negatiue potius quã affirmatiue esse interpretanda, scilicet *vnius vxoris virum*, i. e. non plurium: intentio enim Pauli ibi est prohibere ne Episcopus bigamus sit, & in hoc est ã non promulgat præceptum diuinum, sed ad summum constituit Apostolicum, vt latius in materia de Irregularitate dictũ est. Nõ tamẽ præcipit, neq; cõsulit positiue vt vnã vxorem habeat, sed ad summũ id pmittit, seu nõ improbat propter illius tẽporis necessitatẽ, quãdo pauci ex his qui ad fidẽ cõuertebantur cœlibes inuenieb ãtur, vt possent Episcopi fieri. Nec vero permittit Paulus quod post ordinationem, seu Episcopatum accipiatur, aut cognoscatur vxor: nihil enim de hoc meminit, sed potius absolute subiungit, oportere Episcopum sobrium & continentem esse, quod Hieronym. exposuit etiam ab vxoris amplexibus, quod postea videbimus.

Ad secundum iam ferè responsum est hanc obligationem non imponi per absolutum Ecclesiæ præceptum, imo, vt infra dicemꝰ, nõ proprie oritur ex præcepto, sed ex voto, & promissione clerici, neq; etiam ipsa promissio præcipitur absolute, sed sub conditione quæ pendet à voluntate libera promittentis, quæ potius est conuentio quædã, seu pactum inter Ecclesiam, & eum, qui ordinari vult: vt si ordinem sacrum suscipere velit, castitatem promittat. Sic enim Greg. li. 1. epist. 42. *Sic*, inquit, *ante triennium subdiaconi omniũ Ecclesiarũ Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus iungerentur; quod mihi durum atq; incompetens videtur, vt qui vsum eius dem cõtinentiæ non inuenit, neq; castitatẽ ante promisit, compellatur à sua vxore separari, atque per hoc quod absit, deterius cadat. Vnde videtur mihi vt à præsenti die omnibus Episcopis dicatur, vt nullũ subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit, quatinus & præterita mala, quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter nõ exigantur, & futura cautè caueantur.* Docet igitur Gregor. Ecclesiam Romanam nunquã hoc absolute præcepisse, sed sub voluntaria conditione & promissione postulasse. Constat igitur hoc iure ac merito fieri ab Ecclesia potuisse: nam potestatẽ habet dispensandi hæc spiritualia bona, inter quæ sacri ordines cõputantur sub eo modo, vel conditione, quã magis conuenientẽ, ac decentẽ iudicauerit. Quod aũt hæc cõditio fuerit cõueniens, ac maxime decens, satis à nobis ostensum est, neq; ex veteribus sacerdotibus sumitur rectè argumentũ in contrarium, quia absolute non põt fieri cõparatio, tum propter diuersam sanctitatẽ ministeriorũ, & actionũ, ad quas assumuntur: tum etiã propter maiorẽ abundantiam, & perfectionẽ gratię legis nouę, quã veteris. Si aũt pro portionalis fiat cõparatio, potius ab illis sumi posset argumẽtum in contrarium, vt ostendimus.

In Apostolis vero aliisq; Episcopis & sacerdotibus primitiuæ ecclesiæ potius habemus clarissima exempla huius continentiæ, vt mox videbimus: de vsu autem Græcorũ non multum curandum est, fatemur enim si sobrie, & sine schismate sua cõsuetudine vtantur, posse sine peccati macula sacra exercere ministeria, non tamẽ cum ea perfectione, ac puritate, quã ex vi sui status sacerdotes continentes habere possunt, negari enim non potest, cęteris paribus, continẽtiam etiã ab actu coniugali maiorẽ puritatem, ac sanctitatem afferre, vt in superioribus late ostensum est, quin actus etiã coniugalis, etiamsi moraliter honestus sit, negari nihilominus non potest, quin & quandã habeat impuritatẽ admixtã, vt dixit Siricius Papa epist. 1. & hebetet aciem mentis, totumq; hominẽ carnalẽ quodammodo efficiat, vt dixit Aug. 14. de Ciu. c. 17.

Sed instabit aliquis, nam interdum aliquis per præceptum Pontificis cogitur Episcopatum acceptare, vel clericus fieri: ergo ille, vel non tenetur obedire, vel poterit ordinari sine promissione castitatis, vel certe simpliciter & absolute cogetur præcepto ad castitatẽ, seu votum eius. Secundo etiamsi castitas exigatur sub illa conditione, videtur satis violenta exactio: quia Ecclesia omnino indiget sacris ministris, atq; ita non posset non conferre huiusmodi ordines hominibus, etiamsi ipsi votũ castitatis nollent emittere. Ergo q̃ nunc postulet talem conditionem ideo esse videtur, quia moraliter certũ est non defuturos multos, qui illam acceptent, vt gradũ illum obtinere possint. Atq; videtur solum per quandã coactionem illã acceptare, quia aliter clerici fieri non possunt. Ad primũ respondeo, licet contingat aliquẽ iam constitutum in ordine sacro præcepto cedere vt ad superiorẽ ascendat, vel Episcopatum accepter, raro tamen vel nunquã accidere, vt aliquis ea necessitate compellatur subdiaconatum accipere. Illud aũt prius nullam

16.

19.

20.

21.

nouam

nouam obligationẽ castitatis addit: & ideo nullum inde sumi potest argumentum. Aliquando etiam cogitur aliquis, simpliciter ordinari in sacris, non tamẽ absolute, sed supposita obligatione alicuius beneficij, vel dignitatis ecclesiasticæ, q̃ habet, ratione cuius obligari põt, nisi malit beneficium dimittere, & ita semper illa obligatio est pendens ex conditione voluntaria. Omitto religiosos, quibus interdũ hoc absolute præcipitur: illi enim ratione voti obedientiæ ad plura obligari possunt, & cum iam habeãt votum castitatis, nullũ nouum onus in hac parte suscipiunt. Addo denique si occurrat casus in quo propter commune bonum aliquis obligetur absolute à Pontifice ad sacros ordines suscipiendos, illum consequenter obligari ad perpetuam continentiam, neque id est inconueniens in particulari, & rato casu, in quo sicut prius supponitur necessarium ad commune bonum, ita & posterius propter idem commune bonum tolerandum est: quia esset magna deformitas in tali casu continentiam ab ordinatione separare.

Ad alteram partem respondetur negando vltimam consequentiam, nam cum Ecclesia vtatur iure suo, nulli facit violentiã, sicut non fit violentia ei, qui cupit alicui religioni viri, & se illi tradere; vel fœminę, quæ desiderat perpetuo inter moniales, & cum earũ habitu viuere sub conditione ab illa exigendo, vt votum castitatis, & alia religionis vota promittat, si cõmodis, & bonis illius status frui vult. Ita ergo nunc se gerit ecclesia; quod vero aliter factura esset si nulli essent qui talem conditionem vellent acceptare, & accidentarium est, & cogitatione potius fingi, quam timeri potest. Quin potius de diuina prouidentia sperandum est, nunquam defuturos multos, qui non ex ambitione dignitatis, vel gradus, neq; ex cupiditate diuitiarum, sed ex affectu virtutis, ac religionis ad Deum, saltem vt ex principali intentione hunc statum accipiant, eiusq; continentiam promittant.

Atq; hinc facile patet responsio ad tertiam obiectionem in principio propositam, ob quam dixerunt aliqui Catholici expedire vt hæc lex continentiæ irrogaretur ab Ecclesia, & voluntati ordinandorũ relinqueretur illã vouere, vt asseruit Panorm. in c. *cum olim*, de Cler. coniug. Palacios vero d. 25. disp. 2. circa 6. concl. attingens quæstionem, an hoc expediat, iudicio sedis Apostolicæ relinquit. Mihi autẽ videtur sedem Apostolicam satis in hoc suum iudicium significasse, & quamdiu aliquid non declarauerit, certum existimo non expedire talem mutationẽ facere, vt omnes etiam Theologi censuerunt dist. 37. & 38. & ostendit late Bellarm. supra, & Medin. li. 3. de Cõtinentia c. 7. & alij, quia res est antiquissima & per se honestissima, & nulla est sufficiens ratio talis mutationis, maiora enim incommoda ex matrimonio clericorũ sequerentur, quã nunc sequuntur ex cælibatu, si omnia recte pensentur. Neq; obstat obiectio facta, est enim accurate distinguẽdum, aliud esse exponere homines periculo fornicationis, vel sacrilegii, aliud vero esse permittere vel potius tolerare huiusmodi pericula, vel lapsus, qui secundũ humanam fragilitatem eueniunt. Hoc secundum fit necessario ab Ecclesia, quia eius prouidentia, & gubernatio, quantũuis perfecta, humana est, & nõ potest omnia incõmoda vitare. Primum autẽ nec fit ab Ecclesia, nec in hoc negotio potest illi imputari, quia status clericorũ de se non habet illud periculum adiunctum, voluntarium etiã propositum, vt Gregor. supra insinuauit, multũ condescendit, vt futura mala caueantur; & ministerium ipsum de se multũ iuuat ad eundem finem: ac deniq; prouidentia q̃ semper Ecclesia adhibuit ad cauẽda hæc pericula, magna semper fuit, vt ex ipsis etiã canonibus Apostolorum intelligi potest, infraque videbimus.

Igitur quod his omnibus non obstantibus aliqui & plures humani lapsus sequantur, non refert, vt ob eam causam existimandum sit tantum bonum ecclesiæ non expedire, præsertim cum in omni statu timeri possint lapsus, & incõmoda, quæ sine dubio fuissent maiora si sacri ministri continentiã non obseruarent: nam in materia castitatis fortasse essent in multis æquales lapsus, & in cæteris quæ sine dubio est maior pars clericorum, priuaretur Ecclesia insigni virtute, & decore castitatis suorum sacerdotum, quę & ad sanctificij reuerentiam, & ad sacerdotij honorẽ, & ad fidelium exemplum valde necessaria est, vt recte dixerunt Hier. li. 1. cõtra Iouinian. Epiph. hæres. 59. Ambr. li. 1. Offic. c. vlt. Aliunde vero nec circa spirituale regimen, nec circa dispensationẽ bonorum Ecclesiasticorum, moraliter loquendo, debita cura & fidelitas obseruari posset. Propter quod Iustinianus Imperator in d. l. *non semper*, C. de Episc. & clericis, pie ac sapienter optabat, vt Episcopus non solũ post Episcopatum susceptũ filios non gigneret, verum ẽt vt ante Episcopatum susceptum illos nõ habeat, etiam ex legitimo toro natos, & cõsequenter, vt qui illos habuerit in Episcopum non eligatur. *Quia oportet*, inquit, *Episcopum nulla erga eos liberos, qui carne & corpore parantur, affectione & studio prapeditum omnium fidelium animos parentu charitate & benevolentia comprehendere.*

## Caput XIV.

### *Quo tempore cœperit esse in Ecclesia castitatis obligatio in Episcopis ac Presbyteris.*

EX dictis in capite superiore cõstat institutionem hanc esse Ecclesiasticam, nam cum nõ sit diuina, alia esse non potest, cum legitima sit, & honesta, vt ostensum est, & vim habeat obligãdi, vt per se constat, & obiter etiam ostendimus, & in hoc & sequenti capite clarius cõstabit. Oportet ergo auctoritatẽ huius institutionis ab eius antiquitate & origine inuestigare, q̃ vt distinctius fiat, non cõfuse de toto ordine sacro, sed distincte de singulis sacris ordinib. dicemus. 1.

Distinguemus præterea illas duas partes continẽtiæ, scil. vt qui absque vxore ad ordinem sacrum admittitur, vxori copulari non possit; qui vero iam vxoratus ordinatur, ad vxorem accedere non possit: in priori autẽ parte duo possunt distingui, scilicet, prohibitio, & irritatio matrimonij contrahendi; nunc vero solum de prohibitione agimus, nam de irritatione infra specialiter disputandum est. *Status quæstionis diuiditur.*

Dico ergo primo à tempore Apostolorum obseruatum in ecclesia fuit vt Episcopus ac Presbyter iam ordinatus matrimonium contrahere non permittere tur. Cõiungimus hos duos gradus, quia licet semper fuerint distincti, in primitiua Ecclesia, ac tempore Apostolorum frequenter coniuncti erant, & q̃ ad præsens attinet, decreta, quæ de Presbyteris loquuntur, quæ frequẽtiora sunt, à fortiori in Episcopis locũ habent. Probatur ergo primo Apostolorum exemplo, nullus enim eorũ qui ante acceptã vxorem ad Apostolatũ vocatus est, eam postea duxit: q̃ in primis cõstat in Ioanne Euangelista, quem virginem à Christo vocatũ fuisse, & virginem perpetuo mansisse certius est, quã vt probatione indigeat. Illi vero annumerandus est frater eius Iacobus; nam de vtroque sic scribit Epiph. hæres. 58. *Ioannes & Iacobus filii Zebedæi, qui manserunt in virginitate, neq; tamẽ propriis manibus membra resecuerunt, neq; nuptias cõtraxerunt, sed proprio corde decreuerunt, & mirabiliter gloriã coronæ huius certaminis absstulerũt.* 2. *Neq; Episcopus neq; Presbyter matrimonium contrahere permittebantur à tempore Apostolorum.*

Tertium his adiungere possumus Iacobum fratrẽ Domini, nã licet hoc de illo expresse non referat Hegesippus, ea tamen de illo scribit quæ manifeste indicant eum vitã à matrimonio satis alienã duxisse. Nã, vt referunt Eusebius lib. 2. hist. c. 22. & Hieronym. de Script. Eccles. *Iacobus ab infantia sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, animalium carnibus se abstinuit, nunquam* 3.

*ationsuæ est, neq; vnctus vnguento, neq; vsus balneo, flexis genibus tam perseueranter orabat, vt eius genua camelorum duritiem traxisse crederentur.* Quæ omnia cum statu matrimonij non recte conueniunt: vnde à fortiori credendum est illum matrimonio abstinuisse. Quod nō obscure significauit Epiphan. hæres. 30. in principio dicens, Ebionitas in sui erroris initio virginitatē magnificasse, *propter Iacobum fratrem Domini.* clarius hæres. 78. *Iacobus* (inquit) *frater Domini vbi annos vixit nonaginta sex, virgo existens mortuus est.* & infra, *Ioannes,* (inquit) *Iacobus, atq; Iacobus, hi tres hanc vitæ conuersationem habuerunt.* cum qua sententia optime consonant multa alia, quæ de eodem Iacobo refert Chrys. hom. 5. in Matthæum, illud præcipue, tantam in eo fuisse carnis incuriam, vt adhuc viuētis omnia fere membra morerentur. Quarto B. Andream vitam coniugij expertem egisse refert Simon Metaphrast. in vita D. Petri.

4. Quinto loco annumerandus est Paulus, quem non solum post vocationem suam non accepisse vxorem, verum etiam nunquam illam habuisse longe probabilior opinio fert, vt pie satis, & erudite ostendit Cæsar Baron. in 1. tom. ann. Christi 57 n. 59. & sequentib. præcipue vero colligitur ex verbis eiusdem Pauli 1. ad Corinth. 7. *Volo enim vos esse sicut meipsum.* Dices, ex illis verbis solum colligi Paulum continentiam seruasse siue vxorem haberet, siue non. Proxime enim ante illa verba ad cōiugatos loquebatur, dicens, *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* ne autem id præcipere videretur, subiungit: *hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* indicans quod in ipso est potius consulere, vt perpetuo contineant, & ad hoc seipsum in exemplū proponit, dicens, *Volo autem vos omnes esse sicut meipsum.* Quod recte exponit Augustin. lib. de gratia & lib. & arbitr. c. 4. dicens, *Quia vtique ipse ab omni concubitu cōtinebat* & ibi Theodor. *Seipsum exemplar proposuit suæ castitatis thesaurum nobis reuelare coactus.* Theophylactus autem sic exponit, *Optarē vt semper omnes continerent.* Hæc ergo verba si nihil amplius Paulus addidisset sufficienter explicarentur de perpetua continentia seruata à Paulo post conuersionē suā in matrimonio prius cōtracto.

*Obiectio diluitur.*

5. Hanc vero dubitationem excludūt verba sequentia, *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.* Vnde recte Ambr. prioribus verbis addidit. *Qualis autem ipse erat mox in subiectis ostendit.* Posterioribus vero adiungit, *Non diceres, bonum est innuptis vt sint sicut & ego, nisi esset integer corpore, ne diceret, omnes homines volo esse sicut meipsum: si enim habuerit vxorem, & hoc dixit, virgines esse noluit sed absit. sic enim à puericia spiritu seruiuit, vt huius rei studium non haberet, quippe cum iuuenilis anticipatus sit à gratia Dei.* Quibus verbis aperte significat Paulum virginem etiam fuisse. quod etiam significauit Epiphanius hæres. 70. & Hieronymus qui alios Patres antiquos refert epist. 52. ad Pamachium. Est q; per se valde verisimile ex his quæ de seipso idem Paulus alijs locis refert. nam ad Galat. 1. de se ait, *Audistis conuersationē meam aliquando in Iudaismo, & proficiebam in Iudaismo supra omnes coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarū mearum traditionum.* Et ad Philip. ait fuisse *secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum iustitiam quæ ex lege est, conuersatus sine querela.* Et Actor. 23. *Pharisæus,* inquit, *sum filius Pharisæi.* & c. 7. eiusdō lib. dicitur, cum lapidaretur Stephanus, Paulum fuisse adolescentem. Ex quibus omnibus recte perpensis magna probabilitate colligitur, Paulū vsq; ad conuersionem suam innuptum, & virginem permansisse, nam in primis ætas adolescentiæ nondum matrimoniū postulabat: deinde professio Pharisæorum potius erat de continentia conseruāda ad tempus saltem diuturnum, vt ex Epiphan. colligitur hæres. 16. Solicitudo etiā proficiendi in Iudaismo à coniugio adolescentem auocabat: vita deniq; in lege innocens & sine querela turpem de illo actum præsumere non permittit: conseruauit ergo cæbatum, & virginitatem vsque ad conuersionem suam.

6. Quod vero (idq; ad nostrum institutum magis refert) post conuersionē ad fidem, vxorem non duxerit, nullus vir prudens dubitare potest, qui attente legerit, quæ idem Paulus scribit 1. ad Corinth. 7. de excellentia castitatis, & de necessitate eius ad tollenda omnia impedimēta perfectionis, & vt quis posset nihil aliud cogitare, nisi quæ Domini sint, & quomodo placeat Deo, neq; esse solicitus, quæ sunt mundi, sed solum quæ ad Dei obsequium & bonum animarum spectant. Quibus adiungi potest eiusdem Pauli sententia 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Constat autem ex Actibus Apostolorum c. 9. & sequent. & ex omnibus eius epistolis, præsertim 2 ad Corinth. c. 11. ipsum summa charitate & solicitudine munus Apostolicum peregisse, ita vt nihil aliud quam Christi gloriam & animarū salutem cogitare videretur. Quis ergo credet eum post tale munus susceptum de matrimonio contrahēdo cogitasse? Atq; hæc est communis sanctorū Patrum sententia, vt præter citatos sensit Hilar. Psal. 127. August. li. 1. de adulterin. coniug. c. 4. Hieron. epist. 22. ad Eustochium de custodia Virginit. & optime Tertull. lib. de Monogamia c. 3 & 8. vbi Pamelius alia adnotat loca. Solus Clemens Alexand. ex antiquioribus contrariā de Paulo habuit opinionem, cuius sententia licet admitteretur, intelligēda esset quod Paulus ante suum Apostolatum vxoratus esset. Re tamē vera Clemens non historiam narrat, sed deceptus est male intelligendo quædam verba eiusdem Pauli ad Philipp. 4. *Rogo te germane compar*, quia vox Græca συζυγε quam interpres noster transtulit *Compar*, coniugem significare potest. Sed generalior est, & cōiugalem proprie significat, id est, socium eiusdem iugi, oneris, aut muneris. Vnde verisimilius est illū germanum non fuisse fœminā, sed virum aliquem, qui Paulum iuuabat in onere Euangelicæ prædicationis, & ideo compārem, seu coniugalem à Paulo appellari, vt latius expositores in illum locū indicant. Præterea Clemens alium locum Pauli siniſtre etiam interpretatur, vt statim adnotabimus.

7. Sexto adiungere possumus alios omnes Apostolos: nam de Petro certum est habuisse vxorem, æque tamen certum est ante Apostolatum illam duxisse, nam Luc. 4. fit mentio socrus Petri, quam Christus à magnis febribus liberauit in principio fere prædicationis suæ: ergo iam tunc Petrus habebat vxorem. Quod autem secundā non duxerit, & discursu facto de Paulo demōstrari potest, & Ecclesiastica traditione est certissimum, cum bigamiam in Episcopis, & cerdotibus semper Apostoli prohibuerint, vt ex 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 1. & ex canonibus Apostolorū constat, & in materia de Irregularitate latius dixi. De cæteris vero Apostolis an vxorati fuerint, ne ne, scripta sunt non reperio, quod autē continentiam seruauerint & vsum vxorū in Apostolatu non habuerint, docēt antiquissimi Patres. Ex quo euidenter colligitur, si qui ex illis vxores non habebant, quando vocāti sunt, nunquā illas accepisse, nam si illi, qui eas habebant, ab eis se continebant, cur illas acciperent qui non habebant? Vnde recte Tertull. lib. de Monogam. cap. 8. *Petrum,* inquit, *solum inuenio maritū per socrum, monogamum præsumo per Ecclesiā, quæ super illū ædificata omnēg; ordinis sui de monogamiæ erat collocatura: cæteros autē maritos nō inuenio, aut spadones intelligā necesse est, aut cōtinentes:* Spadones vocat virgines, seu qui vxores nunq; duxerūt, continētes aūt eos, qui licet vxores habeāt, illas non cognoscunt. Atq; eodem modo de cæteris

Apo-

Apostolis sensit Hieronym. li.1. contra Iouinianum, & epist.22. & alios infra referemus, qui continentiam saltem omnibus Apostolis attribuunt.

8. Quod ergo Clemens Alex. dixit libr. 3. Strom. at. Philippum Apostolum genuisse filias, si verum esset, intelligi deberet, eas ante Apostolatū genuisse, nullum tamen ad id asserendum fundamentum habuit, sed æquiuocatione nominis deceptus est, putauit enim Philippum illum, qui filias habuisse refertur Actor. 21. Apostolum fuisse, quod ex eodem refert Niceph. li.3. c.24. & ex Papia c.33. & non improbat; idē tenet Euseb. lib.2. hist. cap.1. vbi Philippum illum, de quo fit mentio Actor. 8. non Apostolum, sed alium, qui cum Stephano Diaconus ordinatus fuerat, fuisse affirmat. Et lib 3. c.25. ex Polycrate refert eundē Philippum Diaconum fuisse, qui filias haberet, quod verius magisq; receptum est. Imo in dict. c.21. Actor. videtur satis expressum, vocatur enim *Philippus Euangelista, qui erat vnus è septem.* ac si diceret, qui in cap. 6. electi & diaconi ordinati referūtur. Quod vero vlterius ibi dicit Clemens Philippum filias suas viris tradidisse, de quocunque Philippo intelligatur, fundamentum non habet, neque ab alio asseritur.

9. Quod vero Ignatius epist. 9. ad Philadelphienses exempla ponens sanctorum, *qui rei vxoriæ se dederunt*, inquit, *vt Petri & Pauli & aliorum Apostolorum, qui nuptiis operam dederunt*, difficultatem maiorem facit contra dicta. Nam licet de Paulo respondere possimus in Vaticano codice, & in alijs antiquioribus nomē Paulino inueniri, vt ibi Scholiastes, & Bellarm. lib.1. de cler. c.20 notarunt, & latius Baronius citatus confirmat. Tamen de alijs Apostolis non tam facile possumus id dicere: nam licet Baron. in principio dicat nouatores deptauasse epistolam Ignatij, & post Petrum addidisse, *Paulum, & alios Apostolos*. tamen de hoc posteriori verbo, & solus ipse hoc dicit, & postea nullam de illo probationem adducit, sed solum de nomine Pauli, vnde fortasse hoc solum in prioribus verbis significare voluit. Ex hoc ergo loco aperte colligitur alios Apostolos præter Petrum habuisse vxores, quanquam non omnes. Atq; idem sensit Clemens Alex. dict. li. 3. Strom. sed hic mouetur testimonio Pauli 1. ad Cor. 9. dicentis, *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducēdi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini & Cephas*? hic vero locus nō cogit, quia ibi mulier non significat vxorē, sed quamcunq; fœminā, vt cōmuniter antiqui & moderni expositores ibi interpretantur, & Hieronym. ac Tertuil. locis citatis: & sane cum ibi Paulus distincte numeret fratres Domini, quos constat virgines fuisse, sufficiens argumentū est de vxoribus non loqui. Ex Paulo ergo non cogimur dicere alios Apostolos habuisse vxores. Ignatius vero de aliquibus id affirmare videtur, q̄ fortasse ita fuit; quamuis non constet qui vel quot illi fuerint: quicunq; tamē illi sint ante Apostolatum eas habuisse intelligendum est, non postea illas accepisse, vt omnia quæ hactenus diximus sufficienter probant.

Dicet vero aliquis Apostolos non lege sacerdotij, aut Episcopatus adductos matrimonio abstinuisse, sed quia voluntarie perfectionem cum Christo professi sunt. Respondeo verum quidē hoc esse, præsertim de his Apostolis, q̄ Christum in hac vita mortali viuentem, sequuti sunt. Imo in p̄cedenti capite ostendimus Christum Dominum de hac cōtinentia Episcoporum, & sacerdotū legem non tulisse; quid ergo mirum q̄ Apostoli, qui primi omnium illam seruarunt, non ex voluntate legis, sed voluntarie illā amplexi fuerint? Apostolorū ergo exempla nō adducimus, vt in eis legem ostendamus, sed vt optimam originē, & initium huius legis indicemus. Apostolos ergo imitari cœperunt S. Episc. qui ante matrimonū ad Episcopatum ab ipsis Apostolis assumpti sunt, vt licet colligere ex Ignatio ep. 9. ad Philadelphienses, vbi in hoc numero ponit Timotheum, Titum, Euodium, & Clementem: ex quibus intelligi p̄t reliquos probatos Episcopos, quia ad Episcopatum cælibes electi fuerunt, cælibes semper p̄mansisse: nam de his, q̄ post primum coniugium ad sacerdotium vocati sunt, certum est ad secundas nuptias postea non transijsse, cū bigamiam in sacerdotibus Ecclesia semper detestata fuerit. Deniq; quāuis positiue, vt sic dicam, ostendere non possimus, nullū vnquam Episcopū vel sacerdotem post suam ordinationē, permittēte Ecclesia, nuptias contraxisse, illud saltē certum est, oēs Episcopos & Presbyteros, de quorū vita laudabili nobis cōstat, hanc legē obseruasse, neq; aliquem ex probabili historia ostendi posse qui post Presbyterium vxorē acceperit. Nam q̄ de Gregorio patre Gregorij Nazianzeni quidā afferunt, extra rem est: nā constat ex orat. 19. eiusdem Nazianz. non solū ante sacerdotium, verum etiā ante Baptis. vxorē duxisse, q̄ illi superuixit, & quantum ex discursu illius orationis potest colligi (quamuis expresse non asseratur) post sacerdotium semper cū illa continēter vixit. Est ergo moraliter euidens hūc morē exēplo Apostolorū statim ab initio introductū esse in ecclesia, ac generaliter obseruatū.

11. *Hæc obligatio continentiæ incertum est quando sub præcepto incepit.*

Atq; hinc tandem concluditur eam legem, vel obligationem, quā nunc in Ecclesia catholica videmus, antiquissimam esse, & ab hac Apostolica traditione manasse, quomodo autē introducta fuerit, aut quando in rigore inceperit, sub rigore obligationis, & necessitatis, non credo facile definiri; nisi dicendo hoc fuisse præceptum Apostolicum traditum in can. 27. Apostolorum, qui sic habet. *Innuptis qui ad clerum promoueri sunt præcipimus, vt si voluerint vxores accipiant, sed lectores, cantoresq; tantummodo.* quem in hoc sensu defendit Turrian. li.1. pro canon. Apost. c.2. nihil vero speciale in illius cōfirmationem, vel explicationē adducit, indiget tamē certe expositione, quia nimiū probat si lectores tm̄ & cantores excipiantur, oportet ergo sub illis oēs minores ordines intelligere. Sed quia hi canones non habēt omnino certam auctoritatem, ideo dixi nō esse omnino certum huius obligationis initium. Nam licet hic canon in Trullano can. 6. ab illis Patrib. receptus sit, tamē etiam illi canones Trullani incertā habēt auctoritatem, vt cōstat ex Decret. d.16. & est res vulgaris. Præterea nullū decretum Cōciliare, vel Pontificium inuenitur, ad q̄ initium huius obligationis reducatur. Nā licet Gratianus in c. vlt. d. 27. ex Calixto referat hoc decretum, *Presbyteri, Diaconi, subdiaconi & monachi concubitus habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus.* tamen ille canon nō Calixto I. sed secundo tribuitur à Gratiano, iuxta emendatiorem inscriptionē, & potius Vrbano II. tribuendus esset, vt in scholijs Gregoriani codicis notatur; fuit autē Vrbanus II. ann. 1077. ante quod tēpus erat sine dubio hæc obligatio in Ecclesia, vt ex Concilio Neocæsar. constat c.1. *Presbyter*, ait, *si vxorem acceperit ab ordine deponatur.* antiquior vero est hęc obligatio etiam hoc canone, vt ostendam; referēda ergo est ad immemorialem cōsuetudinem, quæ vsq; ad tempora Apostolorum refertur. Obligatio autē quę consuetudine nititur aliquando incipit per actus, qui fiunt sine obligatione præcepti, quorum vsus paulatim immutat iudicium, & intentionem operantium, & ita tandem introducitur obligatio: quando autem hoc modo inducitur, difficile, vel potius impossibile moraliter est certum initium eius designare. Hoc autem modo potuit in præsenti contingere, nam in principio feruore fidei & charitatis, & Apostolorum exemplo ac verbo facile poterant omnes, qui ab eis sacerdotes ordinabantur induci ad promittendum cælibatum, si antea erant innupti.

12. Priores vero Episcopos ita ab Apostolis consecra-

tos, eandem regulam tanquam optimam, magisque conuenientem in successoribus, vel coadiutoribus suis consecrādis obseruasse, verisimile est; atq; ita intra breue tempus consuetudinem pro lege, & regula acceptatam esse. Oportet autē hic duo distinguere, vnum est antecedens, vt sic dicam, ordinationem sacerdotis, aliud consequēs. Hoc posterius est abstinere à matrimonio cōtrahendo post ordinationem, & hoc existimo semper fuisse sub obligatione, saltē ratione promissionis, quam in ipsa ordinatione faciebant; quia reuera semper in Ecclesia existimatum est malum ac turpe post sacerdotium, matrimoniū contrahere, vt amplius ex dicēdis constabit. Antecedere autem ad obligationem ipsam dico hanc regulā seu ritum non ordinādi aliquem sacerdotem, nisi imponendo ei onus seruandi seu promittendi cælibatum; & quoad hoc dico non mihi constare quādo cœperit esse sub obligatione, vel respectu Episcopi ordinātis, vt neminem nisi sub hac lege ordinare audeat, vel respectu clerici ordinati, vt intelligat eo ipso quo ordinatur promittere cælibatum, vel ad illum obligari ex lege Ecclesiastica. Quid vero in hoc probabilius coniectari possit ex sequenti assertione constabit.

13. *Episcopi & sacerdotes in Ecclesia Latina tenentur ab vxoribus antea ducta abstinere, &c.*

Dico secundo, Episcopi & sacerdotes, qui post matrimonium consecrantur, tenentur à proprijs etiam vxoribus continere, quanquam hoc præceptum in Ecclesia Græca non obliget propter cōtrariam consuetudinē: Vnde non satis constat hoc præceptū esse proprie Apostolicū, quamuis certum sit ex traditione Apostolica manasse. Prima pars assertionis certa est, ac de fide. Probari aūt solet ex illo Pauli, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virū, sobrium, prudētem, ornatum, pudicum*, 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 1. vbi pro *pudicum* ponitur, *continentem*, quod aliqui intelligunt de continentia etiam à copula licita, quæ est cū propria vxore: nam de communi castitate intelligūt verbum aliud *sobrium*, nam vox Græca non solū temperatum, sed etiā castum significat, & est quidem pia expositio, non tamē cogens; quia dictio *Continētem*, in rigore explicari posset de castitate quę illicitā continentiam excludit, vel de continentia ab omni immoderata perturbatione, vt Hieron. etiam exposuit. Addo etiam verbū *Oportet*, in rigore non semper cōtinere præceptum, nisi quatenus materia, cui adiungitur, ex se necessaria est ad morum honestatem. Pręcipue igitur probanda est conclusio ecclesiasticis decretis statim referendis: ad cognoscendam autem radicem huius obligationis, recurrendum est ad traditionem, sicut in præcedenti assertione factum est.

14. Et in primis iam supra probatum est ex sanctis Patribus Apostolos, qui post nuptias vocati sunt, post vocationem ab vxorib. perpetuo abstinuisse. Quod optime colligitur ex verbis Petri Matth. 9. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo*, &c. nā quod sub illis omnibus vxores etiam comprehendantur, ex verbis quæ Christus Dominus subiungit, facile intelligi posset, *Omnis*, inquit, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem*, &c. Reliquerant ergo Apostoli etiam vxores eo modo, quo poterant, scilicet quoad torum. Huic autem exemplo conformem etiam fuisse Apostolorū doctrinam, testatur Concilium II. Carthag. cap. 2. *Vt quod Apostoli*, inquit, *docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoq; custodiamus ab vniuersis Episcopis dictum est: Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineāt.* habetur in cap. *cum præterito* 84. d. vbi etiā expendendum est verbum illud, *& ipsa seruauit antiquitas*, fuit enim Concilium illud celebratum ante mille ducentos annos, & ad antiquitatem refert hanc obseruantiam: ergo plane intelligit etiam prioribus quadringentis annis extitisse, quamuis ibi non explicetur, an semper fuerit sub obligatione, vel solum in vsu, & praxi Ecclesiæ. Verisimile autem est tam perseuerantem consuetudinem in re tam ardua, & difficili non fuisse sine obligatione, quod etiam ex testimonijs aliquorum Patrum statim constabit.

15. Deinde plures etiam summi Pontifices apertius hanc legem declararunt, inter quos antiquior Clemens I. qui in epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini, de ministris, qui ad diuina ministeria eliguntur, sic ait, *Si post ordinationem ministro altaris contigerit proprium intudere cubile vxoris, sacrarii nō intret limina*, &c. Est vero illa epistola incerta. Gratian. vero in cap. *ministri* d. 81. illum canonem tribuit Lucio Pontifici. Iuo tamen p. 6. cap. 87. ex Clemente sumptum putat, & videtur probabilius, vt in Gregoriano etiam scholio notatur. Ex veteribus ergo decretis indubitatis antiquius videtur esse Siricij in epist. 1. cap. 7. & ideo hæretici illum dicunt auctorē huius continentiæ sacerdotalis: sed immerito, tum quia Concil. Carthag. citatum tempore illius Pontificis congregatum est, & maiorem antiquitatem aperte significat, tum etiam, quia verba Siricij idē præ se ferunt, sic enim ait. *Quarum sanctionum sacerdotes omnes, atq; Leuitæ insolubili lege constringimur, vt à die ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitiæ, & corda nostra mancipemus, & corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his quæ quotidie offerimus, sacrificijs placeamus*, &c. & inferius pœnā imponit his, qui huiusmodi continentię violatores extiterant: supponit ergo illam legem antiquiorem esse, & non ab ipso denuo ferri. Quod decretum refert Innocent. I. in ep. 3. ad Exsuperium cap. 1. & prius indicat hoc ius esse diuinum, sed intelligit solum per imitationem, seu cōsonantiam cum iure diuino: solum enim congruentias affert, quas ex veteri lege supra adduximus. Postea vero significat illam legem à Siricio fuisse latam, eam enim vocat, *formam Ecclesiasticæ vitæ, & disciplinæ*, quæ ab Episcopo Siricio ad prouincias commeauit, & deinde illos excusat, qui per ignorantiam illius decreti post illud editum lapsi sunt. Veruntamen illos excusat à pœna depositionis, non à culpa, & quoad illam censuram, seu pœnam verum est à Siricio primum illā legem fuisse sancitam. Sunt qui existiment antiquam legem per consuetudinem ita fuisse tempore Siricij mutatam, vt iam non obligaret, & à Siricio fuisse instauratam: verum hoc (licet parum referat) in illis epistolis non habet fundamentum, & ex epistola Siricij contrarium potius colligitur. Simile decretum habet idem Innocent. in epist. 2. ad Victricium cap. 9. & de eadem re sine dubio loquitur in epist. 5. Idem repetit Leo Papa epist. 82. ad Anastas. c. 4. & epist. 90. ad Rusticum c. 3. vbi hanc prohibitionem auxit, vt infra videbimus, vbi recentiorum etiam Pontificum decreta referemus.

16. Ex his ergo sufficienter intelligitur legem hanc in Romana ecclesia semper fuisse obseruatam, vt verbis etiam expressis affirmat Gregor. libr. 1. epist. 42. Eandem vero legem in Occidentali Ecclesia receptā fuisse, ex varijs & antiquissimis Cōcilijs Prouincialibus intelligi facile potest, & primo loco, vt cæteris antiquius, afferri potest Concilium Elibertinū, quod in can. 33. hoc statuit sub pœna depositionis, & eodē fere tempore idē significauit Concilium Arelatense II. can. 2. dicens, *assumi aliquē ad sacerdotium nō posse in vinculo coniugii constitutum, nisi fuerit promissa conuersio*: nam hoc verbo promissionem castitatis indicat Concilij Carthaginense II. quod iam supra adduximus: & eodem fere tempore Concilium Taurinense can. 7. edidit valde notandum, sic enim habet, *Qui in ministerio genuerint filios, ne ad maiores gradus ordinū promoueātur Synodi decreuit auctoritas.* Quibus verbis significat in minoribus ordinibus cōstitutos, si velint ad superiores ordines ascēdere, nō debere post ordinationem

nem suam filios generare, alioqui non esse promouendos: quod ego intelligerem, viuente vxore. Præterea in Concilio Tolet. I. cap. 1. simili modo statuit non solum vt Presbyteri abstineant ab vxoribus, verumetiam, vt si antea in diaconatu non abstinuerint, non ordinentur Presbyteri, & si in Presbyteratu lapsi fuerint, non fiant Episcopi. Et in Tolet. II. c. 1. est egregium de hac re decretum, in quo in summa dicitur, adolescentes in minoribus constitutos decimo octauo ætatis anno esse interrogandos, an velint castitatem promittere, quam si spondere voluerint, tanquã *appetitores artissimæ viæ* suis gradibus ad superiores ordines esse promouendos: si autem noluerint, concedendum illis esse cõiugium, *ita vt cum perfecta ætate in coniugio positi renuntiaturos se pari consensu operibus carnis sponderint, ad sacratos gradus aspirent*. Idem in Concil. Tolet. III. can. 5. vbi additur, *Non sub vno conclaui maneat*, &c. Faciunt etiam ad hanc & præcedentẽ assertionem confirmandam quæ traduntur in Concilio Tolet. IV. can. 42. & 43. & Tolet. VIII. can. 5. & Tolet. IX. can. 10. Præterea Concilium Arausicanum I. can. 22. sic statuit: *Sedit præterea vt deinceps non ordinentur diaconi coniugati nisi qui priusquam ordinentur, proposito professi fuerint castitatem*. & can. 23. ab officio abijciendum dicit Leuitam, qui cum vxore sua incontinens inuenitur. Vnde constat ante illa decreta id seruatũ esse in superioribus ordinibus, de quibus nunc agimus: cap. autẽ 24. amplectitur canonẽ Concil. Taurinens. supra citati, & in Concil. Agathens. can. 9. decreta Leonis & Siricij supra citati seruari mãdantur, & can. 16. Vt cõiugati ordinari possint vxorum voluntatẽ requirendam esse dicit, vt mutuo consensu, religione promissa ordinari possint, refertur in cap. *Episcopus* d. 77.

17. Concilium autem Turoninum I. sub Hilario can. 2. hanc prohibitionem moderari videtur, refert enim à superioribus Patribus *emissa auctoritate fuisse constitutum* (sic enim loquitur) vt priuaretur communione sacerdos, aut Leuita vacans procreationi filiorum, ipsum autem rigorem leniendo statuit, vt huiusmodi clerici *ad altiorẽ gradum non ascendant, neq; sacrificia Deo offerre, vel vbi ministrare præsumant*, & addit, *Sufficiat his tantũ vt à cõmunione non efficiantur alieni*. Ex quibus vltimis verbis posset aliquis colligere illos clericos nõ peccasse tunc in tali facto, cum non censerentur cõmunione indigni. Item quia videtur Concilium illis permittere tale factum, dummodo non ministrent, neq; vlterius conscendant. Sed non ita intelligendũ puto, quia tam grauis pœna, vt est depositio, non imponeretur sine graui culpa, & quia illud decretũ non corrigit superiora nisi moderatione cuiusdam pœnæ: non est ergo vltra extendendum. Item, quia Concilium illud non poterat auferre votum castitatis, q̃ ab illis clericis iam tunc emittebatur, iuxta Concilia supra citata: ergo non poterat illos à culpa excusare. Solum ergo decreuit, vt sic peccantes non priuarentur communione, dũmodo (ita enim interpretor) pœnitentiam sui peccati agerent, & simili consuetudinẽ abstinerent: itaq; licet pœnitentiam agerent, deponẽbantur, non tamen communione priuabantur.

18. Atq; eodem modo intelligo canonem 1. Concilij III. Aurelionensis, qui habet, *Vt nullus clericorum à subdiacono, & supra, & quibus vxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ, si forte iam habeat, misceatur vxori. Quod si fecerit, laica communione contentus, iuxta priorum canonũ statuta ab officio deponatur*. In Concilio vero Matisconẽsi can. 11. additur huiusmodi clericos omni esse dignitate priuandos, & expresse nominat Episcopos, & Presbyteros, de alijs vero sub hac generalitate loquitur, vel vniuersi honoratiores clerici cum sublimi dignitatis apice sublimentur, actibus omnino renuntient seculi, & sacro electi ministerio repudiẽt carnale consortium. Eadem depositionis pœna imponitur in Concilio Wormatiensi c. 9. & ad subdiaconos extenditur. In Concilio autem Turonico can. 20. præter pœnam depositionis additur excommunicatio vnius integri anni, his qui in hoc delicto inuenti fuerint, & multa alia magna prudentia prouidentur ad obseruantiã huius cõtinentiæ clericorum. De quo ét aliqua adduntur in Concil. Altisiodorensi can. 20. Illa autẽ cautio mirabilis est, q̃ ante septingẽtos annos addidit Concil. Moguntinũ sub Arnulpho c. 10. vbi interdicitur clericis habere mulieres in pprijs domibus, etiãsi maxime videãtur omni suspicione carere.

Ex his ergo satis constat legem hanc communi ecclesiarum consensu fuisse in Occidentali Ecclesia receptam; eandem vero à sanctis Patribus Latinis eiusdem antiquitatis summis laudibus fuisse commendatam, intelligi facile potest ex Ambros. li. 1. de Officijs c. 50. vbi solum vsq; ad Diaconos hanc legem extendit, & ferè omnibus rationibus, & congruentijs supra tactis illam confirmat, quas breuius tetigit 1. ad Tim. 3. & lib. 3. epistolar. epist. 25. alias 82. ad Vercellensem Ecclesiam, vbi aduertit Apostolũ 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 1. non dixisse de Episcopo filios faciente, sed filios habẽte subditos cum omni humilitate, scilicet, si ante suam ordinationem ex vnico coniugio illos habuerit. Præterea Augustin. li. 2. de adult. coniug. c. 20. continẽtiam clericorum alijs proponit in exemplum: sunt autẽ valde notanda verba. *Solemus* (inquit) *eũ proponere etiam continentiam clericorum qui plerumq; ad eandem sarcinam subeundam capiuntur intus, eamq; susceptam vsq; ad debitum finem Domino adiuuante perducunt*. Faciunt enim hæc verba ad difficultatẽ superiori capite tractatã, significat enim August. etiamsi aliquis inuitus ordinari cõpellatur, ad continẽtiam seruandam obligari, neq; hoc esse inconueniens per consequutionem quandam, vt ibi explicauimus. Posset autem August. exponi de inuoluntario secũdum quid, per importunas preces & populi desiderium, vt Ambros. sic enim intelligendum videtur, quod August. subdit, *Dicimus ergo eis* (id est, laicis) *quid si & vos ad hoc subeundum populorũ violentia capti eminx? nonne susceptum casse custodiretis officium, repente cõuersi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitastis?*

20. Eadem veritas traditur nomine Augustini in libr. quæstionum ex vtroq; Testam. mixt. q. 127. in fine, & optimis moralibus rationibus hoc probatur. Idem sumitur ex Tertull. lib. de exhortat. ad castit. c. 8. & li. de monogam. cap. etiam 8. Et ex Cyprian. epist. 62. vbi Diaconos computat inter eos, qui se castrauerunt propter regnum cœlorũ: ergo à fortiori id supponit de Episcopo, & Presbytero. Idem sæpe repetit Hier. lib. 1. contra Iouinian. & epist. ad Pamach. de eodem argumento, & lib. contra Vigilantium. Sumitur etiã ex Isidoro l. 2. de diuin. officijs c. 5. 8. & 10. q̃ testimonium infra magis explicabimus. Est etiam optima historia quã refert Greg. Turonens. lib. 4. hist. Franc. c. 4. de Machauo fratre cuiusdam comitis Britannici, qui vxorem dimisit, & Episcopus ordinatus est, post mortem autem fratris, & regnum fratris, & vxorem, quã reliquerat, accepit; & propter eam causam ab Episcopis excommunicatus est. Quod est manifestum indicium obligationẽ Episcopi abstinẽdi etiã à propria vxore, existimatã tunc fuisse grauissimã, cum nec Regi post tantã rerum mutationem fuerit permissa.

## Caput XV.

### *Quæ & qualis sit ac fuerit obligatio seruandi castitatem in Episcopis & Presbyteris Ecclesiæ Orientalis.*

1. SVpereſt vt de Orientalis Ecclesiæ consuetudine dicamus: cõstat enim ex nunc & ante multos annos nõ esse obseruatũ à Græcis, vt Episcopi vel Presbyteri à proprijs vxoribus si ante ordinationem illas habe-

habebant, quoad torum separentur: quam consuetudinem licet Ecclesia Romana non imitetur, nec laudet, non tamen vituperat vt malam, vt patet ex c. *cum olim*, de Clericis coniug. & sumitur ex c. *quæsitum*, de pœnitent. & remission. Quãdo vero cœperit hęc consuetudo, id est, an semper à principio Ecclesiæ ita permissum fuerit in Græcia, vel potius prius viguerit consuetudo seruandi integram cõtinentiam in Græcis sacerdotibus, postea vero paulatim ab ea integritate degenerasse, & priorem legẽ per contrariam cõsuetudinem fuisse remissam, inter modernos auctores catholicos controuersum est. Quidã enim existimant nunquã fuisse consuetudinem in Ecclesia Græca obligantem clericos in sacris ad non contrahendũ matrimonium etiam post ordinationẽ. Quod tenet Caiet. to. 2. Opusc. tract. 27. Sed hæc sententia cõmuniter reprobata est, vt no auit Couarr. in 4. p. 2. c. 6. §. 3. Palacios in 4. d. 25. dis. 2. circa concl. 6. & ex dictis in præced. assertione cõstare põt illã sententiã falsam esse, magisq; ex dicẽdis cõstabit. Cap. vero *aliter* d. 31. quo mouetur Caiet. recte exponitur à gl. ssa de copula, nõ de vinculo matrimonij, vt infra ẽt ostendemus.

*Prima opinio docet solutos esse contrahere matrimonium post ordinationem.*

Alij ergo verisimilius docent nunquam fuisse in ecclesia Græca consuetudinem, vt sacerdotes abstinerent à propriis vxoribus, si prius eas haberent, sed solum vt si non haberẽt, iam ordinati illas non acciperent: ita tenet Clitouæus lib. de Contin. Sacerdot. c. 4 potestq; opinio maxime fundari in historia Nicæni Concilij supra relata, quod cum Nicænum Concilium vellet canonem de hac continentia seruanda condere, Paphnutius intercessit, & Concilio persuasit ne illud onus sacerdotibus imponeretur. quam historiam refert Socrates lib. 1. c. 8. in cuius relatione notanda sunt illa Paphnutij verba, *Illud satis esse, vt qui in clerum ante ascripti erant quã duxissent vxores, his secundum veterẽ Ecclesiæ traditionem deinceps à nuptiis se abstinerent, non tamen quenquam ab illa, quam iam prius cum laicus erat, vxorem duxisset, seiungi debere.* Illa enim priora verba optime confirmãt priorem assertionem, posteriora vero & tota historia, si vera est, optime cõfirmant hanc opinionem: nam ex ea constat Cõcilij Nicæni tempore non fuisse apud Græcos talem legẽ, aut consuetudinem: quod si tunc non erat, profecto verisimile est nunquã fuisse: quod si etiã Concilium non est ausum illam ponere, plane etiã consequitur, nunquã postea fuisse introductam. Refert autem eandem historiam Sozomenus lib. 1. c. 22. & Cassiodor. lib. 2. Tripartitæ c. 14. & Nicephor. lib. 8. c. 19. & ex codice Græco Vaticano refertur in noua editione Concilij Nicæni à nostro Alphonso Pisano edita lib. 3. in fin. & in Decreto Gratiani recepta est in c. *Nicæna* d. 31.

*2. Secunda opinio concedit, quod vteruntur propriis vxoribus antea ducti.*

Confirmatur hæc sententia ex Socrate lib. 5. c. 21. referente in Thessalia consuetudinem inualuisse, vt ibi qui clericus sit, si cum vxore, quam cum esset laicus ducebat, postquam clericus factus sit dormiret, clericatu abdicatus sit, & subdit, *Cum omnes illustres Presbyteri in Oriente, & Episcopi etiam, modo ipsi voluerint, nulla lege coacti ab vxoribus abstineant: nam non pauci illorũ dum Episcopatum gerunt, etiam liberos ex vxore legitima procreant*; & postea subdit in Macedonia, & in Hellade, id est, Achaia, introductam fuisse eandem consuetudinem, quæ in Thessalia, loquitur autem Socrates de sua ætate, quæ fuit 420. anno, vel circa. Signum ergo est nec talem legem fuisse per Concil. Nicænum positam, quod ante centum annos præcesserat, nec consuetudinem illã fuisse vniuersalem in Græcia, sed potius has fuisse exceptiones particulares à contraria & generali consuetudine. Secundo cõfirmatur ex Gangrensi can. 4. vbi excommunicantur qui se abstinent ab oblatione clerici coniugati, eo prętextu q; propter nuptias offerre non debent. Confirmatur deniq; ex l. *eum qui*, C. de Episc. & cler. vbi ait non oportere vt

3.

sacerdotes relinquant vxores quas prius habebant: intelligit autem non esse relinquendas etiam quoad torum, vt patet ex ratione quam his verbis indicat, *Illas etiã non relinquere castitatis hortatur affectio*, nam sensus esse videtur, propter earum castitatem seruandam non esse relinquendas quoad torum, alioqui non satis esset earum pudicitiæ prouisum, immo in maiori periculo ambo relinquerentur, si cohabitare permitterentur, cum alias non possent licite copulari.

4. Tertia opinio affirmat priorium sexcentis annis ita fuisse seruatum.

Alij vero censent prioribus sexcentis annis Orientem eandem quam Occidens seruasse integram suorum sacerdotum consuetudinem sub lege & obligatione abstinendi etiã à propriis vxoribus: postea vero consuetudinem illam paulatim fuisse remissam, atq; mutatam. ita sentiũt graues scriptores nostri temporis, expresse Bellarm. libr. 1. de Clericis cap. 19. idem sentit Cæsar Baron. in Annal. 1. tom. anno 58. num. 18. & sequentibus, & Turrian. in lib. de sexta & septima Synodo, & aliis locis supra citatis, qui ob eam rem historiam supra dictam de Paphnutio tanquam apocryphum refert, & in Socratem & Sozomenum, qui illam scripserunt, vehementer inuehitur. Pisanus etiã eiusdem est sententiæ in annotatione, quam addit in fine tertii lib. Concilij Nicæni, non autem reiicit illã historiam, sed primo respondet Concilũ Nicænum non omnibus sacerdotib. concessisse liberum vsum coniugalem, sed illis tantum, qui tempore ordinationis suæ votum continentiæ non emiserunt. Secundo dicit non multum deferendum esse Paphnutio, qui in Meletii diuisionem seu schisma incidit. Neutra vero responsio satisfacit, non quidem prior, quia ex illa sequitur sufficienter quod prior opinio intendit, nimirum ante Concilium Nicænum non fuisse in Oriente obseruatũ vt Episcopi in ordinatione suæ promitterent continentiam à propria vxore, si illã prius habebant, neq; etiam Concilium ordinasse vt postea illam promitterent, ex quo sequitur vt voluntarium illis fuerit eam seruare, nec ne. Posterior etiã responsio male colligit, & siue Paphnutius postea fuit hæreticus, siue non, parum refert, non enim consideramus qualis antea fuerit, sed quid tunc senserit, nec plus ei deferimus, quam Cõcilium detulerit, nec negari poterit, quin tunc fuerit vir sanctus, & miraculis etiam illustris, & à Constantino Imperatore in magna veneratione habitus, vt constat ex Rufino li. 1. histor. c. 4. & 17. Theodoret. lib. 1. hist. cap. 7. Nicephor. libr. 8. cap 14. & 19. deinde quod illi imponitur de lapsu in hæresim, viri pij, & eruditi censent falsum esse: credunt enim alium fuisse illum Paphnutium, cui lapsum illum attribuit Epiphan. hæres. 68. Quod licet aliquibus videatur incredibile propter similitudinem in nomine, & quia vterque Ægyptius, & tempore Constantini fuit, nihilominus valde verisimile est, tum quia Paphnutius, de quo Epiphanius agit, anachoreta tantum erat, alter vero Episcopus: tum etiam quia Concilium Nicænum, vt Epiphanius significat Miletianos damnabat, cum tamen alter Paphnutius in eodem Concilio magnam habuerit auctoritatem.

5.

Nihilominus dicti auctores supra sententiã suam ex eodem Concilio Nicæno probare conantur, quia can. 3. sic statuit, *Interdixit magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, neq; alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiant.* Ex hoc enim canone dupliciter colligunt non licuisse sacerdotibus cohabitare cum vxoribus: primo, quia alias illæ fuissent primo loco nominatæ; secundo, quia si vxores in propriis domibus habere possent, non posset eis prohibere quin alias etiam fœminas in suis domibus haberent, quæ pro vxoribus solent esse necessariæ.

Verum

6. Verumtamen ex hoc decreto sincerè intellecto nihil colligi potest, quia non de solis sacris ministris, sed de omnibus clericis loquitur, dicens, *Nec alicui omnino qui in clero est.* quæ verba addidit postquam in particulari nominauit Episcopum, Presbyterum, & Diaconum: vnde non est dubium quin addita sint non solum propter subdiaconos, sed etiam propter omnes minores clericos. Ergo cum omnibus æquè prohibeat fœminarum consortium, vel minoribus etiam prohibet vsum vxorum, quod nemo dicet, vel certe nec maioribus prohibet. Decretum ergo illud intelligendum videtur de clericis vxore carentibus, illis enim posset periculum, & aliis scandalum per suspicionem generari si introductas haberent mulieres extraneas: quæ ratio in clericis coniugatis locum non habet. Atque ita exponere videtur decretum illud Basilius epist. 17. dicens Concilium Nicænum edidisse illum canonem propter honestatem cælibatus, constat autem ex vi verbi tantum illum cælibem dici, qui non habet vxorem, nam qui illam habet, etiamsi ab illa contineat, dicetur continens, non cælebs. Eadem expositio sumitur ex canonibus Trullanis 5. & 13. si rectè expendantur. Atque eodem modo videtur intellexisse decretum illud Iustinianus Imperator in *Auth.* de Sanctissimis Episcop. §. Presbyteris, collat. 9. sic enim ait. *Presbyteris autem, & Diaconis, & subdiaconis, & omnibus in clero conscriptis non habentibus vxores, secundum sanctos canones interdicimus etiam nos secundum sanctorum regularum virtutem mulierem aliquam in propria domo superinductam habere; tamen citra matrem, aut sororem, aut filiam, & aliquas personas quæ omnes suspicionem effugiunt.* Vnde idem Iustinianus in l. *eum qui*, C. de Episcop. & cler. vbi sine illa limitatione de clericis loquitur, eas etiam excipit, & in domibus clericorum habitare permittit. Ac denique hoc ipsum sensit Fossius in nono canone tit. 8. c. 14. nam iuxta has leges explicat decretum illud, quod habetur in tom. 6. Biblioth.

7. Melius potest probari illa sententia ex Patribus illius seculi, vel prope illum, quales sunt Cyrill. Hierosolym. qui Catechis. 12. sic inquit, *Qui apud Iesum bene fungitur sacerdotio, abstinet à muliere.* Et Epiphan. qui in Compend. doct. quæ habetur proximè post hæresim 70. in fine sic ait. *Sanctum sacerdotium vt plurimorum est ex virginibus procedens; si vero non, ex virginibus, aut ex solitariam vitam degentibus: si vero non fuerint ad ministerium, de his qui continent à propriis vxoribus, aut ab vnius nuptiis viduitatem seruantibus.* Statim vero explicat, sacerdotum nomine se comprehendere Episcopos, Presbyteros, Diaconos & subdiaconos, nam inferiores, ait, assumi etiam ex his, *qui adhuc sunt in venerando concubitu.* Idem etiam Epiphan. hæres. 59. cum dixisset, Ecclesiam non admittere ad sacerdotium bigamum, subdit, *Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum, maxime vbi sinceri sunt canones Ecclesiastici. At dices mihi omnino in quibusdam locis adhuc liberos gignere, & Presbyteros & Diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non est iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cum non inueniretur ministerium. Nam quod decens visum est, id semper Ecclesia per Spiritum sanctum bene disposita videns, statuit apparere.* Fuit autem Epiphanius non multo post Concilium Nicænum, & significat iam tunc fuisse editos de hac continentia canones Ecclesiasticos. Vnde illi æqualis Chrysostomus homil. 2. de Patientia Iob. *Oportet* (inquit) *sacerdotem omni prorsus castitate ornatum esse, ita vt nec vnam habeat vxorem*, scilicet, ad proprium munus vxoris. Idem significant his Patribus antiquiores, Origenes homil. 23. in Num. Eusebius lib. 1. de demonst. Euang. cap. 9. Et Gregorius Nicænus lib. de Virginitate, in fine. Qui omnes cum Græci sint planè de moribus suæ gentis testantur. Inter Latinos vero Hieronym. contra Vigilantium in princ. *Quid facient*, (inquit) *orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes: aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt.* Et in epist. 50. in fin. *Episcopi* (ait) *Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici.* Quibus locis inter se collatis plane sentit Hieronym. eandem fuisse Orientis & Occidentis consuetudinem.

8. *Resolutio difficultatis.*

Hæc quæ pro hac posteriori sententia adducta sunt, ad minimum conuincunt hanc continentiam sacerdotum omni tempore, & in vniuersa Ecclesia fuisse probatam, & maxime commendatam. Qua vero necessitate imposita fuerit sacerdotibus Orientalibus priscis illis temporibus, non possum satis definire, quia ferè omnia testimonia Patrum magis indicant commendationem, & consilium, quam necessitatem, & ita non repugnant cum illa historia Paphnutii, quam non possum facile negare. Videtur ergo mihi probabile primo, nunquam fuisse etiam Episcopos obligatos ad continentiam prædictam seruandam, nisi illam in sua ordinatione promisissent. In quo omnes dicti auctores conueniunt: nam etiam in Latina Ecclesia id obseruatum est, vt constat ex Gregorio lib. 1. epist. 82. & ratio est clara, tum quia continentia ex se est materia consilii, non præcepti, & ideo, nemo est cogendus ad illam sua voluntate non se obligando, tum etiam, quia per matrimonium habet quis ius vtendi propria vxore, & ideo si per voluntatem suam illi non renuntiet, non debet illo priuari. Vnde non sola promissio clerici, sed etiam voluntarius consensus vxoris necessarius erat, vt possent in toto separari quoad torum, etiam negando ei debitum. Sed hoc vniuersale semper fuit in tota Ecclesia, & nunc etiam aliquando seruandum est, vt infra dicemus.

*Assertio prima* — *Nisi in ordinatione promississent continentiam, ad illam non obligabantur.*

9. *Assertio secunda.* — *Continentia ab vxoribus regulariter seruata fuit in Orientali Ecclesia.*

Secundo censeo probabile, regulariter fuisse seruatam continentiam in illis prioribus seculis, etiam in Orientali Ecclesia. Isto modo quod Episcopi regulariter neminem in sacris ordinare volebant habentem vxorem, nisi prius voueret continentiam de consensu illius; qui autem conditionem acceptabant, postea tenebantur, & cogebantur illam seruare. Existimo etiam vel per consuetudinem, vel per Concilia Prouincialia, aut Nationalia impositam esse Episcopis prædictam quasi generalem regulam, quam in admittendis coniugatis ad sacros ordines obseruarent: hoc enim totum videtur sufficienter colligi ex traditione & testimoniis dictorum Patrum. Addo vero insuper hanc regulam nunquam fuisse inter Græcos cum eo rigore intellectam, & seruatam, neque ita generaliter, sicut in Ecclesia Latina. Itaque licet in aliquibus prouinciis id seruaretur, fortasse non in aliis, quia testimonia Patrum licet probent priorem partem affirmatiuam, non excludunt contrariam consuetudinem ab omni loco, & tamen ex aliis decretis, & historiis colligimus multos Episcopos hoc non obseruasse, vt ex adductis pro contraria opinione constat. Ad quod etiam facit quod in canone 13. Trullano, statuitur vt à Presbyteris, & infra, non exigatur in ordinatione professio continentiæ à propriis vxoribus, & allegatur ad hoc antiqua consuetudo, & regula, quæ præferenda dicitur consuetudini Romanæ. Verum est tamen illos canones cum delectu esse recipiendos, & non habere auctoritatem canonum Concilii Generalis, nihilominus in eis indicatur multorum Episcoporum Orientalium iudicium, & consuetudinem fuisse quam maximus.

10. *Assertio tertia. Hæc obligatio vel non erat sub præcepto, vel ex causa dispensabatur ab Episcopo.*

Denique censeo, quantum ex modo loquendi dictorum Patrum colligere possum, etiam optimos, & sanctiores Episcopos, qui in ordinandis clericis in sacris dictam cautionem adhibebant exigendi promissionem, vel non ex necessitate legis, sed ex maiori decentia solitos fuisse id facere, vel certe rationabili occasione occurrente potuisse in eo canone dispensare, licitè ordinando aliquem coniugatum nolentem promittere castitatem, vel ab vxore sua quoad torum separari, vt si esset penuria ministrorum, vel si persona propter alias egregias dotes naturæ, doctrinæ, & virtutis moralis censeretur Ecclesiæ valde vtilis Hoc non censeo indigere noua probatione, sed sola consideratione eorum quæ adducta sunt.

11. *Concilianturſententiæ supra positæ.*

Ex his ergo facile vnusquisque intelligere potest quo sensu accipienda sint omnia, quæ pro vtraque sententia adduximus, & quam facile conciliari possint. Intelligitur etiam quæ differentia in hoc negotio fuerit inter Occidentalem & Orientalem Ecclesiam: vtraque enim continentiam hanc maxime probauit (quod satis nobis est ad damnandos huius temporis hæreticos;) aliter vero recepta est quoad necessitatem & obligationem, vt explicatum est, & notauit Stephanus Papa in cap. *aliter* 31. d. Ex quo etiam sumi potest in ipsamet Orientali Ecclesia fuisse in hoc aliquam diuersitatem inter Episcopum & sacerdotem: nam ibi tractans de licentia Græcorum solum vsque ad sacerdotes numerat; agens vero de obligatione Ecclesiæ Latinæ ab Episcopis incipit, & ex nonnullis testimoniis citatis idem discrimen intelligi potest. Denique tota assertio secunda supra posita sufficienter ex dictis probata est, nam tanta varietas, & tam antiqua, quanta in hoc negotio fuit, satis ostendit non fuisse hoc præceptum Apostolicũ, alioqui non tam facile fuisset variatum, & ideo etiam illi Patres qui remissionem in seruanda consuetudine huius continentiæ vel deplorant, vel reprehendunt, non allegant præceptum Apostolicum violatum, sed vel consuetudinem, vel canonem aliquem Ecclesiasticum, & sæpius ex sola rei decentia argumenta desumunt. Est ergo præceptum hoc Ecclesiasticum, vel votum, vt Concilium Trid. loquitur sess. 24. can. 9. quod in Romana Ecclesia suam vim obtinet, vt constat ex toto titulo de Clericis coniug. non vero in Orientali, quæ illud non admisit, vt dicitur in c. *cum olim* eod. tit.

## Caput XVI.

### *De obligatione seruandi castitatem qua Diaconi ac subdiaconi sunt astricti, ac de antiquitate illius.*

1. *Assertio prima. Diaconus, si non habeat vxorem, obligatur ad non nubendum, si vero habeat, vt ab illa abstineat.*

Dico primo, Diaconus etiam cum ordinatur, si absque vxore sit, obligatur ad perpetuum cælibatum; si vero iam erat maritus, obligatur ad perpetuam continentiam, etiam cum propria vxore, & vtraque obligatio est antiquissima, quamuis prior vniuersalior sit, & antiquior fuerit, ac immutabilior. Circa primam partem de obligatione, non est necesse immorari, quia ex multis testimoniis supra adductis, & ex titulo de Cler. coniug. & ex dicto can. 9. Concilii Trid. manifesta est, & à fortiori constabit etiam ex dicendis de subdiaconatu. Præcipue ergo ponitur hæc assertio ad explicandam antiquitatem huius obligationis. Quam distinguimus in duas illas partes, scilicet, vel non contrahendi matrimonium post ordinationem, vel non vtendi matrimonio prius contracto, quia in eis obseruari potest aliqua diuersitas.

2. *Probatur prima pars.*

Primo ergo quoad obligationem non contrahendi matrimonium, videntur Diaconi semper fuisse ferè æquales sacerdotibus, ostendi potest primo ex Paulo 1. ad Timoth. 3. vbi in obligatione, seu decentia continentiæ Diaconum coniungit Episcopo. Secundo, quia Diaconatus semper reputatus est, & vocatus in Ecclesia ordo sacer, cap. *à multis*, de ætate & qualit. cap. *nullus* 60. d. sed ordo sacer semper fuit impedimentum ad contrahendum matrimonium, vt ex can. 27. Apostolorum, & ex aliis supra adductis colligi potest, atque hoc à fortiori constabit ex his, quæ in seq. assertione de subdiaconatu dicemus.

3. *Obiicitur.*

Obiici vero potest, quia in Concilio Neocæsariensi cap. 1. solum de presbytero fit mentio in huiusmodi prohibitione, cum tamen illud Concilium sit primum, in quo expressè reperitur: ergo signum est eo tempore non fuisse hoc prohibitum Diaconis: fuit autem illud Concilium receptum à Leone IV. in cap. *de libellis* d. 20. Dicet fortasse aliquis, Concilium illud Græcum esse, & iuxta Græcos mores permissum fuisse Diaconis matrimonio copulari: nam hoc etiam significauit Stephanus Papa in cap. *aliter* d. 31. Hoc tamen ita absolutè, & sine limitatione dictum, verum non est, vt constat ex Synodo Ancyrana, quæ est antiquior Neocæsariensi, vt cum illa æquè recepta à Leone IV. illius autem decretum statim explicabimus. Præterea in can. 6. Trullano id statuitur, & citatur canon Apostolorum, & colligitur etiam ex Concilio II. Carthaginensi c. 2. supra cit. & aliis supra adductis, & ex historiis etiam Nicephori, Socratis & Sozomeni supra citatis. Nec Stephanus Papa oppositum sentit, cum non solum de Diaconis, sed etiam de sacerdotibus loquatur: *copulari* ergo *matrimonio*, ibi non significat contrahere matrimonium, sed copulari in matrimonio, seu vti copula matrimoniali, vt ibi gloss. adnotauit, & scholium additum in Gregoriana editione, & est communis expositio Hugonis, Archid. Turrecrem. & aliorum, qui afferunt alios textus, in quibus verbum *copulari*, non vinculum, sed matrimonium significat, &c. in c. *Agathosa*, & c. *priusquam*, 27. q. 2. & c. *nosse* 30. q. 1. & in c. penult. d. 31. Sed licet in his & aliis locis coniuges ipsi dicantur copulari cum commiscentur, tamen *copulari matrimonio*, raro inuenietur sumptum in illa significatione: hac autem phrasi vtitur hic Stephanus Papa, & alia non minus difficili, scilicet, *sortiri coniugium*. Vel certe dici posset Orientales clericos & diaconos potuisse matrimonio copulari quoad vinculum; veruntamen priusquam sacrum ordinem reciperent animo permanendi in illo coniugio, & vsu eius, etiam post receptum ordinem sacrum, quod in Ecclesia Latina nunquam licuit, hoc autem ita esse ex multis supra dictis apertè constat.

4. *Obiicitur.*

Dices, si licebat eo animo copulari matrimonio, vt posset quis post Diaconatum susceptum, vsum eius habere, cur non licuisset etiam ipsum matrimonii vinculum post Diaconatum contrahere? nam ipsum vinculum per se non habet specialem indecentiam, nisi propter vsum, & propter alia humana onera, quæ secum affert. Respondeo argumentum hoc ostendere Ecclesiæ Latinæ consuetudines in hac parte prudentiores, & rationabiliores fuisse, & inter se magis conformes. Responderent tamen Græci, ante matrimonium contractum meritò posse promissionem cælibatus postulari, post matrimonium vero durum esse coniuges separari; & ideo vel coniugatos ordinandos non esse, vel si ordinentur, in suo statu esse relinquendos. Quidquid vero sit de ratione consuetudinis quoad omnes partes eius, quod tamen seruata semper fuerit, quoad eam partẽ, vt post receptum ordinem sacrum nõ liceat vxorem ducere, certum est. Et ad Concilium Neocæsariense dicendum est, vel Presbyteri nomine intelligi quemlibet clericum in sacris, vel (quia in lege pœnali dura est ampla interpretatio) dici potest, ibi solum esse impositam pœnam Presbytero, non quia omni-

omnibus inferioribus liceret, sed quia in sacerdote illud peccatum grauius est, magisque scandalosum.

5. Dixi vero Diaconos in hac prohibitione fuisse ferè æquales sacerdotibus, & non simpliciter fuisse æquales, non solum propter differentiam in pœna depositionis iuxta dictum canonem Concilii Neocæsariensis, sed maximè propter canonem 10. aliàs 9. Concilii Ancyrani, qui sic habet, *Diaconi quicunque ordinantur si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere vxores, nec posse se continere, hi si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dedit*: habetur in cap. Diaconi d. 28. propter quem Caietan. tom. 1. Opusc. tract. 27. absolute dicit in occidentali Ecclesia Diaconis fuisse olim permissum matrimonium contrahere. Sed neque ibi est concessio absolute, sed sub ea conditione, si protestatus esset, & Episcopus consentiret, neque decretum illud indicat consuetudinem occidentalem, sed orientalem, cum illud Concilium Orientale sit.

*Diaconi ex hoc loco non habent matrimonium contrahere quam ante ordinationem habebant, nisi velint abstinere à susceptis ordinibus.*

6. Ex illo ergo canone recte probatur limitatio posita; nam inde constat in Orientali Ecclesia non fuisse semper inuiolabiliter hoc seruatum, vt Diaconi manerent impediti ad contrahendum postea matrimonium, quia si nolebant promittere continentiam, semper cogebantur, sed poterat Episcopus eos sine tali voto ordinare; quanquam verisimile sit hoc non fuisse omnino liberum Episcopo, sed ex magna, & vrgenti causa: quod tamen in sacerdotali ordine nunquam licuisse videtur. Posset autem aliquis textum illum exponere non de contractu, sed de vsu matrimonii; sed difficilis est expositio, nam verba illa, *velle habere vxorem*, &, *venire ad nuptias*, aperte significant vinculum matrimonii. Et ita exponunt omnes Canonistæ, addunt vero ex vi huius canonis non fuisse simpliciter validam, nec iustam illam licentiam datam ab Episcopo, sed solum quoad hunc effectum, vt talis Diaconus non excludatur à ministerio propter matrimonium postea contractum, quia prætextu licentiæ illud contraxerunt. Nihilominus tamen aiunt, non potuisse contrahere, & separandum fuisse ab vxore, quia vel ratione subdiaconatus præcedentis iam erant prohibiti, vel quia suscipiendo diaconatum, tacite recesserunt à protestatione. ita glossa, Hugo, Turrecrem. & alii.

7. Hic vero sensus non solum non habet fundamentum ex textu, verum etiam illi aperte repugnat; nam in eo euidenter supponitur liberum fuisse illi qui ordinabatur protestari, aut tacere; & inferius dicitur, eum qui tacebat, eo ipso profiteri continentiam: ergo de illo qui protestabatur, sentit illam non promisisse, quod à fortiori supponit de Diacono, aliàs protestatio fuisset ridicula, nec ratione illius censendus esset Episcopus dare licentiam. Et hæc ratio etiam probat falsum esse quod accipiendo ordinem censebatur recedere à protestatione: nam Concilium potius dicit ipsum Episcopum censeri dispensare, vt diaconatus recipi posset sine promissione castitatis. Melius ergo Bellarm. lib. 1. de Cler. cap. 19. simpliciter intellexit textum illum vt sonat, eum scilicet, qui tunc protestabatur, potuisse postea ducere vxorem, & valide & licite, quia veluti sub ea conditione & dispensatione Episcopi ordinabatur, & propterea non separabatur à ministerio ob eam causam, an vero admitteretur ad vsum ordinis, etiam permanendo in vsu coniugali, in eo textu nihil dicitur, vel excipitur, sed solum dicitur, *in ministerio manear*, & ideo iudicandum erit iuxta ea, quæ supra dicta sunt de consuetudine abstinendi à propriis vxoribus: quantum vero colligi potest ex illo textu, verisimilius est simpliciter, & absque onere separationis fuisse admittendum ad ministerium, ad quod ex vi ordinationis acquisiuit ius sine vlla promissione continentiæ, hanc enim vim habebat protestatio, vt ibi clare supponitur. Iure autem semper fuit in Ecclesia seruatum, vt nullus clericus cogatur ad eam continentiam seruandam, quam in sua ordinatione non promisit. Ille vero canon postea fuit derogatus saltem à tempore Sextæ Synodi, vt statim ostendemus ex can. 6. Trullano: iam ergo illa protestatio locum non habet etiam in Ecclesia Græca.

8. *Probatur secunda pars assertionis de continentia ab vxore.*

De altera parte huius continentiæ, quæ est à propriis vxoribus ante ordinationem susceptis quod attinet ad Ecclesiam Orientalem, nihil dicam, quia nihil noui occurrit, præter ea quæ de Presbyteris dicta sunt: nam Patres ibi citati Presbyteris semper adiungunt Diaconos, nec inuenio quoad hoc aliquod discrimen inter eos fuisse præter illud quod ex dicto can. Ancyrano colligitur. In occidentali autem Ecclesia licet canones statuentes hanc continentiam sint satis antiqui, an vero fuerit perpetuo seruata à temporibus Apostolorum, dubitari potest: nam in Concilio Arausicano I. can. 22. sic dicitur. *Deinceps non ordinentur Diaconi coniugati, nisi qui prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem*: vbi expendo particulam illam *deinceps*, indicat enim antea non fuisse talem legem. Vnde in Concilio Arelatensi II. (quod antiquius est) can. 2. solum de sacerdotibus simile quid statuitur, & non additur particula *deinceps*, nec significatur esse ius nouum, sed antiquum. Nihilominus ex Concilio Carthaginensi II. (quod antiquius est Arausicano, & non multum post Concilium Arelatense) can. 2. oppositum colligi potest, nam ibi etiam de Diaconibus illa lex statuitur, sub illis verbis, *Vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, &c.* Præterea multum etiam fauent Concilia Elibertinum, & Toletana, & antiquiorum Patrum testimonia supra citata. Quare probabilius videtur hanc consuetudinem semper seruatã fuisse in Ecclesia saltem Romana, & in toto Occidente, saltem maiori ex parte, & præcipuè in Hispania, & Africa, propter decreta supra citata. An vero in cæteris prouinciis omnibus, ita fuerit inuiolabiliter obseruatum, certo affirmare non possum.

9. Contra hanc vero partem, & omnia supra dicta de Presbyteris & Episcopis, obiici potest canon 5. Apostol. qui sic habet, *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vxorem suam ne eiiciat religionis prætextu.* Ad hoc aliqui libere respondent, negando hunc canonem vt apocryphum; habet tamen commodam expositionem, quia non prohibet ibi continentiam ab vxore, sed ne ita abiiciatur, vt nulla cura & prouidentia illius habeatur: sicut ergo 1. ad Timoth. 3. de Episcopo dicitur, vt si habeat filios, illos habeat subditos cum omni castitate. Ita ille canon habenti vxorem præcipit, vt illi prouideat, & si necesse sit, illius curam habeat, iuxta id 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Quam expositionem indicauit Gregorius dicens, hoc esse commendatum sacerdotibus, vt vxores, *quas castè debent regere, non rei nquant*, eo tamen tempore tantam fuisse virtutem sacerdotum, vt eis permitteretur cohabitatio cum vxoribus, etiamsi accessus ad illas non esset permissus, postea vero propter periculum etiam cohabitatio prohibita est. Et ita intelligendum puto canonem 12. Sextæ Synodi. Et optime id disposuit & declarauit Gregorius lib. 7. Indict. 2. epist. 39.

10. *Assertio secunda, continentia sub diaconi est antiquissima, &c.*

Dico secundo: Continentia subdiaconorum etiam antiquissima est, non vero æqualiter cum superioribus. Prior pars ex his, quæ in secunda assertione dicta sunt, facile colligitur, ibi enim multa testimonia de subdiaconis attigimus, & cum posteriori parte

parte magis declarabitur. Vt ergo totam conclusionem probemus, distinguamus duas illas partes continentiæ, sicut in aliis fecimus. Et primo quod subdiaconus iam ordinatus ducere vxorem prohibeatur, in Ecclesia Latina semper seruatum fuisse, eadem testimonia supra adducta ostendunt, neque quoad hoc inuenio aliquam diuersitatem vel in decretis, vel in Patribus Latinis. Et in Concilio Romano sub Syluestro cap. 8. inuenitur expressa hæc prohibitio. Addo præterea quoad hanc partem idem videri iudicium de Ecclesia Græca, siquidem 27. canon Apostolicus, qui prouectos ad clerum vltra gradum lectoris prohibet vxores accipere, sine dubio subdiaconos comprehendit: & ita expressè explicatur & recipitur in can. 6. Trullano post VI. Synodum, ac fortasse ad illum canonem Apostolicum alluſit Epiphan. hæres. 59. cum dixit, *hypodiaconum, vel clericum superiorem etiam ex propria vxore liberos non suscipere, vbi finem sint canones Ecclesiastici*, & infra addit, contrarium abusum non esse iuxta canonem, & ex eodem in Compend. doctrinæ, sumitur expositio alterius partis illius canonis Apostolici, nempe sub lectoris, & cantoris nomine excludi omnes minores ordines. Imo Iustinianus Imperator in l. *multo magis*, C. de Episcop. & cler. videtur illum canonem tacitè referre, & ita interpretari. Denique Sozomenus & Nicephorus, dum referunt historiam Paphnutii supra tractatam, subdiaconum numerant inter eos qui post ordinationem vxorem accipere non poterant, etiam ante Concilium Nicænum, & ita etiam refertur in cap. *Nicæna* 31. d. quamuis Socrates referens illam historiam, subdiaconum non adiungat, sed ille prius generatim dixit, *ordinatos in sacris*, & postea adhibet exempla, in quibus non semper oportet omnia numerare: alii ergo supplerunt quod ipse omisit. Tandem quoad hoc nullam inuenio differentiam inter Diaconum & subdiaconum in antiquis historiis, aut decretis.

*Vide Greg. lib. 7. epist. 30. ad Romanum defensor.*

11. *Obiectio.* Obiici vero potest Vrbanus I. in cap. vlt. d. 60. vbi solum dicit Presbyteratum & Diaconatum appellari ordinem sacrum: *Nam hos solos*, inquit, *primitiua legitur habuisse Ecclesia.* Scilicet tanquam sacros, vt rectè glossa notat, nam absolute subdiaconos etiam habuit. Sed ordo Sacer ille dicitur, qui impedit matrimonium postea contrahendum: ergo in primitiua Ecclesia, & vsque ad tempora Vrbani I. subdiaconatus non afferebat secum hanc obligationem non ducendi vxorem. Et confirmari potest, nam Alexander III. in cap. *Episcopus*, de præben. præcipit vt si Episcopus sine certo titulo aliquem in Diaconum, vel Presbyterum ordinauerit, illum alat, donec de sufficienti beneficio illum prouideat, qui non sine causa subdiaconum prætermisit; illa autem esse potuit, quia subdiaconus nondum constituebatur in ordine sacro, vel matrimonium contrahere impediebatur.

12. *Responsio.* Propter primam obiectionem existimare posset aliquis, hanc obligationem non fuisse annexam subdiaconatui vsque ad tempora Vrbani II. (id est, ab anno 1088.) nam ab eo cœpit subdiaconatus inter sacros ordines computari, vt refert Innocentius III. in cap. *à multis*, de ætate & qualitate, & sumitur ex cap. *erubescant* d. 32. *Erubescant*, inquit Vrbanus II. *impiis, & apertè intelligant iudicio Spiritus sancti eos qui in sacris ordinibus presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, nisi mulieres abiecerint, & castè vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate*, & idem sumitur ex cap. *nemo*, ead. d. Veruntamen hæc responsio probari nullo modo potest, nam indubitatum est continentiam fuisse annexam subdiaconatui longe ante tempora Vrbani II. nam etiam Innocent. III. in dict. cap. *à multis*, saltem vsque ad tempora Sextæ Synodi & Gregorii I. illam reuocat. Fortasse tamen verum est, quod ad vsum vocis attinet, non inueniri subdiaconatum vocari *sacrum ordinem* in decretis Pontificum ante Vrbanum II. & hoc videtur insinuasse Innocent. III. tunc tamen denominatio sacri ordinis, non sumebatur ex eo quod impediret matrimonium, sed speciali habitudine ad Eucharistiã, & ad verbum Dei, quæ sunt res maxime sacræ: Diaconatus ergo (vt superiora omittamus) semper reputatus & dictus fuit ordo sacer, quia ad Diaconum ex officio spectat prædicare Euangelium & proximum ministerium in actione sacra, vt latè explicat Isidorus in cap. 1. d. 25. & olim etiam aliquando Eucharistiam populo ministrabant, vt sumitur ex Concilio Nicæno can. 14. & alibi latius diximus. Subdiaconus vero nunquam potuit Eucharistiam attingere, vel Euangelium proponere ex officio, & multo remotius sacerdoti sacrificanti ministrat, & ideo olim fortasse eius ordo sacer non appellabatur. Nihilominus tamen Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. dicit subdiaconatum à Patribus, & sacris Conciliis inter maiores ordines fuisse relatum, indicans ab initio Ecclesiæ ita fuisse obseruatum. Indicaturque ab eodem Vrbano I. in dict. cap. *nullus*. nam licet illum non faciat æqualem aliis ordinibus, quos sacros vocat, indicat nihilominus esse dignum speciali prærogatiua, *quia & ipsi*, inquit, (scilicet subdiaconi) *altaribus ministrant*. propter hanc ergo causam annexam habuit dictam prærogatiuam castitatis, etiam tunc quando sacer non appellabatur.

13. Ex quo manifestum est Alexandrum III. in alio loco non omisisse subdiaconum, eo quod semel ordinatus non prohibeatur à nuptiis: nam hoc de tempore Alexandri III. nemo suspicari potest, neque quia tempore Alexandri subdiaconatus non reputaretur sacer ordo, cum Vrbanus II. multo fuerit antiquior, & vtrumque aperte sumitur ex eodem Alexand. III. in cap. 1. & 2. de Cleric. coniug. nam quos in 1. cap. vocauerat subdiaconatum, & superiores ordines, in 2. vocat ordines sacros, & illos dicit matrimonium subsequens impedire, & clericis coniugatis non esse tribuendos. Igitur in alio textu, vel casu subdiaconum prætermisit, in Diacono illum subintelligendo, vt ibi volunt gloss. & Doctores, vel certe tunc ipse noluit illud grauamen Episcopis imponere, nisi pro illis ordinibus, postea vero Innocentius III. illam legem simplicius & maxime absolutè proposuit in cap. *cum secundum Apostolum*, de præb. *Solutio obiectionis.*

14. Superest dicendum de altera parte huius obligationis, quæ ad hoc spectat, vt prius coniugati, & postea subdiaconi ordinati ab vxoribus separentur. In quo nihil etiam noui dicendum occurrit, quoad consuetudinem Ecclesiæ Orientalis; nam omnia superius dicta de sacerdotibus & Diaconis, maiori ratione in subdiaconis locum habent: nam etiam ex illis Patribus, qui de consuetudine antiqua Orientalis Ecclesiæ testificantur, Origen. Greg. Nicæn. Cyrill. Hierosolym. & Chrysost. solum de sacerdotibus loquuntur. Hieronymus vero 1. contra Iouinianum vsque ad Diaconos tantum numerat, solus Epiphanius etiam subdiaconum adiungit, quod est signum tunc etiam fuisse consuetum saltem in aliquibus prouinciis, vel Episcopatibus Orientis, vbi rigor disciplinæ Ecclesiasticæ exactius seruabatur, professionem huius continentiæ etiam à subdiaconis fuisse solitam postulari. Vnde Leo Papa epist. 84. alias 82. ad Anast. cap. 4. *Nec subdiaconibus* (inquit) *connubium carnale conceditur, vt & qui habent sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.* Quod dixit Leo Papa ad Græcum Episcopum scribens: non tam (vt existimo) præceptum & generalem obligationem vniuerso Orienti imponere intendens, quam

quam Romanam consuetudinem declarans, & ad eam imitandam Græcos excitans, vt indicant illa præcedentia verba, *Ad exhibendam tamen perfectam continentiæ puritatem, &c.* Et illa sequentia, *quod si in hoc ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo? &c.*

11. Eti omissa non fuit semper

Nec solum in Ecclesia Orientali, verum etiam in Occidentali non fuit semper & in omni loco hæc consuetudo inuiolabiliter seruata, etiam ante Leonem Papam, vt constat manifestè ex Concilio Carthag. II. c. 2. vbi tres tantum gradus ait habere annexam hanc obligationem castitatis, Episcopos, Presbyteros, & diaconos. Addit vero, *vel qui sacramenta contrectant*; per quæ verba subdiaconos etiam intelligit glossa in cap. 3. 84. d. Sed videtur repugnare prioribus verbis, & ideo potius illam esse declarationem ministerii Diaconi. Quod clarius patet ex Concilio Carthag. V. can. 3. Et habetur in cap. 4. ead. d. 84. Vbi vsque ad Diaconos tantum in ea prohibitione comprehendit, & subdit, cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum vniuscuiusque Ecclesiam consuetudinem obseruari debere. Idem constat ex Gregorio lib. 1. epist. 42. nam in Cicilia coniugati ordinabantur subdiaconi, non promissa continentia à propriis vxoribus; qui postea prohibebantur ad illas accedere. Respondet autem Gregorius, id esse durum, & deo statuit, *vt à præsenti die omnibus Episcopis dicatur, vt nullum subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit.* De illis vero, qui ordinati fuerant sine promissione, si continere noluerint, solum dicit, non fuisse ad sacros ordines promouendos: vbi etiam obiter expendo, non comprehendere subdiaconatum sub sacris ordinibus: in lib. autem 3. epist. 34. eandem historiam repetens, ait, illos subdiaconos, si continere noluerint, neque ad ministrandũ in proprio ordine fuisse admittendos: in vtroque autem loco supponit in Romana Ecclesia huiusmodi continentiam semper seruatam fuisse. De Hispania etiam id satis probant quæ supra ex Concilio Elibertino, & Toletanis adduximus, & quod Isidorus ait lib. 1. de diuin. Offic. c. 9. de subdiaconis loquens, *Placuit Patribus, vt qui sacra ministeria contrectant, casti sint, & continentes ab vxoribus:* in quibus verbis ratio notanda est, nam in illa significat Isidor. subdiaconatum iam tunc cœpisse reputari ordinem sacrum. Atque ita fortasse intelligenda sunt illa verba Concilii Carthagin. II. c. 2. *Placet, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramenta contrectant*, nam hoc quartum membrum fortè pro subdiaconis positum est, licet verba omnino non cogant. Ita etiam explicari possunt verba illa Concilii Taurinensis can. 7. *Qui in ministerio genuerint filios, ad maiores gradus ordinum non promoueantur*, nam sub his verbis etiam subdiaconatum comprehendi, ex verbis Concilii Trid. supra citatis probabiliter colligo. Idem denique affirmant multa posteriora Concilia, quorum verba supra citauimus, & plura videri possunt apud Gratianum d. 32. præsertim cap. *eos qui*, & cap. *erubescant*. Atque hæc de tota hac traditione sufficiant, non enim occurrunt obiectiones alicuius momenti, & de his quæ sine fundamento hæretici multiplicant, videri potest Bellarm. loco supra citato.

## Caput XVII.

### *Vtrùm obligatio seruandi castitatem in clerico in sacris oriatur ex voto, an ex solo præcepto Ecclesiastico.*

1. Ratio dubitandi

RAtio dubitandi est, quia proprium votum non est sine propria, & speciali intentione, ac voluntate vouentis: sed hæc obligatio non pendet ex voluntate propria eius, qui obligatur: ergo non est obligatio voti, sed præcepti ab Ecclesia impositi. Minor declaratur, quia licet is qui ordinatur non habeat intentionem promittendi, imo quamuis habeat propositum non se obligandi, nec vouendi, nihilominus obligatus manet ad seruandam castitatem: ergo. Dices, hoc ipso quod habet voluntatem suscipiendi ordinem, habere etiam voluntatem vouendi, & se obligandi. Sed contra, quia licet hoc possit esse verum de voluntate implicita, quando bona fide ordo suscipitur secundum Ecclesiæ statuta, non vero quando per contrariam expressam voluntatem excluditur quidquid in expresso obiecto poterat implicitè contineri, quod contingit quando quis habet expressam voluntatem non se obligandi, neque assumendi quantum in se est, onus aliquod ab Ecclesia impositum, præter ipsos ordines. Nam ordo & obligatio castitatis diuersa obiecta sunt, & non sunt ex natura sua connexa: ergo potest voluntas vnum ab alio separare, & tunc neque implicitè, neque explicitè potest dici velle vnum, quamuis aliud velit: ergo voluntas suscipiendi ordines non potest esse sufficiens ad vouendam castitatem, neque implicita voluntas eius, quando cum illa simul habetur voluntas explicita non vouendi, neque se obligandi. Quod autem in eo casu sic ordinatus obligetur ad castitatem seruandam, patet ex effectibus, quia si matrimonium velit contrahere, non poterit nec licitè, nec validè: ergo specialiter prohibitus est matrimonium contrahere: ergo multo magis consummare: ergo & quemcunq; alium turpem actum efficere.

In contrarium autem est, primo, quod plura Concilia & decreta proximè ante citata, non aliter obligant clericum ad seruandam castitatem, quam interueniente ipsius promissione; eos autem qui nõ promiserunt, obligari nolunt. Secundo, quia obseruantia castitatis in materia ex natura sua non mala, est materia consilii, non præcepti, non potest igitur poni sub obligatione, nisi interueniente propria hominis promissione. Tertio, quia alias peccatum clerici contra castitatem non haberet duas speciales malitias, vnam contra castitatem, aliam contra religionem, quia hæc posterior solum esse potest, quatenus est contra votum: nam licet daremus Ecclesiam addidisse in hac parte aliquam prohibitionem clericis, illa non adderet obligationem diuersæ speciei, sed intra eandem obligaret, sicut obligant alia Ecclesiastica præcepta. Quarto, quia siquis ordinetur ante vsum rationis, non manet postea obligatus ad seruandam castitatem, etiamsi verè ordinatus maneat: cuius ratio solum esse videtur, quia tunc non habuit sufficientem vsum rationis ad vouendum. Et idem est de illo qui inuitus ordinatur. 2.

Propter hæc diuersæ sunt Theologorum sententiæ. Quidam censent hoc non esse proprie votum, sed Ecclesiæ statutum. Quod sentit S. Ot. in 4. d 37. q. vnica. Soto 7 de Iust. t. q. 2. art. 5. in fin & Arboreus lib. 5. Theosophiæ cap. 7. quamuis hi auctores interdum appellent votum, interdum Ecclesiæ statutum. Nec multum discordat Palud. in 4. d 35. q. 2. diuisione 6. & 7. dicit enim votum clericorum esse votum præsumptum, potiusquam verum, & ideo qui suscipit ordinem sacrum sine intentione se obligandi, nihilominus obligari vi statuti, & nõ voti: *Sed quia* (inquit) *hoc statutum est, quicunq; suscipit ordinem, præsumitur consentire in eo quod est annexum ordini, & propter hoc dicitur esse votum, cum sit magis statutum.* Eandem sententiam videntur sequi multi Canonistæ, qui docent accessum clerici ad solutam esse tantum simplicem fornicationem, quos refert Sancius lib. 7. disp. 27. num. 21. sequitur expressius Valent. tom. 4. tract. de Sacrament. Ordinis disp. 9 q. 5. punct. 5. §. 1. Et Gutier. quæst. Can lib. 2. cap. 7. num 45. Alii 3.

vero

vero communiter censent hanc obligationem esse ex vero ac proprio voto. Hoc sentit seu supponit D. Thom. 2.2. in hac q. 88. art. 7. & 11. & Caietan. ibi. & interpretes, & idem Caietan. tom. 1. Opusc. tract. 27. Idem sentiunt alii Theologi in 4. d. 37. & 38. docet præterea Abulens. cap. 5. Matth. q. 200. Waldens. de sacramental. cap. 66. num. 2. Castro lib. 13. aduers. hæreses verbo *Sacerdotium*, hæres. 4. Cardin. Tolet. lib. 4. sum. cap. 17. num. 21. & Cardin. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 21. Azor tom. 1. lib. 7. inst. Moral. cap. 12. q. 6. Henriquez lib. 10. de sacramento Ordinis cap. 14. num. 7. Vasquez tom. 3. in tertiam partem disp. 246. cap. 3. & disp. 147. cap. 7. & alii plures, quos refert ac sequitur Sancius lib. 7. de matrim. disp. 27. num. 10. Atque hæc posterior sententia in rigore verior est, prior etiam aliquid verum continet, quia tamen fortasse in re non dissentiunt, vel de modo tantum loquendi disputant, distinctè & sigillatim explicare oportet omnia quæ hic desiderari possunt, & in argumentis positis tanguntur.

4. Primo ergo certum existimo intentionem Ecclesiæ esse, vt is qui sacrum ordinem voluntariè suscipit, votum castitatis emittat, & ad hoc obligare sic ordinatum, quod rectè facere potest. Tota hæc conclusio colligitur aperte ex tota traditione adducta capitibus præcedentibus, præsertim ex Gregorio lib. 1. epist. 42. vbi & negat obligare sese ad castitatem subdiaconos, qui eam non promiserunt, & præcipit vt deinceps non ordinentur, nisi qui eam promiserint. Sic etiam in Concilio Arelatensi II. cap. 2. postulatur *promissa conuersio*, & in Concilio Toletano II. c. 1. dicitur interrogandos esse clericos in minoribus constitutos, an velint castitatem promittere, & sic esse ad superiores ordines admittendos. Sic etiam in Concilio Arausicano I. can. 22. dicitur, *Nisi qui prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem*, & multa similia inuenientur in locis ibi citatis. Præterea idem colligitur ex cap. *vnico*, de voto in 6. vbi duplex dicitur esse votum solemne, vnum solemnizatum per susceptionem sacri ordinis, alterum per professionem religionis; nam ibi apertè supponit Pontifex tam proprium votum esse emittendum in susceptione sacri ordinis, sicut in professione religionis. Et idem ferè habet Ioannes XXII. in Extrauag. *Antiquæ*, de voto. Idemque supponunt omnes Doctores diuidentes votum in simplex & solemne, & solemne in prædicta duo membra.

5. Ex his ergo satis constat hanc esse intentionem Ecclesiæ. Quod vero consequenter illa obliget ad hoc votum emittendum, constat tum ex iisdem Ecclesiasticis decretis, tum etiam ratione, quia aliàs eius intentio esset inefficax ad obtinendum effectum intentum. Denique quod Ecclesia possit hanc obligationem imponere, supra declaratum sufficiètèr est, quia non imponit absolute & simpliciter tale onus, sed sub conditione, seu conuentione voluntaria, quæ iusta est, & ideo obligat vel ex obedientia, vel ex iustitia eum qui ordinem suscipit ad conditionem implendam, sub qua ad illum admittitur. Dices, eadem ratione posset Ecclesia immediatè obligare sua lege ad seruandam castitatem eum qui ordinem vult suscipere absq; aliqua promissione ipsius; quia licet lege absolutè lata non possit Ecclesia obligare ad seruandam castitatem, tamen lege quadam conditionata, & pendente ex voluntaria conditione, videtur posse obligare eum qui talem statum seu ordinem vult suscipere. Respondeo concedendo non deesse in Ecclesia potestatem hanc, vt argumentum probat, & quia nulla est ratio, cur Ecclesia non possit hanc continentiam imponere, vt necessariam dispositionem ad tale munus, & ministerium, præsertim cum non absolutè tale munus præcipiat, sed volenti illud suscipere tale onus imponat. Nihilominus potius voluit Ecclesia mediante voto hanc obligationem imponere, & ad ipsum votum implendum obligare, vt sacratior, & quodammodo immobilior esset obligatio, vt alia argumenta posteriori loco facta ostendunt. Et potest vlterius ita declarari: nam si obligatio hæc tantum esset ex præcepto Ecclesiæ, maiori facilitate posset per illius dispensationem auferri, & dispensatio sine causa data valida esset, quamuis illicitè daretur: interueniente autem voto & difficilior est dispensatio, & sine causa data non tenet, iuxta superius dicta, quæ inferius ad rem præsentem accommodabimus.

6. Secundo dicendum est, hoc votum licet explicitè non fiat ab eo, qui ordinatur, implicitè fieri eo ipso quod non excluditur, sed bona fide ordo suscipitur animo parendi Ecclesiæ in eo statu suscipiendo. ita sentiunt omnes auctores citati, & sufficienter probatur ex vsu Ecclesiæ, & ex adductis decretis, & ex ratione supra insinuata. In principio enim quãdo hic mos cœpit introduci, & nondum erat per modum legis receptus, necessarium erat, vt qui ad primum ordinem sacrum admittebantur, admonerentur, an vellent castitatem profiteri, & alio modo non fore admittendos, vt ex dicta epistola Gregorii manifestè constat; & tunc consensus ordinandi erat quædam voti emissio, quamuis in illa admonitione prout nunc fit, non fiat expressa mentio promissionis, aut voti. Verba autem ex Pontificali sunt. *Considerare debetis attente quod onus hodie vltro appetitis: hactenus enim liberi estis, licetq; vobis pro arbitrio ad secularia vota transire; quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui seruire regnare est, perpetuo famulari, & castitatem seruare oportebit.* In his ergo verbis nihil de promissione expresse dicitur, tamen quia hæc est intentio Ecclesiæ, vt supra vidimus, & iuxta Ecclesiæ intentionem acceptantur, id satis est. Imo licet illa admonitio non ita expresse fieret, vel licet aliquis per saltum diaconatum acciperet, votum nihilominus implicitũ emitteretur, quia postquam lex illa satis stabilita, & nota est, ipsamet admonet omnes, sacros ordines suscipientes, sub qua conditione vel onere admittantur, & ideo eo ipso quod iuxta leges Ecclesiasticas ordinari volunt, sufficiẽter vouent implicitè etiamsi expressum actum promittendi non eliciant. Et confirmatur à simili, nam votum solenne religionis interdum fit implicitè per professionem tacitam; vt ex iure constat: ergo & votum ordinis potuit ita fieri. Tandem confirmatur, quia aliàs peccarent omnes, qui ordinantur in sacris, si non expresse emitterent castitatis votum. Consequens est satis absurdum, tum quia est contra communem sensum, & vsum fere omnium etiam prudentum, & timoratorum: tum etiam, quia nullum de hac re præceptum ostendi potest. Aliàs deberet tale votum non solum interius concipi, sed etiam exterius expresse proferri, quia Ecclesia non præcipit actum merè internum; imo cum votum sit solenne, deberet publice fieri in manibus Prælati, quod tamen non fit. Ipsa ergo voluntaria susceptio ordinis secundum Ecclesiæ leges censetur sufficiens talis voti emissio & solemnizatio.

7. Nihilominus dico tertio: Qui susciperet ordinem sacrum cum expressa voluntate contraria, seu cum intentione non promittendi, quamuis grauiter peccaret, non emitteret votum castitatis, quamuis ordinatus maneret. Hanc vltimam partem tanquam certam ponimus, quia supponimus huiusmodi hominem habere intentionem recipiendi sacramentum

Ordinis,

ordinis, hæc enim non necessario excluditur per intentionem non vouendi, nam illa duo obiecta distincta sunt, & ex se separabilia, quia potest verus ordo esse sine tali voto. Et quanuis per Ecclesiasticam legem votum annexum sit ordini, ideoque licitè non possit separari: nihilominus non potuit per hanc legem fieri quominus intentio susciendi ordinem absque voto sit vera intentio recipiendi sacramentum, quanuis iniqua, atque adeo ex hac parte sufficiens ad valorem sacramenti, quia malitia recipientis non impedit substantiam sacramenti, voluntatem recipiendi illud aut aliquid aliud essentiale non excludat: hic autem & voluntas sacramenti manet, & alia necessaria ex parte materiæ, formæ, & ministri concurrunt, vt supponimus: valida ergo est talis ordinatio.

8. Quod autem peccaminosa sit, vt in prima parte assertionis dicebamus, manifestum est ex prima assertione, quia illa intentio est contra statutum Ecclesiæ, & contra pactum cum ea initum, atque adeo contra fidelitatem ei debitam. Quale vero illud peccatum sit, an scilicet sit inobedientiæ, iniustitiæ, infidelitatis, vel sacrilegii, dubitari potest nõ immeritò: nam omnes has malitias participare videtur; proprie autem ac formaliter videtur esse peccatum sacrilegii, & non simplex, sed multiplex. Nam primo interuenit ibi omissio sacrilega: nam sicut velle non audire sacrum præceptum, est sacrilegium omissiuum, ita non emittere votum eo tempore, & statu, in quo sanctè percipitur, est sacrilegium omissiuum, quia lex præcipiens talem actum facit illum necessarium in propria materia, & virtute religionis. Deinde interuenit etiam ibi sacrilegium commissiuum non solum ex illa generali ratione, quod est indigna & peccaminosa susceptio sacramenti, sed etiam ex illa speciali supra tacta, quod recipit sacramentum sine dispositione ab Ecclesia requisita, id est, sine professione castitatis; nam hæc professio quatenus propter ordinationem præcipitur, magis ad religionem spectat, quam ad castitatem, & è conuerso prædicta ordinatio susceptа sine tali circunstantia ex eo capite specialiter est sacrilega. Hinc vero consequenter interuenit ibi inobedientia non quidem formalis & specifica, sed generalis, qualis includitur in cuiuscunque præcepti transgressione. Infidelitas autem formalius ibi reperitur, nam illud grauissimum mendacium est, & Ecclesiæ perniciosum. Vnde quatenus hæc infidelitas committitur velut in pacto, & conuentione cum Ecclesia, videtur ad iniustitiam pertinere, atque inde prouenit, vt ad restitutionem suo modo obliget; nam, vt statim dicam, qui sic ordinatus est, semper manet cum obligatione mutandi illam intentionem, & emittendi votum castitatis. Nam obligatio illa, quam tempore ordinationis habuit, non fuit extincta propter transgressionem eius, sed perpetuo magis ac magis obligat, quia illud tempus non fuit designatum, vt extra illud non possit impleri debitum, sed vt non differretur solutio: quando autem circunstantia temporis hoc modo designatur, per omissionem eius non extinguitur obligatio, vt supra circa obligationem voti in genere tractatum est. Et confirmatur, quia hoc votum non est propter ordinationem in fieri, vt sic dicam, sed propter permanentem ordinem & statum eius, & ideo à principio debet fieri perpetuum votum: ergo si in principio omissum est, semper manet obligatio illud emittendi.

*Tales ma. ad obligo. ad vo. non omittendum.*

9. Superest proband a secunda pars assertionis quam præcipuè intendunt auctores prioris sententiæ, scilicet in eo casu non emitti votum castitatis, quod expressius repetit Palud. in 4. d. 37. quæst. 1. num. 19. vbi rationem hanc indicat, quia ex nullo statuto potest votum adiungi alicui pacto, nisi vouens voluntariè promittat: ergo in eo casu non adiungitur votũ huic facto, quod est ordinatio. Patet consequentia, quia si adiungeretur, maxime ex statuto Ecclesiæ, quia supponimus voluntatem ordinati esse contrariam, statutum autem solum non habet hanc vim, vt in antecedenti dicitur. Quod probatur, quia votum est essentialiter promissio voluntaria, & ideo implicat contradictionem quod in homine sit sine consensu eius explicito, vel implicito: qui autem habet voluntatem contrariam, neutrum consensum habet, vt in prima etiam ratione dubitandi declaratum est.

10. Potest tamen ex fine illius rationis sumi obiectio contra hanc partem. Nam sequitur eum qui sic ordinatus est, si matrimonium contrahere tentet, validè contrahere. Patet sequela, quia matrimonium subsequens non fit irritum, nisi per votum solenne castitatis, iuxta cap. *vnicum*, de voto in 6. sed illa persona non habet votum solenne, quia si non habet votum, multo minus habebit solenne. Circa hoc omnes Doctores censent in eo casu personam manere inhabilem ad matrimonium, nam ordo sacer est vnum ex impedimentis dirimentibus subsequens matrimonium. An vero illud sit ratione voti, vel ratione ordinis, varie loquuntur auctores. Sylvest. *Matrimonium* 8. dicit esse ratione impliciti voti solennis annexi ex constitutione Ecclesiæ, cui fauet cap. *vnicum* de voto in 6. cum aliis quæ ibi refert. Richardus etiam d. 37. art. 1. quæst. 1. dicit hoc impedimentum dirimere, *tum propter statutum Ecclesiæ, tum propter votum continentiæ annexum, etiamsi ad continentiam se obligare non intendat ille qui ordinem suscipit.* In quibus verbis videtur nostræ assertioni contradicere. Palud. autem dict. quæst. 1. num. 8. expresse dicit non esse ratione voti annexi, sed ratione Ecclesiasti statuti cap. 1. & 2. qui cler. vel vou.

*Adhuc sic ordinatus non potest validè matrimonium contrahere.*

11. Et sane dubium non est quin proxime, &, vt ita dicam, formaliter hoc impedimentum prouenial ex statuto ac voluntate Ecclesiæ, quia nec solus ordo de se, nec solum votum de se faceret personam inhabilem, vt ex dictis constat, & per se satis notum est. Quod ergo dubitari potest, solum est an votum sit necessarium, vt Ecclesia ponat tale impedimentum, vel an de facto non imponat illud nisi habenti votum. Et quidem quoad priorem partem dicendum est, non esse necessarium votum vt possit Ecclesia inhabilem reddere personam tali ordini consecratam: sicut enim Ecclesia sua potestate facit, vt talis gradus consanguinitatis vel affinitatis, vel talis cognatio spiritualis sit impedimentum dirimens, ita potest facere, vt talis ordo absque alio voto sit simile impedimentum. Itẽ potest è contrario facere, vt tale votum castitatis sit impedimentum dirimens: ergo etiam è contrario vt talis ordo sine voto similiter impediat. De potestate igitur nullus relinquitur ambigendi locus. Quoad alteram vero partem, quæ magis pertinet ad vsum huius potestatis, seu ad id quod de facto circa hoc Ecclesia instituit, dicendum videtur intentionem quidem & voluntatem Ecclesiæ esse, vt hoc impedimentum existat mediante voto castitatis per sacram ordinationem solennizato, quod sufficienter probant iura adducta, præsertim cap. vnicum, de voto lib. 6. Et ratio etiam ex dictis sumitur, quia hoc impedimentum ordine naturæ, vt sic dicam, supponit obligationẽ non ducendi vxorem; hæc autem obligatio quantum est ex intentione Ecclesiæ oriri debet ex voto, vt diximus. Quia vero Ecclesia non iudicat de occultis, & quia fraus & dolus nemini patrocinari debet, ideo ita positum est hoc impedimentum ab Ecclesia, vt essentialiter non pendeat à vero voto, sed sufficiat votum præsumptum ac debitum iuxta ordinationem ipsius Ecclesiæ. Atq;

*Dubitatio, an requiratur votum veri, vel saltem sufficiat præsumptum, vt hoc impedimentum ab Ecclesia ponatur.*

hoc modo explicata opinio Paludani vera est, & eandem indicat Scotus in 4. eadem dist. 37. & idem sentit ibi D. Thom. quæst. 1. art. 1. vbi ait in Ecclesia Orientali matrimonium impediri solum ex vi ordinis, in Occidentali vero impediri & ex vi ordinis, & vlterius ex vi voti annexi, vbi illa particula. Et, non complexiuè, sed diuisiuè sumitur. Et in eodem sensu loquitur Richard. supra, & ita non discordat à nostra sententia, quæ, vt existimo, communis est. Nam hac ratione omnes Doctores vt distinctum impedimentum ponunt ordinem & votum, vt Paludanus notauit, & colligitur ex dictis capitulis 1. & 2. qui cler. vel vouent. imo ipsamet rubrica ita sub disiunctione posita hoc ipsum insinuatur. Ad difficultatem ergo propositam negatur sequela, quia hic effectus non est adæquatus voti solennis veri, sed in præsenti oriri potest etiam ex præsumpto, vel, quod perinde est, ex sola ordinatione in sacris.

## PRIMVM DVBIVM.

### *Ad quid teneatur clericus in sacris ordinatus, qui votum castitatis in ordinatione ex malitia emittere noluit.*

12. *Talis tenetur non contrahere matrimonium.*

PRimo certum est in hoc casu teneri clericum ad non contrahendum matrimonium, vel directe ex prohibitione Ecclesiæ, vel ex natura rei supposito impedimento introducto per Ecclesiam, quia intrinsecè malum est tentare recipere sacramentum cuius sis incapax. Iniustum etiam est contractum inire, quod non potest validè conficere. Vnde fit vt talis persona maneat specialiter impedita, ne licite possit exercere actum aliquem contrarium castitati, quia extra matrimonium illi actus non possunt licitè exerceri: sed talis persona est specialiter impedita ne matrimonium possit perficere: ergo etiam ne tales actus possit licitè exercere. Hoc autem impedimentum sic præcisè explicatum nõ necessario infert specialem obligationẽ abstinendi à talibus actibus, nam illa quę naturalis est sufficit, quanuis in tali persona fiat quodammodo magis perpetua & immutabilis, ratione illius impedimenti. Vt si verũ esse supponatur quod de Ecclesia Græca D. Thom. dicebat, per ordinationem sacram impediri matrimonium absq; voto castitatis in illis clericis, erit hoc impedimentum sine alia speciali obligatione ab ea Ecclesia imposita ad seruandam castitatem, quia naturalis obligatio sufficit, & alia prohibitio humana nec ibi necessaria est, neq; de illa constare potest iuxta Græcorum ritum. Ad hunc ergo modum possit aliquis existimare iudicandum esse in præsenti casu etiam in Ecclesia Græca; quia licet talis clericus male fecerit, nihilominus de facto votum non emisit: ergo reuera & coram Deo non obligatur voto castitatis: ergo nulla speciali obligatione continere tenetur, sed sola naturali. Itaque si fornicatur, tantum culpam simplicis fornicationis committit, & sic de aliis.

*Dubitatio, an speciali obligatione teneamur castitatem seruare.*

13. Atque hic modus dicendi probabilis est, quem etiam aliquo modo suadent tres primæ rationes dubitandi secundo loco propositæ. Aliunde vero hoc esse videtur creditu difficile, quia talis persona ex iniquitate sua magnum commodum reportaret, nimirum quod liberius, & cum minori culpa libidinem posset exercere propter dolum, & malam intentionem, quam in sua ordinatione habuit; & ideo verosimiliter dici potest sicut de impedimento matrimonii dicebamus, quod licet intentio Ecclesiæ sit non imponere hanc obligationem nisi mediante voto, tamen ad occurrendum fraudi & dolo intentionem Ecclesiæ esse obligare quantum potest ad seruandam castitatem, siue reipsa & coram Deo fiat votum, siue tantum fiat in foro Ecclesiæ: hoc autem fit ex vi voluntariæ ordinationis sub prædicta lege seu admonitione Ecclesiæ suscepta. Et hoc solum est quod in citatis decretis dicitur, & in prima ratione in contrarium obiiciebatur, scilicet, vt nullus clericus cogatur ad seruandam castitatem, quam in sua ordinatione non promisit, scilicet in foro Ecclesiæ, quidquid sit de eius interiori animo, quæ aliàs dicitur promissio vera, vel præsumpta, præsumptione iuris, & de iure, contra quam non admittitur probatio. Quod vero in secunda ratione obiiciebatur Ecclesiam non posse obligare ad castitatem, iam in superioribus expeditum est; quia hoc ad summum est verum de absoluta prohibitione, quæ non pendet ex aliqua conditione voluntaria subdito: hæc autem conditio in præsenti non tantum est vera promissio, quanuis hæc etiam sit ab Ecclesia intenta, sed sufficiens etiã est voluntaria ordinis sacri susceptio. Præterea etiam hic addere possumus, quod licet Ecclesia non posset absolutè prohibere honestum vsum matrimonii, tamen supposito iusto impedimento, vel inhabilitate personæ ad matrimonium, posse impedire omnem vsum libidinis, quia in tali persona necessario talis vsus turpis est, id autem quod est per se turpe, quanuis ex natura rei prohibitum sit, potest etiam ab Ecclesia specialiter prohiberi, quando specialis ratio occurrit, præsertim ad res sacras spectans, vt in præsenti contingit, sicut specialiter prohibet percussionem clerici, vel furtum Ecclesiæ, & similia.

Quærendum vero vlterius est ex dictis in tertia ratione pro secunda sententia, qualis sit specialis obligatio addita huiusmodi clerico ex vi talis prohibitionis Ecclesiasticæ ad seruandam castitatem, quia præceptum Ecclesiasticum positum in materia alicuius virtutis non addit specificam obligationem intra eandem virtutem; vnde ad summum videtur posse aggrauare culpam intra eandem speciem. Sicut furtum commissum contra legem diuinam & humanam non habet duplicem malitiam, sed ad summum eandem aliquantulum grauiorem. Quod si hoc in præsenti concedatur, sequitur probabiliter non teneri sacerdotem in illo casu, quando in confessione peccatum fornicationis aperit, explicare circunstantiam suæ personæ, scilicet, quod sacerdos sit, quia illa tunc non mutaret speciem, & sola multiplicatio præceptorum vel non aggrauat notabiliter, vel etiamsi aggrauet, probabilis opinio est circunstantias sic aggrauantes non esse de necessitate confessionis. Hoc autem etiam videtur esse inconueniens, scilicet, quod per dolum & per fraudem excusetur quis ab onere confitendi talem circunstantiam. Respondeti tamen potest, licet ex hac parte videatur excusari, ex alia grauius accusari & obligari, nimirum quia voluntariè permanet in fictione illa, & dolo non promittendi castitatem, qui est specialis status peccati mortalis necessario declarandus in confessione, quia quoties voluntas eius moraliter iteratur, peccatum etiam multiplicabitur.

*Difficultas, an ex malitia in tali peccato.*

Vlterius vero dici probabiliter potest etiam in eo casu esse in tali peccato malitiam sacrilegii, non quidem illam quæ specialiter oriatur ex fractione voti, nam hæc non est vbi non est verum votum. Nec satis est quod sit debitum vouendi, si nondum votum emissum est, vt qui aliàs ex voto, v. g. tenetur ordinem sacrum suscipere, etiam tenetur castitatem vouere, & nihilominus etiamsi sit in mora ordinationis, si interim fornicetur, nondum est specialiter sacrilegus in ipsa fornicatione, quia licet habeat debitum vouendi castitatem, nondum tamen vouit. Neque etiam sufficit quod exterius & in facie Ecclesiæ vouisse videatur, quia hinc solum fiet vt etiam fornicatio exterius appareat sacrilegium, vel etiam quod ratione scandali possit malitiam illam participare, non tamen quod verè ac per se tale sit.

Alia

16. Alia ergo ratione dici potest ibi intervenire mortale sacrilegium ex vi prohibitionis Ecclesiasticæ. Dupliciter autem hoc explicari potest, primo quia actus ille turpis ex eo solum quod est in persona per sacram ordinationem Deo specialiter dicata, & ad sanctum ministerium consecrata, habet specialem rationem & malitiam sacrilegii. Quæ certe ex vi solius ordinationis non esset malitia mortalis intra speciem sacrilegii. Addita autem Ecclesiæ prohibitione sub graui pœna aut censura, vel sub quacumque alia ratione quæ declaret graue prohibitionem, fiet transgressio & culpa mortalis etiam in illa speciali ratione malitiæ. Sicut enim id quod ex se non malum, potest fieri malum quia prohibitum; ita aliquod malum quod ex se non erat adeo graue vt esset mortale, potest tale fieri quia specialiter prohibitum. Secundo declaratur ratione supra insinuata, quia Ecclesia prohibet huiusmodi actus clericis in sacris propter specialem indecentiam talis status, talisque ministerii, atq; ita prohibet non vt materiam castitatis, sed vt materiam sacrilegii: constituit ergo actum contrarium in specie sacrilegii. Vnde quia talis materia grauis est, & Ecclesia indicat se prohibere illam quantum potest, ideo talis culpa ex illa etiam circunstantia grauis est, & in confessione aperienda. Et hoc videtur satis consentaneum antiquis decretis quæ absolutè prohibent clericis huiusmodi actus turpes tanquam grauia sacrilegia; neque hoc semper referunt ad votum, sed etiam ad ipsam sanctitatem ministerii & sacri ordinis.

## DVBIVM SECVNDVM.

### *Vtrum ad obseruantiam castitatis teneatur ille qui ante vsum rationis ordinatur in sacris.*

17. PRopter vltimam rationem dubitandi secundo loco positam, dicendum est, eum qui ordinatur in sacris absque vllo consensu propriæ voluntatis non emittere votum castitatis, nec postea teneri illam seruandam nisi sub cõditione illi postea voluntaria. Hæc assertio solũ habet locum in illo qui ordinatur ante adultam ætatem, nam si quis iam adultus sine consensu propriæ voluntatis ordinetur, ordinatio non est valida, & ideo mirum non est quod ex illa nõ oriatur obligatio castitatis. At vero si puer ante vsum rationis ordinetur, validum est sacramentum, & characterem imprimit, vt nunc suppono ex propria materia, & communi sententia Theologorum. De illo ergo puero sic ordinato quæritur in dicta ratione 4. an perueniens ad ætatem adultam ad castitatem obligandus sit. Et quidem quod non obligetur ex voto, manifestum est ex dictis; quia votum est actio personalis, eiusq; obligatio non potest merè ab intrinseco imponi, puer vero ante vsum rationis non est capax talis actionis. De obligatione autem ex Ecclesiæ præcepto est nonnulla dissensio inter Doctores. Nam Palud. in 4. d. 37. quæst. 1. num. 14. affirmat huiusmodi sic ordinatum teneri ad continentiam seruandam ex statuto Ecclesiæ, & significat esse etiam inhabilem ad matrimonium contrahendum. Et solent pro hac opinione citari glossa & aliqui Doctores in cap. vnico, de Cleric. per saltum promoto, sed non loquuntur in eo casu, sed in alio de quo infra dicemus, & in præsenti casu potius omnes supponunt contrarium, vt videre licet in Hostiens. Innocent. & Panorm.

11. Quocirca Paludani opinio singularis est, & contrarium existimo esse omnino verum & certũ, quam tenuerat idem Palud. dist. 25. quæst. 3. n. 9. & 10. vbi idem tenet Bonau. art. vlt. q. 2. Palac. disp. 1. & Soto quæst. 1. art. 2. & lib. 7. de Iustitia quæst. 2. art. 5. in fine. Inclinat etiam Richar. dict. dist. 25. art. 4. quæst. 2. ad 3. quanuis aliqui (ait) dicant contrarium. Idem clarius disp. 37. artic. 1. quæst. 1. Sylvest. *Matrimonium* 8. quæst. 12. dict. 2. Et idem supponit Couarr. in 4. Decretal. p. 2. cap. 6. §. 3. num. 1. vbi refert ex consilio Cardinalis Alexandrini Romæ datam esse liberam licentiam contrahendi matrimonium cuidam subdiacono, qui priusquam esset dolo capax illo ordine fuerat insignitus. Idem sumitur ex Angelo & aliis citandis in sequenti puncto. Ratio aliquorum est, quia non potuit Ecclesia hos obligare ad continentiam, & consequenter neque illos reddere simpliciter inhabiles ad matrimonium. Probatur, quia talis obligatio esset absolutè imposita & independenter omnino à voluntate eorum, cum sine proprio consensu ordinati sint: hoc autem modo præcipere perpetuam continentiam excedit potestatem Ecclesiasticam, vt sæpe in superioribus dictum est.

19. *Ecclesia ex potestate absoluta potest reddere sic ordinatum inhabilem ad matrimonium.*

Veruntamen non existimo excedere hoc omnino Ecclesiasticam potestatem, quia licet Ecclesiæ per se loquendo, (vt sic dicam) non possit hoc præceptum absolute imponere vel generaliter, vel specialiter alicui personæ, tamen in casu ob grauem causam ad bonum religionis pertinentem potest hoc præceptum imponere, etiamsi ex accidenti contingat, vt eius obligatio & effectus aliquem liget absque eius consensu. Vt, v. g. in præsenti casu, si Ecclesia expedire iudicaret vt persona consecrata per sacrum ordinem, quacunque ratione ordinari contingat, maneat inhabilis ad matrimoniũ, posset absolute coniungere hoc impedimentum cum tali ordinatione, ita vt habeat effectum etiam in illo qui sine proprio consensu ordinatur. Quia satis est quod per se & ex intentione Ecclesiæ talis ordo dandus non sit nisi volenti; quod vero alicui indiuiduo detur absque consensu eius, accidentarium est, & præter intentionem Ecclesiæ; tamen quia vno inconuenienti dato ex malitia ordinantis alterum ex duobus incommodis necessario consequitur, scilicet, vt vel sic ordinato imponatur onus castitatis absque voluntate eius, vel vt personæ sic sacratæ permittatur coniugium, poterat Ecclesia propter euitandum hoc posterius, prius illud eligere si ad maiorem decentiam & honorem sacri ordinis expedire iudicaret, quia priuatum incommodum communi postponendum est.

20. Quidquid ergo sit de potestate, firmius fundamentum est, quia Ecclesia nunquam hoc ordinauit, neque posuit hoc impedimentum, nisi ei qui voluntariè ordinatur, vt constat ex citatis iuribus cap. 1. & 2. qui cler. vel vouent. & fortasse inter aliàs causas ob hanc etiam semper explicat hoc impedimentum per modum voti, quia ad illud requiritur voluntarius consensus, saltem in ipsam ordinationem. De illo vero casu, in quo aliquis infans ordinatur ante vsum rationis, iura nihil dicunt, cumque ille modus ordinationis sit contra intentionẽ iuris, & alioqui onus castitatis omnino ab extrinseco impositum, & nullo modo propria voluntate acceptum, grauissimũ sit, non potest rationabiliter ordinarium, & commune ius ad illum extraordinarium casum extendi, maxime cum hoc necessarium non sit ad eam decentiam sacri ordinis, quam ius intendit, vt statim patebit. In prædicto ergo casu puer ille perueniens ad vsum rationis, non obligatur ad castitatem, sed illi danda est optio, an velit habere vsum ordinis, vel perpetuo illo carere, nam si primum eligat, ad perpetuã continentiam obligabitur, quod optima ratione fit, quia iam expectatur consensus eius, & sub ea conditione ad sacrum illud ministerium admittitur: ex tunc ergo inhabilis ad matrimonium manebit. Si vero posterius eligat, tunc expediens erit ad matrimonium contrahendum si velit, tenebitur tamen perpetuo abstinere ab vsu ordinis. Atq; hoc modo nulla est indecentia, sic enim in aliis casibus propter vitandam

iniuriam tertii, cogitur ordinatus in sacris consummare matrimonium; vt videbimus inferius, suspenditur tamen perpetuo ab vsu ordinis. Cum ergo in præsenti talis homo fuerit per iniuriam ordinatus sine consensu suo, non est indecentia, sed iustitia permittere illi coniugium, ne amplius grauetur, dummodo ab vsu ordinis sacri perpetuo abstineat.

## DVBIVM TERTIVM.

### *De illo qui ante legitimam ætatem, vel ante annos pubertatis ordinatur in sacris.*

21. HÆc autem omnia, vt dixi, procedunt in puero qui ante vsum rationis ordinatur. Sed quæri potest tertio quid dicendum sit de illo qui iam habet rationis vsum, ordinatur autem ante ætatem legitimam, vel etiam ante annos pubertatis; nam si illos iam compleuit, etiamsi ante regularem ætatem ordinatus sit, certum est obligari voto solenni castitatis, quia nihil est quod obstet vt per se constat, & à fortiori patebit ex dicendis. De illo vero qui ante pubertatem ordinatur, dicunt multi Canonistæ, si contradicat ante expletum tempus pubertatis intra triduum, non obligari ad castitatem. ita tenent Innocent. & Hostiens. in cap. *vel non est compos*, de tempor. ordin. Archidiac. in cap. *pueri* 1. q. 1. & Panorm. in cap. vnico, de clerico per saltum promoto. Fundantur, quia puer ante annos pubertatis non potest se obligare voto castitatis expresso, ex dict. cap. *pueri*: ergo nec implicito, quale est quod in ordinatione fit, cap. *cum olim*, cum ibi notatis, de Cleric. coniug. Item quia votum religionis in tali ætate factum non est ratum, cap. *ad nostram*, cum similibus, de Regular.

*Aliqui negant teneri, si ante pubertatem intra triduum contradicat.*

22. Oppositam nihilominus sententiam censeo omnino veram, quam tenet gloss. in dict. cap. vnico, de Cler. per saltum promoto, & gloss. in dict. c. *pueri*, vbi ait, si puer sit doli capax, obligari; vbi etiã Cardinalis idem tenet, & expresse Soto lib 7. de Iustitia quæst. 2. art. 5. in fine, & à fortiori Syluest. & alii. Et ratio est, quia ille satis liberè suscipit ordines, & ideo merito Ecclesiæ statuto redditur inhabilis ad matrimonium. Item quia votum castitatis factum à puero est validum, vt supra ostensum est: ergo ex hac parte hoc votum etiam erit validum. Quanuis autem votum simplex possit irritari à parente, non tamen hoc quod est solenne propter ordinationem validam, & propter legem Ecclesiæ inhabilitantem talem personam, à qua nulla ætas excipitur quæ voluntariæ ordinationis capax sit. Nec obstat cap. *pueri*, quin potius fauet, dicit enim pueros non esse ordinandos in sacris, ne *tanto periculosius cadant, quanto citius ascenderunt*. supponit ergo teneri, aliàs non esset periculum cadendi. Neque etiam valet argumentum à professione, quia est à re dissimili, & diuersæ rationis, nam professio irritari potuit, non autem ordo. Aliàs nunc ordinatus post 14. annum ætatis non teneretur voto castitatis, quia nunc professio in illa ætate facta non tenet per Concil. Trident. quod absurdum est.

## DVBIVM QVARTVM.

### *Vtrùm ad obseruantiam castitatis teneatur ille qui inuitus ordinatur in sacris.*

23. SVpereſt vero vltima dubitatio quæ in eadem ratione quarta insinuatur, an is qui inuitus ordinatur ad castitatem nihilominus obligetur, ita vt & votum continentiæ emittere teneatur, & emisisse præsumatur. In quo est aduertendum dupliciter posse aliquem inuitum ordinari, primo per absolutam coactionem externam, ipso interius semper repugnante, & contradicente, ac nolente. Et tunc ordinatio valida non est, & ideo nulla ex illa oritur castitatis obligatio, in quo omnes Doctores conueniunt. Secundo modo dicitur quis ordinari inuitus, quia per metum cadentem in constantem virum ordinari cogitur: dum autem ordinatur, ordinationi consentit, nam vult & intendit ordinari: & tunc sine dubio ordinatio est valida, quia licet sit inuoluntaria secundum quid, simpliciter, id est, per voluntatem efficacem est voluntaria, quæ est sufficiens intentio ex parte recipientis ad veritatem sacramenti, vt ex materia de sacramentis suppono. In eo igitur casu procedit dubitatio posita, an clericus sic ordinatus maneat inhabilis ad matrimonium, & ad castitatem obligatus ex vi talis ordinationis. Quod addo, quia si post talem ordinationem mere voluntarie vtatur ordine suscepto, iam tunc sine dubio tenetur ad castitatem, eodem modo quo alii clerici in sacris, quia per talem vsum & ratam habet priorem ordinationem, & voluntarie se ingerit illi ministerio, quod sine obseruatione & voto castitatis licite exerceri non potest, iuxta Ecclesiæ ordinationem. In quo Doctores omnes conueniunt, dummodo, vt dixi, talis vsus plene voluntarius sit, nam si procedat ex eadem violentia, ex qua ipsa ordinatio, non induceret nouam obligationem, sed eadem erit quæstio.

*Duobus modo potest quis inuitus ordinari.*

In eo igitur casu multi censent huiusmodi clericum manere inhabilem ad matrimonium, & teneri ad seruandam castitatem. Hoc à fortiori tenet Paludanus supra, & expresse dist. 38. quæst. 3. art 4. concl. 6. & idem sentit Sot. lib. 7. de Iustitia quæst. 2 art. 5. in fine, sequutus Sylu. str. verb. *Ordo* 4. quæst. 1. Qui hanc opinionem limitant, *Nisi is, qui ad ordinem recipiendum cogitur, coniugatus prius esset & inuita etiam vxore ordinatus sit.* Sed si consequenter loquantur, dicere debent, illum etiam teneri ad seruandam continentiam quantum in ipso est, id est, non petendo debitum, sed solum reddendo, idque tunc tantum, quando vxor nullo modo consensit. Nam si præbuisset consensum, etiam per similem metum, profecto pareret de illa ratio. Hanc etiam opinionem tenet Tabiena *Ordo* 2. n. 27. Fundari potest hæc opinio, quia ille qui sic ordinatur, licet aliàs nollet ordinari, nihilominus simpliciter hic & nunc ordinari vult: ergo, hæc voluntas sufficit vt ad castitatẽ obligetur. Probatur consequentia primo à simili, nam qui per similem vim vult baptizari, eo ipso obligatur ad profitendam & seruandam religionem Christianam cap. *de Iudæis*, dist. 45. ergo similis voluntas in præsenti sufficit. Secundo ratione, quia licet aliquis cogi possit ad exteriores actiones, vel passiones, quibus ordinatio fit, non tamen potest cogi ad interiorem intentionem habendam: ergo qui illam habet, mere voluntarie habet: ergo sufficit ad votum castitatis emittendum.

24. *Difficultas est, an ius vsum obligationis adimat.*

Contrariam sententiam tenet Maior in 4. d. 24. quæst. 2. §. *sed hanc*, in fine, & Angelus *Ordo* 3. n. 26. Nauarr. cap. 22. num. 51. & 52. qui refert D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 11 ibi tamen D. Thom. solum dicit debitum continentiæ non esse essentialiter annexum ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ, & ideo posse hoc debitum ab ordine separari; an vero in casu, de quo loquimur, separetur, non dicit. Fundamentũ huius sententiæ sumitur ex cap. *pe[illegible]um*, de his quæ vi, vbi habetur votum solenne[illegible]onis factum ex metu cadente in constantem vi[illegible], esse irritum, quod supra tractantes de voto [illegible] genere, diximus verum esse saltem de iure positiuo. Hoc autem fundamentum non videtur firmum, primo quidẽ, quia ius illud solum agit de voto solenni religionis, quod extendi non debet, nec iure potest ad alia vota, vt supra ostendimus: ergo neque ad votum continentiæ clericalis, tum quia lex irritans cum sit odiosa, restringenda est potius quã amplianda: tum etiam, quia

quia non est similis ratio. Nam votum continentiæ religionis est annexum cuidam humano contractui, qui in ipsa professione fit, qui contractus potest per Ecclesiam irritari, & consequenter impediri vota, quæ solum vt illi annexa fiunt: hoc autem votum est annexum sacræ ordinationi, quæ non potest per Ecclesiam irritari, si interueniat voluntas ordinati etiam coacta, & ideo non sequitur per irritationem professionis irritari etiam votum ordinationi annexum. Secundo, quia licet daremus in eo casu debitum continentiæ non oriri ex voto, non satis probatur, non oriri saltem ex statuto Ecclesiæ, præsertim cum impedimentum matrimonii adiunctum sit ordini sacro voluntariè suscepto: huiusmodi autem est in præsenti casu, in quo differt à casu præcedenti de puero ordinato, quia ibi ordo non est voluntarius: hic autem simpliciter voluntarius est. Neque referre videtur, quod sit inuoluntarius secundum quid, quia iura talem limitationem non adhibuerunt, neque nos possumus sine iure illam adiungere, cum voluntas absoluta, licet coacta, simplicitet voluntas sit. Eo vel maxime quod impedimentum matrimonii sæpe contrahitur necessitate potius quam voluntate, etiam per culpam alterius: nam si quis cognoscat fœminam in patre, vel fratre illius, resultat impedimentum, ne ipsam ducere possint: cur ergo etiam in præsenti non poterit resultare, etiam sine culpa propria, cum non sit tanta necessitas, sed absoluta voluntas. Quod si hoc impedimentum nascitur, consequens profecto est, vt etiam obligatio ad totam continentiam imponatur, quia ille sic ordinatus cogetur manere in statu clericali: ergo & seruare omnia quæ ad decentiam illius status spectant.

26. Vt ergo quod probabilius videtur definiamus, aduertendum est, tribus modis posse se habere quoad interiorem voluntatem & intentionem eum qui sic ordinatur. Primo vt licet ordinari velit, expresse tamen velit continentiam non seruare, neque ad hoc se obligare. Secundo vt cum intentione suscipiendi ordines simul velit ad castitatem seruandam se obligare. Tertio, vt de castitate nihil cogitet, aut velit, vel nolit expresse, sed solum de ordine suscipiendo. In primo casu iam ex supradictis constat illum non vouere castitatem. Deinde addo, mihi valde probabile esse, eum non peccare habendo illam nolitionem cum circunstantiis positis. Ratio est, quia Ecclesia neminem cogit ad vouendam castitatem metu mortis. Dices, esto hoc verum sit nulla facta suppositione, tamen supposito vero ordine, quē aliquis suscipere vult, etiam coactus per Ecclesiam cogi potest vt velit etiam vouere propter decentiam suscepti ordinis. Respondeo, etiamsi concedamus, Ecclesiam habere hanc potestatem interueniente ex parte materiæ necessitate, aut capacitate, vt quodam discursu superius facto facile ostendi potest; non inde fit in præsenti casu vsam esse hac potestate, nec id fuisse aut necessarium, aut expediens. Probatur prior pars, quia nullo iure Ecclesiastico ostendi potest hæc obligatio: nam in particulari nihil inuenimus in tali casu definitum in iure: generalis autem lex Ecclesiastica de promittenda castitate ante sacram ordinationem, non satis est vt dicamus eam obligare in hoc particulari casu, quia lex Ecclesiastica moraliter ac regulariter loquendo non obligat ad sui obseruationem cum probabili periculo vitæ, aut æquiualentis nocumenti, qualis necessario interuenit, quando metus cadens in constantem virum incutitur, sed tunc solum, quando vel propter fidei confessionem, vel propter Christianæ religionis honorem, vel aliam similem grauissimam & communem causam necessarium est pati mortem potius quam Ecclesiasticam legem violare. In præsenti autem casu nulla similis ratio occurrit, per se loquendo; nam licet aliquis suscipiat sacrum ordinem sine voto continentiæ, non statim sequitur aliquid contra fidem, vel religionem Christianam, maxime quando necessitate potius quam voluntate id fit: & alioqui lex vouendi castitatem in eo articulo est Ecclesiastica; ergo non obligatur quis ad illam seruandam, quando sine periculo grauis id vitare non potest.

27. Dices, ex obseruatione talis legis nullum sequi periculum illius nocumenti, cuius metus incutitur in eo casu, quia solum supponimus cogi aliquem ad suscipiendum ordinem: quod ergo suscipiat illum cum voto, vel sine voto, nihil refert ad euadendum periculum. Respondeo, verum quidem id esse, tamen quia ordo ipse tantum suscipitur propter vitandum nocumentū, ideo non videtur lex Ecclesiastica obligare cum tanto rigore ad vouendum in eo casu. Quod ex eo etiam declaratur, quia ideo Ecclesia nō imponit hanc obligationem, nisi per modum voluntariæ promissionis, quia vult hanc obligationem esse spontaneam, quoniam aliàs esset & nimis onerosa, & non satis tuta: ergo non est verisimile velle obligare ad illam professionem faciendam, etiam tunc quando ordo necessitate morali, potius quam voluntariè sumitur: ergo in tali casu illa lex non obligat: ergo nihil peccat is qui tali animo illū ordinem suscipit, quia si non peccat contra Ecclesiasticam legem, nulla est alia contra quam peccare possit.

*Obiectio.*

*Responsio.*

28. Dices, saltem ibi interuenire mendacium quoddam graue, quia ipsamet ordinis susceptio est quædam significatio voluntatis seruandi perpetuam castitatem. Respondeo in primis hoc non ita esse, quia factum illud nec natura sua, neque ex impositione habet illam significationem: quod autem regulariter ob legem ordinariam Ecclesiæ illam habeat, est accidentarium, magisq; ex discursu intelligentium, quam ex propria ipsius operis significatione, quæ etiam qualiscunq; sit, in eo casu cessat propter dictam circunstantiam. Deinde addo, etiamsi in eo casu eadem coactione extorqueretur à tali persona, non solum ordinatio, sed etiam expressa castitatis professio, & eam facere ficto animo cum voluntate non se obligandi, neque vouendi, peccare quidem extrinca culpa mendacii, quæ in eo casu venialis tantum est, quia non est pernicioſum, neque alicui grauiter iniurioſum mendacium; illud vero nihil refert ad obligationem voti, de qua agimus, quia certum est neque illud esse votum, neque ex illa interna & ficta ordinatione oriri obligationem vouendi.

*Instantiæ diluitur.*

29. Atque hinc concludo in illo primo modo sumendi ordines per vim non manere obligationem seruandi castitatem, nam ex vi Ecclesiastici statuti nec fieri personam inhabilem ad contrahendum matrimonium. Hoc non est tam certum sicut id, quod hactenus diximus, sequitur tamen valde verosimiliter, quia si Ecclesia tunc non obligat ad emittendum votum castitatis, vt dictum est, profecto nec ratione illius facti obligabit immediatè ad seruandam castitatem. Patet consequentia, tum quia interuenit eadem ratio, tum etiam quia Ecclesia quantum in se est non vult obligare ad castitatem, nisi mediante voto, vt supra declaratum est: ergo si in eo casu non obligat ad votum emittendum, profecto est nolle obligare tunc ad castitatem. Et inde fit etiam consequens, vt non inhabiliter personam ad matrimonium, quia nulla potest esse maior necessitas, seu obligatio seruandi castitatem; & quia etiam Ecclesia non intendit per se imponere hoc impedimentum, nisi mediante voto. Et confirmatur, quia omnia iura, quæ de hac obligatione & impedimento loquuntur, tractant de ordine suscepto ordinario & legitimo modo, atque adeo cum plena volunta-

luntate, absque iniusta violentia, semperque indicant hanc obligationem castitatis plenè voluntariè sumendam esse, quia integritas res est voti, non præcepti, vt ex Ambrosio dicitur in cap. *integritas* 32. quæst. 1. non est ergo verisimile vt voluerit Ecclesia obligare ad castitatem in eo casu.

30. Ex quo vlterius sequitur, quando quis accipit ordinem tertio modo supra posito, scilicet nihil de cõtinentia cogitans, sed solum volens ordinationem propter vitandum damnum quod metuit, tunc etiã nec votum castitatis, nec obligationem ad illam, aut impedimentum ad matrimonium ex vi talis ordinationis contrahi. Probatur, quia nec tunc fit votum explicite vt constat, neque etiam implicite, quia hoc solum emittitur supposita lege Ecclesiæ obligantis ad coniungendum tale votum cum tali facto, seu ordinatione: sed ostensum est in eo casu Ecclesiasticam legem non obligare: ergo eo ipso cessat etiam votum implicitum, si explicitum non fiat. Et consequenter cessat etiam omnis prohibitio, vel obligatio Ecclesiæ, quia hæc per se & immediate non vrget in eo casu secluſa hominis promissione, vt ostensum est. In hoc ergo euentu & quotiescunque dicimus ordinationem per se non obligare ad continentiam absolute, seruandum est quod in præcedenti puncto de paruulo diximus, in arbitrio hominis sic ordinati esse ablato illo metu, & violentia eligere an velit in ordinatione persistere, necne, id est, an velit vti ordine susceptо, atque ita in statu clericali perdurare: nam si hoc eligat, ex tunc fit inhabilis ad matrimonium, & tenetur castitatem vouere ac seruare, vt dictum est, quia ablata priori necessitate iam plena voluntate ratam habet ordinationem: at vero si nolit vti ordine susceptо, sed potius renuntiet clericali statui, liber manet ab onere continentiæ, potestque matrimonium contrahere.

31. *Difficultas, an teneatur ad castitatem, si ad illam explicitè se obligare voluit.* Quando autem sic ordinandus secundo modo supra posito est affectus volens explicitè se obligare ad castitatem, videtur esse specialis difficultas, quia tunc iam vouet explicite, & ita ipse se obligat, quamuis Ecclesia illum non cogeret. Imo videtur merè voluntariè, & absque vlla coactione sic vouere, quia ad euadendum periculum quod metuit, satis fuisset ordinationem velle: ergo si vlterius vult etiam continentiam, & obligationem eius, merè voluntariè id facit, non ex necessitate & coactione, cur ergo non manebit obligatus? Sed in hoc etiam distinctione opus est: aut enim ille putat eõ ipso quod vult ordinari, etiamsi ex metu id faciat, teneri etiam ad vouendam & seruandam castitatem, & tunc consequenter votum esse inualidum, quia est inuoluntarium, non tantum secundum quid ratione violentiæ, sed etiam simpliciter ratione ignorantiæ, quæ impedit consensum, & sufficiens est ad annullandum votum etiam simplex, vt in superioribus diximus. Aut ille sciens & videns se non teneri tunc ad vouendam continentiam, & nihilominus vult eam vouere, & se obligare, & tunc censeo votum esse validum, & sic ordinatum manere obligatum ad castitatem; hoc enim conuincit ratio facta; quia illud est votum personale, & satis voluntariè factum.

32. *An tantum teneatur etiam ad non contrahendum matrimoniũ.* Potest autem tunc non immerito dubitari, an illa persona maneat etiam inhabilis ad matrimonium; videtur enim non manere, quia illa obligatio castitatis, non oritur ex lege Ecclesiæ, sed ex priuato voto merè voluntariè facto, vnde solum videtur habere rationem voti simplicis. Sed nihilominus oppositum verum esse videtur, quia illa persona tunc per talem voluntatem videtur cedere iuri suo, & quasi renuntiare illi priuilegio quod ratione violentiæ concessum videri poterat. Item quia si postea transacta violentia haberet similem voluntatem, & ratam haberet ordinationem suam, ex tunc incipere ret habere votum, & esse inhabilis ad matrimoniũ: ergo si ex plena scientia eandem voluntatem habeat tempore ordinationis, ex tunc censetur habere ratam ordinationem quoad talem suum effectum, & plenaria voluntate, cum sine vlla coactione illam habeat. Dices, etiam illum consensum non posse tunc appellari plenè voluntarium, quia illum non haberet nisi ad ordinationem cogeretur. Respondeo hoc non impedire, satis est enim, quod ad illam voluntatem ex vi metus non cogatur, nam quod supposita vna necessitate, quæ non directè inducit ad aliquem consensum præstandum, voluntas ex intrinseco motiuo velit adiungere talem consensum, vel actum, non tollit plenam libertatem, vt alias in superioribus dictum est.

Sed quid si metus, & violentia directè inferatur, non solum ad ordinationẽ vtcunque, sed simul cum expresso voto castitatis? Respondeo, tunc saltem votum in ratione solennis voti nõ esse validum, nec personam manere inhabilẽ ad matrimonium. Quod quidem probabiliter suadetur fundamento secundæ sententiæ, sumpto ex similitudine ad votum solenne religionis. Sed propter obiectionem supra factam addo, hoc votum non habere aliam solennitatem substantialem præter vim inhabilitandi personam ad matrimonium: in illo autem casu lex Ecclesiastica non inhabilitat talem personam, quia, vt ostensum est, lex Ecclesiastica quantum est ex se non imponit hoc onus, vel impedimentum, nisi per ordinem ad sacrum perfecta voluntate susceptũ, & consensu debito & satis voluntario ipsius castitatis, qui consensus in eo casu non interuenit, quia respectu vtriusque, scilicet, castitatis & ordinationis, est violenter extortus. Neque in hoc est comparandum hoc impedimentum cum aliis quæ interdum voluntariè contrahuntur: tum quia alia sunt particularia ad contrahendum cum hac vel illa persona, hoc vero est vniuersale, & omnino ad matrimonium: tum etiam, quia alia quasi ex accidenti redundant ex vna persona in aliam: nam quia Petrus, v. g. ex illicita copula cum Maria fit inhabilis ad contrahendum cum Ioanna sorore Mariæ, fit consequenter vt Ioanna fit inhabilis ad contrahendum cum Petro, quia illa est veluti relatio æquiparantiæ: in præsenti autem inhabilitas directè ponitur ipsi personæ per actionem seu receptionem eius. Et ideo merito postulatur, vt sit merè voluntaria. Neque etiam obstare potest quod supra obiiciebatur, quia exterior violentia non cogit ad internam voluntatem, sed solum ad externam actionem, quia satis est quod ita cogat ad externam actionem, vt illa non possit licitè & absque culpa etiam veniali fieri sine tali interiori intentione, seu voluntate: ita vero est in præsenti, quia saltem sine mendacio non potest quis exterius promittere castitatem, sine interiori consensu. An vero in eo casu sit validum votum, saltem in ratione voti simplicis, iudicandum est ex dictis supra de voto simplici facto ex metu, nam ego hic non inuenio legem aliquam specialiter irritantem.

Per hæc ergo satis responsum est ad fundamenta aliarum opinionum, quatenus nobis possunt repugnare. Ad fundamentum enim prioris opinionis negatur voluntatem ordinationis in eo casu esse voluntatem castitatis: neq; id probat ratio quæ ibi adducitur, quia hæc obiecta sunt distincta, nec per se connexa, sed tantum ex lege Ecclesiæ quæ in eo casu non obligat, vt ostensum est. Et ideo non est simile quod afferebatur de Baptismo & religione Christiana, quia hæc duo sunt coniuncta ex iure diuino, & omnibus in vniuersum hominibus sub obligatione

ne imposita. & ideo quacunq; ratione homo impleat priorem obligationem sumendi Baptismum, obligatus manet ad totam legem Christianam, quod nullum est inconueniēs, cum tota illa materia, ad quam obligatur, sit materia præcepti, cumq; ipsum fundamentum, quod est Baptismus, etiam necessarium sit. In præsenti autem casu materia castitatis de se est potius consilij, quam præcepti, & fundamentum eius seu ordinatio ipsa non est absolute præcepta, & ideo maior voluntas circa ipsam castitatem postulatur.

35. Contra hanc autem responsionem, & contra totam sententiam explicatam, difficultatem non modicam facit Concilium Toletanum VIII. c. 7. vbi in hoc ordinationem Baptismo æquiparat, & de clericis sic ordinatis concludit. *Licet inuiti perceperint quod non merebantur habere, libenter tamē retineant*, &c. & inferius de huiusmodi subditur. *Si quis eorum ad coniugia transiuit, mox omni Ecclesiastici ordinis dignitate priuatus, verè vt apostata à sanctæ Ecclesiæ liminibus, & societate fidelium habeatur prorsus exclusus, monasterii claustris, donec aduixerit, sub pœnitentia retrudendus.* Duo tamē responderi possunt, vnum est, ita quidē fuisse in illo Concilio ordinatū, iam enim à nobis concessum est nihil repugnare: dicimus tamen Concilium illud prouinciale fuisse, & quoad hunc canonem nunquā fuisse in Ecclesia receptum, nec cōmuni corpori iuris insertum, neq; etiā in Hispania specialiter obseruari. Vnde secundo dici potest Concil. loqui de his qui post suā ordinationē in suscepto ordine liberè ministrauerant, quod indicāt verba illa, *Omni ecclesiastici ordinis dignitate priuatus.*

36. Alterius autem opinionis fundamentum prout à nobis explicatum est admitti potest. Et obiectiones in contrarium parum nobis obstāt, quia non fundamus nostram sententiam in sola similitudine vnius voti solennis ad aliud, sed in propria ratione, scilicet, qa hic cessat obligatio legis Ecclesiasticę, ex qua pendet tota ratio huius voti solennis. Vt aūt hæc obligatio cessare credatur, non oportet vt hic casus violentę ordinationis directe excipiatur, sed satis est vt in lege non exprimatur, & quod ex ratione legis constet esse præter eius intentionem, quia esset nimium durum reddere aliquem inhabilē simpliciter ad contrahendum matrimonium sine illius culpa, ac sine propria ac satis libera voluntate. Quia vero ordinatio res publica est, & in facie Ecclesiæ videtur quis manere obnoxius castitati, quantū est ex vi ordinationis, vnde non debet nec potest licite priuata scientia, & auctoritate post talē ordinationem matrimonium contrahere, per se loquendo, sed debet ab ecclesiastico Prælato facultatē petere, & violentiam, seu metum iniustum probare, & eius iudicio stare, an sufficiens fuerit ad impediendam obligationem. Si autem contingat talem esse violentiā, vt non possit coram Ecclesiastico iudice probari: tunc in primis securum consilium est stare iudicio prudentis viri, seu confessoris circa grauitatem metus, an fuerit sufficiens necne; quia in propria causa facile quis decipi potest, & hoc satis erit vt in conscientia non teneatur speciali vinculo ad seruandam castitatem. Si tamen velit etiam contrahere matrimoniū, oportebit vitare scandalum, & publicæ existimationi Ecclesiæ satisfacere: ideoq; necessariū erit vel à summo Pontifice facultatem obtinere, vel eo diuertere vbi ordinatio omnino occulta sit, nullumq; sit periculū quod possit ibi aliquādo cū scandalo manifestari, q̄ tamē moraliter satis difficile erit.

37. Vltimo ex dictis resolui possunt duo casus, seu dubiola hic incidētia. Primum attigit Paludanus supra, quid scilicet dicendum sit si aliquis ante ordinationem publicæ profiteatur se nolle ad castitatem obligari, & nihilominus ab Episcopo ordinetur, an maneat ad castitatē obligatus. Paludanus enim dict. d. 38. q. 2. n. 12. absolute dicit, quantumuis contrarium protestetur, nihilominus obligari. Et hoc quidem verum si sola protestatio attendatur, nam illa per se parum confert ad tollendam vel addendam obligationem. Addo vero si per occasionem illius protestationis, oriatur ignorantia probabilis, existimando posse illo modo ordinem sine obligatione ad castitatem assumi, ex parte illius ignorantiæ fieret omnino inuoluntaria castitas, & consequenter oriretur excusatio eius. Vt, v. g. si protestatio illa fieret coram Episcopo, & ipse illam acceptaret, & ea ratione initiandus probabiliter crederet ipsum in hoc dispensare, & ad id faciēdum potestatem habere: tunc merito censeretur sic ordinatus graviter deceptus. Vnde si iudicio prudentis viri probabilis, seu excusabilis ignorātia iudicetur, non erit cogendus ad castitatē seruandā, sed optio illi danda erit, sicut in similib. diximus.

38. Alterum dubium est, an is qui per metum cadentem in constantem virum religionem professus est, & postea titulo religionis est in sacris ordinatus, teneatur castitatem seruare, vel vtroq; titulo, vel saltē altero. Videtur enim neutro teneri, quia cum professio fuerit nulla ratione metus, eo titulo non obligatur ad castitatem: ergo cum hoc fundamentum nullum fuerit, quod in eo postea fundatum fuit, nō potuit esse firmum, neq; obligationē inducere. Aliunde autem videri potest vtroq; titulo obligari, quia & si talis professio à principio fuerit nulla, si postea voluntarie ratificetur, valida fiet, & obligabit; ratificatur autē per subsequentem ordinationem titulo eius factam: nam qui vult ordinari eo quod religiosus sit, à fortiori vult esse religiosus. Respond. duobus mōdis posse hanc ordinationē contingere. Primo ex eodem metu quasi continuato, & perseuerante, quia sc. non potest quis suæ professionis nullitatem prætendere, nisi in idem periculum incidat, idemq; nocumentum timeat, & perseuerando exterius in eo statu non potest vitare ordinationem, quin grauem aliquā suspicionem, vel infamiam, vel simile nocumentum incurrat. Et in eo casu concedo neutro titulo simpliciter obligari ad castitatem, non quidē professionis, quia est nulla, neq; ordinationis (iuxta modū supra explicatum) quia etiam illa ex metu cadente in constantem virum suscepta est. Alio modo fieri potest, vt quis post talem professionem merè voluntarie ordinetur: nā posset iam sine periculo nullitatē suæ professionis declarare, & non vult, donec ordinatus sit: & tunc sine dubio dicēdum est teneri ad castitatem ratione ordinis, cum merè voluntarie susceptus fuerit; & quod falso titulo susceptus fuerit, non excusat ab onere, vt per se notum est, quia ordinatio nihilominus fuit valida, & merè voluntaria. Inde vero non statim sequitur quod obligetur etiam ratione professionis, quia per voluntatem recipiendi ordines illo titulo non statim ratificatur professio, non tantum verè & in re ipsa, verum etiam nec præsumptione iuris, vt late Nauarr. comment. 4. de Regular. num. 72. & infra suo loco dicetur.

## CAPVT XVIII.

### *Quibus modis peccare possit contra votum castitatis is, qui ante matrimonium, in sacris ordinatus est, & quas pœnas incurrat.*

1. QVamuis hoc votum regulariter fiat in statu cælibatus, tamen aliquādo etiam fieri potest post matrimonium, & diuersos tunc inducit effectus, ideoque de his duobus modis emittendi hoc votum separatim dicendum est, & explicandum quos effectus in vtroq; statu habeat, & quas obligationes inducat: nam licet in superioribus hoc magna ex parte tactum sit, id magis exponere necesse est ad declarādas culpas & pœnas quæ inde oriri possunt.

2. Primus ergo effectus huius voti est reddere perso-

nam ad matrimonium inhabilem, vt iam dictum est, & est res certa de fide, quia iura Ecclesiastica de hoc sunt expressa c. vnico de voto in 6. c. *cũ olim*, de conn. coniug. c. 1. & 2. qui cler. vel vouent. c. *vt lex* 27. q. 1. de potestate autem dubitari non potest. Atq; ita docẽt omnes Theologi in 4. d. 25. & 27. & Iuristæ in dictis capitulis, Bell. lib. 1. de Clericis c. 18. Turr. Med. & alii supra citati qui de hac continẽtia sacerdotũ scribunt.

3. *Dubitatio, quando inceperit hoc votum esse solemne.* Interrogari autem hic potest, quando cœperit hoc votum clericorum esse solenne, quod est quærere, quando cœperit habere hunc effectum irritãdi matrimonium subsequens: uam prohibere illud ex tunc cœpit, ex quo ipsum cœpit emitti, quia hoc votũ natura sua prohibet matrimonium, non vero ita natura sua irritat, sed ex statuto Ecclesiæ, iuxta d. c. *vnicum*, de voto in 6. & Extrauag. Ioannis XXII. eodem titulo. Difficultas ergo est, an sicut ostensum est hoc votum à principio Ecclesiæ prohibuisse nuptias omnibus, qui ante illas ordinabantur in sacris tam in Ecclesia Græca, quã in Latina: ita redderet etiam illos inhabiles ad matrimonium. Aliqui enim censent in principio per multos annos hoc votum non fuisse solenne, neque habuisse hunc effectũ irritandi subsequẽs matrimonium. ita tenet Medina lib. 2. de continentia c. 13. Fundamentum est, quia olim si clericus in sacris vxorem ducebat, ab illa non separabatur, sed solũ ab vsu ordinum suspendebatur, & omni priuilegio clericali priuabatur: ergo signũ est talia matrimonia non fuisse inualida. Consequẽtia est manifesta, quia Ecclesia non permitteret perseuerantiam in illo statu, qui & concubinarius esset, & sacrilegus, si matrimonium validum non fuisset. Antecedens autem probari potest ex canone 1. Concilij Neocæsar. qui habet, Presbyter, si vxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere. Simile ferè decretum legitur in Concilio Romano sub Sylvest. c. 19. & in Conc. Toletano I. c. 4. & Brachar. 2. q. 44. quæ duo posteriora Concilia loquuntur de subdiacono assumente secundam vxorem post mortem primæ.

4. Responderi tamen potest ibi, imponi quidem hanc pœnam, non tamen propterea significari matrimonium fuisse tunc validum: quia tunc etiam imponitur pœna pro huiusmodi delicto, vt infra videbimus. Et tamẽ nunc constat matrimonium esse inualidum. Sed contra hoc instatur ponderando textum illum ex gloss. in c. *Presbyter* 28. d. nam ille canon duas partes continet, punit enim prius Presbyterum ducentem vxorem pœna depositionis, & postea punit Presbyterum fornicantem, vel adulterantem his verbis: *Extra Ecclesiam abiici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet*, quæ pœna maior est quam prior: ergo & culpa supponitur esse maior: quod non potest alia ratione existimari, nisi quia per matrimonium fornicatio & adulterium euitabatur, & ita minus violabatur votum castitatis contrahẽdo matrimonium, quam fornicando, vel adulterãdo, nam si matrimonium esset nullum, fornicatio saltem non vitaretur; & ita maiori pœna dignum esset tale delictum. Et ita sentit prædicta glossa: significat autem excusari à grauiori culpa Presbyterum contrahentem matrimonium, non quia in reipsa peccatum minus graue sit, sed quia qui sic contrahit, existimat sibi licere. Sed hoc gratis dicitur, quia talis ignorantia in re tam clara præsumi non potest, & constat simile factum sæpe fieri seu tentari ex malitia, non ex ignorantia, neque in textu illo est aliquod indicium talis excusationis.

5. Addo præterea argumentum non esse legitimum, nec difficultatẽ illius textus recte ita expediri. Nam licet matrimonium Presbyteri esset validum, nihilominus, vt existimo, grauius peccaret, maioriq; pœna dignus esset contrahendo matrimonium, quam fornicando, vel adulterando, quia licet in fornicatione esset duplex malitia intemperantiæ & sacrilegij, in matrimonio autem contrahendo solum vna, scilicet, sacrilegium; tamẽ hæc adeo esset grauis, vt illas duas superaret; quia castitatis votum quodammodo perpetuo destruitur ac violatur per matrimonium, quia redditur homo impotens ad seruandam castitatem, & quasi alienat corpus quod DEO promiserat, per fornicationem vero vno tantum actu promissionem violat: & ideo existimo etiam nunc laicum habẽtem simplex votũ castitatis grauius peccare contrahendo matrimonium, quam semel fornicãdo. Accedit præterea, quod ipsa malitia sacrilegii duplex est in talia ctu, altera contra votum, altera contra religionẽ sacramenti matrimonij, quod indigne tractatur. Quare negandũ existimo posteriorẽ pœnam ibi positam esse maiorẽ, quia sacerdos cõtrahens matrimonium non solum suspenditur ab ordine, vt putauit glossa, sed deponendus ab ordine dicitur; i. e. à statu clericali omnino excludendus, atque adeo omni vsu ordinis sacri, & beneficio priuandus, vt Turrecremata cum Hugone exponit: altera vero pœna solum continet interdictũ aliquod, & exteriorẽ pœnitentiã, quæ leuior est, de quo plura inferius. Ex illo ergo textu non satis probatur hoc votum illo tempore non irritasse matrimonium, quamuis ex illo etiam probari non possit irritasse.

6. Atq; hinc potest sumi aliud fundamentum pro hac sententia. Nam antiqua decreta quæ de hoc voto inueniuntur ante Innoc. II. prohibẽt quidem talia matrimonia, nõ tamen addunt verba irritantia, neq; aliquem effectũ inducunt, ex quo talis irritatio colligi possit: est aũt generalis regula in materia de legibus, & à nobis etiã in superioribus tacta. Quoties lex simpliciter prohibet opus aliàs natura sua validum, si nõ addat verba irritantia, opus sic factũ tenere, licet male fiat, quod in donationibus, testamentis, & alijs cõtractibus obseruatur, vt colligitur ex c. *si soli*, de cons. præb. in 6. & c. *dilectus* 2 Extra de præbendis: ergo signum est talia antiqua decreta non irritasse matrimonium, clerici in sacris. Maior patet in can. 27. Apostolorum, vbi est solum verbum *præcipimus*, & in cap. vlt. d. 27. est verbum *penitus interdicimus*: neque inueniũtur autiqua decreta grauius aut strictius hoc prohibentia, vt ex adductis sect. 2. constat.

7. Hoc vero argumentum in contrarium retorqueri potest: nam potius videtur esse principiũ iuris: Quod fit lege prohibẽte absolute & simpliciter, eo ipso esse irritum, nisi aliunde vel ex alia lege, vel ex aliis verbis, ratione, aut circumstantiis legis constet intẽtionem eius fuisse prohibere, & non annullare. ita colligitur ex l. *non dubium*, Cod. de legibus. quæ sic habet. *Nullum pactum, nullã conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum, lege cõtrahere prohibente.* cui consonat regula 64. de Regulis iuris in 6. *Quæ contra ius fiunt, debent vtiq; pro infectis haberi.* Quod principium licet multas habeat difficultates, quæ videri possunt in glossa & Doctorib. ibi, & in summa redigũtur à Sylvest. verbo *lex* q. 28. & Angelo eodẽ verb. n. 18. omnes tamen cõmuniter sentire videntur hanc partem potius esse pro regula habendã, quamuis limitationes ad soluendas difficultates adhibeãt, quæ si recte inspiciantur, in præsenti casu locũ non habẽt: nam hæc prohibitio non fundatur in temporali causa (quæ est vna limitatio) sed in perpetua, qualis est ordo sacer. Neq; ponitur cum aliqua limitatione, sed verbis quę omnimodam prohibitionẽ significant, vt sunt illa, *penitus interdicimus*, ac deniq; directe ferunt in ipsam personam, nullã aliam extrinsecam conditionem recipiendo; quæ sunt circumstantiæ cõmuniter à Doctoribus requisitæ, vt contractus contra legem factus nullus esse censeatur. Et declaratur à simili, nã antiqua decreta, quæ prohibent matrimonium inter con-

consanguineos, non habent alia verba irritantia præter absolutam prohibitionē, directe ac simpliciter latam in ipsas personas ob causam intrinsecam ac perpetuam, c. *non debet*, de consanguinitate & affinitate, & hoc satis est vt talia decreta censeantur irritare matrimonium cōtra ipsum lata, vt constat ex vniuersali Ecclesiæ sensu & praxi: ergo idem dici potest in præsenti. Atq; ita iuxta hanc regulam, cum primum cœpit esse illicitum clericis in sacris matrimonium, cœpit etiam esse nullum.

8. *Lex prohibens non irritat, nisi id exprimat.*

Sed nihilominus hoc fundamentum solidum non est, nam reuera illa regula, quod lex simpliciter prohibens contractum, etiam annullat illum, quamuis non exprimat, commode sustineri nō potest, etiamsi limitationes, quæ vulgariter circumferuntur, adhibeantur, vt late ostendi tractatu de legibus lib. 5. c. 25. nunc satis est dicere contrariam regulam cum omnibus illis exceptionibus seu conditionibus instari manifeste in voto simplici; nam illud impedit matrimonium, estque de se impedimentum perpetuum, & talis prohibitio directe & simpliciter fertur in personam, nulla alia requisita, & considerata extrinseca conditione; & nihilominus lex prohibens talē contractum non facit illum irritum. Vnde quamuis fingeremus votum clericorum in Ecclesiæ initio fuisse tantum simplex, potuisset eis interdici matrimoniū eisdem verbis, quibus in prædictis decretis interdicebatur, imo vix posset alijs prohiberi: & tamē tunc matrimonium non esset validum: ergo ex verbis talium decretorum, non potest colligi intentionē eorum fuisse irritare tale matrimonium. Adde inter alia signa legis prohibentis, & non irritantis, vnum esse si prohibitioni addatur pœna: hanc enim inter alias limitationes ponunt auctores supra citati, vt in Angelo, & Syluestro videre licet, sed antiqua decreta prohibentia matrimonium clericis in sacris pœnam adhibebant, vt visum est: ergo ex illis non potest colligi irritasse contractum. Quod argumētum contra illos auctores efficax est ad probandū negatiue, ex illis decretis non colligi irritationem, non tamen est simpliciter efficax ad positiue ostendendum tale impedimentum irritans tunc non fuisse: quia absolute sæpe contingit legem prohibentem esse irritantem, & habere pœnam adiunctā, vt de prohibitione inter consanguineos cōstat ex Clem. 1. de consanguin. & affin. & in hac ipsa materia, de qua agimus, statim constabit. Ratio denique hoc suadet, quia lex irritans ex ea parte odiosa est, quia nō solum prohibet factum, sed etiam adimit potestatem, vel inhabilitat personam, & quodāmodo tollit, vel notabiliter minuit dominium rei, circa quam versatur prohibitio: ergo nisi sufficienter exprimatur, nunquam debet cum tanto rigore explicari, nam odia restringenda sunt.

Quocirca verius censeo pro regula potius statuendum esse per verba legis simpliciter prohibentis, nō irritari contractum, quantumuis sint absoluta, & ex causa perpetua, & directe feratur in personam, nisi vel ex adiunctis verbis, vel ex effectibus, vel aliunde ex vsu & traditione sic interpretante legē irritatio colligatur. Quæ omnia inueniuntur in exemplo adducto de impedimento consanguinitatis. Nam in cap. *nuanos*, de consanguin. & affinit. aperte supponitur, matrimonium habens tale impedimentum esse dirimendum, & 35. q. 3. cap. *contradicimus*, cum similibus dicitur, sic contrahentes esse separandos, q̄ est signū nullitatis, & ibidem c. 2. dicitur ita Ecclesiam prohibere coniunctiones consanguineorum, sicut leges illas prohibebāt: leges autem ciuiles circa hoc irritantes erant, vt ex effectibus, quæ in eodem cap. referuntur, nō obscure colligitur, & ex toto tit. ff. de ritu nuptiarum. Lex autem *non dubium*, quę pro contraria regula obijciebatur, varias habet expositiones; nūc autem mihi non displicet ita interpretari, vt sensus sit, contractum cōtra prohibitionem legis factum, non quidem eo ipso necessario nullū esse, sed vel nullum esse, vel per iudicem irritandum esse, ita enim interpretor illa verba, *Nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum*, i. e. ita inter eos iudicandum est, ac si non contraxissent. Et eodem modo exponuntur optime illa verba iuris canonici, *Debent pro infectis haberi*. Quæ tamen regula hoc modo exposita multis indiget expositionibus, Quarū vna ac præcipua est, quod contractus semel ratus irritabilis sit, quæ matrimonio non conuenit. Alia est, vt aliunde ex iure non constet contractum non esse irritandum, sed alia remedia esse adhibenda: de quo alias.

10. *Resolutio difficultatis, quando inceperit hoc votum irritare matrimonium.*

Ex his ergo omnibus in præsenti puncto nihil aliud dicere possum, nisi hoc solum, mihi non constare, quando primum cœperit hoc votum esse solenne, & habere hunc effectum irritandi matrimonium. Nam sine dubio non incepit à tempore Bonifacij VIII. quamuis fortasse sub hac appellatione voti solennis, ipse primus declarauerit, hoc votum esse solenne, in dict. cap. *vnico*, de voto in 6. Antiquiora enim sunt iura quæ hunc effectum declarant, vt patet ex Alex. III. cap. 1. & sequentibus qui cler. vel vou. & cap. 1. de Cleric. coniugat. & ex Innocent. II. qui fuit antiquior, in cap. *vt lex* 27. q. 1. in quo capite expresse declaratum est talia sacrorum clericorum matrimonia nulla esse. Quamuis autem ante illud decretum nullum antiquius reperiam, in quo satis aperte hoc declaratum sit, nihilominus non audeo dicere ibi primum fuisse hunc effectum seu impedimentum irritans institutum, nam ferè omnes auctores multo antiquius esse putāt. Adeo vt Maior, Clitouæus, & Turrianus supra citati putauerint sacrum ordinē iure diuino hoc impedimentū secum afferre, propter perpetuam traditionem. Alij vero licet fateātur hoc esse ius Ecclesiasticū, nihil tamen distinguunt inter illud, quatenus prohibens vel irritans matrimoniū, quantum pertinet ad initium eius, vt videre licet in Soto li. 7. de Iustit. vbi supra, & in 4. d. 38. q. 1. art. 1. & ex Bellarm. li. 2. de Clericis, vbi supra, & li. 1. de Sacramento Matrimonij, c. 21. vbi specialiter adducit Concilium Toletanum VIII. ante 900 annos, can 6. vbi de subdiaconis agens in primis ait, Nefas esse illos nouis vxoribus copulari, & deinde adiungit, *Qui hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub pœnitentiæ oneribus, vsq; ad extremum vitæ monasterijs religandi.* Quæ pœna nimis grauis esset, & improportionata, si tale matrimonium esset validum. Id expressius docuit Couarr. 2. p. 4 c. 6. §. 3. n. 1. vbi expresse dicit eodem tempore interdictum esse ab Ecclesia clericis in sacris matrimonium vt irritum, quo fuit prohibitum. Eiusq; rei maximum argumentum sumi ex Calixto Papa in c. *Presbyterū* 27. dist. nam ibi præcipit huiusmodi matrimonia dissiungi; vbi ēt glossa notat talia matrimonia dissolui, quia nunq̄ fuerunt valida. Et esset quidē argumētum satis efficax, si decretū illud fuisset Calixti I. tamen à Gratiano tribuitur Calixto II. & in Codice Gregoriano notatur, in Codice Vaticano inueatum esse in fragmento cuiusdā Concilij ab Vrbano II. habiti. Fuit autē Vrbanus paulo antiquior Calixto II. Recte autē probat ille textus hanc institutionē fuisse ante Innocentium II. nam Vrbanus II. plusquam per 40. annos illum antecessit. Adde etiā ipsum Vrbanum II. declarasse non se hoc primū constituere, sed iuxta antiquos canones id iudicare, sic enim habet, *Matrimonia dissungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere iuxta sacrorū canonum definitiones iudicantes.* Erat ergo hęc antiquior institutio. Deinde cū hęc lex continentiæ consuetudine magis, & traditione introducta fuerit, q̄ lege scripta, facile fieri potuit vt simul sub vtraq; ratione prohibentis, & inhabilitantis personam

nam ad matrimonium fuerit introducta. Et ideo nō refert ꝙ antiqua decreta scripta simpliciter de prohibitione ipsa scripta, loquantur, quia non fuerunt edita ad condendam hanc legē, sed ad puniendas transgressiones quæ cōtra eam multo antea inductam fiebant: ad hoc aūt satis erat prohibitionis facere mentionē, nam ex materiæ qualitate satis constabat qualis esset prohibitio. Atq; hoc ipsum indicat Innoc. II. supra dicens, *Huiusmodi copulationē, quā contra Ecclesiasticam regulā constat esse contractam, matrimonium non esse censemus*: non enim dixit, *statuimus*, sed *censemus*, quasi declarādo talem esse regulam Ecclesiasticam iam ante ipsum Innocentium circa hoc statutam, vt matrimonium circa illam nullum censendum fuerit. Itaq; verisimilius videtur hoc ius fuisse antiquius Innocentio II. quando vero primum cœperit, & an omnino simul introductum fuerit sub ratione voti, & sub ratione solennis, seu irritantis in futurum, nulla certa ratione affirmare possum.

11. *Clericus in sacris tenans nubere, graue sacrilegium committit, & ab ecclesia grauiter punitur.*

Secundo dicendum est, clericum in sacris tentantem matrimonium contrahere, grauissimum sacrilegium committere, ideoq; merito ab ecclesia grauiter puniri. Prior pars satis constat ex dictis, multiplexq; circumstantia huius sacrilegij, tum in superiori puncto, tum etiam in præcedenti capite obiter declarata est. Posterior autem pars ostendendo multiplicem pœnam. Prima est excommunicatio maior ipso iure incurrenda, quæ posita est in Clem. *vnica*, de consanguin. & affinit. quam tom. 5. de censuris disp. 1. 23. sect. 5. an. 11. explicui, & ideo plura hic de ea pœna addere non est necesse. Solum aduerto, illam particulam *scienter*, quæ in principio illius textus ponitur, ad hūc casum, sicut & ad cæteros, de quibus ibi sermo est, extendi; ideoq; ad incurrendam hanc excommunicationem, necessarium esse vt trāsgressio sit ex malitia, & non ex ignorantia. In quo conueniunt Caiet. verbo *Excommunicatio* c. 47. Nauarr. in Summ. c. 27. n. 141 Couarr. in 4. Decretal. 2. p. cap. 6. §. 3.

12. Secunda pœna est priuatio beneficiorum, cap. *decernimus*, 28. dist. quod est Innocentij II. vt ex illo obiter intelligere liceat, ab eodem Pontifice impositam esse pœnam, à quo declaratū est tale matrimonium esse nullum. Sunt autem hæc verba Innocētij, *Decernimus vt ii, qui in ordine subdiaconatus & supra, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio ac beneficio Ecclesiastico careant*. Circa quæ verba dubitari potest, an huiusmodi clericus, ipso facto amittat beneficium, vel solū illis priuandus sit, & consequenter an antea possit ea in fauorem alicuius renuntiare. Quidam primū affirmant: quod sentit Panormit. in c. 1. de Cler. coniug. & Couarr. 2. p. 4. c. 6. §. 3. n. 4. in fine, vbi refert in eandem sententiam Romanum, Cardinalem, Ioannem Andream, & Ancaranum. Fundamentum horum auctorum, præter citatum textum, fuisse videtur, quia clericus in minoribus constitutus ipso facto amittit beneficia cap. 1. de Cleric. coniug. ergo multo magis clericus in sacris, quia non debent esse melioris conditionis hi qui illicite contrahunt, quam illi qui licite.

13. Nihilominus contrariam sententiam veram existimo, scilicet hanc pœnam non incurri ipso facto, sed huiusmodi clericos sic contrahentes priuandos esse beneficijs. ita sentit glossa in dict. c. 1. de Clericis coniug. dicens, huiusmodi clericos priuandos esse beneficijs, nisi cum eis dispēsetur, quam glossam sequitur ibi Antonius, & in eandem sentētiam magis inclinat Ioannes Andr. in cap. *Ioannes* de Cleric. coniug. Idem tenet Nauarr. in Summa cap. 25. num 120. & Gregor. Lopez in l. 41. tit. 8. part. 1. & ex illa lege aperte colligitur. Sylvest. *beneficium* 3. q. 22. Et comprobatur, quia in primis in dict. cap. *decernimus*, non additur particula *ipso facto*, sed indefinite dicitur, *beneficiis careat*, quod verbum indifferens est ad carendum ipso facto, vel per sententiam iudicis, & ideo in materia pœnali mitiori modo est interpretandum. Et ita intelligendus est Sotus supra, dicens, *officio & beneficio priuantur*, id est, priuari præcipiuntur. Præterea argumentum à simili in materia pœnali inefficax est, præsertim vbi ratio est valde dissimilis, quia matrimonium à clerico in minoribus contractū est validum, & ideo mirum non est, quod ipso facto priuetur beneficio, quia iam ratione status est incapax illius: matrimonium autē contractum à clerico in sacris est nullum, & ideo nō est ita incapax; non procedit ergo in eo eadem ratio. Vnde parum refert quod clericus in sacris delinquat in contrahendo, & non in minori: quia illa priuatio nō est in pœnā delicti, sed ob incapacitatem personę, vt satis declaratur in c. 3. eod. tit. ibi, *Cū simul voluptatibus, & carnalibus desiderijs, ac diuinis, & Ecclesiasticis ministerijs vacare non valeant*. Et simile habetur in c. *diuersis*, eod. tit. Qua ergo ratione pōt hęc priuatio ipso facto per modū pœnę extendi ad clericos in sacris propter culpam q̄ contrahendo matrimoniū committunt?

14. Addo præterea hoc repugnare d. c. 1. de Cleric. coniug. si recte expendatur. Primo, quia ibi duas habet partes, & in priori loquitur de clericis in minoribus contrahentibus matrimoniū, quibus nullā imponit pœnā, sed cogendos esse dicit ad retinendas vxores, & Ecclesiastica beneficia relinquenda: in posteriori autē parte de ordinatis in sacris è contrario dicit cōpellendos esse ad vxores dimittendas, & pœnitentiā sui delicti agendam; de beneficijs autem nihil dicit: ergo ex vi illius textus non solū non priuantur ipso facto beneficijs, verum nec tenentur illa relinquere, donec per iudicis sententiā illis priuentur. Secundo, quia nec de clericis in minoribus ibi dicitur expresse esse priuatos ipso facto, quia solum dicitur, vt ad relinquenda beneficia compellantur; quia tamen hæc priuatio non est in pœnā, sed ob repugnātiam status, ideo glossa ibi, & omnes auctores intelligunt ipso facto amittere beneficiū, & ideo compelli ad illud relinquēdum, quia reuera iam non est illius dominus, sed eo ipso quod voluit ducere vxorem, voluit etiam iuri suo ac beneficio renuntiare: & ideo textus ille solum præcipit executionem. Hæc autem omnia locum non habent in clericis in sacris.

15. Sed obiici potest, nam sequitur clericum in minoribus ducentem vxorem non amittere ipso facto beneficia, quoties contigerit matrimonium ex aliquo impedimēto esse nullū. Patet sequela, quia tunc cessat prædicta ratio, quia per tale matrimoniū non acquiritur status verè incompossibilis beneficio ecclesiastico. Ad hoc communis responsio est, duplici ex causa posse matrimonium esse nullū. Primo ex defectu consensus, vt quando aliquis non habet legitimā ætatem ad contrahendū de præsenti, quia talis cōsensus est imperfectus secundū iura, solumq; sufficit ad sponsalia de futuro: vel etiā, quia solū ficte contrahit exterius sine intētione contrahendi, aut se obligādi, vel quoties aliquis scit intercedere aliquod aliud impedimētum irritans, & nihilominus contrahit: nam tunc etiā non potest absolutum consensum præstare, cum sciat actum esse impossibilem. Alio vero modo contingit ex parte contrahentis esse absolutum consensum, & nihilominus matrimoniū esse nullum, ob aliud impedimentū consanguinitatis, affinitatis, aut simile ignoratum. In priori ergo casu communis sententia est, clericum etiā in minoribus non priuari beneficijs suis, quia neq; effectu, neq; affectu renuntiat iuri suo, quia reuera non contraxit matrimoniū, neq; in illud sufficienter consensit, & quoad hanc partem respondetur ad argumentum concedendo sequelā. Et retorqueri potest obiectio, quia clericus ēt in sacris, nec reipsa contrahit matrimoniū, neq; absolute

potest

potest consentire in illud cum sciat se esse inhabilem ad illud: ergo pari ratione nō manet priuatus beneficijs. In posteriori autem casu frequentius docent Canonistæ clericum in minoribus constitutum manere priuatum beneficijs, non obstante nullitate matrimonij: quia volendo absolute matrimonium libere renuntiauit iuri suo, vt videre licet in Panormitano, Nauarr. & Couarr. supra, & quos ipsi referunt. Ex his autem auctoribus qui aliter sentiunt de clerico in sacris, respondebunt ad obiectionem factam negando sequelam, quia clericus in minoribus non priuatur beneficijs solum propter verum matrimonium, sed etiam propter matrimonium attentatum ex pleno consensu, & affectu matrimonij.

16. At profecto difficile est hoc modo satisfacere obiectioni factæ: nam saltem sequitur clericū in sacris, qui ex erronea vel ignoranti existimatione non putat se esse inhabilem ad matrimonium, & ideo illud contrahit, ipso facto priuari beneficijs. Consequens est falsum: ergo. Sequelam patet, quia licet in illo matrimonium non sit validum, est tamen attētatum ex pleno affectu & consensu, nam interueniente ignorantia impedimēti, dari potest huiusmodi consensus, vt dicta opinio supponit de clerico in minoribus: est autē quoad hoc eadē ratio de clerico in sacris, vt per se constat: ergo si tale matrimonium priuat minorem clericum beneficijs suis, cur non maiorē? nam reipsa non reddit illum magis incapacem, affectu autem, & attentatione æquales sunt. Minor autem patet ex rationibus factis pro nostra sententia, quæ generaliter probant de quocunq; clerico in sacris siue per ignorantiam, siue ex certa scientia contrahente. Imo ille prior minus priuādus videtur, quia minus peccat ratione ignorantiæ, quanquam fortasse aliquando ex ignorantia magis peccet, vt si sit ex errore pertinaci contra fidem. Nec video quid commode responderi possit, nisi fortasse ius canonicū nihil de hoc statuisset circa clericū in sacris, sicut statuit de clerico in minoribus. Sed cōtra hoc statim se offert obiectio, quia nunquam etiam inuenitur in iure statutum, vt clericus in minoribus sit priuatus beneficijs ratione matrimonij contracti ex vero consensu, etiamsi matrimonium illud nullum esse contingat.

17. Quamobrem solidior responsio mihi esse videtur in vniuersum concedere sequelam, atque adeo etiā in posteriori modo quo matrimonium est nullum ex impedimento ignorato, quantumuis clericus conatu suo contraheret coniugium, non priuari beneficijs, quæ fuit opinio Cardinalis in Clem. *Gratiæ*, de rescriptis q. 17. & aliorum quos refert Couarr. supra. Quantumuis enim cōtraria sentētia communior sit; tamen non video quo sufficiēti fundamento nitatur, quia hæc priuatio ipso facto oportet vt aliquo iure humano fiat, nam constat neq; ex natura rei, neq; ex iure diuino talem personā non esse incapacem beneficij propter illum actum: at nullum est Ecclesiasticū ius quod talem priuationem ipso facto inducat in eo casu: ergo. Probatur minor, nam si quod esset, maxime dict. c. 1. de Cler. coniug. nullum est enim aliud ꝙ huiusmodi clericos in minorib. priuet beneficiis suis: at vero ius illud non procedit in dicto casu, nec verba eius possunt ad illum adaptari. Quod patet dupliciter, primo quia illa verba, *Si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint vxores*, cum proprietate & rigore intelligenda sunt, ac restringenda cum materia sit odiosa: verè autem & in rigore non accepit vxorē qui matrimonium inualidum contraxit, quocunque ex capite nullitas contigerit: ergo.

18. Secundo, quia duo simul coniungit & præcipit Pontifex, scilicet, vt hi compellantur, & vxores retinere & beneficia relinquere: ergo quoties non possunt compelli ad vxores retinendas, non debent etiam compelli ad beneficia dimittēda, cum æqualiter vtrumq; præcipiatur: quoties autem matrimonium est nullum, non potest quis cōpelli (per se loquimur) ad vxorem retinendam, non enim est vxor: ergo non est priuatus beneficiis, imo nec videtur priuandus si nolit in matrimonio persistere, sed in suo ordine. Vnde argumētor tertio, quia quoties matrimonium est nullū, persona ex se nō manet inhabilis ad beneficia Ecclesiastica ratione status susceptī, quia reuera illum non suscepit, & ita cessant in tali persona rationes, ob quas ius illud latum est, scil. quia non potest quis seruire vxori & beneficio, &c. cum ergo etiā verba legis in rigore casum hunc non comprehendant, non potest ad illum verosimiliter extendi. Quarto denique, quia si in eo casu, quo per ignorantiā huiusmodi clericus contrahit matrimoniū nullum, priuatur beneficiis, non minus priuabitur, etiamsi contrahat sciens impedimentum; consequens est falsum: ergo. Sequelam concedit Couarr. supra cōtra Decium cons. 166. Et probatur, tum quia verba dicti cap. in vtrumque æqualiter cōueniunt: tum etiam, quia si respiciamus incapacitatem, in neutro inuenitur; si vero respiciamus culpam, ille peccat, qui sciens impedimentum contrahit, nō vero qui inculpabiliter ignorat. Minor autem probatur in fauorem Decii, quia ille qui sciēs impedimentum contrahit, nō potest habere voluntatem verè contrahendi, sed solum fictè, & exterius, cum sciat aliud hic & nunc impossibile: si ergo ille nihilominus priuaretur beneficiis, quicumq; etiam fictè contrahens & sine consensu priuaretur, quod est contra priorem partem ab omnibus receptam.

19. Veruntamen neq; differentia quæ hinc sumi potest, ex diuersitate affectus, & consensus contrahentis, eneruat difficultatē argumenti, aut sufficiens est ad reddendam rationem prædictæ sentētiæ; quia nō priuatur quis beneficiis propter affectum, vel propositum contrahendi matrimonium, sed propter matrimonium ipsum, vt cōstat ex verbis legis, & quando propositū est merè internum. Quod autem illud propositum coniungatur actui externo, existimato matrimonio, parum refert, si illud matrimonium nō est, cum eo ipso neq; verba, neq; rationes iuris in eo locum habeant. Et ob eandem causam non refert ꝙ ille actus procedat à vero affectu matrimonii, quia non satis est affectus verus, nisi sit etiam efficax: ille autem affectus non est efficax etiamsi ex parte personæ sit absolutus, quia lex impedit efficacitatem eius. Sicut in impubere consensus potest esse absolutus, quantum est ex parte eius, & nihilominus simpliciter est inefficax lege impediente: idem ergo dicemus de quolibet simili cōsensu. Et ideo ēt negandum est huiusmodi personā dum vult contrahere matrimoniū, etiā velle efficaciter renūtiare iuri suo, aut beneficio, quia sicut prior voluntas ratione impedimēti latētis redditur inefficax virtute legis, ita & posterior: nam cū hæc posterior non sit explicita, sed implicita, quatenus scil. in alia continetur, non est cur sit efficacior quam illa. Imo secundum moralem, satisq; rationabilem interpretationem videtur posterior includere conditionem efficacię prioris voluntatis. id est, ea lege & conditione videtur quis velle renūtiare iuri suo seu beneficio, dummodo verum statum matrimonii acquirat, quia non est verisimile ipsum velle vtroque commodo priuari, neq; est vlla lex canonica quæ illi imputet, vel in illo puniat talem voluntatem.

20. Vnde inefficax etiam est argumentum quod sumi potest ex cap. *eum qui*, de præbend. in 6. vbi qui vi, aut iniuste occupat beneficium curatū, ipso facto priuatur alio beneficio simili quod habebat, etiāsi posterius verè non acquirat. Hoc, inquam, argumentū inefficax est, tum quia est petitum à ralonge diuersa, & tale argumentum in materia pœnali & odiosa ex suo

genere inefficax est: tum etiam, quia in illo casu committitur graue delictum occupãdi iniuste & indebite Ecclesiasticum beneficium, in cuius pœnam merito aliud aufertur, etiamsi aliud non obtineatur. In præsenti autem casu nullum delictum cõmittit clericus in minoribus contrahendo, per se loquendo, & ideo hic nõ habet locum titulus ille, & causa priuationis, & ideo si etiam cessat incapacitas personæ, ob interuenientem nullitatem matrimonij, non video cur debebat cẽseri priuatus beneficijs, maxime cũ nullo iure sufficienter constet de huiusmodi priuatione.

21. *An nomine beneficii comprehẽdantur pensiones.*

Vltima dubitatio huic puncto annexa est, an nomine beneficij veniant in præsenti etiam pensiones, ita vt illis etiam priuandus sit clericus in sacris matrimonium contrahens. Quam quæstionẽ tractant doctores de clerico in minoribus contrahente matrimonium, & quoad pensiones, quę dantur titulo, & onere spirituali, omnes fatentur æquiparari quoad hoc beneficijs, quia huiusmodi pensiones non cõceduntur laicis, clericus autẽ coniugatus, quoad hoc tanq̃ laicus reputatur. Quoad alias vero pensiones, quæ nõ dantur titulo spirituali, est diuersitas opinionum. Nam Ludouic. Gomes in regula de Annali posse ssore q. 21. negat pensiones has vacare ipso iure propter matrimonium contractũ à clerico in minoribus, qa tales pensiones conceduntur laico, vt est communis sententia, pro qua plures auctores refert Couarr. supra n. 6. Qui nihilominus cõtrariam tenet sentẽtiam, quam dicit vsu curiæ confirmatam esse, solumq; excipi casum, in quo aliud constet de voluntate Pontificis, vt quia concedit pensionem laico propter defensionem Ecclesiæ, vel ex alia simili circumstantia. Quod etiam tradidit Nauar. de Oratione c. 21. nu. 53. & tenet etiam Gigas q. 54. de pensionibus. Greg. Lopez lib. 41. tit. 6. partit. 1. Qui omnes testificantur de cõsuetudine Romanæ curiæ, cui sine dubio standum est, etiamsi in rigore iuris talis pensio sub nomine beneficij Ecclesiastici non comprehendatur. Quanquã hodie post motum proprium Pij V. quo pensio quælibet secum affert obligationem recitandi preces B. Virginis, consequenter iam habet annexum aliquẽ spiritualem titulum, ratione cuius personæ laicæ ordinario iure dari non potest. Et hac ratione probabilius etiam est amitti per contractum matrimonij.

22. *Clericus in sacris contrahẽs matrimonium est priuandus etiam pensionib.*

Iuxta hanc ergo doctrinam cum proportione respondẽdum videtur ad quæstionem de clerico in sacris (de quo dicti auctores nihil speciale dicunt.) Hac seruata differentia, quod clericus in sacris non priuatur ipso iure pensionibus, sed ad summũ per iudicem priuandus sit. Veruntamen, quia in his rebus odiosis non est facile extensio admittẽda, nisi vbi vel ius vel manifesta ratio illam conuicerit, ideo in præsenti necessarium non est illam communem doctrinam, quę de minoribus clericis datur, in maioribus simpliciter admittere, quia caput *decernimus*, in quo solo hæc illorum pœna fundatur, tantum dicit, *beneficio Ecclesiastico careant*, & ideo in rigore iuris solum priuandi sunt illis pensionibus, quæ veniunt appellatione beneficij Ecclesiastici, vt sunt illæ quæ vel ob spiritualem titulũ dantur, in alijs vero consulenda esset propria consuetudo in modo puniendi hoc delictum. Nam cõsuetudo illa, quæ circa clericos minores seruatur, per se non satis est, nisi constet eandem ad clericos etiam in sacris deriuatam esse. Verum est iam nunc quamlibet pensionem censeri à modernis auctoribus dari spirituali titulo propter dictum onus recitandi horas Virginis, ex quo fit iam comprehendi sub nomine beneficij.

23. Tertia pœna, quæ propter hoc delictum imponitur, est irregularitas, vt sentiunt communiter supra citati auctores, pertinetque hæc irregularitas ad illam speciem bigamiæ, quæ similitudinaria dicitur, de qua, & de hoc casu in speciali in materia de irregularitate copiose disputatum est, tom. 5. in 3. partem disp. 49. sect. 4. Atq; huc etiam spectat, quod talis clericus deponi iubetur in cap. *Presbyter* 28. d. de qua pœna videri potest Abb. in cap. *Ai fi clerici*, de iudicijs, & Bernard. Diaz in Pract. cap. 74. alias 80. vbi ipse, quam Salzeolo alias explicant huius delicti pœnas, sed pro instituto nostro hæc sufficiunt.

24. Tertio dicendum est obligare hoc votum castitatis ad seruandam perpetuam & integram continentiam in omnibus actibus etiam alias iure naturę prohibitis. Conclusio est certa, & ab omnibus sine dissensione recepta. Ratio autem est, quia hoc votum non est tantum non nubendi, sed est absolute & simpliciter votum continentiæ, seu castitatis, vt constat ex omnibus auctoribus, & ex decretis Pontificum & Conciliorum supra adductis cum tota Patrum traditione, & ex communi sensu & consuetudine totius ecclesiæ, quę est optima legum interpres. Vtrum autem continentię non solum obligat ad abstinendum à matrimonio, sed etiã ab omni actu, & desiderio libidinoso, & castitati contrario: ergo. Vnde fit clericũ fornicantem, vel simile crimen committentem, non solum intemperantiam, sed etiam sacrilegium committere, vt in superioribus satis explicatum est. Hinc clerici in sacris incontinentes specialibus pœnis afficiuntur in iure. In quo tamen obseruandum est iura Ecclesiastica præcipue punire clericos cõcubinatos, vel pœna irregularitatis, vel saltem pœna suspensionis, vel propriæ, vel quæ ad illam reuocetur. De qua pœna late dictum est in materia de irregularitate, & de suspensionis censura, vbi etiam explicauimus quis proprie censeatur concubinarius, non enim omnes, qui semel aut iterum, imo nec qui frequenter labitur cum diuersis personis, concubinarius dicitur, sed qui ad hũc turpem vsum aliquam certam fœminã destinatam, & speciali amicitiæ fœdere cõiunctam habet, & cum ea prauam consuetudinem exercet, vt latius dicto loco. Pro alijs vero singularibus delictis, quæ hunc statum prauum non includant, etiamsi grauissima sint, non inuenio speciales pœnas Ecclesiastico iure impositas ipso facto incurrẽdas, præter eas, quas in materia de irregularitate, & suspẽsione, declarauimus. Quomodo autem similia delicta in clericis punienda sint ab Ecclesiæ pastoribus, explicant iuris canonici interpretes in cap. *fi clerici*, de iudicijs, & in c. *vestra*, & cap. *quæsitum*, de cohabit. cler. & mulier. & prosequuntur late Bernard. Diaz, & Salzedo in Practica criminali, à cap. 68. vsque ad 86. & videri potest Gratianus 81. d. c. *si quis clericus* cum sequentibus.

25. Ad huius deniq; obligationis integram obseruationem pertinet frequens ac diligens antiquorum canonum admonitio ac prohibitio, vt clerici vitent contubernia, & conuictum seu familiaritatem fœminarum. Sic Concilium Nicænum can. 3. nulli clericorum ait licere habere secum mulierẽ extraneam. Quod etiam statuit Concilium Elibertinum can. 27. & in Toletano II. c. 3. Tolet. IV. cap. 42. Hispalense I. can. 3. & Concil. Gerandense can. 7. quod specialiter loquitur de his clericis, qui sine coniugibus ordinantur. Item Concilium Illerdense c. 15. & Brachatense III. can. 5. vbi sola mater excipitur, ita vt nedum cum sororibus, vel propinquis cohabitatio concedatur, *Nelicentia* (inquit) *sororum, vel propinquarum mulierum familiarior habeatur ad patrandum scelus.* Quod exemplum omnibus clericis dedisse Augustinum refert Possidonius in vita eius; *nam quæ cum sorore mea sunt* (dicebat ille) *sorores meæ non sunt.* Cuius sententię meminit etiam Gregor. lib. 7. epist. 39. addens: *Dectiergo viri cautela magna debet esse nobis instructio.* Et multa alia de hac re congerit decreta Gratianus d. 81. d cap. *Clericus* 20. vsque ad finem: in quibus non solum cle-

habi-

habitatio, sed etiam omnis nimia vel suspecta familiaritas, & confabulatio cum fœminis, clericis prohibetur. & specialiter Lucius Papa, (vt Gratianus refert) vel potius Clemens epist. 2. *Clericus* (inquit) *ad fœminæ habitaculum solus non accedat sine maioris natu sacerdotis iussione: nec presbyter solus cum sola adiungatur, sed duobus adhibitis testibus visitet infirmam, nec solus cum sola fœmina fabulæ misceat.* Vnde etiam in Concilio Matisconensi I. can. 3. cautum est, *vt nulla mulier in cubiculo Episcopi, absq; duobus Presbyteris, aut certe Diaconis ingredi permittatur.* Et è conuerso in Concil. Epaunensi can. 20. tam Episcopis quam Presbyteris, &c. ad fœminas prohibetur accessus, nisi cum Presbyterorum, aut clericorum testimonio. Concilium autem Terraconense, c. 1. non solum de clericis, sed etiam de monachis & religiosis, nec de quibuscumque fœminis, sed etiam de sanguine proximis ita statuit. Cum ad earum visitationem pergunt, testem solatij sui fide & ætate probatum adhibeant secum.

16. Præterea non solum canones Ecclesiastici, sed etiam leges ciuiles hoc ipsum comprobarunt, vt in superioribus citatum est ex Iustiniano in Authent. de Sanctissimis Episcop. & idem habent leges Hispaniæ part. 1. tit. 6. lib. 37. & sequent. Per extraneas autem mulieres intelligunt hæc iura omnes illas, quæ non sunt sanguine cõiunctæ in aliquo gradu ex ibi annumeratis, sed quia in hoc inuenitur aliqua varietas, nã quædã iura excipiũt matrem solam, & auiam, quam excludi verisimile non est. Alia addunt propriam filiam virginẽ, ex priori scilicet matrimonio habitam, vt pareat ex dict. can. Concilij Elibertini, quod etiam requirit vt sit dicata Deo. Item solent aliquando excipere sororem, amitam, & materteram, ac denique aliquando omnes in secundo gradu consanguinitatis coniunctas: ideo in hoc standum est illi generali regulæ, vt omnes illæ prohibitæ intelligãtur, de quibus possit haberi suspicio: hanc enim regulam reuocatis prioribus canonibus amplectitur Gregor. IX. in c. 1. de cohabit. cler. & mulier. & Innoc. III. in cap. penult. eod. tit. ac tandem Concilium Trident. sess. 25. c. 14. de Reformatione. Quæ autem huiusmodi sint, prælatorum iudicio definiendum est. Pœnæ autem quæ propter transgressionem aliquam, vel scandalum, in hac parte dantur, plures imponuntur in prædictis decretis, quæ à Concilio Tridentino reuocantur, & aliæ addũntur, omnes tamen sunt ab Episcopis ferendæ, & ipso facto nõ incurruntur, vna excepta, quam Concilium addidit, scilicet, *Vt si à superioribus moniti ab eis senõ abstinuerint, tertia parte fructuũ, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum suorum quorumcunque & pensionum ipso facto sint priuati.* Probabile autem est necessariam esse sententiam declaratoriam, vt eam restituere teneantur: nam ibidẽ subditur, arbitrio Episcopi applicandã esse fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco. Ipsi autem Episcopo loco huius pœnæ imponitur suspensio ipso facto, si à Synodo prouinciali admonitus ab huiusmodi crimine non abstinuerit: quam censuram *to. 5. in 3. p. disp. 31. sect. 4.* declarauimus.

## CAPVT XIX.

### *Ad quid obligetur, vel quomodo peccet clericus qui post matrimonium in sacris ordinatus est viuente vxore.*

1. DVobus modis fieri potest huiusmodi ordinatio, scilicet, licite & illicite, hoc enim nec intrinsece malũ est, nec iure diuino prohibitum, vt est de fide certum ex Paulo 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 1. & ex alijs supra adductis c. 1. & 2. Neq; etiam Ecclesia ita hoc absolute prohibuit, quin seruatis debitis circũstantijs eodem iure Ecclesiastico declaratis licite fieri possit. Primo ergo, vt hoc licite fiat, necessariũ est, vt ex tali matrimonio irregularitas bigamiæ non sit contracta, nam tunc constat etiã mortua vxore ordines suscipere non posse, nedum ipsa viuente. Quibus autem in casibus talis bigamia vera & interpretatiua incurratur, tom. 5. in 3. partem disp. 49. late tractauimus. Secundo requiritur, vt ex consensu vxoris ordo suscipiatur, q̃ iam antiqui canones sæpe admonuerunt, vt supra vidimus, exigit enim hoc iustitiæ ratio, & votum emittendum in ipsa ordinatione, in ecclesia Latina, in qua clericis in sacris vsus propriæ vxoris prohibitus est, & absolutum votum castitatis emittitur, ad quam non potest coniugatus integre obligari sine licentia vxoris, neque etiamsi id facere tentet, id poterit licite obseruare. *Quæ requirantur vt licite ordinetur.*

Ex hac vero ratione intelligitur ab hoc onere eximi cõiugatum qui alio titulo vel liberatus est ab obligatione reddendi debitum, vel à vinculo etiam matrimonij alia via liberari potest, & vult. Exemplum prioris partis est quando iure, & auctoritate iudicis Ecclesiastici factum est perpetuum diuortium, argumentum c. *Agathosæ* 27. q. 2. vbi in casu adulterij ab vxore cõmissi, propter quod licet viro vxorẽ perpetuo dimittere quoad torum, ait Gregorius, licitũ esse eidem viro solemne votũ in religione profiteri inuita vxore: ergo à fortiori idẽ dicendũ est de voto solemni ordinis sacri, quia nec per tale votum fit aliqua iniuria vxori, & alioqui votũ ipsum omni ex parte seruari potest, cum iam non sit vlla obligatio reddendi debitum coniugale; neq; in tali viro est aliquid aliud quod cum ordine sacro repugnet, cum maritalem vitam cum vxore agere nõ teneatur. Et ita indicat Syluester verbo *Diuortium*, q. 13. & 16. his adiunctis quæ tradit verbo *Matrimonium* 8. q. 12. dict. 4. Clarius Soto in 4. d. 38. q. 1. art. 2. Palacios d. 37. disp. 2. 2. *Excipiũtur duo casus, in quibus inuita vxore quis ordinari potest.*

Exemplum alterius partis est si matrimonium nõdum est consummatum, & aliquis ad hoc sumit ordines, vt religionẽ ingrediatur, qua ad hoc habet ius, & facultatem ab Ecclesia, & illo modo potest liberari omnino ab onere matrimonij, & solemne castitatis votum integre seruare. In eo autem casu tenebitur post ordinationẽ non solum religionem ingredi, sed etiam illã profiteri, quia, vt licite talẽ statũ assumat, & votũ illi annexum emittat, necessariũ est vt sub hac intentione id faciat, vt superius tactum est, quia iam non potest alio modo voto, & statui per ordinationẽ assumpto satisfacere, sicut etiã diximus in alio casu, quando è conuerso contingit vt aliquis post castitatis votum matrimonium ratum contrahat, necessariũm esse vt habeat intentionẽ se obligãdi ad religionem. Sicut aũt ibi diximus factum illud moraliter esse periculis expositum, & ideo quoad fieri possit vitandum esse, & non nisi magna ex causa, multisq; obseruatis circumstantijs esse faciendum, ita etiã in præsenti dicimus, qui matrimonium ratum contraxit, si vxore inuita ordinari velit, & matrimonium nõ consummare, debere prius, regulariter loquẽdo, religionem ingredi, & in ea profiteri. Supponimus enim per sacram ordinationem non dissolui matrimoniũ ratum iuxta Extrauag. *Antiquæ*, Ioan. XXII. de voto; ordinari vero animo retinendi semper vinculũ matrimonij, licite fieri non potest, quia si id fiat animo cõsummandi matrimoniũ, est contra votũ castitatis: si vero fiat animo non consummandi, est contra iustitiam, vt statim dicemus; vt ergo tale votum fiat licite, necesse est vt tale matrimoniũ dissoluatur: ergo moraliter etiã necessarium est, vt talis dissolutio antecedat, q̃ fit per professionẽ; nam si antecedat ordinatio, periculũ esse põt vel alicuius impedimenti, ob quod non possit religionẽ profiteri, vel alicuius mutabilitatis, ob q̃ à proposito desistat, & matrimonium consummet, atq; ita non solũ votũ violet, sed etiã perpetuo inhabilis reddatur ad vsũ sacri ordinis suscepti, &

ad integram obseruantiam castitatis. Nihilominus tamen non censeo intrinsece malũ ordinari prius cũ prædicta intentione ingrediẽdi religionem, si & moralis necessitas occurrat immutandi hunc ordinem, quod non repugnat, & considerata conditione personæ nullum sit periculũ, sed moralis certitudo profitendi religionem, quod iuxta dicta in loco proxime citato explicandum, & probandum est.

4. *Obiectio.* Obijci vero potest, nam esto hoc non sit ex natura sua intrinsece malum, videtur esse per canones prohibitum c. *coniugatus*, de Conuers. coniugat. *Nullus coniugatorum*, ait, *est ad sacros ordines promouendus, nisi ab vxore continentiam professente fuerit absolutus.* *Responsio.* Respondeo hanc legem & similes esse intelligẽdas in rigore post matrimonium consummatum, nam generalius loquendo, dictum est in cap. vlt. de tempor. ordinat. in 6. non esse ordinationem tribuendam *coniugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros ordines promoueri, prout est à sacris canonibus definitum.* Vbi prior pars posita est propter cõiugatum per solum matrimonium ratũ, posterior vero propter eum, qui iam matrimonium consummauit, & ideo in illo specialiter addita est illa correctio, *secundum sacros canones*, quia illi non absolute licet ordinari, sed obseruatis circumstantijs indicatis in dict. cap. *coniugatus*, ingredienti autem religionem simpliciter licet. Expendo autem textum illum non dixisse, *religionem ingresso, aut professo*, sed *volenti ingredi*, quę verba in rigore illum cõprehendunt, qui habet intentionem ingrediendi religionem. Verum est textum illum loqui de prima tonsura, quæ facilius dari potest huiusmodi coniugato cum solo proposito religionis ante executionem eius, tamen licet de superioribus ordinibus non ita expresse id concedatur, neq; etiam prohibetur, sed potius permitti videtur. Quia vero res est grauis & publica, in qua necesse est Ecclesiæ satisfacere, ideo existimo necessariã esse Episcopi scientiam & approbationem.

Tertio præter consensum vxoris necessarium est, 5. *Dubitatio, an sufficiat profiteri castitatem simplicem, an requiratur, solemnem in religione profiteri.* vt ipsa etiam continẽtiam profiteatur. ita est expresse statutum in dict. c. *coniugatus*. Habet tamen dubiũ inprimis de qua professione castitatis intelligendum id sit, an scilicet sufficiat votum simplex, vel necessarium sit religionem ingredi. Et est ratio dubitandi, quia verba illa indifferentia sunt ad vtrumque votũ: ergo non est cur ad maius, seu rigorosius votum limitetur. In contrarium autem est, quia regulariter non potest vir profiteri religionem etiam ex consensu vxoris: nisi ipsa etiam religionem ingrediatur, c. *ad Apostolicam*, & c. *vxoratus*, & c. *cum sis*, de conuers. coniugat. vbi solum excipitur casus quando vxor ita est senex & sterilis, vt sine suspicione possit in seculo manere. Et tunc etiam ab ea exigitur vt castitatem promittat.

Propter has rationes Doctores diuisi sunt, nã quod 6. *Prima sententia affirmat sufficere votũ simplex.* sufficiat votum simplex, tenent glossa in c. *quia sunt*, verbo *nec religiosam*, d. 28 quæ citat c. *Episcopus* d. 77. v. bi Concilium Agathense sic habet, *Si coniugati iuuenes consenserint ordinari, vxorum voluntas requirenda est, vt sequestrato manifestis cubiculo religione promissa ordinentur.* Vbi glossa exponit, *religione*, id est, castitate, & videtur expositio textui consentanea, & c. *seriatim* d. 32. Eandem opinionem insinuat Angelus verbo, *matrimoniũ* 4. n. 8. vbi nec votum continentiæ requirere videtur, sed intelligi debet de solẽni, quia statim requirit votum absolute. Idem significat Abbas antiquus in c. *expublico*, de conuers. coniug. vbi apparentem rationem differentiæ assignat inter casum religionis, & sacri ordinis: nam vir religiosus factus nõ tenetur amplius curam vxoris habere, nec illi prouidere, aut illã corrigere, & ideo merito prouidit Ecclesia vt ipsa etiam religionem ingrederetur: vir autem manens in seculo ordinatus, in sacris tenetur curã habere vxoris, & illam corrigere si necesse sit, & illi etiam prouidere, vt supra explicuimus canonem 5. alias 6. Apostolorum, & colligitur etiam ex Concilio Toletano I. c. 7. habetur in cap. *placuit* 33. q. 2. & ex cap. *omnino* d. 31. & ideo ad suscipiendum ordinem sacrum non cum tanto rigore postulatur, vt vxor seculum deserat. Præterea potest pro hac parte sumi argumentum ab speciali ex cap. *Sane*, de conuers. coniugat. vbi idẽ Alexand. III. specialiter statuit, *Vt coniugatus Episcopus non ordinetur, nisi vxor prius professa continentiam sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumat.* Cum ergo in Episcopo post professionem specialiter declaret illam professionem futuram esse in statu religionis, signum est in alijs ordinibus sacris infra Episcopatum hoc nõ requiri, sed quamcunq; professionem castitatis sufficere. Deniq; addi potest cõgruentia ex illo textu in integra, & ex d. c. *ad Apostolicam*: nã quia vir & vxor per copulã efficiuntur vna caro, ideo (inquiunt illa iura) non potest vna pars conuerti, nisi alia conuertatur: ergo quando vir ita conuertitur, vt religiosus fiat, merito postulatur in vxore similis cõuersio ad religionem, vel etiam quia Episcopatus est status perfectionis, merito quando vir fit Episcopus, petitur vt vxor statum perfectionis assumat, quę potest; si ergo vir in seculo maneat, & sine statu perfectionis cum solo voto castitatis, vt contingit etiam in sacerdote, & infra, non est cur ab vxore postuletur, vt seculum dimittat, sed satis erit illi per simplex votum continentiæ se Deo dicare. Sicut etiam cõmuni consensũ absq; ordinatione sacra possunt separari, & simplex votum castitatis emittere. c. *quod Deo* 33. q. 5. Nam quod ad votũ viri ordo sacer accedat, parum videtur referre, quia nõ propterea aut periculum vxoris maius est, aut necessaria est maior obligatio castitatis.

Alij vero auctores censent votum solemne sacri 7. *Sententia affirmans votum solemne requiri.* ordinis æquiparandum esse in hoc voto solenni religionis, atq; ita dict. c. *coniugatus* interpretandum esse iuxta alia iura quæ de religiosis loquuntur, scil. vt vir possit ad sacros ordines assumi necessarium esse vxorem religionem ingredi, vel sit adeo senex, vt sine suspicione possit in seculo manere, & castitatem profiteri. Pro hac opinione citatur gloss. in dict. c. *cõiugatus*. Sed illa quamuis pro vtraq; parte rem disputet, nihil satis definit, & in rigore potius in priorem sententiã inclinare videtur. Tenent vero hanc opinionem Hostiens. Panormitan. & alij ibi, & Calderinus in cap. *ex parte*, eod. tit. Abbas etiam in cap. 1. eodem tit. Couarr. in 4. 2. p. c. 6. §. 3 n. 3. Syluest. verbo *Matrimoniũ*, 8. q. 12. dict. 4. Soto, d. 38. q. 1. art. 2. & 27. d. q. 2. art. 5. indicat Palacios in d. 25. disp. 5. circa 3. conclus. qui tamen videtur requirere, vt ambo ingrediãtur religionem, quod non est necessariũ, vt per se constat. Fundamentum huius sententiæ sumitur ex prædictis iuribus, nam licet illud c. *coniugatus*, absolute requirat professionem castitatis, eam tamen intelligendam reliquit secundum ordinariam iuris dispositionem, quæ in alijs decretis satis explicata est. Quod autem illa loquantur de illo casu, in quo vir religionem ingreditur, materiale quid est, nam in vtroque casu est eadem ratio, & necessitas postulandi in vxore professionem castitatis. Imo in casu ordinationis sacræ videtur esse maior necessitas, vt vxor in posterum secura sit, non solum ab alijs, sed etiam ab ipsomet viro, qui ad illam in seculo manentem posset facilius accedere, & difficilius ab illa posset repelli. De quo legi potest notabile exemplum apud Greg. Turon. lib. 1. historiæ Francor. cap. 44.

Et ideo differentię assignatæ ab antiquo Abbate 8. non satisfaciunt: quibus addere possumus voluisse forte iura liberare virum ordinandum sacerdotem hoc onere zelandi, & custodiendi castitatem vxoris suæ, quod sine dubio esset grauissimum, multumque posset

posset illum distrahere à sacro ministerio, si vxor relinqueretur iuuenis, & in seculo. Nam licet aliquando talis possit esse persona, vt etiam in ea ætate omnem excludat suspicionem propter morum probitatem, & alias circumstantias, tamen res hæc incerta est & lubrica, multoq; magis perseuerantia in illa, & ideo iura noluerunt hoc arbitrio vniuscuiusque relinquere, sed generalem regulam instituerunt, solumq; exceperunt casum, in quo ipsa ætas omnem excludit suspicionem, & tunc etiam voluerunt emitti votum castitatis à coniuge, vt vterq; coniux cõsecretur Deo. Quæ exceptio etiam habet locum quando vir religionem ingreditur, quia secluso periculo incõtinentiæ quoad hoc iura non discernunt in hoc quod professio fiat per votum simplex vel solemne castitatis; periculum autem solum ex ætate imminet. Tantum in Episcopo propter eius dignitatem non admittunt illam exceptionem, sed volunt vxorem ingredi religionem, cuiuscunque ætatis sit, & hæc est specialitas quæ fit in Episcopo, vt Angelus, & Couarr. & alij notarunt.

9. Inter has ergo sententias, hæc posterior mihi vera videtur, est enim multum consentanea rationi, & optimæ prouidentiæ, nihilq; discedit à rigore iuris, sed optime illud explicat, & satisfacit omnibus difficultatibus in contrarium, vt ex dictis in eius confirmationem satis constat. Quibus addo ex dict. cap. *coniugatus*, hanc sententiam sufficienter probari, si totum illud prout in integra lectione continetur, inspiciatur. ita ergo habetur textus ille in Concil. Lateran. sub Alexand. III. p. 5. c. 6. & apud Antonium Augustinum collect. 1. tit. 28. c. 5. *Coniugatus in*, vel *ad monasterium conuerti desiderans, suscipi prohibetur, nisi vxor illius similiter conuertatur, nam dum vnum vtrorumque corpus post coniugii copulat onem fit factum, incongruum est partem conuerti, & partem in seculo remanere, nec recipitur à Deo illius viri conuersio cuius sequitur coniugalis fœderis prostitutio. Cum igitur senatus Sanctorum clericorum longe præemineat cœtus monachorum, ita vt aliquando bonus monachus vix bonum clericum faciat: nullus coniugatorum est ad sacros ordines promouendus, nisi ab vxore continentiam professa fuerit absolutus.* Ex quo toto cõtextu manifestum est eandem conuersionem vxoris requiri, vt vir possit in sacris ordinari, quæ requiritur vt monachus fieri possit, & in iure hæc duo æquiparari, imo quasi à minori, seu à fortiori à monachatu ad clericatum argumentum sumi. Quando ergo hæc tria, quæ explicata sunt, concurrunt, licite ordo sacer suscipitur à coniugato, & consequẽter licite etiam solemne votum castitatis emittitur: deficiente autem aliquo ex dictis, vtrumq; illicite fit. In vtroque autem modo obligatio voti contrahitur, non tamen omnino eadem, quod superest explicandum.

10. Primo ergo quando coniugatus licite ordinatur in sacris, eodem prorsus modo, & cum eisdẽ effectibus obligatur voto castitatis, ac si ante matrimoniũ ordinatus fuisset. Probatur, quia in primis per talem ordinationem fit inhabilis ad matrimonium: nam licet viuente vxore esset inhabilis ad ducẽdam aliam, tamen per ordinationem nouo titulo inhabilis fit, propter quod etiam mortua vxore aliam ducere nõ poterit, vel si prius matrimonium tantum fuerat ratum, & non consummatum, & ideo cõtingat vinculum ipsum dissolui per professionẽ vxoris in religione approbata: nihilominus ipse non poterit valide matrimonium contrahere. Deinde tenetur integram continentiam seruare non solum cum omnibus alijs, sed etiam cum ipsa vxore, nec tantum non petendo, sed etiam non reddendo debitum, etiamsi illa petat, vt statim dicetur: ergo habet omnem obligationem, quam haberet si ante matrimonium simile votum emisisset. Ratio autem est, quia in re idem est votum, & nihil est quod impediat perfectam eius obligationem, cum licite factum sit, & vxor renuntiauerit iuri suo, quam renuntiationem vir acceptauit, & voto firmauit, imo & Ecclesia illam probauit, & prohibitione sua irreuocabilem fecit; ergo tale votum absolute obligat ad omnem castitatem, & ad negandum debitum, quantumuis vxor petat.

11. *Dubitatio, an possit cohabitare cum vxore secluso toro.*

Solum potest dubitari, an liceat huiusmodi clericum cohabitare cum vxore, & vti omni eius ministerio, tanquam sorore, secluso toro. Nam in c. *volumus* 81 d. Gregorius Papa permittit huiusmodi cohabitationem cum vxore, *quæ caste* (inquit) *regenda est*. Et in Concilio Agathensi can. 16. & in Lateran. sub Alex. III. p. 5. c. 7. solum dicitur, *sequestrato mansionis cubiculo*, quod recte stare potest cum cohabitatione in eadem domo, vt aduertit gloss. in cap. *Episcopus* 77. d. Quapropter non videtur habere locũ responsio, seu resolutio eorum, qui dicunt, quando vxor est senex, posse sacerdotem habitare cum illa, quia nullum est periculum, nec suspicio, secus verò esse quando vxor est iuuenis, propter contrariam rationem. Quod sentit glossa in d. c. *volumus*, & Panorm. in dict. c. *coniugatus* n. 5. Hæc, inquam, responsio locum non habet, iuxta dicta iura, quia cap *Episcopus*, seu Concilium Agathense, loquitur expresse de iuuenibus, & Gregorius in d. c. *volumus*, indifferenter loquitur, & æquiparat vxorem sororis: soror autem etiamsi esset iuuenis, domi poterat retineri. Ego censeo quæstionem hanc vix hoc tempore habere locum, si iura seruentur, & considerentur quæ diximus. Quia si vxor sexagenaria nõ sit, & extra omne periculum, & suspicionem, profiteri debet religionem, vt maritus ordinetur, quare iam cohabitare non poterũt: si autem iam vxor sit senex, & extra omnem suspicionem, tunc profecto non videtur dubium quin possit cohabitare cum illa, iuxta regulam superius positam in fine capitis præcedentis. Sed licet hoc in rigore verum sit, optimũ tamen consilium est ab huiusmodi cohabitatione abstinere, tũ propter exemplum, tum propter qualecunque periculum, etiam leuioris incendij, vel libidinis. De quo videri potest exemplum optimum apud Gregor. lib. Dialogor. cap. 11.

12. *Difficultas, quale peccatum sit, & quã pœnam incurrat, si cognoscat vxorem.*

Tandem inquiri hic potest, quale peccatum sit si huiusmodi clericus sic ordinatus in sacris vxorẽ suã cognoscat, & quam pœnam propterea incurrat. Circa priorem partem distinguendum est, an matrimonium, quod præcesserit, fuerit ratum tantum, vel etiã consummatum. Et si prioris generis fuit, considerandum etiam est, an fuerit iam solutum quoad vinculũ, per solemnem professionẽ vxoris, necne: nam si iam fuit solutum, perinde se habet, ac si non præcessisset, vnde perinde peccat, ac si cũ quacumq; alia moniali peccaret, nam circumstantia illa quæ præcessit, nec augere videtur, nec minuere notabiliter delictum. Si autem vxor nondum religionem professa est, committitur quidẽ sacrilegium, vel ratione voti proprij, vel ẽt ratione voti simplicis, si ab vxore iam emissum est. Propria autẽ malitia fornicationis ibi locum non habet, quia cum vinculum non sit solutum, accessus ille non est ad non suam. Et ita colligitur ex c. *litteras*, de filijs Presbyt. Vnde fit, vt filij ex tali matrimonio nati in rigore, seu ex natura rei, vt sic dicam, non sint illegitimi. An vero secundum canonicum ius tanquã illegitimi habeantur quoad irregularitatem ad ordines suscipiendos, tractatur à Doctoribus in dict. cap. *litteras*, & in materia de irregularitate satis de hoc diximus. Et quoad hanc partem idem iudicũ est quando matrimoniũ ante ordinationẽ, non solum ratũ, sed etiam consummatum fuit. Solum est differentia, quia tunc quamuis vxor religionem fuerit professa, semper vinculũ matrimonij integrum manet, ideoq; intra latitudinẽ intemperantiæ non habet eandem

rationem malitiæ, multum tamen crescit in malitia sacrilegij ob circumstantiam vtriusque personæ Deo consecratæ, & specialiter desponsatæ. Quoad alteram vero partem de pœna, nullam inuenio, quæ ipso iure incurratur, tamen si vxor monialis iam effecta sit, deponendus erit ipse maritus, non minus quam quilibet alius sacerdos ad illam accedens: si autem adhuc sit secularis cum simplici voto castitatis, non inuenio certam pœnam, sed arbitrio iudicis erit puniendus, tanquam is qui grauem incestum, vel potius sacrilegium committit. De quo videri potest Bernard. Diaz in Practica cap. 81. 84. & 87.

13. *Qui sine consensu vxoris illicite ordinatur, ad totam castitatem obligatur, nisi ad reddendum debitum petenti.*

Secundo dicendū est, eum, qui illicite & sine consensu vxoris sacrum ordinem suscepit, quamuis graviter peccet in eo facto, nihilominus ad continentiā integre seruādam obligari, præterquam ad non reddendum debitum vxori petenti. Tota assertio certa est, & communis. Ratio autem primæ partis est, quia licet Ecclesia prohibeat talem ordinationem, nihilominus quia irritare illam nō potest, sed facta tenet, merito vult vt talis persona quantum iuste potest ad continentiam obligata maneat: potest autem in omnibus, præterquam in negatione debiti, & ideo ad omnia obligatur. Itaque & inhabilis redditur ad matrimonium, etiā mortua vxore, & ab omni actu turpi specialiter est prohibitus, & à suamet vxore coniugale debitum petere non potest, nam ad hoc se potuit obligare. Et hinc probata manet altera pars, de qua videri possunt Palud. in 4. d. 37. q. 1. art. 1. & Soto d. 38. q. 1. art. 1. Sy uester & Angelus locis citatis, Couarr. supra, & alij Canonistæ in cap. 2. de Cleric. coniug. argument. c. *quidam*, de conuers. coniugat. & expressius in Extrauag. *Antiquæ*, ex qua habetur clericū in eo casu licite reddere debitum, etiamsi matrimonium prius tantum esset ratum, quia non fuit per ordinationem solutum. Ratio autem est, quia vxor sine culpa, vel voluntate sua non debet suo iure priuari. In eo autem casu sic ordinatus suspensus manet, vel potius irregularis, vt habetur expresse in dict. Extrauag. *Antiquæ*, de voto. quæ prohibitio videtur imposita & in pœnam prioris delicti suscipiendi ordinē sacrum in debito modo, & propter decentiam sacri ministerij, quod in Ecclesia Latina non conceditur ei, qui ex necessitate, vel debito coniugij vlum habere cogitur. De Græcis vero alia ratio esset, iuxta superius dicta, & iuxta cap. *olim*, de Cleric. coning. vbi videri potest Panormitan. An verò præter dictam irregularitatem alias pœnas incurrat cōiugatus hoc modo suscipiens ordines, tractat Simanc. de Cathol. institit. tit. 40. num. 14. & Salzedo ad Bernard. in Practica c. 80. lit. B. & resolutio est ipso facto nullam aliam incurri, posse tamen per Ecclesiasticos iudices imponi, & existimo futuram esse arbitrariam, quia in iure nulla specialis designata est.

14. *Dubitatio, an teneatur reddere debitum, si vxor sciens non reclamauit.*

Sed quid si vir accepit ordinem, sciente vxore, & non reclamante, quamuis expresse non consenserit, nunquid tunc cogēdus est debitū reddere, vel ita est de illo iudicandum, ac si vxor consensisset, quia tacite id fecisse videtur? Circa hoc Paludan. dict. art. 1. concl. 3. dicit in eo casu vxorem obligari ad cōtinentiam, quia non contradixit: in quo significat, virum non obligari ad reddendum debitum. Addit tamē in eo casu nō esse obligandā vxorem ad vouendū continentiam, quia vouere nō est res præcepti, sed cōsilij. Alij vero opinantur in eo casu teneri ad vouendam castitatē, & cogi posse. Quia, ex quo obligatur ad seruandam illam, iuxta modum ab Ecclesia præscriptum, nam ex eodem Ecclesiæ præcepto vtraque oritur obligatio, Ecclesia vero præcipit vxorem seruare castitatem vouendo illam.

15. Ego vero existimo in eo casu ad neutrum teneri. Et in primis si ad seruandam castitatem non tenetur, clarum est, neq; ad vouendum teneri, quia non est vnde talis obligatio nascatur, cum, per se loquendo, tale votū præcipi non possit. Quòd autem etiā ad castitatem seruandam non sit vxor obligata, probatur, quia in eo casu potest repetere virum suum, & ab illo exigere debitum. Quod tenet expresse Angelus verbo *Matrimonium* 4. n. 12. & Syluest. *Matrimonium* 8. q. 12. d. 4. citant c. *consultis*, de conuers. coniug. ex quo id elici potest, iuxta quendam intellectum illius textus satis receptum: nam in eo non exprimitur quomodo vxor consenserit religiosæ professioni sui viri, de qua ibi sermo est, tamē quia dubitatio, quæ ibi proponitur Pontifici, solū fuit, an mortua vxore potuerit vir religione dimissa aliā ducere, ideo supponi videtur, viuēte priori vxore potuisse ab ipsa reuocari, ea vero dissimulante, permissum esse in religione manere. Iuxta hunc ergo probabilē sensum recte colligitur ex illo textu, etiamsi vxor sciuerit, & non contradixerit professioni viri; nihilominus non cogi ad castitatem seruandam, sed posse virum suum petere: ergo idem dicendū est in nostro casu, quia, vt probatum est, votum religionis & sacri ordiois, quoad hoc, æquiparantur. Alia vero sunt iura quæ à fortiori hoc clarius probant, quæ statim adducam. 16.

Ratio vero reddi potest, quia licet vxor taceat, nō propterea consentire videtur. Et quidem si fortasse ex timore, vel ignorantia ita se gerat, res est manifesta, quia hæc causant inuoluntarium, & patet à fortiori ex capite *accedens*, & capite *veniens*, de conuers. coniug. Veruntamen, etiam si propter negligentiam, vel quamcunque humanam rationem contradicere omittat, non propterea censetur consentire: quia nec res est sibi fauorabilis, neq; aliquo speciali iure contradicere tenetur; cum autem regula iuris 43. in 6 dicit, *Qui tacet consentire videtur*, oportet vt alteruter ex dictis conditionibus intercedat, quia cum illa voluntas tantum sit præsumpta & interpretatiua, fundari debet vel in eo quod res est fauorabilis, quia vnusquisq; præsumitur velle commodum suum, vel in obligatione contradicendi, si non consenut, quia tūc vel qui non resistit cum teneatur, & possit, indirectè censetur velle & consentire; vel si consentiendo cuitat culpam, eo ipso præsumitur non male agere, sed consentire. At in præsenti nullus est fauor, vt per se constat, neque etiam ostēdi potest lex canonica, quæ obliget vxorem ad contradicendum expresse in eo casu: ergo non est cur censeatur consentire, ex eo solum quod non contradicit, sed solum non se defendere, licet patiatur iniuriam. Sicut enim in regula iuris 44. in 6. dicitur, *Qui tacet non fatetur, sed nec vtique negare videtur*. Si autem vxor tunc non cōsensit ordinationi mariti, non est vnde possit ad cōtinentiam obligari. Quare in eo etiam casu existimo manere sic ordinatum irregularem ex tali facto, quia illicita fuit talis ordinatio, sine consensu vxoris, cui talis irregularitas annexa est in dict. Extrauag. *Antiqua*. 17.

Addo vero præterea, licet vxor expresse consentiat, si non id faciat profitendo, seu vouendo castitatem, non teneri postea ad castitatem seruandam, neque ad id cogi posse, sed si suum virum repetat, non esse illi negandum. Hoc colligo ex cap. 1. de conuers. coniugat. vbi casus est de viro profitente religionem de licētia vxoris quæ castitatem non vouit, & quæritur an ille possit reuocari ad torū vxoris, vel illa cogenda sit castitatem seruare. Respondet Pontifex, si vxor non promiserit castitatem, virum posse & debere illi restitui. Intelligit autem, *nisi promiserit*, id est, si promittere noluerit, vnde in ipso Concilio Lateran. sub Alexandro III. p. 5. cap. 4. additur, *Veruntamen vxor commonenda est, & propensius exhortanda, vt ad religionem transeat, & castitatem seruare promittat.* Ergo non est hoc opus necessitatis, sed consilij, & admo-

admonitionis. Idem colligitur à contrario sensu ex capite *veniens*, eodem tit. quod etiam loquitur in casu professionis: sed iam sæpe dictum est, hæc duo æquiparari in iure quantum ad præsens attinet. Ratio vero reddi potest, quia eo ipso quod conuersio, vel ordinatio viri facta est sine voto vxoris, non est facta secundum formam & modum sacris canonibus præscriptum, & ideo & illicite facta est, & non obligat vxorem ad perpetuam castitatem, quia Ecclesia non vult illã obligare, nisi per voluntariam promissionẽ eius, vt ex dictis iuribus manifestum est. Hanc vero partem limitant Angelus & Syluester supra cum Panormitano, vt procedat quando vxor, quæ dedit licentiam, ignorabat ius: nam si illud sciebat, inquiũt, dando licẽtiam censetur vouere. Sed hoc nõ probo, tũ quia ius in hoc non distinguit; cur ergo nos distinguemus, aut præsumemus quod ipsum nõ præsumit? tum etiam, qui si sciat integrum ius, hoc ipso sciet ius ipsum eam non obligare, nisi expresse promittat, & ideo potius præsumetur dare licentiam non vouendi, quia non vult se obligare; sed de hoc plura infra tractando de professione religionis.

## Caput XX.

### *Vtrum in votum ordinis sacri cadere possit dispensatio.*

1. Quinam negent posse dispensari in voto ordinis sacri.

Auctores qui dixerunt castitatem, seu cœlibatũ iure diuino esse annexum sacro ordini, consequenter negarunt esse in ecclesia etiã in summo Pontifice potestatem dispensandi in huiusmodi castitate præsertim quoad impedimentum ducendi vxorem. Ita senserunt Maior in 4. d. 24. q. 2. Clitouæus lib. de continẽtia sacerd. c. 13. Turrian. li. 2. de Dogmat. charact. & Medina li. 5. de continentia sacerd. c. 100. Ratio est, quia inhabilitas iure diuino introducta non potest per Ecclesiam auferri, sicut non potest ecclesia fœminã habilitare ad ordines, quia iure diuino inhabilis est. Si ergo sacer ordo hominẽ facit inhabilem ad matrimonium ex diuina institutione, non poterit Ecclesia talẽ personam reddere habilẽ per dispensationem. Et quia persona inhabilis ad matrimonium, consequenter est inhabilis ad honestum vsum eius, fit consequenter, vt qui in illo priori dispensare non potest, i. e. in vinculo, neq; in posteriori, id est, in vsu dispensare possit, quod consequẽter procedet quoad vsum, etiamsi contingat vinculum matrimonij ante ordinationem præcedere, quamuis in hoc vltimo non omnino conueniant dicti auctores.

2. In hac sententia primum disputari posset de illatione: non enim desunt qui existimẽt aliquas esse irregularitates iure diuino introductas, quę nihilominus possunt aliquãdo ex grauissima causa per Ecclesiam dispẽsari. Et similiter præcepta aliqua diuini iuris aliquando recipere dispensationem, si talia sint vt ad primaria Ecclesiæ fundamenta non pertineant, qualia sunt substantia sacrificij, & sacramentorum, Monarchia Ecclesię, & similia, sed solum spectent ad maiorem decentiam, & religionem, quale est illud, de quo agimus, quia inferior interdũ potest dispensare in lege superioris per potestatẽ ab eo acceptam, de qua potestate potest in præsenti ex tali traditione cõstare. Sed quia hæc materia generalior est, breuius & facilius in præsenti dicitur, sententiam illam niti falso fundamento, vt supra visum est.

3. Dicendum ergo indubitanter est, votum solenne continẽtiæ annexum sacro ordini per Ecclesiam dispensari posse, tum antecedenter, tum etiam consequenter. Conclusio est cõmuniter recepta, etiã ab illis auctoribus, qui negant solenne votũ religionis esse indispensabile, vt patet ex D. Thom. hic art. 11. vbi Aragon & alij Soto lib. 7. de Iustitia q. 4. art. 2. & q. 5. art. 2. & q. 6. art. 2. & in 4. d. 38. q. 1. art. 1. Idem tenẽt à fortiori omnes qui tenent votum solenne religionis esse dispensabile, quos infra referemus. Idem tenet glossa in c. *de illo* 32. d. & communiter scribentes in c. *non est*, de voto, Couarr. 1. p. 4. c. 6. §. 3. Castro contra hæreses, verbo *Sacerdotium*, Caiet. d. art. 11. & tom. 1. Opuscul. tract. 27. Ratio sumitur ex opposito fundamento, quod totum hoc impedimentum sit ex institutione Ecclesiæ, in qua, etiamsi Apostolica sit, potest ipsa Ecclesia per supremam suam potestatem, quæ in summo Pontifice residet, dispensare.

4. Vt autem modus, & ratio in tali dispensatione seruanda declaretur, proposui in assertione illas duas particulas, *antecedenter*, & *consequenter*. Duobus enim modis potest hæc dispẽsatio concedi. Primo permittendo alicui, vt in sacris ordinetur non vouendo castitatem, & consequẽter nec contrahendo impedimentũ aliquod ad matrimonium: & hoc voto antecedenter dispẽsari in hoc voto castitatis. Consequẽter aũt dicetur fieri, si cũ eo, qui ordinario iure suscepit ordines, & solenniter vouit, & ad matrimonium inhabilis est, dispẽsetur, vt matrimonio ligari, vel vti possit. Vterq; ergo modus possibilis est, cum aliqua tamẽ diuersitate. Nam prior & clarior, & facilior est. Clarior quidẽ, quia tota obligatio, quæ in ordinãdo antecedit ad vouendũ, est merè ex Ecclesiastico præcepto: manifestum est autem talem obligationẽ posse per summum Pontificem auferri. Rursus inhabilitas ad matrimoniũ in præsenti nõ contrahitur ex Ecclesiæ intẽtione, nisi mediante hoc voto: ergo auferendo obligationẽ vouendi, cõsequenter facit ne tale impedimentum incurratur. Quod si hoc impedimẽtum cõsideretur quatenus immediate virtute legis absq; interuentu voti potest, & aliquãdo solet inferri, clarum etiã est posse per dispensationẽ impediri. Facilioręetiam dico esse hanc dispensationẽ, quia cum sit tantũ in iure humano, etiamsi requirat iustã causam, vt licite cõcedatur, erit tamẽ valida, quãuis debita ratione careat, suppono enim hanc esse naturam, seu generalẽ rationem dispensationis in lege humana, quãdo ab eo datur, qui supetiorem, vel æqualem potestatem habet cum legis conditore. Dico autem dari sine ratione debita ex sufficiente voluntate dispẽsatoris: nã si per fraudem & dolũ extorqueatur, fingendo causam vbi nõ est, alio titulo erit inualida, scil. quia subreptitia est & inuoluntaria dispensanti.

5. Posterior autem modus, quia supponit votum iam factum, quod aliquo modo inuoluit obligationem ex iure diuino, ex eo capite nonnullã maiorem habet difficultatem. Nihilominus quod hoc etiã modo sit possibile, facile etiã persuadetur, quia ibi ad summũ interueniunt duo vincula, vnum voti, aliud legis Ecclesiasticæ adiungentis voto inhabilitatẽ ad matrimoniũ: sed vtrumq; vinculũ est dispensabile per potestatem Pontificis, si per se, & diuisim spectentur: ergo etiã simul; Minor patet, quia illud votũ in se non est alterius naturæ, aut obligationis, quã votum simplex castitatis, vt satis in superiorib. demonstratũ est; ergo quantum est ex se, æque est dispensabile. De altero vero impedimẽto iam res est clara ex dictis, quia solum est ex Ecclesiastica lege. Consequentia vero probatur, quia illud duplex vinculum nõ constituit vnum intensiue maius (vt sic dicam) neque extra, vel supra proprium ordinẽ eleuatur, eo quod simul concurrant: ergo semper manent sub Pontificia potestate vt dispẽsabilia sint. Quod vero spectat ad causam, vel rationem dandi talem dispensationẽ, sine dubio concurrẽtibus illis duobus titulis multo maior causa requiritur, vt iusta sit dispensatio, quam ad dispensandum in voto simplici castitatis requiratur. In hoc vero illud est magna obseruatione dignum, q. si desit legitima causa, & si tota dispensatio sit iniusta, nõ tamen tota erit inualida: nam quoad tollendã illã obligatio-

gationem, quæ ex vi & natura voti intrinsece nascitur, erit inualida iuxta superius dicta in genere de dispensatione voti. Quoad tollendum vero omne impedimẽtum lege Ecclesiastica superadditum, erit valida iuxta generale principium paulo antea positum.

6. Neq; est inconueniens eandem dispensationem ex parte esse validam, & ex parte inualidam, quia licet materialiter, vt ita dicam, appareat, reuera est duplex, quia duo vincula auferre intendit, vnum merè humanum, quod potest valide facere sine causa, aliud attingens ius diuinum, quod nõ ita potest. Quapropter si clericus sic dispensatus vxorem accipiat, validum erit matrimoniũ, quia impedimentum irritans reuera fuit sublatũ, & consequẽter poterit licite, imo & debebit debitũ coniugale reddere; sicut quicunq; alius ducens vxorem cum simplici voto castitatis, nõ poterit tamen debitum petere, quia cum dispensatio quoad votum nõ fuerit valida, obligat semper ad id quod coniugatus seruare potest sine iniuria vxoris. Vnde à fortiori fit vt sub reatu sacrilegij maneat etiã obligatus ad obseruandam in reliquis omnibus castitatem coniugalem, quia votum castitatis ibi manet, & secum affert totam hanc obligationem.

*Clericus in sacris sine causa dispensatus, valide contrahit matrimoniũ, non tamen potest licite petere debitum.*

7. Atq; hæc doctrina quoad eam partem, quæ spectat ad valorem talis dispensationis in Ecclesiastico impedimẽto communis est, vt videre licet in citatis auctoribus, præsertim Sot. d. 38. q. 1. art. 1. Palac. d. 25. disp. 2. circa 6. concl. & Caiet. in d. tract. 27. De altera vero parte aliqui dubitant, nimisq; rigorosam illam esse censent: putãt enim probabile esse, hanc dispensationẽ sine legitima causa datam validã esse quoad totam voti obligationẽ, si non per modum dispensationis, saltem per modũ irritationis, quia qui ordinatur, tantum emittit hoc votum ex obligatione ab ecclesia inuenta: ergo tantũ intendit se obligare per votum, quamdiu Ecclesia seu caput eius voluerit esse ligatum: ergo illud votũ non est absolute perpetuum, sed tacite includit hanc cõditionem, seu determinationem, *ad beneplacitum sedis Apostolicæ*: ergo quoties Papa voluerit votum illud auferre, cessat votum saltem ex intentione vouentis, quia non plus se obligauit. Quanquam n. hic dicendi modus generatim de omnibus votis superius tanquam improbabilis reiectus sit, de hoc nihilominus particulari voto videtur habere aliq̃ verisimilitudinem; quia ad nutũ, vt sic dicã, Ecclesiæ fit, sicut quãdo religiosus facit votũ ex cõsilio vel licẽtia Prælati, cẽsetur facere, quãdiu ipse Prælatus non repugnauerit, seu votum non abstulerit.

8. Nihilominus tamen hic etiam non censeo illam opinionem veram, quia licet hoc votum fiat ex iurisdictione Ecclesiæ, & iuxta illius voluntatem, non propterea fit sub illa cõditione, vel determinatione, quia ipsamet Ecclesia non vult, nec instituit, vt votũ conditionale fiat, sed absolute & simpliciter votum castitatis: ita enim omnia decreta loquuntur, neq; in hoc agnoscunt differẽtiam vllam inter votum castitatis ordinis, vel religionis, vel quodlibet aliud simpliciter emissum, vt cõstat ex capite vnico de voto in 6. & ex Extrauag. *Antiquæ*, de voto & toto tit. de conuers. coniug. cum similib. Nec est simile quod affertur de voto religiosi, quia in religioso votum est irritabile à Prælato, non ex speciali intẽtione vouentis, sed ex natura talis status, & imperfectione voluntatis alteri subiectæ quoad facultatem se obligandi: ac deniq; ex potestate dominatiua talis Prælati, qua non priuatur, etiamsi licẽtiam vouendi tribuat, vt supra visum est. Clericus autẽ cum ordinatur, habet perfectam facultatem se obligandi per votũ, & Pontifex nõ habet specialem potestatem dominatiuam in ipsum, sed solum generalem potestatẽ iurisdictionis, & ideo cum ab ordinando exigitur, vt voueat absolutũ votum castitatis, exigitur, quale ab ipso fieri potest. Non ergo additur conditio aliqua, per quam speciali-
liter dependeat à voluntate Pontificis, præter eam, quæ communis est omnibus votis Christianorum, quæ ita pendẽt à potestate Pontificis, vt intercedente causa iusta per illam auferri possint, & non alias; neq; est verisimile aliquid amplius intendisse Ecclesiam in votis clericorum, quia illud nõ ad ædificationem, sed ad destructionem fuisset.

9. Quæri vero vlterius potest, an per huiusmodi dispensationem concedi valeat nõ solum vsus coniugij ordinato in sacris, sed etiam vt simul habeat vsum ipsius sacri ordinis, hoc enim sine dubio difficilius est. Ad hoc vero iuxta distinctionem datam, & principia posita respondendum est. Nam si loquamur de dispensatione antecedẽte votum, sine dubio potest Ecclesia dispensare cum aliquo cõiugato, vt ordinetur, simulq; & vsum ordinis, & vsum coniugij retineat. Nam in primis id Ecclesia Rom. in Græcis tolerat, vt constat ex cap. *cum olim*, de Cler. coniug. vbi Panorm. aduertit hoc permitti sacerdoti Græco etiam peregrinanti inter Latinos, vel ibi habẽti quasi domicilium: nam licet hoc videatur præter ius commune, quia tegulariter vnusquisq; tenetur seruare mores illius loci in quo versatur, in eo cap. videtur hoc esse specialiter permissum, forte ob eam causam, quod specialis illa obligatio, quæ ex voto nascitur, non imponitur ei, qui votum non fecit, etiamsi inter eos versetur, qui tale votum emittunt. Imo addit ibidem Panormit. posse Ecclesiã generaliter statuere, & hoc concedere omnibus clericis, etiam in Ecclesia Occidẽtali, quod etiam indubitatum videtur, quia non est contra ius naturale, nec diuinũ, aut bonis moribus simpliciter repugnans. Vlterius vero addit, *Non solum credo potestatem inesse Ecclesiæ hoc concedendi, sed etiam quod pro bono, & salute animarũ esset salubre statutum, quod volentes vouere, & magis mereri, relinquerentur voluntati eorũ, non volentes autem emittere, possint cõtrahere, quia experientia docẽte cõtrarium potius effectus sequitur ex illa lege dimittia.* Sed in his verbis multum excessit Panorm. considerauit enim tantum quorundam sacerdotum peccata, qui incontinenter viuunt, & non infinita alia commoda, quæ ex cœlibatu, & continẽtia sacerdotum sequuntur, nec dãna quæ ex opposita libertate prouenirẽt.

10. Quapropter aliud est loqui de abrogatione, seu vniuersali mutatione huius legis, aliud de particulari dispensatione cum vno, vel alio, & fatemur quidem ad vtrumq; esse in Ecclesia potestatem propter rationes factas, tamen illud prius tale est, vt in actum reduci non expediat. Neque existimo posse, moraliter loquendo, legitimam causam intercedere ad huiusmodi abrogationem sancte & prudenter faciendam, saltem pro vniuersa Ecclesia, quia praui quorundam mores ad hoc non sufficiunt, vt supra dictum est. Ad particularem autem dispensationem faciendam rationabilis causa interuenire potest. Regulariter autẽ loquendo, huiusmodi necessitatibus, vel causis occurrẽtibus fit satis cõcedendo vsum matrimonij habenti ordinem sacrum, ea tamen lege, vt ordine non vtatur: quæ enim moralis necessitas singi põt vtrumque vsum copulandi? & ideo vix credo talem dispensationem posse licite fieri, nisi fingatur casus, in quo tanta esset penuria ministrorum Ecclesiæ, vt sine magno eius incommodo non possit huiusmodi persona tali matrimonio priuari: hic autem casus cogitari potius valet, quam timeri. Vnde obiter colligo, quamuis iuxta superius dicta facilius fit hanc dispensationem concedere antè votũ emissum ex ea parte, quod illa solum cadit in ius purè humanum, aliunde vero difficiliorẽ esse, quoad hoc vt habeat iustam causam; quia vel conceditur alicui, vt sine voto vel obligatione castitatis sacrum ordinẽ suscipiat, vt illius ordinis vsum simul cũ vsu matrimonij habere possit. Et hic non

non potest moraliter expedire, vt dixi; vel solum conceditur posse recipere ordinem vt illum habeat, non vero vt illo vtatur, & hoc prorsus irrationabile est, cur enim alicui concederetur de nouo sacer ordo eo animo, & intentione, vt nunquam illo vtatur, nec desunt qui putent hoc esse contra ius diuinum, cum talis ordo non nisi propter tale ministerium institutus sit.

11. Quoad hoc ergo longe diuersa ratio est de clerico iam ordinato in sacris, nam in illo potest specialis necessitas occurrere, ob quam expediat illi coniugium, & vsum eius concedi; tamen illa eadem necessitas censeri debet impedimentum per accidens exortum ad legitimum vsum talis ordinis, ideoque quoties Pontifex dispensat cum aliquo clerico ordinato in sacris in lege continentiæ, eo ipso separat illum ab vsu ordinis, quod & consuetudine satis constat, & opinor semper exprimi in huiusmodi concessione, & quamuis non exprimeretur, opinor ita fore intelligendum, quia secundum ius commune, qui habet vsum vxoris, etiam reddendo tantum debitum, eo ipso suspenditur ab vsu ordinis, iuxta Extrauag. *Antiquæ*, citatam. In quo iure non dispensatur nisi id expresse declaretur, & ideo licet per dispensationem concedatur clerico matrimonium, non censetur concedi retento vsu ordinis, nisi exprimatur, maxime cum talis dispensatio odiosa sit, & ideo restringenda.

12. Quæ autem causa, vel necessitas sufficiens iudicanda sit ad huiusmodi dispensationem iustè concedendâ, non potest aliter definiri, quam supra de dispensatione voti in communi dictum est. Solum aduerto cum Caiet. dict. Opusc. 27. in fin. non esse semper necessariam causam publicam boni communis, vt quidam voluerunt, sed sufficere priuatam, dummodo grauis sit, & quæ moraliter sufficiat ad compensandum bonum castitatis, & aliquale incommodum, quod in ordinem sacrum inde videtur redundare, tatione cuius grauior sine dubio causa requiritur ad dispensandum in hoc voto, quam in simplici voto castitatis.

*Qua causa sufficiens sit ad hanc dispensationem.*

## CAPVT XXI.

### *Quam sit antiquum in Ecclesia, vt votum castitatis religiosæ solenne sit, ita vt matrimonium subsequens dirimat.*

1. DVo diximus in superioribus esse necessaria ad solennitatem huius voti. Vnum est, esse absolutum, & tam ex intentione vouentis, quam acceptantis omnino perpetuum; & de hac conditione non agimus, sed supponimus regulariter loquendo, huiusmodi fuisse votum castitatis, quod à principio Ecclesiæ annexum fuit statui religioso, solum forte in hoc possent contradicere qui existimant, religiosos etiam professos potuisse olim eiici à religione voti solutis, sed quid de hoc sentiendum sit iam supra diximus. Aliud necessarium ad solennitatem huius voti est, vt reddat personam inhabilem ad matrimonium, & quod illud dirimat non solum contrahendum, sed etiam iam contractum, & nondum consummatum; hoc enim addit solennitas huius voti vltra solennitatem voti continentiæ sacerdotum. Nam illud licet inhabiliter ad matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum, vt in superioribus visum est, & de solennitate quoad hos effectus in præsenti non tractamus, quia libro 2. huius tractatus de illa vt sic satis dictum est; solum ergo nunc inquirimus huius voti solemnis antiquitatem, & originem.

*Duo requiruntur ad solennitatem huius voti.*

4. Primus modus dicendi est, huius voti solennitatem tam antiquam esse, quam est verus status religiosus; imo nullum potuisse vnquam esse verum religiosum, nisi emittendo huiusmodi votum solenne, & habens prædictos effectus. Ita sentire videntur qui asserunt professionem ex natura rei habere hanc solennitatem, & vim ratione traditionis, quam includit professio; nam eo ipso quod traditioni votum castitatis adiungitur, solenne fit, & dictâ efficaciam obtinet. ita sentiunt omnes, qui credunt hoc votum esse indispensabile, & esse de necessitate status religiosi, quod adeo constanter affirmat Sot. lib. 7. de iustitia quæst. 2. art. 3. vt dicat, quod licet hoc votum ex Papæ ordinatione redderet inhabilem ad matrimonium, si non redderet ex natura voti orum, non constitueret Religiosum; imo de facto censet Milites Sancti Ioannis non esse verè religiosos, etiamsi votum eorum dirimat matrimonium, quia id non facit ex natura voti, sed ex Papæ constitutione; cur autem de illo voto potius hoc asserat, quam de aliis, non video; omitto alios autores, qui pro hac sententia citari possunt, quia de puncto proposito, scilicet de antiquitate huius voti, expresse non loquuntur, & quoad alia, in quibus hoc continetur, iam supra relati sunt, & referuntur in sequentibus. Hæc ergo opinio ex prædictis principiis à nobis defendi non potest, nam supra ostensum est solennitatem voti non consistere in coniunctione promissionis cum traditione religiosa; indicatum etiam est non dirimere matrimonium, siue antecedens, siue subsequens, ex natura rei, sed ex lege positiua, quam non esse diuinam, sed humanam, ostendemus in sequentibus.

3. Secunda sententia est, votum castitatis religiosæ in principio Ecclesiæ non reddidisse personam inhabilem ad matrimonium, vsque ad tempora Innocentii II. id est, post annum Domini 1140. Innocentius enim Primus inuenitur hunc effectum huic voto tribuisse in capite *vt lex* 27. q. 1. ergo ante illud tempus tale votum non erat solenne, nec dirimebat matrimonium. Potest hæc opinio multis Patrum testimoniis suaderi, & Pontificum, ac Conciliorum decretis, in quibus significatur valida fuisse matrimonia, à religiosis viris, aut fœminis contracta in illis primis temporibus. Quorum aliqua tractauimus supra ostendendo, votum simplex non irritare subsequens matrimonium; & aliqua refert Gratianus 27. q. 1. in c. *nuptiarum*, & sequentibus; quibus addimus primo c. *quotquot*, ex Concilio Ancyrano, c. 18. refert hæc verba, *Quotquot Virginitatem pollicitam prauaricati sunt, professione contenta inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt*; cuius canonis mentionem faciens Sanctus Basilius epistola 2. ad Amphilochium cap. 18. illud intelligit de Virginibus publicè professis; dicitque matrimonium illud toleratum fuisse ab illis Patribus adiuncta solum illa bigamiæ nota. Secundo addi potest can. 13. & 14. Concilii Elibertini, vbi Virginibus sacris si nubant, & matrimonium consummauerint, post annũ sine publica pœnitentia reconciliari permittuntur; si autem cum aliis fuerint mœchatæ, non reconciliantur, nisi post quinquennium, & cum publica pœnitentia. Tertio in Concilio Chalcedonensi canon. 15. & 16. excommunicantur quidem religiosi, qui post professionem matrimonium contrahunt, nullum tamen verbum additur, quod indicet matrimonium fuisse nullum; imo in Concilio Triburiensi c. 23. idem can. 16. refertur cum aliis ex Cilicio & Gelasio Pontificibus, & nihil aliud significatur, quam talia coniugia esse illicita, & sacrilega, & in hunc modum referri possunt multa ex Innocent. epistola 2. cap. 2. & Leone magno, in epistola 92. ad Rusticum c. 12. 13. & 14. & ex aliis decretis, in quibus sermo est de huiusmodi matrimoniis Monachorũ, aut monialium, & licet reprobentur, nunquam tamen dicitur esse nulla; imo nonnulla verba sæpe inuenientur, quæ

supponunt potius esse valida, vt est illud apud Innocentium. *Non est admittendus ad pœnitentiam nisi is, cui se iunxerat, ex hac vita decesserit.* Denique quod tempore Iustiniani Imperatoris monachatus non impediret matrimonium, irritando illud, colligi potest ex Authentica. de Monachis constit. 5. ibi enim statuit vt monachus etiam ad eum gradum clericatus assumptus, in quo aliis clericis licitum est coniugium, non possit matrimonium contrahere; si autem contrahat, non dicit separandum, sed solum, vt eiiciatur à clero, & ad militiam, aut ad aliud officium non assumatur, & concludit. *Ipse autem apud semetipsum reputans & agnoscens qualem pro hoc daturus magno Deo satisfactionem.*

4. *Hoc votum solemne in religione approbata factum irritat subsequens matrimonium.*

In hac controuersia nonnulla sunt mihi aut certa, aut longe probabiliora; aliquid vero ita dubium, vt in eo vix aliquid certum definiri possit. Et primo quidem de fide certum est, hoc votum solemne factum in professione religionis approbatæ reddere inhabilem personam ad matrimonium subsequens, atque ita irritare illud. ita definitur in cap. vnico, de voto in 6. & in Extrauag. 1. Ioannis XXII. de voto, & in Tridentino sess. 24. canon. 9. & ideo in Clementina vnica, de consanguinitate, & affinitat. Religiosi, & moniales talia matrimonia contrahentes, & illi, qui cum monialibus scienter contrahunt, ipso facto excommunicantur. quam censuram in proprio opere latius explicauimus.

5. Secundo est mihi certum saltem à tempore Innocentii II. hoc fuisse in Ecclesia inuiolabiliter obseruatum, ille enim in Concilio Romano legem statuit, vt sic contrahentes separentur, & rationem reddit, dicens, *Huiusmodi namque copulationem quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus*; in qua lege pares esse declarat, Clericos in sacris, Canonicos, regulares, Monachos, atque conuersos professos & sanctimoniales fœminas. Ab eo autem tempore constat hanc legem inuiolabiliter esse seruatam in Ecclesia, vt de Clericis in sacris supra ostendimus; & de religiosis patet ex iuribus allegatis, & ex toto titulo, qui cler. vel vouent. cum similibus, & ex continua obseruantia Ecclesiæ; non enim ostendi potest, legem illam Innocentii, vel consuetudine, vel alia contraria lege reuocatam vnquam fuisse, quin potius paulo post illud tempus, id est, post sexaginta, vel octuaginta annos, ordines Mendicantium florere cœperunt, in quibus lex illa inuiolabiliter seruata est, & simul etiam in aliis religionibus antiquioribus quæ suum statum conseruauerunt.

6. *Non potest probari antea habuisse hunc effectum.*

Tertio existimo probabilius ex sola ratione, vel ex natura status religiosi non posse satis ostendi morem hunc, seu hanc voti conditionem ante Innocentii II. tempora incepisse. Probatur primo ex cap. vnico, de voto. in 6. vbi Pontifex Bonif. ait. *Nos igitur attendentes quod voti solemnitas ex sola institutione Ecclesiæ est inuenta*: quid autem per solemnitatem voti intelligat, & antea, & postea declarat, nam initio quæstionem proponit, quod votum debeat dici solenne, & ad dirimendum matrimonium efficax; loquitur ergo de solemnitate, quoad hanc efficaciam, & postea in responsione dicit, illud solum votum debere dici solenne quantum ad matrimonium post contractum dirimendum; ergo quantum ad hunc effectum, dicit solennitatem esse introductam per Ecclesiæ constitutionem. Ergo secluſa Ecclesiæ constitutione, non potest solo discursu rationis ex natura status religiosi colligi hunc effectum antecessisse tempora Innocentii II. Imo licet quis contendat, & gratis demus, Bonifacium in dicto cap. vnico loqui de extrinseca solennitate, cum qua fieri debet tale votum, nihilominus negari non potest loqui de tali solennitate, sine qua votum factum non habebit dictam efficaciam, saltem quia Ecclesia non admittit illud aliter factum ad huiusmodi effectum: nisi enim Pontifex de hac saltem solennitate loquatur, impertinens est ratio, quam adducit, quæ eo tendit, vt ostendat, illud solum votum esse solenne quoad hunc effectum, quod ab ipso tale esse declaratur, & quod perinde est, quod quocunque tempore ab Ecclesia fuerit vt tale prohibitum; ad hoc enim parum refert, quod extrinseca solennitas pendeat ex constitutione Ecclesiæ, nisi etiam sit talis, vt sine illa non possit votum dictam efficaciam habere. Hoc autem satis est, vt nulla certa ratione colligi possit antiquitas voti solennis ante Innocentium II. quoad prædictum effectum, quia licet constet antea fuisse statum religiosum verum & suo modo probatum ab Ecclesia (eo nimirum modo, quo tunc fiebat approbatio) non tamen constat, nec necessarium est, vt solemnitas, quæ in assumptione talis status fiebat, fuerit ab Ecclesia recepta, & approbata, vt sufficiens ad prædictum effectum: nulla enim est sufficiens ratio, quæ hanc necessariam consecutionem probet, maxime, cum supra ostensum sit, ad verum religiosum statum non esse necessarium votum quod habeat hunc effectum.

7. Occurrit etiam aliquid in prædictis decretis considerandum, quod ad rem declarandam conferre potest; nam post declarationem Bonifacii plus videtur requiri, vt hoc votum castitatis religiosæ hanc habeat efficaciam, quam ex vi constitutionis Innocentii esset necessarium. Bonifacius enim requirit, vt tale votum factum sit in professione alicuius religionis, per sedem Apostolicam approbatæ, vbi sine dubio loquitur de approbatione requisita post decretum Innocentii III. in cap. vlt. de Religios. domib. & Gregorii X. eodem tit. in 6. Ex quo refert gloss. ibi ab omnibus recepta, votum castitatis factū in quacunque congregatione, & pio viuendi modo, etiam vt tali recepto, non habere dictam efficaciā irritandi matrimonium postea subsequutum; at vero Innocentius II. absolutè loquitur de Monachis, & sanctimonialibus, vnde illo tempore inhabiles fiebant ad matrimonium: etiamsi status ille non esset ab Ecclesia Romana specialiter in religiosum approbatus; qui tamen nunc non sufficeret iuxta constitutionem Bonifacii, etiamsi homo ex parte sua eandem castitatem, & obedientiam promittat, & se tradat quantum in se est, illi communitati, nunquā redderetur inhabilis ad matrimonium, quia Ecclesia iam non approbat illum statum, vel professionem eius, vt solennitatem sufficientem ad prædictum effectum. Quomodo autē potest, & vi, & discursu rationis ostendi, fuisse ante Innocentium II. congregationes omnes, vel status, in quibus tria vota fiebant, seu promissiones eorum fuisse, per constitutionē Ecclesiæ approbatas, vt sufficientes ad prædictam solennitatem, & consequenter ad hanc voti efficaciam; non video sane vnde possit vel probabiliter deduci ex vi rationis.

8. Quarto ex his videtur fieri probabile hoc impedimentum ab Innocentio II. introductum esse, quamquam (vt verum fatear) nunquam id mihi satis probari possit. Priorem partem suadere videtur dictum decretum Bonifacii; considerandum est enim non dicere hanc voti solennitatem haberi ex traditione, vel consuetudine Ecclesiæ, sed, *sola constitutione Ecclesiæ fuisse inuentam.* Constitutio enim propriè significat scriptum aliquod decretum: vnde videtur Bonifacius alludere ad dictum decretū Innocentii II. Nam ante illud nullum inuenimus Ecclesiasticum decretum scriptum, quo talis solennitas inuenta fuerit, vt videntur probare testimonia in secunda opinione adducta. Ex quibus etiam hoc ita confirmatur. Nam

ante

ante Innocentium II. vel omnes Monachi, & sanctimoniales erant inhabiles ad matrimonium, vel nulli, quia non possumus verisimiliter inter eos discernere & dicere, quosdam monachos fuisse inhabiles, & non alios; quæ enim ratio huius diuersitatis, aut quod eius vestigium, vel fundamentum dare possumus? Neque etiam dicere possumus omnes fuisse inhabiles, cum in pluribus multa antiquitatis testimonia refragari videantur; ergo dicendum est absolutè, & simpliciter non habuisse illo tempore votum hoc talem efficaciam. Confirmari id deque potest ex eo quod supra notauimus, olim fuisse consuetudinè facile eiiciendi monachos professos, imo & permittendi eos abire, si velint, sine vlla coactione ad perseuerandum, vt plane colligitur ex regula S. Benedicti c. 58. vbi præcipit post factam professionem seruari sæculares vestes monachi, vt si aliquando abire decreuerit, ablato habitu monachali cum suis vestibus dimittatur: & in c. 29. dicitur, huiusmodi inconstantes ter posse iterum recipi, & non amplius, etiamsi reuertatur: verisimile autem est, multos ex his solitos fuisse contrahere postea matrimonia; erant enim laici, quales eo tempore communiter erant Monachi; ergo credibile etiam est eorum matrimonia fuisse valida, nam alioqui non permitterentur in eo statu permanere sine coactione.

9. Nihilominus hæc sententia, vt dixi, mihi probari non potest, sentire enim non possum, nec mihi persuadere totam illam venerabilem antiquitatem hac excellentia, & perfectione castitatis caruisse, & vniuersam Ecclesiam per 1140. annos ignorasse modum hunc consecrandi Deo virginitatem, vel continentiam. Deinde ex eodem cap. *vt lex*, duplex sumo argumentum mihi efficax, vt in superioribus indicaui. Primum est, quia ibi æquiparat quoad hanc inhabilitatem votum continentiæ sacri ordinis & religionis; sed de voto sacri ordinis ibi non fert legem nouam, sed declarat antiquam; ostendimus enim in superioribus antiquiorem esse continentiam clericorum in sacris, præsertim, sacerdotum, & Diaconorum, etiam quoad irritandum matrimonium, Innocentio II. ergo idem dicendum est de voto religiosæ professionis. Aliud argumentum est, quia verba Innocentii quoad hanc partem non sunt constitutiua, sed declaratiua; primum enim decernit, vt si Religiosus matrimonio copuletur, separetur, & ibi vtitur verbo *statuimus*, quanuis neque de nouo hoc fuerit ab ipso statutum, iam enim multo antea id præceperat Innocent. I. in epist... ad Victricium c. 12. & 13. & Gregorius lib. 1. epist. 40. & plura Concilia, quæ commemorat Gratianus 27. q. 1. Quia tamen fortasse hoc non constanter & rigorosè obseruabatur, ideo Innocentius de nouo id statuit. Secundo rationem huius statuti delarat, dicens, *Huiusmodi namq; copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonia non esse censemus*; vbi non vtitur verbo *statuimus*, vel *irritamus*, quæ significare possent nouum effectum; sed verbo *censemus*, quod in rigore significat tantum iudicium, & declarationem nullitatis, quæ iam antea erat.

10. Hoc autem argumentum potest in contrarium retorqueri; nam potius verbum *censeo*, in lege humana nouum ius indicat, vt testatur glos. in Clem. 1. de concess. præbend. verb. *censemus*, & ibi Panorm. Sed in primis hi authores nullo iure vel ratione id probant, cum tamen ex proprietate verbi potius significet iuxta vsum Latinorum, idem quod *arbitrari*, seu *iudicare*, vt constat frequenter apud Ciceronem. Fateor tamen iuxta vsum iuris ciuilis, *censere* idem esse, quod *constituere*, vel *præcipere*, vt expresse dicitur in leg. *censere*, ff. de verbor. signif. in quo textu fortasse fundati sunt dicti authores; nec est significatio hæc aliena à iure Canonico, nam censura, prout est quædam Ecclesiastica pœna, inde nominata censetur, vt alibi in proprio loco notauimus. Negari tamen nihilominus non potest, verbum *censere*, habere frequenter alteram significationem etiam in iure, vt latè Brissonius ostendit lib. 2. de verborum iuris significatione, circa verbum *censere*; est ergo saltem illa vox anceps, & dubia, & ideo verisimile non est, ibi fuisse de nouo introductum hoc impedimentum irritans; debuisset enim cum maiori claritate, & certitudine explicari; sicut in simili habemus exemplum in Concilio Trident. sess. 24. Accedit, quod prædicta glossa ait, quando constitutionis ratio est antiqua, tunc verbum *censendi* declarationem iuris antiqui, non constitutionem noui significare, quam in hoc valde commendat ibi Abbas, & Felinus in cap. vlt. de constitutio. ad finem, & memorabilem, ac communiter receptam esse affirmat Nauarr. in c. *si quando*, de rescriptis n. 3. citans etiam Bartolum in fauorem eius in leg. *omnes populi*, ff. de iustitia & iure, n. 44. quæ doctrina aptissima est ad illum textũ explicandum, iuxta sensum prædictum, si expendamus, Innocentium seu Concilium Romanum sub illo rationem reddere illius censuræ seu iudicii, quod tales copulationes non sint matrimonia; non quia ab ipsomet Concilio, & Pontifice sint irritata, sed quia contra Ecclesiasticam regulam fuerunt contracta: illa enim Ecclesiastica regula non fuit illi de nouo statuta, sed antiquissima erat vt constat ex multis decretis apud Gratianum dist. 27. & 27. q. 1. ergo ratio etiam illius nullitatis antiquior erat; in quo etiam aduerto non reddi pro ratione, quod illa matrimonia sint contra votum, sed contra regulam Ecclesiasticam, directè scilicet prohibentem talia matrimonia, siue hoc fundetur in opinione satis communi inter Iuristas, quod lex prohibens actum directè, & secundum se irritat illum; quomodo votum castitatis vi sua non prohibet actum matrimonii, sed indirectè quatenus obligat ad seruandam fidem datam Deo, & ideo necessaria fuit regula Ecclesiastica adiuncta voto directè, & præcisè prohibens tale matrimonium, vt haberet vim irritandi. Siue (quod securius est) illa ratio fundetur in hoc, quod regula illa Ecclesiastica, vel ex signis, & effectibus, vel ex vsu ita erat declarata, vt esset non tantum prohibens, sed etiam irritans.

11. Vnde possumus tertium argumentum adiungere, quia quoties Ecclesia non tantum in particulari facto, sed lege vniuersali præcipit omnia matrimonia contracta cum aliquo impedimento dissolui ac separari, vehemens coniectura est talia matrimonia esse nulla, & separationem illam non solum intelligi quoad torum, sed etiam quoad vinculum; sed multo ante Innocentium II. latæ fuerunt leges Ecclesiasticæ, præcipientes separari perpetuo huiusmodi contrahentes, vt paulo antea referebamus; ergo lex illa de separatione quoad vinculum intelligitur, & per eam satis indicatur hoc impedimentum irritans multo fuisse antiquius. Video responderi posse illam perpetuam separationem fieri potuisse in pœnam tanti sacrilegii, & ad deterrendũ alios ne similia committant. Mihi tamen profecto hoc verisimile nõ est, quia talis separatio, non poterat fieri sine magno periculo animarũ. Primùm enim contingere sæpe poterat, sicut nunc potest, alterum coniugum bona fide cum altero religioso contrahere; maneret ergo ille perpetuo ligatus vinculo matrimonii, & consequenter impeditus ad illud matrimoniũ, & nihilominus perpetuo separatus à religioso coniuge, sine culpa, sine voluntate, & sine affectu ad continentiam: at hoc nimis onerosum & periculosum esset, imo videretur plane esse contra iustitiam; cur enim priuaretur iure acquisito ille, qui nihil peccauit? Dicetur fortasse

legem

legem illam de tali separatione non extendi ad illum casum; sed contra est, quia decreta generaliter, & sine limitatione loquuntur, coguntque huiusmodi religiosum, non solum vt neget debitum, sed etiam vt relinquat coniugem, & ad pristinum statum redeat, & nisi hoc faciat, priuant illum perpetua communione, nihilque distinguunt de bona, vel mala fide alterius, neque aliquid curant de iure illi acquisito, sed supponunt potius nullum esse posse.

12. Dices fundari in præsumptione, quia qui cum religioso, vel moniali contrahit, præsumitur mala fide contrahere: sed hoc non satisfacit, quia aliàs vbi cessaret præsumptio, & bona fides sufficienter probaretur, sustinendum esset tale matrimonium, & ius suum tali coniugi reddendum, quod est contra intentionem talium iurium, & eorum absolutam ordinationem. Imo etiamsi in exteriori foro Ecclesiæ non excluderetur præsumptio, in conscientia non posset negari ius proprium vero, & innocenti coniugi, si in contrarium veritas subsisteret, & de ea in conscientia constaret. Præterea etiamsi intercederet culpa ex parte coniugis cum religioso contrahentis, si tamen nihilominus matrimonium esset validum, fuisset durissima pœna, & cum magno periculo animæ cogere illum ad perpetuam continẽtiam, quam nunquam promisit; quæ coactio manifestè sequitur ex dicta separatione; hæc ergo separatio tam generaliter commendata in antiquis decretis est apud me magnum indicium, talia matrimonia fuisse iam tunc inualida. Et sane Augustinus lib. de bono coniugali cap. 10. agens de simili separatione dicit illam separationem ita fuisse solitam fieri, vt is qui votum continentiæ non habebat, liber maneret ad contrahendum cum alia; & quanuis ipse hoc non probet in particulari casu, in quo ibi loquitur, nihilominus satis significat separationem in hac materia intelligi quoad vinculum; non quia vinculum, quod antea erat validum, dissoluatur, sed quia nullum fuisse supponitur. Ita etiam intelligitur decretum Calixti II dist. 27. quamuis non multo tempore Innocentium præcesserit, *Presbyteris, Diaconis, subdiaconis, & monachis concubinas habere, & matrimonia contrahere penitus interdicimus*; quod verbum iuxta probabilem sententiam irritationem etiam in rigore includit. Et addit, *Contra quoque matrimonia ab huiusmodi personis dissungi, & personas ad pœnitentiam red gi debere, iuxta sacrorum canonum definitiones iudicamus.* Vbi etiam testificatur legem illam antiquiorem in Ecclesia fuisse, exponit autem glosa talia matrimonia debuisse dissungi, quoad copulam, non quia putaret durare quoad vinculum, sed potius quia supponit illa nulla fuisse; sed quia quod non est (inquit) non soluit, & ideo matrimonium quod à principio nullum fuit, non proprie dissoluitur. Authent. de nuptiis. §. *Siquis vero ab initio.* Similia decreta sunt multa 27. q. 1. optimum autem mihi videtur decretum Concilii Turonensis II. sub Ioanne II I. vt habetur in tomis Conciliorum, vel sub Pelagio I. vt alii volunt, vterque autem fere per 500. annos Innocentium I I. antecessit: ibi ergo cap. 16. sic habetur. *Si qui in monasterio conuersi sunt, aut conuerti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi, nec (quod absit) vllus eorum coniugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere; nam sicut supra dictum est, si vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malè sociatæ consortio etiam iudicio auxilio separetur* Et infra: *Qui infœlix monachus tali coniunctione fœdatus, si conatus fuerit se defendere, & in hac pertinacia duret, ab Ecclesia segregetur, donec reuertatur ad septa monasterii, & indictam ab Abbate agat pœnitentiam.* Sinè non aliis verbis solent noua iura inualiditatem talis matrimonii nobis significare, vt videre licet in cap. vltimo, qui clerici, vel vouentes, cum similibus.

13. Concludo igitur ante Innocentium etiam II. vel etiam ante Calixtum I I. fuisse vota solennia religiosorum quoad hanc vim irritandi matrimonium postea contractum. Adhuc autem superest dubium, ex quo tempore hoc incepit; & an ex quo incepit, fuerit hoc vniuersale in omnibus qui tunc reputabantur veri Monachi, vel religiosi; an vero fuerit in eis varietas, ita vt quidam solemniter, alii simpliciter, & sine tali impedimento irritante castitatem vouerent. Et quoad hæc duo puncta, quæ inter se sunt connexa, est mihi res perplexa, & dubia, propter varia dicta Sanctorum. Nam quod attinet ad priorem quæstionem iuxta regulam Augustini 24. cap. libri 4. de Baptismo, videtur hic mos reuocandus vsq; ad tempora Apostolorum. *Nam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilii institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica authoritate traditum, rectissimè creditur* At vero solennitas hæc in nullo Concilio inuenitur instituta, & ab vniuersa Ecclesia est retenta; ergo signum est esse, vel diuinam, vel saltem Apostolicam institutionem. Minor quoad priorem partem constat ex dictis; Nam si in aliquo Concilio fuisset hoc institutum, maxime in Romano sub Innocentio II. quia in nullo alio ante illud Concilium inuenitur huius institutionis vestigium; ostendimus autem institutionem hanc antiquiorem esse illo Concilio; ergo. Quoad alteram vero partem, quod de facto hocretineatur à tota Ecclesia, constat ex vsu, & ex definitione Concilii Trid. sess. 24. can 9. Quamuis autem Aug. dicat, *sed semper retentum est*, non videtur postulandum, vt illud *semper*, ponitur (vt sic dicam) probetur; nam hoc nullum esset argumentum, sed esset potius postulare expressam ostensionem totius apostolicæ traditionis; satis ergo est negatiuè probare non inueniri initium talis introductionis, vt inde intelligamus ad Apostolorum tempora reuocari; in præsenti autem nullum tale initium inuenitur; nam secluso illo de Innocentio II. in nullo alio Concilio, vel Pontifice cum fundamento sistere possumus.

14. Accedit præterea antiquissimos Patres indicare, suo tempore iam fuisse talia matrimonia irrita, ex Græcis Basilius lib. de vera virg. de fœminis, quæ post professionem virginitatis nubere volunt, *stupri* (inquit) *scelus honesto coniugii nomine obtegere cupiunt.* & ideo meretrices, & adulteras eas appellat. *Nec solum* (inquit) *à fœdere sponsi cœlestis, verum etiam à legitimo mortalium toro alienæ prorsus deprehensæ sunt.* Vbi attente ponderandũ est verbum, *alienæ prorsus*, nam profecto perinde sonat ac inhabiles & incapaces legitimi tori. vnde etiam addit, sicut qui primas nuptias cõtraxit, non potest esse alterius sponsa & vxor, etiamsi per nequitiam & libidinẽ ei se coniungat: ita etiam virginem semel Deo consecratam, ac desponsatam non posse fieri verã hominis vxorem: intellexit ergo tale matrimonium validũ non esse. Hinc idem Basilius in constit. monast. cap. 22. professionẽ religiosam actum cum Spiritu sancto appellat, & cum matrimonio cõparat, & non minorem obligationẽ inducere sentit. In eadem sententia videtur Chrysostomus esse epist. 6. ad Theodorum monachũ lapsum, vbi sic inquit, *Angelorum semel societati vinctum, illam relinquere, aut vxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere est; quanuis frequens hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterium, & adulterio peius affirmo.* Quod in ea epistola frequenter repetit, & inter alia addit, *Nam simulier propriì corporis non habet potestatem, sed vir; multo magis hi, qui Christo tutius, quam sibi viuunt, conditionem corporis sui habere non possunt.* Eisdem ferè verbis testificatur Ambrosius ad virginem lapsam, c. 5. *Quæ se sponsit Christo* (inquit) *& sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro, etiamsi voluerit nubere communi lege coniugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.*

Dicet

Dicet aliquis, huiusmodi Patrum sententias, de quocunq; habente votum simplex castitatis dici potuisse: nam etiam virgo, quæ simpliciter virginitatem vouet, dicitur consecrata Christo, & potest dici spirituale adulterium committere, si nubat: nam, licet matrimonium validũ sit; nihilominus cum grauissimo peccato fit contra fidem Christo datam. Et eadem ratione vsus seu copula talis matrimonii, quatenus est contra eandem fidem, adulterium dici potest, non per proprietatem, sed per translationem: quo sensu loquuntur dicti sancti, & ideo dicunt & esse adulterium, & aliquid peius adulterio: est enim sacrilegium, quod ratione talis materiæ per metaphoram adulterium dicitur, & secundum suam speciem peius est proprio adulterio. Hæc enim omnia vera esse possunt, etiamsi matrimonium ratum sit, vt patet in his, qui solum simplex votum castitatis emiserunt: nam etiam vsus illius matrimonii, quatenus ex voluntate habentis vot proceditũ, illicitus est, & iniuriosus Christo, & ita de illo loquuntur prædicti sancti. Et confirmatur ratione, in qua illi Patres fundantur, non enim fundantur in aliqua lege Ecclesiastica, sed in ipsa desponsatione cum Christo, quam natura sua facit votũ castitatis: at ex illo capite præcisè non potest concludi matrimonium postea sequutum, esse inualidum, licet sequatur esse illicitum, & sacrilegum: ergo credendum est in illo tantum sensu fuisse illos Patres loquutos. Denique hoc modo optime conciliantur cum Augustino lib. de bono viduitatis, c. 9 & 10. vbi ex professo probat matrimonium eius, qui virginitatem vouet, validũ esse, & reputat hoc ipsum argumentum sumptum ex primo coniugio cum Christo. Alioqui (ait) etiam non esset legitimum, & verum coniugium spirituale cum Christo, si mulier nupta, viuente viro, castitatem voueret, etiam de consensu viri, quoniam secundæ nuptiæ non sunt legitimæ, etiam de consensu coniugis. Conciliantur ergo hi Patres, si Augustinus solum loquatur de valore matrimonii, & quoad hoc tantum velit esse efficacem illam rationem: alii vero Patres loquantur de lapsu & sacrilegio huius matrimonii, quoad iniuriam tantum, quæ per illud fit Christo.

Obiectio. Nihilominus interpretatio illa, licet aliquorum verborum vim subterfugiat, si tamen omnia pensentur, non satisfacit, nec syncerè explicat mentem dictorum Patrum. Nam D. Basilius in verbis quæ citauimus, plane significat inhabilitatem ad legitimum torum. Et inferius in discursu libri aperte docet, non solum peccare virginem, quæ sic nupsit, quando contrahit, & quando vtitur copula talis matrimonii, ipsam volendo & procurando; sed etiam peccare alterum, qui cum illa contraxit, vtendi tali matrimonio, & retinendo alienam sponsam; sicut peccat is, qui dimissam ab alio ducit quandiu illam apud se retinet. Vnde concludit, *Permitte, aut ad viuentem virum remeare meliorem factam mulierem, aut certe cum neq; vidua, neq; vxor sit, pro remissione culpæ, qua peccauit in virum, semper pœnas dabit.* Hæc autem nec verè, nec recte dicentur, nisi tale matrimonium supponeretur esse nullum. Chrysostomus autem, & Ambros. plane loquuti sunt & imitati Basilium. Deinde quod hi Patres non loquantur de voto simplici, nec ex sola rei natura, fit optima coniectura ex verbis Ambrosii: *Quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali coniuncta est viro.* Non enim contentus fuit sponsione, nec sine causa adiunxit, *sanctum velamen*: sed quia per eam cæremoniam ita admittebatur iam tunc ab Ecclesia virginitatis votum, vt persona redderetur inhabilis ad matrimonium. Optimus vero locus ad hoc confirmandum est apud Basilium epist. 1. ad Amphiloch. can. 10. qui sic habet. *Quæcunque mulieres virginitatem professæ sunt, deinde postea matrimonium maluerunt, non existimo eas oportere condemnari: quæcunq; enim dicit lex, iis dicit, qui sunt sub lege: quæcunq; autem iugum Christi nondum subierunt, ea nec Domini leges norunt, quare sunt ab Ecclesia cum omnibus suscipiendæ, & propter hoc habent remissionem ex fide in Christo, & omnino quæ in catechumenica, seu quæ initiatur vita, fiunt, in iudicium non vocantur: Clarum est autem quod eas Ecclesia non sine Baptismo recipit, quare generationis priuilegia sunt in ipsis necessaria.* Ex quibus verbis vltimis constat, licet in principio canonis de quibuscunque mulieribus fit sermo, Basilium tamen loqui de catechumenis, seu nondum baptizatis, vel (vt Balsamon exponit) de hæreticis non ritè baptizatis.

17. De his ergo ait Basilius, licet castitatem vouerint, si postea nubant, matrimonium esse validum: constat autem votum illud esse validum & simplex: ergo supponit Basilius, tale votum natura sua non impedire valorem matrimonii: non potuit autem sentire quin impediat ne licitè fiat à nondum baptizatis, sed catechumenis: ergo, cum in hoc constituat differentiam inter virginem baptizatã, vel non baptizatam, sentit in baptizata habere posse aliquam conditionem, ratione cuius talem habeat effectum. Quæ autem sit hæc conditio, indicat per eam rationẽ, quod nondum baptizatus, nondum etiam est legi subditus. Significat enim fuisse tunc in Ecclesia aliquã legem inhabilitantem virginem professam ad matrimonium: quæ lex non comprehendebat catechumenam, quia nondum erat subdita *legi Domini*, per quam intelligit totam legem positiuam Ecclesiasticam; quæ Domini dicitur, quia per potestatem à Domino data est: nam legibus diuinis fidei, & sacramentorum bene obligatur quis ante Baptismum. Et eadem ratione significat, licet peccet talis virgo catechumena nubendo, Ecclesiam non iudicare de illo peccato, quia non est commissum à persona sibi subdita, & quia (secluso obice) plene remittitur cum aliis per Baptismum. Quod intelligo quantum ad culpam, quæ committitur ante Baptismum: nam si talis fœmina post receptum Baptismum petat debitum, committet sine dubio culpam, de qua iudicare poterit Ecclesia, saltem in sacramentali iudicio confessionis: quantùs enim Baptismus remittat omnem culpam, & pœnam, non tollit obligationem prioris voti, quæ de se perpetua est, & de meliori bono. Votum autem castitatis emissum ante Baptismũ, sicut obligat ad non contrahendum matrimonium; ita etiam post illud peccaminosè contractum, obligat ad non petendum debitum, quia hæc obligatio non est ex aliqua lege Ecclesiæ, sed ex natura talis voti, quod in omni statu obligat ad seruandam continentiam, quantũ sine iniuria alterius possibile est. Hæc igitur obligatio etiam post Baptismum manet, quia Baptismus (vt dixi) non extinguit votum: qui ergo post Baptismum petit debitum, habens tale votum, iam committit actuale peccatum intra Ecclesiam, quod peccatum sine dubio est materia iudicii pœnitentiæ, quamuis in exteriori foro de illa non iudicet Ecclesia, quia res est occulta. Vnde infero, si talis virgo catechumena ante Baptismum non contrahat, etiam post Baptismum licitè contrahere non posse, quia eodem modo impeditur obligatione voti propter rationem factam: vnde, si contrahat, iudicabitur per Ecclesiam de tali delicto, saltem in iudicio confessionis propter eandem rationem.

*Baptismus non extinguit votum castitatis antea factum.*

*Tale votum in vtroque foro impedit matrimonium, & eius vsum.*

18. De iudicio autem externo Ecclesiastico dubitari potest, an tale votum sit impedimentum, saltem impediens in hoc foro, quod est alterius considerationis. Videtur tamen debere impediri, si de illo constet sufficienter in foro Ecclesiæ, quia hoc non est impedimentum iure positiuo introductum, sed ex natura rei, & ideo si de illo constet Ecclesiæ, non video cur non

non possit & debeat non admittere ad matrimonium eum, qui tale habet impedimentum. Imo etiam existimo posse cogere, vel sub censura obligare huiusmodi iam baptizatum, ne matrimonium contrahat; sicut potest obligare baptizatum, vt soluat homini promissum, vel debitum, quod ante Baptismum contraxit, si alioqui tale debitum ratione iuramenti, vel alio titulo ad forum Ecclesiæ pertineat.

*Non incurreri pœnam à iure latam contrahens cum voto post baptismum.*

Quanquam verisimile sit, si aliqua pœna nunc esset à iure, lata contra eos, qui contrahunt matrimonium cum voto simplici castitatis, illam non incurri in eo casu, in quo votum factum fuit ante Baptismũ, licet matrimonium sit factum post Baptismum, quia canones, qui nunc sunt, videntur loqui cum his, qui ordinario modo votum intra Ecclesiam emiserunt: nos autem loquimur de coactione, quæ per hominem fieri potest in casu illo particulari, quem fortasse lex non considerauit: sed de hoc aliàs.

19. *Obiectio.*

Dices, Professio Religionis extinguit vota simplicia, quæ præcesserunt: ergo Baptismus extinguit votum castitatis, quod præcessit. Patet consequentia, quia non minor vitæ mutatio fit in Baptismo, quam in professione religionis, seruata proportione, nam etiam est quædam ciuilis mors, per quam Christo consepelimur. Respondetur negando consequentiam, primo quia, vt supra dixi, ille effectus professionis, forte non est ex natura rei, sed ex aliqua lege, vel consuetudine Ecclesiastica, quæ non potest in Baptismo allegari; vel etiam est per quandã commutationem, quæ in Baptismo etiam locum non habet, quia Baptismus non est opus supererogationis, sicut professio religiosa, sed est opus præcepti. Item, quia Baptismus non constituit hominem in statu perfectionis, nec per se obligat ad consilia, & ideo non excludit, sed optime admittit talem obligationem, si supponatur: professio autem religiosa secum affert sufficientem obligationem consiliorum, & perfectionum, & ideo merito extinguit præcedentes obligationes. Itaque certum est votum castitatis, etiamsi ante Baptismum sit factum, esse post Baptismum impedimentum ad contrahendum matrimonium, quanuis esse non possit impedimentum dirimens, saltem iuxta leges Ecclesiæ hactenus datas, & quæ moraliter loquendo, dari possunt. Intellexit ergo Basilius esse in Ecclesia aliud votum castitatis proptium Baptizatorum, quod non solum impediat sed etiam dirimat subsequens matrimonium, idque non ex natura voti, nam hæc eadem est in baptizato, & non baptizato, sed ex lege Ecclesiæ, quæ habet vim circa votum personæ baptizatæ, & non ante Baptismum. Quam legem indicauit idem Basilius in eadem epist. can. 18. & 19. proxime præcedentibus, quod paulo inferius ostendemus.

*Dissoluitur.*

20. Ex his ergo videtur satis conuinci, tempore horum Patrum fuisse iam in Ecclesia vsum voti castitatis dirimentis matrimonium subsequens; & consequenter videtur reducendus hic vsus vsque ad tempora Apostolorum, quia tempus quod intercessit, non est longum, vt possimus cum fundamento dicere, in aliquo intermedio tempore incepisse. Præsertim, quia Patres ibi videntur de ea consuetudine loqui tamquam de re antiqua. Item, quia Monachorum professio à tempore Apostolorum existit, vt ex Dionysio de Eccles. hierach. liquet; eos autem profiteri continentiam huiusmodi sentit Basilius dict. Canon. 19. quanuis addat implicitè profiteri eam, seu vouere, quia fortasse illam non exprimebant voce, quod etiam nunc in aliquibus religionibus seruari supra notauimus; nihilominus hæc fuit semper principalis eorum professio. Adeo, vt Chrysost. lib. 3. aduersus vituperat. vit. Monast. parum à medio dicat, hanc ferè solam esse differentiam inter vtranque vitam scilicet secularium, & monachorum: *quod illi quidem matrimonii se vinculis constringunt, hi vero his liberi perdurant.* Consecratio autem sacratum Virginum etiam fuit antiquissima, & à tempore Apostolorum, vt supra monstratum est; per illam autem soliras fieri inhabiles ad matrimonium, censent prædicti Patres. Hoc ergo modo videtur solennitas hæc per traditionem reduci, vsque ad tempora Apostolorum.

21. *Confirmatur ex Con. Illib.*

Vnde etiam videtur consequens, vt omnibus temporibus habuerit hoc votum monachorum, vel monialium, & in vniuersum religiosorum, hanc efficaciam, seu proprietatem, in vniuersa Ecclesia; quam enim semper fuerit vsus voti simplicis castitatis, quod priuatè fit, & sine vlla traditione, quæ ab Ecclesia acceptetur, & ideo nõ inhabiliter ad matrimonium: quæ omnia in superioribus ostensa sunt: nihilominus loquendo de voto castitatis religiosæ, quod publicè fit, & authoritate Ecclesiæ acceptatur, non possumus cum fundamento illi tribuere hunc effectum, magis in vna parte Ecclesiæ, quam in alia; tum quia nulla est maior ratio; tum etiam, quia habemus Patres tam Græcos, quam Latinos, qui de toto orbe testificantur, & Concilia omnium prouinciarum, quæ idem rei testimonium præbent, ex Hispania antiquissimum Concilium Illibertinum Can. 13. vbi Virgines, quæ se Deo dedicauerunt, si lapsæ sint, priuantur communione, etiam in fine mortis, nisi & pœnitentiam agant, & perpetuo abstineant. Item Concilium Toletanum I. Can. 16. vbi deuotam (ita enim sanctimonialem appellat) si maritum acceperit, iubet non admitti ad pœnitentiam, nisi viuente marito, castè viuere cœperit: quæ conditio impossibilis esset, si matrimonium fuisset validum. Et ex Concilio sub Martino Bracharensi Episcopo c. 30. quod citat Gratianus in c. *de filia* 27. q. 1. Ex Africa induci eodem modo potest Concilium Carthaginense IV. can. 104. Ex Gallia Concilium Turonicum I. can. 6. & latius in Concilio Turonensi II. can. 21. Vbi rescriptum Innocentii ad Victricium refertur cum aliis Conciliorum decretis. Ex Germania habemus Concilium Colonienſe tempore Caroli III. can. 6. vbi tale matrimonium adulterium vocatur, & de sic contrahentibus dicitur, *Nulla spes venia eis reseruatur, nisi cum adulterium separatione sanauerint:* quæ verba generaliter dicuntur *de incestuosis coniunctionibus*; tamen quod sub ea voce has etiam nuptias comprehendat, constat ex fine capituli, vbi etiam adducit canonem Concilii Illibertini supra citati; & Patres supra allegati, hanc coniunctionem sacrarum Virginum incestum appellant: & Concilium Tiburiense cap. 23. Can. *si quis sacrum* 27. q. 1. & Hier. quem citat Gratianus cap. vltimo, dist. 27. Quæ vox nullitatem matrimonii etiam indicat. In quo etiam expendo Concilium in dicto cap. solam separationem pro remedio constituere ad veniam consequendam, quæ separatio in aliis incestuosis nuptiis propriè dictis totalis esse debet, vt constat, id est, tanquam à coniunctione, quæ nullo vero vinculo fundatur; talis ergo in præsenti causa postulatur. Denique idem Concilium ad hoc adducit, & ita interpretatur caput 16. Concilii Chalcedonensis, vbi hæ nuptiæ directè prohibentur; & licet non addatur verbum *ritans*; tamen Concilium sentit hunc fuisse sensum illius legis, & nonnullum indicium est, quia excommunicari præcipitur virgo Deo consecrata, quæ nupserit, nam ea excommunicatio eo videtur tendere, vt separetur. Deniq; idem habetur ex Concilio Moguntiacensi tempore Arnulphi Imperatoris cap. 26. Vbi etiam Concilium Illibertinum allegatur. Constat ergo consuetudinem hanc, & legem non vnius, vel alterius Prouinciæ fuisse, sed totius Ecclesiæ.

Dent-

Denique simili ferè discursu colligere possumus, sicuti lex hæc fuit vniuersalis quoad loca, ita etiam fuisse vniuersalem quoad personas; id est, quoad omnes illas, quæ publice coram Ecclesia in manibus aliquibus Prælati castitatem profitebantur, quia nulla est sufficiens ratio distinguendi inter has personas, ita vt cum fundamento dicamus quasdam fuisse cõprehensas sub hac lege, & non alias, seu (quod perinde est) quarundam votum fuisse solenne, aliarum simplex. Duplex enim modus ad faciendam hanc distinctionẽ excogitari potest. Prior est, si dicamus, quosdam solitos fuisse profiteri castitatem seruandam priuatim in sua particulari domo, & horum votum fuisse simplex, nec irritasse matrimonium, alios vero eam professos fuisse in monasterijs, & horum votum fuisse solenne. Alter modus est quosdam professos fuisse solam castitatem, & illos non fuisse subditos prædictæ legi, alios simul cum castitate alia vota religionis emittere solitos fuisse, & ad eos prædictam legem pertinuisse, quod nunc fere videmus in Ecclesia obseruari, nec sine causa, quia illi soli sunt veri religiosi, qui tria vota emittunt. Neuter tamen modus satisfacit. Primo, quia prædicti Patres indifferenter loquuntur de omnibus profitentibus castitatem in conspectu Ecclesiæ, & ratio eorum in omnibus habet locum, quæ si in aliquibus nõ est efficax, & patitur exceptionem, vel declarationem, eneruatur quoad omnes, secundo, quia quod spectat ad priorem modum, esto verum sit, fuisse tunc in vsu illum duplicem modum seruandi virginitatem, vt supra dictũ est, & sumitur ex Concilio Illibertino can. 17. & Carthaginensi III. Can. 33. tamen etiam est in superioribus ostensum, veram professionem religiosam in priuatis domibus fieri, ac seruari potuisse, atque ita etiam olim factam fuisse, & (quod caput est) in Concilijs citatis vtriusque modi fit mentio, & vtriusque præcipitur eadem separatio. Quod vero spectat ad posteriorem modum, incertum est, an illo tempore admitterentur personæ aliquæ ad profitendam virginitatem solemni ritu cum solo voto castitatis, nec facile credo id posse ostendi testimonijs antiquitatis. Inueniemus quidem sæpe mentionem fieri virginitatis, & taceri alia vota, non tamen inde sequitur excludi, quia in eo statu concomitantia sunt, nam etiam Chrysostomus supra citatus dixit, Monachos sola continentia differre à sæcularibus, qui necessario videtur dicto modo exponendus. Vel certe si ita loquutus est, vt iudicauerit solam continentiam esse sufficientem ad illum statũ constituendum, etiam Monachos, qui illam solam profitebantur, censuit Chrysostomus inhabiles ad matrimoniũ. Neque enim repugnat Ecclesiasticam legem ita fieri, & ita fuisse in illis temporibus seruatam, sicut in Clericis solum votum castitatis sufficit ad illam inhabilitatem.

Hæsunt, quæ ad partem hanc persuadendam occurrere potuerunt, sed nihilominus sufficere non videntur ad certam fidem faciendam: maxime, cum non desint multa, quæ rem hanc adeo antiquam non esse suadeant. Et in primis (quamuis sit ab authoritate negatiua) non leuis est coniectura, quod in omnibus antiquis decretis, quæ refert Gratianus, dist. 27. à principio vsq; ad cap. *vt lex*, nunquam satis explicatur hoc impedimentum irritans, sed tantum rem esse illicitam, & dignam pœna excommunicationis, &c. Maximumque argumentum quod ex eis sumi potest, est quod supra sumpsimus ex separatione, quod licet sit probabile, non omnino cogit, præsertim, quia Concilium Chalcedonense c. 16. apud Gratianum supra in cap. *Si qua virgo*, addit, *posse eu sierum anitatem, si ita probauerit Episcopus loci*, non posset autem si matrimonium esset nullum; quamquam potest exponi de humanitate quoad absolutionem à censura, non quoad cohabitationem, seu permissionem permanendi in tali statu. Vnde in ipso Concilio secundum aliam versionem additur, *Confitentibus autem decernimus posse Episcopum misericordiam elargiri*. Sub illa autem particula, *confitentibus*, comprehenditur satisfactio, & separatio: sic etiam intelligi potest Leo Papa epistola 92. ad Rusticum Narbonensem c. 12. quamuis obscure loquatur, cum solùm dicit monachum nõ posse transire ad nuptias sine peccato, & publicæ pœnitẽtiæ satisfactione esse purgandum cap. *propositum* 20. q. 3. intelligit autem suppolita separatione, & reditu ad suum statum, nam hæc ad condignam satisfactionem necessaria semper fuere, quamuis vlterius illa pœnitentia publice vindicans delictum adhibenda fuisset.

24. Secundo difficultatem faciunt alia testimonia Patrum eiusdem antiquitatis, qui loquentes de eisdem Virginibus velatis, indicant earum votum fuisse dispensabile per Episcopum, vt ex Cypriano epist. 62. supra late tractauimus, constat autem velatas Virgines fuisse illas, quæ alias Deo dicatæ, vel sacræ dicebantur, quæque solenni ritu castitatem profitebantur, nam, vt dicit Optatus de schismate li. 6. *Velum non erat aliud, quam Deo nuncupatæ castitatis insigne quoddam, quo sacræ à non sacris virginibus dignoscebantur*: sumiturq; ex Concilio Romano sub Syluestro, c. 20. vbi hac ratione hoc velamen non permittebatur eo tempore imponi vsque ad ætatem septuaginta annorum. Et nihilominus illud votum nõ reputabatur adeo graue, quin posset per Episcopum dispensari, vt notatũ est: imo Gelasius Papa cap. *de viduis* 27. q. 1. de eisdem loquens non cogit eas separari, si nubant, sed suæ cõscientiæ committendas dicit. Maiorem vero difficultatem ingerit locus August. lib. de bono viduitatis cap. 9. & 10. vbi ex professo probat matrimonium à talibus virginibus contractum esse validum; & tacite respondet ad illam rationem de sponsatione facta cum Christo, indicãs esse metaphoricam, ac propterea inefficacem: nam matrimoniũ spirituale cum carnali per se non repugnat; sed hæc etiam magna ex parte in superioribus soluta sunt.

*Vide etiam Conc. Parisiense sub Ludouico, & Lotario lib. 1. c. 42. & Concil. Toletanũ 6. 5 & 6.*

25. Tertio videtur difficilior locus apud Basilium epist. 1. ad Amphilochium can. 18. qui sic habet de lapsis virginibus, quæ vitam in honestate Domino professæ sunt. Deinde *quoniam carnis perturbationibus subiectæ sunt, sua pacta conuenta infirmarunt. Patres quidẽ clementer, & leniter in eorum qui labuntur infirmitatem se gerentes, esse admittendas censuerunt post annum ad similitudinem bigamorum discernentes. Mihi videtur quod quoniam Dei gratia procedens Ecclesia sit fortior, & ordo virginum nunc augetur, est adhibendus animus rei quæ per intelligentiam cernitur*, &c. Et ipse postea statuit, vt prorsus separetur, & aliter ad communionem non admittatur. Ex hoc ergo canone videtur colligi, ante Basilium tale matrimonium à sanctimoniali contractũ, fuisse validum, quamuis in pœnam delicti cum ipsa anni pœnitentia imponeretur, & nota seu irregularitas bigamiæ adiungeretur, per Patres autem, quos Basilius allegat, intelligere videtur Concilium Ancyranum, quod per quadraginta fere annos ipsum Basilium antecessit, nam in Canon. 18. sic habet. *Quicunque virginitatem promittentes* (vel vt alia litera habet, *professæ*) *irritam faciunt sponsionem, seu professionem suam, inter bigamos censeantur*, ibi tamen nullam mentionem facit de admissione post annum, quam commemorat Basilius. Vnde ex vi solius Concilii non recte aliqui colligunt Concilium censuisse, illud matrimonium esse validum, eo quod bigamia ibi videatur imponi, propter duplex matrimonium, vnum cum Christo, & aliud cum homine, nam facile intelligi potest illam non fuisse veram, sed inter-

pretariuam bigamiam; sicut nunc etiam censetur, bigamus, qui post votum solenne continentiæ matrimonium contrahit. Basilius autem sic hunc Canonem citat (quod mihi incertum est) videtur significare in eodem Concilio permissum esse, vt tales personæ post annum pœnitentiæ in huiusmodi matrimonio cohabitare relinquantur; vel certe si non in illo Concilio, saltem ab aliquibus antiquioribus Episcopis ita iudicatum esse significat, quod iudicium plane supponit tale matrimonium reputarum fuisse validum, alioqui error fuisset intolerabilis. Fortasse ergo ita illo tempore fuit; nullum enim est hoc inconueniens, cum hoc ius Ecclesiasticum sit. Possumus autem aliquo modo locum hunc Basilii exponere, cum ait, Patres antiquiores benignè decreuisse, vt post annum tales virgines lapsæ admitti possent, non esse hoc intelligendum de admissione ad perseuerandum, & cohibitandum in suo illicito matrimonio, sed de admissione ad communionem post peractam pœnitentiam, & factam separationem; quod enim Concilium Illibertinum statuit fieri debere in fine tantum vitæ, illi Patres Græci censuerunt fieri posse post annum: tanta est in humanis iudiciis pro locorum temporum ac personarum varietate diuersitas. Iuxta hanc ergo interpretationem Basilius nõ addidit illi decreto irritationem matrimonii, sed vel pœnam, vel illud tempus pœnitentiæ auxit.

26 Ex his ergo satis constat quam sit obscura, & incerta antiquitas huius solennitatis, seu efficacia voti castitatis religiosæ, ad dirimendum matrimonium subsequens; & ideo in genere fateor mihi non satis constare, quid in hoc seruatum fuerit in vniuersa Ecclesia ante tempora Basilii, & Chrysostomi, Innocentii Primi, & Ambrosii, fieri enim potuit, vt ab ipsismet Apostolis statim hæc institutio inceperit; quid enim repugnat, vel vnde poterit contrarium ostendi? Testimonia enim quædam Athanasii & Epiphanii, Cypriani, & Augustini, quæ contra hoc afferri solent, in superioribus à nobis tractata sunt, & quia de hac causa non loquuntur. Veruntamen neque hoc affirmare possumus, cum sufficienti fundamento, quia reuera nullum inuenitur in historiis, aut Patribus illius ætatis. Imo negare non possumus, quin in eis inueniantur indicia aliqua sacrarum virginum, vel monachorum, quorum matrimonium licet damnaretur vt illicitum, toleraretur vt iam factum: & de illo est absolutè sermo, tanquam de vero matrimonio, vt maximè videre est in Concilio Toletano I. cap. 16. & 19 Arelaten. II. cap. 33. & aliis supra citatis, & potest etiam videri Petrus Damianus epist. 5. cap. 11. vbi refert religiosum quendam duxisse vxorem, ac propterea fuisse diuinitus castigatum, semper tamen de illo loquitur, tanquam de vero matrimonio, & vera vxore. Quare etiam verisimile est fuisse in hoc varias consuetudines in Ecclesia, donec Ecclesia Romana generalem de hoc legem statuit.

Sicut enim approbatio religionum olim erat cõmissa Episcopis; ita verisimile est, in modo probationis, & institutionis fuisse inter eos varietatem, quia cum nihil circa hoc haberent à Christo institutum, aut ab Apostolis traditum, facile fieri potuit, vt quidam in suis Episcopatibus religiosum statum sine tali condit one instituerent, & approbarent; alii vero illam adiicerent; vel denique alii vtrumque vouendi modum pro diuersis personis, seu statibus reciperent. Nec mirandum est quod potuerint tunc Episcopi hoc impedimentum irritans adiicere alicui professioni virginitatis etiamsi non esset in vniuersa Ecclesia introductum, quia quoad hoc probabile est potuisse tunc Episcopos, quod non erat eis prohibitum, & cum potestate approbandi religionem, hanc etiam fuisse illis concessam: nam licèt status religiosus non necessario habeat hanc conditionem iure diuino annexam, nihilominus quod possit illam habere, ex iure diuino manauit per potestatem datam Ecclesiæ, ad instituendum, & approbandum statum religiosum, hoc vel illo modo. Cum ergo pro illo tempore potestas approbandi religionem simpliciter fuerit concessa vnicuique Episcopo pro suo Episcopatu, verisimile est datam esse in tota illa amplitudine, & sine restrictione. Vnde si fortasse ante tempora Basilii hic mos non erat introductus, potuit ab ipso inchoari, & paulatim dilatari per approbationem aliorum Episcoporum, vt Chrysostomi, Ambrosii, &c. ac tandem per Innocentium I. quamuis Illibertinum Concilium his Patribus antiquius sit, in quo iam huius impedimenti imitantis vestigium inuenitur, licet subobscurè.

*Videatur Virgilius. 2. disp. 16. c. 7. Bibliander tom. 2. disp.*

27 Ad fundamenta aliarum opinionum nihil ferè respondere necesse est, nam de prima iam ostensum est, falso niti fundamento, & in superioribus hoc sæpe tactum est, & infra tractando in particulari de dispensatione huius voti iterum dicetur. Illa vero distinctio Soti de voto castitatis solennizatæ per professionem religionis, quod aliquando hoc habeat ex natura talis voti, aliquando ex institutione Ecclesiæ, non video qua probabilitate fundari, declarari, aut defendi possit. Non omittam interim aduertere Caietanum, quanuis alias teneat solennitatem huius voti esse de iure Ecclesiastico; nihilominus tom. 1. opusculorum tract. 27. affirmare, hoc votum per se, & ex natura sua irritare matrimonium subsequens. Constituitque in hoc differentiam inter votum castitatis, ordinis, & religionis, quod illud mere per accidens & ex Ecclesiæ impedimento superaddito irritat matrimonium; hoc vero per se & ex natura rei. Rationemque huius differentiæ reddit, quia in ordinatione, non fit exhibitio propria corporis proprii ad aliquid repugnans matrimonio, sed promissio tantum; in professione autem fit exhibitio corporis ad statum repugnantem matrimonio; indicet ergo ex statuto Ecclesiæ pendere, quod talis exhibitio acceptetur, vel non acceptetur; posita autem tali acceptatione putat ex natura rei sequi nullitatem matrimonii. Veruntamen, quanuis forsasse hoc non repugnet cum alia sententia eiusdem Caietani, de dispensabilitate huius voti, de quo supra dictum est, & in fine huius dispensationis aliquid addetur: nihilominus non censeo id esse absolutè, & in rigore verum, propter multa quæ in superioribus tractaui. Et specialiter, nunc expendo dictum cap. *vt lex* 17 q. 1. vbi in primis æqualiter hic effectus tribuitur vtrique voto, & deinde eadem de vtroque redditur ratio his verbis. *Huiusmodi nanque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus*: nam si illa lex est tantum declaratiua, plane supponit, in vtroque voto hanc nullitatem prouenire, ex repugnantia Ecclesiasticæ regulæ directe prohibentis, & irritantis. Si vero illa lex est etiam constitutiua clarius constat vi tute illius immediatè fieri talem irritationem. Vnde etiam destruitur fundamentum Caietani, nam ante illam legem erat in Ecclesia verus status religionis, & exhibitio corporis ad illum, & acceptatio ex parte Ecclesiæ cum approbatione talis status, & nihilominus non irritabatur matrimonium; signum ergo manifestum est, hoc non prouenire ex naturali repugnantia status, seu exhibitionis acceptatæ, sed ex lege superaddita. Quæ ratio suam efficaciam retinet, etiamsi illud decretum non fit constitutiuum de nouo huius impedimenti, quocunq; enim tempore illud decretum cæperit, potest argumentum fieri, q ante illud tempus præcessit religiosus status. Quod si quis con-

contendat illam legē irritantem incepisse à temporibus Apostolorum, præterquam quod difficile poterit id probare, difficilius suadebit esse tam necessariam connexionem inter illum statum, & talem legem, vt esse non potuerit antiquior status, quam lex, quod etiam à nobis supra probatum est, & sufficit ad efficaciam dictæ rationis. Denique nostris temporibus vidimus Ecclesiam approbantem religiosum statum, in quo vera fit exhibitio, seu traditio corporis, ad obsequium religiosum Dei, & Ecclesiæ authoritate acceptatur; & nihilominus votum castitatis in eo statu factum non irritabat matrimonium subsequens, donec lex irritans superaddita est.

28. Dicet fortasse aliquis, posita illa lege ex natura rei sequi nullitatem matrimonij ex tali voto, quia iam fit traditio sub illa apprehensione, & ratione, & cum voluntario consensu, & sub eadem acceptata. Sed profecto idem dici potest de ordinatione sacra, nam posita lege irritante, volūtarie se offert quis tali monasterio sub eadem apprehensione, & ratione, & sub eadem acceptatur votum eius. Quocirca ita potest dici hic effectus sequi ex natura rei posita lege, sicut ex naturali lege tenemur obseruare positiuam legē, ex suppositione eius, & nihilominus absolute obligatio ad talem actum est ex iure positiuo. Ita ergo in præsenti irritatio simpliciter est ex iure humano, quāuis ex suppositione legis necessario consequatur; sicutetiam contingit in lege irritāte matrimonium inter consanguineos; nam sicut ibi lex non mutat gradum consanguinitatis, sed addit illi hoc impedimentum; ita etiam hic non mutat statum, quem potest integrum supponere, sed addit illi simile impedimentum. Omitto, nulla sufficienti ratione probari posse talem repugnantiam naturalem, inter hunc statum, & illud vinculum, imo potius ostendi posse nullam esse, quia hæc sufficienter in superioribus adducta sunt.

29. Ad fundamenta secundæ sententiæ sufficienter responsum est, ex omnibus, quæ adduximus, & si attente considerentur omnia, quæ ibi adducuntur, solum continent authoritatem negatiuam, quia in antiquioribus decretis non inueniūtur ita expressa verba irritantia; iam vero ostendimus multa signa sufficientia inueniri, cum directa & absoluta prohibitione, quæ sola posset sufficere, præsertim iure antiquo, iuxta sententiam valde receptam, & satis expressam, in leg. *non dubium*, C. de legibus, & per D. Gregorium in quadam epistola approbatam.

## CAPVT XXII.

### *Votum solemne castitatis religiosæ vim non habere dissoluendi matrimonium ratum, & consummatum ostenditur.*

1. Error affirmans votum solemne dirimere matrimonium ratum, & non consummatum.

CIrca quæstionem hanc duos extremos errores refert Bellarminus libr. 2. de Monachis cap. 38. Prior est, votum solemne posse dissoluere matrimonium ratum etiam consummatum, de posteriori autem dicemus capite sequenti; hic autem tribui solet Iustiniano in l. vltima, C. de Episcopis, & clericis. Sed lex illa directe solum disponit de sponso, & sponsa, quibus nominibus vir, & mulier appellantur ante matrimonium consummatum: & ita de illo sine dubio intelligitur directa dispositio illius legis, de qua infra dicemus; de quibus etiam est sermo in Authentica de sanctissimis Episcopis collat. 9. cap. 39. in cap. autem 40. videtur generalius loqui, dicens: *si vero constante adhuc matrimonio aut vir solus, aut vxor sola intrauerit monasterium, soluatur matrimonium, & citra repudium postquam persona pergens ad monasterium schema perceperit*: id est, professionem fecerit, seu habitum professorum receperit. Sed hic etiam textus potest de matrimonio rato intelligi; nam etiam post illud contractum vocantur vir, & vxor, & hanc expositionem significauit glossa ibi intelligens prius caput de sponsalibus de futuro, quod videtur necessarium, ad distinguendas illas duas leges, & satis consentaneum proprietati verborum, nam sponsalia præsertim distincta contra matrimonium, nihil aliud significare possunt, nisi pactum de futuro, neq; in illis leg bus inuenio aliquid, quod cogat. Consequenter autem loquendo oportebit etiam dictam legem vltimam de sponsis de futuro intelligere, quod autem in fine eius quasi in exemplum adducitur de marito & vxore, de quib. supponitur religionis causa à coniugio recedere, intelligetur de matrimonio ante consummationem, nam lex alia quam ibi Iustinianus allegat, non extat, vt glossa aduertit. Vel certe potest vterque locus de matrimonio absolute intelligi & de separatione, seu de solutione matrimonij, etiam in communi, ita tamen vt accommodari debeat secundum partitionem accommodatam, scilicet, vt matrimonium nondum consummatum simpliciter, & quoad vinculum dissoluatur, consummatum vero solum quoad vsum, & cohabitationem. Atque eodem modo potest intelligi, quod idem Imperator dixit in Authentic. de nuptijs collat. 4. titul. 1. cap. 2. vbi inter alios modos, quibus *distrahuntur*, id est, dissoluuntur, *contrahentium matrimonia*; vnus est per transitum alterius partis ad meliorem, id est, religiosam vitam, quod, vt ibidem significatur, potest libere facere, sine licentia alterius. Sed reuera Iustinianus his locis nimis indistincte loquitur. Et ratio, quam vltimo loco subdit, de omni matrimonio procedit, scilicet, quia professio religiosa mors quædam ciuilis est, ergo non minus dissoluit matrimonium, quam mors naturalis. Sentit ergo, sicut mors naturalis dissoluit quodlibet matrimonium, etiam consummatum, ita etiam professionem religiosam id facere. Atque ita intellexit legem illam glossa ibi, vnde fatetur, Iustinianum loquutum esse secundum ius ciuile, illud vero esse secundum ius Canonicum.

2. *Votum solemne non dissoluit matrimonium consummatū.*

Pro certo ergo supponimus, votum castitatis, quantumuis solemne, non dissoluere matrimonium consummatum, etiam in eo casu in quo validum est, nam si sit inualidum, constat nullum posse habere effectum voti solemnis, & cessat etiam tunc ratio Iustiniani, quia nulla est tunc mors ciuilis. Est autem tale votum inualidum in illis casibus, in quibus inualida est talis professio, scilicet, quando fit ab vno coniuge sine licentia alterius, iuxta cap. 1. & caput *ex parte*, cum similibus de conuersione coniugatorum, & quæ supra tradidimus de professione religiosa. Quod ergo nec tale votum validum hunc habeat effectum, certum est, quia matrimonium consummatum inter baptizatos prorsus indissolubile est, iuxta illud, *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, Matth. 19. Dicet aliquis professionem iure diuino dissoluere tale matrimonium, & hoc non esse contra illam CHRISTI sententiam, quia tunc non homo, sed Deus illos separat. Sed tale ius diuinum in vniuersum nullum est, vt infra ostendam, multo vero certius id est respectu matrimonij consummati, nam si ius diuinum hoc statuisset, nunquam Ecclesia contrarium decreuisset, decreuit autem, vt statim dicetur. Sumi etiam potest ex Paulo 1. ad Corinth. 7. dicente, *Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. quia nimirum vinculum nunquam dissoluitur, siue iure, siue iniuria separentur. Hoc etiam sumitur ex multis decretis, quæ refert Gratianus 27. quæst. 2. cap. *sunt qui dicunt*, cum sequentibus, & cap. illud est

Gregorij Papæ lib. 9. epist. 39. vbi citat in contrarium legem Iustiniani supra adductam, & dicit repugnare legi Christi. Alia decreta videri possunt toto tit. de conuers. coniug.

3. *Corollaria excitatis iuribus.* Est autem hoc loco considerandum ex illis decretis & iuribus præcipue haberi duo. Vnum est, post matrimonium consummatum non posse vnum cõiugem iuste profiteri religionẽ inuito alio, & quamuis faciat, non solui matrimonium, nec priuari alterum iure petendi debitum; quod totum certum nũc est, ac de fide, vt patet ex testimonijs adductis, & sensu totius Ecclesiæ, & ratio etiam supra facta hoc conuincit, tum quia tale votum est contra iustitiam, & ideo non potest esse gratum Deo, nec priuare alterum iure suo: tum etiam, quia matrimonium consummatum iure diuino est indissolubile, & nullum potest ostendi ius diuinum, quo talis exceptio fiat, seu quo dissolutio per talem actum concedatur, præsertim per actum iniustum. Secundum, quod ex dictis iuribus sumitur, est, tale votum esse prorsus inualidum, & hoc credimus esse iure positiuo introductum, non ex sola rei natura, vt supra de professione dixi. Nam licet votum illud obligare non possit ad id, quod iniustum est, nihilominus ex natura rei loquendo posset valere ad obligandum ad multa, quæ licite fieri possunt; sicut ibi latius explicaui.

4. His vero duobus punctis, alia duo adiungi possunt. Vnum est posse vnum coniugem ex consensu alterius, & seruatis conditionibus iuris valide emittere tale votum. Quod satis constat ex toto titulo, de conuersione coniugatorum, & in superioribus tractatum est. Aliud est, tale votum, quantumuis validum, non dirimere vinculum matrimonij cõsummati: nunquam enim potest alter coniux, viuente altero, quantumuis religioso, valide matrimonium contrahere, vt ex dictis iuribus constat, quæ propterea postulant semper conuersionem aliquam, & securitatem castitatis ex parte vtriusque coniugis. Et ratio à priori est, quia indissolubilitas talis matrimonij iam non pendet ex priuata voluntate talium personarum, & ideo quoad hoc nihil operari potest licentia alterius coniugis. Nullum autem est ius diuinum, vel Ecclesiasticum, quod in eo casu vinculum illud dissoluat. Et ita soluitur fundamentum Iustiniani: nam mors ciuilis non æquiparatur naturali, quoad omnes effectus, sed solum quoad casus in iure expressos, vt explicauit Bartolus ibidem cum glossa in cap. *susceptum*, de rescriptis in 6. verbo *non morte*; & glossa in cap. *placuit* 16. quæst. 1. Posset vero hoc loco inquiri, quamuis de facto hoc ita sit, an possit Ecclesia statuere vt tale votum sic valide factum de licentia alterius coniugis irritet vinculum ipsum matrimonij consummatum; nam in hoc non videtur ita certum quod Ecclesia non possit hoc facere, quia licet intelligamus verba illa Christi; *quos Deus coniunxit, homo non separet*, de matrimonio consummato, nihilominus non fieret contra illa per talem dispositionem Ecclesiasticam, quia, vt in simili dixit Innocentius III. in cap. *inter corporalia*, de transl. Episcop. non humana, sed potius diuina potestate coniugium dissoluitur, quod authoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Iesu Christi, soluitur.

*Dubitatio, an Ecclesia possit facere, vt tale votum valide factum dissoluat vinculum matrimonii cõsummati.*

5. Dicendum nihilominus est, non posse talem institutionem ab Ecclesia fieri: cuius magnum signum est hactenus hoc non fecisse, & D. Greg. dicta epistola 9. cap 39. manifeste docet hoc repugnare diuino iuri, *Nam licet lex humana* (inquit) *hoc concesserit, lex diuina tamen prohibuit*: & postquã retulit verba Christi, subdit, *Quis ergo huic cœlesti Legislatori contradicat?* & deinde expendit illa verba, *erunt duo in carne vna*, dicens non posse postea vnam, & eandem carnem iterum diuidi, vt ex parte continentiam seruet, & ex parte polluatur, licet ex communi consensu possit vterque religionem, vel castitatem profiteri. Ratio autem à priori esse videtur, quia hoc repugnat intrinsece iuri naturali, & in lege gratiæ specialiter repugnat significationi perfectæ sacramenti matrimonij, & ideo Christus Dominus nec instituit, nec permisit, nec potestatem concessit ad tale matrimonium dissoluendum religionis causa. Vnde lex illa, *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, quæ naturalis est, & non tantum positiua, simpliciter intelligenda est de homine, siue vtatur potestate humana, siue diuina, quamuis enim Pontifex dispensans in aliquo voto, v. g. vtatur potestate sibi à Christo data, nihilominus simpliciter homo est, qui dispensat: in præsenti ergo simpliciter legatur per institutionem, vel actum hominis tale matrimonium posse dissolui. Imo addo nec Deum ipsum vtendo præcisa gubernatoris potestate posse secũdum ordinariam potentiam tale vinculum soluere, quia directe repugnat iuri naturali, quamuis vtendo absoluta potestate, & supremo dominio, possit hoc facere, de quo alias, quia ad præsens non refert, quia potestas Ecclesiastica, non se extendit ad omnia, quæ Deus potest de potentia absoluta.

6. Contra hanc autem catholicam veritatem obiici potest verbum Christi Domini Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, &c. non potest meus esse discipulus*, adiuncto testimonio Basilii in Regulis fusius disputatis cap. 12. vbi significans si quis habens vxorem, illa inuita religionem postulet, virtute dictorum verborum recipi posse, *Parendum enim est* (inquit) *præcepto Domini, qui dixit: Si quis venit ad me, &c. non enim est, quod antiquius esse debeat, quam vt Dei iussis pareatur.* Sicut filius veniens ad Religionem inuito patre recipiendus est; videtur enim Christus æqualem in hoc facere conditionem vxoris, & parentis. Vel sicut etiam Paulus dixit, 1. ad Corinth. 7. posse vnum coniugem conuersum ad fidem separari ab infideli coniuge, quando non potest cum illo cohabitare sine iniuria Creatoris; ita ergo, si non potest esse discipulus Christi coniunctus vxori, poterit illam dimittere, vt religiosus fiat, ipsa etiam inuita. Denique huius rei exemplum refert Cassianus collat. 21. cap. 8. 9. & 10. de Theona, qui inuita vxore ad monasterium migrauit, quem ait Cassianus reprehendi non posse cum miraculis claruerit, nec dubitari potest, quin matrimonium illud consummatum fuisset, nam per quinquennium cum vxore cohabitauerat.

7. In hac obiectione verba Christi facilem habent sensum: nam esse discipulum Christi, vt in superioribus notauimus, dupliciter accipi potest. Primo vt est generale ad omnes, qui in Christum credunt. Secundo vt est speciale eorum, qui per viam perfectionis eum sequuntur, vtroque autem modo potest ibi accipi, & quidem si accipiatur priori modo, nihil ad rem præsentem facit, quia clarum est, non oportere dimittere vxorem, vt hoc modo aliquis sit discipulus Christi, sed odio habere illam, in hoc sensu solum est non ita illam diligere vt Christum, vt Matth. 10. explicatur, & consequenter illi non consentire, sed resistere in eis, quæ legi Dei repugnant. Sumtem accipiatur posteriori modo, sic generatim loquendo, & cum proportione odisse vxorem, erit, non ita diligere illam sicut perfectum Christi amorem, & non consentire illi, sed potius resistere etiam in his, quæ repugnant charitatis perfectioni. Quia vero perfectionis via consiliorum est, & consilia supponunt obseruantiam præceptorum, sicut perfectio charitatis supponit substantiam charitatis,

*Distinctio. Christus quo sit discipulus.*

tis, ideo manifestum est illud odium sic declaratum in ordine ad perfectionem intelligendum esse seruato ordine iustitiæ, & charitatis in his, quæ præcepta sunt. Potest autem vno modo antecedenter exponi: Cur enim non dicetur odisse vxorem qui noluit habere illam? postquam vero illam iam habet, ita potest illam odio habere, sicut potest licitè sequi viam consiliorum in his, quæ iuri vxoris non repugnant; poterit ergo vel ab ipsa separari quoad vsum, ea consentiente, vel si non consentiat, seruare illa opera perfectionis, quæ illi statui non repugnant, & quoad hoc odisse vxorem, si ei resistat. Vinculum autem solum necessarium non est, etiam quoad statum perfectionis, & ideo quamuis talis status assumatur de consensu vxoris, vinculum non soluitur; quandiu vero vxor non consentit, non est homo capax status perfectionis, quia sua voluntate præoccupatus est, & impeditus; potest tamen actu sequi perfectionem, iuxta capacitatem status, & eodem modo odisse vxorem intra limites iustitiæ. Sicut etiam potest filius dimittere parentem, & in hoc sensu odisse, vt fiat discipulus Christi, & nihilominus si pater grauiter indigeat opera filii, non potest cum illius iniuria eum dimittere, mutando statum, licet possit actu perfectionem sequi subueniendo parenti; qui si in hoc etiam velit resistere, odio habendus est, id est, postponendus Christi amore. Et ita seruatur æqualitas inter vxorem, & parentes non omnimoda, sed proportionalis. Quod autem Paulus dixit de separatione coniugis fidelis, & infidelis, non est ad rem, quia Paulus loquitur de matrimonio contracto inter infideles, quod in illo speciali casu, & ex peculiari Christi institutione dissoluitur; matrimonium autem inter baptizatos, etiamsi alter fiat hæreticus, & sit pertinax, ita vt alius non possit habitare cum illo sine periculo animæ, nunquam dissoluitur quoad vinculum, licet quoad torum sit iusta causa separationis, etiam altera parte inuita: multo ergo minus causa religionis potest sufficere ad talem separationē quoad vinculum, imo nec etiam quoad torum inuita altera parte, quia hic non interuenit necessitas animæ, & consequenter neque ordo iustitiæ, sicut in priori casu.

2. Locus autem Basilii difficilis reputatur, quia videtur docere coniugatum, qui vult religiosus fieri, debere vxoris licentiam postulare, vt debitum ordinem seruet, si autem consentire nolit, sufficere licentiam petitam, etiamsi obtenta non sit; & ideo ab aliquibus exponitur de matrimonio nondum consummato. Basilius autem sine dubio loquitur indistinctè de quibuscunque matrimonio coniunctis, de quibus loquitur Paulus (quem allegat) cum dicit, *Vir sui corporis potestatem non habet.* Nam hoc maxime verum habet post consummationem. Deinde existimo potius negare recipiendum esse in Religione vnum coniugem resistente alio. Sic enim ait, *Si vero dissidens sit altera pars, & assiduè vsque ex aduerso cum altera contendat, quod videlicet minus solicita sit quomodo placeat Deo, hic ea conuenit meminisse quæ dicta sunt ab Apostolo: in pace autem vocauit nos Deus*, & sic concludit hoc membrum planè, dicens conseruandam esse pacem, & non admittendum in Religione vnum coniugem cum iusta perturbatione alterius; subiungit autem verba, quæ videntur huic sensui repugnantia, scilicet, *& sic parendum præ cpto Domini, qui dixit, si quis venit ad me, &c.* Sensus tamen mihi esse videtur, *& sic parendum, &c.* id est, iuxta præmissam distinctionem intelligendum esse illud Christi præceptum, vel consilium, & illi parendum, scilicet vt consentiente vxore quis religiosus fiat, dum vero resistat eam tollere, & prout potuerit orationibus, & ieiuniis intendat, donec Deus consortem moueat, vt consentiat; sicut sæpius contingere ibidem refert Basilius. Ad exemplum autem Thomæ respondemus, illum vel ignorantia excusari, vel speciali motione Spiritus sancti.

## CAPVT XXIII.

### *Virùm votum solemne castitatis religiosæ vim habeat dissoluendi matrimonium ratum.*

1. *Error hæreticorum dicentium non dirimere.*

SEcundus error extremè positus in hoc puncto fuit votum solemne castitatis religiosæ non dirimere quoad vinculum matrimonium ratum nondum consummatum. ita sentiunt hæretici huius temporis, quos refert Bellarminus cum Erasmo in cap. 7. 1. ad Corinth. & in eandem sententiam inclinat ex Catholicis Claudius Spinæus lib. 6. de continentia cap. 4. vt idem Author refert; & alios pro hac sententia citat Medina lib. 5. de continentia cap. 57. Fundamentum est, quia vinculum matrimonii, & sacramentum etiam essentialiter perfectum est ante consummationem; ergo tam est indissolubile, sicut post consummationem; & de illo verificatur verbum Christi Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet*; & verbum Pauli 1. Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*, & illud ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Vnde sicut vnio Christi cum Ecclesia indissolubilis est, ita etiam sacramentum est indissolubile, vt signum habeat proportionem cum signato. Secundo, quia vel votum hoc habet talem effectum natura sua, vel iure diuino positiuo, vel iure Ecclesiastico; nihil horum dici posse videtur. Prima pars minoris probatur, quia hoc votum natura sua nihil plus habet quam votum simplex castitatis, vt supra ostensum est; at votum simplex castitatis non habet natura sua hunc effectum, siue nudum sumatur, vt per se constat, siue coniunctum cum quocunque pacto humano, priuata authoritate facto, vt supra etiam probatum est. Secunda pars eiusdem minoris probatur, quia solennitas voti non est de iure diuino; ergo nec effectus, qui conuenit tali voto, quatenus solemne est, item quia hic effectus non prius tributus est alicui voto castitatis, quam effectus irritandi subsequens matrimonio, vt supra probatum est, ergo sicut irritatio futuri matrimonii non est de iure diuino, ita nec præsenti. Tertia pars probatur, quia Ecclesia non habet potestatem dissoluendi matrimonium ratum, vt maxime probant adducta in primo fundamento. Item quia tale vinculum est indissolubile iure naturæ, quod non potest Ecclesiastica potestas immutare.

2. *Votum solemne castitatis religiosæ dirimit matrimonium ratum.*

Nihilominus dicendum est votum solemne castitatis religiosæ dirimere matrimonium ratum non consummatum, etiam inuito altero coniuge. Conclusio est communis Scholasticorum in 4. d. 38. & Canonistarum in cap. 2. & cap. *ex publico*, & c. *ex parte* 2. de conuersione coniugatorum, ex quibus iuribus hoc manifestè probatur, & ex cap. *commissum*, de sponsalibus, & ex cap. vnico, de voto in 6. & Extrauag. Ioannis XXII. de voto; estque hodie hæc veritas de fide definita in Concilio Trident. sess. 24. can. 6. probari etiam potest ab effectu, quia tale votum non solum validum est, & licitè fit, sed etiam relinquit alterum coniugem liberum, vt matrimonium contrahere possit; ergo signum est vinculum ipsum dissolui. Antecedens patet, ex vsu, & ex iuribus citatis.

3. Respondent aliqui reuera tunc non dirimi matrimonium, sed declarari ab Ecclesia à principio fuisse irritum ex defectu consensus contrahentium.

Hoc autem præterquam quod est contra expressa verba Concilii Trident. est vanum, & sine fundamẽto. Quis enim hoc reuelauit Ecclesiæ? aut quomodo frequentius loquendo non esset falsa, & deceptoria talis declaratio? Quid enim impedit quominus prius talis persona habuerit verum animum contrahendi matrimonium, & postea conceperit propositum mutandi statum? Aut quæ ratio esse potest suspicandi fictionem in tali matrimonio, quod ab eadem Ecclesia iudicaretur validum, & licite consummatũ, si contrahentes in illo permanere voluissent. Nisi quis fortasse fingat Ecclesiam antecedenter irritasse illud matrimonium, & consensum contrahentium dependenter à conditione futura, si alter contrahentium ingressurus esset religionem, ita vt euentus postea subsequens ostendat an matrimonium fuerit ratum, necne. At hoc friuolum est, tum quia sacramenta non conficiuntur dependenter à conditione futura, & contingente; immo eo ipso quod ita fiant, sunt irrita, etiamsi secundum præscientiam Dei conditio esset futura, vt in proprio loco ostensum est, 3. tom. 3. partis, tum etiam, quia talis institutio nullum habet fundamentum, nec vestigium in Ecclesia, esset que intolerabilis error in illa; nam in priuata persona similis intentio esset sacrilega, nedum in Ecclesiastica institutione. Denique in dicto cap. *commissum*, dicit Pontifex, eum qui iurauit alicui ducere eam in vxorem, & postea vult ingredi religionem, melius facturum si prius impleat iuramentum ducendo illam, & postea ante consummationem ingrediatur. Supponit ergo Pontifex tale matrimonium esse validum, tam ex consensu contrahentium, quam ex intentione Ecclesiæ, alioqui per illud non impleretur iuramentum, & ita fuisset superfluum. Quin potius ex illo textu habemus valorem talis matrimonii, non solum non pendere, ex futuro euentu mutandi vitam, verum etiam neque ex præsenti proposito mutandi illam, quia cum illo potest stare consensus votum matrimonium conficiendi.

4. Aliter responderi potest, ex Henriquo quodlib. 5. quæst. 39. vbi licet fateatur assertionem positam esse veram; ait tamen non esse necessariam ad illum effectum: nam dici posset durare primum vinculum, & nihilominus licitum esse coniugi transire ad secundas nuptias ex instituto Dei, qui in eo casu permisit, vnum virum habere simul duas vxores, vnam quoad vinculum tantum; aliam quoad vinculum & vsum: & simili modo vnam mulierem habere duos maritos. Quod si forte loquatur de potentia absoluta, disputabile id est, non solum de matrimonio rato, sed etiam de consummato; sed in hoc non immoror. Si autem id intelligatur de facto, errorem intolerabilem continet responsum; quia in lege Euangelica non potest secundum matrimonium esse validum, durante primo, etiam quoad vinculum, vt constat post totum titulum de sponsa duorum, ex definitione Concilii Trident. dicta sess. 24. can. 2. vbi definit non licere Christianis simul habere duas vxores. Multo autem certius est, non licere eidem mulieri habere simul duos maritos, hoc enim etiam in lege scripta, vel naturæ nunquam licuit. Contendere autem quis potest, Concilium loqui de vxoribus, quæ proprie includunt consummationem cum vtraque, quomodo loquuntur etiam iura Canonica, præsertim toto titulo de sponsa duorum. Sed hoc falsum est, quia certum est secundum matrimonium contractum post primum ratum, licet non consummatum, esse inualidum, quamdiu primum permanet, vt expresse traditur in cap. 1. 2 3. & vltim. de sponsa duorum. Vnde nomen vxoris etiam de sponsa dici solet, quando matrimonium de præsenti interuenit; & ita est Concilium Tridentinum intelligendum: de qua re latius suo in loco, nam res est per se satis clara. Præterquam quod in præsenti puncto Ecclesia satis expresse declarauit primum matrimonium dissolui ante consummationem, per subsequens votum solemne.

5. Quo modo verum diuinum matrimonium sit.

Vt autem propriam rationem huius effectus reddamus, & argumentis satisfaciamus, oportet inquirere radicem, & originem huius effectus, quæ, vt in argumentis sumebatur, potest cogitari triplex scilicet, ius naturale, ius diuinum positiuum, & ius Ecclesiasticum. Est ergo prima sententia affirmans votum hoc dirimere matrimonium præcedens ex natura rei; ita sentit Durand. in 4. dist. 27. quæst. 2. nu. 9. Palud. in 4. d. 27. quæst 3. art. 2. num. 10. in fine, licet subobscure, solum enim reddit rationem, cur tale matrimonium soluatur, scilicet, quia religiosus mortuus est, quoad actus ciuiles, & carnales. Expressius Soto ibi quæst. 1. art. 4. qui in hoc solum fundatur, quod Religio est actus perfectior, diuino iure institutus, & ideo non debet impediri per statum minus perfectum, quamdiu hic dissolui potest, sine graui iniuria tertii: ita vero contingit in matrimonio rato; nam est status minus perfectus, & ex eius dissolutione non sequitur grauis iniuria alterius partis. Quæ ratio est probabilis congruentia, supposita aliqua institutione, absolute autem, & per se sola parum probat; alias per quemlibet statum perfectiorem posset dissolui tale matrimonium: item propter alias rationes, quas statim afferam. Eandem sententiam sequitur Ruardus artic. 18. §. *cum ex dicto sit manifestum*, vbi, licet aliis verbis, eandem rationem indicat, dicens, ex natura rei licitum esse commutare coniugium imperfectum in aliud perfectius, & spirituale. Hanc denique sententiam sequitur Caietan. tom. 1. opusc. tractat. 27. de dispensatione matrimonii, &c. vbi ait tantæ virtutis esse votum castitatis religiosæ, vt soluat matrimonium prius legitime contractum, & non consummatum, non ex statuto Ecclesiæ, sed ex propria natura, quia (vt statim explicat) licet hoc votum habeat solemnitatem ex statuto Ecclesiæ, nihilominus supposita solemnitate, ex natura rei repugnat matrimonio, & vsibus eius; sicut consecratio calicis est ex statuto Ecclesiæ, & nihilominus facta consecratione ex natura rei repugnat illi communis, seu profanus vsus.

6. Hæc sententia probari nulla ratione potest, propter duo præcipue. Primum est, quia si supponamus matrimonium ratum quoad vinculum habere adeo formalem repugnantiam cum vinculo huius voti castitatis, vt ex natura rei non possint esse simul; potius dicendum esset, stando in puro iure naturali, votum factum post tale matrimonium esse nullum, quam esse validum, & dissoluere prius matrimonium: sicut econuerso, quando tale votum supponitur, impedit subsequẽs matrimonium. Sequela probatur, quia ex natura rei contractus prius factus cum vna persona impedit posteriorem contractum sibi incompossibilem, & non rescinditur per illum; sic enim matrimonium ratum non soluitur per subsequens etiam consummatum; & donatio prius facta vni, non irritatur per subsequentem, sed potius illam irritat. Dices hoc procedere inter ea quæ partes sunt, vt sunt duo matrimonia; in præsenti autem matrimonium etiam iam factum cedere statui Religionis propter perfectionem eius. Sed contra si Petrus donauit Paulo rem aliquam, & postea velit eam dare Ecclesiæ in cultum Dei, posterior donatio non irritat priorem, sed potius irritatur ab illa; quia licet ex genere suo videatur perfectior, tamen iam non

non habet materiam aptam, nec capacem illius perfectionis, quia fit de re aliena: ita ergo in præsenti votum vel traditio, quę fit in religione, licet ex se sit melior; tamen facta post matrimonium ratum, fit de re aliena, quia per matrimonium ratum transfertur dominium proprij corporis in alterum, ergo ex natura rei non est bona, nec melior; non esset ergo magis valida quam votum faciendi eleemosynam de re aliena.

7. Atque hinc etiam falsum videtur ex natura rei fieri tale votum sine iniuria alterius coniugis; nam qui priuatur re sua se inuito, iniuriam patitur, quando id fit authoritate propria, & non Principis, seu legis; sed per matrimonium ratum acquisiuit vterque coniugum verum dominium in alterum; ergo ex natura rei priuatio talis dominij propria authoritate est iniuriosa. Respondet Soto non interuenire iniuriam, quia ex natura rei in priori contractu, subintelligitur conditio, *nisi interea alter fuges sanctioris vitæ sibi optare voluerit*. Sed profecto voluntarium est dicere hanc conditionem subintelligi ex natura rei: cur in hoc contractu magis quam in donatione alterius rei homini facta, ta is conditio subintelligitur? Nam cum proportione dici posset, dum aliquid homini donatur, subintelligi conditionem, nisi interim placeat donare illam Deo. Item alias ante legem Euangelicam subintelligeretur illa conditio in quolibet matrimonio rato, liceretque coniugatis etiam in lege Moysis, vel naturæ dissoluere matrimonium ante consummationem titulo sanctioris vitæ. Hoc autem inauditum est, nam creditur hoc esse priuilegium legis gratiæ. Sequela vero patet, quia in his, quæ naturalia sunt, & pertinent ad intrinsecam conditionem contractus, æqualia sunt præsentia & præterita matrimonia.

8. Præterea ex illa conditione sequitur non solum per votum solemne Religionis, sed etiam per votum ordinis sacri, vel per votum simplex perpetuæ continentiæ in statu solitario, aut simili viuendi modo dissolui matrimonium ratum: quod esse falsum quoad votum clericorum, docet Ioannes XXII. in sua Extrauag. de voto; quoad alios vero ostendimus in superioribus. Sequela patet, quia conditio dicebatur esse, *fruges sanctioris vitæ*. certum est autē quamlibet vitam dicatam Deo in cœlibatu esse meliorem, & sanctiorem ex suo genere, quam matrimonium: certum item est esse incompossibilem illi, quia licet sacerdotium. v. g. ex natura rei non repugnet cum matrimonio, tamen ille status vt consecratus voto perfectę continentiæ repugnat cum matrimonio saltem quoad vsum eius, quæ repugnantia dicitur sufficere, iuxta sententiam quam impugnamus, vt magis statim patebit. Quod si quis dicat vitam sanctiorem in illa conditione non accipi in ea generalitate, sed per Antonomasiam pro statu religioso, in quo fiunt vota solemnia, facile impugnabitur, tum quia hoc multo magis est voluntarium, tum etiam, quia si illa conditio per voluntates contrahentium apponitur, ipsi poterunt sub illa includere non tātum statum religiosum, sed etiam quemlibet alium perpetuæ continentiæ, cum ille etiam melior sit; & eadem ratione poterunt per mutuum consensum expressum excludere talem conditionem, & tunc non posset Ecclesia facere, vt tale matrimonium solueretur per subsequens votum, si verum est tantum posse dissolui ratione cōditionis inclusæ. Addo insuper non esse in potestate contrahentium talem conditionem apponere, si ex natura rei non est in ipso contractu necessario inclusa; alias possent etiam matrimonium contrahere, reseruando sibi potestatem retrocedendi ante consummationem, etiam propter alias causas, quod est contra naturam talis contractus; dicere autem illam conditionem esse omnino intrinsecam, & inseparabilem ex natura rei & absolute, gratis dictum est, & respectu status religiosi, seu voti solemnis, vt sic includit repugnantiam. Nam ille status cum illis omnibus conditionibus, quæ ad solemnitatem voti requiruntur, non est aliquid ex sola natura rei existens, nec per solas priuatas hominum voluntates ex natura rei factibile, vt supra ostendi; sed necessarium est, vt in illo interueniat authoritas publica; ergo eo ipso quod sumitur votum cum coniunctione ad talem statum, nō sumitur sine adminiculo iuris positiui, & consequenter non ex sola natura rei dissoluitur. Et hanc rationem arbitror esse efficacem contra quemcunq; modum explicandi hanc sententiam; quæ efficacitas magis ex dicendis constabit.

Atq; hinc etiam facile excluditur alia euasio quorundam dicentium per matrimonium ratum nō dari traditionem, & possessionem rei, sed purum contractum fieri, traditionem autem, & possessionē conferri per copulam, & ideo per subsequentē traditionem, quam includit votū solemne castitatis religiosæ, posse dissolui: sicut contractus venditionis perfectus est in ratione contractus per mutuum consensum; tamē si non sit facta traditio, & eadem res alteri vendatur, & tradatur, secunda venditio tenet, & prima rescinditur. Sed hęc euasio & nullius momēti est, & falsam doctrinā cōtinere potest; nam, vt ab exemplo incipiamus, magna est differentia inter venditionem, & matrimonium, quia per purum contractum venditionis, non transfertur statim, seu actu dominium rei vēditæ, donec aliqua traditio, vera, vel ficta intercedat, vt ex materia de iustitia constat; at vero in matrimonio statim ex vi contractus transfertur dominium vnius coniugis in alterum vicissim, alias nō esset statim licitus vsus, neq; haberet vnus coniugum ius, & potestatem in corpus alterius, quod est contra naturam talis contractus, & ideo natura sua habet hunc effectum, in quo non pendet ab humana lege, sicut pendere potest contractus venditionis: si ergo sensus illius responsionis sit, per matrimonium non fieri traditionem corporum quoad dominium, falsum est, quod assumitur, nec exemplum est ad rem, alias simili ratione probaretur secundum matrimonium postea factum & consummatum, dissolui à primo tantum rato. Si vero sit sensus per contractum matrimonij non fieri traditionem quoad actualem vsum dominij, hoc nihil refert, quia vsus rei non requirit hanc firmitatem contractus, etiam in inferioribus contractibus, emptionibus, & venditionibus, &c. Sufficit enim possessio, seu quælibet actio, per quam transferatur dominium, quæ regulariter prior est, quam vsus rei emptæ. 9.

Et hinc sumitur confirmatio discursus facti; nam si ex natura rei votum subsequens dissolueret matrimonium ratum, etiam dissolueret matrimonium cōsummatum; quod dici nō potest. Sequela patet, quia ex natura rei tam absolute, & simpliciter est indissolubile matrimonium ratum, sicut consummatum. Quamuis enim in matrimonio cōsummato sint plures rationes indissolubilitatis, vt sic dicam, tamen in rato est illa quæ sufficit ad indissolubilitatem simpliciter; & similiter licet in dissolutione matrimonij consummati sit maior iniuria; in dissolutione matrimonij rati est etiam grauis iniuria ex natura rei; quoad hoc ergo dicimus esse paria; & hoc satis esse videtur ad probandam sequelam: nam si votum subsequens ex natura sua potest dissoluere id, quod alias est indissolubile; poterit etiam matrimonium consummatum dissoluere, quia ex sola rei natura non potest sufficiens ratio differentiæ, vel limitationis reddi. Et eodem modo argumentari 10.

possumus; nam si ex sola natura rei admittitur hæc exceptio in matrimonij rati indissolubilitate, possent etiam alia facile excogitari, & admitti.

11. Secundus modus principalis impugnandi prædictam sententiam est, quia vinculum matrimonij rati, & vinculum voti castitatis cum traditione religiosa, non habent formalem repugnantiam, ob quam ex natura rei vnum formaliter excludat aliud: nam ex hoc principio aperte sequitur, quod licet ponamus hoc votum factum post matrimonium ratum esse validum, ex sola sua natura, & secluso omni iure positiuo, non dissolueret vinculum matrimonij. Vt autem illud probem, aduerto aliud esse illa duo vincula ita repugnare, vt non possint simul licite fieri; aliud vt non possint simul permanere; nam ex primo non sequitur secundum, nam post votum simplex castitatis, non potest licite matrimonium contrahi, contractum tamen valet; & è contrario post matrimonium ratum, non potest licite votum solemne ordinis emitti, emissum tamen valet, & ambo vincula simul manent, quia multa fieri prohibentur, quæ facta tenent. Igitur in præsenti non negamus votum castitatis religiosæ, & vinculum matrimonij rati ex natura rei habere saltem hanc repugnantiam, vt non possint licite simul assumi, quia includunt obligationes ad oppositos actus, vt statim dicemus; negamus vero habere naturalem repugnantiam, ratione cuius non possint simul manere. Secundo aduerto, aliud esse, duo vincula obligare ad actus inter se repugnantes; aliud vincula ipsa inter se formaliter repugnare: sæpe enim principia contrariorum actuum possunt esse simul, licet actus ipsi simul esse non possint, vt in naturalibus constat, & in moralibus sæpe quis oneratur pluribus obligationibus, quibus non potest simul satisfacere, & quamuis propter impotentiam excusetur ab actuali executione alicuius, tamen per se illam obligationem in se retinet. Exemplum ad præsens accommodatum est in eo, qui post votum simplex castitatis matrimonium contraxit; nam ex vi voti semper obligatur ad integram castitatem quantum in se est, ex vi autem matrimonij obligatur ad reddendum debitum, & hæc obligatio impedit, & excusat quoad talem actum, vt executioni mandetur. Sic ergo in præsenti fatemur, vsum matrimonij, & integram obseruationem castitatis religiosæ simul exerceri non posse, & nihilominus dicimus vincula, quibus homo per se obligatur ad tales actus, simul esse posse sistendo præcise in natura rei, quia nulla ostendi potest sufficiens ratio formalis repugnantiæ, quia nec ex generali ratione obligationũ ad repugnantes actus id sequitur, vt declaratum est, neq; etiam ex particularibus rationibus talium vinculorum.

12. Quod præterea ostenditur ex his, quæ supra diximus de professione facta post matrimonium cõsummatum inuito alio coniuge; ostendimus enim non esse nullam ex natura rei, sed ex statuto Ecclesiæ, quia illo ablato, posset habere effectum formalem non obstante vinculo matrimonij; nam posset reddere talem personam inhabilem, ad aliud matrimonium etiam post mortem cõiugis, & obligare illam ad seruandam castitatem, quantum potest sine iniuria alterius partis quamdiu viuit, & post mortem eius simpliciter. Ita ergo in præsenti, si solam rei naturam attendamus, non inuenitur formalis repugnantia; tum quia hæc non potest esse maior inter matrimonium ratum, & quamlibet religiosam castitatem, quam sit inter matrimonium consummatum, & professionẽ religionis; tum etiam quia in præsenti cum vinculo illius matrimonij posset simul esse formalis effectus, & obligatio talis voti, quamuis executio eius in præsenti solum esset futura, quanta sine iniuria alterius coniugis esse posset. Tandem si hoc votum natura sua rescinderet illud matrimonium, vel id esset propter absolutam promissionem perpetuæ castitatis; & hoc non, quia simplex votum castitatis hoc habet, vel quia simul cum aliis votis ex traditione constituit religiosum statum; & hoc non, quia in societate votum castitatis, quod Scholares emittunt, constituit statum verè religiosum, & tamen non rescindit matrimonium ratum, vt infra ostendemus. Quod si quis dicat illud votum non esse solemne. Respondemus, hoc parum referre, si effectus ille prouenit ex natura status religiosi, præcise spectati: nam hæc integre reperitur in tali religioso; nam si dicatur prouenire ex solemnitate quatenus est ab Ecclesia, iam non erit ex natura rei, sed ex Ecclesiæ statuto, vt in simili dictum est, sectione præcedenti, & in sequentibus amplius declarabitur, magisque confirmabitur hæc sententia.

Fundamenta igitur contrariæ opinionis parum persuadent. Ad Paludanum enim respondetur, professionem in tantum esse mortem ciuilem, in quantum iure aliquo positiuo morti ciuili æquiparata est, vt paulo antea dicebamus; ea enim quæ non verè, sed fictè iuris talia sunt, neque esse, nec intelligi possunt talia ex natura rei sine adminiculo iuris: Ex eo ergo quod professio dissoluat matrimonium ratum, quatenus est mors ciuilis, potius infertur non id facere ex sola rei natura, sed virtute alicuius positiui iuris. Ad fundamentum Soti responsum ibi sufficienter; nam sola maior, vel minor perfectio non sufficit in his, quæ sunt diuersorum ordinũ, sic enim professio religiosa perfectior seruitus est, quam humana, & nihilominus hæc non rescinditur per illam; nam si seruus profiteatur obedientiã religiosam, nõ liberatur à iugo seruitutis humanę, cum tamẽ illa seruitus non solũ sit minus perfecta, sed etiã dissolubilis natura sua per priuatas etiã voluntates, q̃ non habet matrimonium ratum. Et hoc exemplũ refutat etiam sufficienter, quod Richard. dicebat de commutatione in melius. Hæc enim commutatio ex natura rei non potest propria authoritate fieri in his, in quibus iam alius habet ius acquisitum, quia interueniente iniuria tertii definit esse melius, quod alias tale esset, vt videre licet in dicto exemplo, & in quolibet alio contractu humano (extra matrimonium) per quem sit alteri ius acquisitum. Ad Caietanum ex dictis etiã responsum est, tum quia cum supponit votum solenne vt sic, iam supponit ius positiuum, tum etiam, quia supra ostensum est, ob eam causam non proprie dici votum solenne natura sua irritare matrimonium subsequens. Item exemplum de calice consecrato parum probat, tum quia hic non est alia consecratio, nisi quatenus promissio, vel oblatio facta Deo, dicitur quædã consecratio, tum etiam, quia ex consecratione ad summũ sequitur, non esse licitum profanum vsum rei consecratæ; non verò sequitur talem rem fieri omnino inhabilem ad alium vsum, aut quod per accidens saltẽ licere non possit, vt in superioribus etiam tactum est.

13. Est igitur secunda sententia principalis in hoc casu dissolui matrimonium ratum iure diuino positiuo à Christo Domino specialiter lato in lege Euangelica, per quod voluit dispensare in lege naturali de indissolubilitate matrimonii. Quã sequutus est Abulens. 1. Reg. cap. 8. quæst. 98. Victoria de potestate Papæ propositione 1. n. 6. Gano de locis lib. 3. cap. 4. Et alios quos sequitur Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 19. n. 3. & Rebel. 2. p. de iust. lib. 3. quæst. 4. sect. 2. & 3. Duplex fundamentũ huius sententiæ afferri potest. Primum est, quia hic effectus non est ex sola natura rei, vt probatum est, nec esse potest ex iure Ecclesiastico, quia non habet Ecclesia potestatẽ ad dispensandum in iure naturali; neque ad immutandam naturalem pro

proprietatem matrimonij rati, qualis est absoluta indissolubilitas. Relinquitur ergo vt fieri debuerit iure positiuo diuino. Positiuo (inquam) non solum superaddito puræ naturæ, sed etiam superaddito gratiæ, quia etiam gratia non affert secum ex sola intrinseca natura talem effectū, vt cum proportione probant omnes rationes in præcedenti puncto adductę.

Christus. Dices potius in lege Euangelica, quæ est lex gratiæ, addita est indissolubilitas matrimonio ratione sacramenti, & ratione præcepti à Christo lati, quam diminuta; ergo stando in iure diuino Euangelico non est magis solubile matrimonium ratum, per statum aliquem subsequentem, quã esset iure naturæ. Responderur iuxta hanc sententiam, vtrumq; esse verum: nã duplex ius Euangelicũ in hoc negotio distingui potest: vnum quod secundum legem ordinariam obligat ad indissolubilitatẽ matrimonij rati; aliud quod in particulari casu dispensat ob perfectionẽ legis nouæ. Vnde dici potest legem nouam intensiue hausisse indissolubilitatem illius vinculi, extensiue autem aliqua ex parte illud diminuisse dispensatiue.

17. Secundum fundamentum huius sententiæ est, quia Christus Dominus sine dubio potuit hanc dispensationem concedere, quod autem fecerit, & est cõsentaneum perfectioni legis diuinæ, ne maius bonum religionis per legem illam generalẽ matrimonij impediretur; & consonat etiam traditioni Ecclesiasticæ, cuius nullum initium scriptum inuenitur, q̃ est signum iuris, seu institutionis diuinæ à Christo factæ, iuxta regulam Augustini lib. 4. de Baptis. cap. 24. Talem autem esse hanc traditionem constat tum ex iuribus, & Pontificibus, qui de hac re loquũtur; semper enim de hac consuetudine tractant tanquam de re antiqua, nullusq; sibi, vel alteri attribuit institutionem eius: tum etiam ex sanctorum exemplis, quæ sunt optima iudicia legis diuinæ, teste Augustino lib. de mendacio c. 15. & Gregorio, hom. 10. in Ezechiel. In præsenti autem habemus multa exempla sanctorum, qui ante omnem Ecclesiasticam legem post matrimonium ratum, propter vitæ perfectionem coniugem reliquerunt: quæ exempla late supra tractauimus disputando de voto simplici castitatis, & Alex. III. in cap. 2. de conuers. coniug. generatim ait, *sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt.*

16. Hæc vero opinio duobus modis intelligi potest; prior est, quod Christus Dominus dederit Ecclesiæ suæ potestatem instituendi statum perfectionis, quẽ possent fideles etiam post matrimonium ratum, profiteri, libero dimisso altero coniuge. Alius sensus est, Christum ipsum immediate præcepisse, vt non obstante matrimonio rato liceret statũ religionis assumere, & quod ex hoc statim necessario sequatur illius matrimonij solutio. Prior sensus in re quidem verus est, nam hic effectus esse nõ potest, nisi originem trahat à potestate à Christo data, ille tamen sensus non sufficit, vt hoc dicatur esse de iure diuino: nam omnia iura Ecclesiastica condita sunt per potestatem supernaturalem à Christo datam; tamen quia immediate arbitrio hominum lata sunt, & ab eisdem auferri possunt, simpliciter humana sunt. Et ita authores huius sententiæ non loquũtur in hoc sensu, sed in posteriori, in quo eorum sententia nobis probari non potest.

17. Primo, quia votum castitatis religiosæ non irritat matrimonium subsequẽs iure diuino positiuo, vt ex dictis supponimus; ergo nec irritat matrimonium iam factum. Probatur consequentia ex similitudine rationis. Dices non esse æqualem rationem, quia plus est soluere quod ligatum est, quam impedire ne vinculum fiat. Vnde Ecclesia multis modis potest impedire ne matrimonium contrahendum valeat; soluere autem quod ratum iam est, aut raro, vel forte omnino non potest. Respõdeo, licet in hoc excedat matrimonium iam factum; tamen aliunde est inter hos duos effectus quædam connexio, ratione cuius necessario habent æqualitatem in ordine ad hoc diuinum ius, quia nullum votum potest dissoluere matrimonium ratum, nisi reddat personam inhabilem ad simile matrimonium; quia esset valde absurdum subtrahere coniugem de actuali dominio, & potestate alterius, & relinquere illum liberũ, vt valide possit se tradere alteri in cõiugem, vt supra late deduxi, tractando de voto simplici castitatis. Vnde illa inæqualitas potest retorqueri, & ex illa confirmari ratio facta: nam difficilius est dissolui matrimonium ratum, quam impedire contrahendum; si ergo Christus dedisset voto solenni castitatis priorẽ virtutem, dedisset vtiq; posteriorem, quia nõ minus conueniens esse poterit statui religioso posterior, quam prior, & alioqui non erat conueniens votũ aliquod habere priorem efficaciam sine posteriori; ergo si posteriorẽ non dedit, profecto neq; priorem. Vnde etiam confirmatur, quia verisimile non est, votum solenne cõtinentiæ prius cœpisse in Ecclesia irritare matrimonium contractum, quam contrahendum, sed hoc secundũ non habuit ab ipso Christo, imo verisimile est, non semper habuisse hũc effectum in ecclesia, ergo idem prorsus de primo sentiendum est.

Secundo argumentor ex alio principio, quod so- 18.
lennitas voti est de constitutione Ecclesiæ, vt ex doctrina Pontificum sæpe diximus, nam votum castitatis religiosæ non dirimit matrimonium ratum, nisi solenne sit, ergo non dirimit ex vi solius diuini iuris, sed interuentu, & efficacia iuris Ecclesiastici. Antecedens patet, quia licet omne votum solenne dirimat matrimonium ratum, vt cõstat de voto sacri ordinis in Extrau. vnica de voto Ioan. XXII. è contrario vero nullum votum dirimit matrimonium ratum, nisi solenne sit; dixi autem solum de facto non dirimere, non autem de possibili non posse dirimere, quia fortasse Ecclesia posset id facere, sicut fecit, vt aliquod votũ simplex irritet matrimoniũ subsequens, quamuis fortasse id non expediat, vt in sequẽtibus dicam. Consequentia vero probatur, quia solennitas voti non est de iure diuino, ergo neq; hic effectus, qui voto non conuenit absque solennitate.

Dices, quamuis Christus non instituerit solenni- 19.
tatem voti, instituisse, & præcepisse, vt eo ipso quod votum esset solenne, matrimonium ratũ dirimeret. Sed contra, nam Ecclesia de facto instituit aliquod votum solenne quod non habet illum effectum, vt patet de voto Clericorum. Respondetur illud nõ esse votum solenne simpliciter, sed secundum quid, sc. quoad effectum dirimendi matrimonium post contractum, hanc enim ob causam huiusmodi determinationem addit Pontifex in cap. vnico de voto in 6. Sed contra, nam hinc sequitur votum simpliciter solenne vocari quod vtrumq; habet effectum, scilicet dirimendi contractum, & cõtrahendum, ergo cum solennitas sit ab Ecclesia, & nõ ex institutione, neuter effectus esse potest de iure diuino immediate, sed solum in origine, quatenus de iure diuino est, vt quod Petrus soluit in terris, solutũ sit in cœlis. Vnde in hoc solo sensu potest esse vera illa hypothetica. seu cõposita propositio, scilicet, suppositã solennitate simpliciter voti, de iure diuino esse, vt dirimat matrimoniũ ratum, nam supponere solennitatẽ simpliciter nihil aliud est, quã ponere Ecclesiam voluisse, vt tale votũ sic factum habeat tales effectus. Et confirmo, nam quidquid aliud in voto castitatis religiosæ esse intelligatur antecedẽs, ad directam institutionẽ talis effectus, nõ est solennitas sufficiens ad talẽ effectum, & potest p Ecclesiã fieri vt maneat sine tali effectu, ergo nulla alia solẽnitas cogitari potest, cui de iure diuino sit adiunctus hic effectus, nam si esset, nõ esset ab illa sepa-

separabilis per Ecclesiam in sensu cõposito, vt aiunt. Antecedens patet interrogãdo, quid sit illa proprietas voti, cui adiuncta est iure diuino hæc efficacitas? Aut enim est traditio, & status religiosus; & hoc nõ, quia in aliquo gradu societatis hoc totum inuenitur sine illo effectu; aut est consecratio aliqua, vel benedictio Ecclesiæ, & hoc etiam non, quia est cæremonia valde accidentaria, & posset Ecclesia illam cõcedere sine dissolutione vinculi matrimonij rati, sed sub ea lege, vt aliter etiam coniux perpetuam castitatem seruaret. Et eadem replica fieri potest, quidquid aliud esse dicatur talis voti proprietas, vt, v.g. quod sit absoluta perpetuitas eius, cum traditione, & obligatione mutua, etiam ex parte religionis; nam his omnibus permanentibus in quocunque, vel in aliquo statu religioso posset Ecclesia statuere, vt in eo non dissolueretur matrimonium ratũ, sed quod vel professio non esset valida si inuita altera parte fieret, vel certe si fieret, ex consensu eius ille cogeretur continentiam seruare. Quo n. fundamẽto negare audebimus posse hoc facere Ecclesiam, cũ nullibi reperiatur, à Christo prohibitũ? Et licet generaliter non expediat, tamẽ aliud est agere de absoluta potestate, aliud de cõuenienti vsu eius, & fortasse in aliquo tempore, vel in aliqua prouincia, vel in speciali aliqua religione posset id expedire, vel ad maiorẽ pacem, vel ad maiorẽ probationem ingredientium religionem. Non est ergo cur dicam, hoc esse contra latitudinem Ecclesiasticæ potestatis: nulla est ergo cõnexio ex iure diuino necessaria inter statum religiosum, & illum effectum, nisi quatenus per Ecclesiam formaliter, & directe ad hũc effectum admittitur, seu approbatur, & ideo etiã nunc nõ habet hunc effectũ, nisi votũ castitatis factũ in ꝓfessione religionis approbatæ, & ex vi talis ap,ꝓbationis admissũ, vt solenne simpliciter.

20. *Votum solenne castitatis religiosæ dirimit matrimonium ratum ex Ecclesiæ statuto.*

Concludendum igitur est, votum solenne religionis habere hunc effectum, ex Ecclesiæ statuto. Probatur primo à sufficiẽti enumeratione, quia hoc votum habet hunc effectũ, & nõ ex sola natura rei, neq; ex diuino iure immediate, quæ omnia ostensa sunt; ergo interueniẽte ecclesiastico iure, quia sine iure fieri nõ potest. Vnde Ioan. XXII. in Extrauag. vnica, de voto, negat votũ castitatis ordinis habere hunc effectum, *quia nec iure diuino, nec per sacros canones reperimus hoc statutũ*. Ex quib. verbis colligo, aliquod ex his iuribus esse necessarium ad hunc effectum, & quodlibet eorum potuisse sufficere; ergo merito idem dicimus de voto castitatis religiosę; cum ergo in hoc voto de effectu constet, & de iure diuino non constet, imo sufficiẽter probetur nullum tale esse, sistendum est in iure Ecclesiastico, de quo satis constat.

21. Vnde argumentor secundo: nam hic effectus non excedit amplitudinem Ecclesiasticæ potestatis: ergo optime in institutionem eius reducitur, cum sic facile expediantur omnes difficultates. Antecedens plane colligitur ex dictis verbis Ioan. XXII. Nam si Ecclesia nõ posset hunc effectum alicui voto tribuere, immerito, & valde improprie inter causas huius effectus, vel negationis eius posuisset canonicũ ius, satis enim fuisset dicere, votum ordinis non habere hunc effectum iure diuino, vt inde concluderet nõ habere hunc effectum. Deinde probatur idẽ antecedens, qa absolute loquendo matrimonium ratum dirimi potest propter melioré frugem; cur ergo non posset ecclesia approbare, vt status Episcopatus sit melioris frugis quoad hunc effectũ, vel status Eremiticus, aut cõtinentiæ publicæ professæ in facie Ecclesiæ absq; alijs votis vel conditionibus status religiosi? Deniq; declaratur ratione, quia quãuis Christus Dominus voluerit dispensare cũ Ecclesia sua, vt esset in ea aliqs status perfectionis, per cuius professionẽ posset matrimonium ratum dissolui, vt præcedens opinio supponit, & nos facile admittimus quoad potestatem; nihilominus potuit modũ huius status, & vsum eius Ecclesiæ arbitrio, & institutioni cõmittere; ita, vt neque omni statui perfectionis, aut religionis necessario sit adiunctus hic effectus; neq; è cõuerso soli statui religionis, prout nunc constituitur ex traditione, & tribus votis solẽnibus, esse annexum; nam in toto hoc genere potestatis, & institutionis nulla apparet repugnantia, & alioqui habet magnã congruentiam, quia hęc materia multũ est variabilis, & pro diuersitate temporũ, & locorũ potest nunc expedire vna cõsuetudo, & postea alia; ergo non fuit necesse actũ ipsum irritationis iure diuino institutum esse, sed sufficiens fuit dare potestatẽ, & magis credendum est ita factum esse. Quia ad affirmandã potestatẽ habemus sufficiens fundamentũ in generalibus Christi verbis, *Quodcunq; solueris super terrã, erit solutũ & in cœlis*; addendo nihil repugnare prædictum modum soluẽdi matrimonium ratum comprehẽdi sub illa generali distributionis. Quod facile ostendi potest ex dictis, & magis patebit expediendo difficultates. Item potest fundari in verbo Christi, *Pasce oues meas*, subiungendo huiusmodi institutionem pertinere ad conuenientem pactum spiritualem Ecclesiæ, nec potuisse conuenientius tradi, quam per Petrum.

Tandem argumentari possumus à signo; nam videmus in eo statu Ecclesiastico, vel per illud votum dissolui matrimonium ratum, quod Ecclesia censuit ad hunc effectũ esse sufficiens, & non per alia, etiam si solennia sint, vel ad dirimendũ matrimoniũ postea contractum sufficientia; ergo signũ est applicationẽ huius effectus, vt sic dicam, ad hoc vel illud votum commissam esse Ecclesiæ, quatenus certa aliqua lege posset esse constans. Antecedens patet exemplo satis antiquo, de voto solenni sacri ordinis; nã illud non habet hunc effectũ, quia sacri canones hoc non statuerunt, vt dixit Ioan. XXII. patet etiam nouo exemplo in voto castitatis religiosæ, Scholariũ Societatis, q, in principio nullũ dirimebat matrimonium, quia nondum Ecclesia ad hunc effectũ illud approbauerat; nunc vero dirimit subsequẽs matrimoniũ, si fortè contrahatur, quia ad hunc effectũ iam approbatũ est, non vero dirimit iam cõtractum, quia de hoc effectu nihil Pontifices loquuti sunt, vt infra videbimus. Idem signũ confirmari põt, ex c. *ex parte* 2. conuers. coniug. vbi votũ virginitatis etiã suscepto velo, dicitur nõ dirimere matrimonium ratum, si factum sit animo permanendi in propria domo, & ibi castitatem seruandi; dirimere autẽ si factum sit in professione regulari. Cuius differentię rationẽ assignare nõ possumus sufficientẽ, nisi ex Ecclesiæ determinatione, & institutione; nam si antiqua exempla cõsideremus, q, ad confirmandum hunc effectum afferri solent, in eis solius cõtinentiæ professionem, & obseruantiã inueniemus; q, ergo nũc sit necessaria professio in Religione approbata, Ecclesiastica institutio est. Vnde Panormit. in dict. c. *ex parte* n. 3. & alij ex illo textu colligunt matrimonium ratum non posse dissolui, nisi in casibus à iure expressis. Ad quod etiã potest expendi in eodem textu verbum illud, *Nos autem nolentes prædecessorem nostrum vestigiis deviare*: nã per illud significatur materiam hanc non esse iuris diuini, quam Pontifex nõ possit limitare, sed pendere ex institutione & voluntate eius. Atq; hęc sententia à nobis explicata communior est Canonistarum dict. c. *ex parte*, cum alijs supra citatis, & in c. *desponsatam* 27. q. 2. docet Felinus conf. 26. n. 19 Anchar. reperi. super c. Canonum n. 28. de constit. Garcia. de Benef. p. 7. c. 10. n. 83. & plurium Theologorum in 4. d. 27. & 38. & Henriq. quodlib. 5. q. 38. & alij.

Magis autem confirmabitur hęc sententia respondendo ad fundamẽta alterius, & ad rationes in principio

cipio positas. Ad primam cõcedimus matrimonium, quoad essentiam suam, tam in esse contractus, quam in esse sacramenti, perfici ante copulam per mutuum consensum expressum, ideoq; sub vtraq; ratione esse indissolubile simpliciter priuata authoritate, & arbitrio ipsorum contrahentium. Cum hoc tamen nihilominus stat, vt matrimonium consummatum ratione copulæ, indissolubilius fiat, sub vtraq; etiam ratione contractus, & sacramenti, ita vt iam non solũ priuata authoritate, sed etiam publica vel per potestatẽ à Christo acceptã dissolui non possit. In ratione quidem contractus ratione maioris iniuriæ, tam naturę, quam prolis per se loquendo, in ratione vero sacramenti propter ampliorem significationem, quomodo ex Hieronymo refertur in c. *quapropter*. 27. q. 2. *Cõiugia sponsali conuentione initiantur, & commistione corporum perficiuntur*. vbi glossa. *perficitur* (inquit) *non quoad essentiam, sed quoad significationem*: quia iam non solum vnionem animæ cum Deo, quæ dissolubilis est, sed etiã indissolubilem vnionẽ humanitatis cum Verbo, aut Christi cum Ecclesia, quod expresse asseruit Innocent. III. in c. *debitum*, de bigamis, sic intelligẽs illud Genes. 2. & ad Ephes. 5. *Et erunt duo in carne vna.*

14 Ad secundam rationem dubitandi respondetur, votum solenne religionis habere hunc effectum, ex institutione Ecclesiæ, vt recte discursu ibi facto, & ex omnibus dictis circa priores sententias à sufficienti partium enumeratione concluditur. Ad difficultatẽ autem in contrarium ibi positam respondetur primo Ecclesiam habere potestatem ad dissoluendum matrimonium ratum non consummatũ, & ex iusta causa, siue per dispensationem, siue per iustam & sacram institutionem. Nec refert q̃ matrimonium in ratione contractus sit indissolubile iure naturæ, & nihilominus est dispensabile authoritate Pontificis, quia quatenus in suo fieri, & esse pendet à volũtate humana, subordinatur potestate Pontificis, quamdiu ratione copulæ omnino consummatum non est. Dices, non potest Pontifex rescindere alios contractus inter homines factos cum iniuria tertij; nec posset instituere, vt professio religiosa liberet profitẽtem ab omni debito, vel obligatione ad alium hominẽ illo inuito, & cum iniuria illius, ergo, &c. Respondetur, in alijs cõtractibus merè temporalibus nõ habere Pontificem potestatem adeo directam, sicut habet in matrimonium, q̃ in lege noua eleuatum est ad quoddam esse spirituale, & ideo argumẽtum nõ est omnino simile. Loquendo aũt cum proportione, potest retorqueri: nam Princeps Reipubl. potest dare facultatem ad rescindendum aliquẽ contractum, in aliquo casu, etiã inuito tertio, & cum aliquo detrimẽto illius, quãdo aliqua ratio communis boni id postulat, nec tunc fit iniuria tertij, quia irrationabiliter est inuitus, & quia nõ fit priuata, sed publica authoritate, ex causa iusta. Addo etiam hoc modo posse Pontificẽ per potestatẽ indirectam q̃ habet, circa tẽporalia in ordine ad spiritualia rescindere aliquẽ contractum, si ex eo timeatur aliquod spirituale nocumentum, vel propter aliquod aliud maius bonum spirituale Ecclesiæ, sicut potest etiã relaxare iuramentum, subtrahẽdo materiam eius, quamuis illa humana promissio sit, quãdo ad talem relaxationem sufficiens ratio spiritualis intercedat; vnde etiam posset Pontifex in aliquo casu dare licentiã ingrediendi religionẽ, non obstante aliquo humano debito, vel obligatione alterius cõtractus, quando prudenter iudicaret, id esse moraliter necessarium ad bonum spirituale vnius partis, & nocumentum alterius partis, vel esse parui momẽti, vel non posse, aut debere, pro tunc impediri, vel considerari. In præsenti ergo Pontifex tam per potestatem directam, quã per indirectam potuit instituere, vt per votum castitatis religiosæ dissoluatur matrimonium ratum, ranquam habens supremam potestatem, in spiritualibus, & propter rationem communis boni spiritualis animarum, nulla habita ratione particularis nocumenti alterius personæ, quia moraliter quasi nihil reputatur respectu tãti boni, & non fit cum iniuria, quia non fit authoritate priuata, sed publica. Imo in hoc excedit temporalẽ Pontificem, q̃ non solum potest rescindere contractus natura sua dissolubiles, sed etiã hunc, qui indissolubilis est per voluntates cõtrahentium, quod mirum nõ est, quia non vtitur potestate merè naturali, sed supernaturali sibi diuinitus concessa. Quamquam de matrimonio rato, habente puram rationẽ contractus, ante quã esset institutum in sacramentum, dubitari possit an esset in Republica humana potestas ad dispensandum in illo, ex iusta & publica causa. Sed hoc non est præsentis considerationis.

Neq; etiam obstant verba Christi Domini Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Primo quidẽ, quia respondere possumus cum Innoc. III. in c. 2. de translat. Episcopi. Nõ humana, sed potius diuina potestate matrimonium dissolui, quando p̃ transitum ad statũ religiosum authoritate Rom. Pontificis, quẽ constat esse Vicarium Iesu Christi, talis separatio efficitur. Secundo, quia responderi potest (vt tollatur replica, quæ fieri potest de matrimonio consummato) verba illa dicta esse de coniugibus postquã sunt vna caro. Sic enim legimus Genes. 2. dixisse Adamũ, *Quãobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.* Christus autẽ intulit Matt. 19. *Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro quod ergo Deus cõiunxit, homo non separet.* Explicat aũt Alex. III. in c. 2. de conuersione coniugatorũ, coniuges fieri vnam carnẽ per copulam carnalẽ, & hinc sumit rationem ob quã potest matrimoniũ ratum solui: *Quia cũ non fuissent* (inquit) *vna caro simul effecti, satis potest vnus ad Deum transire, & alter in seculo remanere*: Et ideo in c. *Expublico*, eod. tit. idem Alex. III. de matrimonio cõsummato exponit illud Matt. 5. & 19. *Qui ut q̃d miserit vxorẽ suam, nisi ob fornicationẽ, & aliã duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quæ expositio, quantum ad illum specialẽ articulum, habet specialẽ difficultatem alibi tractandam, quantũ vero ad præsens attinet, à fortiori ex ea concluditur Alexand. III. intellexisse Christum Dominum in toto illo capite loquutum fuisse de matrimonio consummato, & ita intellexerunt textum illum Sot. in 4. d. 27. q. 1. art. 4. & Cano lib. 3. de locis c. 4. & Anselm. Matt. 19. ita exponit, *Erunt duo in carne*, id est, *in carnali copula. Itaq;* (inquit) *quia vnum facit carnalis coniunctio, iam non sunt duo, sed vna caro, quod facit coniunctio carnalis.* Sic etiã D. Th. ibi post expositionem, quam ex Hieronymo refert, scilicet, *in carne vna*, id est, *in carne prolis*, & aliã ex Chrysostomo, id est, *in vno carnali effectu*, subdit ipse suam, id est, *in vno carnali opere*. Theophylact. autem vtcunque coniunxit, dicens, *Quia vna caro facti sunt, & propter coitum, & naturalem amorem coherentes, sicut impium est suã carnem diuidere, ita & cõiuges diuellere.* Et eandem expositionem sequitur Ianscn. c. 96. Concordię Nam licet prius dicat, dici coniuges vnã carnem, non tantũ propter carnalem cõmistionem, sed etiã ob vnam communem vtriusq; corporis potestatẽ, inferius tamen subdit, separationẽ coniugum ante copulam non esse contra illam legem. *Quos Deus coniunxit, homo non separet, quia ante consummationẽ coniugii per actũ matrimonialem nõ dicitur Deus sponsum & sponsam cõiunxisse, quia necdum facit eos perfectos coniuges, necdum coniunxit eos in vnã carnem*: De qua cõiunctione hic Dominũ loquutum fuisse, præcedentia indicãt. Consonat deniq; modus loquendi Pauli 1. ad Cor. 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*, vbi alludit ad verba Adæ. Est tamen maior vnitas inter cõiuges, propter legitimã coniunctionem,

25.

ctionem; & ideo recte dixit Ianſenius in prioribus verbis ad hanc vnitatem requiri, non tantum commixtionem, ſed etiam mutuam corporis poteſtatem, non quia ſingula ſufficiant, ſed quia vtrumque ad vnitatem carnis, quæ inter virum & vxorem efficitur, requiratur.

## CAPVT XXIV.

### *Quo tempore inceperit votum ſolemne caſtitatis religioſæ matrimonium ratum dirimere.*

1. *Primus modus probandi eius originem ex decretis Pontificum*

VT autem reſpõdeamus proprio ac directo fundamento ſecundæ ſententiæ præcedenti capite propoſitæ, inquirendum ſupereſt, quando inceperit votum caſtitatis religioſæ habere hunc effectum diſſoluendi præcedens matrimonium ratum; quia in hiſtorijs nihil de hoc initio legimus, neq; etiam ex Cõcilijs colligi poteſt. Duobus ergo modis hoc initium inueſtigare poſſumus, ſcilicet, vel ex aliquo decreto Pontificio, vel ex antiquis exemplis, & factis ſanctorum. Quod ad priorem modũ attinet, antiquius decretum, q̃ de hac re inuenitur, eſt Euſebij Papæ, qui ſedit ante mille trecentos annos: refertq; illud Gratianus in c. *deſponſatam* 27. q. 2. & communi ſenſu receptum eſt, quãuis in epiſtolis eius decretalibus, vel in aliquo Concilio nõ reponatur, ait ergo Euſebius, *deſponſatã puellam non licet parentibus alij viro tradere, licet tamen illi monaſterium ſibi eligere.* Poſſet tamen aliquis textum hunc intelligere de deſponſata per verba de futuro: nam proprietas vocis non cogit vt magis amplietur, nec materia id permittere videtur, cũ ſit grauiſſima, & quodammodo ſuperans ius naturale, ſi de matrimonio de præſenti intelligantur, & ideo ſi hæc fuiſſet intentio Pontificis, fuiſſet etiã diſtinctius explicanda. Accedit etiam quod verbum illud, *non licet*, ſolã prohibitionem, non incapacitatem indicat, mulieri autem per verba de p̃ſenti deſponſatæ, non ſolũ non licet alteri viro nubere, ſed omnino non poteſt. Vnde hoc decretum Euſebij videtur ſimile illi, quod in Concilio Illibertino legitur can. 34. *Si qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore abſtineant ſe à cõmunione, ſi tamen idem ſponſus, vel ſponſa in illo graui crimine fuerint* (Gratianus 31. q. 3. cum negatione legit, *nõ fuerint*, ſed male, vt ex origi nali, & ex Iuone, & ex ipſo contextu conſtat) *deprehenſi, excuſati erunt parentes*: vbi certum eſt ſermonem eſſe de ſponſalibus de futuro, quæ violare non licet, & ideo excommunicabantur etiam eo tempore qui datam fidem frangebant; fuit autem Concilium Illibertinum paulo poſt Euſebiũ, ſatis ergo apparenter poſſet eius decretum de eiſdem ſponſis intelligi, nam ſicut ſpondere, ita etiã deſpondere, promittere ſignificat; vnde *deſponſata puella* recte dicitur puella promiſſa ſic enim intelligitur illud Ciceronis ad Quintum fratrem, *Dedi eram ad te literas, quibus erat ſcriptum, Tullium Craſſipedi pridie Nonas Aprilis eſſe deſponſatum.*

*Incepiſſe à tempore Euſebii Papa probatur.*

2. Nihilominus gloſſa, & Doctores communiter ibi textum illum intelligunt de deſponſata per verba de præſenti, & idem ſupponit Gratianus ibidem §. *Ecce*, quæ expoſitio admittenda eſt, quia communi cõſenſu, & cõſuetudine, ac traditione eſt recepta, quę ſunt optimi legum interpretes. Item quia in iure, & in eadem materia ita ſumi ſolet vox *deſponſata*, vt patet ibidem in cap. *decreta*, ex Gregorio li. 6. Epiſtolarũ c. 184. epiſt. 20. *Decreta* (inquit) *legalia deſponſatam, ſi conuerti voluerit, nullo omnino cenſuerunt damno multare*; quod verum eſt de deſpõſata, etiam de præſenti, quanquam, vt verum fatear, eadem hic oritur difficultas: nã Gregorius allegat legem Iuſtiniani, in l. vlt. C. de Epiſc. & Clericis, & in Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis collat. 9. c. 39 quod incipit *ſponſalibus*, vbi gloſſa de ſponſalibus de futuro legem illam intelligit, colligiturque ex illis verbis dictæ legis vltimæ, *Sponſus quidẽ omnia, quæ arrharum nomine futuri cauſa contigit dederat, ſine vlla diminutione recipit.* Sed oportet aduertere iuxta leges Iuſtiniani, non ſolum matrimonium ratum, ſed etiam conſummatum potuiſſe per ingreſſum religionis diſſolui, ideoque nomine ſponſalium apud ipſum, non ſolum ſponſalia de futuro, ſed de præſenti etiã comprehendi poſſunt, & per futurum coniugium recte poſſe conſummationem matrimonij intelligi, & ſine dubio Gregorius in caſu matrimonij de præſenti loqui videtur, quia non eſt veriſimile omnia, quæ in illa epiſtola commemorat, in ſponſalibus tantum de futuro accidiſſe, atq; ita intellexerunt etiam textum illum gloſſa & Doctores ibi, & Gregor. Lopez gloſſa penultima in leg. 4. tit. 1. partita 4. Itaq; ex his decretis ſatis colligitur, tempore Euſebij Papæ votum caſtitatis religioſæ habuiſſe hunc effectum. Et poteſt addi alia coniectura, nam ſi Euſebius de deſponſata tantũ de futuro loquutus fuiſſet, non ſolum ingreſſum religionis excepiſſet, quia ſponſalia de futuro alijs modis diſſolui poſſunt, loquitur ergo de matrimonio rato, quod ſolum per profeſſionẽ religionis iure cõmuni diſſoluitur. De tempore vero ante Euſebium nihil poſſumus ex aliquo iure ſcripto oſtẽdere, quia nullum inuenitur. Ex verbis autem ipſiuſmet Euſebij intelligi poteſt, ipſum non condidiſſe hoc ius, ſed ex antiquiori iure rem definiuiſſe, non enim dicit *licet*, tanquam rem nouam ſtatuens, ſed, *licet tamen illi monaſterium eligere*; & ita nõ dubito quin etiam ante Euſebium hoc licuerit.

Superest ergo, vt alia via, ſcilicet ex factis ſanctorũ inquiramus, an mos hic à temporibus Chriſti, & Apoſtolorum inceperit. Maxime enim ſolẽt authores contrariæ ſententiæ hoc fundamento niti; & primo adducunt in exemplum Ioannẽ Euangeliſtam, quem dicunt in nuptijs Canæ Galilææ vocatum fuiſſe ad religioſum ſtatum, antequam matrimonium cõſummaſſet, quod iam vere contraxerat, ſed vt ex ſuperioribus notaui, hoc argumentũ omnino infirmum eſt, quia omnia, quæ in illo ſumuntur, ſunt incerta, & ſine authoritate, & aliqua parum veriſimilia. Nam in primis, Ioannem fuiſſe ſponſum illarum nuptiarum, ad minimum incertum eſt, quia à nullo graui & antiquo auctore aſſeritur; antiquo, inquam, qui prope tempora Apoſtolorũ vixerit, vt ex traditione aliqua id affirmare potuerit. Deinde non eſt admodum veriſimile, Ioannẽ duxiſſe ſponſam priuſquã à Chriſto vocaretur, tum quia valde iuuenis, & ferè puer vocatus fuit, teſte Hieron. li. 2. cõtra Iouinianum; tum maxime, quia incredibile eſt præuentum fuiſſe, vt perfectam virginitatem, non ſolum corpore, ſed etiam animo ac propoſito conſeruaret, nam propter hanc perfectam virginitatẽ ſpecialiter fuit dilectus, eiq; Chriſtus Dominus peculiariter matrem ſuam cõmendauit, vt Sancti docent. Tertio non videtur etiam multum p̃babile, Ioannẽ ſtatim poſt illas nuptias feciſſe votum caſtitatis, & Chriſto inſeparabiliter adhęſiſſe, q̃ fuiſſet neceſſarium, vt à propria vxore ſepararetur. Antecedens patet, quia illæ nuptiæ factæ ſunt primo anno p̃dicationis Chriſti, paulo poſt Baptiſmũ eius, vt ex Euangelio Ioannis conſtat, vocatio autem, per quam Chriſto inſeparabiliter adhæſit, cõtigit ſecundo anno prędicationis Chriſti, vel ſaltem poſt plures menſes, ſcil. poſt miſſum Ioannem Baptiſt. in carcerem, vt colligitur ex Matth. 4. Tandem veriſimile nõ eſt, Chriſtum ſeparaſſe ſponſos illarum nuptiarum, nam iuxta doctrinam Sanctorum illis nuptijs affuit, vt nuptias approbaret, vt conſtat ex Cyrillo, & Euthymio ibi, & Auguſtino ſerm. 41. de tempore, Theodoreto li. 5. diuinorum decretorum, cap. de matrimonio, & Beda hom. 2. poſt Epiphaniam. Non eſt ergo veriſimile nuptias diſſoluiſſe, aut impediuiſſe, alio-

3. *Secundus modus probandi eius originem ex facto ſanctorum*

qui

qui eas potius improbasse quã approbasse videretur. Igitur ad morem hunc confirmandum nihil probabile, nedum certum ex factis Christi afferri potest, nã ex omnibus, quos ad Apostolatum, vel statum perfectionis efficaciter vocauit, de solo Petro constat fuisse coniugatum, vt in superioribus cum Hieronymo diximus, Petrus autem nõ tantum matrimonium ratum contraxerat, sed etiam filiam ex vxore habuerat, vt certa habet traditio; fortasse autẽ iam erat viduus, quando à Christo vocatus est, vt ex Hieronymo indicat Arboreus li. 1. Theosophiæ c. 32. vel certe, si adhuc vxor viuebat, solum fuit ab illa quoad torum separatus, & ipsa non inuita, sed ad continentiam etiã à Christo vocata; quia non est verisimile vsum fuisse tunc Christum absoluta excellentiæ potestate, sed suauiter, ac seruata ratione iustitiæ omnia disposuisse.

4. Primum exemplum del. Tiburt.

De tempore Apostolorum duo exempla præcipua commemorabo. Vnum est Pauli vocantis Theclam à nuptijs priusquam matrimonium consummaret. Quam historiam in superiorib. admisimus, propter authoritatem Epiphanij, Ambrosij, & Augustini: ibi vero etiam aduertimus potuisse facilius illud matrimonium dissolui, quia & sacramentum non fuerat, cum fuisset inter non baptizatos contractum; & quia Thecla non poterat cum sponso illo cohabitare sine iniuria Creatoris, vt ex historia ipsa, & verbis Ambrosij colligitur: addimus etiã potuisse Paulum, tunc Apostolica authoritate matrimoniũ illud dissoluere, & licentiam dare Theclæ ad seruandam castitatem, non solum in proprio statu religionis, cum omnibus votis substãtialibus, de quibus Patres citati nihil cõmemorant; sed etiam in statu simplicis continentiæ, seu cœlibatus perpetuo viuere: hoc enim Põtificiam potestatem non excedit, nam Summum Pontificem Gregorium XIII. aliquando hoc fecisse, nobis cõstat ex eius proprio diplomate, & ex euidentia facti; non nominamus autem personas, quia adhuc viuunt; vnde non colligitur vel illud factum Pauli prodijsse ex institutione diuina, sed solum ex potestate à Christo concessa; vel per illud factum statuisse legem, in posterum ab omnibus seruandam; alioqui inde colligi etiã posset, vt aliqui argumentati voluerunt, per simplex votum castitatis dirimi iure Euangelico matrimonium ratum, quia non cõstat Theclam aliud votum emisisse. Deniq; nunc addimus, nõ satis constare ex historijs sponsalia illa Theclæ fuisse matrimoniũ de præsenti; nam Epiphan. & Ambrosius optime exponi possunt de sponsalibus de futuro. Nam addo in Martyrologio die 23. Septembr. (quem etiam refert Surius) *Thecla* (inquit) *à B. Paulo Apostolo instructa est, quã mater eius cernens Christianam, & nuptum repudiare, malentem Christo sponso adhærere, quã corruptioni carnis subiacere, pergens ad iudicem, accusauit virginem*, &c. Quod n. ait, nuptum repudiasse, nõ solum de carnali copula, sed de toto matrimonio de præsenti intelligi potest, quãuis illud antea spopondisset. Aliud exemplum Apostolorum afferri solet de D. Matthæo, & Iphigenia virgine. Sed illud non est ad rem, nam ibi non matrimonium, sed votum castitatis præcessit, ꝙ ne matrimonium fieret impediuit; non contractum dissoluit; ita enim in historia Matthæi legit ecclesia, Rege mortuo Hirtacus eius successor cum Iphigeniam Regiã filiam vellet sibi dari in matrimonium, Matthæum, cuius opera illa virginitatẽ Deo vouerat, & in sancto proposito perseuerabat, ad altare mysteriũ celebrantem iussit occidi, nullũ ergo matrimonium ibi dissolutum fuit.

5. Secundum exemplum Virginis Iphigeniæ. Hist. Militum. Ruffinus li. 2. c. 41.

Aliæ exempla de Machario, & Alexio, quæ refert Gratianus 27. q. 2. ante c. *desponsatam*, ad quæ iam supra respondimus, de illis duobus viris nõ legi, fuisse veros religiosos, sed solũ vitam solitariam, aut cœlibem instituisse, ac conseruasse, & ideo non posse in exemplum adduci. Nunc vero addimus hęc exẽpla multo post ætatẽ Eusebij Papæ accidisse, nam Alexius mortuus est tempore Innoc. I. qui nonaginta annis post Eusebium vixit. Macharius autẽ non multum antiquior fuisse videtur. Atq; hoc ipsum considerandum est in alijs exemplis, quæ Bellarm. supra refert ex August. li. 8. confess. c. 6. & li. 3. Dialog. c. 14. esto enim illa admittamus, recentiora multo sunt Eusebio Pontifice. Et idem dicã de facto Leobardi, quod suo tempore accidisse refert Gregor. Turonens. in c. vlt. historiæ Sanctorum; nam hic Gregorius æqualis ferè fuit Gregorio Magno. Antiquius sane est exemplum Ecclesiæ, quod tempore Vrbani I. ante annum Domini 230. accidit, quo tempore fortasse iam hæc institutio erat in ecclesia introducta, quam quã ex illo facto ecclesiæ id satis probari non possit; nam illa ante matrimonium contractũ votũ castitatis emiserat; ita enim de illa refert Ecclesia die 22. Nouembris his verbis. *Cecilia à prima ætate Christianæ fidei præceptis instituta, virginitatẽ suam Deo vouens, sed cum postea contra suam voluntatẽ data esset in matrimonium Valeriano, prima nuptiarũ nocte hunc cum eo sermonem habuit: Ego Valeriane in Angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit.* Ex quibus verisimile fit Ceciliam speciali fiducia, ex instinctu Spiritus S. concessa, Deum nõ fuisse permissurum vt matrimonium consummaret, illud contraxisse sine culpa post votum castitatis emissum. Constat autẽ votum illud simplex fuisse, quod non potuit postea contractum matimonium dissoluere; nec post illud matrimoniũ aliquid intercessisse, quod vinculũ dissolueret, quãuis ex consensu Valeriani diuina gratia obtento vsq; ad mortem, ab illius consummatione abstinuerit.

*Vide Cassianum collat. 21. c. 9. & 10.*

6.

Ex his ergo exemplis, & alijs, quæ fortasse adduci possent, non existimo posse sufficienter ostendi, an hæc institutio fuerit perpetua in Ecclesia, à temporibus Apostolorum; neq; an, vel quanto tempore præcesserit Eusebium Papam; sed illud solũ ex exemplis persuaderi videtur, Deum per huiusmodi facta semper ostendisse Ecclesiæ suæ statum perfectionis statui matrimonij esse pferendum, sibiq; fore gratum, vt ab hoc inferiori statu ad illum superiorẽ modo aliquo legitimo, & ab Ecclesia approbato liceat ascendere. Vnde Innocent. III. in c. *ex parte* 2. de cõuersione cõiugatorum commemorans hæc facta Sanctorũ Antiquorũ, non dixit id fecisse ex ordinaria lege à Christo lata, sed ex reuelatione diuina, *quæ superat* (inquit) *omnem legẽ*: insinuans facta illa fuisse potius præter ordinariam legem diuinã. Vnde etiam significat nõ inconsulte dici potuisse matrimonium ratum iure ordinario diuino nõ posse dissolui; subiungit vero statim. *Nos autẽ nolentes à prædecessorum nostrorũ vestigiis declinare*, &c. ac si diceret, approbantes quod ab eis statutum est, & illud reuocare nolẽtes, quia licet sit vltra diuinum ius, non est contra illud, sed est ex potestate ab ipso iure diuino manante. Igitur ex traditione, aut exemplis Sanctorum nihil contra sententiam à nobis traditam colligi potest, nec de initio huius traditionis aliquid certius potest affirmari.

Sed inquiret vlterius aliquis cur Ecclesia non tribuerit hunc effectum voto solenni castitatis ordinis sacri? Nam si vera sunt quę diximus, potuisset hoc facere, cum nõ repugnet iuri diuino, si ergo potuit, cur non fecit? vel certe non fecisse, indicat nõ potuisse; & consequenter etiã indicat hunc effectum soli Christo esse reseruatum. Respondeo, primũ circa potestatem non dubito, quin Ecclesia ex parte sua acceperit potestatem ad hoc faciendũ si iudicauerit expediens; id enim satis significauit Ioan XXII. in sua Extrauag. de voto, vt supra induximus, & recte ꝓbatur ex omnib. adductis, quia indissolubilitas matrimonii rati licet sit omnimoda quoad priuatam authoritatem cõtrahentium, non tamen est tanta, quin per potestatem

7. *Dubitatio, cur ecclesia non tribuit hunc effectum diui mandi matrimonium ratum etiã voto facto ordinis.*

Vicarij Christi dissolui possit. Ergo etiam poterit per hoc medium dissolui, si expediat. Dixi aũt, *quantũ est ex parte sua*, quia ex parte causæ dubitari potest, an sit sufficiens vt illa potestas in actum reducatur; nam, vt supra diximus, agentes de dispensatione voti, in his rebus, quæ attingunt aliquo modo ius diuinum, & naturale, vt vsus potestatis dispẽsandi, vel immutandi aliquo modo talia iura sit validus, necessarium est, vt sufficiens causa intercedat. Iudicium autem de huiusmodi causa prudentiale est, & arbitrarium, & ideo si ecclesia hoc statuisset, facile diceremus nõ defuisse sufficientem causam ad id statuẽdum, hactenus vero non iudicauit talem causam interuenire, saltem, vt huiusmodi institutio expediat, vt iam dicemus.

8. *Opinio asserentium per votum sacri ordinis dirimi matrimonium ratũ reuicitur.*

Loquendo ergo de facto, non defuerũt Canonistæ qui dicerent per votum sacri ordinis dissolui matrimonium ratum, ita tenet Hostiensis in summa tit. de conuers. coniug. §. *& vtrum posit.* Sed hęc sententia reprobata est à Ioan. XXII. in Extrau. vnica de voto, & argumentum Hostiensis est valde infirmũ, sc. à simili, seu à paritate rationis: nam hæc illatio in his, q̃ pendent ex iure positiuo, & maxime in pœnalibus, & irritatorijs decretis, nullius momenti est, & ideo merito Ioan. XXII. rationem reddit, quia hoc non inuenitur in iure, quia iura, quæ de Religione loquũtur, non possunt ad sacrũ ordinem extendi. Alij dixerunt per Episcopatum dissolui matrimonium ratum, esto non dissoluatur per inferiores ordines, etiam sacros. Quam opinionẽ tribuit Hostiensi Couar. in 4. 2. p. c. 7. n. 9. sed reuera opinio Hostiẽsis, est quã retulimus. citat etiã Ioan. Lupum Segouiensem tract. de Matrimonio. Cuiuscunq; vero sit illa sententia, probabilis non est: quia Episcop. præcise ex vi muneris, vel consecrationis non dissoluit matrimoniũ ex vi iuris diuini, vt manifeste supponit Paulus in epistola ad Tim. & Titum, & satis cõstat ex supra tractatis de antiquo more ecclesiæ quoad hanc partẽ: votum autẽ castitatis, tam ex parte, vouentis, quã ex statuto ecclesiæ, idẽ omnino est in Episcopo, & subdiacono, nec maiores obligationes, aut plures effectus inducit in vno, quã in alio, quia nec ex natura rei hoc habet, neq; ex iure Canonico: & ideo Ioan. XXII. simpliciter de sacris ordinibus loquitur, sub quib. Episcopatum includit; & è conuerso alia iura solũ voto religionis hũc tribuũt effectũ, tacite excludendo quemcunq; aliũ statũ, aut votum. & hęc est cõmunis sententia Theologorũ in 4. d. 27. vbi Palud. q. 3. & alij. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 21. §. 3. & Iuristarum, quos refert, & sequitur Couar. supra.

9. *Ecclesia nolui hunc effectum attribuere voto sacri ordinis, vel Episcopatus.*

Hoc ergo supposito, ratio à priori huius diuersitatis, cum non proueniat ex defectu potestatis, prouenit ex defectu voluntatis, quia tamen volũtas ecclesiæ rationabilis est, ideo à nobis peti potest cõgruentia, ob quã cum ecclesia hoc statuerit in voto religionis, non indicauerit expedire idem statuere in voto Clericorũ, etiam Episcopi, cum tamẽ eius status perfectior sit, quã religiosi. Prima ergo ratio reddi solet, quia coniugium, & religiosa professio ex natura rei repugnant, non ita vero matrimoniũ, & sacer ordo. Qua ratione vtuntur non solũ illi, qui putant hunc effectum esse ex iure diuino, vel naturali, sed etiã aliqui ex his q̃ sentiunt esse ex statuto Ecclesiæ, vt patet ex Caiet. Bellarm. &c. Ne vero sit contradictio, & ratio sit alicuius efficaciæ, intelligẽda est de repugnantia non inter vincula, & obligationes, hęc enim nulla est ex sola rei natura inter vinculũ matrimonij, & religionis, vt supra ostendi, sed intelligenda est inter actus, & rationẽ viuendi, quam vtrumq; vinculũ requirit (loquor de vinculo religionis pfectæ, vt nunc militares relaxatas omittam, non enim sunt ad rem, cum earum professio non dirimat matrimonium ratum, sicut non impedit contrahendum.) Itaque alia professio religiosa postulat perfectam renuntiationẽ sæculi, & abnegationem propriæ voluntatis, ac proprij corporis, rerumq; omnium, coniugium autem è contrario postulat vitam sæcularem, & ideo dicuntur ex natura rei habere repugnantiam, quoad vsum vtriusq; vinculi, & ideo fuit conueniẽs, vt quoad fieri posset, simul non manerent, maxime inuita altera parte, & cum iniuria illius, Clericatus autẽ per se nõ postulat renuntiationẽ sæculi, & ideo nec obligatio muneris, neq; vsus eius habet ex natura rei repugnãtiam cum coniugio, & vsu eius, sed solum ex Ecclesiæ ordinatione, quod verum est, non solum de sacerdotio, & aliis ordinibus infra illud, sed etiam de Episcopatu, quia licet status eius sit perfectior, non tamen per se obligat ad actum consiliorum, vt in simili dixit D. Th. 2. 2. q. 185 art. 6.

Vnde etiam sumitur alia congruentia, nam status religionis est status perfectionis acquirendæ, & ideo, & requirit separationem ab vsu coniugij, & aliis actibus secularibus, & potestas illum profitendi conceditur omnibus, qui matrimonium non consummauerunt, etiamsi illius vinculo actualiter astricti sint, hæc autem potestas non posset vni coniugum libere concedi, & indepẽdenter ab alio sine iniuria eius, nisi dissoluendo ipsum vinculum, quia alias maneret alter semper ligatus, & coactus ad seruãdam perpetuã continentiam, quod fieri non potest. Ordo vero infra Episcopatum, non constituit hominem in statu pfectionis, neq; in via ad illam, & ideo licet propter reuerentiam sacri ministerii expediat semel ordinatũ non tranfire ad nuptias, nihilominus nõ decuit propter ordinationem, quæ perfectionis professionem per se non requirit, vinculum matrimonii dissolui. Episcopatus autem licet sit status perfectionis acquisitæ & exercendæ, non tamẽ per se includit media efficacia ad perfectionem acquirendam, & ideo illi etiam tributum non est, vt dissoluat matrimonium ratum, finis enim huius priuilegij est, hominem expeditum relinquere ad profitẽdam perfectionis viam. Denique ad idem tendit alia ratio, quæ reddi solet, quod professio religiosa est mors quædam ciuilis, seu spiritualis, & ideo illi tributũ est, vt dissoluat vinculũ matrimonii, quamdiu est tantum spirituale, vt est in puro matrimonio rato, nam si sit cõsummatum, tam vinculũ quodammodo carnale est, & ideo nõ solui-tur nisi per mortẽ naturalem, seu corporalẽ, in ordinatione autẽ, vel Episcopali consecratione nulla interuenit mors ciuilis, quia nec propriæ volũtati, nec bonis temporalibus in ea renuntiatur, & ideo neutrum vinculum matrimonij dissoluere potest.

## Caput XXV.

### *Expediuntur aliquot dubia. quæ ex supradictis de matrimonio rato, & voto solemni religionis oriuntur.*

Circa executionem autẽ huius effectus, possunt multa dubitari, quæ vel facilia sunt, vel ad materiã matrimonij magis spectant, & ideo per breues interrogationes illa expediemus. Primo ergo interrogari potest intra q̃ tempus teneatur coniux, post matrimonium ratũ reddere debitũ, vel ingredi religionẽ, si velit. Respondeo, intra duos mẽses ad alterutrum horũ obligari, c. *expublico*, de conuers. coniugat. quẽ textum glossa & interpretes intelligũt de ingressu religionis, non tantũ quoad susceptionẽ habitus, sed etiã quoad professionẽ, & ideo nõ censent, tempus illud esse præcisum ac regulare, sed in casu illius textus fuisse à Pontif. præfixum, iuxta occurrẽtes circumstantias, ordinarie autẽ arbitrio iudicis prescribendũ esse, posseque, & augeri, & limitari. Vnde sequitur sentiũt, non debere alterũ coniugem, q̃ in seculo manet, cogi ad expectandum integrum annũ probationis, sed illum esse abbreuiãdum arbitrio Episcopi, iuxta

iuxta glossam in c. *statuimus*, de Regularib. & glossam in c. *desponsatam* 27. q. 2. quę hoc limitat nisi sponsa ingrediatur Religionem, de licentia sponsi, nam per illam licentiam videtur cedere iuri suo; at vero Theologi frequętius intelligunt dari tempus duorũ mensium ad deliberandum de ingressu religionis, quoad ipsam habitus receptionẽ, vt patet ex D. Th. in 4. d. 27 q. 1. a. 3. qq. 2. ad 2. vbi etiam alias causas eius dilationis assignat, sc. propter solemnitatem nuptiarum, & ne maritus vilem habeat datam, q̃ non suspirauit illatã, vt dixit Aug. 8. Confess. c. 3. c. *instiuutum* 27. q. 2. Idem Sot. ibi q. 1. a. 4. & significant Dur. ac Palud. q. 3. Qui omnes huic bimestri tempori censent posse addi annum ꝓbationis, quia nec Religio tenetur cedere iuri suo, vt p se notum videtur; nec etiam nouitius, sed vti potest fauore à iure concesso, quia licẽtia ingrediẽdi religionẽ absolute concessa intelligitur dari secundũ ius, & hęc fuit opinio Hostiens. in summa, quãquam non negẽt hi authores in aliquo casu quãdo timeretur fraus, aut dolus, potuisse tempus illud per Episcopum coarctari, ꝙ notauit etiã Richard. a. 2. q. 2. ad 2.

2 *Solutio prima.* Sed quod attinet ad annum probationis, quæstio non habet, in nullo ergo casu potest hoc tempus diminui in gratiam alterius coniugis in sæculo manentis, nisi de licentia Papæ. Quod etiam locũ antea habuit, quoad ordines mendicantes, iuxta c. *non solum*, de regular. in 6. & notauit Ant. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 1. & Sylues. verbo *diuortium* q. 3. indicat D. Th. in 4. d. 27. q. 1. a. 3. quæstiuncula 3. ad 3. vbi addit, si professio fiat ante annum, maritum posse reuocare vxorem, & illã teneri ad reddendum debitum, non tamen posse petere. Sed hoc vltimum procedebat de iure antiquo, nam iuxta Tridentinum ex illa professione nulla obligatio nascitur sess. 25. c. 15. de regular. Non relinquit ergo obligationem etiam voti simplicis, poterit ergo non solum reddere, sed etiam petere.

3 *Solutio secunda.* Quod vero spectat ad tempus ante primum ingressum, non possumus negare sponsis aliquod tempus liberum ad deliberandum de ingressu, quia res grauis est, & solet Deus hominem vocare etiam post sponsalia. De tempore autem duorum mensium non inuenio ius certum, propter ea quæ dixi. Probabilis autem est opinio Theologorum, & fortasse est vsu receptum, nihilominus tamen arbitrium iudicis excludendum non est.

4 *Dubium secundum. An per copulam sequutam matrimonium ratum consummetur.* Secundo interrogari potest an satis sit copulam præcessisse ante matrimonium ratum: videtur enim matrimonium illud iam esse consummatum, nam filij nati ex tali copula, legitimi censentur; ergo, & copula ipsa matrimonialis reputatur. Nihilominus dicẽdum est tale matrimonium dissolui per professionem subsequentem. ita Sylu. verbo *Diuortium* num. 3. Couarr. in Epitome 4. Decretalium 1. p. c. 4. §. 1. n. 16. qui alios refert. & probatur sufficienter ex dictis iuribus, q̃ in vniuersum loquuntur de matrimonio nondum consummato per copulam. At vero copula præcedens non potest dici consummare matrimonium subsequens, tum quia perfectio debet supponere perfectibile, tum etiam, quia illa copula non fit legitima per subsequẽs matrimonium quoad veritatem, licet fictione iuris in bonũ prolis, & in fauorem matrimonij tanquã legitima reputetur: hic aũt non fictio, sed veritas attendenda est, quia ꝑcedens copula nõ complet significationem matrimonij postea contracti. Et potest confirmari à simili, ex cap. *veniens* 2. de sponsalibus, vbi copula subsequens spõsalia censebatur iure antiquo impedire matrimonium subsequẽs, quia præficiebat prius, non vero quando antecedebat sponsalia. Cuius ratio est, quia copula antecedens nõ censetur fieri maritali affectu, sicut subsequens; ob eandem ergo rationem copula antecedens matrimoniũ ratum, non consummat illud, licet postea sequatur.

Sed quid si copula illa, quæ præcessit, per vim, & iniuriam facta fuit? Respondeo quantum ad præsentem effectum spectat, id nihil referre, nam licet forte ille grauiter peccet ingrediẽdo religionem, cum tam graui iniuria alterius, nihilominus professio valida est, quia nullo iure irritatur. Itẽ quia non minor fuisset iniuria ingredi post raptam virginem ante matrimonium ratũ, quam post illud: imo quodammodo fuisset maior, quia p subsequens matrimonij vinculũ aliquantulum minuitur prior iniuria, sed si postea nõ interuenisset vinculũ matrimonii, professio esset valida: ergo idem est, etiamsi interueniat vinculum matrimonii, signum est enim iniuriam non obstare, solũ autem matrimonium ratum non obstat: nihil est ergo, quod impediat; at professio valida irritat matrimonium ratum non consummatum, quidquid sit de alia iniuria, nulla enim exceptio quoad hoc in iure fit, ergo. Dixi autem id nihil referre quoad hunc effectum; quia ex alio capite posset crimen illud præcedentes raptus impedire subsequentem professionẽ, si deductum esset ad forum contentiosum ex nouo motu proprio Sixti V. de quo supra dictũ est, ad rem enim præsentem nihil refert, perinde enim impediret, etiamsi matrimonium ratum non præcessisset. 5. *Sed quid si talis copula per vim inferatur.*

6. *Dubium tertium. An si copula sequatur post sponsalia de futuro, per subsequens votum solemne talia sponsalia dissoluantur.* Tertio interrogari potest, quid dicendum sit, si copula subsequuta est post sponsalia de futuro. Nam Couarruu. supra indicat in eo casu non posse sponsalia dissolui per subsequens votum solenne. Quæ sententia haberet quidem locum iuxta antiquum ius, quando matrimonium clandestinum erat validum, nam tunc simul p̃sumebatur contrahi, & cõsummari per copulam subsequutam ad sponsalia de futuro, & ideo tale vinculum non potuisset dissolui per subsequens votũ. Si quis aũt recte consideret, illa copula, nõ potest tantũ dici subsequuta post sponsalia de futuro, sed etiam post matrimonium de p̃senti, saltem ordine naturę, vel etiã antecessione temporis, quamuis breuissimi. Quod patet, quia illa copula, non erat fornicaria, sed coniugalis, ob eam enim causam illud p̃sumebatur esse matrimonium, ergo necessarium erat, vt talis copula supponeret matrimonii vinculũ, & mutuam corporum traditionẽ, quia hoc est de essentia copulæ coniugalis. Declarari autem potest illa antecessio, vel secundum naturæ ordinẽ, quia illa cõiunctio intelligitur præcedere in ratione signi mutui consensus in reciprocam traditionẽ, subsequi autem in rationem huius rei iam traditæ, vel melius secundum ordinẽ durationis, quia cũ actus ille prius tempore inchoetur, quã consummetur, quia successiue perficitur, per illũ perficiebatur vinculum matrimonii, cum primũ actus inchoabatur, cum tamẽ matrimonium nõ sit consummatũ, donec copula cõsummata sit, vt statim dicetur. Ratio a. prioris partis est, qa ipsamet inchoatio proxima talis actus. erat sufficiens signũ mutui cõsensus de p̃senti, qa hoc erat necessariũ, vt totus actus esset licitus, & copula cõiugalis.

7. *Resolutio.* Hæc autem p̃sumptio Ecclesiæ nunc locum non habet, quia nullum signum manifestatiuum consensus, est sufficiens post Concil. Trident. ad perficiendum vinculum matrimonii, nisi exhibeatur coram parocho, & testibus, ꝙ de copula matrimonii, cogitari nõ potest. Vnde licet nunc copula sequatur post sponsalia de futuro, & postea contrahatur matrimonium de p̃senti corã parocho, & testibus, dissolui poterit antequam per aliam consummetur, per subsequentem professionem religionis, quia præcedens cõpula simpliciter fornicaria fuit, & nõ coniugalis, & ita procedũt omnia adducta in ꝑcedenti puncto.

8. *Dubium quartum. An quoad hunc effectum* Quarto interrogari potest, an matrimoniũ censeatur cõsummatum quoad hunc effectũ, quãdo copula subsequuta est per vim, videtur enim non sufficere, tum quia illa copula est inuoluntaria, qa supponitur

*Cum copula per vim consummet matrimonium ratũ.*

esse per vim; ergo non complet significationem sacramentalem, quia non potest significare perfectam vnionem, quam significare debet sacramẽtum; ergo non est sufficiens ad consummandum matrimoniũ, quia copula in tantum consummat vinculum matrimonij, inquantũ complet significationem sacramẽtalem, tum etiam quia nemo debet priuari sua libertate, propter iniuriam sibi factam, sed qui cogitur cõsummare matrimoniũ, iniuriam patitur: ergo ob talem copulam debet priuari libertate ingrediendi religionem.

9. *Resoluio.* Nihilominus communior sententia est, illam copulam sufficere, vt tale matrimonium dissolui non possit. Tenet Duran. in 4. d. 27. q. 2. n. 15. & ibi Palud. p. 3. q. 20. cum Hostiense in summa, tit. de cõuersione coniugatorum, §. *quid si virgo*. Sequitur Antoninus 3. p. tit. 1. c. 21. §. 1. Couar. qui alios refert, in Epit. 4. 2. p. c. 7. n. 10. Ratio est, quia non obstante vi, illa copula est coniugalis; ergo per illam perfectum est, & omnino consummatum matrimonium. Antecedẽs patet, quia in illa copula neq; est malitia fornicationis, qa non est accessus ad alienam; neque etiam est malitia raptus proprie dicti, quia est vsus rei propriæ, quamuis indebito modo, vnde copula illa quoad substantiam bona est, & legitima, atq; ita ratione illius locũ habet in talibus personis illud, *Quos Deus coniunxit homo non separet*; propterea non deest ibi significatio vnionis Christi cum Ecclesia, seu verbi cum humanitate, quia hæc significatio non fundatur in consensu animorum, nam hæc significatio pertinet ad ipsum vinculum, sed in ipsa corporali, & naturali coniunctione procedenti ex priori vinculo, etiamsi nõ procedat ex præsenti consensu in ipsam copulam.

10. Atq; ita patet responsio ad priorem rationem dubitandi. Ad posteriorem respondet Durandus, illam vim non esse omnino iniuriosam, quia maritus vtitur re sua: sibi autem (ait) imputet mulier, quæ volens ingredi religionem non se sufficienter custodiuit. Vnde significat tale matrimonium non solum non posse dissolui per ingressum religionis, sed etiã cõiugem, quæ passa est vim, non posse ingredi religionem, aut valide profiteri, sine licentia mariti. Quod expressius docuit Richar. in 4. d. 27. a. 2. q. 4. ad 1. At vero Pal. existimat in eo casu posse vxorem, quæ passa est vim, ingredi religionem, inuito marito, & profiteri valide, etiamsi per talẽ professionem non dissoluatur matrimonium illud propter rationem factam, quia nõ potuit inuita perdere ius suum, nec ille ex delicto debet acquirere priuilegium ne plus habeat luxuria, quam castitas. Vnde videtur cõsequenter sentire (quamuis ei oppositũ tribuat Antoninus) non posse tunc maritum reuocare vxorẽ à monasterio; nam si ratio facta valida est, hoc probat, alioqui plus valeret luxuria, q̃ castitas, & matitus per vim illatã acquisiuisset sibi tale ius. Item quia parum prodesset fœminæ illa professio, esset q; potius onerosa, q̃ fauorabilis, si posset à marito reuocari. Atq; hæc sententia Paludani, si humanã coniecturam spectemus, fit quidẽ verisimilis; nihilominus in rigore iuris, & p̃sertim in iudicando in foro Ecclesiastico prior sententia videtur sequẽda; nam iura absolute disponunt post matrimoniũ consummatũ non posse vnũ coniugem ingredi religionẽ sine consensu, & conuersione alterius; nec distinguũt de cõsummatione facta sine vi, aut cum illa. Ergo neque nos distinguere debemus, cum nihil sit, p̃ sufficienter cogat. Item cũ matrimonium illud nõ soluatur, oportebit cogere maritũ manentem in seculo, q̃ seruandam, & profitendã perpetuam continentiam, p̃ difficile est, & nullo iure fundatũ. Probabilius ergo est posse reuocare vxorẽ suam, vt docuerunt etiã Hostiensis, & Antoninus supra. Vnde fit consequens ipsam non posse ingredi sine consensu mariti; & professionem aliter factam nullam esse; hæc enim omnia connexa sunt. Ad rationem autem in contrarium respondemus, illa incommoda per accidens sequi. Nã vno inconuenienti dato, alia sequi solẽt, & quantũ ad cõmodum temporale, seu carnale, sæpe contingit, vt aliquis repotter illud ex peccato suo; sed nõ propterea fit melioris cõditionis, cum maiora bona amittat.

11. Dixi autem hoc certius esse, quoad iudicium ferendum in foro Ecclesiastico; quia quoties copula inter sponsos intercedit, præsumitur consensus in illã, nisi violentia euidenter probetur, argumento c. *insuper*, qui matrimoniũ accusare possunt, & docet Hostien. supra. Difficile autem est, talem vim probare, & ideo regulariter talis copula volũtaria præsumitur. Maxime autem hoc habebit locum si coniux fuit in mora, & iam erat tẽpus elapsum, post quod tenebatur reddere debitum; nã tunc iniuria illata à marito vel nulla, vel leuis fuit, & ideo propter illam non debet priuari iure suo, neq; ad perpetuam continentiam cogi. In eo ergo casu certius est, non posse vxorem inuito marito ingredi religionem, aut valide profiteri Quãdo vero vis intra legitimum tempus alteri ad deliberandũ concessum illata est, res est magis dubia in foro conscientiæ; tamẽ quod diximus securius est: quia honestas, & valor huiusmodi actionũ pendet ex dispositione iuris positiui, & ideo forum conscientiæ in hac materia non discordat à foro Ecclesiastico, nisi vbi certo cõstat, hoc posterius in præsumptione fundari. Et hoc magis cõfirmabitur ex puncto sequenti.

12. Quinto enim interrogari potest, an copula deb ta, & nõdum exhibita sufficiat impedire huiusmodi votum, seu religionis ingressum. Contingit enim vnum coniugem nimium differre ingressum, & consequẽter iniuriose negare debitum alteri, petenti illud pro eo tẽpore, pro quo alius reddere tenetur; idem enim vocamus copulam debitam. De qua certum est, si re ipsa non consummetur, nunquam ita impedire votũ solenne, quin si fiat, factum teneat, & p̃cedens matrimonium dissoluat. Quia non obstãte illo debito, matrimonium illud reipsa nondum est consummatum, nec vir & vxor facti sunt vna caro, neque habet cõpletam significationem, & consequenter nec omnimodam indissolubilitatẽ. Et in hoc conueniunt omnes authores: imo addit Palud. dict. d. 27. q. 3. n. 20. in fine, non sufficere copulã attentatam, nedum debitam, quia verba (inquit) debent intelligi cum effectu, & quia, donec matrimonium reipsa sit consummatum, non significat insolubilẽ Christi vnionẽ, cũ humana natura. Quid autẽ necessarium sit, vt copula sit ita perfecta, vt matrimoniũ dicatur esse plene consummatum, in materia de matrimonio disputandum est, & nõ est res digna multa speculatione. Videri potest Corduba in summa q. 178. Sor. in 4. d. 27. q. 1. a. 4. Sylu. verb. *Matrimonium* 8. q. 15. in fin. 2. conclus. & cæteri Theologi agẽtes de affinitate in 4. d. 41. vbi specialiter D. Th. a. 1. Hinc tandẽ inuenimus casum aliũ, in quo sponsa inferẽdo iniuriam alteri reportat hoc cõmodum, vt possit valide ꝓfiteri sp̃õso inuito. ꝙ iã facere nõ posset, si ius suũ alteri tribuisset. Sicut ergo hoc nõ est inconueniens, quia est quid accidentarij, ita nec illud quod in superiori puncto tractatum est.

13. Quod ergo in dubium verti potest, solum est, an in eo casu possit coniux non solum valide, sed etiã licite religionem ingredi, & profiteri, non obstante priori dilatione. Videri enim potest id nõ licere, nam debitor qui tenetur non differre solutionem vltra certum terminum illo transacto, pro singulis momentis cõtinuo obligatur vt soluat quam primũ possit, ergo si maritus instet petendo debitũ, non potest sponsa licite amplius differre solutionem ingrediendo monasterium. Nihilominus censeo quantumcunq; peccauerit sponsus, vel sponsa, nimium differendo, & iuste negan-

negando debitum, nihilominus si resipuerit, & bona fide voluerit statim ingredi religionē, existimo posse licite id facere, quia nullo iure prohibetur ex vi præcedentis moræ; nec etiam tenetur priorem injuriam restituere, cū tanto onere, vt non possit licite ingredi religionē, cum adhuc sit habilis ad illū statum. Quin potius illa iniuria negādi debitum talis esse videtur, vt natura sua non obliget ad restitutionem, quî enim restitui potest? nō enim consistit in illatione alicuius damni, sed in negatione cuiusdam vsus, quæ omnino transit, & non relinquit damnum reparabile. Dices, in præsenti casu relinquere hoc nocumentum, quod matrimonium non sit effectū omnino indissolubile. Sed hoc non existimatur verum nocumentū, quia libertas, quæ inde resultat, vtriq; parti cōmunis est, & ad bonū spirituale p se ordinatur, & ideo ex eo capite non oritur obligatio restituendi; ergo non obstante culpa præterita, quæ p pœnitentiam dilui potest, potent quis licite statim ingredi religionē, nec censebitur esse in noua mora soluēdi, quia nunq̄ ita determinate tenetur reddere debitū, quin habeat ius eligendi ingressum religionis sine noua mora. Atq; hoc quidem erat facilius secundum antiquū ius quando poterat quis renuntiare anno probationis; nunc aūt difficilius videtur post longā, & iniustam morā cogere alium ad expectandum annū integrum. Sed nihilominus idem dicendū censeo, quia ius nouum Concilij Trident. nemini abstulit facultatem ingrediendi religionem, quam antea habebat; neq; est inconueniens, quod ex vniuersali lege propter fauorem religionis lata, illa priuata incommoda sequantur.

*Obiectio dilatur.*

14. *Dubium secundum. An matrimonium consummatum, sed tantum ratum, dissolui possit per ingressum religionis alterius coniugis inuita altera parte?*

Sexto interrogari solet, si maritus non consummauit matrimonium, tradidit autē vxorem alteri ad adulterādum, an possit postea religionem ingredi vxore inuita? Nam Sylu. verb. *Diuortium* q. 1. in fine negat, quia per illam iniuriam mulier acquisiuit speciale ius in corpus viri. Idem sentit Richard. in 4. d. 35. a. 2. q. 2. licet non tam generaliter loquatur, sed quando maritus tradit vxorem consanguineo; citat caput *discretionem*, de eo qui cogn. consanguin. vxoris suæ. Sed hîc duo supra tacta distingui possunt, scil. an maritus in eo casu possit ita ingredi inuita vxore, vt professio facta teneat, & an licite fieri possit. Quoad priorem partem non dubito, quin talis professio valida sit, & matrimonium dissoluat, siue vxor tradita sit consanguineo, siue extraneo; hoc enim videtur accidentarium, & extrinsecū ad rem p̄sentem, & siue vxor coacta, siue volēs tradita sit. Ratio est, quia illud matrimonium non est consummatū, vt per se est euidens, ergo cōprehenditur sub generali iure, quo matrimonium ratum, & non consummatum per professionē validam dissoluitur. Quod a. illa professio valida sit, simili argumento demonstratur, quia nullū inuenitur ius irritans illā, nam omnia iura canonica irritantia professionem factam ab vno coniuge, sine licētia alterius, loquūtur de matrimonio consummato, ergo non comprehendūt casum illum, nec vero potest cum probabilitate dici, in eo casu professionem esse iure naturali irritam ratione præcedētis iniuriæ, quia iniuria solum potest obligare ad aliquam restitutionem, in superioribus autem ostensum est, non esse professionem irritam propter obligationes, aut debita antecedentia non soluta.

Quod ergo spectat ad alteram partem, si vxor non inuita, sed volens tradita est alteri, tuta conscientia maritus poterit ingredi religionem ipsa etiam inuita, q̄ licet grauiter peccauerit consulens, vel cōsentiens adulterio vxoris, proprie tamen non fecit illi iniuriā, quia volenti non fit iniuria, ergo nihil est, q̄ in conscientia illum detinere posset ab ingressu religionis. Quando autē vi aut metu graui illam coegit, videtur probabile non posse licite illam deserere, & ingredi religionem, nam fecit illi grauissimam iniuriam, & nocumentum illatū grauissime augetur, & quodammodo irreparabile fit, si vir religioni p̄fiteatur, & ita matrimonium dissoluatur, & in hoc casu specialiter loquuntur Sylu. & Richard. & cum dicunt nō posse, intelligere videntur licite. Et si crimen illud deductū esset ad forum contentiosum, ex alio capite esset persona illa inhabilis ad professionem per motum proprium Sixti V. supra citatū. Nihilominus secluso hoc impedimento Sixti V. si maritus posset iniuriam illā alia via resarcire, & id faciat, existimo posse & licite & valide ingredi religionē inuita vxore, quia nullū est ius, nullave ratio, q̄ illum cogat ad satisfaciendum p̄ tali iniuria per illum specialē modum, sc. permanendo in matrimonio, & consummando illud. Si autem non possit alia via remedium adhibere nocumento illato vxori, est probabilis dicta sententia, absolutum autē iudicium ferēdum est ex dictis supra, in generali de modo quo debita, vel obligationes impediunt professionem religiosam. Capitulum vero *discretionē*, ad præsentem causam nihil facit, nam ibi solum dicitur virum posse cogi ad recipiendam vxorem, & cohabitādum cum illa, quia non potest ei obijcere crimen adulterij: ibi autem non tractatur, an vir possit cogi, etiamsi velit ad altera vota religionis tranire.

*16. Dubium septimum. An diri-matur matrimonium per profes-sionem, quando vterque profes-sus est re-ligionem, vel altero profitente alium votū castitatis simplex e-misit.*

Septimo interrogari potest, an soluatur matrimonium per professionem, quando vterq; sponsus professus est religionē, vel saltem altero profitente, alius simplex votum castitatis emisit. Potest autē hoc dupliciter accidere, primo merè contingenter, & sine pacto mutuo: vel ex directa intentione, & conuentione. De priori modo non videtur posse esse dubiū, quia ea, quæ sunt per accidēs, non possunt impedire effectum, cum quo non habeant repugnantiam, & q̄ alias per se sequitur, & à fortiori patebit ex dicendis. In posteriori ergo casu videtur loqui Palud. in 4. d. 27 q. 3. a. 2. concl. 2. cum ait coniugem, q̄ post matrimonium ratū, & nondum consummatum, votū simplex castitatis emisit, compare profitēte, non posse postea valide matrimonium contrahere, q̄a vinculū matrimonij durat, & idem dicit, si vterq; religionē profiteatur, scilicet non dissolui vinculum, quia sunt conformes in proposito castitatis. Paludanus autē nullo iure hanc suam sententiam probat, & ideo non facit illā probabilem, nam q̄ hoc vinculum in huiusmodi casu soluatur, nec ne, ex iure omnino pendet. Quapropter existimo verius esse dissolui hoc vinculum quotiescunq; alter coniugum profitetur, etiamsi alter emittat votū simplex castitatis, vel etiā profiteatur ex condicto, & mutua conuentione. Probatur, q̄a iura absolute dicūt matrimonium ratū solui per subsequentem professionē in religione approbata: ergo multo magis dissoluetur per professiones, quia nō se impediunt, sed potius censeri possunt, quasi duę causæ totales, & singulæ sufficientes ad illum effectum. Quod si ex altera parte votum sit simplex, quamuis proprie non cooperetur ad illam effectum, magis tamen iuuat, quam impediat, quia tollit resistentiam, si quę esse posset ex parte coningis. Item nullum ius resistit in eo casu dissolutioni talis matrimonij, cur ergo votum alterius coniugis resistit? Nam q̄ sint conformes proposito castitatis, potius cōfert, vt facilius vinculum dissoluatur. Dicetur fortasse impedire intentionem vouentium, nam dum ita inter se conueniunt, virtualiter videntur nolle vinculū dissoluere: sed hoc in primis gratis dicitur, nam potius videntur verè separari quātum possunt, vel quod frequentius fortasse accidat, nihil de hoc cogitant. Deinde esto cogitent & formaliter etiam velint, vt matrimonium non soluatur, nihil obstare existimo, quominus soluatur, quia supposita professione alicuius, non pendet dissolutio ex eorum voluntate, sed ex

iure, cui ipsi non possunt resistere, quia absolutum est, & non conditionatum.

17. *Corollaria ex proxime dictis.*

Vnde infero primo, si alter coniugum, qui votum simplex castitatis emisit, altero profitēte, postea matrimonium contrahat, matrimonium esse validum, quia simplex votum illud non dirimit; nec matrimonium præcedens impedit, quia solutum iam est; peccabit autem sic contrahens, nisi prius sui voti dispensationem obtineat. Infero secundo, si vterq; professionem emisit, & alter postea obtinuit dispensationē voti solennis castitatis, licite, & valide posse cum alio matrimonium contrahere, quia nihil est, quod impediat, cum vtrumq; vinculum, matrimonij, & professionis, ablatum sit; prius per sequentem professionem; posterius per dispensationem. Atque eadem ratione, si vterq; post professionem emissam, dispensationem vtriusque voti per possibile, vel impossibile impetrarent, non possent inter se conuenire, nisi denuo matrimonium inter se contraherent: Quin potius vnusquisq; eorum posset contrahere cum alio si vellet; hæc enim omnia euidenter sequuntur ex fundamento posito, quòd primum matrimonium dissolutum fuit. Nec est inconueniens, quod possit transire ad secūdas nuptias, qui per suam professionem prius matrimonium rupit, interueniente legitima dispensatione, vt in superioribus dictū est. Et eadem ratione non est inconueniens, quod inter easdem personas possit duplex matrimonium ratum successiue fieri, quando interuenit alterius, vel vtriusq; ciuilis mors, per professionem, & postea veluti resuscitatio quædam, per dispensationem, sicut interueniente naturali morte dissoluitur matrimonium etiam consummatum; si autem suscitarentur, mortui possent iterum inter se contrahere, non autem inter se copulari sine nouo contractu.

18. *Dubium octauum. Quæ requirantur ex parte religionis, vt hoc votum dissoluat matrimonium.*

Octauo interrogati potest, quid ex parte religionis requiratur vt votum in ea emissum habeat hūc effectum dissoluendi matrimonium ratum. Quæ interrogatio potest habere difficultatem aliqua de tempore ante Innocentium III. quando ad veram professionem religionis necessarium non erat, religionē esse specialiter approbatam per summum Pōtificem, de quo tempore iudicandum est, iuxta modum probationis, quæ illo tempore sufficiebat: formaliter enim, (vt sic dicam) semper existimo fuisse necessariū talem esse religionem, vt votum, seu professio in ea emissa redderet personam inhabilem ad matrimonium, vt ex superius dictis constat, nunc autem necessarium omnino est, religionem esse approbatam à summo Pontifice, iuxta c. vltimum, de relig. Domib. & cap. vnico, eodem tit. in 6. quia alias votum non est solenne, iuxta caput *vnicum*, de voto in 6. & ideo non potest dissoluere matrimonium prius cōtractum; & ita significauit Ioan. XXII. in sua Extrauag. vnica de voto, ibi, *Nisi aliquam de religionibus approbatis*, vbi glossa id adnotauit, & cōsentiunt communiter Theologi, in 4. d. 27. & 38. Sylu. verb. *Diuortium* q. 3. vnde infert professentes tertium ordinem B. Francisci non liberari vinculo matrimonij rati, quia ordo ille nō est approbatus in ratione status religiosi. Idem Panorm. & alij in c. *ex parte*, de conu. coniug. Intelligēdum est autem de his, qui non viuunt in communi, & profitentur regulam iuxta declarationem Xisti IV. quę rationem habet approbationis.

19. Deinde necessarium est, vt professio sit integra, & perfecta, id est, non relaxata, quoad ipsa vota; quod aduerto propter religiones militares, in quibus solū iam vouetur castitas coniugalis; de quibus manifestū est per earum votum non dirimi matrimoniū ratum. Q Sot. extendit etiam ad Milites S. Ioannis. Oppositum tamen verius est, vt infra suo loco dicemus, & notauit Corduba in summa q. 178. quia illa professio adhuc integra manet, quoad totam substantiam voti castitatis. Hinc vero oriebatur quæstio, de religiosis societatis nōdum solenniter professis, an eorum votum dirimat pcedens matrimoniū ratum. Sed de hoc infra in proprio loco dicetur: Nunc partem negantem vt probabiliorem supponimus. Alia etiam hic quæstio occurrebat de Eremitis, an per eorū statum, & votum dirimatur matrimonium. Id enim affirmat Palud. supra, & Antonin. 3. p. tit. 1. c. 21. § 3. sed oppositum est verum, vt dixi supra disputando de voto simplici castitatis, & nunc est certum, quia talis status nō est per sedem Apostolicam vt religiosus approbatus.

## Caput XXVI.

### *Vtrum in solenne votum castitatis religiosæ cadere possit dispensatio.*

1. *In hoc puncto fusius quæ tiū disputantur.*

Hæc quæstio in duplici sensu, (vt de paupertate diximus) disputari potest; vnus est an votū castitatis solennizatum per professionem religiosam, p legitimam dispensationē ipsius professionis dispensari possit; vel potius necessario, & quasi consecutione quadam dispensetur, & totaliter auferatur. Alter sensus est, an perseuerāte vinculo professionis quoad substantiam eius, & consequenter durante etiā voto solenni continentiæ, quoad alias obligationes eius, possit dispensari cum tali persona, quoad aliquem vsum castitatis. De priori sensu parua superest nobis disputatio, suppositis, quæ supra diximus de dispensatione in professione religiosa. Et ita omnes authores ibi citati pro sentētia nostra, qua asseruimus posse Pontificem dispensare in professione religiosa, faciendo de Religioso professio non religiosum, affirmant in eodem casu, & ex eadem causa posse votum solenne castitatis omnino auferre: quin potius multi eorum expressius de voto castitatis id affirmant; alij inter illud, & professionē nihil distinguunt. Authores etiā, qui negant hoc votū posse dispensari, in hoc maxime fundantur, q professio ipsa dispensabilis nō est; suppositā autem professionis dispensatione, nullus eorum negaret castitatis votum, & obligationem cum illa consequenter tolli posse. Ex illa ergo hypothesi dici potest hæc communis omnium sententia, quæ eisdem rationibus fundari potest, ac defendi, quibus circa professionem vsi sumus.

Duo autem in hoc puncto addenda hic occurrunt. Vnum est, non solum posse, sed etiam necessaria consequutione auferri votum castitatis religiosæ, ablato vinculo professionis, quando simpliciter fit dispensatio, nullo imposito onere, neq; acceptato ab eo qui dispensatur. Probatur, quia votū illud non fuit emissum, nisi vt annexum tali professioni, & statui, ergo ablato statu, & professionis vinculo, consequēter auferetur votum. Cōfirmatur, ac declaratur, quia ablata professione auferetur solennitas voti, tum quia tota solennitas illius voti est ratione professionis, iuxta c. vnicum, de voto in 6. tum etiā, quia ablato vinculo professionis psona iam non manet sub dominio Religionis, sed fit sui iuris ac potestatis, & consequenter manet habilis ad matrimoniū; ergo ablata est solennitas voti: ergo & votum ipsum, quia ex intentione vouentis non est factum, nisi vt solenne, & quasi ad confirmandam traditionē factam in tali statu. Et ideo traditione sublata ipsum etiā euanescit. Sicut quādo cōtingit professionē fieri in aliqua religione, & ex impedimento occulto esse nullam, consequenter etiam votum castitatis nullum est, nullamque inducit obligationem voti simplicis, nisi vel aliud constet de intentione vouentis in iure, vel aliud sit in aliquo speciali casu expressum.

Secundo addo, moraliter loquendo, nō posse saltem licite dispensari in professione, vel solennitate huius voti, quin in voto ipso dispēsetur. Dico, *moraliter*

*ter loquendo*, quia ex obiecto, vel connexione rerum, non est in hoc repugnantia, q̃ dispẽsetur cum alio in professione religiosa nõ purè, sed admiscendo commutationem aliquã, videl. cõmutando illum statum in statum simplicis continentiæ, auferendo talẽ personam omnino à potestate, & dominio talis religionis, vel auferendo simul alia duo vota, paupertatis, & obediẽtię; vel alterũ illorum, vel neutrum; pro arbitrio dispensantis, si causa iusta subesset, hac enim posita non deesset potestas in Pontifice, nam si põt simpliciter dispensare, multo magis poterit commutare, q̃ hoc minus est, & actus est eiusdẽ ordinis, nullamque inuoluit repugnantiã, sic enim quando Pontifex dispensat cũ Religioso, vt ab arctiori religione trãseat ad laxiorẽ, quędam dispensatio fit cum cõmutatione admixta, ita ergo posset actus religiosus cõmutari in statum Eremiticũ, v.g. qui religiosus nõ sit, iam enim supponimus posse Pontificẽ facere de Religioso non religiosum, & per hoc solũ additur q̃ loco illius status imponat nouum onus, minus quidẽ perfectum, sed de melioribus bonis. Vnde duobus etiam modis intelligi posset hoc fieri; primo relinquẽdo talem p̃sonam inhabilem ad matrimonium, secundo relinquẽdo illam cum simplici voto castitatis, & vtrumq; modum censeo esse possibilem, quantũ est ex potentia agentis, & non repugnantia materiæ. Primũ quidem, quia censeo Pontificem posse reddere inhabilẽ ad matrimonium personam vouentẽ in facie Ecclesiæ solam castitatem, p̃sertim si à principio ea lege, & conditione illam voueat: ergo multo magis poterit per modum cõmutationis, vel dispensationis, totum hoc onus relinquere in persona, quæ p̃ voluntariam professionem, & promissionem illud iam habebat. Secundum autem facile etiam patet, quia inhabilitas hæc ad matrimonium omnino pendet ex iure Ecclesiastico, vt supra vidimus: ergo non repugnat illam omnino dispẽsari simul cũ professione, relicta sola obligatione voti simplicis circa cõtinentiam seruãdam.

Quamuis autem hæc vera sint, potestate ipsa, & materia eius, veluti speculatiue consideratis, nihilominus practice, & moraliter assero talem dispensationis, & cõmutationis modum, vix posse habere locum ex defectu legitimæ causæ ad sic dispensandum. Suppono enim votum non posse dispensari, sine legitima causa: si quæ autem potest occurrere causa legitima, ad dispensandum in professione religiosa, faciendo de Religioso non religiosum, illa est, vt talis persona matrimonium contrahat, in aliquo casu ad bonum commune valde necessario, omnis enim alia ratio, vel necessitas, quę cogitari possit absque mutatione status religiosi, per alias facultates, vel dispensationes remedium sufficiens recipere potest, vt facile cogitanti patebit, ergo repugnantia est dicere interuenire causam sufficientem ad dispẽsandum cum religioso, vt religiosus non sit, cum obligatione perpetuò seruandi continentiam, nam hæc obligatio, vel destruit legitimam causam, vel impedit remedium eius.

Dices, propter illam causam possunt aliæ excogitari, ob quas dispensetur cum religioso in reliquis, saluo cœlibatu, nimirum, si ad bonum animæ eius censeatur moraliter necessarium, vel quia nõ potest cum cõmunitate, & sub iugo obedientiæ, & paupertatis, sine frequenti, & graui lapsu viuere, sperat autẽ posse, & continenter, & sanctè solitariam vitam agere. Item posset esse necessarium, vel valde vtile ad cõmune bonum alicuius regni religiosum aliquem ab statu suo abducere, non vt hæredes regni generaret, sed vt bella regni gereret, aut illud gubernaret, vel alia eius negotia tractaret, quæ in religioso statu decenter fieri non possent, posset ergo tunc in statu dispensare, salua continentia, tunc enim tale onus non repugnaret cum legitima causa dispẽsandi. Respondeo in his, & similibus casibus posse sufficiens remedium adhiberi, absq; dispensatione in statu religioso, quoad substantiam eius, dispensando solum in vsu, vel obseruantijs eius, vt in priori casu sufficeret facultas viuendi extra communitatem, sub obedientia Episcopi, vel etiam solius Pontificis, & cum ampla facultate vtẽdi bonis temporalibus absq; proprio dominio, eademque posset sufficere in posteriori casu, addendo, si opus esset, mutationem habitus, & similia tali muneri, vel actioni opportuna. Dico præterea tot posse excogitari circumstantias, ex parte personarum, vel regni, seu actionum, vt possit honestari tal s modus dispensationis, & iustificari causa eius, & ideo non dixi hoc esse impossibile simpliciter, sed moraliter nõ posse contingere, quia reuera circumstantię illę cogitari potius valẽt, quam reipsa simul coniungi.

6. *In voto castitatis religiosa duo includuntur.*

Dixi autem non posse hoc fieri *saltem licite*, quia in professione religiosa, & voto castitatis eius duo sunt, scilicet obligatio ad Deum, & religionem, quæ inde resultat, & inhabilitas ad matrimonium. Primum est de iure naturali, & diuino, & ideo, nec licite, nec valide auferri potest, sine legitima causa. Secũdum autem est de iure Ecclesiastico, & ideo licet dispensari non possit sine causa legitima, tamen si dispensatio detur, valebit. Si ergo fingamus Pontificem facere dictam cõmutationem relinquendo personam quãtum est ex se, cum solo voto simplici continentiæ, sine vlla inhabilitate absq; iusta causa; nõ tenebit quidem dispensatio in illa commutatione inclusa quoad tollendum vinculum, & obligationem, quæ ex professione nascitur, tenebit autem quoad tollendas inhabilitates, quæ ex positiuo iure oriuntur, quamuis etiam quoad hanc partem illicite concedatur, & ideo posita est disiunctio, quæ singulis partibus cum proportione accommodanda est.

7. *Quid sentiendum de hac dispensatione iuxta secundum sensum n. 2. positum.*

In altero sensu dubitatio est, an possit dispensare Pontifex cũ religioso in voto castitatis, quoad vsum eius, non auferendo omnino votum castitatis, nec statum religiosum, nec vinculum professionis, ita vt religiosus professus, manens religiosus, licite, ac valide cõtrahat, & cõsummet matrimonium ex dispensatione. Quam quęstionem nullus ferè Doctorũ attingit, fortasse, quia partem negantem tanquã manifestam supponunt. Qui n. simpliciter existimant votum solenne continentiæ nõ esse dispensabile, manifestè hoc sentiũt etiam in hoc sensu. Qui aũt hoc votum faciunt dispensabile, in hoc maxime fundantur, q̃ totus status religiosus mutabilis est, indicantes in sensu (vt ita dicam) cõpositio repugnantiam inuolui, vt cum religioso manente religioso, in voto solenni dispensetur. Quod sentiunt communiter Canonistę in cap. *cum ad monasterium*, de statu Monach. & potest fundari in illo textu, quatenus dicit Pontificem non posse dispensare cum religioso in voto paupertatis, vel castitatis, cum enim hoc à nobis non admittatur in sensu diuiso, erit saltem intelligendum in sensu cõposito. Secundo fundari hoc potest in generali ratione voti, & status religiosi, status enim religiosus essentialiter constituitur ex voto castitatis, seu illud habet annexum, repugnat ergo manere religiosum, & sine voto castitatis. Rursus quamuis possit votum per dispensationem auferri, repugnat nihilominus, quòd maneat votum, & dispensetur in obligatione eius; quia hoc est contra ius naturale; ergo de primo ad vltimum repugnãtia est dispensari cum Religioso manente religioso in obseruatione continentiæ. Et in hoc est clara differentia inter religiosum, & Clericum in sacris, quam agnouit D. Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. 11. quod clericus manens clericus facile potest dispensari, vt ducat vxorem, quia votum continentiæ non est essentialiter annexum clericatui, & ideo

potest manere sine voto castitatis, quod non ita est in statu religioso; in hoc autem inuenietur conuenientia, quæ confirmat rationem factam, quia non potest dispensari cum clerico retinente non solum clericatum, sed etiam votum castitatis, vt licite ducat vxorẽ; ergo similiter, &c. Tandem confirmatur exemplo D. Thom. quia non potest dispensari, vt liceat vti calice consecrato, & consecrationem retinente ad profanos vsus, quia hoc repugnat ratione naturali, & inuoluit intrinsecam malitiam, ergo similiter, &c.

8. *Papa dispensare potest in voto solemnis castitatis, nõ dispensando in ipso statu, & professione religiosa.*

Nihilominus contraria sententia recte explicata vera est, quam indicauit Nauarr. in Enchiridio de oratione c. 7. num. 20. distinguens duplicem dispensationem cum Religioso, vnam per quam desinit esse religiosus, aliam per quam solum datur ei facultas ducendi vxorem, per quam, inquit, solam non desineret esse religiosus, refertque seipsum ad tractandum de reditibus Ecclesiasticis. quæst. 1. monitu 55. & quæst. 3. monitu 11. & suppositis principijs traditis, efficaciter persuaderi potest. Et in primis suppono existente voto simplici integræ castitatis, (& idem est de quolibet alio cum proportione) posse Pontificem dispensare in illo quoad vnum actum, non dispensando quoad alios; vt dispensando in coniugio, & vsu eius, non vero quoad alios actus, seu (quod idem est) commutando castitatem simpliciter, in castitatem coniugalem; imo etiam posset non permittere per talem dispensationem omne coniugium, sed solum quoad primum matrimonium, ita vt ex vi eiusdem voti, non possit transire ad secundas nuptias mortua coniuge, & simili alio modo limitare potest dispensationem, seu commutationem, pro ratione causæ, & iuxta arbitrium suum. Est enim votum illud quoad extensionem obiecti, quasi diuisibile, & ideo potest non in totum, sed pro maiori, vel minori parte auferri pro arbitrio dispensantis, iuxta exigentiam causæ. Et hoc modo non repugnat manente voto simplici castitatis, dispẽsari in aliquo vsu eius, quamquam in rigore maneat omnino idem, seu æque integrum ac antea erat. Ita ergo in præsenti dicimus de voto solenni, non posse quidem dispensari, in vsu eius, quoad contrahendum matrimonium, quin aliquo modo mutetur, seu minuatur integritas illius voti, & status religiosi, vel perpetuo, vel pro aliquo tempore; nihilominus tamen posse dispensari in huiusmodi vsu. non auferendo totaliter, vel substantialiter (vt sic dicam) vinculum, seu statum religiosum, & votum continentiæ illius.

9. Quod in primis suadeo exemplo religionum militarium, quæ prius integram castitatem profitebantur, & postea cum eis dispensatum est, vt retento religionis statu, ad solam castitatem coniugalem obligentur. Dicet fortasse aliquis, non esse dispensatum cum his, qui prius solenniter professi fuerant, sed pro his tantum, qui post illam mutationem in illo instituto factam profiterentur. Respondetur, esto de facto ita fuerit, quantum ex Bullis Pauli III. & Greg. XIII. intelligi potest, nihilominus id non fuit ex defectu potestatis, sed quia ratio dispensandi tunc fortasse non plus postulabat. Si enim potuit Pontifex denuo admittere aliquos ad statum religiosum, cum voto solius castitatis coniugalis, cur non potuisset dispensare cum huiusmodi professis, vt à primo statu illius religionis transirent ad secundum; vel si non erat causa sufficiens ad dispensandum cum omnibus, poterat esse in aliquibus, quod nobis satis est, sicut dispensat cum aliquo, vt à religione arctiori transeat ad laxiorem; quod enim relaxatio tanta fuerit, vt etiam ad matrimonium contrahendum licentia data sit, non obstat potestati, si sufficiens causa subsit, quia totum illud cõtinetur intra latitudinem illius status religiosi, & inhabilitas matrimonij, in qua dispensatur, res est de iure humano. Vnde etiam Soto inter authores contrariæ sententiæ fatetur posse Pontificem dispensare cum milite S. Ioannis, vt ducat vxorem; quod ego intelligo facilius fieri posse relicto voto castitatis cõiugalis, & statu religioso illius professionis, quoad reliquas obligationes, ad eum modum, quo nunc est in militibus aliarum religionum. Diceret autem fortasse Soto illum statum, qui manet facta illa mutatione, non esse verè religiosum. Sed de hoc infra disputandum à nobis est, vbi ostendemus oppositum esse absolute verum: deinde nunc addimus argumentum à simili, vel à fortiori semper manere æque efficax tum quoad hoc, vt possit Pontifex commutare votum castitatis inhabilitans ad matrimonium in aliud non habens annexam illam inhabilitatem, & votum castitatis simpliciter in votum castitatis coniugalis, tum etiam, quia quantum ad hoc vt possit dispensare in voto castitatis hoc modo retento statu religioso, saltem secundum quid; nam inde plane sequitur posse etiam fieri cum quacunq; minima diminutione illius status, quę cum actu matrimonij esse potuerit, hæc autem tam parua esse potest, vt non tollat statũ religiosum simpliciter, quamuis suspendat, vt ita dicam, vsum eius, vt ex sequenti discursu patebit.

Secundo argumentor in hunc modum; quia status religionis simpliciter, & vinculum matrimonij simpliciter possunt simul esse in eadem persona; ergo potest per dispensationem summi Pontificis fieri, vt manente in eadem persona statu religionis simpliciter liceat illi matrimonium contrahere, & consummare. Antecedens patet de facto in coniugatis, qui post matrimonium consummatum mutuo consensu religionem simpliciter profitentur; verè enim simpliciter, ac perfecte religiosi manẽt, quamuis matrimonii vinculum integrum etiã inter eos perseueret. Consequentia autem probatur primo ex his, quæ de huiusmodi coniugato professo iura statuunt: nam licet regulariter talis religiosus non possit licite redire ad actum cõiugalem, nihilominus in aliquo casu cogitur redire ad petitionem alterius coniugis, vt supra vidimus iuxta c. *ex parte*, & cap. *consuluit*, iuncto cap. 1. de conuersione coniugatorum. Tunc autem non amittit talis persona statum religionis simpliciter, sed impeditur ad tempus ab aliquo vsu illius status. Sicut seruus sine licentia domini professionem faciens, religiosus manet, licet ratione seruitutis impeditus maneat, ne religioni libere inseruire debeat, sed domino. Cuius etiam signum est, quia talis persona quantum est ex se tenetur castitatem seruare, & si coniux moriatur, nec valide, nec licite poterit nouum matrimonium contrahere. Ergo ad eundem modũ posset summus Pontifex interueniente vera causa & necessitate dispensandi, cum persona religiosa, vt transeat ad nuptias, id facere, cũ hac limitatione, vt quoad omnia alia retineat statum religiosum simul cum vinculo matrimonii, quo durante excusetur etiam ab actuali vsu status religiosi, quoad ea tantum, quæ cum vsu matrimonii repugnant. Probatur consequentia, quia in compositione, seu coniunctione horum duorum statuum dicto modo, nõ est repugnantia ex parte ipsorum, vt declaratum est, nec repugnat etiam ex parte dispensantis, propter defectum potestatis, tum quia hæc potestas pro capacitate materiæ, extenditur ad omnia, quæ alias non repugnant, nec irrationabilia sunt: tum etiam, quia plus est omnino auferre statum religiosum, quam cum illa limitatione eius vsum suspendere. Vnde etiam ex defectu causæ, non potest esse repugnantia, imo minor videtur sufficere ad hoc dispensationis genus; quia occurrenti, v. g. communi necessitati, sufficienter subuenitur per illum modum licentiæ, ac dispensationis; solum enim

enim supponitur esse necessarium, vt illa persona vacet generationi alicuius filij, qui possit esse hæres regni, v. g. quod illo modo satisfieri potest. Aliunde vero quoad alia potest status religiosus simul seruari, partim actu, partim obligatione, & animi præparatione: nam potest actu seruari castitas cõiugalis; item posset talis persona nunquam petere debitum, sed tantum reddere, vel saltem ex voto specialiter teneri ad nunquam petendum, nec consummandum matrimonium, nisi propter generandam prolem; item posset manere obligata ad alias obseruantias regulares, quæ cum vsu matrimonij directe non repugnarent. Denique posset manere prohibita, vel etiam inhabilis ad contrahendum aliud matrimonium defuncto coniuge, si ex illo prolem haberet, per quam subuentum esset necessitati, in qua fundatur dispensatio; nihil ergo est cur repugnet ita fieri dispensationem; imo si non ita fit, quando similis necessitas occurrit, potius est, vt benignior, & maior fiat dispensatio, & vt scrupuli, ac onera tollantur.

11. Ex dictis secundo contra eos qui dicunt non posse fieri dispensationem vt ea vasa consecrata ad vsus communes destinentur, quamuis ipsum retorquendo. Nam licet iure ordinario non possit vas consecratum ad profanos, & communes vsus destinari; in aliquo tamen casu, & vrgente graui necessitate, potest dispẽsari, vt liceat vti huiusmodi vase ad aliquem communem, & ordinariũ vsum, non malum, sed bonum, & naturæ necessarium, vt si non esset aliud remedium ad bibendum, & extinguendam sitim, vel quidpiam simile; ad eum modum, quo Dauid vrgente necessitate panes propositionis accepit 1. Regum 21. cuius factum Christus defendit Matth. 12. vt ibi Hieron. Chrysostom. & alij notarunt. Ergo similiter quamuis persona sit consecrata per professionem, propter grauem Reipublicæ necessitatem poterit ei licite concedi vsus matrimonij, retenta etiam consecratione; quia ille vsus licet communis dici possit, quatenus non est ex melioribus bonis, non tamen est malus, & interdum esse potest communitati necessarius. Dices hoc argumẽto probaretur sine dispensatione posse hoc fieri; ita enim fieri posset illud de calice, in vrgente extrema necessitate. Respondetur in rigore ita sentire eos qui dicunt, magis esse hoc licitum per interpretationem, quam per dispensationem; essetque fortasse id verisimile, si necessitas esset euidentissima, & adeo vrgens, vt non possit summus Pontifex, vel alius gerens vicem eius, conueniri: tamen quia hæc duo moraliter non possunt contingere, ideo satis inde concluditur hoc fieri posse saltem per modum dispensationis.

12. Tandem declaratur, nam si fingamus vtrumque coniugem post generatum filium regni hæredem, ex mutuo consensu religionem profiteri, postea vero mortuo filio, vel filijs regnum in prædictam grauem necessitatem redigi, cur non poterit Pontifex eis facultatem facere, vt iterum inter se conueniant ad filium aliquem procreandum? (suppono enim adhuc esse, & ætate, & viribus habiles;) nulla certe probabilis ratio afferri potest, cur hoc suppleret Põtificis potestatem, cum interrationem temperantiæ, & iustitiæ ille actus licitus, ac legitimus esse possit, ratione vinculi matrimonij, quod inter illas personas permanet; intra rationem autem religionis possit etiã actus ille honestari remittendo ex parte Dei obligationem voti castitatis, quod ex legitima causa facere potest Christi Vicarius, & supremus in terris dispensator; nam quod illud votum sit pactum in religione, non mutat specifice obligationem eius, neque addit nouum aliquod ius diuinum, vel naturale, ratione cuius illa dispensatio repugnet, vt sæpius est in superioribus ostensum; ergo in eo casu poterit ea dispensatio concedi solum quoad vnum, vel alium actum sufficientem ad remedium occurrentis necessitatis, integro manente statu religioso vtriusq; personæ quoad reliquas omnes obligationes; ita vt impleto tempore, seu actu dispensationis, separari, & ad obseruantiam prioris status redire teneantur.

13. *Tribus modis dispensatio fieri potest.*

Ex quibus tandem concludimus, tribus modis posse intelligi hanc fieri dispensationem, non omnino ablato religionis statu. Primo dispensando in solo vsu matrimonii, eo quod vinculum iam supponatur, vt in casu proxime præcedenti. Secundo dispensando simul in vinculo, & vsu, id est, vt matrimonium denuo contrahi, & consummari possit, sub ea conditione, vt eo non obstante persona in reliquis maneat obligata ad castitatẽ, & inhabilis ad quodlibet aliud matrimonium, in quocunq; euentu. Denique ligata vinculo religionis: neque enim existimari potest in eo casu solum relinqui simplex votum castitatis coniugalis, cum simplici etiam obligatione, redeundi ad statum religiosum, si matrimonium illud per mortem alterius coniugis dissoluatur, nam reuera longe maius est vinculum, quod relinquitur, tum quia per illa vota simplicia non fit persona inhabilis ad aliud matrimonium dissoluto primo; tum etiam (quod caput est) quia illa persona mortuo illo coniuge non indigeret noua professione, vt esset verè religiosa, neque esset necessaria noua traditio, vt monasterium ius haberet in talem personam; quia prius ius integrum semper manfit, nam per dispensationem non fuit ablatum, sed impeditum, seu suspensum, quoad vsum, durante alio statu; sicut seruus, qui professus fuit religionem inuito domino, licet durante seruitute excusetur ab vsu, seu actuali obedientia religiosi status, quacunque ratione postea recipiat libertatem à seruitute, manet sub iugo religionis absq; noua professione.

14. Tertio modo posset intelligi hæc dispensatio solum quoad contrahendum licite & valide matrimonium, sine licentia consummandi illud, quæ dispensatio ex parte causæ, & materiæ videri potest facilior: ratione autem periculi, & aliorum effectuum moralium habet specialem difficultatem, & ideo nunquã fit, nec forte expedit fieri. Declaro singula, proposito casu, in quo aliquis, qui defloruit virginem, & ex ea filium naturalem genuit, postea religionem professus est. Potest enim in eo casu grauis causa, vel necessitas occurri, vt filius ille per subsequens matrimonium legitimus fiat; vel vt possit succedere in iure regni, v. g. vel alterius hæreditatis, vel ob aliam similem causam. Posset ergo in eo casu habilitari persona, & dari facultas ad contrahendum matrimonium, solum ad prædictum effectum; quia id satis esset ad subuenendum illi necessitati, & non repugnat matrimonium valide, & licite contrahi, sine animo consummandi illud: qua ratione diximus in superioribus posse aliquando licite contrahi dicta intentione non obstante simplici voto continentiæ, aut religionis. Argumento cap. *commissum*, de sponsalibus, ergo nihil est quod huic modo dispensationis repugnet. Aliunde vero actus ille contrahendi matrimonium sine animo consummandi, nihil derogat castitati, parumque, aut nihil impedit, etiam vsum, & executionem religionis status: ergo ex hac parte talis dispensatio longe facilior est. Vnde etiam fit, vt ex minori causa concedi valeat, non solum propter bonum vnius regni, sed etiam propter conseruandam illustrem aliquam domum, seu hæreditatem, & prop er reparandam aliquo modo famam & honorem alicuius illustris fœminæ. Igitur per se loquendo, talis dispensatio non solum speculatiue possibilis, sed etiam moraliter facilis est; semper enim suppono inhabilitatem ad matrimonium annexam statui religioso esse de iure humano.

Nihil-

15. Nihilominus tamen dispensatio cum tali limitatione concessa videri potest constituere hominem in graui periculo peccandi contra votum, & statum religiosum, quia difficile est post contractum matrimonium sese continere. Verum hæc occasio accidentaria est, & extrinseca, & accepta potius quam data, & varijs medijs facile euitari posset, & ideo ex hac parte, non fieret admodum difficilis talis dispensatio. Aliunde etiam videtur oriri quædam perplexitas, ex tali dispensatione, si enim matrimonium illud non est consummatum, aut vinculum illud perpetuo mansurum est, vel iterum est dissoluendum. Primum est contra ius alterius coniugis, qui liberelinqui debet, si alter non vult consummare matrimonium, sed religionem profiteri, aut (quod perinde est) in ea permanere: secũdum autem inuoluit quandam repugnantiam in ipso facto. Per quid enim tale matrimonium solueretur? nisi per professionem; at hæc iam præcessit, & non potuit impedire valorem matrimonij ne fieret, ergo multo minus poterit dissoluere iam factum. Quod si necessaria dicatur noua dispensatio Pontificis, præter communem dubitationem, an hæc sit possibilis, videtur specialem indecentiam inuoluere, dare dispensationem ad contrahendum matrimonium, sub formali, aut virtuali intentione, aut spe iterum dispensandi in tali vinculo, dissoluendo illud.

16. Propter hanc ergo rationem dixi, hunc modum dispensationis forte non expedire ne fieret. Nihilominus variis modis posset hæc difficultas vel superari, vel leniri. Primo, si illa limitatio non consummandi matrimonium, non esset absoluta, sed solum quantum est ex parte eius cum quo dispensatur, seu (quod perinde est) altero non repugnante, seu non exigente debitum. Secundo si ad talem dispensationem concurreret consensus alterius coniugis, promittentis etiam Deo perpetuam continẽtiam, quod probabile est non repugnare valori matrimonii rati, & nunc optimo iure posset illud vinculum perpetuum manere sine consummatione. Tertio posset etiam dispensatio ita concedi, vt si alter coniux nollet perpetuam castitatem seruare, matrimonium solueretur, non tam per nouam dispensationem, quam per cessationem prioris, recuperante (vt sic dicam) professione vim dissoluendi matrimonium, qua fuerat quodammodo priuata per priorem dispensationem, nam hæc vis non tantum in professione in fieri, sed etiam in facto esse intelligenda est, vt ita res explicetur, per dispensationem autem impedita fuit professio, ne matrimonio contrahendo obstaret, quod fieri potuit ea mente, vt vinculum perpetuum maneret vtroque coniuge volente perpetuam castitatem seruare: dissentiente autem altero intra certum tempus aliquod per iteratam professionem, aut per eiusdem status perseuerantiam matrimonium solueretur. His ergo modis sine repugnantia intelligi potest dispensatio in contractu, vel vsu matrimonii in persona religiosa.

17. Rationes dubitandi in principio propositæ ex dictis solutæ sunt, solum enim probat hanc dispensationem non fieri sine aliqua diminutione status religiosi, vel suspensione vinculi quoad vsum, & executionem eius, non tamen probant necessarium esse, vt omnino religionis vinculum tollatur. Ad cap. autem *cum ad monasterium*, semel atque iterum in superioribus responsum est, Pontificem ibi non loqui vniuersaliter de omni statu religioso, sed specialiter de professione iuxta regulam monachalem, & præterea loqui de tali voto secundum se, & secundum vim suam integram spectato. Ex quo non infert Pontifex se non posse dispensare in tali voto, sed non posse licentiam dare agenti contra illud, quia nimirum, nec voto integro manente, potest dare licentiam aliquid agendi contra illud, nec sine iusta causa potest ipsum votum minuere, aut eius obligationem ex parte auferre. Ex qua optione infert Pontifex, Abbatem nullo modo posse in his votis quidpiam immutare, nec sine causa, nec cum illa. Quomodo intellexit textum illum Innocentius ibi, & Abbas numer. 23. cum aliis quos referunt & sequuntur Couarruu. de Testamentis capite 2. num. 9. & sequentibus, & Michael Medina lib. 5. de sacrorum nominum contimentia, capite 32. & 53. Non omittam aduertere nomine *Pontificis*, in illo textu interpretari non summum Pontificem, sed Episcopum ordinarium, quia sæpe in antiquis decretis, Episcopi, & absolute Pontifices, & aliquando summi Pontifices appellari solebant: quam expositionem, sicut non improbamus, ita nec necessariam iudicamus.

*Adnotationes in quartum statum.*

*Vide Fabianum Monicq. libr. 2. n. Consil. Ecclesiast. cap. 30.*

):(

# INDEX CAPITVM LIBRI DECIMI.

## *DE VOTO OBEDIENTIÆ.*


CAP. I. *VTRVM simplex obedientiæ votum, & honestum, & in consilio sit.*

II. *Vtrum simplex obedientiæ votum habeat coniunctam promissionem homini factam, & è contrario.*

III. *Ad quid obliget, & ad quam materiam se extendat simplex obedientiæ votum.*

IV. *Quale peccatum sit obedientiæ transgressio, & quibus modis excusari possit, vel cessare obligatio.*

V. *Vtrum votum obedientiæ sit aliquid indistinctum à traditione religiosa, & quid illi addat.*

VI. *Quotuplex sit malitia in transgressione obedientiæ religiosæ.*

VII. *An votum obedientiæ obliget ad totius regulæ obseruationem.*

VIII. *Vtrum votum obedientiæ religiosæ obliget ad parendum superiori in quacunque honesta materia.*

IX. *Vtrum perfecta obedientia Euangelica requirat vniuersalem materiam sine vlla regulæ limitatione.*

X. *Vtrum ex obedientiæ voto obligetur quis ad perseuerandum in eodem statu, vel possit ad suscipiendum alium obligari.*

XI. *Cui parendum sit ex vi voti obedientiæ religiosæ.*

XII. *Vtrum in solemne votum obedientiæ cadere possit dispensatio.*


# LIBER DECIMVS.

## *DE VOTO OBEDIENTIÆ.*

ARGVMENTVM huius vltimi libri, est Obedientia speciali voto in cultum DEO oblata, quæ vt sic, non solum est vnum ex consiliis Euangelicis à CHRISTO Domino traditis, & vnum è tribus votis, quibus religiosus status essentialiter constituitur, sed etiam inter ea præstantissimum, vt docet D. Thom. 2.2. quæst. 166 art. 8. tum ratione nobilioris materiæ, quam per hoc votum homo Deo consecrat, nam Paupertas, bona externa, scilicet diuitias: Castitas, quasdam corporis voluptates, per Obedientiam vero DEO quis offert animam, intellectum, ac voluntatem, ac seipsum totum in holocaustum: tum etiam ratione maioris oblationis extensiuæ, quia per hoc votum etiam DEO homo subiicit, offertque omnes suas diuitias, voluptates, cæteraque actiones, imo & seipsum totum cum illis, in perpetuum famulatum, & seruitutem: hinc est, quod Augustinus lib. contra aduersarium legis, Obedientiam maximam virtutum appellet, *quæ maxima, inquit, est virtutum, & vt dixerim, omnium origo, materque.* De illa ergo in hoc libro, seruato ordine, quem in præcedentibus tenuimus, dicemus, prius scilicet, de obedientia simplici, postea de solemni, vel prius de obedientia quæ extra religionem obseruari potest, posterius de illa, quæ intra exercetur; de qua tamen multa in tractatum de societate reseruamus.

):(

CAPVT

## Caput I.

### *Vtrùm simplex obedientiæ votum, & honestum & in consilio sit.*

1. *Errores hæreticorũ.*

Hæretici non minus reiiciunt obedientiæ consilium, quàm cætera, nec minus contemnunt obedientiæ votum, quàm alia. In quo errore fuerunt olim Lampetiani, vt eos Prateolus appellat lib. 10 in principio, vbi eos existimat fuisse An. 132. tempore Innocentii, Sixti, & Caroli IV. eò quod Wicleph. qui prope illa tempora fuit in eodem errore, cũ illis consenſit. Leuis quidem coniectura, potuit enim eorum errorem Wicleph. excitare, etiamſi multo eſſet antiquior, vt reuera fuit. Nam illorum hæreticorum meminit Damaſc. qui ante nongẽtos annos fuit, in catalog. hæreſ. ad fin. eoſq; *Lampetianos*, à Lampetio appellat. Eundem Errorem poſtea ſequuti ſunt *VValdenſes, Begardi, & Begina*, vt Caſtro refert verb. *Obedientia*, ac tandem Lutherani, & omnes noui hæretici, qui vt Bellar. refert libr. 2. de Monach. c. 8. in ſumma dicunt promittere obedientiam homini in cultum Dei, ſuperſtitioſum eſſe, & ſacrilegum; promittere autẽ obedientiam ei, cui alias non debetur, alio fine extra cultum Dei ſtultum eſſe, ac proinde malum. Addere etiam poſſent videri contra ius, & inſtitutionem naturæ, quæ hominem fecit liberum, ipſe autem ſe reddit captiuum, dum alteri obedientiam promittit.

2. *Confutantur.*

Sed hæc ſententia planè hæretica eſt, quæ nunc generali ratione redargui poteſt, nam vel hanc obedientiam reiiciunt, qua ipſa bona non ſit, vel quia votum de illa non ſit pium, ac ſanctum; vtrunque autem eſt planè falſum: ergo. Minor quoad poſteriorem partẽ probata erit demonſtrando priorem. Si enim oſtenderimus hanc obedientiam eſſe honeſtam, & per ſe loquendo, & cum debitis circumſtantiis ſumptã eſſe ex melioribus bonis, quæ ſub conſilio ſunt, euidẽter conſtabit iuxta principia ſuperius poſita, & probata, etiam votum eius ex ſe optimum eſſe, ac Deo placitũ; quia per ſe honeſtum eſt Deo promittere in cultum, & obſequium, id quod eſt melius, & ad perfectionẽ aſſequendam vtilius; & quia ſi obedientia bona eſt, quo fuerit firmior, & immobilior, atque ſacratior, eo erit melior. Vnde eadem teſtimonia, atque eædẽ rationes, quæ probant obedientiam eſſe ex melioribus bonis, probant etiam votum eius optimum eſſe.

3. *De qua obedientia ſit quæſtio.*

Vt autem oſtendamus obedientiam eſſe aptam voti materiam, ſupponere neceſſe eſt, hic nõ eſſe ſermonem de ſola illa obedientia, quæ Deo, & præceptis eius debetur, nec de illa ſola, quæ alioqui debita eſt hominibus habentibus veram iuriſdictionẽ, aut poteſtatem ad præcipiendum, & illa vtentibus; nam de hac obedientia euidens eſt, non ſolum eſſe bonã, ſed etiam neceſſariam ad vitãdam culpam, ac proinde non eſſe ex his bonis, quæ dicũtur ſupererogationis, & conſilii, ſed ex his, quæ neceſſaria ſunt. De quibus bonis, & in vniuerſum de obſeruatione mandatorum, quomodo poſſint ſub votum cadere, ſatis in ſuperioribus dictum eſt. Præter hanc autem obedientiam poteſt intelligi alia, in qua homo ſe ſubdit voluntati alterius in his, quæ alioqui præcepta nõ ſunt, poſſunt tamen licitè & honeſtè fieri, nam ſi hanc cõditionem non habeant, clarum eſt, non poſſe eſſe materiam honeſtæ obedientiæ, quia quæ honeſta nõ eſt, obedientia dici non poteſt. At vero in licitis, & honeſtis per ſe loquendo, etiam honeſtum eſt alteri obedire, ſeu eius facere voluntatem, quia actio ex parte materiæ, in qua verſatur, bona eſt, & nõ fit mala ex tali circunſtantia, ſcilicet quod fiat ad obediendum voluntati alterius: ergo talis obedientia per ſe loquendo bona eſt.

*Duplex obedientia*

4. *Obiectio.*

Dices, hinc ſolum probari eſſe bonam materialiter, ſi actio illa, quæ præcipitur, alias bona ſit, non tamen eſſe formaliter bonã, id eſt, ob illam ſpecialem rationem, quod per illum actum fit volũtas alterius, & ideo inde non probari talem obedientiam eſſe aptam materiã voti, ſed ſolum quod actiones illæ alioqui honeſtæ poſſint eſſe materia voti, etiam propria ſponte abſq; alterius voluntate factę. Nam quod fiãt ex voluntate alterius, qui per ſe non poſſit illas præcipere, indifferens quid eſt, & non reddit illas meliores: ergo ex hoc ſpeciali reſpectu nõ ſunt materia voti. Nec ſatis eſt dicere, per ipſum votũ fieri, vt talis voluntas habeat vim ꝓcepti, & ideo explere illam poſſe eſſe materiam voti. Non, inquam, hoc ſatisfacit, quia votum debet ſupponere honeſtatẽ ſuæ materiæ, non facere: ergo id quod promittitur per obedientiæ votum, debet ſupponi, vt habens ſpecialẽ bonitatẽ ſupererogationis, & conſilij, ratione cuius vouen poſſit: ergo illa non poteſt cõſiſtere in obligatione proueniente ex ipſomet voto. Accedit, quod intelligi nõ poteſt ex ſola promiſſione fieri voluntatem alterius efficacem ad præcipiendum, quæ antea nõ erat, quia ſine iuriſdictione nunquam voluntas eſt efficax ad præcipiendum, promiſſio autem, ſeu votum vnius hominis non dat alteri iuriſdictionem.

5. *Obiectio ſolui ex ipſum, & explicatio.*

Nihilominus dicendum eſt, obedientiam hãc quatenus eſt ſubordinatio, & ſubiectio propriæ voluntatis ad alienam, eſſe ex bonis ſupererogationis, quæ ſub conſilium cadunt, quod debet intelligi per ſe loquendo, & cum debita menſura, ac circumſtantiis, quas poſtea explicabimus. Sic ergo probatur aſſertio ex verbis Chriſti Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & ſequere me*; nam duplex conſilium in illis cõtinetur. Vnum eſt paupertatis, de qua iam dictum eſt, aliud eſt ſequẽdi Chriſtum, quod eſſe videtur conſilium obedientiæ, quia ſequi Chriſtũ, eſt ipſum imitari. *Sequitur enim Dominum* (ait ibi Hieronymus) *qui imitator eius eſt, & per veſtigia illius graditur*: Chriſtus autem in obedientia, & per obedientiã vitam ſuam conſummauit, *factus obediens vſque ad mortem*. ad Philip. 2.

6.

Dices, eadem ratione poſſe per illud verbum intelligi conſilium virginitatis, nam per virginitatem etiã Chriſtum ſequimur, quia illum imitamur. Reſpondetur in primis iam in eodem capite datum fuiſſe à Chriſto conſilium virginitatis, vbi de Eunuchis voluntarijs dixerat, *Qui poteſt capere, capiat*: ergo aliud eſt conſilium, quod in illo vltimo verbo indicatur. Deinde alia cõſilia caſtitatis, vel paupertatis, veluti particularia ſunt comparatione obedientiæ, quæ totam quodammodo hominis vitã complectitur, quia voluntatem ipſam Deo conſecrat, quæ principiũ eſt omnium humanarum actionum, conſilium autem ſequendi Chriſtum, & imitandi ipſum, non eſt de vna, aut altera actione, aut virtute, ſed abſolute de toto vitæ inſtituto, & ideo obedientiæ conſilium appoſitiſſime explicatum eſt illo verbo ſequẽdi Chriſtum. Quod ipſemet Chriſtus Matt. 16. explicuiſſe videtur, dicens, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, illud enim tertium, *ſequatur me*, non eſt diuerſum à duobus primis, vt recte Hieronym. adnotauit, quem alij ſequuntur, ſed eſt veluti explicatio eorũ, aut concluſio in illis cõtenta: non enim diceret Chriſtus, *Qui vult venire poſt me, ſequatur me*, eſſet enim negatio quædam, ſed dicit, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuã, & ſic ſequatur me*. Perinde ergo eſt, ac diceret, imitetur me abnegando ſeipſum, nihil autẽ eſt ſeipſum abnegare, quam ſuam voluntatẽ relinquere, vt diuina impleatur, quod eſt obedire, vt ſignificauit Gregorius homil. 32. in Euangelia, & 10. in Ezech. & alij Patres infra citandi: ergo ſequi Chriſtum nihil aliud eſt, quam viam obedientiæ profiteri.

7.

Dices, eſto hoc verum ſit, hoc tamen ſatis impleri per

per obedientiam mandatorum, quia talis esse debet, vt propter illã etiam propria vita, si necessariũ fuerit, amittenda sit, & à fortiori quilibet alius humanus effectus superandus; quod reuera etiã est abnegare seipsum, & de hac abnegatione maximè videtur loquutus esse Christus in posteriori loco citato, ita vt abnegare se, nihil aliud esse videatur, q̃ Deũ diligere plusquã se, & ferre crucẽ suam, idem sit, q̃ omnia incommoda, & mala pœnæ in hac vita occurrentia fortiter ferre, ne à diuina obedientia diffidatur: hoc autẽ nõ est cõsilium, sed p̃ceptum: ergo hinc non põt colligi aliqua obediẽtia, quæ sit in consilio, sed solũ illa, quæ est in p̃cepto. Quod valde cõfirmant verba, quæ Christus subiecit, Matt. 16. dicens, *Qui enim voluerit animam suã saluam facere, perdet eam, qui autẽ perdiderit animam suam propter me, inueniet eam, quid enim prodest homini si mundũ vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur, aut quã dabit homo cõmutationem pro anima sua.* Quibus Luc. 9. adiungitur, *Nã quicunque erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominũ erubescet, cũ venerit in maiestate sua.* Ex quibus omnibus constat Christum loq; de abnegatione ad salutẽ necessaria, atq; adeo de re p̃cepti, & non tantũ consilij. Respond. concedendo Christum citato loco Mat. 16. & Luc. 9. loqui de quadam abnegatione, & obedientia, quæ est in p̃cepto, vt argumentum factum cõuincit, & Chrysost. & alij exponunt, quod nobis non repugnat, quia nõ inde immediate probamus obedientiã, quæ est sub consilio; sed inde colligimus sequi Christum consistere in obedientia ad Deũ, & ad ipsum Christum, propter quã, & oẽs affectus, & propria vita si necesse fuerit, abneganda sunt, quod necessariò intelligendum est de illa Christi sequela, quæ ad salutem necessaria est.

1. Ex alio vero loco Matth. 19. colligimus esse aliam Christi sequelam, quæ nõ est ad salutẽ necessaria, sed sub consilio ad maiorem perfectionem. Quod facilè probari potest rationibus, quib. supra probauimus, ibi dati consilium, & nõ p̃ceptum paupertatis: nam sub eodem tenore vtrumq; proponitur. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*, nam vtrumq; proponitur post obseruationẽ p̃ceptorum necessarium ad salutem, & sub illa tantum conditione, *Si vis perfectus esse.* Hinc ergo cum eadem proportione, & seruata eadem phrasi loquutionis colligimus præter obedientiam, & abnegationẽ necessariam ad salutẽ, esse aliam, quę sub consilio p̃ponitur, sub eodem verbo sequendi Christum; recte ergo de consilio obedientiæ verba illa interpretãtur. Nihilominus subterfugere quis potest dicẽdo Christum in illis verbis, *Veni, sequere me*, cõprehendisse omnem vitæ illius imitationẽ perfectam quoad fieri possit in omni genere virtutis, & in omni meliori bono, ac propria abnegatione, ideoq; necessarium non esse verba illa intelligere de aliquo speciali consilio obedientiæ, imo neq; esse aliquod tale consilium, q̃ sub illo verbo cõprehendatur; quia neque ipse Christus talem obedientiam in hac vita professus est, sed obediuit æterno Patri, q̃ ex vi suæ humanitatis absq; alia promissione facere tenebatur, nulli autem alteri obedientiam promisit, quod si illam exhibuit parẽtibus, iuxta illud Luc. 2. *Et erat subditus illis*, id non fuit ex speciali promissione, neque ex naturali obligatione, cum esset filius Dei naturalis, sed ob exemplũ, & humilitatem, sicut etiam obediuit legi, & soluit tributum ob vitandum scandalum. Ex quibus ad summum colligi põt esse consilium obedire alijs in similibus casibus propter rationes extrinsecas, non verò ipse, eo quod ipsa obedientia, seu subiectio melior sit etiã respectu illius, qui alias superior est, secluſa hominis promissione, & voluntaria subiectione.

3. Propter hoc vlterius addendum censeo, Christum verbo illo *sequere me*, non inuitasse adolescentem illũ tantũ ad suam imitationẽ in omni genere, sed etiam ad sequendum realiter, & corporaliter, vt sic dicam, se & actiones suas illi committẽdo, seq; cũ illo veluti in vnum corpus coniungendo, atq; vt semel dicam, obedientiam illi p̃stando, non illam tantũ, quę ad salutem necessaria est, sed aliam specialiorem, & ad p̃fectionis viam assequendam necessariã iuxta discursum superius factum, qui hanc vltimam partem satis probat. Prior vero declaratur in primis ex eo quod supra diximus, discipulatũ, seu hanc denominationẽ discipulorum Christi dupliciter in Euangelio accipi. Primò prout communis est omnibus in Christũ credentibus: secundò prout erat specialis quorundam, qui singulari, & p̃fectiori modo Christo adhærebãt, eumq; sequebantur, vel corporaliter eum comitãdo; vel ei parendo. Sic Ioan. 2. dicitur, *Vocatus est Iesus, & discipuli eius ad nuptias.* Et infra: *Post hoc descendit Carphanaum ipse, & discipuli eius, & ib: manserunt non multis diebus.* Et infra: *Recordati sunt vero discipuli eius:* vbi nomine discipulorum semper intelliguntur illi, qui specialiter Christo adhærebant, eiusq; & doctrinam, & personam sequebantur, de quibus etiam Iudæi dicebãt, Ioan. 7. *Vt discipuli tui videant opera, quæ facis*, &c. Vt ibi indicauit Chrys. hom. 47. Ad hunc ergo perfectum discipulatũ vocabat Christus adolescentem illũ, cui consulebat, *Vende omnia, quæ habes, & sequere me.* Quod patet primò ex consonantia aliorum locorũ, statim enim subiecit Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, ac si diceret, iã nos fecimus, quod huic adolescenti cõsulis, clarũ est autem Petrum loqui de illo speciali modo sequendi Christum, ad quem eos vocauerat Matt. 4. *Ipsi autem relictis retibus secuti sunt eum.* Et eodẽ modo vocauit Matthæum, *sequere me*, & surgens secutus est eum. Intellexit ergo Petrum loquutum fuisse de hoc peculiari modo assumendi disciplinã eius in illo consilio, *Et veni, sequere me.* Quã intelligentiam responsione sua Christus probauit, dicẽs, *Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me.* Cõsonant etiam, quæ Matt. c. 8. & Luc. 9. vbi cum Christus cuidã dixisset, *sequere me*, & ille respondisset, *Domine permitte mihi primũ ire, & sepelire patrẽ meum*, adiunxit Christus, *sine mortuos sepelire mortuos suos.* Vbi similia de alijs duobus narrantur. Ex quibus planum est, Christum per huiusmodi verba quatenus speciale consilium continent, inuitasse homines, quos sic vocabat ad illum perfectum modum sequẽdi ipsum corporaliter, alioqui nec excusatio illorum hominũ esset ad rem, neque Christi responsio fuisset necessaria.

10. *Ostenditur ratione euidẽti specialis Apostolorum obedientia.*

Quod autem hic modus sequendi Christum specialem obedientiã includeret, p̃ter eam, quæ est generalis præceptorũ, per sese euidẽs videtur, qua enim ratione possent discipuli Christi cum ipso in vnum aggregari, nisi esset inter eos subordinatio, & obediẽtia? alioqui esset confessio, quod si ad ordinatum viuendi modum obedientia necessaria erat, clarum est in illo sacro collegio deesse non potuisse, atque adeo eam discipulos Christo Domino exhibuisse. Quam etiam ipsum nomen discipuli præsefert. Vndè Io. 13. aiebat Christus, *Vos vocatis me Magister, & Dominus, & bene dicitis, sum etenim*; recognoscebant ergo illum vt superiorem, & Dominum peculiari modo. Ac deniq; ex vsu ipso hanc discipulorum obedientiam in Euangelio legimus, nam illos mittebat ad p̃dicandum, & specialia præcepta, vel documenta dabat, quibus ipsi parebant. Luc. 10. & c. 22. *Misit Petrum, & Ioannem, dicens, euntes parate nobis Pascha*, &c. & similia, quæ passim inuenientur. Vocabat ergo Christus discipulos ad sequendum se per specialem viuendi modum, atque institutum, in quo sibi imperanti obedirent.

11. *Obedientia Apostolorũ fuit etiam firma*

Præterea iliã obedientiam, seu sequelam fuisse ita firmam, & stabilem, vt post consensum p̃stitum, nõ liceret ab ea recedere, ex eodẽ Euangelio colligi potest:

test: nã ob eam causam dixisse videtur Christus Luc. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Loquebatur n. ad quendam, q se inuitauerat ad ipsum sequendum, ea speciali sequela, de qua loquimur, & de illo ait, si retrocedat eo ipso non esse aptum regno Dei, quo significatur, illũ retrocedẽdo peccare: ergo cõsequenter significatur illam sequelam futurã fuisse moraliter firmam, & stabilẽ. Qui sensus probabilis est, & vsitatus à Patribus, non tamẽ necessarius, vt late tractaui supra q. 88. a. 1. in cõmentario. Hoc ẽt confirmare videtur Christus Luc. 14. duplici parabola, altera de illo q cœpit ædificare, & non potuit cõsummare; altera de Rege, qui ꝓcedens ad bellũ sine sufficiẽti copia & virtute, postea non audens congredi, adhuc longe existens, rogat q̃ pacis sunt: nam p hęc significat Christus, eos qui ipsum sequũtur nõ posse nisi turpiter retrocedere, donec rem pficiant, quæ tamẽ non pficitur, nisi pseuerando vsq; in finem: & ideo Theoph. exponens illam Christi promissionẽ, *Vos qui secuti estis me sedebitis*, &c. Mat 19. interrogat, *Num & Iudas sedebit?* Et respõdet, *Non*; dicit n. *Qui secuti me fuerint*, h. e. qui vsq; in finẽ, &c. Vnde Actor. 1. Iudas dicitur esse prævaricatus de loco ministerij Apostolici, prævaricari autem est deficere ab statu, ad quem ãliquis obligatus erat.

12. *Allata testimonia non concludunt.*

Sed hæc etiam omnia non videntur cogere, primò, quia in illo loco Luc. 14. probabile est Christũ loqui de omnibus fidelibus ipsum sequentibus per fidẽ & obedientiam mandatorũ, vt præcedenti libro tactũ est, & consequenter possunt illæ parabolę ad oẽs facilè accommodari. Deinde quia licet eas accõmodemus ad eos q. incipiunt pfectionem ædificare, & hostes illius debellare, nõ tatis concluditur eos peccare viam illã deserendo, & retrocedendo; sed ad summũ minus constanter, & prudenter agere, ꝙ potest esse sine obligatione pmanendi in illo statu, & absq; speciali culpa in eo deserendo: sicut nunc imprudenter agit qui sine sufficiẽti consideratione habitũ religionis sumit, & paulo post illum deserit. Qui etiam non assequetur prẽmium illud, *Sedebitis super sedem*, &c. solum quia in eo statu non perseuerat, etiamsi non perseuerando specialiter non peccet; quia illud præmiũ accidentale est, & amitti potest sine culpa. Quod aũt de Iuda dicitur Act. 1. prævaricatum esse de loco suo, licet grauem culpam indicet, non satis tamẽ conuincit illam fuisse positam solum in retrocedendo, vel Apostolico officio deserendo, cui esset speciali vinculo obligatus, sed eo maxime, quod tradẽdo Christum, illum deseruit, & fingendo se sectatorem eius, aduersario illum tradidit, quod fuit proprie prævaricatoris munus exercẽre.

13. Sed licet ex dictis locis non colligatur euidenter Christi discipulos fuisse speciali vinculo obligatos ad pmanendum in ea Christi sequela, seu discipulatu, positq̃ semel illi se consecrarunt: tamen dubitari non potest, quin eo animo illi se traderẽt, vt perpetuò illi adhærerent, & illud vitæ ac pfectionis genus profiterẽtur; nam ad hunc finem omnia sua relinquebãt, vendendo illa, & dãdo pauperibus, si oportebat: quę actio satis indicat animum perpetuò perseuerandi in tali viuendi modo, maxime cum etiã vxorum vsum relinquerent, & ꝑpetuam castitatem amplecterẽtur, vt infra ostendemus. Itẽ ad hoc Christum sequebantur vt Euang. annuntiarẽt, sic enim significauit Christus Luc. 9. cum dixit cuidã *Sine vt mortui sepeliãt mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Et Matt. 4. in Apostolorum vocatione, *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Hoc autem munus non est opus vnius diei, sed vitam integram requirit.

14. Hinc autem fit satis verisimile discipulos ita fuisse Christum sequutos, vt in posterũ manerent obligati ad obediendum illi & permanendum cum illo: hanc enim ob causam, res hæc tanquã satis ardua illis proponebatur, quia erat res perpetua, quã semel inchoatam relinquere non licebat: nam si hoc liberum semper maneret, non esset adeo difficile illud vitæ genus tentare. Et hoc significasse videtur Petrus cum dixit, Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* nondum enim reipsa sequuti erant Christum per totum vitæ tempus, seu in eius obediẽtia per totã vitam pseuerando, tamen quia proposito & obligatione se iam illi ꝑpetuo dicauerant, tanquã de re iam pfecta, seu irreuocabili loquitur, & solũ de præmio interrogat. Deniq; Patres ita sentiunt de hac discipulorum Christi obedientia. Dupliciter aũt illã declarare videntur, primo quod speciali Christi præcepto obligati fuerint ad Christum ita sequendum, eiq. ꝑpetuo obsequendũ. ita loquuntur Hier. ep. 151. ad Algasiam q. 8. dicens, *Præceptum est Apostolo: Estote perfecti: sicut Pater vester cœlestis perfectus est*: Et infra, *Apostolo, non pueris præcipitur, verum iam ætatis robustæ, vt assumant perfectionem.* Augustin. etiam libr. 2. de consensu Euang. c. 17. verbo *subeundi* vtitur, dicens, *Christum insistisse discipulos piscantes, vt eum sequerentur.* Difficilius Salui anus li. 2. de Eccl. Cathol. vbi loquens de ministris Euangelij, quos Christus vocabat, *Et*, inquit, *Saluator ipse in Euangelio non vt cæteris voluntarium, sed imperatiuũ officium perfectionis indicit; quid enim laico illi adolescenti dixisse legimus? Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Quid autem ministris suis? Nolite possidere aurum, neq; argentum*, &c. Mat. 10. Videte quanta sit in vtroque hoc Dei sermone diuersitas.

Veruntamen ex ipsismet Christi verbis, *Si vis perfectus esse*, &c. satis constat Christum Dominũ non imposuisse proprium præceptum omnibus, quos ad se sequendum ita vocabat, nam adolescentem illum ẽt vocauit, dicens, *Veni, & sequere me*, & tamen sub prædicta conditione vocauit, *Si vis perfectus esse*; licet ergo aliquando illam non exprimeret, semper subintelligit, sicut Luc. 9. ad quendam dixit absolutè, *Sequere me, & vade, & annuntia regnum Dei*; cum tamen constet illud non fuisse absolutum præceptum, sed vocationem ad statum pfectionis. Hieronymus vero, & Augustinus illo verbo vtuntur solum propter formam verborum Christi, qui aliquando per modum inuitantis, aliquãdo per modum inuocantis vocabat, vt, *Qui vult venire post me*, aut, *Venite post me*. Videtur autem in hoc posteriori modo ferè semper indicari efficaciã vocationis, quæ non in speciali aliqua obligatione assumendi perfectionis viam, sed in congruitate, & efficacitate gratiæ, posita erat; & ob eam causam potest etiã imperium vocari, sicut dicitur etiã Christus imperio suo mira opera fecisse. Saluianus autem loquitur de imperio non antecedente, sed consequente, vt sic dicam, id est, non de imperio assumendi statum perfectionis, sed reseruandi, & retinendi pauperiatem in illo statu semel assumpto.

15. Hæc ergo firmitas, & necessitas, non proueniebat ex solo Christi præcepto speciali & positiuo, sed ex voluntaria professione obedientiæ includente promissionẽ explicitam, vel implicitam permanendi in illa. Quod expresse docuit D. Th. 2. 2. q. 186. a. 6. ad 2. vbi ita concludit, *hæc autem immobilitas sequelæ Christi firmatur per votum.* Et loquitur de hac sequela ẽt prout facta est ab his qui personaliter Christum ipsum secuti sunt. Et idem sentiunt oẽs Doctores, qui asserunt Apostolos emisisse tria vota essentialia religionis, quos infra commemorabimus, & de voto paupertatis aliqua dicta sunt lib. 3. & de castitate lib. præcedenti; non est autem minor ratio de promissione obedientiæ; imò multo maior, quia reliqua ad hoc ordinabantur tanquam media ad finem: ideò enim futuri CHRISTI discipuli renuntiabant omnibus bonis, & voluptatibus corporis, vt essent expediti ad

ad obediendum ipsi præsertim in annuntiatione Euangelij.

17. *Cinadin.* Adhuc verò dicere potest aliquis. Esto fuerit optimum consilium personaliter sequi Christum vocantem, illi perpetuam obedientiam promittendo, non posse inde colligi nunc & esse bonũ similẽ obedientiam pmittere alicui homini. Est n. magna differẽtia inter Christum & quemcunq; alium purum hominẽ: tum quia Christus Dominus non põt errare in prẽcipiendo, neq; ex malitia, neq; ex ignorantia, sed semp iniunget subdito id, q̃ melius, & salubrius illi est, homo vero vtroq; modo errare põt pcipiendo, vel inutilia, vel quæ magis impediant, q̃ iuuent ad salutem: tum etiam, quia Christus est absolutè omnium Dominus, etiam in quantum homo; & ideo si absoluta potestate vti voluisset, sine dubio potuisset per proprium imperium obligare quos vellet ad se sequendum, & ppetuo militandum sub obedientia sua, etiã in operibus, & ministerijs perfectionis; & ideo quamuis ipse pro sua humanitate nollet tãta vti potestate, sed solum volentes inuitare ad societatem secum ineundam, optimum consiliũ erat inuitanti cõsentire, eiq; obedientiam promittere. Alij verò homines (secluſa potestate iurisdictionis, de qua nõ agimus) nec superiores sunt, nec rectè possunt alios inuitare, vt sibi obedientiam promittant: ergo talis obedientia non potest conferri cũ illa quæ Christo offerebatur, neq; ab vna ad alteram potest argumentum fieri.

18. *Dionys.* Nihilominus Doctores sancti semper intellexerũt quæ Christus in hoc negotio, & egit & docuit, non pro illo solo tempore, nec pro his solum qui Christo Domino obtemperarũt, fuisse tradita, sed fuisse normam, & exemplum eorum, quæ ppetuo in Ecclesia duratura erant, & tanquam meliora fidelibus consulenda. ita expositit Basil. sermone de abdicatione rerum, illa verba Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis*, quæ de vocatione ad statum paupertatis & obedientiæ intelligit, & ideo inferius statum religiosum vocat *Sanctorum Christi discipulorũ militiam*, & in constit. monast. c. 19. de monach. ita loqtur: *Hi veri imitatores sunt Saluatoris nostri, eiusq; vita, quam inter nos duxit: quẽadmodum enim ille coacto Apostolorum choro cõmunia cuncta, seq; ipsum communem Apostolis præbuit, ita hi quoq; antistiti suo obtemperantes genus viuendi Apostolorum imitantur ac Domini*: & c. 23. Christum, ait, ad hoc elegisse discipulos, *vt per eos formã relinqueret futuræ posteritati*. Idẽ sumitur ex Augustino lib. 2. contra literas Petil. c. 104 & 17. de Ciu. c. 4. & ex omnibus Patribus vbicunque exponunt verba Christi sæpe citata: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & sequere me*. Et, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, &c. Et, *Omnis qui reliquerit patrem*, &c. Nam & multa ex his verbis vniuersalia sunt, quæ proinde non restringũtur ex vi, & proprietate sua, ad pẽsentes, qui tunc aderant, sed ad oẽs, qui consilia Christi sequi voluerunt, extenduntur, & materia ipsa talis est, vt ad omnes pertineat: ergo etiã doctrina. Vnde etiam promissio illa Matt. 19. *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes*, &c. quæ considerata forma verborũ ad Apostolos dirigi videbatur, à Patribus intelligitur facta omnibus, qui in statu perfectionis Apostolos imitantur, vt videre licet in Augustino epist. 89. q. 4. & Ps. 49. & 121. Hieron. epist. 28. ad Lucinium, & alijs quos supra citaui. Differentiæ autẽ inter Christum & eius ministros assignatæ nihil obstant: nam ipse dixit hominibus locum eius tenentibus, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Vnde Basil. dict. c. 23. constit. monast. *Nihil aliud* (inquit) *est antistes, quam is qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum & homines*, &c. Quocirca non quælibet obedientia homini præstita, inter bona ad perfectionem pertinentia computatur, sed illa, per q̃ aliquis loco Dei & Christi assumitur, vt in via perfectionis hominem dirigat, & adiuuet. Quod sine dubio vtilissimum est, & moraliter necessarium: nam vt ibidem Basilius subiungit, *Res omnium difficillima est seipsum cognoscere, & curare, propterea quod naturaliter seipsum quisq; amat, & quilibet propterea quod in seipsos propensi sunt, in veritatis iudicio falluntur: porro ab alio cognosci, curarique facile est*, & cætera quæ prosequitur, multa & magna huius obedientiæ commoda enumerat.

19. Neq; obstat, quod huiusmodi persona errare possit, hoc enim probat feliciores fuisse qui Christo ipsi obedientiam in hac vita præstare potuerunt, non tamen probat hoc genus obedientiæ ob eam causam contemnendum esse; alioqui omne humanum regimen vitandũ esset; quia in eo semper homines errare possunt. Eo vel maximè, q̃ Basilius in eisdem constit. monast. c. 22. late prosequitur, moraliter timeri non potest, quod spiritualis Prælatus ex malitia erret in spirituali subditi directione; & quãuis id aliquando contingat, accidentarium est; vnde non debet ob eã causam obedientiæ bonum infamari. Præsertim, quia si error talis sit, vt aliquid contra bonos mores pciatur, talis iussio nec obligare potest, nec sub promissione obedientiæ continetur: si vero non est contra bonos mores, semper poterit in spiritualem profectum obedientiæ redundare, si per ipsum non stet, & ita huiusmodi error nunquã erit impedimentũ pfectionis acquirẽdæ. Sed de hoc latius infra tractando de obedientia religiosa. Altera vero differẽtia inter Christum & alios Prælatos nihil ad rem præsentẽ facit; quia ipsemet Christus viuẽs in hac vita morta i homines vocabat ad obediẽdum sibi. Ex tunc etiam generaliter vocauit omnes ad volũtariam obedientiam præstandam Prælatis locũ ipsius Christi tenentibus, & nunc etiam vel interius per seipsum, vel etiã exterius per suos ministros, multos vocat ad hanc perfectionis viam profitendam.

20. Atq; hinc facile satisfieri potest difficultati in principio positæ, in qua postulabatur, quam bonitatem obedientia habeat, prout supponitur ad votum obedientiæ. Dicitur enim in primis non semper esse necessarium ad materiam voti, vt specialem honestatẽ alicuius virtutis habeat, quatenus ad votũ supponitur; sed satis esse vt sit res vtilis ad virtutẽ quamcunq; disponendo hominem, vel tollendo impedimenta virtutis. Sic n. paupertas per se spectata non habet intrinsecam honestatem, nec est actus, vel materia alicuius virtutis specialis, & tamen quia est vtilissima ad perfectionẽ acquirendã, ideo sub ea ratione est apta materia voti. Sic ergo dici potest de obedientia quatenus est propriæ voluntatis renuntiatio, & subiectio ad voluntatem alterius, alioqui iurisdictionem non habẽtis, hic enim actus per se spectatus ante promissionem non habet aliquam intrinsecam honestatem specialem, licet possit esse imperatus ab humilitate, vel ab alia simili virtute; per se tamen est vtilis vt homo conuenienter dirigatur in exercitio virtutis, præsertim in via perfectionis, in qua nõ solum præcepta, sed etiam consilia executioni mandata sunt. Nã cum hæc non sint per præceptum determinata, nec possint omnia ab omnibus impleri, necessarium est prudens arbitrium, in quo melius vnusquisque ab alio dirigitur, quam à seipso, propter rationes superius à Basilio datas.

21. Hinc dicitur vlterius quod licet materia huius voti, vt ad illud supponitur, nondum habeat in se actu honestatem obedientiæ virtutis, habet tamen potestate, quod satis est, vt adiuncta promissione actus ille incipiat habere illam honestatem. Quod sic declaratur, nam ante votum hic non est mihi superior, & ideo nondum habet locũ propria obediẽtia circa illum; per promissionẽ autẽ qua me illi trado, ac subiicio, mihi illum superiorẽ cõstituo; & ideo iam habet

locum erga illũ obedientia. Vnde actus ille promittendi & assumendi alium in superiorẽ & Prælatum, proximè & ex obiecto non habet honestatẽ obediẽtiæ, neq; ab ea virtute elicitur, sed à religione, cũ illa promissio fiat in Dei cultum, eo q̃ ad perfectionem assequendam vtilis censeatur. Nihilominus tamẽ ex fine participat ille actus honestatẽ obedientiæ, quatenus ex amore illius procedit; ideo enim quis hunc assumit vt superiorem, vt in omnib. suis actibus possit obedientiam exercere; & idcirco, quamuis encomia, & laudes obedientiæ, quæ in Scriptura & Patribus leguntur, proprie dici videãtur de ipso vsu & exercitio obedientiæ, quale est illud 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victimæ*, & similia: nihilominus etiam conueniunt in hunc actũ, qui ad tale exercitium voluntariæ obedientię supponitur, sc. voluntariam subiectionem huic personæ promissione firmatam: nam in hoc actu dixi virtute, & quasi in radice tota honestas obedientiæ continetur, & intenditur: vnde in illum optimè quadrat ratio tradita à Gregor. li. 35. Moral. c. 10. ob quam obediẽtia victimis præfertur, *Quia per victimas*, inquit, *aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur*: hoc enim sacrificium propriæ voluntatis maximè fit in eiusdem voluntatis subiectione, & promissione: vnde in illam etiam conuenit seruata proportione, q̃ de virtute obedientiæ idẽ Gregor. eodem loco dixit talem esse virtutẽ, *quæ sola virtutes menti inserit, insertasq; custodit*: nam hoc etiam suo modo facit hæc voluntaria subiectio ad aliquem loco Dei constitutum, nam illius prouidentia, & cura, & diuino auxilio per illum tanquam per Dei ministrũ præstito, virtutes facilius acquiruntur, & conseruantur, vt elegãter Basilius in locis supra citatis declarat. Neq; huic efficaciæ talis promissionis obstat, quod p illam non detur propria iurisdictio ei, cui obedientia promittitur, satis est enim q̃ acquirat, vel ius aliquod dominatiuum, quale est domini in seruum, vel patris in filium; vel quod acquirat potestatem exigẽdi materiam illam vt Deo debitam ex vi promissionis, quæ omnia latius in sequentibus exponemus.

22. *Difficultas de obedientia simplici.*

Vna vero supereſt difficultas proptia huius disputationis, in qua specialiter de voto obedientiæ omnino simplici inquiritur; & quæ hactenus diximus ad summum persuadent obedientiam similẽ obedientiæ discipulorũ Christi, esse laudabilẽ, & voto consecrabilem. Huiusmodi autẽ solum est obedientia religionis, in qua plures sub vno capite Christum repræsentantes congregantur: ergo inde probari nõ potest esse consilium extra hunc statum obedientiam alicui promittere: imo neq; esse bonũ, aut tutum, quia tunc non potest assumi aliquis tanquam Christi vices gerens vt ei obedientia promittatur: nullus n. potest in Ecclesia vices Christi gerere, qui auctoritate, & potestate publica non sit ad tale munus destinatus, quod in p̃senti non seruatur, sed solũ priuato iudicio, ac voluntate eligitur p̃sona, cui talis promissio fit. Et ob eãdem causam non videtur tuta talis promissio, cũ solo priuato iudicio, & non aliqua publica approbatione nitatur: non est ergo hęc obedientia apta materia vt per tale votum Deo consecretur.

23. *Obedientia simplex est honesta, & laudabilis*

Nihilominus dicendum est etiam hanc promissionem ex suo genere optimã esse, si cum debitis circumstantijs fiat. Hoc n. satis persuadet Ecclesiæ consuetudo: solet enim sæpe tale votum fieri à viris pijs extra religiosum statum, quod iudicio omnium prudentum laudabile est, & per se loquendo, obligat. Et licet ad proprium statum religiosum necessaria sit ecclesiæ approbatio specialis vt li. 2. ostendimus, nõ tamen esse necessariam ad omnem viuendi modũ participantem, seu imitantem aliquo modo illum statũ, aperte sentit Caiet. 2. 2. q. 188. a. 1. & Nauarr. comm. 1. de Regular. Vnde fit vt sæpe in aliquo viuẽdi modo, vel ab aliquibus personis emittantur tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ sine speciali approbatione Ecclesiæ, quæ nihilominus vera sunt, & valida, licet purè simplicia, vt Nauarr. etiam dict. comment. 1. de Regular. sæpius docet. Quocirca omnia quæ de obedientiæ honestate diximus, ad hoc simplex votum applicari possunt: nam etiam tale votum fit homini, vt vicem Dei tenenti, vel è contrario fit Deo, vt homo nomine ipsius præcipiat quę ad maius animæ bonum expedire iudicantur.

Neq; ad hoc necessarium est vt talis persona potestatem aliquam ab Ecclesia habeat, quia non per potestatem iurisdictionis, sed per potestatem dominatiuam præceptura est, q̃ potestatem ab ipsomet vouente priuatim accipere potest. Neq; est etiam necessarium vt habeat aliquam publicam, seu authenticã approbationem, quia tale etiam votum non est publicum, sed priuatum. Satis ergo est quod prudenti iudicio, sine morali probabilitate talis persona apta & habilis existimetur, vt ei possit aliquis curã animæ suæ per specialem obedientiam committere. Regulariter autẽ tale votum securius fit respectu alicuius, qui pastoralem curam in Ecclesia habet, vt si seculari quispiam suo Episcopo specialem obedientiam voueat, vel alicui Prelato alicuius approbatę religionis; vel fieri etiam potest parocho, aut discreto cõfessori; quanquam tunc securius fortasse erit votum facere respectu huius, vel illius personæ in individuo, cuius virtus, & prudentia probata esse posset, quam generatim respectu cuiuscunq; Confessoris. Deniq; hic non descendimus ad particulares circunstantias, ex quibus in quocunque voto potest aliquando esse periculum: satis ergo est quod actus ex se, ac prudenter factus bonus, ac religiosus sit.

## Caput II.

### *Vtrum simplex obedientiæ votum habeat coniunctam promissionem homini factam, & è contrario.*

1. Ratio dubitandi est, quia licet votum hoc Deo fiat, non tamen fit de obediendo ipsi Deo in se, sed de obediendo huic, vel illi homini: ergo necessario includit promissionẽ homini factam propter illã, quæ fit Deo. In contrarium aũt est, quia si ibi esset aliqua promissio humana, illa sufficeret, vt promittens maneret obligatus ab obedientiam tali hominiergo promissio obedientiæ, etiamsi sit de obediẽtia spirituali, vt sic dicam, nõ est verum votum, sed humana promissio: sicut qui promittit alicui facere pro illo sacrum, quamuis rem sacram promittat, non facit votum, sed humanam promissionem.

2. In hac re prima sententia esse potest, semper in hoc voto interuenire duas promissiones, humanã, & religiosam; ex quib. humana est veluti materia religiosæ, promittit enim homo homini obedientiam Deo, aut promittit seruare fidelitatem in obedientia, quã illi promittit. ita videtur sentire D. Th. q. 88. a. 5. ad 3. vbi sic inquit, *Votum soli Deo fit, sed promissio etiam potest fieri homini, & ipsa promissio boni, quæ fit homini, potest cadere sub voto; & per hunc modum intelligendum est votũ, quo quis vouet aliquid Prælatis, vt ipsa promissio facta Prælato cadat sub voto materialiter, in quantum scil. obligat, vouet Deo se impleturum quod Prælatis promittit.* Atq; idem sentit Caiet. in fine illius articuli; qui consequẽter infert in transgressione huius obedientiæ promissæ duas esse malitias, vnam contra religionem ratione voti Deo facti; aliam contra fidelitatẽ humanã: nam licet hanc posteriorem dicat esse contra obedientiam, non loquitur de malitia formaliter oppositа speciali virtuti obedientiæ, sed de malitia oppositа fidei debitæ homini in ratione promissionis, vt ex discursu eius manifestè constat: sed qa illa promissio fuit de obedientia præ-

præſtanda tali homini, ideo malitiam illam contra obedientiam vocat. Poteſtq; hæc opinio ex ſupradictis ſuaderi, quia ex vi voti obediẽtiæ homo põt præcipere, nõ ratione iuriſdictionis, ſed ratione poteſtatis dominatiuæ: ergo oportet vt hanc poteſtatẽ acq̃rat ex vi ꝓmiſſionis alterius: ergo neceſſe eſt vt ei fiat aliqua promiſſio, quia nemo poteſt acquirere nouũ ius, & poteſtatem, niſi per donationem, vel promiſſionem ſibi factam. Et confirmatur, nam votum obedientiæ alicui homini factũ ſi ab ipſo non acceptetur, non obligat, vt ex vſu & ſenſu hominum conſtare videtur; huius autem ratio alia eſſe non poteſt, niſi quia tale votũ quaſi materialiter pendet ex promiſſione facta homini, quam ſupponit, quæ promiſſio non acceptata, nulla eſt, & conſequenter etiam votum, quod in illam cadit.

3. *Secunda ſententia.* Contrariam ſententiam tenet Sot. lib. 7. de Iuſtitia, q. 2. art. 3. ad 1. vbi conſequẽter aſſerit in tranſgreſſione obedientiæ voto promiſſæ vnicam tm̃ eſſe malitiam, *quia licet illud obſequium* (inquit) *conſtituatur in genere obedientiæ, non tamen niſi per ſolum votum:* Et rationẽ ſubdit, dicens, *Haud obedientiã Prælato voues, ſed Deo quod tũ Prælato obedies.* Declarat hoc & confirmat exemplo voti faciendi eleemoſynam proximo; nam in illo nulla intercedit humana promiſſio, ſed ſoli Deo fit votum dandi eleemoſynam. Vnde ſi eleemoſyna omittatur, nihil fit contra miſericordiam, fidelitatem, aut iuſtitiam debitam homini, ſed ſolum contra religionem ratione võti. Et explicatur præterea in hunc modum; nam qui obedientiam vouet, non intendit beneficium aliquod homini conferre, ſed ſoli Deo obſequium, nec enim quærit vtilitatem eius cui obedientiam vouet, ſed ſuum ſpirituale commodum, & honorem Dei: non ergo intendit homini aliquid promittere, ſed ſoli Deo.

4. *Obiectum materiale poteſt eſſe duplex promiſſio.* In hac re duplicem quæſtionẽ tractari poſſe cenſeo, vna eſt de poſſibili, & altera de facto. Prior ergo quæſtio erit, an obediẽtia promitti poſſit cũ duplici promiſſione, vel cum vna tantum. Ad quã reſpondeo vtroq; modo fieri poſſe pro arbitrio vouentis. Quod n. duæ fieri poſſint, manifeſtum eſt ex diſcurſu D. Th. nec Soto hoc negat, nam votũ eleemoſynę eodẽ modo fieri poteſt, promittendo homini tale ſubſidium, & vouendo Deo implere promiſſionem eleemoſynę homini factã. Imo etiã poſſunt hæ duæ promiſſiones fieri concomitanter tantum, ita vt vna in alterã non cadat, q̃a ſi poſſunt ſeparatim fieri, vt ſtatim dicetur, cur non etiam ſint cum ſola cõcomitantia? nec enim vna cũ altera pugnat, neq; etiã vna alteri ꝓſupponit. Dices, repugnat eãdem rem ſimul promitti duobus. Reſp. ſi illi inter ſe non habeant ordinẽ, ſed ſint quaſi vltimi termini, vel obiecta promiſſionis, ſeu donationis, tunc non poſſet licite aut cõuenienter eadem res duobus promitti: at vero quando ꝓſonæ accipiũtur & obiecta, vel termini diuerſarũ rationum, & cũ aliqua ſubordinatione inter ſe, tũc recte poteſt circa eandẽ rem verſari duplex promiſſio reſpectu diuerſorum: ſicut poteſt quis promittere dotem filiæ alterius, ſeſe ipſi filiæ directe obligando; & ſimul poteſt etiã promittere patri cum directa etiã obligatione ad illũ, dare eandem dotem eidem filiæ: hæ namq; duæ obligationes nõ ſe impediunt ſed potius iuuant. Ita ergo eſſe poteſt in præſenti obediẽtiæ promiſſione.

5. *Obiectum formale obediẽtiæ duas inuoluere malitias ſpecie diſtinctas; vnam ſacrilegij contra votum, aliam infidelitatis, vel iniuſtitiæ contra promiſſionem humanã.* Atq; in huiuſmodi caſu verum eſt tranſgreſſionẽ obediẽtiæ duas inuoluere malitias ſpecie diſtinctas; vnam ſacrilegij contra votum, aliam infidelitatis, vel iniuſtitiæ contra promiſſionem humanã. Probatur, quia eſt duplex debitũ diuerſæ rationis, & vtrumq; ſe ſufficit, vt eius violatio ſit moraliter mala, & cõtra particularem virtutẽ ſpecie diſtinctam: vnde ſi ibi tãtum eſſet promiſſio humana, nullum eſſet ſacrilegium, ſed tm̃ infidelitas, & è conuerſo ſi eſſet ſolum votum ſine promiſſione humana, eſſet tantũ ſacrilegium: ergo ſi illud duplex vinculũ coniungatur, erit etiam duplex malitia. Sicut n. promiſſio humana iuramẽto firmata duplici vinculo obligat, & ideo eius tranſgreſſio, & infidelitas eſt, & ſacrilegium. Dices, eadẽ ratione eſſent in eo peccato plures malitię: nam præter illas duas eſſet malitia inobediẽtiæ, nam hęc eſt contra diuerſam virtutem, & videtur maxime intrinſeca illi actui: & ꝓterea erit malitia cõtra illã ſpecialem virtutẽ, ad quam pertinet materia, circa quã verſatur talis actio, vel omiſſio: vt v. g. ſi obedientia eſſet de ieiunando, tunc enim tranſgreſſio eſſet etiam contra temperantiam. Reſp. negãdo ſequelam; nam in primis malitia inobediẽtiæ nunquã eſt ſpecialis in tranſgreſſione ſpecialis legis, aut ꝓcepti, niſi directe fiat ex intentione non parendi, vt ſumitur ex D. Th. infr. q. 104. a. 1. & eſt cõmunis ſententia. Deinde, quia in ꝓſenti caſu, in quo ſupponimus ꝓcipientem nõ habere iuriſdictionẽ, neq; aliam vim ad præcipiendũ, niſi promiſſionẽ alterius, veroſimilius eſt, licet quis non obediat ex directa intentione non parendi tali homini, nõ incurrere propriam malitiam virtũti obediẽtiæ ſpecialiter contrariam, ſed ſolum formalius & grauius peccare contra religionem, aut fidelitatẽ ratione promiſſionis: quia illa ſpecialis ratio virtutis obediẽtiæ, ſolum habet locum reſpectu proprij ſuperioris, qui ex poteſtate iuriſdictionis legẽ ferre poteſt; hîc autem obediẽtia latius ſumitur reſpectu cuiuſcunq; ꝓcipientis, quouis iuſto titulo. Et ob eandẽ cauſam non eſt in tali actu ſpecialis malitia intemperantiæ, v. g. vel alterius ſpeciei proportionatæ materiæ, quia ex vi talis ꝓcepti actus ille non conſtituitur in illa ſpeciali virtute, ad quam pertinet eius materia, tanquam neceſſarius ad honeſtatẽ eius, vt recte ſenſit Caiet. dict. a. 5. quia conſtituere hoc modo actum in ſpecie virtutis, pertinet etiã ad propriam poteſtatẽ iuriſdictionis, ac legiſlatiuã, vt in materia de legibus dicitur. At vero ille actus eſt neceſſarius ex duplici promiſſione diuerſæ rationis, vt in caſu ſupponitur, & ideo ex hoc titulo duplex malitia ibi inuenitur.

6. *Difficultas an vtraq; mal tia ſit mortalis ex genere, no.* Dubitari autem vlterius poteſt, an vtraq; illa malitia mortalis ſit ex ſuo genere, quod nõ proponitur propter eam quæ eſt contra votũ, nam certum eſt illam eſſe mortalẽ ex genere ſuo, iuxta ſuperius dicta, ſed propter aliam, quæ eſt cõtra promiſſionẽ humanam. Et ratio dubitãdi eſſe poteſt, quia promiſſio humana ex ſuo genere nõ obligat ſub mortali, vt Caiet. ſupra docuit hac q. 48. a. 1. & 3. & infra q. 113. a. 1. eſtq; probabilis opinio. Nihilominus eadem Caiet. dict. a. 5. ait promiſſionem obediẽtiæ q̃ fit Prælatis, etiamſi nunq̃ voto firmetur, ex ſe obligare ad mortale, *Quoniam eſt* (inquit) *in perpetuæ obligationis vinculum.* Quæ ratio infirma videtur, quia perpetuitas obligationis non tranſfert illam ad aliam ſpeciem virtutis, & ideo per ſe non auget illam quoad grauitatem eius, vt ſic dicam, ſed ſolum quoad durationẽ. Si ergo p. omiſſio humana ex genere ſuo non obligat ſub mortali, quia ſolũ obligat ex fidelitate, etiamſi talis promiſſio ſit de re perpetua, non obligabit ſub mortali. Exiſtimo tamen ſenſum Caietani fuiſſe hanc promiſſionẽ obligare ad mortale, quia non eſt pura promiſſio: loquitur enim ſpecialiter de promiſſione religioſorũ, in qua (iuxta multorum ſententiã infra ſuo loco tractandam) interuenit quędam traditio, & quaſi donatio; & illam fortaſſe vocauit Caietan. vinculum perpetuæ obligationis: quo ſuppoſito merito dicit obligare ſub mortali ex ſuo genere, quia obligat ex iuſtitia. At vero in præſenti non habet locum illa ratio in eo ſenſu explicata, quia in voto omnino ſimplici non interuenit aliqua ſimilis traditio.

7. Nihilominus verum cenſeo talem malitiam etiam eſſe mortalẽ ex genere, quod erit certius ſi talis promiſſio

missio inducat obligationem iustitiæ, quod aliquando facere potest: si vero sit adeò pura, vt ex sola fidelitate obliget, res est magis incerta; nihilominus tamè materia esse potest adeò grauis, vt hæc etiam promissio sub mortali obliget, sicut alibi latius dixi: talis autem esse videtur hæc materia obedientiæ, præsertim absoluta & per totam vitam: sic enim perpetuitas sumpta ex parte obiecti, seu materiæ multum potest grauitatem promissionis augere. In particulari autè transgressio huius promissionis potest esse venialis ex leuitate materiæ, vt per se constat. Hinc autem videtur probabile esse hâc malitiam in particulari actu sumptam, aliquando posse esse mortalem respectu voti, & tantum venialem respectu fidelitatis humanæ: quia aliqua materia est grauis respectu diuinæ promissionis, quæ est leuis respectu humanæ: sicut promissio humana iuramento firmata aliquãdo obligat sub mortali, quæ per se tãtum obligaret sub veniali; & tunc violatio talis promissionis iuratæ, licet sit mortale peccatum, vt est contra iuramentum, solum erit veniale, vt est contra promissionem humanam: ita ergo esse potest in præsenti; in particulari autem hæc discernere difficile est, & prudenti arbitrio est committendum.

*Assertio secunda, obediens ia potest fieri per solam promissionem factam homini.*

8. Quòd autem obedientia promitti etiam possit vnica tantum promissione, rectè probatur argumentis factis pro secunda sententia. Vlterius autem, vt clarior res fiat, addêdum est, cum duplex promissio hîc possit intercedere, diuina scilicet, & humana, per quamlibet earum solam posse homini obedientiam præstari, quamuis cum dissimili obligatione. Et quidem fieri hoc posse per solam promissionem humanam, ex doctrina à D. Th. data, sic colligi potest: nam promissio obediendi homini materialiter cadit sub votum, & per illud firmatur: ergo potest per se sola fieri sine voto. Pater consequentia, tum quia prius potest fieri sine posteriori; at vero illa promissio, quatenus est materia voti, antecedit: ergo potest homo in ea sistere, & votum non adiungere: tum etiam, quia tale votum est merè voluntarium, & non habet necessariam connexionẽ cum tali promissione. Potest ergo illa sola fieri, & obligationem inducere, quamuis inferiorem obligatione voti. Confirmatur, ac declaratur, nam per pactum humanum, potest quis se alteri tradere in seruum, vel se obligare ad obediẽdum illi humano famulatu, nulla adiuncta religionis obligatione per iuramentum, aut votum: ergo per simplicem etiã promissionem humanam potest se obligare ad obediendum alicui in actibus studiosis, seu virtutis, nulla adiuncta obligatione religionis, aut voti.

9. Dices, obedientia, de qua hîc loquimur, debet esse ordinata ad maiorem animæ perfectionem, & consequenter ad cultum Dei: ergo promissio eius nõ potest separari à vera ratione voti. Respondetur negando consequentiam: nam propria ratio voti nõ sumitur ex materia quę promittitur, sed ex persona cui promittitur, & ideo, vt paulo antea dicebam, licet res sacra promittatur, si promittatur homini, & non Deo, non est votum. Sic ergo licet aliquis promittat obedientiam homini in rebus spiritualibus, seu pertinentibus ad propriam perfectionem, si reuera non faciat talem promissionem Deo, non erit votum; hoc autè quamuis fortasse in vsu rarò contingat, tamen nõ repugnat, & simpliciter pendet ex intẽtione pœnitentis; & fortasse aliqui conuersi, qui nõ profitentur religionem, sed pactum cum ea ineunt, se obligantes ad obsequia eius, non faciunt propriè votum obedientiæ, sed pactum quoddam humanum, & idem est de quibusdam hospitalarijs, qui promittunt obedientiã præfecto hospitalis, de quibus videri potest glossa in Clem. 1. de decimis, & Panorm. in rubr. de Regular.

*Promissio hominis facta non est votum.*

10. Quòd etiam è contrario obedientia possit promitti per solum votum factum Deo, etiamsi homini sit obediendum ex vi talis voti, propter rationes supra factas, quæ rem satis demonstrãt, probatur à priori, quia materia per se requisita ad hoc votum, nõ est promissio facta homini, sed est ipsa obedientia in futurum illi præstanda: sicut in voto eleemosynæ materia per se requisita non est aliqua promissio humana, sed est ipsa eleemosyna, vt postea exercenda: ergo promissio humana non est per se requisita ad tale votum: solum enim posset ex parte materiæ videri necessaria: ergo sine illa potest fieri tale votum, quia fieri potest sine his, quæ sunt per accidẽs, cum hoc pendeat ex hominis voluntate. Atque in hoc casu meritò dixit Soto in transgressione huius obedientiæ solum esse vnam malitiam contra religionem; quia solum intercedit vna obligatio voti, contra quam peccetur.

*Assertio tertia, obedientia potest fieri per solam promissionem Deo factã.*

11. Neque contra hoc vrgent auctoritas D. Tho. aut rationes factæ pro illa priori sententia. Nam D. Tho. vel loquitur tãtum de facto, de quo statim dicemus, & non excludit alium modum possibilem, vel certè solum explicare voluit quomodo promissio facta homini possit habere obligationem voti coniunctã; nunquam tamen dixit vnam promissionem sine altera esse non posse. Ad primã verò rationem respondetur primò, vt aliquis possit præcipere alteri obligando illum ad obediendum, satis esse votum Deo factum de obediendo tali personę: quia tunc obligatio non oritur ex proprio dominio, vel iurisdictione præcipientis, sed immediate ex mera obligatione fidelitatis ad Deum, quæ est religio. Vnde tunc homo præcipiens solum se habet tanquam applicans materiam voti; vt si quis vouisset dare eleemosynam omni pauperi petenti, tunc pauper petens obligaret ad dandam eleemosynam; non quasi habens ius, aut potestatem in alio, sed tanquam exhibens, seu proximè applicans materiam voti, ita vt illa proposita statim vrgeat eius obligatio: idem clarè sequitur in voto sequendi consilium alicuius: idem ergo est in voto faciendi alterius voluntatẽ, quod hîc vocamus votũ obedientię. Quamuis n. talis voluntas per se nõ sit efficax imponendi obligationem; tamen ad præsentiam illius voluntatis, vt sic dicam, ipsum votum obligat. Quapropter secũdò addi potest, vt superior non solum possit quasi applicare obligationem voti, sed etiam illam exigere, & ad illam seruandam cogere, necessaria erit promissio ipsi superiori facta, vel quod aliunde iurisdictionem habeat, & hoc probat optimè ratio facta, & declarabitur infra latius circa statum religionis, in quo maxime hoc locum habet.

12. Ad alteram rationem negamus votum obedientiæ hoc modo pure, ac simpliciter factum pendere per se & quoad valorẽ suum ex hominis acceptatione, quia nulla promissio illi fit, sed soli Deo. Vnde distinguere oportet valorem voti ab vsu, nam vsus pendet à voluntate eius, cui votũ promittitur, nam si ille nolit præcipere, alter non poterit obedire, vnde multò minus poterit ad vsum voti obligari, quasi in actu. Nihilominus tamen in habitu, seu in præparatione animi obligatus esse potest ad obediendum si alter velit præcipere, quia votum validum fuit, quia quoad hoc non pendet ex alterius voluntate. Addo verò considerandam etiam in hoc esse intentionem voentis, potest enim esse omnino absoluta, de obediendo quoties alter velit præcipere, & tunc procedunt quæ diximus. Posset verò talis intentio esse etiam conditionata, scilicet promittendi alicui obedientiam, si velit ipse eam acceptare; ita vt nisi ille acceptet votum quando emittitur, vel quando illi notum fit, nulla obligatio in posterum maneat, & tunc non impleta conditione votum euacuabitur, non quia includat promissionem ipsi homini factam, sed quia in-

includit conditionem pendentem ab aliena voluntate, quod longe diuersum est: nam qui vouet ingredi religionem, si pater consenserit, nullam obligationem parêti facit, & nihilominus obligatio voti pendet ex consensu, & quasi acceptatione parentis, quia intentione conditionata factum fuit: ita ergo in præsenti dicendum est, si votum prædicto modo fiat.

13. Dubitatio, quo modo fiant obseruantiæ statuti.

Iam verò superest alter sensus quæstionis, scilicet, quoistorum modorũ de facto fiat, seu interpretandum sit obedientiæ votum. Nam D. Thomas significat fieri priori modo, id est, cum adiuncta humana promissione: Soto verò sentit potius fieri posteriori modo, id est, purè & solitarie. Mihi autem videtur, quatenus quæstio hæc tantum est de humano facto, quod pendet ex libera intẽtione operantis, nihil firmum in ea statui posse, sed ad vouentis intentionem esse recurrendum, & vbi de illa satis non constiterit, coniecturis esse vtendum: quatenus verò hoc non solum ex facto, sed etiam ex iure pendere potest, ita vt ex iure ipso (sub quo cõsuetudinem comprehendo) factum colligatur, probabiliorem esse D. Thomæ sententiam. Declaratur, nam votum obedientiæ fieri potest, aut in religione aliqua, aut priuatim extra religionem: de priori loquitur specialiter D. Th. & de illo probabilius est tale votum adiunctam habere promissionem homini factam, quia & ex iure & ex consuetudine id satis colligitur, & ex fine, seu effectu, quia ex vi talis voti potest vouens cogi à Prælato ad obseruantiam Regularum. Quæ omnia ex dicendis de statu religionis euidentius constabunt. De posteriori autem modo vouendi obedientiam, nihil D. Thom. loquutus est, nec immerito, quia neque ex iure, neque ex consuetudine certum modum habet. Quoad hoc ergo inquirenda est intentio vouentis, & coniecturis vtendũ. Regulariter autẽ loquendo, verosimilius videtur tale votum pure fieri soli Deo absque adiuncta humana promissione: quia & forma sic vouẽdi, & intentio tam vouentium, quam eorum quibus obedientia danda est, talis esse videtur: vt, v.g. solet aliquando nouitius intra probationis annum tria vota simplicia priuatim emittere, per quæ nec potestatem specialem præbere intendit, sed solum se obligare Deo: neque ipsi Prælati aliquam potestatem, vel ius proprium acceptare intendunt, est ergo ibi votũ obedientiæ puræ siue humana promissione. Idemq; modus vouendi esse videtur quoties priuata persona promittit obedire confessori, v. g. Ratio supra insinuata probabilis est, quia per tale votum non intenditur aliquod commodum eius cui fit promissio, sed solum sacrificium illud voluntatis, quod Deo fit, respectu talis personæ; quæ ratio non habet locum in religioso, quia licet præcipue intendat spirituale commodum, tamen ad hoc ipsum pacisitur cum religione, cui se tradit: quod genus pacti in alio voto simplici non reperitur, vnde nec per illud datur potestas aliqua quasi coactiua, vel dominatiua ei cui obedientia promittitur, sicut per votum religionis fit. Ita ergo iudicandum videtur de hoc voto simplici obedientiæ, quoties aliud tam ex intentione vouentis, quam ex parte acceptantis non constiterit.

14. Addo insuper Ecclesiastico iure videri statutum, vt per huiusmodi votum nemo possit valide alteri in seipsum potestatẽ dare, nisi talis modus traditionis, & voti ab Ecclesia probatus sit: quia vbi Ecclesia vetuit statum religiosum fieri absque approbatione sua (cap. vnico, de religios. domib. & in Extrauag. *Sanctæ Romanæ* Ioan. XXII. de relig. domib.) eo ipso hoc etiã traditionis, & dominationis genus prohibuisse videtur. Potest enim Ecclesia huiusmodi contractus humanos irritos facere, si non fiant modo ab ipsa rescripto, & licet in præsenti quoad simplices promissiones id non fecerit, quoad traditionem autem per translationẽ veræ potestatis dominatiuæ id fecisse videtur.

## Caput III.

### *Ad quid obliget, & ad quam materiam se extendat simplex obedientiæ votum.*

1. Difficile profectò est certum terminum, aut modum obligationi huius voti ex parte materiæ eius præfigere: in voto enim obedientiæ, quod in religione fit, solet materia iuxta regulam talis religionis limitari, vt infra videbimus; hîc autem nulla est particularis, iuxta quam hæc obedientia promittatur: vnde ergo poterimus designare certos terminos huius obligationis? Dicet fortasse aliquis, tale votũ nullum habere terminum, nec regulam præter prudens arbitrium eius, cui obedientia promittitur, itaq; obligabit hoc votum ad quodcunq; licitũ & honestum, solumq; excludentur ea quæ mala sunt. At hoc profecto incredibile apparet, quia hoc votum nõ est excellentius, quam sit votum obedientiæ religiosæ: sed obedientia religiosa non tam late patet: ergo neque illud votum. Item quia incredibile est, eum qui sic vouet obedientiam, posse obligari ad quæcumque opera pœnitentiæ, v.g. orationis, vel contemplationis, peregrinationis, & similia.

2. De hac re nihil inuenio dictum in particulari ab auctoribus, ex his verò quæ vel de obedientia in cõmuni, vel de obedientia religiosa docent, cum proportione sumenda est ratio huius obligationis, & limitatio materiæ eius. Primò ergo in tali obedientia subintelligendæ sunt cõmunes conditiones, scilicet, q̃ sit de re possibili, & honesta, quæ conditiones per se satis claræ sunt ex doctrina August. serm. 6. de verbis Domini, & habetur in c. *qui resistit* 11. q. 3 & Ambr. lib. de Paradis. c. 6. & ex alijs quæ referuntur ex c. *non semper*, vsq; ad cap. *Imperatores*, eadem 11. q. 3. Addo verò in præsenti non solum esse necessarium vt opus sit bonum, sed etiã vt non sit impeditiuum maioris boni. Cuius ratio est, quia hoc votum obedientiæ per se ordinatur ad maiorem perfectionem vouentis: ergo non est verisimile voluisse obligari ad obediendum in his, quæ ex se sunt impedimenta perfectionis, qualia sunt opera impeditiua maioris boni. Et confirmatur primò, nam de religioso dixit D. Thomas quodlib. 1. q. 8. a. 15. & quodlib. 1. q. 5. art. 10. non obligari ad obediendum Prælato, si præcipiat cõtra regulam, quia respectu religiosi illa opera essent impeditiua maioris boni: ergo eadem proportione censendum est in præsenti de omnibus operibus repugnantibus meliori bono. Hoc verò præcipue intelligendum est de illo opere, quod ex se habet excludere maius bonum, vt est, v.g. matrimonium, nam si tale opus immediate non potest promitti per votum, nec cõprehendi poterit sub obedientia per votum promissa. Hinc etiam non poterit quis ex vi talis obedientiæ impediri ne statum religionis assumat, vel si religiosus fieri velit, non poterit obligari, vt in religione laxiori, omissa strictiori id faciat, quia hoc esset impedire illi maius bonum.

3. Dices, ergo eadem ratione non poterit quis ex vi talis voti obligari, vt legat, v.g. quia posset excusari dicendo se impediri à contemplatione quæ est maius bonum: & ob eandem rationem non poterit obligari ad non ieiunandum, vel ad omissionẽ similis operis: quia opus illud melius est, quã eius omissio, tam secundum se, vt constat, quam in tali persona; cum alias non teneatur ex aliqua regula ad determinatas actiones, vt supponimus. Respõdetur primò, nõ esse similem rationem, neque actiones has particulares etiamsi ex genere suo inferiores sint in gradu perfectionis, quã aliæ, proprie dici posse impeditiuas maioris boni, vt supra declarauimus, tractando de materia

voti in generali: quia & ex se non excludunt alias actiones meliores, & quãuis ex sola specie non sint æquè pfectæ, ob circũstantias & accidentalia motiua, possunt esse Deo gratiores. Inter quæ motiua vnum grauissimũ est implere promissionẽ factam Deo per votum obedientiæ, in quo ẽt humilitas & abnegatio proprij iudicij exercetur: quo modo etiã omissio boni operis, non pcepti alias, potest esse magis meritoria corã Deo, quam ipsum opus, quia licet ipsa omissio nõ videatur in se habere formalem bonitatẽ, voluntas omittendi ex obedientia maximum bonũ esse potest: sicut è contrario opus ex se bonum contra obedientiam factum, est malum: sic enim dictum est à Daniele Abbate apud Cassianum collat. 4. cap. 20. *Tantũ est Abbatis transire pceptum vt legas, quantum si contemnas vt dormias.* & Greg. 35. Moral. c. 12. *Sciendum* (inquit) *est, q nunquam per obedientiam malum fieri, aliquãdo autẽ per obedientiam debet quod agitur intermitti.* habetur in c. *quidergo* 11. q. 3. & similia sumi possunt ex August. serm. 5. ad Fratres in Eremo. Propriè igitur solũ illud opus dicitur in præsenti impeditiuum maioris boni quod ex se excludit statum maioris perfectionis.

4. Sed quid si non tantum in vno, vel alio opere, sed in vniuersum in toto viuẽdi modo talis superior propria voluntate & priuato ac simplici voto obedientiæ assumptus ea opera, eamq; viuendi rationẽ subdito præscribat, quæ ipsum impediret potius quam iuuaret ad profectũ virtutis, teneretur ne nihilominus illi obedire? Respondeo hoc in primis multum pendere ex intentione quam subditus à principio in vouendo habuit. nam hæc est potissima regula huius obligationis; quomodo autem hoc coniectari possit, statim declarabitur quoad fieri possit. Si autẽ ex defectu intentionis vouentis non potest excusari talis obligatio, & alioqui nullum opus in particulari sumptum ex his, quæ sub obedientiam iniunguntur, malum est, nec per se affert moralem occasionem alicuius mali, etiã in indiuiduo, & in particulari sumptũ, & alioqui potest esse vtile ad virtutem, si homo velit recta intentione & modo illud operari, neminẽ posse excusari ab executione obedientiæ quam promisit, eo solo titulo, quod impediat maiorem profectum virtutis, quia hoc accidere potest ex defectu operantis, non autem est per se, quod præcipue considerandum est ad voti obligationem, & ideo in huiusmodi euentu procurandũ potius est ne superior tali opera iniungat, q ipse facere tenebitur, intellecta sufficiẽter dispositione subditi: si autem nolit, vel parẽdum est, vel aliud remedium procurandum ab habente potestatem, iuxta ea quæ dicemus sequenti capite.

5. *Dubitatio, an in dubio teneatur obedire.*

Vltimò circa hanc conditionem honestatis inquiri potest, an in casu dubio debeat vel possit huiusmodi subditus obedire. Quamuis enim generalis doctrina sit, in dubio obediendum esse superiori iuxta doctrinam August. 22. contra Faustum c. 74. & 75 & habetur in c. *quid culpatur* 23. q. 1. q̃ in materia de conscientia latius explicãtur: nihilominus hîc est specialis difficultas, quia ille, cui obediẽdum est, non est propriè superior, ita vt habeat potestatem iurisdictionis, & ex hac parte non habet quasi ius in re, ratione cuius obediendum est superiori in casu dubio. Ergo solum relinquitur illud præceptum sub generali regula materiæ voti. Regula aũt in superioribus posita est, eum qui dubitat de voto, nõ obligari ad executionẽ eius; ex qua videtur sequi alia, scilicet, eum qui dubitat in particulari, an hæc sit materia voti, si facta diligentia non possit dubium expellere, non obligari ad obseruandum votum in tali materia: vt si quis habeat votũ dandi eleemosynam omni pauperi petenti, & in particulari dubitet, an hic qui petit sit pauper, non tenebitur ex vi voti illi dare eleemosynam: ergo similiter in præsenti, si dubitet, an quod pcipitur honestum sit, non tenebitur obedire; q si nõ tenetur, nec licite potest, quia in dubio securior pars est eligenda, tunc autem nõ obedire securius est, quia nec tãgitur votum, neq; operans exponit se periculo faciendi aliquid q honestum non est. Item quia hîc cessat ratio, ob quã in dubio obediendum est Prælato, ne priueturiure suo, cum in dubio melior sit conditio possidẽtis; hic autem superior nullum habet proprium ius.

6. Respondeo probabile mihi esse in eo casu non teneri aliquem ad obediendum ex vi huius voti obedientiæ omnino, ac purè simplicis, propter rationem factam. Dices, ergo nec religiosus tenebitur obedire in simili dubio. Respondetur negando consequentiam, quia Prælatus religionis non solũ præcipit, ratione voti, sed etiã per iurisdictionem, q̃ habet à Pontifice. Sed contra, nam hęc iurisdictio non est per se requisita ad statũ religiosum, vt infra ostendemus; seperaretur ergo, sicut de facto separatur in religione Monialium respectu Abbatissæ, tunc ergo procedet argumentum, & æquiparatio facta. Fortassẽ non deerunt qui totũ cõcedant, neq; enim improbabile videtur Abbatissam non posse ex voto obedientiæ obligare monialẽ ad aliquid faciendũ in casu dubio de honestate operis iniuncti. Et potest hoc cõfirmari ex differentia inter votũ, & legem, nam voti obligatio pendet ex propria voluntate, & intentione: qui autẽ promittit, non videtur intendere se obligare, nisi in materia certa: ita ergo præsumendum est, quoties aliud non explicatur; at vero legis obligatio est ab extrinseca potestate, & voluntate: & ideo aliunde mensuranda est, scilicet ex iure præcipientis.

7. Addo vero negari etiam posse illationem illam, est enim differentia inter hoc votum simplex, & votum religiosi, quod in religioso habet traditionem adiunctam, per quam religio & Prælatus eius acquirit quoddam dominium, & ius in religiosum, ratione cuius non habet locum in eo principium illud, *In dubio melior est conditio possidentis*: vnde non potest tunc excusari religiosus, eo q non habuerit intentionem se obligandi pro tali casu; nam eo ipso quod voluit se tradere, & ius in seipsum simpliciter transferre in alium, necessario voluit quidquid ex illo statu intrinsece sequitur. At vero qui emisit purum simplex votum obedientiæ, nullum ius in alium transtulit, sed pura promissione se obligauit, & ideo semper manet quasi possessor suæ libertatis, quamuis ligatam illam habeat; ac proinde in casu dubio potest ius suum præferre, & non exequi mandatum alterius. Nam tunc etiam (quod rem confirmat) dubium est, an illud sit mandatum, quia, vt supra dixi, illud non est mandatum proprium per respectum ad potestatem imperantis, sed solum est quædam applicatio materiæ voti: vnde sicut est dubia illa materia, ita etiã est dubiũ, an illud sit mandatum, eo modo, quo esse potest.

8. Nihilominus tamen censeo licitum esse in eo casu dubio obedire, imo & regulariter esse melius. Probatur, quia licet fortassẽ nõ teneatur quis exequi votum in materia dubia, potest tamen & optime facere. Dices, hoc esse verum, quando materia illa citra omne dubium honesta est, vel saltem non mala, vt in exemplo de eleemosyna supra posito, quia tunc nihil est periculi in exequendo voto, etiamsi fortassẽ non obliget: secus autẽ videtur esse, quando dubium de obligatione voti oritur ex dubio de honestate operis Sed licet negari non possit esse in hoc aliquam rationem dissimilitudinis, & maioris difficultatis; nihilominus ratio facta procedit, quia illud dubiũ honestatis cõpensatur ex probabilitate implendi votũ, & ideo licita est optio inter illa duo. Quod explicatur hũc modũ, satisfaciendo simul rationi prius factę quæ vel est sermo de periculo committendi aliquid mali materialiter tantum, vel formaliter. Primo modo in vtro-

vtroq; reperitur, nam sicut si fortasse opus, de quo est dubium, malũ in reipsa sit, & fiat, malũ aliquod fit: ita si fortasse opus illud bonum sit, & non fiat, omittitur aliquid quod reipsa sub tali voto comprehenditur, quæ omissio etiam est quoddã materiale malum. Secundo autẽ modo, in neutro casu est periculum mali, quia ex vtroq; capite potest illud periculum practice auferri, sicut enim non censetur esse periculum practicum in non obediendo, quia probabiliter formatur iudicium practicum, quod in eo casu votum nõ obliget; ita etiam ad obediendum potest formari iudicium practicum; quod liceat hîc & nũc dubiam conscientiã deponere, & iudicio præcipientis se conformare, & illi se subdere, eo quod ratione voti illum habeat vice Dei. Vnde ad formandam hanc cõscientiam practicam non est necessarium, vt quis iudicet se teneri ad obediendum, sed satis est vt per extrinseca principia possit se subdere alterius iudicio.

9. Dices, hoc modo etiam sine voto licebit in re dubia obsequi voluntati alterius propriam conscientiã deponendo, & alienæ se conformando. Respondeo, aliquando hoc licere, si probitas & conscientia alterius tanta sit, vt mihi facere sufficiat opinionẽ probabilem, quod est satis vt proprie ac formaliter tollatur dubium: at vero in nostro casu, non solum hac ratione licet, sed specialiter ratione voti in reuerentiam eius, & ne omittatur id quod fortasse sub illius materia continebatur. Vnde vt liceat sic obedire, nõ semper necesse est, vt persona præcipiens per se sufficiat opinionem facere probabilem, sed satis est quod nulla sit probabilis ratio suspicandi illum temere, aut ex malitia præcipere, non obstante dubio in subdito existente. Et hęc sufficiant pro priori conditione honestatis.

10. *Dubia circa possibilitatem rei præcepta.* Circa alteram conditionem possibilitatis, dubitari multa possunt; quia certum est non esse tm̃ intelligendam de possibilitate physica, quæ per se manifesta est, sed etiam de possibilitate morali, quæ excludit nimiam & extraordinariam difficultatem, & hinc nascuntur dubia, quia possibilitas hæc magnam habet latitudinem, quænam difficultas excuset, vel potius excludat actionem à latitudine materię talis voti. In quare in primis seruari possunt quæ supra dicta sunt de impossibilitate morali excusante ab obligatione voti, quam diximus mensurandam esse ex probabili, seu coniecturali intentione vouẽtis. Ita enim in præsenti dicendum est, si tanta sit operis difficultas, vt considerata conditione personæ, & statu eius, non sit verisimile voluisse se obligare ad obediendũ in rebus tam arduis, ac difficilibus, tunc tale opus non comprehendi sub materia talis voti, quia amplitudo voti pendet ex intentione vouentis, cumq; non sit verisimile, nec rationi consentaneum, vt aliquis se obliget ad obediendum in omnibus sine illa limitatione in difficultate, & varietate operum, necessarium semper est recurrere ad coniecturatam intentionem vouentis. Quæ maximè locum habent, quando difficultas operis extrinseca est, & accidentaria, seu extraordinaria: nam vtrumque sicut minus potuit sub cogitationem cadere, ita etiam verisimilius erit non cecidisse sub intentionem vouentis. Quando vero difficultas est intrinseca, qualis est in ingressu religionis, diuturna contemplatione, aut magna vitæ austeritate, tunc ex alijs circumstantijs, præsertim vero ex statu personæ, facienda est coniectura, quæ omnia in sequenti puncto melius exponentur.

11. *Materia huius voti est limitata.* Secundo ergo principaliter dicendum est votum hoc semper habere limitatam materiam, quoad varietatem, multitudinem, perfectionem, ac difficultatem præciendorum operum per proportionem ad personam vouentem, & ad statum seu viuendi modum, quem profitetur. Ratio totius assertionis ex dictis fere nota est, nam prior pars in eo fundatur, quod alias votum esset indiscretum, & inhumanum, vt sic dicam: altera vero pars in eo fundatur, quod nulla occurrit magis accommodata ratio cõiectandi intentionem vouentis, neque vlla etiam rationabilior moderatio. Et declaratur ex proportione ad votum obedientiæ religiosæ, cuius materia limitatur iuxta regulam, quia secundum illam constituitur status, & ratio vitæ religiosæ: cum ergo secularis persona non habeat certam regulam præter communia præcepta Dei & Ecclesiæ, pro regula sumenda est proportio, seu congruitas ad statum eius: nam quæ est proportio religiosi ad statum suum, est in tali persona in ordine ad suum honestum viuendi modum. Item, quia, moraliter loquendo, qui tale votum emittit, nihil aliud intendit, quam in illo viuendi modo, quem habet, perfici, & conuenienter dirigi, ac gubernari, quod magis elucidabitur ad aliquod particulare descendendo.

12. *Hoc votum non obl. ad mutandum statũ.* Ex hac ergo regula sequitur primo, sub tali voto non comprehendi ea, quæ pertinent ad mutationem status, quod intelligo, regulariter loquendo, & nisi aliud sufficienter constet de intentione vouentis. Probatur primo ex dictis, quia mutare statum non pertinet ad gubernationem proportionatam præsenti statui; immo quodammodo illi repugnat: sicut religiosus ex vi voti obedientiæ non potest obligari ad mutandum statum etiam in melius. Vnde argumẽtor secundo, quia vel ille status est inferior, & impediens maius bonum, & de hoc iam ostensum est non posse cadere sub tale votum, vel est superior status & perfectionis, & hunc etiam verisimile non est comprehendi sub tali voto, tum quia est res adeo difficilis, & ardua, vt nemo præsumatur ad illam se obligare, nisi per directam voluntatem ac promissionem: tum etiam, quia alias votum illud obedientiæ esset virtuale votum religionis saltem sub ea conditione, si Petrus, v. g. præceperit, hoc autem est contra intentionem sic vouentium, immo quodammodo videtur contra naturam talis voti, nam obligaret ad aliquid quod ipsummet votum euacuaret, subtrahendo illi materiam. Vnde iuxta communem vsum qui vult obligari ad religionem, si alter consentiat, nunquam id facit per votum obedientiæ, sed aut per votum sequendi consilium alterius in ea materia, vel per votum religionis cum ea conditione, vt alter consentiat.

13. *Non obligat ad non assumendũ inferiorem statum aliquando.* Sed quæres, an ex vi huius voti obedientiæ possit quispiam obligari saltem vt non assumat inferiorem statum, v. g. vt vidua, aut virgo non contrahat matrimonium. Respondeo, si talis persona non sit alias ex voto proprio obligata ad castitatem, vel ad non nubendum, non posse ad hoc obligari ex præcepto obedientiæ, etiamsi alicui confessori, vel Prælato absolute & indistincte obedientiam promiserit propter rationes factas, quæ hîc cum proportione applicari possunt. Est enim materia illa secundum communem æstimationem & modum pertinens ad distinctum votum, & ideo non censetur comprehendi sub materia obedientiæ promissæ, nisi aliunde hoc satis constet ex intentione vouentis: at vero si talis persona ex proprio voto teneretur non nubere, verisimilius est, posse etiam in virtute obedientiæ promissæ obligari ad non nubendum, & ad vitandum omne consortium, omnemque actionem quæ ad talem finẽ ordinari possit; quia supposita aliunde obligatione, iam pertinet ad conuenientẽ gubernationẽ talis personæ in tali statu tota illa prouidentia, & prohibitio: sicut etiã religiosus potest per obedientiã gubernari in omnibus, quę pertinent ad custodiam castitatis: & ipsa eadem persona secularis, licet castitatem non

non vouisset, posset in virtute obedientiæ promissæ obligari ad cauenda pericula, vel occasiones peccandi contra conscientiam naturali legi debitam.

14. Dices, ergo proportionali ratione poterit obligari propter obseruantiam ipsiusmet voti obedientiæ, vt matrimonium non contrahat, nec se subtrahat ab obedientia promissa. Supponimus enim tale votum esse perpetuum, seu de obedientia semper præstanda tali personæ, vel Prælato; at vero si vouens mutet statum, eo ipso fit inhabilis ad obediendum: ergo potest in virtute eiusdem obedientiæ prohiberi, quãdo ille status est inferior, vt est matrimonium. Nam si esset superior, vt est religio, non posset, nam in quolibet voto intelligitur subintellecta conditio melioris boni, quæ non habet locum respectu inferioris status. Respondetur negando sequelam, neq; enim putamus actum illum contrahendi matrimonium esse contrarium illi voto obedientiæ, per se loquendo, quia materię sunt adeo diuersæ, vt vna in alia non includatur, sicut ostensum est: esset autem contrarius si per illum actum redderetur persona inhabilis ad implendum quod promiserat. Dici ergo potest perpetuitatem illius obedientiæ non intelligi simpliciter promissam, sed durante illo statu, in quo promittitur, vel potius durante carentia alterius status, ad quam carentiam non obligatur quis ex vi talis voti. Vel secundo dici potest, nõ fieri talem personam inhabilem ad seruandum votum illud modo suo statui accommodato; nam licet quis in matrimonio positus, leges matrimonij seruare debeat, optime potest in his quæ pertinent ad salutem animæ suæ illi parere cui obedientiam promiserat; imo hinc poterit multum iuuari ad ipsas leges matrimonij seruandas: sic enim illi qui sunt tertij ordinis, etiam coniugati, obedientiam promittere solebant, vt constat ex glossa in Clement. *Cum ex eo*, de sentent. excomm. verbo *Tertio*, iuncta glossa in Clement. 1. de religios. domib. verbo *Obedientiam*.

*Hoc votum non est necessario cõnexum cũ voto paupertatis & castitatis.*

15. Ex quo obiter infero, hoc votum simplex obedientiæ non necessario esse connexum cum alijs duobus paupertatis, aut castitatis. Quod est manifestũ, quia materiæ illorum votorum non sunt necessario connexæ cum materia huius voti, & alioqui promissiones ipsæ voluntariæ sunt: ergo possunt simul vel diuisim fieri pro arbitrio vouentis. Itẽ de castitate quãtum spectat ad materiam eius voluntariam, hoc satis constat ex dictis, quantum vero ad materiam necessariam, alias præceptam, à fortiori constat non esse necessarium votum eius, quamuis indirecte ex obedientia promissa possit quis obligari ad ea, quæ necessaria fuerint ad custodiam talis castitatis. De paupertate res etiam est manifesta, & vsu etiam recepta, & sequitur etiam ex præcedenti, nam si coniugatus potest promittere obedientiam, cur non etiam diues, seu habens rerum dominium? quod regulariter coniunctum est, vel saltẽ esse potest cum coniugio. Semper tamen intelligitur hæc obedientia accommodata statui, vt dixi, & ideo non potest ex vi illius, si persona sit diues, obligari ad paupertatem seruandam, quia hæc iam esset mutatio status, sed obligari poterit ad vtendum diuitijs conuenienter suo statui, tam quoad eleemosynas, quam quoad alia pietatis opera, habita ratione status familiæ, &c.

*Corollariũ quartum. Quæ personæ possint hoc votum facere.*

16. Prætereaex eodem principio intelligi potest, quænam personæ possint hoc votum obedientiæ emittere. Dicendum est enim generaliter loquendo, quasliber personas cuiuscunq; conditionis sint, posse hoc votũ emittere, quia semper debet intelligi obedientia accommodata conditioni personæ, & maxime nõ repugnans alteri obligationi maiori, quæ tali personæ inlit. Si enim hoc obseruetur, nulla est ratio ob quam persona aliqua à voti huius capacitate, & commoditate excludatur. Maxime vero videntur apti ad hoc votum seculares homines, qui sui iuris sunt, & vitam cœlibem seruant. Nam religiosi iam habent suum proprium & excellentius obedientiæ votum, quod eis sufficit, quamuis absolute non repugnet aliud illi adiungi, vt statim dicam. Deinde homines, qui sunt sub alterius potestate, vt filiifamilias, & serui, minus indigent hoc voto, minusque apti ad illud sunt; quia iam habent à quo regantur, eique obedietiam debeant. Non tamen sunt omnino incapaces, quia in his quæ pertinẽt ad bonum & perfectionem animæ, sui iuris sunt, nec tenentur in omnibus his materijs, parere dominis, vel parentibus, sed liberi sunt in illis actibus pietatis, qui dominio, vel iuri paterno non repugnant: in his ergo poterunt hæ personæ alicui spirituali patri obedientiam promittere, q solum poterit illa vti sine præiudicio alterius domini, vel parentis. Et quoad hoc eadem est ratio de vxore respectu mariti, imo etiam suo modo, & seruata proportione in viro idem seruandum est, nam, licet non sit subditus vxori, suum tamen officium illi debet, & hac ratione dixi cœlibem vitam agentes esse magis aptos ad hoc voti genus emittendum.

Hic vero specialiter inquiri potest, an summus etiã Pontifex sit capax huius voti; cum enim sit super omnes ex diuino iure, non videtur posse alicui se subdere propria voluntate. Item nullus superior potest se subdere subdito suo, Pontifex autem, si in eo statu perseueret, non potest non habere reliquos omnes sibi subditos: ergo nulli potest se subdere per obedientiæ votum. Vnde religiosus qui ad Pontificatum assumitur, quamuis votum obedientiæ retineat quasi in habitu, & illo obligetur quasi in præparatione animi, quia si renuntiaret Pontificatui, posset illo obligari, tamen ad vsum obedientiæ non tenetur in eo statu, nec videtur posse obligari eo durante ob eandem causam. Nihilominus etiam persona Pontificis non videtur incapax huius voti, si speciali voluntate velit illud emittere, in illo statu, & pro illo statu, etiam quoad vsum eius. Quod ita declaratur, quia licet Pontifex sit supremus quoad iurisdictionem Ecclesiasticam, & ideo secundum illam nõ possit fieri subditus, præsertim quoad exteriorem iurisdictionem, id est, non sacramentalem, non tamen repugnat, quod voto se obliget ad aliquem operandi modũ, quia talis obligatio Deo fit. Vnde potest vouere, non dispensare, v. g. nisi ex tali, vel tali consilio, vel ieiunare, aut orare, si Petrus, v. g. expedire iudicauerit: ergo etiã potest vouere operari iuxta voluntatem alicuius, q̃ est promittere obedientiam, de qua agimus; quia hæc obedietia non requirit iurisdictionem, sed fit quasi per applicationem materiæ voti, vt supra explicaui, quæ materia non habet repugnantiã cum dignitate Pontificia, vt explicat ratio facta.

Neq; etiam habet indecentiam, præsertim si à tali voto excludatur omnis potestas dominatiua, & quasi coactiua, ex parte eius cui obediendum erit, nam hæc certe repugnare videtur cum Pontificia dignitate. Et ideo hic non agimus de pacto, seu promissione humana, per quam hæc potestas dari potest, sed de puro voto ad Deum, hoc enim nec ex parte voti habet indecentiam, neq; ex parte materiæ, seu modi talis voti, quia posset alterius voluntas tam recta, & prudenter operans æstimari, vt conueniens iudicaretur illam in operando sequi. Præsertim si is qui supremam habet potestatem, aliquid periculi sentiat malè vtendi illa propter aliquẽ propriũ affectũ, & aptũ remedium esse existimet alterius sequi voluntatem. Quod maxime videtur posse habere locũ in vno vel altero genere actionũ, licet pro tota vouendi ratione tã in priuatis actionibus, q̃ in publicis minorem decentiã habere videatur. Sed nunc nõ tractamus quid

exp-

expediat, hoc enim prudentiæ potius est negotium, pendetq; ex consideratione particularium circumstantiarum: sed solum dicimus, quid fieri possit, & non repugnet illi statui, ac Pontificiæ dignitati.

19. Vnde ad obiectiones consequenter dicamus, non repugnare, illum qui superior est vno titulo esse subditum in alio foro, vel alio modo: sic enim summus Pontifex licet absolutus sit supremus pastor in ecclesiastico foro, subditus est suo Confessori in foro pœnitentiæ; & eadem ratione potest se subdere vi promissionis & voti, quæ est subiectio longe alterius rationis, imo & improprie secluſa iurisdictione, & potestate dominatiua. Atq; eadem ratione idem dicendum censeo de Episcopo respectu alterius inferioris, & in vniuersum de quocumq; superiore respectu sui subditi. Ita vt etiam religiosus Prælatus, qui ex vi suæ professionis non tenetur obedire specialiter Confessori suo, possit, si velit, per aliud simplex votum ei obedientiam promittere. Semper tamen iuxta regulam positam tale votum intelligitur accõmodate ad statum promittentis, ideoq; non extenditur ad ea, quæ repugnant eius officio, ac iurisdictioni.

*Religiosus & quilibet prælatus, possunt hoc votum emittere.*

20. Vltimo deniq; ex dictis concluditur, sub materia huius voti non comprehendi omnia opera virtutis, etiamsi non sint directè pugnantia cum statu vouentis, sed tantũ sint omnino extranea & aliena ab statu vouentis. Hoc colligitur ex communi doctrina, quã de religiosis omnes tradunt, vt infra videbimus. quæ cum proportione in præsenti explicanda est, secundum prudentem considerationem status, cum aliam regulam nõ habeamus, vt dictum est. Exempla sunt, si vir nobilis, secularis ac diues promittat obedientiã Confessori suo, non propterea poterit illi præcipere, vt vilioribus vestibus vtatur, quam deceat statui suo, aut quod viles, & abiectas actiones publice exerceat, & sic de alijs. De quibus, moraliter loquendo, verisimile non est cecidisse sub intentionem vouentis: hęc enim regula præ oculis habenda, & pensatis circumstantijs, ad particulares casus prudenter applicanda.

*Conclusio volumus.*

## Caput IV.

### *Quale peccatum sit obedientiæ transgressio, & quibus modis excusari possit, vel cessare obligatio.*

1. Svpposita veritate & existentia huius voti certum est transgressionem eius culpabilem esse, & ex suo genere esse peccatum mortale, cum sit contra obligationem voti, atque adeo contra religionem. Hoc vero posito nonnulla supersunt explicanda. Primum est, quãdo censendum sit transgressionem seu omissionem obedientiæ esse talem, vt vera culpa sit. Secundum, suppositа culpa, quando censenda sit mortalis. Tertium, quibus modis possit talis culpa excusari, seu vitari. Vbi quarto loco aliquid addemus de huius voti dispensatione.

2. Circa primum difficultas est, an quoties superior (ita enim semper appellabimus eum cui obedientia est promissa) significat voluntatem suam circa aliquid agendum, culpa sit illud non facere, siue mortalis siue venialis, ita tamen, vt reuera sit aliqualis voti transgressio. Et est ratio dubij, quia supra diximus, hoc votum quatenus est promissio ad Deum, nihil aliud esse quam promissionem faciendi quod alius voluerit, & æquiparari promissioni conditionatæ, si alius consenserit, vel ita iudicauerit, quæ obligat impleta conditione; hîc autem impletur conditio hoc ipso quod superior voluntatem suam sufficienter significat. Deinde dictum est iussionem superioris in huiusmodi obedientiæ genere non tam esse propriũ præceptum, quam applicationem materiæ voti; sed hæc applicatio non in alio consistit, nisi in hoc, quod superior ostendit voluntatem suam, nam illa est quasi proxima materia huius voti: ergo. Tandem in eo casu sequi voluntatem superioris est actus obedientiæ, & in præsenti potius religionis: ergo è contrario discordare à tali voluntate est cõtra votum: nam hîc non videtur posse esse mediũ, nam si actus obedientiæ participet honestatem religionis, necesse est vt fiat ex voto: ergo ex obligatione voti; nihil enim cadit sub voto, nisi quatenus cadit sub obligationem eius: ergo è contrario omissio actus est contra obligationem voti, atque adeo aliqua culpa contra votum. In contrarium vero est, quia etiam in religiosis talis omissio nõ censetur proprie esse contra votum: ergo multo minus erit in voto simplici obedientiæ.

*Sempr (sic enim semper appellabimus) significat voluntatem suam circa aliquid agendum, culpa sit illud non facere, siue mortalis siue venialis, ita tamen, vt reuera sit aliqualis voti transgressio.*

3. Circa hoc aduertendum est multiplicem esse posse superioris voluntatem. Vna est simplicis complacentiæ ad rem illam, seu desiderij, vt talis res fiat per voluntatem solum inefficacem, quæ conditionata dicitur, seu velleitas. Et de hac certum est quantumuis expresse significetur per hæc verba, *Vellem, aut desidero vt hoc faciat*, vel similia, non sufficere ad obligandum, & consequenter nec satis esse ad culpam in non obsequendo, vt sic loquamur. Ratio est, quia illa est tantum voluntas secundum quid, quæ per se non sufficit ad obligationem inducendam: vnde, nec Deo ipsi talem voluntatem ostendenti tenemur conformari, vt in Concilijs manifestum est. Qui autem promittit obedire, non promittit exequi omnia desideria superioris, nec sequi voluntatem eius secundum quid, sed simpliciter.

*Notãdum primo pro resolutione, dupliciter esse superiorũ voluntatem.*

*Voluntas inefficax nõ obligat.*

4. Est ergo in superiore alia voluntas absoluta, & efficax: hæc autem vlterius duplex in præsenti cogitari potest: vna de sola actione, vt, *Volo te hoc facere*; aliæ etiam formaliter de obligatione, vt, *Volo te obligare ad hoc faciendum*. Quæ duæ voluntates adeo distinctę sunt, vt in legibus ferendis prima voluntas nec necessaria sit, nec sufficiat ad legis obligationem: secunda vero omnino necessaria & sufficiens sit: Deus enim cum præcepto suo obligauit Abraham ad sacrificandum filium, absolute non voluit vt illum sacrificaret, imo potius noluit, voluit tamen illum obligare ad id faciendum, & exequendum, nisi reuocaretur præceptum. Item efficaciter voluit me esse religiosum, & mihi non imposuit eius rei præceptum: è contrario vero cum præcepit Adæ, vt non comederet, absolute & efficaciter voluit ipsum nõ comedere. Constat ergo has duas voluntates secundum se distinctas esse; an vero in præsenti materia distingui valeant, difficultate non caret, vt iam dicam. Constat subinde posteriorem voluntatem sufficienter significatam sufficientem esse, vt votum obliget, & vt illi repugnare, sacrilegium contra votum sit. Hoc sufficienter conuincunt rationes dubitandi in principio positæ. Item quia suppositо voto tota radix huius obligationis actualis, est voluntas superioris, nulla autem voluntas potest esse aut formalior, aut efficacior.

*Notãdum secundo voluntatẽ efficacem adhuc esse duplicem.*

*Voluntas efficax de obligatione operis obligat.*

5. De prioti autem voluntate videtur ex proxime dictis colligi non sufficere, quia non sufficit ad legem, vel ad præceptum. Hîc autem occurrit notanda differentia quæ rem hanc reddit difficilẽ: nam in superiore habente iurisdictionẽ, vel dominum propriũ, possumus hęc duo distinguere, voluntatem scilicet, & potestatẽ iurisdictionis, vel dominij; & ideo optimè intelligitur posse velle rem, vel actionem, non volendo vti sua iurisdictione circa illã, vel è conuerso posse velle applicare suam iurisdictionẽ ad talem actionem, non volendo absolute executionẽ ipsius actionis, & ita in huiusmodi superiore distinguuntur optimæ illæ duæ voluntates. At vero in præsenti casu nulla in superiore supponitur iurisdictio, neq; ex vi voti simplicis obedientiæ habet specialem potestatẽ dominatiuam, vt supra declaratũ est: ergo in eo non pos-

*Difficultas circa voluntatem efficacem de sola actione.*

possunt distingui illa duo, velle vt subditus hoc faciat, & velle obligare illum, quia nō aliter potest obligare quam absolutè volendo vt operetur: nam si attente spectetur, non est ipse qui directè obligat, sed votum quasi ad præsentiam voluntatis eius; & ideo etiamsi ipse velit, non videtur posse separari obligationem à voluntate operis sufficiēter significata subdito; quia intrinsece sequitur ex vi voti, posita illâ voluntate, nec illa voluntas prout directè terminatur ad obligationem est in præsenti necessaria, cum illa obligatio non sit quasi humani præcepti, sed immediatè ex naturali iure ratione voti.

6. *Voluntas de sola actione non obligat.* Nihilominus censeo etiam in præsenti distingui posse, & debere illas duas voluntates, & ad actualem obligationem voti obedientiæ, etiamsi maximè simplex sit, necessarium esse vt superior sufficiēter significet habere voluntatē obligandi. ita sentiunt omnes de hoc voto, qui cōmunis sensus, & vsus est optimus interpres huius obligationis, & omniū sic vouentiū. Itē argumentū factum de religiosis est valde efficax, quia eorū obedientia est quasi exemplar omnis voti simplicis obedientiæ, & ideo qui sic vouent, nō aliter intendūt obligari, q̄ religiosi: ergo non nisi p̄ voluntatem p̄ceptiuam, quæ non est volūtas operis, sed voluntas obligationis Declaratur p̄terea duobus modis. Prior est, quia licet hic superior non habeat propriam iurisdictionē, neq; ēt proprium dominiū, nihilominus eo ipso q̄ illi vouetur obedientia, constituitur à vouente quasi vice Dei ad exigendū tale debitum: donec ergo illud exigat vt debitum, nō applicat, vt sic dicā, obligationē voti; nō exigit autē vt debitum, donec satis clarè proponat voluntatem obligandi. Posterior modus est, quia in quolibet vouente distinguimus propositū faciendi à voluntate se obligandi, & dicimus nō illud propositum, sed hanc voluntatem esse necessariam ad valorem voti, qui autē obedientiam promittit, licet quoad obedientiam ipsam habeat voluntatem se obligandi, quādo promittit, tamē quoad obligationem operis ex obedientia faciendi remittit eam in voluntatē proportionatam eius cui obedientiā promittit: ergo solum intendit se obligare, quando alius voluerit obligare ipsum. Atq; ita facile est etiam in hoc superiore distinguere illas duas voluntates. Nam p̄t velle tale opus ab alio fieri, vel absolutè, & secūdum se spectato illo opere, vel vt sub tali voto obediētiæ cōprehendi potest: & priori modo est voluntas operis tantum, posteriori autē modo est volūtas obligationis ad opus: priori etiam modo est voluntas tantum affectiua, seu motiua generali modo: posteriori autem modo est voluntas p̄ceptiua, quatenus in subiecta materia esse potest. Denique prior voluntas non est tam efficax, quantum esse potest in tali persona habente eo modo quo explicui vicem Dei: posteriori autē modo est efficacissima: talis ergo necessaria est ad hanc obligationem.

7. Nec rationes in principio positæ contra hoc vrgent: nam licet in superiorib. explicuerimus per votum factum sub conditione alieni consilij, vel cōsensus, non tamen id accipiēdum est cum omnimoda similitudine, sed cum proportione. Ex quo p̄t retorqueri argumentū, nam distinctum est votū obedientiæ à voto conditionato, si alter consenserit, vt cōstat ex communi omnium cōceptione; in illo autem voto conditionato sufficit ad obligationem eius, quòd alter consentiat in opus, volēdo illud, etiamsi nullo modo illud præcipiat; ergo in priori voto plus requiritur voluntas, scil. præceptiua, qualis explicata est. Quapropter sola etiam illa voluntas est applicatiua materiæ huius voti per quod respondetur ad rationē secundam. Ad tertiam autem rationem, negare aliqs posset esse in illa actione (quando verè non præcipitur per voluntatem obligādi) propriam honestatem obedientiæ, seu religionis. Hoc autem est contra cōmunem modum operādi spiritualium virorum, imò & contra D. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. ad 3. vbi duplicem distinguit obedientiam honestam, aliam necessariam q̄ sine peccato prætermitti non potest, *quæ scilicet*, inquit, *obedit in his ad quæ obligatur*, aliam perfectam, *quæ obedit in omnibus licitis*, scilicet etiamsi non obligetur: sensit ergo latius patere obedientiam quam obligationem, imò perfectam obedientiam non expectare obligationem, si materia, v.g. licita sit. Quod sane lōgiorem postulabat disputationem, quam fortasse infra attingemus agentes de obedientia religiosa: nunc breuiter ita declaro pro difficultate presenti. Nam licet ille actus non sit præceptus, & ideo voluntas illius non videatur habere propriam materiam proximam obedientiæ, habet tamen quendam ordinem ad præceptum, & votum, vel ex eo quòd iniungitur ab illo, qui potest illum p̄cipere, & sub rigorosa voti obligatione cōstituere; vel ex eo quòd ex hoc motiuo maximè fit, quia id redundat in maiorem quandam voti religionem, & obseruantiam, quatenus habet, vt sic dicam, vestigium quoddam, & insinuationem obedientiæ: hac ergo ratione participat honestatem eius.

1. Vltimò inquiret aliquis circa hoc punctum, quibus modis aut signis debeat hæc voluntas superioris intimari, vt obligationē inducat. Resp. aliud esse quærere, quid necessarium est ex hac parte, vt obliget ad mortale, de quo in p̄ūcto sequenti dicā; & aliud quid sit necessariū vt obliget in conscientia sub aliqua culpa voto seu obedienuę contraria. Et in hoc nihil fere speciale dicēdum occurrit, solum n. necessarium est, vt superior ipsimet subdito, vel in particulari, vel in generali, vel per se, vel per alium sufficienter declaret voluntatem suam quibuscunq; signis id faciat. Vnde regulariter intercedere debent verba vel prolata, vel scripta, quæ sola habent expressam significationem. Et præsertim, quia necesse est vt aliquo verbo imperandi huiusmodi intimatio fieret, nam alia licet indicent voluntatem operis, non satis significant voluntatem obligationis, & p̄ceptiuam. In particulari etiam considerandus est modus p̄cipiendi, & cōmunis vsus, qui solet huiusmodi signa & eorum sensum optimè interpretari. Ac deniq; si subditus dubitet de intentione præcipientis, aut ab eodem certus reddi studeat, aut pareat, vt omne periculum vitet.

Circa secundum punctum, primum omnium supponendum est, vt hæc obligatio sit sub culpa mortali necessariam esse materiam proportionatam, i.e. grauem & capacem tantæ obligationis. Neq; enim probabile est quod quidam dicūt, si superior satis ostendat se velle obligare quantum potest, semper obligare sub mortali, etiamsi res præcepta minima sit. Hoc enim esse falsum, constat ex generali principio, quod peccata fiūt venialia ex leuitate materiæ, nulla enim ratio est, cur hæc materia excipiatur. Si n. aliqua esset, maximè quia hoc præceptum nititur in voto cuius obligatio maxima est, at verò in superiorib. est ostensum fractionem voti in materia leui non esse peccatum mortale: ergo idem dicendum est in præsenti; na secluso titulo religionis, nulla lex in materia leui, si in illa præcise sistatur, obligat ad mortale. Si ergo circūstantia voti adiuncta à qua sumitur titulus religionis non addit mortalē malitiam stante eadem materia, non est vnde possit superior obligare ad mortale in tali materia, etiamsi maxime velit. Quod de Prælatis religiosorum in specie & grauiter docuit Castro li. 1. de lege pœnali c. 5. docum. 2. & Medina 1. 2. q. 96. a. 4. ad 3. Vnde à fortiori id dicerent de illo cui extra religionem obedientia est simpliciter promissa. Aduertunt tamen ijdem auctores aliquādo materiam quæ secundum se leuis apparet, ex fine & circumstantijs inter-

interdum fieri grauem; quod frequentius accidere potest in religionibus propter commune bonum illarum, quam extra illas; vbicumq; autem & quomodocumq; contingat verum est; tunc autem non præcise sistitur in materia leui, vt loquuti sumus.

10. *In materia grauis non semper grauiter obligat.*

Deinde supposita graui materia, si superior sufficienter declaret se velle obligare prout potest, clarũ est iam concurrere omnia quæ ad obligationem sub mortali necessaria sunt. Solet autem illa intẽtio præcipientis ex duobus maximè colligi, scilicet, ex forma, seu verbis ꝓcepti, & ex grauitate pœnæ, si adiungatur. Hoc verò posterius signum non habet locum in præsenti casu; nam ille qui solum habet potestatẽ præcipiendi ex voto simplici alterius, non habet iurisdictionem in illum, vt possit grauem pœnam excommunicationis, suspensionis, vel aliam similẽ suo præcepto adiungere; quæ potestas est in Prælatis religiosorum, & ideo in eorum præceptis hæc circumstantia cõsideranda erit, vt infra suo loco videbimus. Habent enim illi potestatem quandam dominatiuã, qua possunt subditos regulariter corrigere; atque ita etiam possunt pœnis statui accommodatis præcepta sua sancire; hic verò superior, de quo agimus, nõ habet propriam potestatem coerciuam per pœnam aliquam priuatam inuoluntariè & coactè infligendam, qualis est in domino erga seruum, vel in patre respectu filij, quia potestatem dominatiuam non acquirit per solum simplex votũ, imò nec per promissionem humanam simplicem, etiamsi illam habeat adiunctam, vt in fine sectionis secundæ tactum est.

*gare sub mortali, transgressio non est cõtra obedientiam.*

11. Solum ergo supersunt verba illa consideranda, de quibus præter dicta in fine superioris puncti solum est aduertendum, communi vsu religionum esse receptũ, vt sic superior simplici verbo præcipiat, quantumuis materia sit grauis, nõ censeatur velle obligare sub mortali, quãtum est ex suo positiuo precepto, & obedientiæ voto; si autem dicat, *In virtute obedientiæ*, aut *sanctæ obedientiæ*, vel quidpiam æquiualens, tũc sufficienter significare voluntatem obligandi, quantum potest in tali materia, vt infra suo loco videbimus; quia verò votum simplex obedientiæ & rarum est & priuatum, non videtur habere proprium vsum; ex quo possimus simile iudicium illi proprium colligere, & ideo applicanda ad illud videtur dicta religionum consuetudo: nam sicut hoc votum simplex obedientiæ fit ad quandam imitationem & participationem religiosi status, ita illius vsus & exercitium videtur sub eadem intentione & proportione fieri.

12. Ex illis autem duobus membris, quòd illa postrema verba, *in virtute sanctæ obedientiæ*, sufficiant ad obligandum sub mortali, per se satis manifestum est nõ solum ex vsu, sed etiam, quia ipsemet vsus in proprietate talium verborum fundatus est; quia non poterat clarioribus verbis, aut formalitas obedientiæ exprimi, aut debitum ratione voti, exigi. Legatur Caiet. 2. 2. q. 186. a. 9. Alterum autem membrum nonnullam difficultatem habet: aut enim verbo simplicis præcepti superior reuera præcipit, vel non; si præcipit, & materia est grauis, necessariò subsequitur obligatio grauis, quia iam illa pertinet ad religionem, & ex vi voti; ergo est iuxta exigentiam materiæ; si autem non præcipit, tunc nec peccatum veniale erit non obedire, etiamsi materia sit grauis, quia nullo modo agitur contra votum. Quod tamen videtur esse contra cõmunem sensum, & æstimationẽ religiosorum, quem declarauit Bernard. lib. de ꝓcepto & dispens. c. 14.

13. *Obiectio.* Nihilominus in rigore verum censeo hic nõ posse dari medium per se & ex vi talis præcepti, medium, inquam, inter præceptum obligans ad mortale, vel nullum præceptum. Sicut supra dicebamus, si materia voti sit grauis, non posse aliquem velle vouere, & se obligare ad veniale, & ideo in tali materia vel non est vouendum, vel si voueatur, obligationẽ sub mortali oriri necesse est; nec dari potest medium obligationis ex voto ad veniale in tali materia. Ita in præsenti dicendum censemus, quantũ est ex obligatione voti obedientiæ, nam intercedit omnino eadem ratio. Cum ergo vsus interpretatus sit superiores nolle illis simplicibus verbis, tametsi præceptiua videantur, obligare sub mortali, consequenter intelligendi sunt nolle materiam illam sub obligatione voti constituere; atque adeo nolle ex voto obligare. Si ergo in huiusmodi inobedientia culpa venialis adiungitur, erit vel ab extrinseco, vel ratione scandali, vel ratione alterius obligationis, quia regulariter tale opus non fiet bono fine & prudenti modo, ac moderato affectu. Potuit etiam cõsuetudine introduci, aut declarari, esto id non præcipiatur ex voto, præcipi tamẽ ex illa humana conuentione, aut promissione, quæ interuenit inter talem subditum & superiorem, quæ sufficit in tali materia ad obligandum ad veniale, nõ tamen ad mortale, nisi exigatur obligatio voti.

14. *Quæ causa excusem ab hac obligatione.*

Iam verò occurrit tertium punctum supra propositum, quibus modis excusari possit quispiam ab hac obligatione. In quo primum obseruanda sunt superius dicta de his, quæ possunt excusare aliquẽ ab obligatione voti: nam sine dubio illa etiã sufficient ad excusandum ab hac obligatione, cum hæc non sit aliunde, quam ex voto. Deinde obseruanda sunt quæ de excusatione legis humanæ in propria materia tradi solent, nam licet hæc obligatio non sit propriè ex lege humana, sed ex voto; tamẽ quatenus per voluntatem humanam, & suo modo præceptiuam applicatur, eisdẽ fere regulis quoad hanc partẽ, mensuranda est. De quo videri potest Castro li. 1. de lege pœnali c. 5. Præter hæc aũt nihil ferè in specie occurrit hîc adnotandum, præter id quod in superioribus tactũ est.

15. *An per cultum damni excuset ab obediendo.*

An verò periculum alicuius grauis nocumenti excuset ab huiusmodi obedientia: in hoc existimo distinctione vtendum, aut enim periculum illud tale est, vt non sit per se annexum operi præcepto, neque à superiore fuerit præuisum, aut cogitatum; aut præceptum datum est non obstante præuisione periculi. In priori casu certum est excusari subditum ratione talis periculi, per se loquendo, ac secluso scandalo, tum quia præcepta positiua in simili euentu non obligant, imò nec multa naturalia, maxime affirmatiua, tum etiam, quia nullus vouens obedientiam, intendit se obligare cum tanto discrimine: imò licet hoc intenderet, talis intentio temeraria esset, & omnino imprudens, & ideo non esset censenda sufficiens ad inducendam obligationem in conscientia. Et propter eandem rationẽ etiam in præcipiente non ꝑsumitur voluntas obligandi in eo casu, & quamuis illã haberet, esset inefficax, quia esset temeraria, ac proinde iniusta; quid enim magis iniquum & insolens, q̃ sine ratione, ac præmeditatione periculi absolute obligare subditum, non obstante quocumq; discrimine? Atq; in hoc cõueniunt omnes Doctores tractantes de obediẽtia, de legibus, de quo videri potest D. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. q. 120. a. 1. q. 147. a. 4. & 1. 2. q. 96. a. 6. vbi Caiet. & Nauarr. in summa cap. 23. num. 43.

16. In posteriori autem casu non potest regula generalis tradi, est enim regulariter verum non posse hominem ex instituto, & directa intentione obligare subditum suo præcepto ad agendum aliquid cũ probabili periculo vitæ, q̃ maxime locum habet in præceptis priuatis, quæ non solent ad commune bonum ordinari: & vltra hoc accedit in nostro casu specialis ratio, quia superior non habet iurisdictionem, neq; proprium ius, & quasi internam potestatẽ dominatiuam, sed solum applicat obligationem voti. Nihilominus tamen aliquando ex graui causa certum est præceptum humanũ posse obligare etiã cum discri-

mine vitæ, vt ex materia de legibus suppono: & ideo non dubito, quin per votum obedientiæ religiosæ possit aliquando hoc præceptum imponi, vt infra dicam; hîc verò res est magis dubia, quia minor est potestas in præcipiente: & ideo obseruanda est regula superius tacta de coniecturata intentione vouentis. Sed est supponenda honestas actionis, & tam grauis causa, vel necessitas eius, vt prudenter possit vel voluntariè fieri, vel præcipi ab habente potestatem, nisi enim hoc supponatur, non potest habere locum obligatio propter rationes insinuatas in priori puncto, quia esset temerarium, & iniquum præceptum; non tamen sufficit honestas actionis, & grauitas causæ, nisi sit potestas in præcipiente; hæc autem potestas in præsenti casu proximè manat ex voluntate, & intentione vouentis, & ideo coniectare necesse est, an ipse voluerit dare alteri tantam potestatem supra se ipsum, vel an (quod idem est) intendat se obligare ad obediendum in similibus euentibus. Ad hoc autem in primis considerandū est, an casus ille fuerit pręcogitatus, & intentus; nam ex vno licebit ad alios argumentum facere. Deinde applicanda est alia regula de statu, vel munere vouentis; nam si quis vouisset obedientiam pręfecto alicuius Xenodochij in ordine ad curationem infirmorum, & postea præciperetur inseruire alicui cum periculo contagij, meritò coniectandum esset, talem actum cōprehensum esse sub illa obligatione, quia est valde consentaneus illi statui, & muneri, cui se vouens dicauit; at verò si vouens profiteretur vitam longe dissimilem, nulla esset ratio existimandi voluisse se obligare ad tantum periculū, & per hæc potest in similibus ferri iudicium.

17. His deniq; addendum, quod quarto loco est propositum; hanc obligationem per dispensationem etiam cessare posse; ꝙ enim in hoc voto cadere possit dispensatio, æque certum est, ac de quolibet alio, maximè cum supponamus illud esse simplex, & nulla sit in eo specialis ratio, propter quam indispensabilius censeatur, quam votū castitatis. Quin potius Ecclesia maiorem rationē videtur habuisse voti simplicis castitatis, & firmius, & immutabilius illud esse voluisse, q̄ hoc simplex obedientiæ votum, non quia ex genere suo nobilius sit, nam ex se votum obedientiæ sine dubio præeminet, vt docet D. Th. q. 186. a. 8. & dicemus infra agentes de votis religiosis; sed quia votum simplex castitatis, regulariter, & frequēter loquēdo, magis vtile, ac necessarium in Ecclesia existit, ac proinde magis etiā est vsitatum. Et hinc est, vt castitatis votū sit reseruatū summo Pontifici, de hoc autē voto obedientiæ talis reseruatio non legitur, & ideo sicut supra diximus, votū simplex paupertatis posse per Episcopum esse dispensatum, ita etiam de hoc voto dicendum est, quia in hoc genere quidquid non est Episcopo denegatum, censetur esse concessum, & ideo quæ dicta sunt, de potestate cōmuni dispensandi, vel commutandi alia vota, ad hoc etiam applicāda sunt.

18. *Difficultas, an & quomodo valeat dispensare superior.* Solum potest inquiri, an ille, cui promissa est talis obedientia, etiamsi non habeat potestatem dispensandi alia vota, possit hoc auferre. Sed huius resolutio facilis est ex dictis, nam p modum dispensationis certū est, non posse votum auferre, quia dispensatio semper est actus iurisdictionis, & ille propriam iurisdictionē non habet, vt supponimus. At verò ex parte materiæ subtrahendo illā, poterit huiusmodi psona tollere alteri obedientiæ vsum, ac necessitatem, scil. nihil ei imperādo, nam hoc in ipsius est potestate, ac voluntate. Per hoc autē absolute non auferet alteri votum, quia semper manet, quantum est ex parte ipsius ligatus, vt si alter velit imperare, ipse obedire tenetur, quia in altero nulla est potestas ad auferendū hoc vinculum, vt dictum est, imò etiam circa ipsum obediētię vsum aduertere oportet, an is cui obedientia fuit promissa, sese aliquomodo obligauerit ad gerendam curam animæ alterius, nam tunc nō poterit licite omnino abstinere ab vsu imperandi in his quæ viderit esse ad salutē alterius necessaria, vel statui suo valde conuenientia; quanq̄ ad sustinendum munus, nec à superiore cogitur, nec ipse se Deo per votū obligauit, sed solum ex promissione quadā, vel conuentione humana poterit quantum in ipso est munus, & curam deponere, & altero consentiente, & cedente iuri suo liber fiet ab omni huiusmodi obligatione.

19. Rursus circa ipsam dispensationem aduertendum est duobus modis posse fieri, scilicet, & circa totum votū, & circa speciales actus iam imperatos ex vi voti: certum est enim, licet talis superior aliquid præcipiat, vrgendo quantum potest obligationem voti, posse in illo præcepto dispensare omnem illum qui potest dispensare in toto voto, quia non maior potestas requiritur ad dispensandum in particulari actu voti, q̄ in toto voto. Item quia obligatio vtraq; eiusdem rationis est. Deinde certum est ad dispensandū valide in tali voto non solam potestatem, sed etiam causam legitimam esse necessariam, quia quoad hoc etiā eadem est ratio de hoc voto, & de alijs, sed quāuis hoc sit verum de propria dispensatione, dubitari potest, an Episcopus absque alia causa, quasi proprie iure suo vtens, possit & in particulari auferre à tali psona omnē obligationē in virtute talis voti ipsi impositam, & generaliter sibi reseruare omnē vsum talis voti, seu omne ius imperādi ex vi illius. Hinc enim videtur Episcopum vtrumq; posse, quia est Prælatus superior, cui esse debet subordinata omnis obedientia inferioti promissa. In contrarium verò est, ga talis persona non promisit obediētiam Episcopo. Distinctione igitur vtendum est, aut enim materia pręcepti à proximo superiore impositi talis est, vt secluso voto possit ab Episcopo præcipi, aut prohiberi, & in eo casu clarum est, posse auferre obligationem per modū irritationis prohibendo materiam iuxta superius dicta de irritatione votorum, aut materia præcepti nō est eiusmodi, sed est omnino supererogationis, (nec enim potest Episcopus quamcunq; actionē bonam præcipere) & in eo casu non poterit sine speciali causa, & per modum voluntariæ dispensationis obligationem auferre, quia tunc irritatio locum non habet, vnde consequenter fit, totum votum simpliciter, & absque vlla causa irritare.

## Caput V.

### *Vtrum votum obedientiæ sit aliquid indistinctum à traditione religiosa, & quid illi addat.*

SVppositis, quæ generatim de voto obedientiæ in superioribus diximus, hîc solum addenda sunt, quæ ad particularem eius materiam, & obligationē, prout in religione exercetur, spectant. Quia verò votum obedientię magnam habet affinitatem cum traditione, quæ in professione fit, ideo hæc duo prius inter se comparabimus, eiusque proprias rationes explicabimus.

Ratio difficultatis est, quia duo sunt de ratione obedientiæ religiosæ, scilicet abnegatio propriæ voluntatis, & subiectio ad voluntatem superioris. Vtrumque autem fit, seu exhibetur ex vi traditionis religiosæ: ergo in illa consistit tota ratio, & vis obedientiæ religiosæ; ergo vel illa ipsa est votum obedientiæ, aut certe votum necessarium non est. Maior constat ex ipsa ratione obedientiæ determinando illam ad Euangelicam obedientiam, quæ non solum comprehendit obedientiam per se necessariam, hoc est, præceptorum; sed etiam voluntariam; hæc enim supponere debet hominem abnegasse libertatem suæ voluntatis, etiam in his, quæ sine peccato facere posset; vel omittere, & illam sub obiecta voluntatis

tate ita constituisse, vt iam honestè nō valeat discordare: ergo hæc obedientia illas duas conditiones intrinsecè requirit. Et ideo dixit Christus Dominus, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, Matth. 16. p quæ verba hanc obedientiam cōsuluisse Patres interpretantur; vt in superioribus vidimus. Nam hæc abnegatio maxime in voluntatis propriæ renuntiatione consistit, & ideo quod statim subdit, *Tollat crucem suā*, de vita religiosa exposuit Basilius sermone de abdicat. rerum, & clarius in regulis fusius disputatis regula 6. *Oportet* (inquit) *vt nos ipsos primum abnegemus, & crucem sustollamus, ac tunc demum illum sequamur. Nihil autem est aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vita superiori obtuto, atq; à suis ipsius voluntatibus recessio.* Quod etiam late prosequitur regula 8 vbi inter alia dicit, hanc sui ipsius abnegationem esse summum rerum omnium fastigium. Greg. etiam lib. 6. in 1. Reg. c. 2. *Per alias* (inquit) *virtutes nostra Deo impendimus, per obedientiam nos metipsos exhibemus.* Et ideo ait obedientiam præferri cæteris sacrificijs, quia, vt ipsemet dicit homil. 32. in Euang. *homini facile est relinquere sua, est autem valde difficile relinquere semetipsum, minus quippe est abnegare quod habet, valde autem multum est, abnegare quod est.* Et ideo dixit idem Gregor. homil. 20 in Ezechiel. versus finem, hanc sui abnegationem esse perfectissimum holocaustum. Multaque similia de hac obedientia tradunt Patres, quæ partim in superioribus adduximus tractando de simplici voto obedientiæ, copiosius autem afferemus infra tractando de obedientia quam Societas Iesu profitetur, & in sequentibus capitibus nonnulla etiam insinuanda erunt.

Quod autem religiosa traditio eadem duas conditiones requirat (id enim in minori propositione sumebamus) facile conuinci potest ex generali ratione traditionis, adiunctis his, quæ supra diximus de professione religiosa. Nam per veram traditionem, qua quis donat rem suam alteri, se illa priuat, & iure, q̄ in ipsam habebat, atq; in aliam transfert; sic ergo q̄ seipsum alteri donat, definit esse sui iuris, & incipit esse alterius, vt in seruo videre licet. Sic ergo etiam religiosus ex vi solius traditionis seipsum abnegat, quia iure in seipsum se priuat, & sub alterius potestate cōstituitur, cuius voluntatem ex vi traditionis eiusdem facere tenetur relicta sua. Et hoc est, quod Basilius, Benedictus, Greg. Bern. & alij sancti Patres supra citati dicunt, religiosum non esse sui iuris, sed totū esse sub potestate alterius ex vi illius donationis, qua se tradit religioni. Nihil ergo hîc superest, quod per votum obedientiæ fiat; neq; etiam oportet plura vincula moralia hîc multiplicare, cū necessaria non sint. Et cōfirmatur, quia alias religiosus agens contra voluntatem superioris dupliciter peccaret, sc. & contra votū, & contra ius superioris, q̄ illi cōuenit ex vi traditionis, sicut n. seruus tenetur obedire domino ratione traditionis, ita & religiosus Prælato suo; incōueniēs autē est multiplicare peccata sine necessitate.

4. *In religioso statu vtrum sit votum obedientiæ proprium.*

Nihilominus statuendum in primis est, vt certum, in religioso statu verum, ac proprium votū obedientiæ fieri. Hoc est certissimum, & in superioribus satis probatum, cum ostendimus tria vota esse de substantia, & essentia huius status, inter quæ votum obediētiæ non solum numeratur, sed etiam primarium habet locum. Nam, vt dixit Ioannes XXII. in Extrauag. *Quorundam* de verborum significat. *Magna quidē paupertas, sed in regularibus maius bonum est, sed obedientia maximum, si in regulariter illæsa, nam primarebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur, & animo.* Deinde vsus omnium religionum veram, & approbatam religionem profitentium sufficienter hanc veritatem confirmat. Vnde intelligitur quando religiosus promittit obedientiam Deo, vel Prælato, per illas voces dari ut causus duos terminos posse designari, scil. vel promissionis, quæ tunc fit, vel obediētiæ, quæ postea adhibenda est, vtraque enim alicui redditur, seu exhibetur. Quatenus ergo illa promissio est tertium votum essentiale religioni, respicit Deum, vt immediatum terminum promissionis, quia vt sic est votum, & non alias, & fortasse non respicit, vt proximum terminum obedientiæ exhibēdæ, quod infra videbimus. E contrario vero est certum, Prælatum, seu hominem esse proximum terminum exhibendæ obedientiæ, id est, personam, cui immediate obediendum est ex vi talis voti, non autem esse terminum ipsius promissionis in qua consistit substantia talis voti; quia votum, vt votum, est promissio facta Deo, & non homini, imo supra ostendimus ad votum obedientiæ necessariam non esse propriam promissionem homini factam, etiam ex parte materiæ talis voti: quomodo autem interueniat in hoc voto, quatenus in religione fit, statim explicabimus.

5. *Votum obedientiæ distinguitur à traditione.*

Secundo assero, hoc votum formaliter esse quid distinctū à traditione inclusa in professione religiosa. Probatur primo, quia promissio, & traditio genere differunt, & promissio in rigore & proprie sumpta, & respectu eiusdem rei includit negationem traditionis, sicut futurum, vt futurum, includit negationem præsentis, seu facti, vel sicut ius ad rem, quod paratur ad ius in re. Ex quo principio in superioribus ostendimus fieri non posse, vt votum aliquod in sua intrinseca ratione includat propriam traditionem, quia de essentia voti est, q̄ fit promissio, sed hoc votū obedientiæ est verum votum, vereque promissio, & traditio, quæ in professione religiosa includitur, est etiam vera donatio, ac traditio. Ergo formaliter ita distinguuntur, vt licet in illo actu necessariam connexionem habeant, neutra autē intrinsecè includat. Secundo hoc declaratur ex personis, quibus immediate fiunt. Nam votum immediate fit Deo, vt declaratum est, traditio autem immediate fit religioni, cui religiosus se donat, eiusq; membrum efficitur: ergo signum est, illas esse actiones, & vincula formaliter distincta, quanquam possit vna aliam quasi informare, & suo modo perficere, vt dicemus. Explicatur exemplo in donatione calicis, v.g. facta alicui Ecclesiæ, vel voto donandi illum; nam donatio immediate fit ipsi Ecclesiæ, vorū autem Deo, & ideo ex vi voti præcise non acquiritur ius Ecclesiæ, sicut acquiritur per donationē. Ex qua distinctione euidenter colligitur moralis distinctio illarū actionum, ita ergo est in præsenti, vnde etiā possumus argumentari tertio ex effectibus, nam per traditionē acquiritur proprium ius, & quasi dominium religioni in talem personā, p votum autem non religioni, sed ipsi Deo ius proprie acquiritur. Nam votū, vt votum, soli Deo obligat. Item p traditionem à religione accepta tam incorporatur homo religioni, & vnum corpus cum ea efficitur, & inde nascitur quædam relatio identitatis (vt sic dicā) & mutua obligatio religiosi ad religionē, & è cōtrario, propter quod dicūt cōmuniter authores, vt in superiorib. sæpe citatū est, inter religionē, & religiosū fieri mutuū contractū, per votum autem obediētiæ, vt sic, nihil horum fit, sed rm̄ obligatio, quæ fit Deo: ergo signum est, illa duo esse formaliter diuersa.

6. *Ad perfectā abnegationem traditio, & obedientia requiritur.*

Tertio assero ad perfectam abnegationem Euangelicam vtramq; actionem requiri, sc. traditionem, & promissionem voti obedientiæ. Declaratur, quia ad hanc abnegationem duo sunt necessaria. Vnū est, vt homo se spoliet dominio sui ipsius, suæque voluntatis. Aliud est, vt totum hoc offerat in holocaustum Deo, & consecret in religiosum cultum. Primum fit proxime per traditionem, secundum autem per obedientiæ votum: ergo vtrumq; necessarium est. Maior quoad priorem partē constat ex dictis, & ex ipso nomine *Abnegationis sui ipsius*, adiunctis expositionibus san-

sanctorum, præsertim Basilij, & Gregorij locis citatis. Quoad alterã vero partẽ patet, quia sine illa relatione, seu oblatione non erit abnegatio religiosa, qualis ad statum religiosum requiritur; & ideo ijdem sancti Patres nomine sacrificij & holocausti, hanc abnegationem declarãt. Minor autem quoad priorem partem constat, quia homo non se priuat dominio in seipsum, nisi quatenus illud transfert in alium; quia nõ potest esse nullius (vt sic dicã,) & ideo eo ipso, quod non est sub dominio alterius, est dominus suiipsius: ergo vt se abneget priuando se dominio in seipsum, necessarium est, vt se tradat alteri: ergo hæc abnegatio, quantum ad hanc abdicationẽ iuris proprij in seipsum proxime, & quasi formaliter fit per traditionem. Accedit, quod, vt in superioribus dixi, traditio non fit proprie Deo immediate, ac in seipso, sed homini, quãmuis interdum fiat (vt in religione fit) homini in ordine ad Deum, seu vice Dei, quia per traditionem transfertur dominiũ, quod nõ potest transferri in Deum, in se, sed in homine, seu per homines: ergo abnegatio quatenus dicit abdicationẽ proprij iuris, seu dominij in seipsum, nõ põt fieri nisi per traditionẽ, quæ immediate fit ipsi religioni. Quoad alteram vero partem patet eadem minor, quia p votũ obedientiæ quasi specificatur, & extollitur illa traditio, quæ proxime fit homini, vt sit religiosa, tanquam spirituale holocaustum ipsi Deo factum. Vnde intelligitur, hæc duo in hoc negotio concurrere, tanquã materiale, & formale, traditio enim, quasi materialiter se habet in hac abnegatione; votum aũt obedientiæ eam formaliter perficit, & quasi cõsummat in ordine ad statum religiosum. Dices, ipsam traditionem propter Deum factam, & ex intentione diuini cultus satis religiosam esse, secluso etiam proprio obedientiæ voto. Resp. etiamsi dici possit religiosum ex ordinatione ad p̃dictum finem, nihilominus non habere propriam perfectionẽ ad statum religiosum necessariam, quia non est consecrata Deo per proprium vinculum religiosum. Vnde neq; homo tenetur religiosa, & sacra obligatione ad fidelitatem seruandam in ea traditione, nisi ad illam accedat obedientiæ votũ, ob hanc ergo causam necessarium est ad perfectionem abnegationis religiosæ.

7. Ex quibus facile est, soluere principalem difficultatem in principio positam. Concedo enim tam per traditionem, quam per obedientiæ votum renuntiare hominem propriæ voluntati, eamq; alteri submittere; diuerso tamen modo, vtroque tamen necessario ad huius renunciationis perfectionem, vt declaratũ est, magisque explicabitur sequenti capite, respondendo ad vltimam confirmationem.

## Caput VI.

### *Quotuplex sit malitia in transgressione obedientiæ religiosæ.*

1. EX dictis præsens oritur difficultas, vtrum scilicet ex promissione obedientiæ facta Deo, & ex promissione ac traditione Prælato ac religioni exhibita, duplex insurgat in religioso obligatio, ita vt contratia transgressio duplicem habeat malitiam; quidam enim negant hanc duplicem obligationem, & consequenter negant etiam esse duplicẽ malitiam in illa transgressione. tenet Sot. lib. 7. de iustitia q. 2. a. 3. *Simplum* (inquit) *seu vnicum tantum est religioso crimen non obtemperare prælato, quia licet obsequium constituerit in genere obedientiæ, non tamen nisi per solum votum, nõ enim obedientiam Prælato voues, sed Deo quod eris Prælato obediens.* Contrariam tamen sententiam docet aperte D. Th. 2. 2. q. 88. a. 5. ad 3. vbi dicit votum obedientiæ includere, vel supponere humanã promissionem factam Prælato, & addere votum, quod est promissio facta Deo, de implenda promissione facta Prælato. Et licet verum sit, posse intelligi, ac fieri votum obedientiæ, sine promissione humana, vt in superioribus tetigimus, nihilominus in voto obediẽtiæ religiosæ prout de facto fit, plane sentit D. Th. interuenire illã duplicem promissionem, & cõsequenter duplicẽ obligationem diuersarũ rationum, ac virtutũ, ad quas consequitur duplex etiam malitia in trãsgressione si fiat, vt late ibidem explicat, & approbat Caiet. Et in simili admittit Soto eodẽ loco dicens. Si quis promittat fœminæ aliquid in dotem, & voueat Deo illam promissionẽ implere, dupliciter peccare nõ dando dotẽ, scil. contra iustitiam, & religionem. & paulo inferius referens doctrinam D. Th. de promissione humana, quæ fit Prælato, dicit nihil falsum continere, quod non videtur cum primo eius dicto cohærere.

Dicendum ergo est eandem inobedientiam religiosam duplicem habere malitiam, contra religionẽ respectu Dei, de qua non est dubium ratione voti, & contra pactum cum Prælato initum. Circa hanc vero posteriorem malitiã dubitatio ex dictis occurrit, quia videtur sequi non esse vnam tantum, sed plures, præter malitiam sacrilegij. Sequela patet, quia in primis ibi est malitia contra promissionem humanam, vt D. Th. dicit, est ergo cõtra virtutẽ fidelitatis. Iuxta nostram autem sententiam etiam ibi est malitia contra traditionem religioni factam, quæ est cõtra iustitiam, quia est contra ius religioni acquisitum, ergo sunt ibi duæ malitiæ specie distinctæ: vt seruus, vel famulus ex iustitia tenetur obedire hero, seu domino, ratione dominij, vel pretij, aut stipendij, etiamsi nullam aliam promissionem obediendi feceris, si autem vlterius speciali promissione se astrinxerit ad seruandam fidelitatem, & obedientiam domino, noua tenebitur obligatione, & ita dupliciter peccabit si inobediens sit, ita ergo dicendum videtur in religioso. Vltra hæc vero obseruare oportet, habere nunc Prælatum religionis veram spiritualem iurisdictionem, quã recipiunt à summo Pontifice, per quam possunt propria præcepta, vel leges imponere, quæ speciali titulo obedientiæ ecclesiasticæ inducunt obligationẽ: erit ergo hoc titulo tertia, vel quarta species malitiæ in hac transgressione. Tandem consideranda est species virtutis, vel vitij, ad quam speciem ptiner actus ratione suæ materiæ, & ita adiungetur noua species malitiæ, vt v. g. si opus præceptum sit ieiunij, & religiosus illud frangat, præter omnia dicta peccabit cõtra temperantiam; videtur autem incredibile tot multiplicari in vna religiosi inobedientia.

Respondetur nihilominus, quando religiosus peccat contra votum obediẽtiæ, regulariter, ac per se loquẽdo, solum interuenire duas malitias; vnam sacrilegij contra Deum ratione fracti voti, de qua nullus dubitat, & per se satis clara est; alteram iniustitiæ, contra hominem ratione traditionis, & promissionis factæ: neq; oportet has malitias respectu Prælati multiplicare, quia non fit illi multiplex iniuria, sed vnica tantũ. Vnde ad obiectionem de promissione, & traditione respondetur primo, fortasse in præsenti materia hæc duo non esse distincta; nam licet promissio, & traditio cum proprietate sumpta, & in ordine ad idem & secundum idem distinguantur, nihilominus tradi tio rei de p̃senti, in ordine ad actũ, seu vsum futurum solet aliquando nomine promissionis significari, vt traditio matrimonij, suppositа rectа intelligentia, & intentione, potest his verbis significari, *Trado* (seu *Dimitto*) *te semper habere in coniugem*, vel *tibi ex nunc esse coniugem fidelem*: nam quia in matrimonio traditur corpus in ordine ad futurum actum, & ad illũ statim nascitur obligatio, voluntas cõtrahendi, & efficiendi talem obligationẽ declaratur, & significatur nomine promissionis, quãuis reuera immediate versetur circa traditionem de præsenti, ex qua nascitur obli-

obligatio ad vsumfructum. Vnde licet in matrimonio multiplicarentur hæc verba, trado me tibi in cõiugem, & promitto matrimonialia iura tibi seruare, fortasse non multiplicarẽtur vincula, nec obligationes, quia per omnia illa verba solum explicatur definita, & firma voluntas faciendi hunc contractum, & seruandi illum. Ita ergo satis verisimiliter censeri põt in præsenti: nam intentio profitẽtis solũ esse videtur tradendi se huic religioni, & seruandi obligationem parendi Prælatis, q̃ ex illa intrinsece nascitur, & hanc intentionem, seu voluntatem explicat, tam nomine professionis, q̃ promissionis, vel etiã traditionis, aut quocunq; alio simili. Et iuxta hanc interpretationẽ licet verbum promissionis humanæ, quo D. Th. vtitur, & verbum traditionis sint diuersa, res tamen eadem est, ad eum sc. modum, quo fit in Baptismo sponsio, quam D. Th. alibi votum late sumpto vocabulo appellauit, cum reuera solum tantum sit voluntaria professio legis Euangelicæ, per quam aliquis se tradit in membrum & subditum Catholicæ Ecclesiæ.

4. Secundo admittere possumus in professione religiosa, præter traditionem, & proprium obedientiæ votum interuenire professionem humanam factam Prælato, de obedientia illi præstanda: nõ enim repugnat promissionem fieri homini de implenda re, vel actione alio titulo illi debita: nã si is, qui debitor est, ratione mutui postea specialiter promittat soluere tempore debito, illa vera est ꝓmissio distincta à mutuo: idemque admitti facile potest in exemplo supra posito de seruo: nihil ergo repugnat ita fieri in ꝓsenti, si hæc sit intentio promittentis. Nihilominus tamen assero, ex illa circumstantia nõ multiplicari secundũ speciem malitiam mortalem. Nam vel illa promissio consideratur præcisẽ intra rationem fidelitatis, vel vt transit, vel trãsire potest in rationẽ iustitiæ. Sub priori ratione non inducit obligationem sub culpa mortali, quia iuxta probabilem sententiam fidelitas, & veritas ex genere suo præcisẽ sumptæ, solum inducunt obligationẽ sub veniali. Sub posteriori antẽ ratione obligatio erit sub mortali, quia transit in rationẽ iniustitiæ, tamẽ non est secundum speciẽ distincta ab obligatione, quæ nascitur ex traditione, & ideo nec malitia etiam est distincta specie, quia eadẽ est ratio iustitiæ in toto illo contractu, etiamsi propter diuersos modos se obligandi aliquantulum augeri videatur. Quod si quis vrgeat, saltem addi malitiã infidelitatis, quæ est specie distincta, cum sit cõtra diuersam virtutem. Respondetur illam vt sic non esse mortalẽ, sed venialẽ, & ideo non esse inconueniens multiplicari, vt in simili dixit Caiet. 2. 2. q. 88. a. 5. & patet in omni mendacio pnicioso; nam prẽter malitiã mortalẽ contra iustitiam habet malitiã mendacij, q̃ vt sic venialis est. At q̃, hęc rẽsponsio est probabilis; prior tamen & ipsi rei, & veritati magis cõsentanea videtur.

7. Ad alteram obiectionem de iurisdictione superioris, & aliam de malitia actus secundum se, simul respondendum est. Et in primis considerandum est, an actus, qui fit contra præceptum Prælati, secundum se malus sit, vel solum quia prohibitus. Nam si alias secundum se malus est, concedimus ex eo capite multiplicari malitias, vt expresse Caiet. supra docet. & ratio est, quia malitia, quam affert actus ex proprio obiecto, non impeditur, propter pceptum Prælati, vt p se constat, quia est intrinseca, vel quia est contrarium præceptũ Ecclesiæ. v. g. q̃ semper durat, & è conuerso malitia actus non impedit, quominus pręceptum superioris suã vim habeat, & inducat suã obligationẽ, q̃ cum sit etiã specie distincta, violatio eius suam retinet malitiam specie distinctam. At vero si actus solũ est malus, quia prohibitus (& idem est proportionaliter de omissione) tunc Caiet. supra censet non habere inde specialem malitiam, vt in pręcepto de ieiunio supra posito, fractionẽ eius non habere malitiam intemperantiæ, quia talis actus secundum se nõ erat necessarius ad virtutem temperantiæ, & præceptum superioris non habet vim constituendi illum intra materiam necessariam illius virtutis, sed solum intra materiam obedientiæ, seu religionis.

6. Quæ doctrina est vera, & sine controuersia. considerando Prælatum solum quatenus habet vim præcipiendi ex vi voti, aut professionis, vt melius considerari potest in Abbatissa Monialium, quæ iurisdictionem Ecclesiasticam nõ habet. Ratio est, quia obligatio, vel imperium, q̃ nascitur ex vi solius voti, aut promissionis, seu traditionis humanæ, solum trahit actum ad materiam illius virtutis ad quam pertinet votum, vel cõtractus humanus, i. e. religionis, vel iustitiæ, in quo differt à propria lege, q̃ vim habet dãdi actui necessitatem intra propriam speciem virtutis; quam differentiam explicuimus in superioribus, tractando de simplicibus votis. Hinc vero addendum videtur, si cõsideretur Prælatus Religionis quatenus habet iurisdictionem Ecclesiasticam, sic proprię imponere ꝓceptum, seu legem, q̃ vim habeat obligandi subditum iuxta varias materias, & motiua virtutum, dando actibus necessitatem illarum; quod bene attigit Gabr. Vasquez 1. 2. disp. 98 c. 3. eritq; verum quando constiterit Prælatũ ꝓcipiendo vti tali iurisdictione: nam licet superior illã habeat, potest ꝓcipere non ex illa, sed solum exigendo obedientię debitum. Imo regulariter loquẽdo hic videtur esse ordinarius modus præcipiendi Prælatorum religionum, quia materia circa quam versantur, ordinarie talis non est, vt ex vi solius iurisdictionis Ecclesiasticæ pręcipi possit, q̃a est materia supererogationis, vel consilij, & ita solum præcipi potest, quatenus ex vi professionis facta est necessaria. Sæpe ergo p iurisdictionem solam non posset p se, ac directe præcipi; sed ad summum pręcipi poterit, vt obligatio facta impleatur. Tunc aũt præceptum Prelati, etiamsi ex iurisdictione procedat, nõ constituit actum, vt necessarium intra propriam virtutem, ad quam ptinet, ex propria materia, sed solum intra virtutem obedientiæ, & religionis; vt si Episcopus præcipiat seculari habenti votum simplex castitatis, vt non ducat talem vxorem sub censura excommunicationis, non dat illi actui necessitatẽ intra virtutem castitatis, quia vt sic non est materia præcepti, sed vtget illũ, & adiungit illi necessitatem intra virtutem religionis, quia ratione illius iam est materia præcepti, & ad summũ adiungit illi necessitatem obedientiæ suę. Ita ergo existimo communiter accidere in ordinarijs obedientijs religiosorum, q̃ illis iniungi non possunt, ex vi solius iurisdictionis, sed ratione ꝓmissionis factæ ab illis exigi possunt. Nihilominus tamen, quia Prælati religionum, sunt etiam ordinarij pastores suorum subditorũ iuxta ecclesiæ vsum, ideo in materia proportionata imponere possunt leges, seu pręcepta. Et tunc actus habebunt necessitatem virtutis intra propriam materiam propter rationem factam. Verisimile a est tunc cessare alterã obligationem obedientiæ, quatenus ex traditione, seu ꝓmissione humana nascitur; quia hi Prælati nunquam videntur habere intentionem præcipiendi, & obligandi duplici titulo, scil. iurisdictionis, & quasi dominationis, sed altero tantum iuxta exigentiam rerum, vel actionum. Vnde si ordinarium modum gubernandi inspiciamus quoad vim directiuã, q̃ est in præcipiendo, videntur vti potestate dominatiua, quæ fundatur in traditione, seu promissione; quoad vim aũt coactiuam, quando necessaria est, vtuntur potestate iurisdictionis; sicut irritando vtuntur dominio, dispensando autem iurisdictione. In rigore autem non dubito quin possit vtroque titulo vti in præcipiendo, si materia sit capax, & tunc concedendum est, præter

*Differentia inter præceptum ortum ex voto obedientiæ & iurisdictionis.*

*Prælati religionis possunt leges, & præcepta sub dicto imponere ratione iurisdictionis, quã habent.*

obligationem religionis, quę ex voto nascitur, & præter obligationem iustitiæ, q̃ oritur ex traditione, & potestate dominatiua, interuenire specificam obligationẽ illius virtutis ad quã pertinet actus ratione suæ materiæ, & in qua fit necessarius ratione legis, seu p̃cepti. Sicut quando actus est necessarius, ex præcepto Ecclesiæ, & Prælatus religionis eundem imperat, in vi voti, & potestate sua dominatiua, tunc contraria transgressio habet malitiam intemperantiæ cõtra præceptum Ecclesiæ, & p̃terea habet malitiam cõtra votum, & contra promissionem, seu traditionem superiori factam: idem ergo erit, quando loco Ecclesiasticæ legis omnibus cõmunis interuenit p̃ceptũ Prælati, ex iurisdictione procedens, & cõsequenter constituens actum in materia necessaria virtutis; est enim eadẽ vis, & potestas. Neq; est incõueniens multiplicari deformitates, quando tituli obligationum secundum diuersas rationes specificas multiplicãtur.

7. Dices præter has omnes reperiri malitiam inobedientiæ, quæ videtur ab his omnibus distincta, nec posse ad aliquam illarum reduci. Item aliquando potest contingere simul coniungi communem legem Ecclesiæ, & propriam legem Prælati: ergo inde etiam multiplicabuntur malitiæ, vel si illa diuersitas non sufficit, neq; alia sufficiet. Respond. ad priorem partem, inobedientiam non constituere specialem malitiam, nisi sit formaliter intenta, vt docuit D. Th. 2. 2. q. 105. art. 1. ad 1. & constat, quia est circumstantia generalis, quæ non specificat, nisi peculiariter intendatur. Si autem Religiosus hoc modo sit inobediẽs, ex contemptu Prælati, & potestatis eius, verum est incurrere specialem malitiam distinctam ab omnib. numeratis, & ex suo genere mortalem. Immò in vniuersum esse mortalem sentit D. Th. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3. & esse communem opinionem Theologorum, & Canonistarum, eos ex parte referens, affirmat Couarru. in regula *Peccatum* 2. p. §. 5. num. 2. in fine. Intelligenda autem est, de absoluto contemptu ipsius Prælati vt talis est, seu potestatis eius: nam si solum sit cõtemptus ipsius rei in particulari, potest esse veniale peccatum ex leuitate materię, etiamsi fiat ex directa intentione in aliquam offensionem personæ Prelati, vt in materia de legibus latius tractatur, & sentit Caiet. in summa verbo *Contemptus*, quẽ sequitur Armilla eodem verbo. & Medina 1. 2. q. 96. art. 4. & Sot. in 4. d. 15. q. 2. a. 1 ad primum. Angles in materia de pœnitentia, & insinuat Angelus verbo *Contemptus*. Imò D. Thom. q. 15. de veritate, art. vlt. ad secundum dixit, non omnem contemptum esse peccatum mortale, sed solum contemptum Dei: intelligendum autẽ est, de contemptu Dei in se, vel in suis Vicarijs, iuxta doctrinam Bernardi lib. de præcepto, & dispens. cap. 12. *Siue Deus, siue homo*, &c. Itaque inobedientia nisi formalis sit, non addit specialem malitiam, neque mortalem, nisi ex materia vel ex absoluto contemptu grauis sit.

*Inobedientia specialiter intẽta causat malitiam speciei diuersam ex genere suo mortalem.*

8. Ad alteram partem respondetur, negando consequentiam: nam per proprias leges, seu præcepta, quæ ex iurisdictione procedunt, constituitur actus in specie virtutis iuxta exigentiam materiæ, & honestatis intentæ: vnde multiplicatio legum vt sic non multiplicat formaliter obligationes, & consequenter nec contrarias transgressiones, & ideo furtum contra legem naturalem, & positiuam diuinam, & humanam, ciuilem, & Ecclesiasticam, vnã habet malitiam, quia omnes hæ leges constituunt illum actum in materia iustitię. Idem ergo dicimus in præsenti de ieiunio p̃cepto per legem canonicam, & per regulam, seu præceptum regulare, quatenus veram rationem habet, & eu efficaciã legis. Secus vero est de obligatione voti, quæ transfert actum ad virtutem religionis; & idem censemus de obligatione ex vi traditionis, & promissionis humanę, quę trãsfert actum in aliam speciem iustitię, vt explicatum est. Sicut pater rigorose præcipiens filio, vt audiat Missam die festo, v. g. potest illũ specialiter obligare ex vi patriæ potestatis, & tunc filius omittens, non solum peccabit contra p̃ceptum Ecclesię, sed distincta malitia contra præceptum paternum; quod si talis filius fecisset etiam votum obediendi patri suo, peccaret etiam contra religionem. Ita ergo comparatur religiosus ad suum Prælatum, q̃ suo modo patriam habet potestatem spiritualẽ, qua potest obligare spiritualẽ filium, quamuis simul habeat potestatem iurisdictionis, in quo excedit patẽ carnalem regulariter loquendo: non enim repugnat interdum etiã in illo aliquid proportionale reperiri, vt in Rege respectu sui filii, cui potest præcipere, & vt pater, & vt legislator, & supponendo in filio votum obediendi patri, quocunq; titulo præcipienti, atque etiam in materia alias præcepta, per legem Ecclesiasticam, vel diuinam. Sicut enim potest vnusquisq; seipsum denuo obligare per votum in materia alias p̃cepta; ita etiam pater potest obligare filium, & Prælatus subditum; q̃a in illa maxime subditus esse debet.

Ex his, quæ circa prædictam confirmationem diximus, constat votum obedientiæ, & traditionem religiosam ita inter se comparari, vt votum augeat, quasi intensiue obligationem parendi Prælato, quæ ex traditione nascitur; quod augmentum intensiuum voco, quia circa idem auget obligationem: addo autem particulam *quasi*, diminutiuam, quia reuera non est intentio, sed additio nouæ, & excellentioris rationis obligationis, vt satis explicatũ est. Superest autẽ quæstio, an secundũ extensionem, q̃ sumitur ex parte materię, hæ obligationes sint æquales, vel vna addat aliq̃d alteri, q̃ in sectionibus sequentibus declarabitur.

*Malitia nõ multiplicatur ex multiplicatione legum, vt sic.*

## Caput VII.

### *An votum obedientiæ obliget, ad totius Regulæ obseruationem.*

INcipimus explicare huius voti materiam, quę potest esse, aut lex, aut constitutio scripta, aut transitorium præceptum ab homine impositum. De hac posteriori parte nulla est quæstio, quia illud est quod expressius in tali voto promittitur, vt ex formulis p̃fitendi supra relatis manifestum est. Item quia tota necessitas voti obedientiæ in religionib. est, propter necessitatem, quæ in omni cõmunitate humana est, vt in ea sit aliquis superior, cui alij pareant, quia alias nullus in ea posset esse ordo, sed summa confusio, quam obedientiam oportet in religione esse per votum firmatam, & cõsecratam Deo; ergo materia huius voti præcipuè est, Prælati p̃ceptum, seu mandatum, de quo qualem, & quantam obligationem inducat, postea videbimus.

De altera ergo parte versatur proposita difficultas, in qua tres inuenio sententias. Prima generatim affirmat totam regulã contineri sub materia voti obedientiæ religiosæ: atque ita teneri religiosum ad totius regulæ obseruationem ex vi voti. ita sentit Henriquus quodlib. 6. q. 17. vbi in speciali loquitur de regula Augustini, quæ sub his verbis proponitur, *Hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus*; extendit autem sermonem ad omnem aliam, etiamsi (inquit) sub hac forma proponatur. *Hæc sunt quæ vt obseruetis admonemus*: & idẽ diceret de verbo *statuimus*, vel de quocunq; alio simili. Ratio eius est, quia per votum fit p̃ceptum, quod antea erat consilium, vel admonitio; sed per votum obedientiæ vnusquisq; obligatur ad obseruãdam regulam, & omnia, q̃ in illa continentur: ergo. Minor probatur, quia ideo ante professionẽ proponitur regula, vt vnusquisq; videat, an velit se ad illam obligare, ergo supponitur illam esse materiam talis obligationis, & voti. Itẽ quia alias non esset maior obligatio obser-

obseruandi regulam post professionem, quam antea, quod per se statum apparet absurdum, & contra rationem. Item quia p votum obedientiæ religiosus p̃mittit regularem vitam, vt docet D. Th. 2.2.q.186.a. 9. regularis autem vita dicitur illa, quæ conformatur regulæ; ergo promittit quis per tale votum cõformare se in suis actionibus regulæ suæ. Vnde D. Th. ibidẽ ait facere contra votum obedientiæ, qui transgreditur præceptum, vel ore tenus à Prælato factum, vel in regula expressum: ergo iuxta mentem D. Th. promittit religiosus p obedientiæ votum obseruare p̃cepta, non tantum nominis, sed etiam regulæ: ergo quamuis regula ex se non obligaret sub pręcepto, ex vi voti obligat. Patet consequentia, quia si quis immediatè voueret facere id q̃ regula præscribit, v. g. ieiunare, nulla interueniente regula oriretur grauis obligatio ad id faciendum, sed perinde est interueniente regula, vouere illã seruare: ergo. Tandem cõfirmatur hæc sententia, quia alias non peccaret Religiosus saltem moraliter habens formale propositum non seruandi aliq̃ regulam, quoties impune id facere posset. Consequẽs est valde absurdũ; ergo sequela patet, q̃a non est maior ratio de singulis regulis, quã de tota collectione; q̃a plura cõsilia simul collecta nõ efficiunt vnũ p̃ceptum; nec plura peccata venialia vnũ mortale.

3. Secunda opinio est, ex vi voti obedientiæ non teneri aliquem ad obseruationem regulæ, sed solum, ex vi ipsius regulæ quantum ipsa declarauerit sub præcepto, si ipsa expresserit, vel tm̃ sub consilio, seu obligatione ad pœnam, si ita ipsa declarauerit. Hanc sententiam tribuunt aliqui D. Thomę, & sumi potest ex Paludano in 4. d. 38. q. 3. a. 4. & supplemento Gabr. q. 1. a. 3. Potest autem in hunc modum declarari, & cõfirmari; nam sicut superiori capite respectu personæ Prælati præter votũ dicebamus esse obligationẽ illi parendi, ex vi traditionis, antequã intelligatur votũ obedientiæ, seu illo præciso; ita respectu regulæ põt, & debet intelligi obligatio ad seruandam regulam, q̃ non pertinet ad virtutem Religionis, sed ad iustitiam legalem, vel generaliter ad obedientiam, vel specialiter ad varias virtutes, iuxta exigẽtiam materiarum, si regula habeat veram rationem legis. Fundamentũ autem huius partis est, quia is, qui volũtariè efficitur pars alicuius Reip. consequẽter subijcitur legibus illius Reipublicæ, & ad eas seruandas obligatur, seclusso voto, & iuramento, q̃ extrinseca sunt, vt in tractatu sequenti magis declarabimus. Hac ergo parte supposita dicit hæc sententia, votum obedientiæ nõ cadere in regulã, vt in materiam, nullamq; obligationẽ addere illi, q̃ ipsa ex se habet. Sic a. explicata hæc sententia probari potest: primo ex forma viuendi, quia qui profitetur, non promittit seruare regulam, sed vouet Deo, & promittit Prælato obedientiam; ergo. Secundo, quia alias cõmitteretur sacrilegium, quoties frangeretur quæcunq; regula. Consequens est, contra communem sensum omnium Religiosorum, & consequenter p̃ter intentionẽ vouentium, itẽ esset in grauissimũ periculum animarũ, sæpius enim peccaret mortaliter. Nec satis est respõdere, licet illa sint sacrilegia, esse venialia, ex leuitate materiæ, quia ad minimũ illa materia, q̃ sufficeret ad transgressionem mortalem, si esset immediatè promissa per votũ, sufficeret ad peccatũ mortale si esset cõtra regulã, quia, vt dicebat prior opinio, mediante regula vouet quis facere, vel omittere q̃ per regulam præscriptum est.

4. Dicetur fortasse votum cadere in regulam, & addere illi obligationem, non tamen æqualem pro tota regula, sed proportionalem, ita, vt si regula secũdum se sit lex obligans sub mortali, transgressio eius ratione voti habeat nouam malitiam mortalẽ sacrilegij; si autem regula tantum obliget sub veniali, addatur solum malitia venialis ratione voti, ita vt quidquid sit de qualitate, vel grauitate rei circa quam versatur regula semper in ordine ad votum, materia cẽsetur leuis, si obligatio regulæ solum est venialis. Sed quid dicendum de regulis, quæ ad nullum peccatũ mortale, vel veniale obligant? Nec n. dici potest, votum cadere in vnam regulã, & non in aliam; quia eo modo quo respicit regulam, generaliter cadit in totam. Neq; etiam intelligi potest, q̃ votum cadat in obseruationem alicuius regulæ, & quod non addat illi obligationem pertinentẽ ad religionẽ, quia promissio voti separari non põt ab obligatione. Si a. votum cadit in vniuersam regulam; ergo, qui vouet obedientiam, promittit etiam seruare illas regulas, q̃ de se ad nullum peccatum obligant; ergo necessario contrahit obligationem in conscientia seruandi talem regulam.

5. Tertia sententia distinguit inter religiones iuxta diuersos modos profitendi earum, qui ad duos reduc̃untur. Vnus est in quo fit promissio conuersionis morum secundum talem regulam, vt de Carthusia supra retulimus, & de Religione S. Benedicti idem colligitur ex c. 58. suæ regulæ. Alius vero modus est promittendo obedientiam secundum talẽ regulam, vt ait Bern. lib. de præcepto, & dispens. & seruatur in religionibus mendicantium, & specialiter de p̃dicatoribus refert D. Th. supra. Ex priori igitur modo p̃fitendi, ait hęc opinio oriri obligationem voti ad seruandam regulam, quia promittere conuersionẽ morum secundum regulam, est promittere conformari in morib. regulæ, quod est promittere seruare regulam; ergo obseruatio regulæ, est materia talis voti. Ex posteriori autem modo profitendi non sequitur talis obligatio, quia illud votum solum est obediẽdi Prælato; regula autem magis additur ad designandum terminum, intra quem potest præcipere Prælatus, q̃ vt eius obseruãtia promittatur. Hanc distinctionem indicat Paludanus supra, & latius Palatius in 4. d. 38. disp. 1. circa medium.

6. In hac quæstione non disputamus, an regula religiosa obliget ad culpam, nec ne, vi sua, ac præciso voto; de hoc enim disseremus melius tractatu sequenti; sed abstrahendo ab hac quæstione solum tractamus, an obseruatio regulæ sit materia voti obedientiæ, q̃ in religione fit, & inde consequenter oritur alia quæstio, an ex hoc voto oriatur obligatio ad seruandam regulam, quæ ex genere suo sit sub mortali, cum sit iustitiæ ad Deum. Dicendum ergo est primo, regulã, seu obseruantiam eius cõtineri sub materia voti obedientiæ religiosæ. Hęc sine dubio est sententia D. Th. 2.2. dict. q. 186. art. 9. vbi expresse dicit votum obedientiæ obligare ad seruandum præceptum regulare, siue ab homine impositum, siue in regula contentum; & idem intellexit Caiet. ibi. & D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 13. in fine, qui refert Ioannẽ de Neapoli. quodli. 14. q. 16. & probatur, quia religiosus vouet, obedire Prælatis talis religionis, sed Prælatus, non solum præcipit re seu personali præcepto (vt sic dicam) sed etiam præcipit per legem stabilem, seu regulam; ergo votum obedientiæ æque cadit in vtrumq; præceptũ. Secundo declaratur ex vsu omnium religionum, q̃ in suis regulis, vel statutis, addere solent hanc particulam, *in virtute sanctæ obedientiæ mandamus*, &c. quando volunt grauem obligationẽ imponere; ergo supponunt votum obedientiæ de se cadere in præcepta, quæ per modum regulæ, seu legis proponũtur; ergo idem dicendum est de tota regula, secundũ eum gradum obligationis in quo fertur. Patet consequentia, quia votum obedientiæ absolute fit secundum regulam, & non limitatur ad hunc vel illum modum p̃cipiendi regulæ. Et quamuis hoc pertineat ad factũ, vt ait Henriq. supra, an sc. aliqua in regula sic tradantur, vt votũ obediẽtię, non intelligatur cadere in illa,

*Obseruantia regulæ continetur sub materia voti obedientiæ religiosæ.*

nihilominus considerando modum viuendi, & obedientiam in quacunq; religione, in nulla potest probabiliter illa distinctio fieri, sc. quod votum obliget ad seruandam vnam partem regulæ, & non aliam.

7. Dices, ex argumento facto, solum posse concludi, votum obedientiæ posse obligare ad regulã, si in ipsa exigatur, actu vero non obligare ad totam, sed solum ad eam partem, in qua talis obedientia exigitur; solũ autem videtur exigi in illis regulis, in quibus additur illa particula, *in virtute sanctæ obedientiæ*. Sed contrã, nã idem dici potest de omnib. præceptis personalibus, quæ oretenus, vel priuatis literis à Prælatis imponũtur, nimirum non ptinere vllo modo ad votum obedientiæ, nisi quando in eis expresse additur particula illa *in virtute sanctæ obedientiæ*, ergo non minus est materia obedientiæ regula ipsa quam præceptum Prælati, q̃ est in præsenti principaliter intentum. Deinde illa particula, *in virtute sanctæ obedientiæ*, non additur, nisi ad explicandam obligationem sub mortali, quãtum est ex modo præcipiendi: præter hanc autẽ obligationem potest esse alia sub veniali, in qua etiam ratio obedientiæ interuenit, siue illa obligatio proueniat ex regula, seu statuto, siue ex præcepto Prælati, ergo votum, quod factum est de obedientia absolute, totam hanc materiam comprehendit, siue addatur illa particula, siue non addatur.

8. Nec refert, (vt vltima opinio distinguebat) quod votum fiat obediendi regulæ, vel secundum regulã, vel alijs verbis, explicantibus consuetudinem morũ, iuxta regulam; nam si attente considerentur reuera sunt æquiualentia, vt infra latius dicam, cũ enim vouetur obedientia secundum regulam, quamuis intendatur limitari potestas præceptiua Prælatorum ad ea, quæ in regula formaliter, vel virtualiter cõtinentur, vel quæ ad illius obseruationem, vel intentionem aliquo modo ptinent; non tamen excluditur à materia voti obedientię actus ipse p̃cipiendi per regulam; nullum enim præceptum magis est secundum regulam, quam ipsamet regula, ergo obediẽtia regulæ cadit sub tale votum, etiam sub illa forma factum. De alijs autem formulis, & modis vouendi, res est per se clara, & ab alijs concessa; Tandem ex vi traditionis, seu vnionis cũ religione, æque sequitur obligatio seruandi regulã, ac obediendi præceptis Prælatorum, & tota illa obligatio ex suo genere ad obedientiam spectat; sed votum obedientiæ est ad confirmandam, & quasi sacrandam, vt sic dicã, hanc obligationẽ; ergo respicit totam illã, vt adæquatam materiam; imo certior videtur hæc obligatio, quam prior, nullus enim est religiosus, qui non existimet eo modo, quo obligatur per regulam, obligari ratione obedientiæ, quã promisit, cum tamen alia obligatio iustitiæ, vel fidelitatis humanæ non omnibus ita nota sit.

Secundo nihilominus assero, votum obedientiæ

9. *Votum obedientiæ nõ obligat sub mortali, nisi id in regula supponatur, aut exprimatur.*

non addere regulæ obligationem sub peccato mortali, nisi in regula ipsa, vel supponatur, vel exprimatur; in hoc dissentio ab Henriquo, & cum D. Th. sentio, est enim illa sententia Henrici nimis rigorosa & acerrima, reddit̃q; religiosorum statum magis pernicio-sum, quã securum. Explicatur autem priùs posterior pars in hunc modum, quia licet religiosus teneatur obedire Prælato, & regulæ, tũ ex vi sui status, seu traditionis, tum ratione voti obedientiæ; fieri tamen potest, vt in aliqua materia possit Prælatus obligare sub mortali, ex vi voti obedientiæ, exigendo obligationem eius, in qua non posset obligare per solã potestatem dominatiuam, quia obligatio voti sacratior est, & ideo aliqua materia respectu illius grauis est, quæ respectu hominis non esset grauis; sicut fidelitas ad Deum longe grauius obligat ex suo genere, quam ad hominem. Neque obligatio in ordine ad votum supponit necessario æqualem obligationem in ordine ad hominem: imò extra religionem in voto simplici obedientiæ, potest quis obligari sub mortali ad obediendum, quamuis alius non habeat alium titulum, aut potestatem ad præcipiendum; ergo licet in religione illam habeat Prælatus, nihilominus nõ repugnat in aliqua materia maiorẽ obligationem imponere posse ratione voti, quã ratione humanæ obligationis, sicut promissio iurata in aliqua materia obligabit sub mortali, in qua nuda promissio nõ obligaret. Et fortasse ob hanc causam quando Prælati volunt sub mortali obligare, vt certior sit obligatio, addunt illam particulam, *in virtute sanctæ obedientiæ*, per quam exigunt debitum ex voto.

10. Hinc ergo fit, vt votum obedientiæ dupliciter possit addere regulæ grauem obligationem. Primò, quia in ipsa exigitur expresse voti debitũ, per dictam particulam, vel aliam æquiualentem, si materia sit proportionata dictæ obligationi in ordine ad votum, etiamsi fortasse in ordine ad nudum præceptum hominis non esset sufficiens. Et quoad hanc partem res videtur cõmunis, & satis certa, ex vsu, & ex ratione facta. Vnde etiã obiter constat, & declaratus est vnus modus, quo votum obedientiæ potest addere obligationem grauem, vbi sola traditio aut pactum humanum ad illã non sufficeret. Quomodo potest etiã aliquando supetior in virtute obedientiæ p̃cipere obseruationem alicuius regulæ, quæ sub tali forma nõ obligabit, & ita potest addere obligationem sub mortali regulæ, quæ, vel ad nullũ peccatũ, vel ad solum veniale obligabat, si tamẽ materia sit proportionata, q̃ ideo addo, quia põt esse tam parua, vt etiã in ordine ad obligationem voti sit res leuis; tunc autem etiamsi à iure, vel ab homine addatur illa particula, *in virtute sanctæ obediẽtiæ*, nõ addetur in individuo obligatio sub mortali ob materiæ incapacitatem. Moraliter aũt loquẽdo, semper est grauiter timenda illa forma p̃cepti, quia satis indicat voluntatẽ superioris, & timenda est, nisi euidenter sit iniusta, & vltra potestatem. Alio modo põt p̃ceptum regulæ obligare ad mortale, q̃ materia eius in p̃prio genere est sufficiens ad talem obligationem, & de intentione, & voluntate p̃cipientis satis constat, etiamsi non addatur illa particula, *In virtute sanctæ obedientiæ*, sed ex alia declaratione, vel consuetudine religionis, vel q̃ ponitur p̃ceptum, sub excommunicatione maiori ipso facto incurrenda, &c. & tunc dico, p̃ter obligationem immediatam, q̃ ex illa regula, tanquam ex lege nascitur, adiũgi obligationem alterius speciei graue, & sub mortali ex vi voti, q̃ plane sensit D. Th. supra, & concluditur ex dictis, quia obiectũ obedientiæ est p̃ceptũ; ergo est etiam materia voti obedientiæ, sed præceptum de se obligans sub mortali, est satis graue intra obiectum obedientiæ; ergo etiam respectu voti obediẽtiæ est materia grauis: ergo transgressio voti in tali materia addit nouam malitiam mortalem.

Ex his ergo satis declarata, & probata est pars affirmans assertionis. Pars autem negatiua, seu exclusiua cõtraria ratione suadetur. Nam quoties transgressio regulæ, non est peccatum mortale, altero, ex duobus modis prædictis respectu voti obedientiæ, vel nulla læsio est, vel est in materia leui; ergo nõ potest illi addi malitia mortalis ratione voti. Consequentia patet ex supradictis de voto in communi, q̃ in materia leui non obligat sub mortali. Antecedens vero probatur, quia omne præceptũ obligans sub veniali, in ratione obiecti obedientiæ est leuis pars eius; imo iuxta sententiam D. Th. non meretur nomen præcepti, nisi secundum quid: ergo respectu etiã voti obedientiæ illa est materia leuis. Declaratur a. amplius in hũc modum, quia dupliciter contingere potest, regulam obligare sub veniali tantum; primo ex leuitate materiæ, quia in qua ob eam causam nõ potest superior obligare ad mor-

mortale, etiamsi velit obligare quantum possit. Secundo ex directa intentione, quia nimirum non vult grauius obligare etiamsi considerata materiæ qualitate possit id facere. Quando præceptum est prioris modi, constat materiã sub quacunq; ratione spectatam esse leuem, scil. secundum se, & vt cadit sub votũ ratione talis præcepti: supponimus enim non præcipi directe in virtute obedientiæ, seu directe exigẽdo obligationem voti, sed solum præcipi talem rem per propriam legem, ac præceptũ obligans ex se, in conscientia; quo posito statim sequitur obligatio voti; cum enim materia tam parua sit, vt lex, vel præceptũ humanum non possit circa illã obligare ad mortale, etiamsi ex parte legislatoris cum toto rigore proponatur, manifestum est etiam præceptum illud esse qd leue, in ordine ad votum obedientiæ, & quatenus est materia eius. Maius dubiũ esse potest de alio modo, quia in eo supponitur rem præceptam esse grauem; nihilominus tamen idẽ dicendum est, quia per hoc votum non ꝓmittimus facere hanc, vel illã rem, sed solũ seruare ꝓceptum; illud autem præceptũ quamuis sit de re graui, in genere præcepti, est tamen leue, ratione modi præcipiendi, & ideo semper in ordine ad votum obedientiæ illa materia leuis est, quia directe non exigitur ex vi voti, sed solum leuiter præcipitur, vt sic dicam, & cõsequenter, votum etiam obligat, vt tale præceptum seruetur, modo tamen ipsi proportionato, atque sub leui culpa.

12. *Votum obedientiæ obligat sub veniali ad totum ſuum regulabile.*

Tertio dicendum est, si regula ex se, quatenus est ex iurisdictione, vel potestate dominatiua, obligat sub veniali, vel ratione materiæ, vel ob intentionem præcipientis; tunc votum obedientiæ adiungere illi obligationem aliã etiam sub veniali licet sit altioris speciei, seu contra nobiliorẽ virtutem. Hæc assertio sequitur ex præcedentibus; negari enim non potest quin votũ obedientiæ addat aliq̃ obligationem tali regulæ, quia participat veram rationem præcepti, cuius obseruatio per hoc votũ promissa est, vt patet ex prima assertione; sed hæc obligatio respectu talis regulæ, non est sub culpa graui; vt ex secunda assertione constaterit ergo sub veniali Declaraturq; præterea in hunc modum: nam dupliciter potest obligare votum obedientiæ ad obseruantiam regulæ. Primo, quia in ea directe, & expresse exigitur promissio voti, & tunc iam dictũ est, regulariter votum addere obligationem mortalem, nisi materia sit adeo leuis, vt ẽt votum directe emissum de illa facienda non obliget ad mortale, & tunc etiã nihilominus constat votum obedientiæ directe obligare, saltẽ sub veniali ad obseruationem talis regulæ, quia leuitas materiæ nõ tollit omnino obligationẽ, sed minuit illã. Secũdo obligat hoc votum ad executionem regulæ, cõsecutione quadam, vt sic dicã, quia sc. ponitur materia, seu conditio necessaria, qua posita vrget obligatio voti. Vt si quis voquisset seruare omnia ꝓcepta Ecclesiæ, & nunc poneretur ꝓceptum de nouo ieiunandi in vigilia Epiphaniæ; votum illud statim adderet nouam obligationem religionis ad ieiun j obligationẽ, non quia præcipiens directe, exigat obligationem voti, sed qa præceptum ipsum est materia talis voti. Ita ergo in ꝓsenti est. Religiosus enim per votum obedientię promittit seruare omnia præcepta suæ religionis, siue ab homine, siue iure lata, vt ostensum est, ergo eo ipso quo præceptum ponitur, insurgit obligatio voti, etiamsi directe nõ exigatur; sicut ergo posita regula obligandi ad mortale, votũ addit suam obligationem sub mortali, ita etiam posita regula obligandi sub veniali, votum addit obligationem sui generis; quia etiam illud præceptum est materia eiusdẽ voti; tamen quia materia parua est, culpa etiam contraria erit leuis, contratia tamen virtuti religionis, atq; ideo pertinens ad altiorem speciem vitij, scilicet sacrilegij.

Dico quarto, quando regula de se non obligat ad culpam mortalem, vel venialem, votum obedientiæ neutram obligationẽ illi adiungit intra suum ordinem, seu ex virtute Religionis. Hanc conclusionem ꝑcipue intendit D. Th. dicta q. 186. a. 9. ad 1. & quodlibet. 1. q. 9. a. 20. Nec fortasse aliud voluerunt Palud. supplementum, & Antoninus locis citatis. Ratio aũt est, quia illa regula vt sic, non est materia voti obedientiæ, quia vt sic non est verum præceptum; obiectum autem obedientiæ est præceptum, vt docuit D. Th. 1. 2. q. 104. & infra latius dicemus tractando de obedientia societatis. Votum a. non addit obligationem, nisi suppositа sua materia; ergo. Declaratur à simili in mandatis Prælatorum, quando enim aliquid ordinant faciendum, nullam volentes in conscientia obligationem ponere, illud prętermittere p se, & secũ uso contemptu, nõ est contra votum obedientiæ, nec mortaliter, nec venialiter, quia illa ordinatio no est verũ præceptũ, nec simpliciter, nec secundũ quid, ergo similiter in præsenti. Hoc n. maxime obseruandum est, ꝙ præceptum obligans sub veniali, licet sit secũdum quid cõparatione alterius; nihilominus est verum, & proprium præceptũ sufficiens ad honestatem, exercitium, & obligationẽ virtutis obedientiæ; illa enim duo nõ repugnant, sicut accidens est ens secundum quid, & tamen est verum ens: regula autem, quæ per se nullã obligationem inducit in cõscientia, vt sic, non potest dici verũ præceptum, etiam secundum quid, & violans illã per se non agit contra obedientię virtutẽ; ideoq; non est materia voti obedientiæ, & ideo ex tali voto, non accrescit illi aliqua obligatio in conscientia, etiã venialis. Deniq; confirmatur, quia hæc est intentio authorum talium regularũ, quãdo ipsi declarãt, nõ esse intentionis suæ obligare ad mortalẽ, aut venialem culpã, volunt enim excludere etiam illã, q̃ ex voto obedientię posset ꝓuenire, ꝙ in potestate eorũ est, qa possunt præcipere, & non præcipere, sed simpliciter ꝓponere voluntatẽ, seu cõsilium suum, ꝙ longe diuersum est, vt patet ẽt in simplici mandato ab homine, de quo eadem est ratio.

13. *Quando regula ſub nulla culpa obligat, neque etiam votum.*

Ex quo infero conclusionem positam habere locum non solum, quãdo fit votum obediendi secundum regulam, seu de conuersione morum iuxta regulam; sed etiã si fiat votum seruandi regulam, dummodo intelligatur fieri obedientiæ votũ. Duas priores partes ponit expresse D. Tho. locis citatis, & illas censet in re æquiualentes, sicut supra diximus, quãuis magis probet modũ vouendi obedientiam secũdum regulã, quia videtur cautior ad tollendos scrupulos circa obseruationem regulæ, sed cum de re cõstet, non maiorem obligationem ex vno modo vouendi, q̃ ex alio oriri, parum refert diuersitas vocum; de quibus vouendi formulis infra iterum occurret sermo. De vltima vero parte videtur D. Tho. in dicto quodlibeto aliter sentire, dicit enim, *quod si re igiosus profitendo voueret se regulam seruaturum, videretur se obligare voto ad singula, quæ continentur in regula, & sic contra quodlibet eorum agendo peccaret mortaliter*: ob hanc vero causam putat in nulla religione fieri hoc votũ, quia esset in laqueum potius quam in subsidium; & similiter in alio loco 2. 2. dicit, *qui profitetur regulam, non vouet seruare omnia, quæ sunt in regula, sed vouet regularem vitam.*

14. *Quid, ſi fiat votum obediendi ſecundum regulam, & votum ſeruandi regulam.*

Veruntamen in re, vt existimo, non est diuersitas: non est enim dubium, quin præter votũ obedientiæ possit intelligi votum obseruandi regulam immediate ad hoc obligãs, siue in illa obseruantia intercedat vera ratio obedientiæ, siue non, quod votum ex hac parte generalius est, quam votum obedientiæ, sicut votũ faciẽdi, qdquid alius dixerit, aut voluerit honestũ, latius est, q̃ votũ obediẽtiæ. De tali ergo voto seruãdi regulã verum est, quod si fieret, adderet obligationem

15.

tionem in conſcientia, etiam illis regulis, quæ per ſe nullam afferunt, quia vere & propriè caderet in illas tanquam in partem materiæ ſuæ. Imo addit D. Tho. fractionem cuiuſcunque regulę, tunc futurum fuiſſe peccatum mortale, id autē intelligo ex genere, nam ex leuitate materiæ, etiā tunc poſſet eſſe veniale peccatum, ſicut in fractione alicuius voti. De facto autē certum eſt non fieri tale votū in profeſſione religioſa: quia ſolum fiunt tria vota, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Supponendo ergo votum, quod poteſt obligare ad regulam, ſolum eſſe votum obedientiæ, dicimus, ſub quacunque verborum forma fiat, nō addere obligationem, niſi regulæ, vere ac propriè præcipienti, quia ſolum circa illam verſari poteſt propria obedientia, & cum proportione ad modum obligationis, vt explicatū eſt. Vnde licet forma vouendi ſit obediēdi regulæ in omnibus, ibi includitur diſtributio accommoda, ſcilicet obediēdi in omnibus, in quibus vera obedientia interuenerit, ſeu locū habuerit. Quod ſi forma ſit, voueo ſeruare regulam, per intentionem vouentis limitandus eſt, verborum ſenſus, quia intentio ſolum eſt vouēdi obedientiam, & ideo ſolum promittitur obſeruantia regulæ, quatenus ad obedientiam neceſſaria eſt.

16. Eſt autem animaduertendum hanc concluſionem intelligendam eſſe formaliter de regula, quatenus in conſcientia non obligat. Quod ideo dico, quia nulla eſt propria regula religioſa, quæ licet ad immediatū ſtatum, de quo ſtatuit faciendum ne ſit, an omittendum, non obliget in conſcientia, non poſſit tandem reuocari ad aliquam obligationem in conſcientia, quat nus tranſgreſſorem ſubijcit pœnæ, ſeu diſciplinæ regulari, ad quam ſuſtinendam poteſt quis in cōſcientia obligare, nam hic ſaltem modus obligationis in omni lege neceſſarius eſt, vt in ſequenti tractatu magis explicabimus. Si ergo occaſione talis regulę, & tranſgreſſionis eius religioſus tandem compellatur pœnam ſuſtinere, vel ſatisfactionem aliquā exhibere pro tranſgreſſione regulæ, tunc ſicut non poteſt in conſcientia reſiſtere, quia ad hoc ſaltem obligatur ex vi regulæ, ita quoad hoc votum obedientiæ, habet ſuā obligationem, qa iam ibi habet locū materia eius. Et ita etiā ſeruari poteſt illa forma, vouendi obſeruantiam regulæ, vt in omnibus habeat locum cum proportione, quatenus in conſcientia obligat, vel ad hanc obligationē aliquo modo reſoluuntur.

*Regula religioſa ſaltē ratione pœnæ, & diſciplinæ regularis obligat in conſcientia.*

17. Tandem ex dictis intelligi poteſt, quod ſicut tranſgreſſio regulæ, etiam quatenus non obligat in conſcientia, eſt imperfectio quædam virtutis obedientiæ, quia non ſe extendit ad id quod eſt optimū, magiſq; decens in tali ſtatu, ſecundum talem virtutem, quale eſt conformari non ſolū præcepto, ſed etiā ſimplici voluntati ſuperioris; ita etiā eadem tranſgreſſio in viro religioſo eſt imperfectio intra virtutem religionis, & voti, quia licet ſimpliciter non frangat promiſſionē, deuiat aliquo modo à perfectiori obſeruatione eius, & diſponitur aliquo modo, vt facile poſſit illam rumpere, ſaltem in leui aliqua parte eius.

*Non obſeruare talem regulam eſt imperfectio in voto*

18. Ad fundamenta primæ opinionis. Primum veriſimile non eſt. Auguſtinum per illa verba, quæ ponit in principio ſuæ regulæ, *Hæc ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus in monaſterio conſtituti*, voluiſſe proprium, & rigoroſum præceptum de omnibus, & ſingulis, quæ in regula continentur, tradere, cum multa, & minutiſſima conſilia, tam ad actus internos, quam externos pertinentia, in ea contineantur; ſed more paterno videtur verbo præcipiendi vſus. Deinde conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, ita rem hanc interpretata eſt, cui in ſingulis religionibus ſtandum eſt, vt tractatu ſequenti latius videbimus. Ad rationem ergo concedo regulam eſſe materiam voti obedientiæ, tamen cum proportione ad obligationem, quam ex ſe affert, vt explicatum eſt. Nego tamen perinde eſſe vouere obedientiam regulæ, ac vouere immediate actum, de quo regula diſponit, quia hoc poſteriori modo promittitur actus ſecundum ſe, & ideo ab illo vt ſic accipit obligatio voti augmentum, aut diminutionem; priori autem modo ſolum promittitur, quatenus alias præceptum eſt, & ideo ſolum additur obligatio iuxta proportionem ipſius præcepti, vt explicatum eſt. Ad cōfirmationem de hoc propoſito vniuerſali, non ſeruandi regulam in omnibus, ad quæ ipſa per ſe ſpectata in conſcientia non obligat, controuerſia eſt an ille actus ſit peccatum mortale, necne, quæ pertinet ad tractatum ſequentem. Nunc ſolum aſſero, ſi actus ille aliunde peccatum non eſt, ratione voti obedientiæ non eſſe peccatum, quia ſi peccatum non eſt, contra nullum præceptum ſuperioris eſt, nec etiā eſt ſpecialiter prohibitū, ſub virtute ſanctę obedientię non habere talē actum, ergo non habere illum in rigore non eſt materia vōti obedientię. Si autem ille actus eſt peccatum ratione obligationis regulę, erit etiam cōtra votū obedientiæ, iuxta proportionem explicatā in ſuperioribus aſſertionibus, & ita confirmatio illa nihil ad præſens refert.

Ad fundamenta ſecundæ ſententię nihil reſpondere neceſſe eſt, quia ex dictis ſatis declarata eſt, & ad doctrinam à nobis traditam accommodata. Solum ad vltimam inſtantiam negandum eſt, votū obedientiæ obligare ſimpliciter ad ſeruandas eas regulas, quę alias non obligant in conſcientia. Et ſub hac ratione concedendum eſt, tales regulas ſic ſpectatas nō eſſe materiam huius voti; & differentia inter illas & reliquas clara eſt, quia non includunt rationem præcepti, quomodo autem poſſint aliquo modo participare obligationem huius voti, iam eſt explicatum. De tertia vero ſententia nihil amplius dicere neceſſe eſt. 19

## Caput VIII.

### *Vtrum votum obedientiæ religioſæ obliget ad parendum ſuperiori in quacunque honeſta materia.*

1 Materia duplex diſtingui poteſt, remota, & proxima, in præſenti ergo materia proxima voti obedientiæ eſt præceptum ſuperioris, remota ergo dicetur res omnis, vel omnis actus, de quo poteſt ſuperior præcipere. De priori igitur materia ſufficere videntur, quę hactenus dicta ſunt, explicatum eſt enim quodlibet præceptum ſuperioris, ſiue detur per modum legis, ſiue tātum vt perſonale imperium; ſiue obliget ſub mortali, ſiue ſub veniali, eſſe materiā huius voti, vel grauem, vel leuem: ſupponit autem hęc materia, & præceptum ſit validū, alioqui non erit vera materia: explicandum ergo ſupereſt, quid ſit neceſſarium vt præceptū Prælati validū ſit, ita vt votū obliget ad obſeruationē eius. Duo a. (præter voluntatem ſcipiendi) ſunt neceſſaria ad valorē præcepti, ſcilicet poteſtas in ſcipiente, & materia capax præcepti, quę duo veluti correlatiua ſunt, quia vera poteſtas ſolum extenditur ad materiam capacē. Cum ergo certo conſtet in ſuperiore eſſe poteſtatē ſcipiendi, ad explicandā huius voti obligationē, ſolū ſupereſt declarāda dignę poteſtatis amplitudo, quæ ex materia pēdet, ſeu ex rebus, aut actibus pluribus, aut paucioribus, quos pōt ſcipere. Solū circa hanc poteſtatē ex parte ipſius aduertere poſſumus, in Prælato religioſo triplicē poſſe intelligi poteſtatē ad ſcipiendum, ſc. poteſtatē iuriſdictionis à Pōtifice datā, poteſtatē dominatiuā, q̄ habet ex vi traditionis, & poteſtatē prouenientem ex ipſo voto, eſt enim hæc, vt declarauī, diſtincta ab illis duabus, & abſolute, ac ſecundū ſe ſuperabilis ab illis, vt patet in puro ac ſimplici voto obediētię, quis obediētia religioſa cum illis ſemper coniunctaſit, & fortaſſe aliquā eatum, ſeu actum eius ſemper ſupponat

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tanquam proximam materiam, quod in sequentibus examinabimus. Nunc illud tãtum certum sit, ad obligationem huius voti obediẽtiæ ex parte potestatis Prælati satis esse, quòd præceptum valide procedat à quacunq; ex dictis potestatibus; nam quæcunque illarum sufficit, vt intercedat vera ratio obedientiæ; sed obedientia huius Prælati absolute & sine distinctione promissa est Deo: ergo quocunque titulo intercedat vera obedientia, in eam cadit obligatio huius voti. Solum ergo superest, vt explicemus quod in titulo propositum est, in quibus rebus teneatur obedire ex vi voti Religiosus: & consequenter quas possit Prælatus præcipere.

2. Supponimus autem vt certum solum res honestas posse ab homine præcipi sub honestis comprehendendo omnes actiones non malas, quę possunt ad finem honestum esse vtiles, etiamsi ex obiecto indifferentes sint; quia actiones prauæ sunt contra voluntatem & ꝓceptum Dei, cui obediendũ est potius quam hominibus, vt docuit Aug. serm. 6. de verb. Domini *c. quæsistis, c. non semper*, cum sequentib. 11. q. 3. de quo plura dicemus infra tractãdo de obediẽtia Societatis, & ibidem etiã explicabimus, an materia dubia circa honestatem, vel turpitudinẽ sit sufficiens. Nunc autẽ supponimus ex doctrina Augustini *c. quid culpatur* 23. q. 1. quidquid non satis apparet turpe, honestum reputãdum esse, si à superiore ꝓcipiatur, quia in dubijs melior est cõditio Prælati, tum quia ius suum poscit, tum etiam, quia ratio postulat, vt pro illo ꝓsumatur. Præterea tãquam certum assumimus omne id, quod verò constat esse contra regulam religionis, non esse materiam huius voti, etiamsi Prælatus tenter ea præcipere, quia tale præceptum non est verum, nec validum, quia excedit potestatem prẽcipientis; quę non est ad destructionem, sed ad ædificationem secundũ talem statum. Item, quia talia opera licet simpliciter mala non sint, supponendo q̃ regula non obliget ad culpam, in tali statu sunt imperfecta, & impeditiua maioris boni; ergo non sunt materia voti; ergo nec votum obedientiæ ad illa obligat. Atq; ita supponũt D. Th quodlib 1. a. 16. quodlib. 10. a. 10. & alij authores in hac materia cum: D. Bernardo in lib. de ꝓcepto, & dispensat c. 7. & recte exposuit Caiet. 2. 2. q. 104. a. 5 dicens hoc intelligi quando Prælatus non habet legitimam causam dispensandi, nam si hanc habet, iam non præcipit contra regulã. Denique, vt certum supponimus, ea omnia, quæ cadunt sub regula directe, vel reductiue, posse esse materiam huius voti, si præcipiantur; quod satis constat ex fine & forma talis voti, & à fortiori constabit ex dicendis.

Difficultas ergo superest, an ea etiam, quæ sunt supra regulam, quantumuis perfecta sint, pertineant ad materiam, & obligationem huius voti. Ratio autem dubitandi esse potest, quia obedientia religiosa est perfecta obedientia Euangelica, quam Christus consuluit; sed perfecta obedientia Euangelica non habet terminum magnitudinis (vt sic dicam) id est, respectu melioris, & pfectioris boni; ergo etiã obedientia religiosa extenditur ad omnia quantumuis perfecta, & obligatio voti, q̃ de tali obediẽtia fit. Maior probata est sufficienter in superioribus, vbi ostendimus statum religiosum esse à Christo institutũ, & sub cõsilio positum; quam ergo obedientiã Christus consuluit, illam promittunt religiosi, est ergo eadem perfecta obedientia Euangelica, & obedientia religiosa. Minor probatur ex verbis Christi, in quib. hoc consilium cõtinetur, iuxta Sanctorũ interpretationẽ; nam Matt. 16. ait Christus, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, & sequatur me*: vbi nomine abnegationis Patres obedientiã intelligunt, qa per Euangelicam obedientiam homo suam voluntatem, & iudicium alteri subijciendo seipsum abnegat. Sic Basilius regula 6. ex fusioribus. *Nihil est aliud* (inquit) *suiipsius abnegatio, nisi summa rerũ omnium vitæ superioris oblitio, atq; à suis ipsius voluntatibus recessio.* Nullã ergo voluntatem propriam relinquit perfecta obedientia Euangelica, alioqui quantũ ad id, quod relinqueret, non esset perfecta abnegatio sui. Et ideo Ioan. Climacus in gradu 4. de obedientia dixit, obedientiam esse animæ propriæ perfectã abnegationẽ. & S. Bonauent. in regula Nouitiorũ, c. 13. dixit hanc abnegationẽ fieri p obedientię subiectionẽ: & S. Th. opusc. 18. de pfectione vitæ spiritualis c. 10. ait: Sicut homo p paupertatẽ abnegat diuitias, & per castitatẽ corpus, ita per obedientiã abnegare seipsum, & animam suam: nihil ergo sibi proprium reseruat; ergo manet subiectus, & obligatus volũtati alterius, quoad omnia, q̃ prẽcipere voluerit, quantumuis pfecta.

4. In hac re loqui possumus de obedientia religiosa, vel abstracte, & præcise in ordine ad statum religiosum, vt sic, vel cõtractè, prout in singulis religionibus promittitur, ac seruatur. Prior consideratio est veluti de possibili, potestq; esse duplex. Vna est, quantum possit extendi obedientia religiosa in hac obligatione ad omne opus pfectionis quod præcipiatur. Alia est, quanta extensio sufficere possit ad votũ obedientiæ pro vero statu religioso, ac necessario. Postrema verò consideratio est magis de facto, sc. de voto obedientiæ, prout nũc fit in singulis religionibus; quantam extensionẽ ex parte obiecti habeat, & cõsequenter quantã perfectionem cõtineat, quantamq; obligationem inducat. Et hoc expediemus in præsenti capite, de altero verò puncto dicemus in sequenti.

5. *Votum obedientiæ obligat iuxta regulã tantum.*

Dico ergo ex voto obedientię solum teneatur vnusquisque religiosus obedire Prælato iuxta professionẽ suæ regulæ, id est, intra limites regulę, vt cõprehendit omnia, quæ ad perfectam illius obseruantiã, vel necessaria, vel conuenientia, aut vtilia esse possunt. ita explicuit materiam huius voti D. Bernard. lib. de prẽcepto, & dispensatione c. 7. vbi inquit, *Is qui profitetur spondet quidẽ obedientiam, nõ tamẽ omnimodã, sed determinatam secundum regulã.* Et infra. *Proinde si prof. sso secundũ illam regulã Abbas meus mihi aliud forte imponere tentauerit q̃ non sit secundum regulã, aut etiã quod non sit secundum ista instituta, verbi causa, Basilii, Augustini, Pacomii, quæ nã mihi quasi in hac re necessitas imminet obsequẽdi? Solũ quippe id à me posse exigi arbitror, q̃ promisi*, quod in c. 8. latius prosequitur, assignans terminos intra quos obligatio huius voti circumcluditur. Quanquã cap. 9. fateatur imperfectam esse obedientiam, quæ ad illos terminos coarctatur, quam sentẽtiam infra expendemus.

*Triplex obedientiæ genus.*

Idem D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. vbi triplicem religiosorum obedientiam distinguit, necessariam, perfectam, indiferetam, hæc tertia est, quæ ad illicita extenditur, perfecta, quæ ad omnia licita, etiamsi nõ cadant sub obligationem, necessaria verò, quæ ad votum pertinet. Hęcautem (inquit) solum extenditur ad ea, quæ ad vitam regularẽ pertinent, quia religiosi solum profitentur obedientiam, quantum ad regularem conuersationem, idem D. Thom. q. 186. art. 5. ad 4. & art. 9. ad 1. Idem sentit Vmbertus libr. 3. de eruditione Religiosorum c. 17. & S. Bonauent. in expositione regulę cap. 1. de obedientia Monachorum, ait habere hanc limitationem quod ad ea non extenditur, quæ regulam transcendunt, sentit autem non esse hoc generale omnibus religionibus, significatque in sua religione obedientiam obligare ad omnia, quæ non sunt saluti, nec regulę cõtraria, quantumuis pfecta sint, & inde concludit non omniũ Religionum obedientiam esse æque perfectam, quod licet verum sit quatenus vna regula potest esse strictior, vel vniuersalior, quam alia, nihilominus id q̃ diximus verum est, votum in vnaquaque religione obligare secundum regulam eius.

Ratio

6. Ratio autem à priori est, quam adducit Bernardus: nam votum obligat iuxta formam, & intentionem vouentis; sed in singulis religionibus non vouetur obedientia absolutè, & illimitatè, sed vouetur obedientia secundum regulam; ergo materia huius voti non amplius extenditur. Confirmatur inductione; nam si in ordine S. Francisci, de quo in particulari loquitur Bonauentura, religiosus præcipiatur perpetuò abstinere à carnibus, non tenetur obedire; & si mittatur ad Sarracenos, vel ad regiones Indotũ, vbi nulli sunt conuentus illius religionis, non tenetur in rigore præcepti obedire; vt in expositione regulæ adnotauit Corduba cap. 10. q. 2. & cap. 12. q. 2. & de Religiosis prædicatoribus idem dicit Ludouicus Lopez, de quo plura infra tractando de quarto voto professorum societatis. Denique communis doctrina Scholasticorum, tam Theologorum, quam Canonistarum, est, Prælatum nõ posse obligare religiosum ad ea, quæ sunt omnino supra regulam: ergo supponunt illam non cõprehendi sub voto obedientiæ. Antecedens præter authores supra citatos, docet expresse D. Th. quodlib. 10. a. 10. vbi addit in hac assertione conuenire omnes Doctores, quantũ ad ea, quæ sunt arctiora, quàm regula; quamuis in his, quæ sunt infra arctitudinem regulæ, aut æqualia regulæ, dicat esse varietatem, quando illa sunt extra regulam, non tamen contra illam; ipse autem concludit, etiam hęc non pertinere ad votum obedientiæ, nisi quatenus aliquo modo reducuntur ad regulam, cõferendo scilicet obseruantiam eius, quomodo etiam austeriora possunt præcipi, vt statim dicam. Idem sentit D. Antoninus 3. p. tit. 16. c. 1. §. 9. Gerson. 2. p. Alphab. 32. litera L. in fine, & Alphab. 34. liter. S. Alij Theologi frequenter in 2. d. 44. vbi specialiter Dur. q. 4. Alij in 4. d. 38. vbi supplementum Gabrielis q. 2. a. 3. Summistæ cõmuniter, verb. *Obedientia*, & verb. *Religio*. Syluest. *Religio* 6. q. 6. Nauar. in summa cap. 23. n. 39. & in comment. 3. de regularibus num. 12. ad 6. citant Antoninum in cap. *religiosus*, de electione in 6. Simile habet Felinus in cap. *Cum omnes*, de constitut. num. 8. citans Dominicum in cap. *ab exordio* 35. d. citat etiam glossam in regul. *quod omnes*. de regulis iuris in 6. quæ tamen oppositum dicere videtur, fortasse tamẽ loquitur in sensu infra explicando. Expressius hoc docet glossa in cap. *gesta* d. 74. & sumitur ex textu ibi, *Iustum est vt nemo ditescere compellatur inuitus*; vbi alia iura similia citat. Reliqui Doctores videri possunt in cap. *super eo*, de regularibus.

*Prælatus non potest obligare ad ea, quæ sunt supra regulam.*

7. Addunt tamen prædicti authores duos casus, in quibus hæc assertio communis limitari videtur, qui tamen si rectè expendantur, reuera limitationes non sunt. Primus est, nisi maior austeritas præcipiatur in pœnam commissi delicti; quod Antonin. Sylu. Nauarr. & ferè omnes aduertunt: Et ratio est clara, quia superior potest iniungere dignam pœnam; si autem nihil posset addere vltra ordinariam, & debitam austeritatem rerum, nulla esset pœna ratione delicti; ergo illo titulo potest sine dubio austeritatem augere, dummodo id faciat cum debita proportione ad delictum. Et ideo nõ est hoc supra regulam; quia ex vi illius subijcitur religiosus condignæ pœnæ; ergo obedientia secundum regulam includit obligationem parendi in hac pœna: nec disputandum nunc est, an possit religiosus delinquens ex præcepto obligari solum ad sustinendam passiue talem pœnam, non resistendo punienti, vel etiã ad agendum hoc, vel illud, quo se puniat, vel affligat, siue præceptum hoc imponatur per sententiam hominis, siue per sentẽtiam legis; quidquid enim sit de hac controuersia, quoad communes leges pœnales, seu forenses pœnas, quoad disciplinam religiosam, dubium nõ est, quin possint hęc præcepta religiosis imponi, quia non excedunt statum illorum, nec sunt nimis ardua, nec præter consuetudinem, aut intentionem cuiuscunq; regulæ.

8. Secundus casus est quando maior aliqua austeritas additur ad præcauendum in futurum. In quo dissentit Angelus verbo *Religiosus* n. 30. ait enim in eo casu solum teneri religiosum obedire, quando verisimiliter videt, non posse aliter vitare peccatum; tunc autem præceptum superioris non solum non est supra regulam, verum etiam nec vltra communem legem Dei. Verius tamen existimo, non solũ posse hoc titulo præcipi id quod per se erat necessarium ad vitandum peccatum, sed etiam aliquid amplius, quod ad maiorem cautelam religioso statui (qui securior, & sanctior esse debet) proportionatam ac decentem conferat. Quod tenet Sylu. supra; indicat etiam Corduba li. 4. q. 7. citans Archidiaconum, Dominicum, Cardinalem Alexandrinum, & Turrecrematam, qui etiam de Pontificijs legibus toti Ecclesiæ communibus loquuntur, quas dicunt obligare posse, licet dũriores appareant, si ad cautelam peccatorũ feruntur; ergo seruata proportione, multo strictius id fieri poterit in religioso statu. Fortasse etiam in hoc sensu loquuta est glossa, in c. *quod omnes*, de regulis iuris in 6. iuxta textum quẽ citat in c. vnico, de statu regularium in 6. vbi præcipitur monialibus clausura, etiamsi illã nõ voluissent, tanquã medium necessarium moraliter, ad religiosam castitatẽ, & decentiam fœminarũ. Vbi Ioannes Monachus, & Archidiac. notant, præceptum illud nõ posse dici supra regulam, sed secundũ regulam, quia est moraliter necessariũ, aut valde cõueniens ad seruanda ea, quę sunt maximè substantialia in regula: quod etiam Angelus supra fatetur. Ida. non potest ita intelligi, quod votum castitatis per se sumptum obliget Moniales ad clausuram; nam reuera non ita est, vt bene ostẽdit Nauar. comm. 4. de Regularibus n. 39. & sequent. tum quia olim sacræ Virgines profitebãtur castitatem sine clausura, imo etiã in proprijs domibus, vt in superioribus ostensum est ex Concilio Toletano IV. can. 55. & Concil. Carthag. IV. c. 11. & 104. tum etiam, quia votum castitatis ex eo q̃ sit solenne non inducit maiorem obligationẽ extensiue, (vt sic dicam.) Cõstat autem votum simplex castitatis non obligare fœminas ad clausuram: tum denique, quia ante Bonifacium VIII. eam nõ obseruabant moniales, quæ illã expresse non vouebant, & postea non fuit illa cõstitutio statim ab omnibus recepta, & ideo per Concil. Trid. Pium V. & Greg. XIII. illã constitutio amplius roborata est; satis est ergo, vt id quod de nouo præcipitur, sit valde conueniens ad voti obseruationem, & ita obligatio noua magis fundatur in voto obedientiæ, quam castitatis. Idem ergo dici debet de quolibet simili pcepto, siue totireligioni, siue singulariter vni pſonæ ex proportionata causa impoſito. Et ideo dixi hanc etiã non esse limitationem; quia sub obedientia secundũ regulã indirectè saltem comprehenduntur omnia, quæ ad obseruantiam regulę, vel aliorum præceptorum prudenter iudicantur expedire. Et hæc est ratio à priori huius assertionis; nam reuera si hæc iudicarẽtur omnino extra regulam, nulla posset reddi sufficiens ratio huius potestatis in Prælato Religionis.

Tertius casus potest addi, si religio ipsa edat constitutiones austeriores, quã antea haberet; nam poterunt Religiosi ad eas seruandas obligari, etiamsi in illa non consenserint, neq; secundum illã prius professi fuerint. ita tenuit Innoc. in c. *super eo*, de regularibus, dicens, ad hoc sufficere, vt maior pars religionis, i. e. capituli generalis consentiat, licet minor dissentiat, quem sequitur ibi Abbas n. 6. qui difficilius addit solum Prælatum posse hoc facere. *Nam quantumcunq;* (inquit) *durum præcipiatur per Abbatem, non valet Monachus resistere, dummodo id fit licitũ, & implebile.* Hæc vero

vero non est exceptio, sed destructio communis doctrinæ supra traditæ, quę ab ipso nullo medio probatur, & ideo verisimilis non est. Eandem sententiã sequitur glossa citata in dicta regula, *Quod omnes.* quæ consequenter ait posse Pontificẽ inuita tota religione eam obligare ad aliquã obseruantiã & austeritatẽ maiorem, quam professa sit. Quod ẽt videtur difficile, nisi reuocetur ad casum p̃cedentem, vt statim dicemus. Innocẽtius ergo probat suã sententiam, quia religiosus professus renuntiauit suæ propriæ voluntati, & promisit regulam illã seruare; ergo si religio augeat austeritatẽ regulæ, tenetur quilibet religiosus ex vi voti obedientiæ illã seruare. Dices, ergo simili modo poterit totam regulã, atq; adeo totam religionem mutare. Respondetur non esse similem rationem: nã totalis mutatio fieri nõ potest, sine consensu omniũ, & singulorum; quia nemo potest cogi ad mutandam religionem, quam professus est, præsertim sine culpa sua: & ideo talis mutatio ad singulos spectat, ac proinde iuxta regulam iuris, ab omnibus debet probari, quæ est communis resolutio in c. penult. de his quæ vi, &c. At vero quando mutatio non est totalis, sed augmentum quoddam, & perfectio intra latitudinẽ eiusdem regulæ, & instituti, videtur esse in potestate totius corporis illud augmentum facere, & sub materia voti obedientiæ illud constituere, & ad id satis esse, vt corpus consentiat, etiamsi non assentiantur singuli; satis autem consentit corpus, quando maior pars tale statutum habet.

10. Nihilominus contrariam sententiam tenet Angelus verbo *Religiosus* num 30. & fuit opinio aliquorum Canonistarum antiquorum, & refert Panorm. supra, quam etiam insinuat glossa, in dicto cap. *gesta*, & in te idem tenet Syluest. verb. *Religio* 6. q. 6. Cardin. Alex. cap. *ante triennium*, 31. d. supplem. Gab. 4. dist. 38. q. 1. art. 1. dub. 1. & quidem si hæc exceptio, seu tertius casus ita intelligatur, vt talis additio sit omnino extra regulam secundum se, & in sua integra obseruantia sumpta, & ad illam non sit necessaria, nec per se conducens, sed solum ad maiorem austeritatem, vel perfectionem in genere, sic censeo, veram hãc posteriorem sententiam propter fundamentum positum, q talis austeritas, vel perfectio, quæ non est contenta, sub materia illius voti, non potest augeri, vltra intentionem vouentis, nisi saltem virtute, & indirecte, sub illa contineatur, quod in prædicto casu non obseruatur. Confirmatur, ac declaratur, nam si Prælatus etiam cum maiori parte Capituli vellet, per particulare præceptum illud onus imponere tali, vel tali religioso, non posset, iuxta doctrinam Bernardi, & D. Thom. supra datam, nam quoad hoc non est maior potestas in Prælato cum Capitulo, quã sine illo, quia totum pendet ex limitatione voti, extra quod nullus potest præcipere ex vi obedientiæ. Ergo simili ratione non potest Prælatus, cum maiori parte Capituli generalis per statutum perpetuum imponere hoc onus illis religiosis, qui sub voto suo nullo modo illud comprehenderunt, quia non est maior potestas ad præcipiendum vno modo quam alio, neq; omnibus, quam singulis. Vnde confirmatur vltimo, quia etiam hîc habet locum illa regula, *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*: illa enim noua austeritas ad singulos pertinet, quia à singulis seruari debet, & secundum se spectata est res consilij, & non præcepti, vt supponimus, & non fuit vllo modo promissa: ergo nulli potest sub necessitate imponi, nisi de consensu eius.

11. Atque hæ rationes procedunt etiam in Summo Pontifice si præcise consideretur, vt supremus Prælatus religionis habens vim præcipiendi fundatam in voto obedientiæ, &c enim militat eadem ratio, quod eius præceptum non possit extendi vltra materiam voti, & intentionem vouentis. Secus autem erit si Pontifex in virtute suæ primariæ iurisdictionis, aliquid præcipiat, nam hæc potestas maior est; & quamuis absolute loquendo, non possit omnib. Christianis præcipere ea, quæ ex se sunt opera supererogationis, & consilij, tamẽ suppositio statu alicuius religionis, quæ ex institutione sua non habeat, nec profiteatur aliquam obseruantiam, in exteriori habitu, vel in Dei cultu, vel in austeritate, aut ministerio, vel actione, poterit interdum illam statuere, si iudicet, vel ad vniuersalis Ecclesiæ bonum, vel ad maiorem decentiam talis religionis expedire, quod interdum videmus fecisse Pontifices, quamuis rato, & non sine aliqua violentia talis religionis, propter quam non solent talia præcepta multum durare, quamdiu vero reuocata non fuerint, timenda sunt, etiamsi duriora videantur.

12. At vero si talis austeritas aut noua obseruantia, nõ imponeretur sub præcepto omnibus iam professis, sed solum sub consilio pro his, qui illam velint accepta re, quamuis poneretur sub præcepto pro his, qui in posterum professionem emiserint, facilius posset talis additio fieri, non solum à Pontifice, sed etiam ab ipsa religione consentiente maiori parte Capituli generalis, etiamsi alij dissentiant. Sic enim talis constitutio nõ spectat ad singulos, vt singulos, cum nullus eorum cogatur illam obseruare, sed vt vniuersos, i. e. ad ipsum corpus religionis, vt sic, quod voluntariè acceptare potest aliquid pertinens ad maiorem perfectionem suam, & illud statuere eo modo quo magis expediat, ille autẽ modus est conuenientissimus, quia vt sit voluntarius corpori, satis est vt maior pars consentiat, & nulli fit violẽtia, quia iam professis solum datur consilium, qui autem postea profitentur, voluntariè statutum illud cum alijs acceptant: potest ergo talis additio optime fieri, etiamsi tãtum sit propter maiorem perfectionem, seu austeritatem.

13. Addo præterea regulariter talia statuta, seu additiones non fieri nisi quia prudenter iudicantur moraliter necessariæ ad perfectè seruandam primam institutionem, & regulam, nam humana prouidentia non statim à principio præuidet omnia commoda, vel incommoda ad aliquem finem, sed paulatim per experientiam addiscit multa, quæ conuenientia, vel etiam necessaria sunt: hac ergo ratione contingit, etiã in religionibus conuenienter addi nouum aliquem rigorem vt medium aptum ad consequendum scopum talis religionis, vel ad regulæ obseruantiam. Et iuxta hunc modum existimo procedere, & veram esse sententiam priorem communem. Sed tunc illa nõ est exceptio à generali regula supra posita, quia talis materia virtute, & indirectè, sub voto continentiæ continebatur, nam illud præceptum reuera est secũdum regulam, cum ad ipsius regulæ obseruantiã ordinetur. Tunc ergo tale præceptum fieri potest non solum à Papa quod clarũ est, sed etiã à religione, cum consensu maioris partis, quia illa habet potestatem præcipiendi secundum regulam: illud autem præceptum est secundum regulã modo declarato. Et quãuis præceptum illud pertineat ad singulos quoad obligationem, non est necessarius nouus consensus singulorum, quia sufficit consensus præstitus in ipsamet professione, cum tale præceptum non excedat terminos eius, vt ostensum est.

14. Statim vero occurrit frequens, & grauis dubitatio, an is qui professionem emisit in religione, quæ à rigore suæ primitiuæ regulæ multum remisit, possit postea, in virtute obedientiæ, cogi ad obseruandam regulam primitiuam, facta reformatione in ipsa religione, vel etiam antequam fiat. authores enim varie in hoc sentiunt. Quidam asserunt etiam non facta vniuersali reformatione, obligare posse aliquem ex vi

*Dubitatio, quo obligatio desinat ante, vel post reformationem religionis relaxata.*

voti vt seruet reglam, etiamsi propter relaxationem ab alijs non seruetur. ita sentit Angelus verbo Religiosus, n. 33. citans Innocentium, & Hostiensem c. *super eo*, de Regularibus; idem tenet Maior in 4. d. 38. q. 2. Fundamentum est, quia religiosus profitetur obedientiam secundum regulã, ergo si in regula cõtinetur, vt non comedantur carnes, v. g. potest ad id seruandum in virtute obedientiæ obligari, non obstante relaxatione, seu cõsuetudine, quia regulã professus est, non consuetudinem, quæ potius corruptela dicenda est. c. *cum tanto*, de consuetudine. Nec refert si quis dicat, huiusmodi religiosum non intẽdisse profiteri regulam, nisi prout illã inuenit, scilicet relaxatam; nam licet hoc fortè verum sit quoad intentionem expressam, non tamen quoad intentionem implicitam, & debitam, quæ satis est ad obligationem, cap. *ex parte*, de Regularibus.

15. Alij tenent ante reformationem non posse aliquẽ cogi ad seruãdam regulam quoad illã partem, in qua illam relaxatam inuenit: posse tamen ab ipsamet religione ad priorem formam restitui, & tunc consequenter posse etiam obligari quemlibet religiosum antea professum ad primitiuæ regulæ obseruationẽ. Prior pars huius sententiæ communis est, tenet Panorm. in dict. c. *super eo* n. 5. & in cap. *cum ad Monasteriũ* n. 18. referens consilium Cardinalis: item Abbas in c. *Deus qui*, de vita, & honest. Cleric. Cardinal. in cap. *cum ad Monasterium*, de statu Monach. Felin. cap. *nam concupiscentiam*, de constitut. & in c. *cum omnes* n. 8. eodem tit. Sylu. *Religio*. 3. q. 12. Nauar. in summa c. 12. n. 50. & Palarius in 4. d. 38. disp. 1. & inclinat Antonin. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 11. & 12. Secundam autem partem huius sententiæ tradit expresse Panormit. cum Innoc. in d. cap. *super eo*, eamq; à fortiori sequuntur Angelus, & Syluest. & Maior supra citati. Tertia vero sententia esse potest nec simpliciter negans, posse religiosum obligari ad obseruationem de reformatione primitiuæ regulæ acceptandam, quãdo inuenit eam relaxatam per consuetudinem præscriptam, quia non potest obligari ad illud obseruandum quod professus non est.

16. *Tres modi relaxationũ religiosa.* Distinguere autem oportet, qualis sit relaxatio vel mitigatio facta in regula. Triplex enim generatim loquendo, intelligi potest. Prima est, quæ & ab initio licitè facta est, & eodem modo perseuerat: huiusmodi est quando per dispensationem, vel priuilegio talis moderatio facta est: tunc enim potius hoc nomẽ meretur, quam relaxationis. Idemq; erit, si materia talis sit, vt tota religio possit illã moderari, eiusq; authoritate facta sit moderatio, vt si non sit in rebus substantialibus religionis, sed in accidentalibus. Secundo potest esse relaxatio consuetudine introducta, ita tamen, vt in principio peccauerint, qui talem consuetudinem introducere cœperunt, postea tamen ita pualuerit, vt habuerit vim derogandi contrarias constitutiones, consuetudo enim præscripta, dummodo non sit per se illicita, hanc virtutem habet aduersus legem, vel cõstitutionem humanam. Sunt autem in religionibus multæ obseruãtiæ, vel austeritates, quæ solum nituntur in lege positiua, & ideo derogari illis potest per contrariam consuetudinem, quæ licet illicitè inchoetur, quia tũc durat obligatio legis, postquam tamen introducta est conniuentibus Prælatis, sine culpa seruatur. Tertio potest esse relaxatio ita p se, & intrinsecè mala, vt nulla consuetudine præscribi, aut honestari possit. Huiusmodi aũt relaxatio solũ videtur habere locum in his, quæ sunt contra vota, q̃ in religione fiunt: suppono enim non esse sermonem de tanta corruptela, quæ sit cõtra præcepta communia: nam hæc non esset dicenda relaxatio religionis, sed corruptio vitæ Christianæ. Supposita autem obseruantia præceptorum communium, sola illa, quæ sub votis religiosis cadunt, videntur esse ita necessaria, vt contra illa non possit præualere totius religionis cõsuetudo: nam obseruare votum est de lege naturæ, ergo supposito voto, non potest consuetudine præscribi, vt liceat agere contra illam. Omnis autem alia obseruantia religiosa, quæ est extra votum, est ex sola constitutione humana, & ideo in ea non inuenitur tanta necessitas. Sub votis autem includere necesse est, non solum totam materiam voti secundum se, sed etiam prout in vnaquaque religione explicitè, vel implicitè, directè, aut indirectè promittitur, nam totum hoc cadit sub obligatione voti.

*Quã consuetudo deroget legi humanæ.*

17. Iuxta hos ergo modos relaxationis, diuersimode respondendum est ad dubitationem. Quando ergo moderatio priori modo facta est, existimo habere locum tertiam sententiam supra positam nimirum eos, qui post talem moderationẽ ingressi sunt religionẽ, non posse obligari ad primitiuam regulam, eiusq; rigorem obseruandum, neq; ante, neq; post reformationem. Prior pars per se euidens est, quia tunc, nec voto obligantur, cum factum sit secundum regulam legitime mitigatam, neq; ipsa regula cum nondum supponatur reformata, sed dispensata potius, vel derogata, ergo nec per Prælati præceptum obligari possunt, cum solum possit imponi secundum regulã. Secunda pars probatur, quia nemo põt obligari ad acceptandum, q̃ nec directe, nec indirecte vouit, sed ille non vouit talem rigorẽ regulæ, nec viuere, aut obedire secundum illũ, ergo non tenetur acceptare illã reformationẽ etiamsi fiat; ergo etiam post illã factã, non potest per obedientiam obligari ad vouendum secundum illam. Hæc a. posterior pars formaliter intelligenda est, sc. quando reformatio solum fit propter maiorem perfectionem, & rigorem, nam ad hæc nemo obligatur nisi supposito sufficienti voto. Aliquãdo autem fieri potest, propter obseruationem necessariam ad finẽ eiusdem religionis, etiam spectatæ in eo statu dispensationis, & tunc si reformatio fiat, obligari quis debet ad obseruãdam illam, quia tunc nõ est consideranda illa reformatio, vt reditus ad pristinam regulam, sed vt additio quædam moraliter expediens ad finẽ talis religionis, de qua iam supra diximus posse fieri, & indirecte saltem pertinere ad votũ obedientiæ secundum regulam. Atq; hoc modo potest contingere, vt post factam moderationem regulæ, etiam per dispensationẽ Pontificis experimẽto cognoscatur, talem dispensationem non solũ non esse vtilem, sed etiam esse ita nociuam, vt, ablato tali rigore per huiusmodi remissionem, non possint reliqua conuenienter obseruari, tunc ergo & Papa solus potest talem dispensationem auferre, vel etiam religio, si maiori ex parte consentiat, potest illi renuntiare, & se reducere ad pristinum rigorẽ, obligando etiã nouiter professos ad illum seruandum, qua hoc reuera, non excedit vim professionis eorum. Et quoad hanc partem habet etiam locum secunda opinio superius citata.

18. Quando autem relaxatio facta est secundo modo supra posito, censeo simpliciter procedere, & veram esse secundam opinionem supra citatam. Et in primis quod ante professionem non possit quis obligari ad seruandum rigorẽ antiquum contra præsentem consuetudinem, probatur, quia durante eo rerum statu, illa obedientia non est secundũ regulã, quia nunc nõ viget ea regula, sed derogata est, ergo non cadit sub tale votum. Præterea iuramentum de seruãdis statutis alicuius collegii non obligat ad seruanda statuta quæ consuetudine derogata sunt, vt est communis sententia, de qua videri potest Sylu. verbo *Iuramentum*, ergo similiter, &c. hinc etiam Panorm. in cap. *cum ad Monasterium*, de statu Monachorum n. 18. cum Cardinali, & aliis dicit in monasteriis monachorũ in quib.

est

est immemorialis consuetudo comedendi carnes, licitum esse eas comedere; etiamsi alias videatur p regulam prohibitum, nec constat, quo initio fuerit introductum; idemq; esse dicit de alijs regulis circa accidentalia religionis, quādiu non fit reformatio. Itē est optima ratio, quia regula debet esse communis, quamdiu autem non est facta reformatio, nemo pōt introducere regulam communem contra præceptā, & non prauam consuetudinem; ergò nemo potest durante illo statu obligari, ad obediendum secundū primitiuam regulam. Hoca. intelligendum est p se, & ex vi regulæ: nam si contingat alicui personæ particulari esse necessarium illum rigorem ad obseruantiam votorum, poterit quidem ei per obedientiam iniungi, sicut posset etiam, si nunquam fuisset in antiqua regula præscriptum; itaq; illud est per accidens, hic autem per se loquimur, & ita in vniuersum verū est stante tali consuetudine neminem posse obligari ad prædictæ regulæ obseruationem, idem autem est dicere stante consuetudine, & non facta reformatione.

19. Nihilominus tamen si fiat reformatio, existimo posse ad illam obseruandam obligari etiam illos qui ante reformationem professi sunt, vt eadem secunda opinio affirmat simul cum prima. Et ratio est, quia talis reformatio non est additio supra regulam, sed restitutio moraliter necessaria ad perfectam regulæ obseruationem; prauа autem consuetudo, seu illicitè incorrupta, licet habeat vim relaxandi obligationem regulæ, quamdiu illa durat, non tamen habet tantā vim, vt auferat religioni, vel Pontifici potestatem reformandi regulam, & auferendi huiusmodi consuetudinem; & ideo qui professus est talem regulam, etiam tempore relaxationis, virtute se subiecit his qui habent potestatem reformandi illam, & consequenter etiam reformationi, si fiat; nec debet quis excusari, propter ignorantiam, etiamsi sit homo simplex & idiota, quamuis oppositū censeat Hostiens. in summa tit. de voto, quia hęc ignorantia in p̄senti nō caussat proprium inuoluntarium, nam qui profitetur religionem, regulariter, & maximè secundum rectam rationem non intendit relaxationem, sed simpliciter illius regulæ obseruantiam. Atq; hoc supponit Pontifex in cap. vlt. de statu Monach. vbi reformationem præcipit fieri, *iuxta B. Benedicti regulam, & Euangelicā institutā, non secundum normā prauæ consuetudinis, quā quasi pro lege in quibusdam Ec. lesijs inoleuit.* Idem supponi videtur in duabus Clemētinis de statu monachorum. Accedit præterea, quod huiusmodi reformatio moraliter loquēdo necessaria est, ad finem talis religionis consequendum, & ad reliquam partem regulę p̄fectè obseruandam. Ad hoc etiam confirmandum adduci potest Concilium Trident. sess. 25. de reformatione ca. 1. de regul. de quo videri potest Nauarr. comm. 3. de regularibus num. 32.

*Non excusatur propter ignorantiam ab obseruantia reformationis.*

20. Vltimò censeo in hoc puncto, quando relaxatio est primi generis, tunc procedere, veramq; esse primā sententiam, quoad vtramque eius partem, cui non censeo contradicere authores aliarum opinionum. Ratio autē est, quia relaxatio, vel consuetudo nunquam potest prævalere contra substantialia religionis, nam est contra ius diuinum, & naturale, quia vota ipsa obligant ad obseruāda omnia illa quæ sunt de substantia religionis. Vnde si relaxatio fit in his quæ directè sunt contra votum, etiam secluso præcepto obedientiæ, manet semper obligatio ex vi illius voti, cui repugnat relaxatio. Si verò fit in his, quæ multum coferunt ad seruanda ea, quæ substantialia sunt, quāuis nihilominus semper ius in Prælato, vt ea præcipere possit, iuxta superius dicta, quæ confirmari possunt ex Clementina *Exiuit*, de verborum signific. Hīc aūt notanda est differentia inter votum castitatis, & alia duo quoad substantialem obligationem eorū. Nam votum castitatis religiosæ habet materiam fixam & certam, & æque vniuersalem, in qua non potest pati diminutionem propter quamcumq; corruptelam, quia erit, aut de re intrinsece mala, aut contra primā, & substantialem materiam talis voti, quæ est tutentia matrimonii (non agimus enim de militaribus religionibus) & ideo in hoc voto euidenter, & sine vlla limitatione procedit doctrina data, quoad materiā directam talis voti. Quoad media verò, quæ licet directe non cadant sub obligationem eius, conferunt tamen multum ad illius obseruantiam, seruanda etiā est regula superius tradita, quod nimirum hæc præcipi possunt virtute obedientiæ, non obstante quacunq; consuetudine, maximè si sint consentanea primitiuæ regulæ. In aliis autem duobus votis materia non est ita fixa, & æqualis in omnibus; vnde fieri videtur posse, vt consuetudine introducatur, aliquid contra tale votum, quod tamen prævaleat, & per cōsuetudinem licitum fiat, non quia per consuetudinē possit licere frangere votum, sed quia potest consuetudine fieri vt desinat esse materia voti, quæ antea erat. Vt, v.g. si in religione minorum nunc pertinet ad votum paupertatis non tangere pecuniam, vel in societate non accipere stipendium pro Missa, videtur consuetudine posse derogari, ita vt hæc desinat esse contra votum, sic enim putant aliqui relaxatam esse materiam horum votorum in militaribus religionibus; indicatq; Molin. tom. 1. de iustitia disp. 141.

21. Nihilominus censeo sola consuetudine non posse relaxari obligationem horum votorum, quoad propriam, & directam materiam eorum. Probatur, quia hæc relaxatio non potest fieri consequenter (vt sic dicam) id est, post votum factum: ergo nec antecedenter, id est, vt vota ipsa circa minorem materiam fieri intelligantur. Antecedens euidens est, quia consuetudo contra obligationem voti iam facti est contra ius diuinum naturale, & ideo non potest prævalere contra illud. Consequentia verò probatur, quia relig osus qui emittit professionem semper promittit materiam talium votorum, prout in regula præscripta est, ergo quantumuis priores religiosi violent vota sua, semper materia, quæ promittitur, eadē est. Dices iuxta intētionem profitentium post talē consuetudinem introductam, materiam talis voti nō esse illam quę est in regula, sed quę est in vsu. Respond. negando assumptum, nam intentio esse debet profitendi secundum talem regulam, prout actu obligare potest, non obstante consuetudine, vel potius corruptela: nam velle profiteri, & solum se obligare secundum illicitam consuetudinem, esset prava intentio, quæ præsumi non debet. Imò quamuis aliquis illam haberet, esset ex errore priuato, & non posset prævalere contra absolutam intentionē profitendi, secundum talem regulam, iuxta hanc ergo intentionem mensurāda superest materia talis voti, tali regula definita; & ideo semper hæc eadem perseuerat, non obstante aliorum abusu, & consequenter ad il am obligat tale votum. Quoties ergo relaxatio est substantialis, & in materia votorum, ea non obstante, obligatur quis ad obseruanda vota iuxta regulam. Et quidem si relaxatio sit circa materiam directam, singula vota obligabunt immediate, & respectiue in propriis materiis. Si autē solum sit circa res, quæ indirecte pertinent ad obseruationē alicuius voti, vt est, v.g. clausura monialium respectu voti castitatis, immediate non cadent sub obligationem votorum, sed solum mediante præcepto superioris, quod semper poterit imponi in virtute voti obedientiæ. Atq; hoc confirmat citatum decretum Concilij Tridentini, vbi statuit, vt in vnaquaq; religione disciplina religiosa in-

*Conclusio. Vota ex ipsorum non relaxantur sola consuetudine.*

*Obiectio.*

*Diluitur.*

*Differentia inter vota substantialia, & alia.*

ſtauretur ſecundum regulam, tam quoad eſſentialia vnicuique, quam quoad pertinentia ad communem vitam, & ſuperiores Monachi, vt omnino curent ne ab his inſtitutis recedatur. *Cum compertum ſit* (inquit) *ab eis non poſſe quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxare.* Eadem ergo ratione nulla conſuetudo contra hæc ſubſtantialia prævalere poteſt.

## CAPVT IX.

### *Virum perfecta obedientia Euangelica requirat vniuerſalem materiam ſine vlla regulæ limitatione.*

1. HÆc quæſtio proponitur ad reſpondendum aliijs dubitationibus, & obiectionibus propoſitis in ſuperiori capite. Dicēdum ergo primo eſt, obedientiam Euangelicam, vt perfectiſſima ſit, ampliſſimam eſſe debere, & aliquo modo ad omnia perfecta ſine limitatione extendi. Hanc aſſertionem probāt, quæ in principio capitis præcedentis ex Euangelio, & conſilijs Chriſti Domini adduximus. Sumitur etiā communi modo loquendi Sanctorū Patrum in hac materia, quos ex parte ibi citauimus. Quibus addi poſſet Baſilius in regula 8. ex fuſioribus, vbi expendens illa verba Lucæ 14. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, inquit, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus rem ad ſummum prorſus faſtigium perducit, nempe odium animæ, & ſuimet ipſius abnegationem*; & homil. 2. de inſtitutione Monachorum, ad perfectionem obedientiæ pertinere dicit, vt neq; illa etiam, quæ laudabilia ſunt, ſine approbatione ſuperioris fiant; idem late in Conſtit. Monaſtic. c. 20. Idem ſumitur ex Gregorio hom. 20. in Ezech. circa finem, vbi hac ratione dicit, perfectam obedientiam eſſe holocauſtum, & non tātum ſacrificium, quia nihil ſibi reſeruat, ſed totum Deo offert: idem lib. 1. Regum, cap. 2. Hoc etiam ſentit D. Bonauent. quando in opuſculo de proceſſu religionis lib. 6. c. 27. triplicem obedientiam diſtinxit, ſpiritualem, quæ debetur Prælatis Eccleſiæ, ſecundū eius leges, & canones; ſpiritualiorem, qualis eſt illa quæ propria voluntate promittitur alicui perſonæ, vel religioni cum limitatione ad certam materiam, vel regulam, & ſpiritualiſſimam, quæ ſine limitatione promittitur ad omnia, quæ non ſunt contra animam, & talem regulam. Vnde indicat Bonauentura aliud eſſe promittere obedientiam tantum ſecundum regulam, aliud verò promittere in omnibus quę non ſunt contra talem regulam, nam prior obediētia poſitiuè (vt ſic dicam) limitata eſt ad regulam, & ideo iudicatur à Bonauentura minus perfecta, poſterior autem obedientia ſolūm negatiue ſe habet, non admittendo aliquid cōtrarium regulæ, & ideo ſpiritualiſſima, id eſt, perfectiſſima iudicatur. Vnde cap. 28. ſubdit, tertium & perfectum gradum obedientiæ eſſe ex ſola directione Dei, non tantum voluntarie, ſed etiam cum gaudio obedire, non ſolum ad facilia, ſed etiam ad difficilia, atq; dura, etiam ad mortem, & infra cōcludit, de hac obedientia Dominus ſpecialiter dicit, *ſi quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, ſemetipſum abnegat, qui ſuiturio eſſe recuſat, & totus ſe alterius arbitrio ſubmittit propter Chriſtum, ſi.ut Chriſtus non venit facere voluntatem ſuam, ſed Patris.* Similia habet in expoſitione regulæ Minorum cap. 1. vbi inter alia dicit altiorem eſſe obedientiam, qua tenentur alicuius regulæ profeſſores, nihil reſpuere niſi ſit ipſi regulæ contrarium, vel ſaluti, directe, vel indirecte. Et infra. *Qui nihil tibi obedientialiter impoſitum poſſunt reprehendere, quaſi tranſcendens ſuam regulam, niſi vergat in ſuæ animæ detrimentum*; vnde concludit errare eos, qui dicunt, quòd in omnibus religionibus obedientia ſit æqualis.

*Triplicem obedientiæ gradum diſtinguit.*

2. Ratione probatur concluſio, quia ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis, ad magis, ſed abnegare propriam voluntatem per obediētiam conſiſtens eſt bonum, & pertinet ad perfectionem, ergo quo maior fuerit hæc abnegatio, eo erit obedientia perfectior, & conſequenter illa erit perfectiſſima, q̄ ſine limitatione ad omnia extēditur. Dices, illud axioma non habere locum in his, quæ in quadā moderatione conſiſtunt, vt ſunt virtutes, & ideo non ſequi illā generaliſſimam obediētiam eſſe meliorem, quia fortaſſe non eſt proportionata humanæ poſſibilitati, & fragilitati. Quod explicatur à ſimili de paupertate, nam licet relinquere omnia conſilium perfectionis ſit, nō propterea maior paupertas eſt ſemper melior, niſi ſit etiam proportionata fini, vt ſupra vidimus. Sic ergo de obedientia dici poteſt: nam illa etiam ordinatur ad finem perfectionis, & in vnaquaq; religione ordinatur ad finem eius; ergo non illa obedientia erit perfectior, quæ fuerit vniuerſalior ex parte materiæ, ſed quæ fuerit ordinata ad altiorem finem, & illi magis proportionata. *Obiectio.*

Sed contra hoc roboratur ratio facta, quia obedientia ſi non ſit contraria bonis moribus, aut regulæ, quo fuerit vniuerſalior, eo erit & in ſe melior, cæteris paribus, & magis conferet ad finem perfectionis; nec poteſt eſſe improportionata propter exceſſum. Ergo ſi fuerit generalis, & ſine vlla limitatione, erit perfectiſſima. Antecedens declaratur, adnotando inprimis differentiam inter paupertatem, & obedientiam; nam paupertas non habet ex obiecto propriam honeſtatem, propter quam pertineat ad perfectionem, ſed ſolum ex fine religionis ad tollenda impedimenta pfectionis. Obedientia autem per ſe, & ex obiecto habet propriam honeſtatē, quæ cernitur in ſubiectione propriæ voluntatis ad voluntatem alterius vicem Dei habentis, & ideo licet paupertas ſolum conferat ad perfectionem iuxta proportionem ad extrinſecum finem, obediētia autem non tm̄ iſto modo, ſed etiam per ſeſe, quia in ſe continet rem perfectiſſimam, & gratiſſimam Deo, & ideo quo maior illa fuerit, etiam extenſiue, eo melior erit, ſi cætera ſint paria. *Ratio.* *Diſſimilitudo inter obedientiam, & paupertatem.*

Deinde obſeruo in omni obedientia humana neceſſariam eſſe duplicem limitationē iam inſinuatā. Vna eſt, vt non ſit de rē mala, ſiue intrinſece, ſiue ex præcepto, aut prohibitione ſuperioris Prælati, contra quem non poteſt prævalere præceptum inferioris Prælati, quæ conditio certiſſima eſt, & ſatis nota, de qua plura dicemus infra explicando inſtitutū Societatis. Altera conditio eſt, vt materia obedientiæ non ſit contra regulam, & ſtatum, quem quis profitetur. Quam poſuit Bonauentura, etiā loquendo in genere de pfectiſſima obediētia Euangelica, & de ſtatu perfectionis vt ſic. Et eandem videntur ſupponere Bernar. D. Th. & alij relati ſect. præced. Ratio vero eſt, quia ad perfectionem huius vitæ pertinet, vt homo habeat firmum aliquem ſtatum, quem profiteatur, in quo tendat ad deſtinatum aliquē ſcopum, quo mediante perfectionem conſequatur: neceſſarium eſt ergo ad perfectionem, vt obedientia, quam quis promittit, ſit cōſentanea, & ſaltem non contraria ſtatui, & fini, quem profitetur: nam ſi illi repugnet, vel deſtruet ipſum ſtatum, vel impediet potius progreſſum perfectionis, quàm promoueat. Item quia oppoſitū inuoluit obligationes repugnantes, nam profeſſio ſtatus ſecum affert obligationem ſeruandi leges eius, & per eas tendendi in finem eius; ergo obedientia q̄ tendat in deſtructionem talis ſtatus, repugnando regulæ eius, non poteſt eſſe materia perfectionis. Hæc ergo duplex moderatio neceſſaria eſt in omni humana obedientia, per quam ad perfectionem tenditur, quia per priorem tollitur impedimentum malitiæ, poſteriorē autem tollitur impedimētum pfectionis. Per hæc autē duo ſufficienter conſtituitur obediētia *Duplex moderatio obedientiæ humanæ.*

in

in medio, seu mediocritate, vt nō possit per excessum in ea peccari. Sic ergo explicata vniuersalitate obedientiæ, eò sine dubio perfectior est obedientia, quò fuerit vniuersalior; ergo quæ fuerit vniuersalissima, erit etiam perfectissima ex obiecto suo.

1. Perfectio obedientiæ ad actus externos, quatenus extenditur.

Atq; hinc sequitur primò, perfectam obedientiā Euangelicā non solum in exteriores actus, sed etiam in interiores cadere posse. Probatur primò ex dicto principio, quia talis obedientia vniuersalior erit, & non excedit capacitatem, seu proportionem humanam, quia vnus homo dirigi potest ab alio, etiam in actibus interioribus intellectus, & voluntatis, tum, quoad specificationem, seu modum illorum, tum etiam, quoad exercitium. Quod patet, tum quia in illis actibus maximè consistit vita contemplatiua, quæ ad perfectionem in primis necessaria est: potest autem vnus homo alium instruere, quomodo interius meditandum, aut cōtemplandum illi sit, quā vocamus instructionem, quoad specificationem: potest etiam iniungere vt tali, vel tāto tempore exercitio cōtemplationis incumbat. Sic ergo pōt homo homini subdi, quoad directionē actuum internorum. Tum etiā quoad moderationē internorum affectuum, quæ ad pfectionem summè necessaria est, & nō solum requirit exteriora media, sed ēt interiora, ergo in vtrisque potest homo homini subijci per obedientiæ votum. Estq; hæc subiectiō cōsentanea fini obediētiæ Euangelicæ: nam vt docuit D. Th. 2.2.q.186. art. 5. in tantū hæc obedientia est necessaria, in quātum homo tendens ad perfectionem indiget ab alio institui in his, q̄ ad perfectionem ptinent. Sed in his principem locū habent interiores actus, vt declaratū est, ergo. & confirmatur: nam obedientia est perfectum holocaustū, per q̄ homo se immolat Deo, vt dixit Greg. hom. 20. in Ezechielem, ergo vt sit omnino perfectum, nō solum exteriores, sed etiam interiores actus Deo specialiter immolat, subijciendo illos superiori. Imò in hoc maximè excedit votum obedientiæ alia duo, q̄a non solum res exteriores, sed etiam interiorem voluntatem Deo offert, vt dixit D. Th. dicta q. 186. a. 4. Neq; obstat, q̄ obedientia humana non se extendit ad actus merè internos, teste D. Th. 2.2.q.104.a.5. illud enim verum est de obedientia necessaria ex vi legis, seu præcepti, quod ex iurisdictione, vel naturali, aut coacto dominio in hominem nascitur, vt in materia de legibus latius tractatum est. Non verò est eadem ratio de obedientia, quæ nascitur ex voluntaria promissione hominis, nam ipse pro suo arbitrio potest promittere obedientiam homini vice Dei, etiam in his rebus, in quibus naturaliter non posset esse homini subiectus. Nam sicut potest homo promittere Deo actus merè internos, ita etiā potest promittere in vsu illum patere homini vice Dei præcipienti.

Religiosa obedientia excedit obedientiā, q̄a duo.

6. Secundò sequitur ex dictis, non omnes Religiones profiteri perfectissimam obedientiam Euangelicam. Hoc apertè supponit Bonauentura supra, dum ait, nō omnes religiones esse æquales in perfectione voti obedientiæ. Idem docuit Henriq. quodlib. 3. q. 20. vbi ait quanto obedientia vniuersalior est, eo esse pfectiorem, & ideo eam etiam religionem esse perfectiorem, in qua vniuersalior obedientia promittitur: supponit ergo, non in omni religione fieri professionē perfectissimæ obedientiæ Euangelicæ. Denique hoc patet ex dictis cap. præced. vbi ostendimus votum obedientiæ religiosæ, non obligare ad omnia simpliciter, sed solum secundum regulam.

7. Difficultas de obligatione religionis.

Hinc verò oritur grauis difficultas, nam sequitur nullum statum religiosum esse statum perfectionis, consequens est falsum, ergo: sequela probatur, quia ad statum perfectionis necessarium est, se totum cōsecrare Deo, nihil iuris in seipsum reseruando, vt ex Gregor. docet D. Th. d. q. 186. a. 1 & 6. *Cum quæ* (inquit) *omne quod habet, omne q̄ viuit, omne quod sap't, omnipotenti Deo vouet, holocaustum est*, & hoc dicit ptinere ad eos qui statum perfectionis profitētur. Item quia ad statum perfectionis pertinet consilia Euangelica primaria, & substantialia perfectè profiteri, quorum p̄cipuum est consilium obedientiæ, ergo si in statu religioso consilium hoc non promittitur integrè, & pfectè, non erit sufficiens status perfectionis. Accedit præterea, quia nulla est religio, quæ illam vniuersalē obedientiam profiteatur, sed vnaquæque illam promittit secundum suam regulam; neq; aliter vnquam fuit in Ecclesia factum; ergo vel illud consiliū Euangelicum nunquam fuit in Ecclesia seruatum, q̄ absurdum est dicere, vel certè dicendum est in statu religioso perfectè obseruari, neq; aliter consuli, quam in singulis religionibus promittatur. Addo deniq; impossibilem videri professionem vniuersalis obedientiæ aliter quam in quolibet statu religioso fiat. Nam, vt ait D. Tho. 2.2.q. 186. art. 5 ad 4. *Votum obedientiæ ad religionem pertinens, se extendit ad dispositionem totius humanæ vitæ & secundum hoc votum obedientia habet quandam vniuersalitatem, licet non se extendat ad omnes particulares actus.* Quia enim per obedientiam religiosam ipsa voluntas Deo offertur, & consecratur, quæ est principium omnium actionū humanarum; ideo ex hac parte habet hoc votum quandam vniuersalitatem. Quòd autem non possit illam habere absolutam, & sine vlla limitatione, etiam intra latitudinem perfectarum actionum, patet, tum quia non omnes huiusmodi actiones sunt singulis statibus accōmodatæ, essetq; infinita confusio, si actiones propriæ vnius status possent in alio præcipi, vel in illo prohiberi; tum etiam, quia hoc saltem necessariò reseruatum est, vt nemini possit præcipi transitus ad altiorē statum; neq; in hoc obedientiam promittere pertinere potest ad statum perfectionis, nam potius quodammodo repugnat eidem statui.

8. Circa principalem difficultatem dicēdum in primis est, aliud esse, loqui de statu perfectionis essentialiter, ac simpliciter, aliud verò de statu perfecto, aut pfectissimo in illo ordine, id est, in schola, seu via ad perfectionem. In priori sensu nulla est in obiectione difficultas; nam ad essentiam status perfectionis, & vt absolutè, & simpliciter talis sit, non est necessariū profiteri singula consilia etiam principalia cum summa perfectione, sed satis profiteri illa secundum aliquam prudentem regulam, alicui perfecto fini accōmodatam, vt in superioribus visum est, & in paupertatis voto est manifestum. In hoc ergo sensu respondetur negando sequelam. Ad probationem autem dicendum est, in his consilijs, & specialiter in obedientia distingui posse duplicem perfectionem; vnā essentialem; & aliam extensiuam: atq; hanc posteriorem non esse totam necessariam in quolibet statu pfectionis simpliciter. Priorem verò in statu religioso sufficienter inueniri, & cum sufficiente extensione, seu vniuersalitate, vt rectè probat ratio ex D. Th. & Gregorio ibi adducta. Loquendo autē in altero sensu de perfecto statu perfectionis, Henricus supra cōcedit omnem religionē, in qua non promittitur dicta vniuersalis obedientia, quoad hoc non esse perfectam, & idem planè sentit Bonauentura: quod tamen intelligendum est merè negatiuè, non priuatiuè, quia hæc perfectio non est debita cuicunq; statui religioso; si tamen illam non habet, ex ea parte aliqua maiori perfectione caret, & ideo cæteris paribus minus perfectus est, quam qui illam profitetur. Quæ doctrina mihi vera videtur, si illa vniuersalitas obedientiæ conuenienter iuxta dicta explicetur, sic enim aperte sequitur ex conclusione posita.

*Obedientia duplex perfectio distinguenda.*

9. Vnde ad alteram partem difficultatis negatur repugnare, omni statui religioso in particulari, hanc

vniuersalem obedientiam vel promissionē eius, negatur etiam nunquam fuisse, aut esse in Ecclesia religiosum statum in quo talis obedientia promissa sit: imò credendum est Apostolos huiusmodi obedientiam Christo promisisse, eandemq; exhibuisse Petro cæteros Apostolos post Christi ascensionem, quia illi non sunt professi obedientiam, secundum aliā regulā, nisi charitatis, & maioris obsequij diuini, iuxta munus suum, seu ministerium, ad quod erant vocati. Et idem credendum est de primis illis religiosis Apostolorum imitatoribus. Inter eos autē, qui profitentur obedientiam secundum certam regulam, Bonauentura supra existimat in religione S. Frāciſci emitti votum obedientiæ pfectæ vniuersale; *quia licet fiat secundum regulam, tamen ex vi eiusdem regulæ tenentur illius professores nihil reſpuere, niſi ſit ipſi regulæ cōtrarium, vel ſaltē, directe, vel aliqualiter*, quæ duę limitationes nō sunt contra vniuersalitatem obedientiæ Euāgelicæ, vt ex dictis in superioribus cōstat. Idemq; nos dicere possumus, & fortasse ampliori ratione de voto obedientiæ Societatis: nam materia eius in his quæ non sunt contra bonos mores, aut regulam, amplissima est, & directè extēditur ad ministeria ardua, & difficillima, & ad bonum valde pfectum, & cum magna dependentia etiā in minimis à Prælatis, vt infra in proprio loco latius trademus. De alijs vero religionibus nihil dicimus, sed iuxta principia posita & suam regulam vnaquæque de se iudicabit.

*Votum perfectissimū obedientiæ habuerunt Apostoli, & Apostolici viri.*

*Item religio S. Francisci illud profitetur.*

*Hoc votum perfectissimo modo habet Societas Iesu.*

10. At verò Henriquus supra significat, nullum votū obedientiæ limitatum ad quamcunq; regulam, esse vndequaque perfectum, quoad vniuersalitatem; ait enim, non repugnare dari aliquam religionē, in qua fiat votum obedientiæ perfectum, *Quoniam* (inquit) *etsi certa regula ſit in qualibet religione quoad illa, quæ ſunt accidentalia religioni, non tamen oportet, quin in aliqua religione exiſtente, vel, quæ poſſit eſſe quoad articulum obedientiæ, ſit regula vniuerſalis, & in æternitate obedientia quoad omnia licita, ſiue indifferentia, ſiue neceſſaria.* Et omne aliud genus obedientiæ seu regulæ, negat esse perfectum. Sed hæc doctrina, vel incidit in sententiam Bonauenturæ, vel in alio sensu admitti non potest, quia inuoluit repugnantiam moralem. Nam regula vniuersalis obediendi in omnibus licitis potest ita intelligi, vt licita solum censeantur ea, quæ nec proprijs præceptis, nec constitutionibus, seu statutis eiusdem regulæ sint contraria. vt in hoc sensu manifestum est non repugnare, & hoc coincidere in sententiam Bonauent. Aut illa vniuersalis regula ita intelligitur, vt in omnibus alias licitis obediendum sit Prælato, etiam si sint contraria eidem regulæ, quoad alia statuta. Vt in hoc sensu videtur inuolui moralis repugnātia; quia quod vna via construitur, alia destruitur, & quia, esto non sit per se malum agere cōtra regulam, quæ secundum se non obligat ad culpam, nihilominus voto se astringere ad agendum contra illam per se malum est, sicut & imperium violandi illam malū etiam est. Quapropter modus ille vniuersalitatis ad perfectionem vniuersalis obedientiæ spectare non potest, quia non potest esse proportionata alicui statui religionis, in quo vita instituatur, secundum aliquam regulam, vel in ordine ad determinatum finē, quod moraliter necessarium est in omni statu perfectionis: nam omnia illa, quæ impediūt finem, vel institutū talis religionis, impediunt potius quā iuuant ad perfectionem in illa ad quirendā. In hoc ergo sensu verum est, nullam esse religionem, q̄ vniuersalem obedientiam promittat. Inde autem non sequitur, nullam esse, quæ promittat perfectam obedientiam Euangelicam, quia ad hoc satis est promittere obedientiam in omnibus, quæ nec bonis moribus, nec regulæ repugnant.

*Diffinitio vniuersalis obedientiæ secundum regulam, & in omnibus quæ regulæ non repugnant.*

*Vniuersalis obedientia duplex.*

11. Vnde obiter intelligitur longe diuersum esse promittere obedientiam, secundum determinatam regulam, vel promittere in omnibus, quæ regulæ non repugnant, nam prius votum obligat solum ad ea, q̄ directe, vel indirecte continētur in regula; non vero ad omnia, quæ illi non repugnant, sicut obligat posterius votum. Dixi autem *ſecundum determinatam regulam*, vt excludam eam, quæ continet vniuersalem regulam obediendi in omnibus, quæ cæteris statutis non repugnant: nā tunc ratione talis regulæ vtrumq; votum in idem reuoluitur. Intelligitur ex dictis etiā quo sensu verum sit, quod D. Thomas dixit, votum obedientiæ in quacunq; religione habere quandam vniuersalitatem, quoad dispositionem humanę vitę, & nihilominus verum etiam sit, quod Bonauentura, & Henricus insinuant, votum obedientię in quibusdā religionibus esse particulare, in alijs vniuersale. Possumus enim hīc duplicem vniuersalitatē distinguere, quas vocare possumus quoad exercitiū, vel quoad speciem actuum: obedientia ergo cuiuscunq; Religionis, potest dici vniuersalis, quoad exercitium actuum, sub exercitio cessationem etiam includendo: nam quia per obedientiam religiosam voluntas ipsa consecratur, & tota sub voluntate Prælati constituitur, ideo quoad agendum, vel non agendum, non retinet ius proprium, sed potest semper à Prælato occupari in aliqua actione sibi proportionata, & consequenter vt cesset ab omni alia illi repugnāte & hoc sensu dixit D. Th. hanc obedientiam esse vniuersalē, & se extendere ad dispositionem totius humanæ vitæ. Contineri autem potest, & quasi positiue limitari ad definitū modum actionis, habitationis, &c. iuxta definitam regulam, & in hoc sensu est particularis, quoad speciem actuum, seu materiæ obediētiæ, quia non potest vagari p omnes species seu modos actionum, sed solum iuxta præscriptam regulam. Et ideo in hoc sensu talis obedientia dici potest particularis, Vniuersalis autem contrario modo dicetur, quæ nō limitatur positiue ad particularem regulam, sed solū negatiue, cum extensione ad omnia, quæ ipsi regulæ non sunt contraria. Quæ vniuersalis obedientia ex suo genere pfectior est, vt dixi, in ea vero potest quædam latitudo inueniri: nam licet ex forma vouendi videatur esse vniuersalissima, & ideo non posse suscipere magis, vel minus, nihilominus ex parte materię potest habere inæqualitatē, vel quia regula ipsa iuxta quam fit, postulat directe maiorem subiectionem in omnibus, vel quia regula ipsa admittit maiorem latitudinem, & varietatē, in his, quæ extra illam ad arbitrium superioris ordinariè præcipi possunt, nā quo obedientia fuerit hoc modo vniuersalior, eo requirit animum magis indifferentem, & vacuum propria volūtate, & affectione. Per hęc ergo satisfactū est difficultatibus omnib. præterquam vltimæ de transitu ad alium statū, cuius occasione sequēs caput instituam.

## Caput X.

### *Vtrum ex obedientiæ voto obligetur quis ad perseuerandum in eodem ſtatu, vel poſſit ad ſuſcipiendum alium obligari.*

POtest Religiosus status comparari, vel ad statum, seu quasi statum inferioris ordinis, qualis est, status matrimonij, vel in vniuersum status vitæ secularis: vel ad statum eiusdē ordinis, vt est alius Religiosus status, vel ad statum superioris ordinis, vt est Episcopalis status. Quæritur ergo circa has comparationes, an transitus ab vno statu ad alium, vel negatiue, scil. non faciendi, vel admittendi illū sine voluntate Prælati, vel affirmatiue, scilicet, faciendi illum ex voluntate. De prima comparatione nulla est quæstio; nam certum est obligationem professionis religiosæ esse ita perpetuam, vt illam nunquam desetere liceat, transeundo omnino ad statum secularem, vt ex superioris

tioribus constat, & in sequentibus specialiter tractabitur de Apostasia huic obligationi contraria. Et quamuis ipsa traditio religiosa sufficiens sit ad hanc obligationem inducendam, existimo nihilominus votum etiam obedientiæ directe ad hoc obligare; ac proinde perseverantiam in statu suscepto, quatenus excludit transitum ad statum secularem, esse materiã huius voti, sicut perseverantia in castitate, quatenus excludit transitum ad statum matrimonij, est materia voti castitatis. Ratio est, quia per votum obedientiæ promittit religiosus perpetuam obedientiam; ergo promittit perpetuam subiectionem, vel in vsu si actu præcipiatur, vel in præparatione animi, etiam dum actu non præcipitur, sed qui statum religiosum deserit, vt ad secularem transeat, quãtum in se est negat obedientiam, & subiectionem etiam in præparatione animi, ergo directe agit contra votũ obedientiæ, est igitur hic transitus materia prohibita ex vi talis voti. Imo certum vlterius est, ita esse materiam repugnantem huic voto, vt à nullo superiore præcipi possit in virtute eiusdem voti, non solum quia tale præceptum esset de re illicita, sed etiam, quia est de re contraria ipsi voto, & directe destructiua status obedientiæ. Vnde licet fingamus casum in quo Summus Pontifex propter vrgentem Ecclesiæ necessitatem licitè, & validè posset religioso præcipere transitum ad statum secularem, nihilominus non posse illud præceptum ponere in virtute voti obedientiæ, sed solum ex potestate supremæ iurisdictionis, quã habet, quia obedientia religiosa non habet pro materia illum transitum, sed potius quantum est ex se illi repugnat: nec pertinet ad perfectionem status religiosi peculiaris obligatio ex voto obediendi Pontifici præcipienti statum matrimonij in simili casu, quia illud non est bonum supererogationis, & consilij, sed potius necessitatis, nec per se pertinet ad perfectionem, sed potius quantum est ex se impedit statum eius, toleratur tamen in eo casu propter necessitatem, cui sufficienter subuenitur per oblationem præcepti sine adictione voti.

*Hic transitus à nullo superiore, etiã Papa potest præcipi in virtute obedientiæ.*

Circa secundam comparationem distinguere oportet, de religione minus, aut magis perfecta, vel æquali. Et dicendum est primo, transitum ad religionem inferiorem, vel æqualem, esse materiam voti obedientiæ ita prohibitam ex vi illius, vt à nullo etiam superiore præcipi possit. Probatur prior pars, quia ille transitus est directe contrarius subiectioni promissæ per obedientiæ votum in tali religione factum, & quantum in se est, destruit, & obedientiæ vsum, & pparationem animi ad obediẽdum Prælato illius Religionis, cui fuerat obedientia promissa. Neque in illa promissione inclusa fuit aliqua conditio, ratione cuius talis transitus nõ sit prohibitus, vt statim explicabimus de transitu ad perfectiorẽ religionẽ. Altera vero pars probatur, quia ille transitus per se est illicitus: item in quocunque casu fingatur licitus ex authoritate Papæ, non est materia voti obedientiæ religiosæ, quia si sit transitus ad inferiorem religionem, est minus bonum, & ideo non est materia voti, si autem sit ad religionem æqualem, saltem non est per se maius bonum, & ratione mutationis est aliquo modo minus bonum ex suo genere, & (quod caput est) repugnat priori statui, & regulæ, iuxta quam factum est obedientiæ votum, & ideo non potest esse materia imperabilis ex vi voti obedientiæ.

*2. Transitus ad alium religionem inferiorem, vel æqualem, vel materiam voti obedientiæ, vel ad aliam religionem, vel æqualem, sic materia voti obedientiæ, & non potest præcipi.*

*4. Transitus ad perfectiorem religionem non est materia voti obedientiæ.*

Secundo dicendum est, transitum ad perfectiorem religionem non esse materiam voti obedientiæ, nec negatiuè, nec affirmatiuè: quia nec prohiberi potest ex vi voti obedientiæ, nec etiam potest præcipi. Prior pars constat, quia talis prohibitio impediret maius bonum, ergo non potest votum obedientiæ obligare ad obediendum illi, quia votum solum est de meliori bono, imo hęc conditio inclusa est in omni voto. Et ob hanc causam quamuis religiosus suam voluntatem consecret tali religioni, & ideo dicatur non habere velle, neque nolle, nihilominus potest sine cõsensu Prælati ad arctiorẽ religionem transire, quia nimirum hęc conditio in ipsa professione inclusa est, quod non impediat maius bonum, seu transitum ad meliorem frugem. Quæ conditio, aut ratio eius non habet locum in transitu ad inferiorem, vel æqualem religionem, vt supra dicebamus. Dices, esto non requiratur consensus superioris, requiritur saltem petita licentia: ergo saltem in hoc sensu est materia huius voti etiam hic transitus ad arctiorem religionem, quatenus prohibetur ne aliter fiat. Respõdeo obligationem illam petendi licentiam non oriri ex voto obedientiæ, sed ex positiua lege Ecclesiæ: nam cum voluntas superioris necessaria non sit, sed illo etiã renuente licitè fieri possit hic transitus, manifestum est illam non esse materiam obedientiæ, & consequenter votum obedientiæ per se non obligare ad licentiam petendam, imo & petitionem illam per se non esse actum virtutis obedientiæ, sed obseruantiæ, & reuerentiæ Prælato debitæ, quam considerasse videtur Ecclesiastica lex illam circumstantiam præcipiens.

*Obligatio petendi licentiam Prælati ad perfectiorẽ religionem non oritur ex voto.*

Altera pars probatur, quia votum obedientiæ religiosæ solum est secundum regulam, vel ad summũ extenditur ad ea, quæ non sunt contra regulam, sed transitus ab vna religione ad aliam quantumuis perfectam, non est secundum regulam prioris religionis, vt per se constat, imo dici potest illi contrarius, quatenus statum illum euertit vt introducat alium, ergo ille transitus non est materia voti obedientiæ, ita vt ex vi illius præcipi possit. Dices: Quamuis de facto ita sit, tamẽ de possibili non repugnat votum obedientiæ in aliqua religione fieri, non solum obediendi in his quæ intra illam religionem fieri possunt, sed etiã in transitu ad perfectiorem religionem, si superior, vel saltem Summus Pontifex illum iniunxerit: ergo hic transitus quantum est ex se est alta materia voti obedientiæ, si perfectum illud sit, & omnino vniuersale. Respondeo posse quidem hoc votum fieri, sicut potest professus in vna religione emittere votum transeundi ad arctiorem religionem, vel absolute, vel sub conditione, si Petrus expedire iudicauerit, vel si Papa consuluerit, vel præceperit. Dico tamen illud votũ seu extensionem obedientiæ per se non pertinere ad perfectionẽ status religiosi, quia nõ confert, ad quietem, & stabilitatem eius, quæ magis solet cõferre ad spiritualem profectum, quam mutatio, etiamsi videatur esse ad religionem de se perfectiorem. Item quia licet in quolibet particulari opere supererogationis melius sit cæteris paribus facere illud ex voto, quã sine voto, nõ propterea pertinet ad perfectionẽ status religiosi omnia opera facere ex voto, sed illa tantũ, q̃ essentialiter pertinent ad statum religiosum, & sunt præcipua media ad perfectionẽ charitatis obtinendam, vt attigit D. Th. 2 2. q. 186. art. 7. ad 1. Sed opus hoc transeundi ad perfectiorem religionem, nõ solum non pertinet ad essentiam status religiosi, verum etiam nec ad statum pertinet, sed potius ad viã, & mutationem, ergo nec votum illius, nec votum obediendi præcipienti illum pertinet ad statum religiosum vt sic: non est ergo hic transitus materia obedientiæ religiosæ, quantumuis perfectus.

*5.*

*Potest fieri votũ obediendi omnia in religione transeundi ad aliam arctiorem, si superior præceperit.*

*6.*

Circa tertiam comparationem primo inquiri potest, an transitus à Religione ad Episcopatũ sit materia prohibita ex vi voti obedientiæ, saltem in hoc sensu, vt acceptari non possit Episcopatus à Religioso sine cõsensu Prælati. Et videtur pars negatiua vera, qa Episcopatus est perfectior status, quã religio, ergo non põt prohiberi à Prælato Religionis, ergo licet dissen-

*An Episcopatus acceptatio saltẽ sine licentia Prælati sit materia prohibita ex vi voti obedientiæ.*

tiat, acceptari poterit, alioqui eius dissensus haberet vim prohibitionis; ergo necesse est necessarius cõsensus, alioqui p negationem consensus posset perfectiorẽ statum impedire: non est ergo hæc materia obedientiæ. Et confirmatur, quia, vt supra dicebamus, in ipsa promissione obedientiæ religiosæ, includitur cõditio, vt non impediat statum pfectiorem: ergo includitur conditio, vt nõ impediat statum Episcopalem: nam hic etiam pfectior est: ergo ex vi illius voti nõ potest talis transitus impediri, nec pẽdet ex voluntate Prælati, quia per conditionem prædictam exemptus est, sicut dicebamus de transitu ad perfectiorẽ religionẽ.

7. In contrarium autem est, quia nullus religiosus potest acceptare Episcopatum, neq; ad illum assumi inuito suo Prælato. Dicẽte D. Gregorio. *Nullus monachus sine testimonio, & concessione Abbatis sui in Ecclesia aliquem locum teneat, vel ad aliquem promoueatur honorem.* cap. *quam sit* 18. q. 2. & lib. 7. regist. epist. 18. illa enim verba generalia sunt, & proinde Episcopatum etiam cõprehendunt. Et idem habet Bonifacius VIII. in c. *si religiosus*, de electione in 6. vbi irritat cõsensum Religiosi acceptantis electionẽ sui, ad prælationem, sine licentia Prælati petita, & obtenta: imò in pœnam talis delicti ipsam etiam electionem irritat. Et rationẽ reddit, quia religiosus non habet velle, nec nolle, sed ex illius, quem vice Dei, supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet. Imò (q̃ notandum est) licentia hæc post factam electionẽ obtinenda est, nam si antea detur, ad electionem, si contingat fieri, nullius est firmitatis, vt statuitur in Clem. vltima, de electione. Et optima ratio redditur, quia licentia data ad futuram electionem ambitioni viam parit. Atq; ita intelligunt hæc iura etiam de Episcopatu Panor. in c. *si Ecclesia vestra* 2. de electione n. 16. & authores communiter, quos statim referemus. Quòd a. hæc obligatio fundetur in voto obedientiæ, patet ex ratione Bonif. adducta, nã q̃ Religiosus non habeat velle, nec nolle, ex voto obedientiæ nascitur.

8. Ex quo inferunt nonnulli Canonistæ hoc locum habere etiam in electione, ad summum Pontificatũ, quia votum obedientiæ absolutum, & generale est, & omnino aufert proprium velle, aut nolle. ita sentit glos. dict. c. *quam sit*, verb. *ad ordinandum*, q̃ sequuntur Io. Andr. & Panor. in c. vlt. de voto n. 3 & c. *quod Dei*, de stat. Monach. n. 12. & in c. *Ioannes*, de regularib. n. 7. Greg. Lopez leg. 25. tit. 7. p. 1. gl. 2. ad fin. Sed quoad hanc partem non videtur hæc sententia probanda, duobus enim modis potest intelligi. Primò, quòd acceptatio huiusmodi à Religioso facta ad summum Pontificatum sine consensu Abbatis irrita sit, & consequenter etiam electio, iuxta dictum c. *si religiosus*. & hic sensus est apertè falsus, nam ille textus apertè loquitur de prælationibus inferioribus, vt patet ex illis verbis, *Ad prælationem aliquam extra suum monasterium, vel suam Ecclesiam*. Vbi constat, sermonem esse de prælationibus limitatis, vt sic dicam: nam summus Pontificatus non dicitur esse prælatura extra monasteriũ aliquod, vel Ecclesiam, sed supra omnem Ecclesiam, & religionem. Item hîc habet locum regula iuris, q̃ sub generali clausula non cõtinetur casus valde specialis, qualis in præsenti est electio Papæ. Ergo ex vi illius iuris non est irritus talis consensus, neq; inuenietur aliquod Ecclesiasticum ius, quo irritetur. Certum q̃; pterea est, ex natura rei nõ esse irritũ ex vi voti obedientiæ, quia neq; acceptatio alterius dignitatis inferioris esset irrita ex vi solius voti, nisi p ius illud fuisset irrita, sed ad summũ posset p Prælatum irritari, vt infra videbimus, q̃ tamen in pœnti dici nõ potest, quia facta & acceptata electione ad Pontificatum à nemine potest irritari, nec persona illa manet alicui in terris subiecta, cum iam sit verus summus Põtifex.

*Neque electio, neque acceptatio Pontificatus, à religioso est irrita ex lege, aut voto obedientiæ.*

9. Alius sensus illius opinionis esse potest, religiosum sic electum in Pontificem, si absq; licentia sui Prælati consentiat electioni de se factæ, teneri nihilominus ad Religionem redire, ita vt licet à Prælato eius cogi non possit, ipse ex se redire teneatur, & ita explicat hanc sententiam glossa citata, sed nullam rationem reddit, & planè repugnantiam inuoluit. Nam fiille acceptando verus Pontifex efficitur, eo ipso soluitur à iugo religionis, & ab omni humano superiore, non solum quoad vim coactiuam, sed etiam quoad vim directiuam, ppriam: tm̃ enim suas leges seruare tenetur p quandam consequutionem, fundatã magis in lege naturali, quã in humana potestate, de quo alias. Quæro ergo, quo præcepto teneatur talis religiosus Pontifex ad religionẽ redire? non enim tenetur ex vi voti obedientiæ, quia iam est solutus ab omni debito obediendi; neq; etiã ratione alicuius voti, pmanendi in tali religione, quia nullũ fecit à voto obedientiæ distinctum. Dices teneri ratione iniustæ acceptionis, vt sic dicã, quia nimirum iniquè se subtraxit ab obedientia prioris Prælati; nã ratione traditionis, & voti tenebatur ab illa non discedere, etiam propter summum Pontificatũ, sine sui Prælati consensu. Sed hæc responsio, & falsum supponit, & malè infert: nam in primis, licet daremus religiosum illũ peccare sic acceptãdo Pontificatũ, non propterea teneretur postea renunciare Pontificatum vt ad religionem rediret, quia vel illud peccatũ esset contra iustitiam, vel tantum contra religionem, q̃ per se non obligat ad restitutionem, nec etiam ibi per accidens sequeretur obligatio, quia nullum nocumentum, sed potius magnum bonum fieret corpori religionis; neq; illa pót dici tã ppria subtractio à religione, quã ascensus ad supremam plationem supra ipsam religionẽ. Vt si aliquis religiosus, peccando contra obedientiam, ascenderet ad generalatũ, si tamen ascẽsus esset validus, & firmus, non teneretur dignitati renuntiare, aut aliis Prælatis restituere subiectionẽ à qua se p inobedientiam subtraxerat. Vel certe si in illo facto peccatum contra iustitiam, & natura sua, ad restitutionẽ obligans, admittamus, nihilominus non esset obligandus talis psona ad talem restitutionem cum tanto onere cadẽdi à tã alto & pfecto statu, & renuntiãdi tali dignitati, vt ex generalib. regulis de restitutione cõstat.

Deinde probabilius censeo nullum esse peccatum Religiosum acceptare Pontificatum inuito suo Prælato, quod nunc manifestum est: nam communi vsu solum eligitur in Papam, qui iam est Cardinalis, & consequẽter iam exemptus ab obedientia religionis. Idẽ vero dicẽdum censeo, etiamsi contingat religiosum aliquem immediate eligi in Papam, quia contra nullũ ius positiuum est, vt dixi, nec etiã est contra iustitiam ratione donationis sui factæ religioni per traditionẽ, in professione inclusam: tũ quia in illa traditione meritò intelligi potest etiam inclusa conditio melioris, & altioris status, p̃sertim pertinentis ad totius Ecclesiæ bonum, tum etiam, quia, vt dicebam, p illam dignitatem non subtrahitur persona religioni, sed altiori modo illi coniuncta manet. Nec denique peccat contra votũ obedientiæ, quia nullus religiosus promittens obedientiã intendit se obligare, in casu tã particulari, & extraordinario: nec secundũ ius censetur includi in generali loquutione. Maxime quia oẽs promittunt obedientiã secundũ regulam: hîc a. casus, nec secundum regulam, nec contra regulã dici potest, sed extra, vel supra regulã, quia est omnino altioris ordinis. Vnde etiã hîc in generali promissione obediẽdi in omnibus, intelligi potest inclusa conditio, nisi impediat transitũ ad altiorem statum, de quo plura paulo inferius. P. o hac sentẽtia citatur Anton. de Rosellis tractatu de potestate Imperatoris, & Papæ. §. *Ex his dicitur*, n. 54. in t. 14. tractatuũ. sed nullũ inuenio tractatũ huius authoris sub hoc titulo & in illo

illo to. habetur tractatus de Indulgentijs. Et hanc opinionem tenet Andreas Barba. tract. de potestate Cardin. p.1.q.1.n.54.&59 habetur tom.13.tractatuũ. p.2. Neque contra illam obstat axioma illud, quod Religiosus non habet velle, aut nolle; quia illud secundum fictionem iuris dicitur, non quia non possit verum consensum præstare, & validum, & firmum in his, in quibus non est subiectus; vnde illa fictio solũ habet locũ in ea materia, quæ voto obedientiæ subiecta est, & prout illi subijcitur; quapropter resolutio hæc apud me difficultatem non habet in cęteris religionibus, in quorum regu'is, aut votis de his dignitatibus acceptandis, vel nõ acceptandis nulla fit mentio, aut prohibitio. In nostra verò Societate nonnulla est difficultas: quia in 9.p. Constitut. c.3. §.13. phibentur omnes admittere dignitatem extra Societatẽ sine facultate Generalis. & c.4.§.5.& cap.5.§.6. idem prohibetur Generali, sine consensu Societatis; quod valde speciale est. & vtrumq; approbatur à Paulo III. in sua vltima bulla. Difficultas ergo est an hæc prohibitio extendatur ad Summum Pontificatũ, & quantum obliget, præsertim professos, ratione specialis voti, quod in ea materia emittitur, sed hanc rem disputabimus infra in proprio tractatu, de Societate.

*Difficultas quædam proposita circa Societatem Iesu vbi tractatur.*

*Dubitatio, an liceat Episcopatum sine licentia Prælati, ita potesti fundari in iure.*

Episcopatum, sine consensu sui Prælati, quia nullum inuenitur ius, quod in specie de Episcopatu hoc prohibeat, vt iura referẽdo adnotauimus. Generales autem loquutiones intelligi possunt de alijs prælationibus, seu dignitatibus Ecclesiasticis infra Episcopatum constitutis, propter multiplicem differentiam inter eas. Nam Episcopatus est status perfectionis, nõ verò reliquę inferiores dignitates, vt supra visum est, & ideo in reliquis omnibus fieret descensus ab statu religioso ad inferiorem, in Episcopatu verò fit potius ascensus, iuxta c. *nisi cum pridem*, de renuntiatione: & ideo assumere quælibet alia ministeria inferiora extra religionẽ, sine consensu Pręlati, est directè contra statum ipsum Religionis, & consequẽter contra obedientiæ votum. Vnde quoad hanc partẽ iura illa nihil de nouo prohibent, sed declarant, & confirmant, quod ex vi voti erat prohibitum, & ad summum addunt irritationem cõsensus, & electionis. At verò ascensus ad Episcopatũ ab statu religioso, nõ videtur esse cõtra ipsum statum, sed potius esse pfectio eius, & ideo ex se non videtur esse contra obedientiæ votum, etiamsi absq; consensu Prælati fiat, quapropter mirum nõ est, q; sub illa prohibitione iuris non comprehendatur. Accedit pterea, q; ad Episcopatũ nullus assumitur, nisi cõsentiente, vel confirmante Pontifice, q; potest Religiosum facere Episcopum inuito Abbate, imò ex ipso q; Pontifex consentit, vel offert Episcopatum, dare videtur religioso licentiam accepti illum: inferiores autem Ecclesiastici honores ab Episcopis sæpe cõferri possunt, & ideo in illis magis necessaria fuit prohibitio. & de hac specialiter videtur loqui Gregor. in d. c. *quam sit* Nam verba, quæ citabimus, non habentur in lib. Epistolarum, sed in Concilio Lateran. sub Gregorio, vbi prohibitio dirigitur ad Episcopum in hæc verba, *Nullus* (scilicet Episcopus) *monachum sine testimonio vel cõcessione Abbatis sui in Ecclesia aliqua teneat, vel ad aliquẽ promoueat honorẽ*, vbi sine dubio sermo est de Ecclesia, vel honore Episcopali. Et eadẽ ratione cętera iura poterunt eodẽ modo exponi. Quòd si iura hoc non prohibẽt, sanè difficile est, ex solo obedientiæ voto talẽ obligationem colligere, vt probant rationes priori loco adductæ: & facit text. in c. vnico 18.q.1 ibi, *Quem* (scil. monachum) *canon ea electio à iugo regulæ Monasticæ professionis absoluit.* Vnde non est simile de promissione, & de professione iam facta; nam is, qui tantum promisit religionẽ, si fiat immediatè Episcopus, omnino priuatur statu religioso, & transit ad terminum absq; via, & ita non implet promissionem: qui autem post promissionem fit Episcopus, non amittit suum statum, quia verus religiosus manet, sed perficit illum; & ideo etiamsi inuito Prælato id faciat, nihil agere videtur contra suum statum, & consequenter nec contra obedientiam promissam.

*Acceptatio Episcopatus sine cõsensu Prælatus in ecclesiastico religio sit prohibetur.*

Nihilominus absolutè dicendum censeo, prohibitum esse religiosis acceptare electionem de se factã ad Episcopatum sine cõsensu sui Prælati. Hoc præcipuè fundatur in nouo iure Bonifacii d. c. *si religiosus*: nam antiquum decretum Concilii Lateranensis sub Gregorio, parum profectò probat, vt expendimus; tamẽ cum Bonifacius absolutè loquatur de electione ad prælationem extra suam religionem, & Ecclesiam, non potest à nobis limitari ad prælationes Episcopatu inferiores, præsertim cum ab interpretibus ibi, & doctoribus generaliter id intelligatur, & ad Episcopatũ extendatur, vt patet ex Doctoribus supra citatis, & ex Sylvest. verbo *Religio* 7.q 6.& 9. Et idẽ sentit Angelus verbo *Electio* n. 30 An verò hęc prohibitio sit de solo iure Ecclesiastico, vel ex vi voti obedientię, & consequenter an sit tantum à tempore Bonifacij vel semp coniuncta fuerit cum statu religioso, non satis cõstat propter rationes vtrinque adductas. Mihi autem videtur

*Dubitatio, an etiã ex voto obedientiæ sit prohibita.*

11. Ex hac verò resolutione circa Summum Pontificatum oritur dubium in alijs Episcopatibus, an illa prohibitio acceptandi Episcopatum sine cõsensu Prælati, sit ex natura rei, & ex vi voti obedientiæ, vel tm sit ex mente Ecclesiastico addita. Videtur n. non esse ex rei natura, quia in professione, & voto obedientiæ includitur tacita cõditio, & exceptio, vt semp liceat trãsire ad meliorẽ statum: sed status Episcopi est melior quã status religiosi; ergo includitur in illa exceptione; ergo sicut nõ obstante professione, & voto obedientię, potest quis transire ad perfectiorem Religionem, sine cõsensu Prælati, ita etiam potest Episcopatum acceptare, sine illius cõsensu. Et confirmatur, quia votũ obedientiæ, solum sit secundum regulam, status autẽ Episcopi est supra regulam, ergo non comprehenditur sub obedientiæ voto, ergo ex vi illius non prohibetur quis acceptare Episcopatum independenter à voluntate Prælati, quia illa non est materia obedientiæ religiosæ.

*An acceptatio Episcopatus sit prohibita ex natura voti obedientiæ.*

12. In cõtrarium autem est, quia si hoc non esset ex natura rei inclusum in obedientiæ voto, nõ posset Ecclesia id prohibere, quod est contra hypothesim: sequela patet, quia acceptare, vel nõ acceptare Episcopatum ab obiecto suo, & secluso speciali necessitate, aut impedimento, est res supererogationis, & cõsilij, & similiter subordinare voluntatẽ suam alterius voluntati, in tali materia, etiam est opus supererogationis, & consilij: ergo non est materia pcepti, si voti obligatio nõ præcedit. Deinde, quamuis Episcopatus sit status pfectorum, nihilominus non est aptus ad perfectionem acquirendam, sed religiosus absolutè profitetur statum pfectionis acquirendę; ergo in tali perfectione nõ includitur cõditio, aut exceptio Episcopalis status, quia sunt diuersorum ordinum. Et ideo nõ est similis ratio de trãsitu ad arctiorem religionẽ. Et confirmatur: nam ob hanc causam diximus in superioribus votum simplex religionis non impleri assumpto Episcopatu, quamuis votũ de laxiori religione satis impleatur ingrediẽdo strictiorem, ergo similiter in præsenti. Imò videtur esse à fortiori argumentum, nam si promissio religionis nõ impletur in Episcopatu, multo minus implebitur, seu seruabitur tradito natura sua spectata, ergo qui per professionem se tradidit religioni, ex vi illius non potest transire ad Episcopatum sine ipsius religionis consensu.

13. Propter hæc autem vtriusq; partis argumenta posset quis nouam dictorum iurium intelligentiam excogitare, negando esse prohibitũ religioso acceptare

*Quæ ratione.*

detur spectata sola rei natura, potuisse vtroq; modo fieri votum obedientiæ religiosæ, & intentione, scil. se obligandi ad non relinquendum illum statum, etiam propter Episcopalem, sine consensu Prælati religionis, vel alterius habentis superiorem potestatem, quia hoc reuera non est contra dignitatē Episcopalē: nam licet perfectior sit, requirit tamen multam perfectionem, & non parum habet periculi, propter magnam obligationem cum maiori libertate, potentia, honore, & abundantia rerum temporalium coniunctam; & ideo ad propriam perfectionē multū expedire potest, illū non acceptare sine consensu Prælati. Et hoc satis confirmat institutum Societatis, in quo specialiter hoc cautum est, & à summis Pontificibus probatum. Potuit ēt religiosa professio fieri cum intentione non relinquendi illum statum sine consensu superioris, nisi propter alium perfectiorē, siue religiosum, siue Episcopalem: nam hæc intentio & hic modus traditionis, & obligationis nō est contra substantiam status religiosi, nam licet prior fortasse sit perfectior, hic posterior sine dubio est sufficiens ad substantialem obedientiam religiosam; quod satis probant omnia, quæ adduximus. Quapropter seclusa declaratione, aut iuris communis, aut iuris specialis religionis, difficile est definire, quæ fuerit in hoc intentio, vel fundatorum religionum, vel profitentiū illas; sed ex communi vsu, sensu ac praxi vniuscuiusq; Religionis iudicandum esse.

*Societas hoc specialiter profitetur.*

15. Certitudo ergo huius obligationis ex dicto iure Ecclesiastico orta est. Si tamen attente legatur ratio illius c. *si religiosus*, & cap. *quorundam*, de electione in 6 verisimilius esse intelligetur hoc ius quoad hanc partem esse potius declarativum, quam constitutivum, & ante illud seruatum esse, vt Religiosi non pōberent consensum huiusmodi electionibus sine suorū Prælatorum facultate: quia abdicatio voluntatis intelligitur fuisse absoluta, & vniuersalis, etiam quoad hūc effectum; quia vero propter solum votum talis acceptatio non erat irrita, ideo hoc fuit de nouo additum per illud ius, & ideo in illo non sunt verba prohibentia, sed irritantia scil. *Consensus sit præstitus non teneat.* & statim, *In pœnam præsumptionis illius electio eadem ipso facto viribus vacuetur.* Supponitur ergo præsumptuosum esse illum consensum, non solum contra illud ius, sed contra ipsam professionem, & obedientiam religiosam. Dices ergo, talis religiosus acceptans electionē Episcopatus sine voluntate superioris censendus erit apostata, q̄a omnino se subtrahit, vel subtrahere vult à iugo religionis contra obligationem suæ professionis. Respondetur quòd licet sit inobediens, non tamen apostata, quia acceptando electionem (etiamsi rata esset tam electio, quam acceptatio) nondum est factus Episcopus, donec saltem per Pontificem confirmetur, & tunc iam authoritate Papæ transfertur ad alium statum, & liberatur à priori obedientia, ideoq; nulla intercedit apostasia. Imò licet authoritas Papæ non esset necessaria, ille ascensus etiā contra voluntatem Prælati factus ex obiecto suo nō est apostasia: quia nec exuitur habitus, nec deseritur substantialis status, & obligatio eius, sed solū fit quædam inobedientia, ex qua ratione alterius effectus sequitur exemptio à priori obedientia.

*Probabilius est acceptationē Episcopatus esse prohibitam ex voto obedientiæ, & solam irritam ex iure Ecclesiastico.*

*Non est apostata acceptans Episcopatum sine consensu Prælati.*

16. Vnde obiter respondetur ad difficultatem supra tactam, cum Episcopatus conferatur à summo Pontifice, quomodo in illius acceptatione possit religiosus pendere ab inferioribus Prælatis, cum voluntas Pontificis superior sit. Respōdetur enim, licet collatio, seu donatio Episcopatus fiat à Pontifice, electionem tamen non fieri ab ipso, sed antecedere eius cōfirmationem, licentiam autem Prælati religionis solum requiri ad acceptandam electionē. Quapropter vbi nulla electio p̄cedit, si Pontifex ipse immediate offerat alicui religioso Episcopatum, non censeo indigere (in rigore præcepti) licentia sui Prælati ad illū acceptandum: quia Pontifex est supra omnes Prælatos. Dices, licet Pontifex immediate offerat, censetur offerre iuxta ordinarium ius, & ideo dare dependenter à cōsensu Prælati. Resp. ius ordinariū solū esse circa electionē, sub qua nō cōprehenditur ꝓptie Pontificis collatio, seu oblatio. Nec est verisimile, Pontifices voluisse, ꝓuisiones à seipsis immediate factas huic iuri submittere, q̄ ex ipsis etiam verbis allegatorū iurium non obscure colligitur, si attente expendantur. Quare quando Pontifex immediate offert prælationem, censendus est (nisi aliud explicet) dare facultatem ad acceptandam illā, sicut si offerret pecuniam, censetur dare facultatem accipiendi illam, nec peccaret contra paupertatem religiosus illam accipere sine licentia alterius Prælati.

*Si Papa offerat religioso Episcopatum, non censeo indigere licentia sui Prælati ad illū acceptandum, sed tantum sine dissensu Prælati.*

Sed quid de alijs modis, quibus præter electionē pōt offerri Episcopatus alicui religioso, ab alijs Principibus, vel Prælatis infra Summum Pontificem: poteritne Religiosus acceptare sine cōsensu sui Prælati? Videtur enim posse, quia illa non est electio, sed vel postulatio, vel præsentatio, iura autem solū loquuntur de electione. In cōtrarium autem est, quia electio & postulatio parificantur in iure, & maximè circa p̄sentem materiā, vt patet ex c. *quorundam*, de electione in 6. Et ratio esse potest, quia hoc ius non est constitutiuum, sed declaratiuum, vt dixi, & ideo extenditur ad omnia in quibus est æqualis ratio. Distinguendum aūt videtur, quia vel prouisio (quocunq; speciali nomine vocetur) talis est, vt per eam acquiratur ius p̄sonæ prouisæ ad Episcopatum, vt contingit in electione; vel nullum ius ei acquiritur, vt in pura p̄sentatione. In priori casu censeo procedere doctrinam datam in quocunq; genere prouisionis, ita vt sit necessaria facultas Prælati ad præstandum consensum, saltem vt licite fiat, quod planè supponitur in dict. c. *quorundam*. Et ratio est, quia religiosus ex vi sui status, & voti obedientiæ nullum contractum facere, aut ius firmum acquirere potest sine licentia Prælati. Iō quia illa prouisio habet vim cuiusdam electionis, ita vt noua electio non requiratur, vt Panorm. & alij infra citandi docent. Vnde propter contrariam rationem non procederet doctrina data in præsentatione, p quam nullum ius acquiritur Religioso. Patet, q̄a nec verba iuris in rigore cōprehendunt hunc casum, nec ratio obligationis ex vi voti similis est. Quando aūt acquiratur ius per postulationem, vel aliam similem prouisionem, non spectat ad hunc locum. Videantur Panormit. & alij Doctores in rubrica, & in cap. 1. & cap. *postulationem*, de postulat. Prælat. Sylvest. verb. *Postulatio* q. 6. & 7. Angel. n. 4.

Superest dicendum de alio membro affirmatiuo, an scilicet ex virtute voti obedientiæ possit præcipi religioso, vt acceptet Episcopatum. Duæ sunt enim extremæ sententiæ. Vna est nec summum Pontificem posse hoc præcipere, siue per iurisdictionem suam, siue in virtute voti. Refert D. Th. in 4. d. 29. art. 4. ad 4. quia consensus debet esse liber: sed hoc nullius momenti est, quia præceptum nō tollit libertatem, alias nec votum posset obligare ad professionem religionis, quia etiam illa non fit sine consensu libero. Aparentius fundari possent, quia Pontifex non potest obligare religiosum ad strictiorem religionem; ergo nec ad statum Episcopi, qui est perfectior. Alia verò sententia est, ex vi voti obedientiæ posse religiosum obligari ad acceptandum Episcopatum, & ideo non solum summum Pontificem, sed etiā Prælatum, saltē Generalem, posse hoc præceptum imponere propter potestatē dominatiuam quā habet in personam Religiosi, & vniuersalē administrationē totius religionis, ad cuius magnum bonum potest hoc pertinere.

Sed

19. Pontifex potest præcipere religioso, vt Episcopatum acceptet in casu necessitatis grauis.

Sed in primis dicendum est, hanc materiam non esse extra latitudinem præcepti; ideoq; saltem à summo Pontifice ratione iurisdictionis supremæ præcipi posse. ita docet D. Th. supra. & 2. q. 185. a. 2. Turrecremata tractatu de potestate Papæ q. 17. Sot. lib. 10. de iust. q. 2. a. 2. Richard. quodlib. 3. q. 21. Idē sentit glossa *cante omnia*, verbo *mihi* 40. dist. Hostiens. in summa tit. de voto, §. *Quot sint species*. Astensis in summa 2. p. li. 6. tit. 43. a. 2. q. 64. Panorm. c. *per tuas*, de voto n. 5 & alij cōmuniter. Et in primis certum est ex obligatione charitatis posse aliquē teneri ipso iure diuino ad acceptandum Episcopatum, quia lex charitatis obligat ad procurandum cōmune bonum, præsertim spirituale, prætermisso quocunq; priuato commodo illi repugnante; quia iuxta ordinem charitatis publica vilitas priuatæ præferenda est, vt ad hoc propositum dixit Innocent. III. in c. *licet*, de regularibus. Quando ergo publica Ecclesiæ necessitas tanta est, vt spirituale bonum eius multum periclitetur, nisi à tali persona Episcopatus acceptetur, charitas per se obligat ad acceptandum illum, etiamsi ab homine præceptum non imponatur. Vnde à fortiori constat, si Pontifex id præcipiat, quasi declaratiuo præcepto (vt sic dicā) declarans nimirum esse casum eminētis necessitatis, tunc omnino obligari, nisi omnino euidenter cōstaret, non esse veram talem necessitatem, & Pōtificem ex falsa præsumptione vel informatione id agere; q vix pōt in tali materia contingere. In omni alio vero casu, etiam dubio, standum est iudicio, & declarationi Pontificis: nam hoc ad minimum debitū est eius potestati, & authoritati, & in eo saltē casu locū habet, quod in epist. 1. Clementis ex ore Petri significatur, peccatū esse non obedire Petro prælationem iniungenti, & quod in can. 37. Apostolorum p̄cipitur communione priuari eum qui Episcopi nō susceperit officium, & curam populi sibi cōmissam. Et simile decretum habetur in Concilio Antiocheno sub Iulio c. 17. & 18. In quibus tamen decretis obseruandū est in eis sermonē esse de Episcopo iam cōsecrato, qui minus Episcopale susc̄ipere recusat: imo iuxta quandam versionem q̄ sequitur Iuo p. 5. c. 148. sermo est de Episcopo, qui non vult ire in Ecclesiam, cui fuerat ordinatus, & in idem redit, quod Gratianus ait c. *si quis Episcopus per manus*, d. 92. *Et sibi commissum ministerium subire neglexerit, neq; acquieuerit ire ad Ecclesiam sibi cōmissam.* Iuxta q̄ verba ibi non est sermo de obligatione accipiendi Episcopatū, sed ministrandi in Episcopatu susc̄epto, & reuera idem sonant verba canonis Apostolici, *Si quis ordinatus Episcopus non susc̄ipit ministerium & curam populi sibi commissam.* Nemo n. consecratur Episcopus, nisi in ordine ad aliquā Ecclesiam, cuius cura illi demandata, & ab eo susc̄epta est, & in eo obligatio est longe maior, quia turpius eiicitur, quā non admittitur obligatio. Vnde ét nunc, sine speciali necessitate, vel p̄cepto, sed cōmuni iure semel factus Episcopus, non potest onus deponere sine licentia Pontificis, c. *nisi cum pridem*, de renūtiatione, c. *licet*, de Regularib. Melius a. hoc p̄batur ex c. *vos autē* 16. q. 1. ibi, *Si quam operā vestram mater Ecclesia desiderauerit, nec elationē auida susc̄ipiatis, nec blandiente defidia respuatis*, & infra, *Nec vestrum otium necessitatibus ecclesiæ præponatis.* quę verba sumpta sunt ex Augustino epist. 81. item ex c. *dilucet*. 23. q. 4. sumpto ex eodē Augustino epist. 204. ad Donatum, vbi vt ostēdat rectè hominem cogi ad id, q̄ necessarium est ad salutem, adducit exemplum. *Quia multi, vt Episcopatum susc̄ipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, & tanta patiuntur, quæ nolunt, donec adsit voluntas susc̄ipiendi operis bonū.* & epist. 148. ad Valerium hoc modo dicit, sibi fuisse vim illatam ad accipiendum Episcopatum; quamuis non de vi præcepti, sed de vi moralis coactionis possit intelligi.

Veruntamen non tantum in casu prædictæ necessitatis, sed etiam extra illum potest Pōtifex hoc præceptum imponere, & ita loquuntur Doctores citati. Et sane in illis casibus, in quib. Augustinus supra loquitur, nec constat, nec satis verisimile est, semper interuenisse illam grauissimam Ecclesiæ necessitatem. Ratio autem est, quia Pontifex habet supremam potestatem ligandi, & secundum eam habet omnē potestatem conuenientem ad regendam Ecclesiam, & præsertim ad prouidendum illi de pastoribus necessarijs, ergo potest obligare vnumquemq; tā religiosum, quā secularē, vt accepter munus Episcopi, quoties iudicauerit ad commune bonum Ecclesiæ expedire, etiāsi nō vrgeat extrema necessitas. Vnde optimè Greg. 1. p. Pastoralis, c. 6. de hac re agens, inquit, *Tunc humilitas ante Dei oculos vera est, cum ad respuendum hoc, q̄ vtiliter subire præcipitur, pertinax non est.* Et confirmatur, quia Rex, vel Imperator habet potestatem p̄cipiendi subditis, vt acceptent munera, vel magistratus ad gubernationē Reipubl. conuenientes: vnde li. 10. Cod. tit. de decurionib. li. 18. dicitur, *Si ad magistratum nominatim aufugerint, requirantur, & si pertinaci animo eos latere patuerit, his ipsorum bona permittantur, qui ad eorum munera vocabuntur.* Et multa similia habentur eodem lib. tit. de excusationib. munerū. Multo ergo p̄fectior erit hæc potestas in supremo Ecclesiæ Principe. An vero tanta in illo sit, vt pro solo suo arbitrio cuicunq; idoneo hoc p̄cipere possit, speculatiue quidē controuerti pōt. practice vero, ac moraliter Pontifici p̄cipienti obediendū est, præsertim si post vnā, vel alteram supplicationem in sua voluntate p̄sistat: quia semper superioris p̄ceptum iustum æstimandū est, nisi oppositum euidenter constet: & quia licet p alios forte posset sufficienter p̄uideri ecclesiæ, Pontifex pōt habere speciales rationes, ob quas huic potius, q̄ illi præceptum imponat, & quāuis eas non habeat, quia quilibet eorum posset se excusare, ideo necesse est, vt Pontifex possit quēlibet eorū pro sua voluntate cogere, dūmodo duæ cōditiones cōcurrant, q̄ Ecclesia indigeat, & quod persona idonea sit. Imo addit Hostiensis supra contra Hugonem in c. *si dominus*, & c. *qui resistit* 11. q. 3. etiamsi quis vouisset, vel iurasset non esse Episcopus, teneri ad obediendū Pontifici præcipienti, quia talis cōditio, seu exceptio debet intelligi implicite contenta, c. *venientes* de iureiurādo. c. *nō est*, de voto. nec tenetur examinare, an sit alius dignior, necne: sed hoc remittere iudicio Pontif.

20. *Etiam extra casum necessitatis potest præcipere.*

*Dubitatio, an pro suo arbitrio hoc præcipere possit cuicunque idoneo.*

Addendum vero est hanc non esse proprie materiam voti obedientiæ, & ideo ex vi illius neminem posse obligari ad accep tādum Episcopatum; probatur primo, q̄a supra ostensum est, Episcopale munus per se spectatum non esse materiam voti; quia licet sit bonum opus, & magnæ charitatis, tamē propter cōditiones, quas habet adiunctas, honoris, potentię, ac periculi, & propter magnā perfectionē, q̄ prærequirit, ideo voluntaria eius professio, seu acceptio, non cadit sub consilio, sed regulariter melius est, dum nō præcipitur excusare, vt sentiunt Aug. & Gregorius locis paulo antea citatis. Ergo eadem ratione non est materia voti obedientiæ acceptatio Episcopatus, quādo alias nō p̄cipitur ab eo, qui ex propria iurisdictione, ac secluso voto illud potest præcipere. Secundo hoc ipsum colligitur ex principio supra posito, quod votum obedientiæ non obligat ad obediendū circa trāsitum, quia solū obligat secundū regulam, ad quā huiusmodi transitus non pertinet, quia Episcopalis status non pertinet ad regularē vitam, quam tantum respicit obedientiæ votum, iuxta doctrinam D. Tho. quodlib. 10. a. 10. & aliis locis in superiorib. allegatis. Vnde colligitur nō posse generalē alicuius religionis & à fortiori, quemcunq; aliumPrelatum eius, p̄cipere alicui religioso subdito, vt acceptet Episcopatum.

21. *Hoc præterea non est, neque esse potest materia voti obedientiæ.*

Patet,

Patet, quia nec illa est materia voti obedientię, vt probatum est, nec iurisdictio horum Prælatorum, ad hoc extenditur, quia non est proportionata materiæ obedientiæ, & vitæ regulari. Vnde solum illis demandata est cura suæ religionis, non vniuersalis Ecclesiæ, ad quam spectat Episcoporum prouisio, vt bene attigit Ludouicus Lopez in suo instructorio c. 56. Imò inde concluditur, nec summum Pontificem posse hoc præcipere Religioso ratione voti obedientiæ, sed solum ratione suæ iurisdictionis, quia votum obedientiæ non habet aliam materiam, nisi regularem, vt sic dicam, etiam respectu Summi Pontificis.

23. *Prælatus potest subditum obligare ad acceptandū beneficium curatum.*

Dices, Prælatum religionis posse obligare subditum ad acceptandum beneficium, habens adiunctā curam animarum: ergo & Episcopatū. Videtur enim æqualis ratio. Respondetur in primis negando paritatem rationis, nam per Episcopatum ita mutat religiosus statum, vt subtrahatur ab obedientia Prælatorum religionis, & quodammodo desinat esse membrum illius corporis, argumento c. 1. 18. q. 1. per inferiora autem beneficia non fit tanta mutatio, sed pōt religiosus manere sub obedientia sui Prælati, quauis beneficium habeat. Est a. difficile intellectu, q̄ Prælatus possit præcipere subdito aliquid, p quod subtrahatur à sua obedientia: facile autem, quòd præcipiat ministerium sub obedientia sua exercēdum. Deinde in statu Episcopali multo magis est periculi, quam in inferiori, non tolum maioris obligationis, sed etiam propter maiorē libertatē, honorem, potētiam, & rerum abundantiam, in quibus omnibus magis distare videtur ab humili religiosorū statu. Rursus, religiosus semel factus Episcopus, non potest p voluntatem superioris Episcopatu priuari; vt per se constat, potest autem priuari beneficio inferiori, etiam sine speciali causa. Argumēto c. *ad nostram*, & cap. *porrectam*, de cōfirmatione vtili, in quibus dicitur, non solere summū Pontificem, iure ordinario confirmare religiosis beneficia ad vitā, significans religiosos semper esse mouibiles ad nutum. Quod etiam colligitur ex c. *cum ad monasterium*, versic. *Tales*, de statu Monach. & est communis resolutio Canonistarū, vt notat Nau. comm. 2. de Regularib. n. 65. in fine, & comm. 4. nu. 23. vers. *Quarto*. qui ex eadem sententia communi addit limitationem, nisi malo animo procedat; nam tunc poterit subditus agere contra superiorem, vt restituatur: quod magis æquitatē rationis, & consuetudine, quā iure aliquo niti Nauarr. significat. Dico tamen, quāuis Prælatus malo animo subditū spoliet beneficio, factum teneri, quia reuera subditus nō est dominus, neq; habet perpetuum ius, quod satis est nostro instituto. Potest a. in hoc casu subditus conqueri corā maiore superiore, & ab illo restitui: & hoc est, quod docet Innocent. in c. *insinuante*. qui cler. vel vou. semper autem accipiet beneficium dependenter à voluntate superioris; est ergo illa differentia regularis, scil. per se loquendo, & exceptis priuilegijs Pōtificijs, vel prioratibus, quæ per electionem canonicam conferuntur, iuxta cap. *Monachi*, cum Gloss. ibi, de statu Monach. Vltima differentia, & quæ ad rem maximè spectat, est, quia ministerium Episcopale non ptinet ad regularem vitam, & ideo non continetur, sub materia obediētiæ religiosæ; alia autem beneficia possunt contineri sub ministerijs vitæ regularis.

*Item potest illum talis beneficio priuare sine causa, quamuis procedat malo animo.*

24. *Prælatus non potest subditum obligare ad beneficium seculare, sed tantum ad regulare.*

Vnde respondetur secundò, distinguendo antecedens; negandum est enim de beneficijs secularibus, esto admittatur in regularibus, quæ per religiosos talis monasterij gubernari, consueuit. Vtrumq; docuit Nauarr. dict. com. 4. n. 23. & primum sumitur ex dict. cap. *Monachi*, & ex cap. *cum de beneficiis*, de præb. in 6. & ratio est, quia talia beneficia, & eorum cura sunt omnino extra regulam, & nec directè, nec indirectè ptinent ad vitā regularē, & consequēter, nec ad obedientiam talis Prælati. Ratio a. alterius partis est opposita, quia illa beneficia & eorum ministeria ptinent propriè ad munera talis religionis, seu monasterij, & ideo cadunt sub materia obediētiæ Prælatorū eius, argumento c. *quorundam*, de elect. in 6. ibi, *Extra administrationes proprii ordinis*. & cap. *sū singula*, §. *prohibemus*, de prēb. in 6. Et hoc titulo interdum coguntur religiosi p præcepta suorū Prælatorum ad suscipiendum munus Parochorum apud Indos, quia iam illud ministerium ex dispensatione Pontificum talibus religionibus appropriatum est. Episcopale autem beneficium, vel seculare, dici potest, vel certe eandem habet cum illo rationē, quia extra ministerium regulare est, vt dixi, & Prælatus religionis illius acceptationē præcipere non pōt. *Vide Ludou. Lopez dict. cap. 56.*

## Caput XL.

### *Cui parendum sit ex vi voti obedientiæ religiosæ.*

1. CVm obedientia sit virtus, q̄ ad alterū suo modo ordinatur, in obiecto suo, seu materia, aliquo modo includit psonam, cui obedientia pstanda est; & ideo votū obedientiæ eandē includit virtute, quapropter, vt materia, & obligatio huius voti, prout in religione fit, exactè explicetur, necesse est aliquid attingere de psona, cui ex vi illius obediēdum est; nam sicut relatio non potest satis cognosci sine termino, ita neq; hæc obedientia sine tali persona.

1. *Vide dicta 4. distinct. 38. quæst. 1. per totam.*

Primum ergo statuendum est, ex vi huius voti tantum homini parendum esse, seu Deo per hominem p̄cipienti. Itaq; votum hoc non obligat ad obediendum Deo præcipienti p seipsum, neq; etiam si præciperet per Angelum, vel quouis alio extraordinario modo; Probatur primo ex forma emittendi hoc votum, quę solet esse, *Promitto tibi Præposito generali, & successoribus tuis obedientiam*; vel, *promitto in hac religione obedientiam secundum talem regulam*, vel alio simili modo, vt in superioribus visum est. Nec refert, si quis dicat frequenter dici, *Vouco, aut promitto Deo, & tibi*; nam, vt sæpe dixi, illi duo datiui casus sub diuerso respectu ponuntur: Deus enim est persona cui fit votum, Prælatus autem ponitur vt persona, cui vice Dei obediēdum est ex voto, ita enim intellexerunt, & interpretati sunt hanc obedientiam omnes institutores religionum; eademq; est intentio profitentium illā. Secundo idem patet ex fine huius voti, qui est, vt homo per hominem dirigatur in his, quæ ad perfectionem pertinent, vt docet D. Th. 2. 2. q. 186. art. 5. ad hoc propositum adducens sententiam V. Synodi, quæ refertur in cap. *hoc nequaquam* 7. q. 1. *Monachorum subiectionis habet verbum & disciplinatus*. Item cum status religiosus sit regulariter in humana communitate, vt subsistere, & conseruari possit, necessaria est obedientia ad hominem. Deniq; vt homo obligetur obedire Deo per se præcipienti, non est necessarium votum, nam Deo ratione suæ connaturalis potestatis obedientia debetur, hoc autem fit de obedientia supererogationis, i. e. de his rebus, quæ secluso voto non caderent sub obligationem, vt D. Th. supra ad 1. docet, & ob hanc etiam causam debet esse ad hominem, seu per hominē. Vnde fit, votum hoc non obligare ad obediendum Deo p̄cipienti p legem naturalē, vel legē diuinam positiuam: vnde nec peccatū Religioti contra has leges habet peculiarem malitiam, ex circumstantia voti obediētiæ, nec ob eam causam necesse est tale votum in confessione explicare, in quo omnes Doctores consentire videntur saltem per taciturnitatem, quia nullus eorū oppositū dixit, nec talē circumstātiam explicauit. Et hoc ēt confirmat assertionem positiuā, q̄ de Angelis probare necesse nō est, ga est res p se notissimo Angeli sua authoritate nihil homini p̄cipere possunt, sed solū intimare p̄ceptum Dei.

Idem-

Idemque est de hominibus beatis: Intelligatur ergo assertio de homine Viatore, sub homine tamen proportionatam hominis congregationem comprehendimus.

3. Votū obedientiæ sibi obligat etiam bonum, cui religiosus se tradidit.

Dico secundò, hoc votū non obligat ad obediendum cuilibet homini, sed illi cui religiosus voluntariè se tradidit. Itaque ex vi huius voti, non tenetur religiosus obedire Ecclesiæ, aut Prælatis eius, vt tales sunt, sed præcipientibus ex vi solius iurisdictionis, quam à Christo habent mediatè, vel immediatè. Cuius signum à posteriori esse potest, quia religiosus faciens contra præceptum Ecclesiæ, frangendo ieiunium, v.g. vel omittendo sactum in die festo, nō peccat grauiùs ex circūstantia voti obedientiæ, ita vt faciat sacrilegium cōtra votum; nec etiam eo titulo talem conditionem personæ in confessione explicare necesse est. A priori ratio est, quia religiosus non vouet obedientiam, secundùm præcepta Ecclesiæ, nec vouet obedientiam aliàs necessariam, sed voluntariè superadditam, quod solùm ad perfectionem necessarium erat vt D. Th. suprà notauit. Atque eadem ratione non pertinet ad hoc votum obedientia parenti carnali debita, etiam quatenus in persona religiosi manere potest; quia illa non fundatur in traditione voluntaria, sed in naturali vinculo; & ideo licet per se ex naturali lege necessaria sit, non cadit sub promissione, vel intentione, sic vouentium. Præterea licet fingamus religiosum professum aliàs esse seruum, seu mancipium, qui domino obedire tenetur; illa obedientia non pertinet ad hoc votum, nec votum hoc respicit illum dominū, quia eius dominium non fundatur in hac voluntaria traditione, sed regulariter magis coacta est illa subiectio, quàm voluntaria; vel licet fingamus ortam esse ex voluntaria traditione, tamen & illa traditio est longè diuersæ rationis, quia non est religiosa, sed contractus mere humanus, & est valde extrinseca & accidentaria ad hoc obedientiæ votum. Vnde etiamsi contingat coniungi simul eadem persona religiosa, non pertinet per se ad perfectionem; & ideo votum obedientiæ ad illam non extenditur, sed supponitur obseruanda quantum ex lege iustitiæ necessarium est supposito pacto.

Obedientia debita parentibus, vel domino, non pertinet ad hoc votum obedientiæ.

4. Dubitatur an religiosus plures habens superiores, quando non potest omnibus satisfacere, debeat obedire Prælato quàm domino, vel Episcopo.

Hinc autem oriuntur quæstiones, quæ à Doctoribus tractari solent, quando contingit religiosum habere plures, quibus aliis titulis, præter votum, obedientiam debeat; an præferre debeat cæteris Prælatum, cui per votum se obligauerat, quando nō potest simul omnibus satisfacere, vt quando religiosus est filius familias, an plus debeat obedire Prælato quam domino, vel si non sit exemptus, an plus Prælato quàm Episcopo, vt Episcopus est. De quibus videri potest D. Th. in 2. d. 43. dub. vlr. circa literam, Sylu. verb. *Obedientia* q. 10. Ang. verb. *Obedientia* n. 10. & verbo *Religiosus* n. 32. ex quibus regula hæc generalis, & cum proportione applicanda sumitur, in his omnibus enentibus, vnumquemque esse præferendum in eo quod ad illum pertinet. Aduertit enim D. Thom. duobus modis posse multis debere obedientiam, primo cum perfecta subordinatione eorum inter se, quia nimirum potestas vnius ab alio manat, vel omnino pendet, & tunc nulla est difficultas, quia semper maior superior præferendus est, quia minor comparatione illius nullam habet potestatem; hac ratione nemo potest obligari præcepto hominis, cōtra præceptū Dei, nec præcepto gubernatoris, contra præceptum Regis. Secūdo modo possunt plures habere potestatem præcipiendi eidē personæ, sine subordinatione, vel dependētia, sed diuersis titulis quasi disparatis, & tunc necesse est aliquem ordinem seruare, ne oriatur perplexitas & cōfusio; necesse est ergo, vt habeant inter se diuisas iurisdictiones, vel materias distributas, vt vnusquisq; in sua sphæra præferatur. Quòd si simul præcipere contingat, quæ simul fieri non possunt, oportebit, ex materia & circumstātiis discernere, ad quem eorum in tali opportunitate pertineat præcipere, vt ille præferatur. Vt a. hæc generalis doctrina ad præsentē materiam applicetur, supponere oportet, votū obedientiæ solùm obligare in his, quæ licita sunt: si ergo contingat præceptū ejus, quæ in virtute hujus voti potest præcipere, opponi præcepto alterius alio diuerso titulo præcipientis, cōsiderandum est an præceptum Prælati, etiam supposito tali statu personæ, & occurrentibus talibus circūstantiis, sit contra proprium jus alterius præcipientis; nam si ita sit, nō obligabit votum, quia nemo potest promittere aliquid contra ius alterius: si autem non sit contra jus alterius, quia vel iam cessauit, vel non extenditur ad talem materiam, tunc Prælatus, cui ex voto obedientiæ debetur præferendus est.

5. Plus obediendum spirituali, quam carnali parēti.

Hac ergo ratione, religiosus plus obedit spirituali parenti, quàm carnali, quia jus parentis carnalis cessauit per traditionē in religione Deo factam. An verò in aliquo casu propter parentis necessitatem præferendus sit pater carnalis spirituali, superiùs disputando de ingressu religionis tractatum est, & in præsenti neutrū refert: quia licet daremus in aliquo casu subueniendum esse parenti carnali, etiam prætermisso præcepto Prælati religionis, id non erit propter præceptum ipsius parētis, sed immediatè propter diuinum, ac naturale præceptum, ideoque in hac comparatione generalis regula assignari potest, obediendū esse spirituali Prælato ad quem votum obligat. In alia verò cōparatione de seruitute, & obedientia religiosa, ēt vidimus professionē religiosam non auferre justam seruitutem, & ideo quandiu Dominus præcipit ea ad quę habet jus, ex vi sui dominij non potest impediri per obedientiam Prælati, quia jam esset injusta. In aliis verò, quæ vel ad bonum animi spectant, vel seruituti alteri debitæ non repugnant, Prælato ex voto obediendum est. Idem cū proportione censent dicti authores de comparatione inter Episcopum & Prælatum quoad religiosos non exemptos: nam in exemptis nulla est comparatio, quia per professionē desinunt esse sub Episcopo, & loco illius suum proprium Prælatum habent. De non exemptis autem D. Thomas ait, quoad disciplinam Ecclesiasticam debere Episcopum præferri: quoad regularem verò, Prælatum suum. Et prior quidem pars certissima est, quia quoad eam materiam Episcopus retinet jurisdictionem suam, à quo non potuit religiosus eximi sua voluntate, quantumcunq; obedientiam alteri promittat, & ideo exemptio nunquam fit ex vi voti, sed per priuilegium summi Pontificis. De altera verò parte est mihi difficultas, quam statim tractabo.

*Plus obediendum domino, quàm Prælato.*

*Item Episcopo.*

6. Votæ obedientiæ obligare ad obediendum omnibus Prælatis religionis, respectiuè.

Tertiò ergo dicendum est, votum obedientiæ obligare ad obediendum omnibus Prælatis religionis, respectiuè. Sensus est, vnumquenq; obligari respectu Prælatorum illius religionis, cui se tradidit; quia verò in eadem religione sunt multi Prælati; vnumquenq; religiosum obligari ad omnes, sub quibus cōstitutus est, seruato respectu, & ordine inter eos. Habēt enim illi inter se subordinationem, quia eorum potestas si proprie loquamur, vna tantùm est, idemq; fundamētum, scil. votum, & professionem, & ideo non est in multis, nisi cum ordinē ac dependētia, aliàs sequeretur confusio, & perplexitas: & ideo obedientia etiā, & subjectio, non æqualiter respicit omnes, sed respectiuè, ita vt maior semper minori præferatur. Quæ omnia facilè probātur: nam quòd hoc votū obliget ad omnes hos Prælatos, constat tum ex ipsa forma vouēdi, in qua interdum hoc expresse ponitur, *promitto (scil.) tibi, & locum tuum tenenti, vel successoribus tuis*: & idē est si fiat promissio obediendi sub hac regula, vel secundùm talem regulam: tum etiam, quia in omnibus il-

*Votæ obedientiæ obligatio ad parendum omnibus Prælatis religionis respectiuè ordine inter illos.*

bus illis est eadem potestas: vnde licet materialiter sint plures, formaliter sunt quasi vnus. Quòd autem hæc obligatio ad plures sit cum dicto respectu, patet, tum quia obligatio ad alterum accommodatur potestati alterius; tum etiam, quia aliàs non esset recta, neque ordinata obedientia.

*Resp. ad 1.*

*7. Difficultas an præcepti superioris Prælati præferendum sit inferiori contrario. Duplex potestas in Prælato.*

Dubitari autem potest circa hanc partem, an quoties superior, & inferior Prælatus religionis contraria præcipiunt, votum obedientiæ ad superiorẽ obliget, omisso inferiori. In quo affirmans resolutio clara est, sed quia plura continere potest, aduerto ex superiùs dictis duplicẽ esse in Prælato religionis potestatem, jurisdictionis, & dominationis: & de vtraq; verũ esse inferiorem dependere à superiore, ita vt contra eius mandatum præcipere non possit, quanquã ex diuerso principio. Iurisdictio enim manat à summo Pontifice in ipsam religionem; datur autẽ ordinatè, & ideo non confertur nisi inferioribus Prælatis mediis superiorib. vel certè dependenter ab illis. Vnde fit, vt superiores possint restringere jurisdictionẽ inferiorum; & quamuis rectè id faciant, quia rationabilem causam spectent, tamen etiamsi absq; causa id faciant, factũ tenet, quia pendet ab eius absoluta volũtate, & ideo quotiescunq; Prælatus superior restringit jurisdictionem inferioris, vel reuocat præceptum eius cessat obligatio voti obedientiæ respectu inferioris. Quoties autem superior Prælatus præcipit cõtrarium, satis reuocat inferioris Prælati præceptum. Eò vel maximè, quòd jurisdictio inferioris & ex natura rei, & ex intẽtione dantis limitata est, vt non se extendat cõtra jurisdictionem ejusdem superioris. Deniq; illius præceptum iam est de re illicita; nam cùm sit causa inferior, non potest impedire efficacitatem superioris; obligat ergo præceptum superioris, non obstante conatu inferioris. Ergo contrarium illius præcepti iam est malum, quia prohibitum; ergo contrarium præceptum inferioris iam est de re illicita. Oportet autem obseruare, vt sit vera contrarietas, nam interdum habet inferior Prælatus potestatẽ dispensandi in lege, seu præcepto superioris, vel interpretãdi in tali opportunitate nõ obligare, & tunc licet materialiter videatur cõtrarium præcipere, reuera non est contrarietas, & tũc eius præcepto obediendum est. Quomodo rectè dixit Caiet. 2. 2. q. 104. a. 5. religiosum non teneri obedire Prælato contra regulã præcipienti, nisi in eo casu, in quo ipse potest in regula dispensare; at verò potestas dominatiua manat ab ipsomet religioso, volũtariè se tradente, & promittente obedientiam, & ideo dependẽtia, & subordinatio Prælatorum, quoad hãc potestatem, ex modo traditionis & promissionis sumenda est, non est autẽ intentio religiosi tradere se, aut promittere obedientiã multis dominis, vt multi sunt, sed vni, vel vt sunt vnum. Et ideo illa ét potestas dominatiua, prout est in multis, semper est cum proportione ad vnum, ita vt inferior cõparatione superioris, non censeatur habere dominium, quod primò & per se est in tota religione, cuí primariò fit illa traditio; ab ipsa autẽ religione cõmunicatur, vel supremo eius Prælato, vt per illum aliis cõmunicetur, vel immediatè singulis Prælatis cũ dependentia eorũ inter se, juxta varias diuersarum religionũ consuetudines. In quibus etiam obseruare oportet aliquando ét concedi potestatem aliquam proximo Prælato, quæ juxta statutum alicuius religionis non potest auferri, vel immutari à superiori Prælato, tamen hoc ideo est, quia potestas superior vtriq; ita constituit, & limitauit potestatem superioris, vt quoad eam partẽ reuera nõ maneat superior; atq; ita formaliter verum est, obedientiæ votum semper obligare ad superiorem Prælatũ, prætermisso inferiore si inter se opponãtur.

*8. Obiectio.*

Dices, si hoc nascitur ex intentione vouentis potuisse ex eiusdem intentione aliter fieri. Respondetur non potuisse, quia hæc intẽtio necessaria est ex natura rei, neq; aliter posse votũ obligare, quia nemo potest duob. dominis seruire, vtiq; vt duo sunt, cũ repugnantia, vel sine subordinatione ipsorum inter se. Quocirca, etiamsi extra religionem quis velit obedientiam multis promittere, æquè primo sine aliqua subordinatione, vel alternatione eorum interse, non posset id facere, quia esset repugnantia in tali obligatione, nisi alteruter eorum esset præferendus, vel per anticipationem præcipiendo, vel per alternationem, vel in diuersis materiis, aut alio simili modo.

*9. Difficultas an hæc subordinatio circa obedientiam ascendat vsq; ad summum Pontificem?*

Secundò dubitari potest circa eandem partem, an hæc subordinatio circa obedientiam ascendat vsq; ad summum Pontificem? In quo si sola jurisdictio Ecclesiastica & eius efficacia spectetur, non est dubium, quin præceptum Pontificis præferendum sit si supponatur verum præceptũ, & cadens in materiam illi subjectã. Duo ergo sunt, quæ dubitari possunt. Vnum est, an votũ obedientiæ religiosæ respiciat summum Pontificẽ, non minus quàm proprios, & (vt sic dicã) intrinsecos Prælatos religionis. Aliud est, an Põtifex possit præcipere religioso, nõ solùm vt Christiano, aut clerico, sed etiam vt religioso: i. e. non solũ in his quæ pertinent ad cõmunem statum Ecclesiæ laicorum, vel Clericorum, sed ét in his, quæ spectant ad statum regularem. Ratio autẽ vtriusq; dubii est, quia nec ex intrinseca ratione voti obedientiæ, nec ex speciali intentione sic vouẽtium hoc votum ordinatur ad summũ Pontificem: ergo nullo modo Prior pars constat, quia potest quispiam facere votum obediendi Petro, vel Paulo soli, & non alteri homini, etiam summo Pontifici, ex vi voti; hoc ex objecto non est illicitũ, nec repugnans honestati voti: ergo ex parte eius non repugnat ita fieri. Quòd autem fiat hoc vel illo modo, voluntarium est; ergo etiã ex intentione vouentis potest ita fieri, sicut in seruitute ciuili potest quis tradere se in seruum priuati hominis, vel cõmunitatis, & non Regis. Vnde patet altera pars antecedentis, quia in religionib. (generatim loquendo, & abstrahẽdo ab specialibus institutis) solùm fit traditio ipsi religioni, & promissio obedientiæ propriis Prælatis eius; nec venit in mentem vouentium, se deuouere summo Pontifici: igitur ex vi voti non speciali-ter obligantur illi. Quod si ita est, sequitur è cõtrario non habere summum Pontificem specialem potestatem præcipiendi religiosis magis quàm aliis fidelibus laicis, vel Ecclesiasticis, quia non subduntur illi, nisi subiectione necessaria ex jure diuino proueniente, quæ non est maior in illis, quàm in alijs. Vnde vlteriùs sequitur non posse illis præcipere in his, quæ pertinent ad speciem vitam regularem, quia illa talia sunt, vt præcipi non possint, nisi ex virtute voti obedientiæ, & ideo secularibus fidelibus præcipi non possunt. Sequitur denique, in his quæ Pontifex potest religioso præcipere, quamuis teneatur ei obedire ex generali virtute obedientiæ, non tamen ex speciali obedientiæ voto, ita vt religiosus trãsgrediens præceptum Pontificis, non propterea cẽsendus sit frãgere votum obedientiæ frangere, sicut non frangit illud transgrediendo alia Ecclesiæ præcepta.

*10.*

In contrarium autem est, quia juxta communem doctrinam Theologorum, Pontifex habet potestatẽ irritãdi vota religiosorum, vt suprà vidimus: potestas autem irrirandi, nõ est ex vi solius jurisdictionis, aliàs haberet eam Pontifex in cæteros fideles; ergo est ex vi specialis potestatis, quã Pontifex habet in religiosos; ergo habet illã ab ipsis religiosis, tum quia nõ potest habere aliud principium, quia non habet illam immediatè à Deo, cùm non habeat ex vi Põtificatus; ergo ab homine; ergo ab ipsomet religioso, quia nullus alius excogitari potest: tum etiam, quia illa potestas non est iurisdictionis, vt ostensum est; ergo est dominatiua,

minativa, de nouo acquisita per voluntariam subjectionem alterius; ergo ab ipso manat; ergo mediante professione, & voto obedientiæ collata est: ergo votum obedientiæ religiosæ respicit summum Pontificem, tanquam supremum Prælatum vniuscuiusq; Religionis. Vnde fit consequens ipsum posse præcipere in quacunq; religione, non solùm ratione iurisdictionis, sed etiam ratione potestatis dominatiuæ, & consequenter posse præcipere in virtute voti obedientiæ, & in quacũq; materia, etiam specialiter pertinente ad disciplinam regularem. Ac deniq; sequitur religiosum ex vi sui voti obedientiæ obligari ad obediendum Pontifici, ità vt ea ratione specialiter sit sacrilegus, si Pontifici inobediens sit.

11. *Papa potest præcipere religiosis, etiam illorum Prælati ex iurisdictione.*

Hæc posterior doctrina verior est, & magis pia, nõ est tamen æquè certa, quoad omnia, quæ includit; indigetq; nonnulla declaratione. In primis ergo certum existimo, habere Pontificem potestatem præcipiendi religiosis in quacunq; materia capaci præcepti, respectu illorum, atq; adeò in omni materia, in qua omnes Prælati religionis possunt eis præcipere: vnde fit, vt ipsi teneantur ei obedire, etiã circa dispositionem vitæ regularis. ita docet expresse D. Th. in 2. in vltimo dubio eius, & consentiunt Doctores asserentes Pontificem nõ minùs esse ordinarium Prælatum, quàm sit generalis, & esse principaliorem. quod sentiunt Caiet. q. 88. art. 12. §. *ad secundũ*. q. 15. Sot. lib. 7. de Iustitia q 3. a. 1. & Nauar. in summa c. 12. n. 76. & sumitur ex Bonauentura in Apologia pauperũ 4. responsione, particula 2. art. 1. qui tamen de sua religione in particulari loquitur; tamen idem est vsus, & obseruãtia, quoad hoc omnium religionum. Estq; hoc per se valde cõsentaneum rationi, vt ordo Hierarchicus in Ecclesia exactè, & maximè in religionibus seruetur. Vnde D. Th. suprà non reducit hanc potestatẽ ad voluntariam subjectionem, sed ad supremam Pontificis iurisdictionem. *Eius (inquit) potestas est quoddam Ecclesiæ fundamentum, vt patet Matth. 16. & ideo in omnibus magis tenemur obedire Papæ quàm Episcopis, vel Archiepiscopis, & Abbati plusquam Monachis sine vlla distinctione.* In quibus verbis apertè sentit D. Thom. non pendere hoc ex intentione religiosorum vouentium, quia oritur ex potestate à Christo concessa. Vnde etiam fit non posse religionem in Ecclesia instituì, quin in ea habeat summus Pontifex maiorem potestatem, quàm quilibet alius Prælatus eiusdem religionis ad præcipiendum in omni materia sine distinctione, vt dicit D. Thomas, id est, tam pertinente ad statum Ecclesiasticum, quàm ad statum regularem. Hæc autẽ potestas sic explicata non potest esse, nisi potestas iurisdictionis, vt rectè probant rationes in principio factæ. Et ideo explicare oportet, quomodo ex vi solius iurisdictionis possit Pontifex præcipere in his, quæ præcisè pertinent ad regularem vitam, cùm materia illa consilij potiùs, & supererogationis esse videatur.

12. *Pontifex possit præcipere, & obligare religiosos ex vi voti obedientiæ.*

Dicendum autem est in primis ad Pontificem pertinere modum, & regulam religiosæ vitæ approbare, & consequenter illam mutare, vel in ea dispensare; nam totum pertinet ad conuenientem modum pascendi oues Christi: hic ergo est vnus modus quo potest Pontifex disponere in his quæ pertinent ad vitã regularem. Deinde quamuis regularis vita absolute sit consilij, tamen supposito statu eius, est necessitatis, & ideo conueniens obseruantia, seu dispositio in his, quæ ad illam pertinent, valde necessaria est ad salutẽ eorum, qui talẽ statum professi sunt, ac proinde huiusmodi cũra primò, ac principaliter pertinere debet ad eum cui totius gregis Christi principalis cura demandata est: hic ergo titulus sufficiens est, vt possit Pontifex præcipere in quacunq; religione, tã in generali, quàm in particulari, quidquid ad bonum, vel omnium vel singulorũ pertineat præcipere, dũmodo nec supra regulã sit, nec sit in destructionẽ, sed in ædificationẽ. Atq; ita explicata hæc potestas, licet ad illã necessariò præsupponi debeat volũtaria professio religiosi status, tamẽ formaliter, ac per se non oritur ex ipsa professione, sed est necessaria conditio tanquam applicatio, seu dispositio materiæ circa quam; sicut ẽt specialis subjectio, quã habet Clericus ad Episcopũ, vel Pontificẽ, supponit volũtariam susceptionẽ clericalẽ, vt conditionem necessariam, non vt radicem potestatis, quæ est in superiore. Deniq;, sistendo intrà limites hujus potestatis, & subjectionis, verum est, nõ teneri religiosum formaliter ex voto obedientiæ ad obediendũ Põtifici, sed ex necessaria subjectione, quã supposito suo statu ad illũ habẽt ratione jurisdictionis suæ. Sicut Clericus tenetur obedire Episcopo ratione status, etiã seclusa speciali voto obedientiæ.

13. *An Papa habeat potestatem dominationis ex voto obedientiæ religiosæ.*

Declarandum verò supereſt, an præter potestatem jurisdictionis habeat Pontifex potestatem dominatiuam, orã ex voto obedientiæ religiosæ. In quo dubio authores citati affirmãt, & specialiter Sot. explicat, Pontificem esse peculiarẽ Prælatum religiosorũ. *Est enim (inquit) sicut generalis Magister, & sicut Prouincialis, & sicut Prior.* Vnde intulit alius modernus Emmanuel Roder. t. 1. q. regul. q. 22. art. 6. certò esse credendũ, omnes religiosos ex æquo teneri summo Pontifici obedire in suis obseruantiis regularib. ac si se ei speciali voto obedientiæ consecrassent. Nullũ verò afferunt huius rei fundamentum, sed id supponũt, vt inde inferant in Pontifice potestatẽ irritandi vota religiosorum. Veruntamen licet certum sit Pontificem esse primum Prælatũ religiosorum (sic enim etiã loquitur Caiet.) quoad jurisdictionẽ vt à nobis explicatã; tamen inde non satis infertur, quòd vorũ obedientiæ illi fiat, vt argumentã priùs facta videntur ostendere. Nec videtur necessarium admittere in Põtifice maiorẽ potestatem irritandi, vel tollendi vota religiosorũ, quàm ex prædicta jurisdictione oriatur, quia per illã potest illa vota auferre si iudicauerit ita expedire ad maius bonũ spirituale illorũ, vel ad suæ regulæ faciliorem obseruationem; quæ potestas satis est: vnde neq; in ipso vsu videtur vsurpari major. Nihilominus verã existimo prædictam sententiam. Fũdari autẽ potest primò in intentione religiosorũ vouentium, intendunt enim promittere obedientiam omnib. Prælatis, à quibus juxta regularem disciplinã regi possunt: inter quos primũ locum tenet Pontifex, vt ostensum est: intendunt autem illã promittere, cũ debita subordinatione, quã ordo prælationis postulat, & ideo primariò etiam illam promittunt summo Pontifici. Secundò fundari potest in volũtate ipsiusmet summi Pontificis, quia ita approbat vnamquãq; religionẽ, vt eam sub cura sua, & patrocinio specialiter suscipiat: vnde ipse est, qui traditionẽ, & vota religiosorum principaliter acceptat, & ideo vult sibi principaliter fieri traditionem, & promissionem obedientiæ: ergo quamuis hoc non exprimatur specialiter in ipso voto, ita nihilominus intelligendum est. Tertiò, quia cùm tota potestas Prælatorum pendeat à summo Pontifice, non esset conueniens ordo, vt religiosi magis obligarentur ex voto ad obediendum aliis Prælatis, quàm summo Pontifici. Vnde ad rationes in contrarium respondetur, quidquid sit de simplici voto obedientiæ extra statum religiosum facto, de quo suprà dictum est, in religione non fieri hoc votum, nisi hoc modo, & intentione, quam non oportet esse in singulis religiosis ita expressam, sed satis est, vt in ipso instituto religionis contineatur, cui generatim accommodatur intentio vouentis.

14. *Difficultas tertia, an Episcopi possint præ-*

Hinc verò nascitur tertium dubium, an idẽ dicendum sit respectu Episcoporum, quoad religiosos eis immediatè subjectos, & non exemptos, quales olim erant ferè omnes religiosi, & tunc sunt aliqui præsertim

Vtrum ex voti obedientia religiosi non exemptis.

tim fœminæ. Multi enim absolutè negant, quod sentit Angelus verb. *Obedientia* n.20. vbi quærens, an religiosus non exemptus teneatur magis obedire Episcopo, quã suo Prælato, negando simpliciter respondet, & idẽ sentit Sylu. verb. *Obedientia* q.10. licet vtatur distinctione, quòd in his, quæ pertinent ad disciplinam Ecclesiasticã, plus tenetur Religiosus Episcopo, non verò in his, quæ spectãt ad disciplinã regularẽ. Quam distinctionẽ sumpsit ex D. Th. in fin. 2. sent. vbi suprà, qui in hoc planè constituit differẽtiam inter Papã & Episcopum, & ideo dixit, Papam esse præferendũ sine distinctione, Episcopũ autem cũ prædicta distinctione. Sentit ergo Episcopũ non posse præcipere religioso in his quæ pertinent ad disciplinã regularẽ; nam si posset, jus præceptum esset præferendum præcepto Abbatis, etiã in illa materia, quod D. Th. negat. Vnde consequẽter fit, religiosum ex voto obedientiæ, nõ subdi Episcopo, etiamsi alioqui à sua jurisdictione exemptus non sit, quia si votũ illi fieret, etiã in disciplina regulari religiosus subiiceretur Episcopo, quia illa est propria materia voti obedientiæ. Potestq; hoc cõfirmari, quia si Episcopus esset Prælatus ordinarius religiosorũ eo modo quo Prior, vel Prouincialis, &c posset sibi subditos ordinare inuito Abbate, sicut potest Prouincialis eis facultatẽ dare inuito rectore: consequens a. est contra jura, dist. 58. per totã.

15. Hęc tamen sententia mihi difficilis est, propter proximè adducta in superiori puncto, addendo principium receptũ à Iurisperitis, in his, quæ ad spirituale regimen spectant, vnumquemque Episcopũ posse in suo Episcopatu totũ id quod potest Pontifex in Ecclesia, nisi prohibeatur. Hinc ergo sequi videtur habere Episcopũ circa religiosos nõ exemptos potestatẽ præcipiendi, & disponendi, ẽt in his, quæ pertinẽt ad vitã regularem. Probatur, quia hoc potest Põtifex circa exemptos, & non est prohibitũ Episcopo circa nõ exemptos; ergo idẽ potest circa illos, cùm id pertineat ad spirituale regimẽ ipsorũ. Declaratur præterea applicando rationem suprà factam de summo Pontifice, nam licet vita regularis ablute nõ sit de necessitate salutis, tamen suppositа professione eius, necessarium est ad salutem illam seruare. Vnde conueniens eius disciplina multũ conferre potest, & ad salutem, & ad profectũ eius; sed Episcopus est ordinarius pastor spiritualis, ad quem spectat cura salutis religiosorum non exemptorum, principaliùs quam propriis religiosis Prælatis; ergo ex vi suæ jurisdictionis potest curam habere religiosæ disciplinæ, & obseruantiæ, & consequenter circa illam disponere, & mutare quidquid Papa sibi non reseruauit, nec est supra regulam, & ita præceptum eius erit præferendum præceptis omnium inferiorum Prælatorum, dũmodo sit in ædificationem, & non in destructionem. Et cõfirmatur, quia nunc ita est vsu receptum, vt experientia cõstat in monialibus subditis Episcopis, & si qui sunt alii nõ exempti. Et olim fuisse Episcopis subditos, magis quàm propriis Prælatis, colligitur ex Dionys. c.10. de cælesti Hierarchia, vbi Monachismum constituit in medio quodã ordine inter plebẽ, & Clerum, dicitq; debere esse subjectum Episcopis, à quibus & dirigi, & illuminari debent, vtiq; etiã in his, quæ ad suum statũ spirituale pertinẽt: quod ipse etiam late prosequitur in epist. ad Demophilum. Significat etiam Hier. epist. 1. ad Eliodorum, dicens. *Alia causa est Monachi, alia Clerici, illi pascunt, ego pascor:* & epist. 4. ad Rusticum, *Ecclesia habet fœtum Presbyterorum, sine quorum consilio nihil Monachis agere licet.* Quòd maxime ratione Episcoporum intelligẽdum est; nam si inferiores Clerici aliquid interdum poterant, circa Monachos constituebantur ab Episcopis, vt colligitur ex Conc. Calcedonensi c.8. Vnde in eadem epist. circa finẽ subdit Hier. *habes igitur sanctum doctissimumq; Pontificem Proculum, qui vitæ, & præsenti voce nostras schedulas superat, quotidianisq; tractatibus inter tuum dirigat.* Itaque secluſa speciali Pontificia constituta, moraliter necessaria est ad ordinarium regimen religionũ; ergo quid nunc potest, v.g. Prouincialis præcipere ex vi suæ jurisdictionis circa regularem disciplinam, potest etiam præcipere Episcopus in monasterio nõ exempto; imò hac ratione inter alias dicuntur nunc Prouinciales habere jurisdictionem Episcopalem, Episcoporumq; locum tenere quoad jurisdictionem respectu suorum subditorũ; potest autẽ Prouincialis, seu Prælatus religionis jurisdictione sua vti circa obseruãtiam regulariẽ, & ideo potest talia præcepta sub excommunicatione imponere; ergo idem potest Episcopus circa nõ exemptos. Est ergo (vt opinor) Episcopus ordinarius Prælatus religionum quoad totam potestatem jurisdictionis, si per exemptionem non prohibeatur, & idem censeo probabile quoad obligationẽ voti, licet cum maiori formidine, vt dixi. Aduertendum est tamen semper Pontificem retinere suum supremum gradũ potestatis in religiosos ẽt non exemptos, nam illi conuenit ex diuino iure. Vnde quando illos eximit, nihil noui sibi vsurpat, sed vel in se retinet jurisdictionem, quam cõmunicabat alteri, vel eam transferre

16. In Apostolica sede approbationẽ religionis sibi non reseruauit, ad Episcopos pertinuit, vt suprà ostendimus, quia Põtifice non præoccupãte munus illud, necessarium omnino erat, vt ab Episcopis fieret, alioqui nõ satis possent suis oribus prouidere; ergo simili modo philosophandũ est in præsenti, tũ propter similitudinẽ rationis, tum etiã, quia dum Episcopus approbat religionẽ aliquã, vel statũ religiosum pro suo Episcopatu, potest nõ admittere eum approbare, nisi sub cõditione, vt sibi sit plenè subjectus, ẽt in his, quæ ad disciplinam regularem spectãt: ergo quãuis illam conditionem nõ exprimat, ex natura rei subintelligẽda est, tanquã moraliter necessaria ad debitã subordinationẽ, & gubernationẽ.

17. Ex quo vlteriùs satis probabile fit, religiosos sic subditos Episcopis, illis etiã promittere obedientiã, tanquam veris, & præcipuis Prælatis suæ religionis; hoc enim suadere videntur, quæ de Põtifice diximus cũ proportione applicata suppositо dicto fundamẽto. Vnde consequẽter colligetur, habere Episcopum potestatẽ irritãdi vota religiosorũ à sua jurisdictione non exemptorũ: hoc tamen vltimũ non videtur ita receptũ. Nam Doctores, qui de Pontifice hoc affirmãt, simpliciter negant de Episcopo. Vnde illud etiã de obedientiæ voto incertum est, quamuis nunc habeat probabilitatem. Illud autem prius de potestate jurisdictionis mihi simpliciter videtur probabilius, etiãsi citati authores contrarium sentire videantur, quanquã D. Th. exponi potest, quòd loquatur de religiosis exemptis, quatenus in quibusdã pertinentib. ad communem Ecclesiæ disciplinam tenentur Episcopo obedire, & quoad illa intelligat esse præferendum præceptum Episcopi præcepto Abbatis, in cęteris autem obediendum sit Abbati, vel Priori, aut Prouinciali. In quo etiam considerandũ occurrit religiosos non exemptos per se non habere aliquã Ecclesiasticam jurisdictionẽ, nisi ab Episcopis cõmunicetur. Nã si immediate cõmunicetur à Papa, independẽter ab Episcopo quoad eam partem aliquam exemptionem recipiunt, non possunt autem illam habere, nisi aliquo ex his modis communicetur. Ergo necesse est, vt Episcopi per se ad minimũ habeant jurisdictionẽ tãtam in religiosos sibi subditos, seu non exemptos, quantã habent nũc Prælati religionũ in suos religiosos exemptos; quia hæc propinqua jurisdictio, id est, sub Pontificia constituta, moraliter necessaria est ad ordinarium regimen religionũ; ergo quid nunc potest, v.g. Prouincialis præcipere ex vi suæ jurisdictionis circa regularem disciplinam, potest etiam præcipere Episcopus in monasterio nõ exempto; imò hac ratione inter alias dicuntur nunc Prouinciales habere jurisdictionem Episcopalem, Episcoporumq; locum tenere quoad jurisdictionem respectu suorum subditorũ; potest autẽ Prouincialis, seu Prælatus religionis jurisdictione sua vti circa obseruãtiam regulariẽ, & ideo potest talia præcepta sub excommunicatione imponere; ergo idem potest Episcopus circa nõ exemptos. Est ergo (vt opinor) Episcopus ordinarius Prælatus religionum quoad totam potestatem jurisdictionis, si per exemptionem non prohibeatur, & idem censeo probabile quoad obligationẽ voti, licet cum maiori formidine, vt dixi. Aduertendum est tamen semper Pontificem retinere suum supremum gradũ potestatis in religiosos ẽt non exemptos, nam illi conuenit ex diuino iure. Vnde quando illos eximit, nihil noui sibi vsurpat, sed vel in se retinet jurisdictionem, quam cõmunicabat alteri, vel eam transferre

fertin Prælatum religionis, quam Episcopis communicare solet, & ideo religiosi non exempti primariò respiciunt per votum suum summum Pontificē, sub illo autem Episcopum, sicut exempti respiciunt Generalem, vel Prouincialem.

18. Difficultas vltima, in quibus sit potestas præcipiendi ex vi voti obedientiæ.

Superest verò exquirendum vltimò circa eandem partē, ad quas personas terminetur hoc votum obedientiæ, descendendo (vt sic dicā) à superiorib. ad inferiores Prælatos; in superioribus a. dubiis ostendimus ad quos ascendat hæc obedientia, scil. vsque ad summum Pontificē. Descendendo autem certum in primis est, peruenire saltē vsq; ad Præpositos locales, id est, ordinarios Prælatos singulorum Monasteriorū, siue Abbates, siue Priores, Guardiani, Rectores, Ministri, aut quouis alio nomine vocentur; non est a. in nominibus hæsitandum, eo quòd in vna religione eodē nomine appelletur Prælatus, seu caput monasterij, quo in alia Vicarius nominatur; id enim parum refert, sed officium attendendū est. Itaq; hic localis Prælatus ex vsu omnium religionum potestatem habet præcipiendi in virtute obedientiæ, & ideo dicim⁹ votum obedientię ad illū terminari. Est autem in illo hæc potestas tāquam ordinaria, quia ex vi sui muneris illam habet, est enim per se necessaria in vnaquaq; domo religiosa ad conuenientē illius gubernationē; ergo esse debet saltem in proximo capite illius, quia ordinarium regimen eius Monachicū est. Quòd si in aliqua religione misceatur atistocraticū, vel democraticū regimē, quo ad aliquos casus pro illis erit hæc potestas, vel in toto capitulo locali, vel in aliquo cōmuni Cōcilio, seu definitorio; sicut etiam esse potest cum proportione respectu totius prouinciæ, vel religionis. Et ideo hæ cōmunitates quoad hoc subintelliguntur sub capitibus suis. Addendum præterea est, hāc potestatem delegari posse à Prælatis etiam localibus, qui autē habet illam tanquam ordinariam, delegare eam potest, vbi prohibitū non fuerit, vel aliàs repugnauerit; neutrum autem hîc inuenitur, & hoc confirmat vsus, & fauet etiā modus vouendi, qui necessariò considerādus est: nam votū obedientiæ ex se ita potest fieri alicui personæ, vt non intendat quis se obligare, nisi eius proprio, & personali præcepto, nō verò alterius loco illius substituti. Veruntamen obedientia religiosa non ita promittitur, sed Prælato, & cuicunq; vices eius tenenti; quæ verba indifferentia sunt ad ordinarium pastorem, vel delegatū. Addo si votū obedientiæ sit absolutū, & non addatur suprapositа limitatio, secum afferre hanc extensionem. Nā ego promisi obedientiam Petro, & ipse jubet, vt faciam, quod Ioannes dixerit, seu voluerit, volūtas Ioannis habebit vim obligandi in virtute obedientiæ promissæ Petro, qui per eam quasi applicatur, vt cōpleatur præceptum Petri, seu materia eius, & ita fit quantum ad rem spectat, delegatio huius potestatis.

19. Dubium ergo superest, an infra localem Prælatum sint aliqui participantes hanc potestatem, ad quos proinde votum obedientiæ extendatur, vt sunt, v.g. vicarius, vel totius domus, vel Chori pro actibus ad illum pertinentibus, vel denique; præfecti illorum officiorum quoad suos ministros, vel operarios respectiue. In quo nihil aliud dicere possumus nisi jure cōmuni, & ordinario, non esse necessariam hanc potestatem in his inferioribus vicariis. Nam pro vno loco satis est, quòd sit in vno capite, imò per se loquendo videtur melius, ne contingat multiplicari præcepta sine necessitate. Quocirca ex vi muneris, seu officij non videtur esse jure ordinario, & communi in his omnibus officialibus talis potestas; an verò in aliquib. jure speciali illam habeant, ipsi judicabunt, & nos de Societate infrà ostendemus, quānis huiusmodi officiales possint simpliciter ordinare, aut præcipere absque propria obligatione in conscientia, non tamen directè imponere hanc obligationem in virtute voti. Et ideo votū obedientiæ propriè non respicit hujusmodi personas quanquam postea virtus obedientiæ inclinet ad obtemperādum illis juxta superiùs dicta.

Aliud speciale dubium hîc restat de Abbatissis, seu Prioriſſis fœminarum; an votum obedientiæ obliget ad illis obediendum, & consequēter an illæ habeant potestatem præcipiendi in virtute talis voti. Et ratio dubitandi esse potest, qu a illæ non sunt Prælatæ, nec possunt spiritualiter ligare, vt in materia de censuris diximus cum communi senten ia Theologorum in 4. dist. 20. Sed hæc ratio concludit eas non posse præcipere per po estatem jurisdictionis spiritualis; nam illius reuera non sunt capaces. Nihilominus tamē in eis esse potest dominium, & consequenter etiam potestas dominatiua ex traditione, & voto, etiamsi ad spiritualem finem ordinetur; nihil enim repugnat fieri votū obediendi fœminæ in his, quæ juxta regulā præcipi possunt in ordine ad perfectionem; nam tale votum est de meliori bono, & nihil inducit juri naturali diuino, aut Ecclesiasti co repugnans; imò in tali statu videtur moraliter necessarium ad conuenientē gubernationem, & ordinem monasterij. Quare cēleo votum obedientiæ in huiusmodi religiosis fœminis referri ad suas Abbatissas, quæ licet non sint prælatæ, quoad potestatem jurisdictionis, sunt superiores tāquam matres spirituales. Vnde sicut mater naturalis potest præcipere filiab. in his quæ pertinent ad suum veluti dominium naturale, ita hæc mater spiritualis potest præcipere in his, quæ ad suam administrationē pertinent; hæc autem potestas ex voto oritur, nec repugnat superari à potestate jurisdictionis, vt in superiorib. tactum est, & tractatu sequenti iterū dicemus. Est autē hujusmodi potestas in fœminis semper magis limitata, quàm in viris, & potestas eorum subordinata, vt constat ex vsu Ecclesiæ, quia secus ita expedit ad conuenientem illius vsum. Et ideo ad desiderandum quanta sit hæc potestas in singulis Abbatissis, &c. specialia statuta, & propriæ consuetudines vniuscujusq; religionis, aut monasterii cōsulēdæ sunt.

20. *Dubium secundum; an Abbatissæ habeant potestatem præcipiendi in virtute voti obedientiæ.* *Ratio dubitandi.* *Tom. 5 in 3 p. disp. 2. sect. 2. n. 5.* *Resolutio est affirmativa.* *Abbatissæ sunt matres spirituales.* *Potestas præcipiendi est magis limitata in fœminis, quam in viris.*

## Caput XII.

### *Vtrùm in votum solemne obedientiæ cadere possit dispensatio.*

1. VLtimò breuiter expediri potest ex dictis quæstio de dispensatione huius voti. Nam eadem proportione tractanda, & definienda est, qua in cæteris factum est. Potest enim hoc votum dispēsari vel simul cū professione ipsa, & toto statu religioso, vel per se tantùm manente statu religioso. Priori modo non dubitamus, quin fieri possit, cū ostensum sit professionem esse dispensabilem, imò eo ipso, quòd per dispensationem fit aliquis ex religioso nō religiosus, manet dispēsatus liber etiam ab hoc voto, quia ablato principali tollitur accessorium, & quia nō religiosus non est per se subjectus regulari disciplinæ; ergo nec voto obedientiæ secundùm illam. Quæ ratio nō solùm probat, ablato per dispensationem statu religioso, auferri hoc votum, sed etiam non posse aliter fieri, quia ablato regulari statu, auferetur materia huius voti, quæ non est obedientia quæcunq;, sed regularis. Non est autem negandum quin possit Pontifex non simpliciter dispensare in statu religioso, sed miscendo commutationem, ex vi cuius maneat in eo qui dispensatur, obligatio obediendi alicui per modum obligationis voti simplicis juxta formam à dispensante præscriptam, & à dispensato acceptatam. *Assertio prima.*

2. Deinde dicendum est, non facta dispēsatione circa ipsum statum religiosum non posse integrè dispēsari per se, ac directe in voto obedientiæ; quia votum hoc est de essentia talis status: ergo non potest durāte statu tale votum auferri. Posset quidem Pontifex *Assertio secunda.*

dispensare cum religioso, vt liber ab omni obligatione obedientiæ, vitam solitariam vel priuatam agat, reliqua quæ sunt de substantia religiosi status obseruando; non tamen propterea cum ipso dispensaret in obedientiæ voto, sed ad summum in vsu, seu exercitio eius, semperq; maneret talis religiosus sub jugo obedientiæ specialis & ex voto obligatus saltem respectu ipsius Pontificis. Et hoc modo dixit D. Thom. 2.2.q.186.a.8.ad 3. Papam non posse dispensare cum religioso, vt nulli Prælato teneatur obedire in his, quæ ad perfectionem vitæ pertinent, quia licet possit eum eximere ab obedientia inferiorum Prælatorum, non tamen à sua. Et eodem modo q.185.art. 8. ad 3. dicit cum Episcopis non dispensari in voto obedientiæ, sed mutari subjectionem ad hunc vel illum Prælatum, vel si fiat supremus Episcopus, carere superiore, quod est per accidens ad votum obedientiæ, vt ipsemet D. Thom. dixit 2.2.q 88.art.9.ad 4.

3. Obiectio. Dices esto non possit Pontifex tollere omnino votum obedientiæ, & relinquere integrum, seu simpliciter religiosum statum, propter repugnantiam, quæ in illo sensu composito inuoluitur; nihilominus posse auferre ipsum votum relinquendo illum statum ex parte, seu secundùm quid. Respondeo ex parte obiecti in hoc non inuolui repugnantiam, & ita si inueniri posset causa sufficiens ad talem modum dispensationis, potestatem in Pontifice non defuturam; sicut suprà in similibus diximus; nihilominus tamen ex defectu causæ nunquam esse talem dispensationem possibilem. Quæ enim causa legitima excogitari potest, vt persona manens religiosa quoad cætera omnia, non maneat etiam obedientiæ religiosæ obnoxia saltem respectu ipsiusmet summi Pontificis? Probat autem prædicta ratio, admittere hoc votum per se, & durante statu religioso partialem aliquam dispensationem, scilicet quoad obseruationem alicujus regulæ, vel præcepti, vel quoad aliquam partem materiæ, quia ad hujusmodi dispensationem potest facilè causa legitima inueniri. Verum est, semper ibi intercedere aliquam subtractionem materiæ, vel exemptionem ab hoc, vel illo Prælato, & ideo loquendo de directa & præcisa dispensatione in ipso voto, minùs propriè in hoc, quàm in votum castitatis cadere posse.

Resp.

*Finis huius tertij tomi de Religione.*

INDEX

# INDEX RERVM NOTABILIVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTRR:

*Primus numerus paginam, secundus marginalem eiusdem paginæ numerum denotat.*


A.

ABBATISSA, vide *Obedientia solemnis.*

*Abnegatio*, vide *Obedientia solemnis.*

*Actus internus.*

Actus interni quomodo cadant sub præceptum. pag. 19.num.13

Possunt esse materia voti, ac proinde obedientiæ; ordinariè per modum regulæ, vel consilij præcipiuntur. ibid.

Vide *Obedientia solemnis.*

*Administrator*, vide *Dominium.*

*Adultera.*

Maritus nolès parcere adulteræ ad mortem damnatæ nisi religionem ingrediatur, non facit illi violentiam. 213.1

*Ætas.*

Ætatis triplex distinctio. 184.2

Ætas pubertatis in ordine ad professionem est 16. ætatis annus tam in viris, quam in fœminis; in ordine ad matrimonium, votum Religionis, & alia in fœminis est 12. in viris 14. completus. 173.2

Vide *Professio. Filius. Parens. Pater. Tutor.*

*Alienatio.*

Alienatio bonorum religionis quando & à quo fieri possit. 416.2

Vide *Dominium.*

*Amentia*, vide *Carentia vsus rationis.*

*Amor Dei, & proximi*, vide *Charitas, & Perfectio.*

*Anachoreta.*

Anachoretæ verum statum religionis habuerunt, & habere possunt. 81.4

Non tamen habent secundùm præsentem Ecclesiæ consuetudinem. 131.27

*Apostolus, & Apostolatus.*

Apostoli fuerunt verè religiosi, & vota emiserunt. 148.9, & 10

Apostolis non fuit data à Christo certa regula; sed ab illo præsente, & postea Spiritu sancto per orbem dispersi regebantur. ibid. 10

Apostolatus vt vera, perfecta, & specialis Religio habuit pro fine particulari vitam mixtam. ibid.

Apostoli post vocationem non fuerunt incapaces dominij: probabile est habuisse dominium aliquarum rerum stabilium. 378.24

Probabilius tamen est nullum habuisse. ibid.25

Item probabilius, nullum dominium rerum mobilium habuisse. ibid. 26

Apostoli eleemosynis fidelium sponte oblatis, & aliquando emendicatis vixerunt. 382.8

Speciali & firma obedientia Christum sequentes illi adhærebant. 553.9, 10. & seq.

Perfectissimam obedientiam profitebantur. 582.9

Post vocationem ad Apostolatum, voto castitatem perpetuam coluerunt. 442.20

Nullus Apostolorum, qui ante acceptam vxorem vocatus est, eam postea duxit. 495.2. & seq.

*Appetitus.*

Appetitus honoris, famæ, & dignitatum virtualiter amputantur per tria vota religiosa, paupertatis, castitatis & obedientiæ. 77.15

*Approbatio.*

Approbatio Ecclesiæ necessariò & absolutè requiritur ad verum statum religionis. 123.4, & 124.10

Approbationis duplex significatio, vna ad intellectum, alia ad voluntatem pertinet. ib.11. & 125.12

Ad religionem in communitate institutam necessaria est Ecclesiæ approbatio judiciaria. ibid.13

Hæc approbationis necessitas non solum in iure Canonico, sed etiam in naturali fundatur. ibid.15

Semper fuit necessaria approbatio vel Papæ, vel Episcopi pro religionis instituendæ diuersitate. ibid. 16, & 126 17

Etiam est necessaria approbatio practica, per quam detur potestas acceptandi. ibid.18

Sine Ecclesiæ approbatione prohibetur, & irritatur cujuscunque veræ religionis institutio. 128. 8, & 9

Non requiritur approbatio expresse, & quasi formaliter sub ratione veræ religionis, vt sit, & dicatur vera religio, etiam quando votis tantùm simplicibus approbatur. 130.19, & 20

Requiritur verò quando talis viuendi modus non includit tria vota integra, & de se perpetua. ibi.21

Non solùm est necessaria approbatio ad veram religionem, sed etiam ad quemcunque modum viuendi honestum, obseruantem ordinem, ritum, & cæremonias aliquas religiosas sine tribus votis. ibid.22, & 131.23 & 24

Quid nomine religionis, & ordinis approbandi intelligatur. ibid.25

Quid item prohibeatur in cap.1. de Religiosis domibus in 6. ibid.26

Non intelligitur modus viuendi honestus, & singularis in vita priuata. ibid.

Vide *Potestas.*

B.

*Baptismus.*

BAptismus B. Virgini, & præcipuis Apostolis probabiliter à Christo Domino collatus fuit. pa. 148. 8

Baptismus non potest justè conferri filio infidelis sine consensu parentis. 186.11
Baptismus non extinguit vota antea facta. 527.17, & 19

*Beatitudo.*

Beatitudo hujus vitæ est imperfecta; non requirit actualem operationem, sed bonam personæ dispositionem. 149
Beatitudo major, vel minor secundùm gradus charitatis mensuratur, non secundùm perfectionem. 15.12
Ad beatitudinis objectum per se non pertinent creaturæ. ibid.13
Non datur Beatitudo, nisi priùs peccatum veniale remittatur. 30.26
*Beatæ*, vide *Status. Castitas simplex.*

*Benedictio.*

Benedictionis duplex genus. 308.11
*Beneficium Ecclesiasticum*, vide *Nouitius. Obedientia solemnis. Castitas clericalis. & Clericus.*
*Blanditia*, vide *Professio.*

C.

CAlix *consecratus*, vide *Consecratio.*

*Camera.*

Camera Apostolica succedit in bonis religiosi ejecti è religione in perpetuum. 109.13

*Canonicus.*

Canonici Regulares sunt Apostolorum successores, exstant adhuc plurima illorum Monasteria, Conimbricæ est celebre sanctæ Crucis. 152.8

*Capitulum.*

Capituli consultatio secundùm regulam, vel jus canonicum requisita, si omittatur, facit actum irritum, nisi id exprimat. 219.7, & 8
Capitulum qualem habeat potestatem circa nouitios recipiendos. 221.18

*Carentia vsus rationis.*

Carentia vsus rationis, si est temporalis, non reddit simpliciter inhabilem personam ad religionis ingressum, in ordine ad nouitiatum, & professionè, sed pro tempore, quo durat. 192.3
Legitimè receptus si durante nouitiatu incidat in amentiam, & in ea duret pro aliquo notabili tempore, prior receptio manet irrita. ibid.
Carentia vsus rationis perpetua reddit absolutè personam inhabilem ad religionis ingressum. 193.4, & 195.15

*Castitas simplex.*

Perpetuam castitatem seruare, non est malum, sed licitum. 437.3
Item non solùm licitum, sed & melius est. 439.11
Castitas, seu virginitas in lege Euangelica non præcipitur, sed consulitur. ibid.
Castitas facit homines Angelorum imitatores. 441.14
Bonum & optimum est virginitatem seu perpetuam castitatem per votum Deo consecrare. ibid.16
Referuntur varia exempla vouentium perpetuam castitatem. 442.19, & 20
Castitas tam perpetua, quàm temporalis, sed aliquantulum diuturna non potest perfectè seruari sine speciali Dei auxilio. 443.24
Vide *Votum castitatis.*
Votum perpetuum castitatis obligat semper, & pro semper. ibid.1
Materia castitatis duplex, necessaria scilicet, & voluntaria, ad vtramque obligat votum castitatis. ibid.2, & 444.3
Habens votum castitatis si illud violet, siue per externum actum, siue per internum consensum tantùm, contra temperantiam, & contra religionem peccat, & circumstantia voti necessariò in confessione est aperienda. ibid.2
Votum castitatis simplex obligat ad non contrahendum matrimonium animo consummandi. ibid.5, & seq.
In vno tantùm casu licet vouenti castitatem contrahere propria authoritate matrimonium, quando scilicet naturale præceptum ad id obligaret. ibid. 7. & seq.
Habens votum simplex castitatis licitè potest contrahere matrimonium cum intentione non consummandi, & commutatione voti castitatis in votum religionis. 446.4, & 447.7
Si contrahens tenetur religionem ingredi, vel profiteri, manet liberà voto, & potest licitè matrimonium consummare. ibid.9, & 10
Si alter conjux voueat castitatem cum pacto nunquam petendi debitum, ex vi voti secluso periculo incontinentiæ, non tenetur ingredi religionem. ibid.11
Si talis ante matrimonium esset omnino certus, (hæc tamen certitudo sola diuina reuelatione haberi potest) quòd alter nunquam peteret debitum, licitè contrahere posset etiam sine voto aut proposito ingrediendi religionem. ibid.
An persona, quæ post votum virginitatis amisit virginitatem frangendo votum, teneatur postea non nubere. 449.15
Votum simplex castitatis non irritat matrimonium subsequens, sed reddit illicitum. 450.4, vsque ad 12
Votum castitatis simplex, & solemne, in antiquo vsu Ecclesiæ fuit ante tempora Innocentij secundi. 453.13, & seq.
Votum castitatis simplex non extinguitur per matrimonium. 455.1. & 14
Obligat ad castitatem conjugalem & ad non nubendum mortuo conjuge. 458.14
Votum castitatis antea factum non impedit reddendo debitum, licitè consummare matrimonium: nec tenetur talis ingredi religionem ad seruandum votum. 456.4, vsque ad 7
Obligat verò ad non consummandum matrimonium petendo debitum. 458.13
Episcopus potest concedere dispensationem ad consummationem matrimonii, in hoc casu. pag. 457.7
Votum castitatis simplex factum post matrimonium non obligat ad ingrediendam religionem. ibid. 10, & 12
In aliquo casu ex intentione vouentis obligare potest. ibid.11
Habens hoc votum non potest licitè reddere debitum ante tempus à jure concessum elapsum ad deliberandum de ingressu religionis. 458.15
Ad quid obliget votum castitatis imperfectum, seu temporale, & partiale. ibid. & 11.16
Ad quid obliget votum non nubendi. pag. 459.17, & seq.
Votum castitatis simplex nude, ac solitarie sumptum non dissoluit matrimonium ratum. pag. 460.1
Opinio asserentium votum castitatis simplex simul cum traditione religiosa dissoluere matrimonium ratum. ibid.2. & seq.

Votum castitatis nec natura sua, nec diuino jure dissoluit matrimonium ratum. 462 9
Nullus contractus, vel traditio pia, & religiosa conjuncta voto castitatis dat illi vim, aut cum illo simul sumpto dissoluit natura sua matrimonium ratum, secluſa lege positiua Ecclesiæ. ibid. 10. & seq.
Per legem Ecclesiasticam jure communi contentam nullum votum castitatis dissoluit matrimonium ratum, quòd etiam non inhabilitet personam ad matrimonium contrahendum. 463.14, & 24
Ex jure diuino positiuo nullum votum simplex castitatis dissoluit matrimonium ratum. 464.18, & seq.
Votum castitatis ante Baptismum factum impedit matrimonium, & ejus vsum etiam post Baptismũ. 527.17, & 18
Votum simplex castitatis ante sponsalia factum illa impedit, & irritat per se loquendo. 470.2
Post sponsalia de futuro factum, non illa dissoluit ex parte vouentis. ibid.4, & 12
Etiamsi sponsalia sint jurata. 472.14
Tale votum est validum, & obligat vouentem ad non contrahendum matrimonium quantum in ipso est, & ad acceptandam solutionem sponsalium si alter consentire voluerit: si verò matrimonium ad petitionem alterius contrahatur, obligat ad non petendum debitum, & ad castitatem conjugalem durante matrimonio, & si conjux moriatur, ad integram castitatem: non obligat tamen ad ingressum religionis. ibid.12
Probabile adhuc est per tale votum dissolui sponsalia etiam jurata. 471.8, 13, & 14
Si tamen copula intercessit, vel alii actus similes, nullo modo sponsalia dissoluuntur. 473.15
Quid faciendum, quando votum castitatis præcessit sponsalia, vel illa fictè promittuntur ad copulam fœminæ extorquendam. ibid.16
Votum castitatis ab vxore factum ante matrimonium tatum, vel post ratum, & non consummatum, non potest à marito irritari. ibid.1
In hoc casu tenetur vxor reddere debitum petenti. 474.3
Votum castitatis ab vxore factum, post matrimonium consummatum, obligat ad seruandam castitatem conjugalem durante matrimonio, & mortuo marito ad castitatem integre seruandam, neque quoad hanc potest à marito irritari. ibid.
Item obligat ad non petendum debitum, neq; quoad hoc potest à marito irritari. ibi.5
Quomodo intelligatur hæc obligatio non petendi debitum. 477.9, & seq.
Votum castitatis à marito factum non obligat ad non reddendum debitum. 476.1
Obligat verò ad castitatem conjugalem, & vidualem mortua vxore, neque quoad hanc potest irritari. ibid.
Item obligat ad non petendum debitum, neq; quoad hoc irritari potest. ibid.3
Votum non accedendi ad vxorem vllo modo, donec ipsa expresse petat, quamuis videatur in periculo constituta, & tacitè petere, non obligat. ibi.
Votum castitatis factum ab vtroq; coniuge ex mutuo consensu, est licitum, & validum. ibid.4
In hoc casu non potest licite talis consensus reuocari, & reddi debitum. ibid.6
Reuocato consensu, adhuc peccant reddendo debitum, & tenentur iterum consensum & pactum reiterare. 477 8
Si alter eorum pœnitens talem reuocationem retrahere velit, alter verò nolit, non peccat directe contra votum suum reddendo debitum. ibid.
Neque ex vi voti alterius petentis tenetur non reddere, imò potest, & debet. ibid.10
Quando alter conjugum de licentia consortis votũ castitatis emisit, qui dedit licentiam, nec tenetur, nec potest licitè reddere debitum petenti. ibid.1
Peccat grauiter reuocando talem licentiam ad vouendum datum. ibid.
Ante votum emissum validè reuocari potest licentia data ad vouendum, & petenti debitum reddi debet. 478.3
Post votum verò factum, nõ potest validè reuocari, neque licitè reddi potest debitum. ibid.5 & seq.
Licentia hæc ad non reddendum debitum dupliciter concedi potest. 479.10, & 11
Post votum factum, non tenetur conjux acceptare reuocationem licentiæ, nec licitè potest: si tamen reuocatio acceptetur, valida est acceptatio, & deinde tenetur reddere debitum petenti, neq; in eo peccat; non tamen potest licitè petere. ibid.12
Iure & potestate ordinaria solus Papa potest dispensare in voto simplici castitatis. 480.1
In casu tamen vrgentis necessitatis, quando est periculum in mora, & difficilis accessus ad Pontificem, potest Episcopus commutare, vel dispensare cum sibi subdito. ibid.1, & 12
Limitatur hoc primò, quãdo in casu vrgentis necessitatis & difficilis recursus ad Pontificem, subueniri potest subdito sine absoluta dispensatione in voto, non potest Episcopus illam dare. Secundò, si in eo casu sit necessaria aliqualis dispensatio, vel moderatio in vsu talis voti pro aliquo tempore, vel pro aliqua parte eius, potest ab Episcopo concedi. 483.13, & 14
Quomodo possit Episcopus dispensare cum habente votum castitatis ad petendum debitum. 484.16, & 17
Episcopus ex vi suæ potestatis absolutè potest dispẽsare in voto non petendi debitum. ibid.18
Tale votum non est reseruatum. ibid.
Votum castitatis perpetuæ absolutum, ab vtroque conjuge vel ab vno tantùm ex mutuo consensu, vel sine illo factum, est reseruatum, nec potest Episcopus in illo dispensare. ibid.19, 22, & 23
Potest tamen dispensare ad petendum, vel reddendum debitum cum vno, vel cum vtroque, si vrgeat grauis necessitas. 485.21. & 22
In nullo casu vrgentis necessitatis potest Episcopus absolutè, & totaliter in voto castitatis dispensare. 485.24, & 486.26
Votum castitatis temporale non est reseruatum, ab Episcopo dispensari potest. 486.1
Votum castitatis factum, vt tantùm obliget post certum tempus, v.g. si vxor voueat castitatem seruare post mortem mariti, vel filius post mortem parentis, est reseruatum. ibid.2
Votum non contrahendi matrimonium, non est reseruatum, & ab Episcopo dispensari potest. 487.4, & 7
Item votum castitatis coniugalis. ibid.4
Habens votum non contrahendi matrimonium, si contrahat, peccat contra votum, non verò in vsu matrimonii etiam petendo debitum. ibid.5
Votum suscipiendi ordinem sacrum nec est castitatis, neque reseruatum. ibid.8
Votum vouendi castitatem non est reseruatum; ab Episcopo dispensari potest. pag. 488. numer.9
Votum assumendi statum, seu viuendi modum includentem cœlibatum, si non sit formale votum de ipso cœlibatu, & de custodia castitatis in illo, non est reseruatum. ibid.10
Votum assumendi statum tertij ordinis D. Francisci,

cisci, vel D. Dominici; item profitendi vitam fœminarum, quas vocant Beatas, non est reseruatum. ibid.

Non omne votum in materia castitatis etiam ex obiecto suo perpetuum reseruatur. ib.11

Votum castitatis cum conditione factum, vt sibi liceat matrimonium contrahere cum aliqua, quæ secum velit castè, & sine copula viuere, non est reseruatum, imo cum illo licitè potest contrahere, & reddere debitum. ib.14

An votum conditionatum, etiam post impletam conditionem sit reseruatum. 489.15

*Castitas Clericalis, seu Ordini sacro annexa.*

Castitatis obligatio est coniuncta cum ordinibus sacris à subdiaconatu, vsque ad Episcopatum numeratis. 489.2

Nullus ordo sacer ante matrimoniũ susceptus reddit ex solo iure diuino personam inhabilem ad matrimonium contrahendum. 490.7

Nullum est ius diuinum prohibens, ne ordinati in sacris matrimonium contrahant. ib.8

Item ne vsum vxoris ante ordinationem ductæ habeant. 491.11

Quod ordinati in sacris obligentur ab Ecclesia ad perpetuam castitatem, vel abstinendum à matrimonio, si antea illud non contraxerant, vel ab vsu eius, si contraxerant, non est contra ius diuinum, sed maximè consentaneum. ib.12, & seq.

Sacerdotes legis veteris aliqualem castitatem obseruabant. ib.14

Vide *Clericus*, & *Votum castitatis*.

A tempore Apostolorum obseruatum fuit in Ecclesia, vt Episcopus, & presbyter iam ordinatus matrimonium contrahere non permitteretur. 493.2

Ostenditur in ipsis Apostolis. ib. vsque ad 10

Incertum est quando hæc obseruantia castitatis sub rigorosa obligatione inceperit. 495.11

Episcopi & sacerdotes, qui post matrimonium consecrantur, tenentur à propriis vxoribus continere: hoc præceptum ob contrariam consuetudinem in Ecclesia Græca non obligat; non constat esse propriè Apostolicum, quanuis ex Apostolica traditione manasse certum sit. ib. 496 13, & seq.

Episcopi & presbyteri Ecclesiæ Orientalis non abstinebant ab vxoribus ante ordinationem habitis. 498.2

Aliqui censent prioribus sexcentis annis perfectam castitatem seruatam esse. ib.4

Probabile est nunquam fuisse obligatos ad continentiam seruandam abstinendo ab vxoribus, nisi illam in sua ordinatione promisissent. 499.8

Hæc continentia in illis prioribus seculis etiam in Orientali Ecclesia regulariter seruata fuit. ib 9

Hæc obligatio non solebat ibi imponi ordinandis ex necessitate legis, vel saltem ex causa rationabili in illa dispensabatur ab Episcopis. 500.10

Diaconi obligantur vel non contrahere matrimonium post ordinationem, vel non vti prius contracto; & vtraque obligatio est antiquissima. ib. 2, & 8

Diaconi olim saltem in Orientali Ecclesia si nollent promittere continentiam à futuro matrimonio contrahendo, poterant ordinari ab Episcopo dispensante ex causa graui. 501.5, & 6

Continentia subdiaconorum etiam est antiquissima, non vero æqualiter cum Diaconis, & sacerdotibus. ib. 10, & seq.

Intentio Ecclesiæ est, vt qui sacrum ordinem voluntariè suscipit, votum castitatis emittat, & ad hoc sic ordinatum obligat. 504.4, & 5

Hoc votum licèt explicitè non fiat ab ordinato, implicite fit eo ipso quod non excluditur, sed bona fide suscipitur ordo sacer animo parendi Ecclesiæ in eo statu suscipiendo. ib.6

Suscipiens ordinem sacrum cum expressa voluntate, seu intentione non promittendi, quanuis graiter peccet, non facit votum castitatis, quanuis ordinatus maneat. ib.7, & seq.

Hoc peccatum est sacrilegij. 505.8

Talis manet adhuc obligatus votum emittere. ib.

In hoc casu sic ordinatus matrimonium valide cõtrahere non potest. ib.10. & 11

Ordinatus in sacris, qui ex malitia votum castitatis emittere noluit, tenetur ad non contrahendum matrimonium. 506.12

Item speciali obligatione ab Ecclesia impositatenetur castitatem seruare. ib.13

Talis si peccet; probabiliter solum committit peccatum contra temperantiam, tenetur tamen declarare circumstantiam fictionis. ib.14

Probabiliter etiam committit peccatum sacrilegij, & qualis. ib.15, & 507.16

Talis circumstantia in confessione aperienda est. ib. 16

Qui ante vsum rationis ordinatur in sacris, postquã peruenit ad vsum rationis, non obligatur ad castitatem seruandam; sed illi danda est optio, & si velit habere vsum ordinis, tunc tenetur ad castitatem; si vero eligat perpetuo illo carere, potest contrahere matrimonium. ib.20

Qui habens vsum rationis ante ætatem legitimam, vel ante annos pubertatis ordinatur in sacris, manet obligatus ad castitatem seruandam. 508.22

Qui in sacris ordinatur inuitus per absolutam coactionem externam, ipso interius repugnante, ac nolente ordinatio est inualida, & non tenetur ad castitatem. ib.23

Si vero ordinationi consentiat expresse tamen velit castitatem non seruare, neque ad hoc se obligare, nec vouet castitatem, neque peccat non vouendo, neque ad castitatem seruandam cum inhabilitate ad matrimonium ex Ecclesiæ statuto manet obligatus. 509.26, vsque ad 29

Idem dicendum si tali metu graui coactus nihil de castitate cogitet aut velit, vel nolit expresse, sed solum velit ordinem suscipere. 510.30

Postea vero danda est optio, an velit ordinem exercere, & castitatem seruare, vel illius vsu perpetuo carere. ib.

Qui graui metu coactus non solum vult ordinari, sed etiam ad castitatem se obligare, putans ad vtrumque teneri, non manet obligatus, & votum est nullum; si vero sciens se in eo casu non teneri ad vouendum castitatem, nihilominus eam vult, manet ad eam obligatus, & simul ad non contrahendum matrimonium. ib.31, & 32

Si metus, & violentia directe inferatur, non solum ad ordinationem, sed simul cum expresso voto castitatis, talis si votum faciat, non manet inhabilis ad matrimonium; votum tamen est validum. ib.33

Qui ordinatur inuitus, sed consentiens ordinationi, si postea vtatur ordine suscepto, manet obligatus ad castitatem. 508.13

Graui metu ordinatus, vt possit postea nubere, debet prius talem motum probare coram Ecclesiastico iudice, & eius iudicio stare; si vero non possit probare debet stare iudicio prudentis viri, seu confessoris. 511.36

An qui ante ordinationem protestatur publice se nolle ad castitatem obligari, & tamen ordinatur, maneat obligatus. ib.37

An qui ex metu cadente in constantem virum in religione professionem emisit, & postea titulo religionis ordinatur in sacris, teneatur ad castitatem vel vtroque titulo, vel saltem altero. ibidem. 38.
Votum castitatis ordini sacro annexum reddit personam inhabilem ad matrimonium contrahendum, illud irritando. 522.2
Quando incipit hæc solemnitas in tali voto. ibid. 3, vsque ad 10
Clericus in sacris tentans matrimonium contrahere, graue sacrilegium committit, & ab Ecclesia grauiter punitur. 514.11
Incurrit ipso jure majorem excommunicationem. ibid.
Item priuationem beneficiorum, non tamen ipso facto, sed per sententiam judicis. ibid.12 & 13
Item priuationem pensionum. 516.22
Vlteriùs contrahit irregularitatem. ibid.23
Hoc votum obligat ad perpetuam & integram castitatem in omnibus actibus, etiam jure naturæ prohibitis. ibid 24
Conjugatus licitè ex consensu vxoris ordinatus in sacris, eodem prorsus modo, & cum eisdem effectibus obligatur voto castitatis, ac si ante matrimonium ordinatus fuisset; non potest contrahere matrimonium, neque petere, aut reddere debitum. 519.10
An liceat hujusmodi Clerico cohabitare cum vxore, & vti ejus ministerio, seclusò toro. ibid.11
Quale peccatum committat, & quam pœnam incurrat, si vxorem cognoscat. ibid.12
Illicitè, & sine vxoris consensu in sacris ordinatus, ad castitatem integrè seruandam obligatur, præterquam ad non reddendum debitum petenti vxori. 520.13
Item ipso jure manet irregularis. ibid.
Si vir ordinetur in sacris sciente vxore, & non contradicente, neque ad castitatem seruandam, neque ad illam vouendam tenetur, & maritus tenetur illi petenti reddere debitum. ibid.15
Idem dicendum, quamuis expresse consentiat, si id non faciat profitendo, seu vouendo castitatem. ibid 14
Votum castitatis solemne sacro ordini annexum Papa dispensare potest, primò antecedenter permittendo alicui vt in sacris ordinetur, non vouendo castitatem, nec contrahendo impedimentum ad matrimonium. 521.3 & 4
Dispensare secundo potest consequenter, dando licentiam, vt qui in sacris ordinatus votum fecit, & inhabilitatem contraxit, matrimonio ligari, vel vti possit. ibid.3 4. & 5
Dispensatio hoc 2. modo data potest esse valida quoad matrimonium contrahendum, & inualida quoad obligationem voti. ibid.5
Clericus in sacris sine causâ dispensatus, validè contrahit matrimonium, non tamen potest licitè petere debitum, reddere verò potest. 522 6, 7, & 8
Hæc dispensatio dari potest ordinato in sacris non solùm ad vsum conjugis, sed etiam vt simul cum illo habeat vsum ordinis sacri. ibid.9,10, & 11
Ad dispensandum in hoc voto non requiritur causa publica. 523.12

*Castitas religiosa & solemnis.*

Ad solemnitatem voti castitatis religiosæ requiritur, vt sit absolutum, & tam ex intentione vouentis, quàm acceptantis omnino perpetuum: Item vt reddat personam inhabilem ad matrimonium; & dirimat contrahendum, & contractum, nondum consummatum. 513.1
Hoc votum solemne factum in religione approbata dirimit matrimonium subsequens. pag.524. n.4, & 7
A tempore Innocentij secundi fuit hoc inuolabiliter obseruatum in Ecclesia. ibid.5
Ante Innocentij tempora non potest satis probari incepisse habere hunc effectum. ibid.6, & 23
Probabile est hoc impedimentum ab Innoc. II. introductum esse. ibid.8
Probabilius antea incepisse. 525.9, vsque ad 13
Solemnitas hæc castitatis quoad dirimendum matrimonium subsequens, videtur à tempore Apostolorum pro tota Ecclesia vniuersaliter incepisse. 526.13, & seq.
Hæc solemnitas tam quoad omnia Ecclesiæ loca, quàm quoad omnes personas vniuersalis fuit. 529.22
Votum solemne castitatis validum non dissoluit matrimonium consummatum. 531.2
Post matrimonium consummatum non potest vnus coniux justè facere hoc votum inuito alio, & quamuis faciat, nec dissoluitur matrimonium, nec alter priuatur iure petendi debitum. Item tale votum est inualidum. 533.3
Vnus conjux ex consensu alterius, & seruatis iuris conditionibus tale votum validè emittere potest. ibid.4
Tale votum quamuis validum non dirimit vinculum matrimonij consummati. ibid.
Neque Ecclesia potest facere vt dirimat. ibid.5
Votum solemne castitatis religiosæ dirimit matrimonium ratum non consummatum, etiam inuito altero conjuge. 533.2
Non illud dirimet ex natura rei. ibid 6
Neque ex jure diuino positiuo à Christo Domino specialiter lato. 537.16
Sed ex Ecclesiæ statuto. 538.20
Quando inceperit hoc votum dirimere matrimonium ratum. 541.6
Cur Ecclesia hunc effectum tribuit voto solemni castitatis rel giosæ, & non voto sacri ordinis, vel Episcopatus. 542.9.&10
Potuit verò tribuere. 541.7
Intra quod tempus post matrimonium ratum teneatur quis reddere debitum vel ingredi religionem, & profiteri. 543.2,&3
Per professionem voti solemnis castitatis religiosæ, dissoluitur matrimonium ratum, quantumuis illud copula præcedat. ibid.4
Item quamuis talis copula habeatur per vim. ibid.5
Item quamuis habeatur post sponsalia de futuro; & postea contrahatur matrimonium. ibid.7
Quando matrimonium consummatur per copulam villatam, non dissoluitur tunc per professionem voti solemnis castitatis religiosæ. 544.9
Post talem copulam consummatur matrimonium, neque conjux potest ingredi religionem, & validè profiteri sine alterius consensu. ibid.10, & 11
Copula debita, & nondum exhibita, non impedit quominus quis post matrimonium ratum validè & licitè ingredi possit religionem, & facere hujusmodi votum. ibid.12, & 13
Maritus non consummans matrimonium, sed tradens vxorem alteri ad adulterandum, illa inuita, validè potest ingredi religionem, & profiteri, & per talem professionem dirimitur matrimonium. 545.14
Si verò vxor tradita est in adulterium volens, licitè potest profiteri, non ita si vi aut metu coacta est; & maritus illi alia via præterquam matrimonium consummando, & permanendo in illo, iniuriam resarcire non possit. ibid 15

Quando

Quando vterque sponsus professus est religionem, vel saltem altero profitente, alius simplex votum castitatis emittit, dissoluitur matrimonium. ibid. 16
Vt votum solemne castitatis in religione factum dissoluat matrimonium ratum, requiritur vt religio à Papa sit approbata. 546.18
Item, vt professio sit integra, & perfecta, id est, non relaxata quoad ipsa vota. ibid.19
Professio militum sancti Ioannis dirimit matrimonium ratum; non ita votum Eremitarum. ibid.
Votum castitatis solemnizatum per professionem religiosam, per legitimam dispensationem ipsius professionis dispensari potest. 546.1
Necessaria consequutione aufertur votum castitatis religiosæ ablato vinculo professionis, quando simpliciter fit dispensatio, nullo imposito onere, neque acceptato ab eo, qui dispensatur. ibid.2.
Moraliter loquendo non potest saltem licitè dispensari in professione vel solemnitate hujus voti, quin in voto ipso dispensetur. ibidem 3, vsque ad 6
Si talis dispensatio concedatur absque sufficienti causa, erit quidem illicita, & inualida quoad intrinsecam obligationem voti, tamen quoad inhabilitatem ad matrimonium erit valida. pag. 547. num.6.
Papa dispensare potest cum religioso in voto castitatis, quoad vsum eius, non auferendo omnino votum castitatis, nec statum religiosum, nec vinculum professionis, ita vt religiosus professus manens religiosus licite, & valide contrahat, & consummet matrimonium. pag. 548. 8, vsque ad 12.
Tribus modis fieri potest hæc dispensatio, primò, dispensando in solo vsu matrimonij. 549. 12, & 13
Secundò dispensando simul in vinculo, & vsu, id est, vt matrimonium de nouo contrahi, & consummari possit. ibid.13
Tertiò dispensando solùm, vt matrimonium licite, & valide contrahatur sine licentia consummandi; hic tamen modus dispensandi nunquam fit, nec fieri expedit. ibid.14. & seq.

### *Charitas.*

Charitas purificat cor. 10.11
Dirigit alias virtutes in Deum, & quare. 11.14
In illa consistit beatitudo, & contemplatio hujus vitæ. 12.22
Assignantur variæ perfectiones charitatis. 13 3
Quid sit intensio, & extensio charitatis. 16.18
Charitas non habet mensuram, quoad exercitium, & fauorem, habere tamen potest quoad obligationem & determinationem. 29.18
Non habet illos tres status, seu gradus, incipientis, proficientis, & perfectæ, neque ex intensione. 39. 5
Neque ex extensione. ibid. & seq.
Sed ex modo operandi magis vel minùs perfecto quoad facilitatem, & delectabilitatem. 40. 8, & 9
Vide *Perfectio. Consilium*, & *Præceptum.*

### *Christus.*

Christus habuit perfectissimam paupertatem, non tamen fuit incapax dominij. 378 23
Eleemosynis non solùm sponte oblatis, sed emendicando petitis vixit. 381.8
Habuit dominium rerum mobilium in communi. 386.23
Non ita possessionem, aut dominium rerum stabilium. 387.27
Christus votum virginitatis emisit; est exemplar omnis castitatis voto consecratæ. 442.19

### *Circumstantiæ peccatorum.*

Vide *Nouitius. Obedientia solemnis. Castitas simplex*, & *Clericalis. Peccatum*, & *Delectatio.*

### *Clauis.*

Clauium vsus an liceat Religioso, vide *Paupertas solemnis.*

### *Clericus.*

Clericus in ordinatione non vouet, sed solùm promittit obedientiam Prælato in materia necessaria. 111.3
Clericorum ordo ab Apostolis incepit, est antiquior quàm Monachorum. 151.5, & 6
Clerici olim habitabant in vrbibus, & in domibus Episcopotum. 155 9
Clericus in sacris licet votum castitatis emittere nequeat, est tamen inhabilis ad matrimonium ex lege Ecclesiastica. 103.10
Clericus in minoribus contrahens matrimonium, an ipso facto priuetur beneficiis. 514. 14, vsque ad 20
An priuetur etiam pensionibus. 516.21
Clericus in sacris quando dicatur, & censeatur concubinarius. ibid.24
Debet vitare contubernia, & familiaritatem fœminarum. ibid.25, & 26
Quam pœnam incurrat propter trangressionem, vel scandalum in hac parte. 517.26
Vt quis licite ordinetur Clericus in sacris post matrimonium viuente vxore, requiritur primò, vt irregularitas bigamiæ ex tali matrimonio non sit contracta: secundò vt ex consensu vxoris, si matrimonium sit consummatum, ordo suscipiatur. ibid.1.
Tertiò vt ipsa vxor castitatem profiteatur, ingrediendo religionem. 518.5.7, & 9
Excipiuntur duo casus, in quibus sine consensu vxoris Clericus in sacris ordinari potest. 517. 2, & 3
Vide *Castitas clericalis.*

### *Cogens. & Coactio.*

Vide *Excommunicatio. Castitas Clericalis, & Professio.*

### *Commutatio voti.*

Commutatio voti in minus, vel æquale bonum, nunquam fit ipso jure. 292.1
In melius verò bonum fit ipso iure solùm per ingressum religionis. 293.2
Commutatio voti in melius fieri potest ab ipsomet vouente. ibid
Commutatio votorum in rem meliorem, quando & quomodo fiat sine dispensatione. 64.19, 20, & 65.23
Vide *Votum religionis. Professio. Societas Iesu*, & *Debitum.*

### *Concubinarius*, vide *Clericus.*

### *Concubitus.*

Concubitus vagus quare sit illicitus. pag 439. 8, 9, & 10

*Coniux*, vide *Ingressus religionis. Castitas simplex. Professio.*

### *Consecratio.*

Consecratio, aut benedictio humana non potest per se reddere personam inhabilem ad matrimonium. 89 6, & 90.7
Consecratio rerum vel personarum duplex, & quam vim habeat. 309.15
Aliquando auferri potest, aliquando non. ibid.17, & seq.

Ex

Et dispensatione licet vti calice, seu alio vase consecrato ad communem, & profanum vsum necessarium, sed non malum. 549.11

*Consilium.*

Est hæreticum negare distinctionem int r consilia Euangelica, & præcepta. 20.6, & seq.
Consilium, & præceptum de bono opere esse debent. 22.1, & 2
Consilium de opere indifferenti dari nequit. ibid.
De ratione consilij est, vt sit de opere non præcepto. ib.
Potest dari opus honestum inferioris ordinis, nec præcepti, nec consilij, quale est actus matrimonii. ibid.
De ratione consilij est, vt sit melius quàm oppositum, & sibi incompossibile. 23.7
An opus consilij debeat esse melius quàm opus præcepti in eadem materia. ib.8 9 & 24.10
Consilii opus præcipi non potest. 36.2, & 3
Consilium distinguitur in generale, & particulare. 24.2
Consilia Euangelica generalia ex parte materiæ sunt tantum tria, paupertas, castitas, & obedientia. ib. 3, & 25.6
Votum non pertinet ad consilia ex parte materiæ, sed ex parte modi. 24 3
Consilia particularia sunt plura; & in omni materia virtutis locum habent. ib.4
Consilia non solum in operanda virtute, sed etiam in cauendo malo, scilicet quoad media, vt caueãtur, versari possunt. 25.5
Consiliorum Euangelicorum multiplex diuisio, in essentialia, & quasi accidentalia; in affirmatiua, & negatiua. ib.7
Consilia non excluduntur per præceptum charitatis. 26.6
Frequentes, & feruentes actus charitatis exercere pertinet ad consilium. 28,14
Similiter actus imperati. ib.15
Consilium qua tale est, nullam obligationem vel sub veniali inducit. 30.24
Indicat dictamen diuini intellectus approbantis id, quod consulit. ib.25
Etiam indicat voluntatem Dei, sed inefficacem. ib.26
Consilia nec per modum finis continentur in præceptis. 35.15
Duobus modis sunt instrumenta maioris perfectionis acquirendæ. ib.16
Consiliorum obseruantia, sed non omnium requiritur vt medium ad perfectionem status religiosi. 73.4. & 5
Sine aliquibus consiliis non potest consistere religio. ib.6
Nullum consilium statui religioso generaliter sumpto repugnat. 749

*Consensus.*

Consensus legitimus qualis censeatur. 330.20

*Constitutio.*

Constitutio Sixti V. contra illegitimos, criminosos & reddendis rationibus obnoxios aliquam religionem ingredi volentes, declaratur. 208.14, & seq.
Non comprehendit Moniales. 210.21
Declaratur alia constitutio circa formam, & modum seruandum in recipiendis ad habitum, & professionem religionis. 220.11
Vtraque moderatur per Bullam Clem. VIII. prim. 210.21
Secunda. 212.22, & 281.1



*Consuetudo.*

Consuetudo præscripta, dummodo non sit per se illicita, derogat legi humanæ. 578.16
Contra vota religiosa nulla consuetudo præscribit. 579.20, & 21
Consuetudo per se non dat iurisdictionem. 482.9

*Contemptus.*

Contemptus Prælati in re præcepta quando sit peccatum mortale, vide *Obedientia solemnis.*
*Continentia*, vide *Virginitas & Castitas.*

*Contractus.*

Contractus humanus duobus modis ab intrinseco dissolui potest. 298.1
Contractus à Religioso factus sine licentia Prælati valet quatenus est vtilis monasterio, à Prælato tamen iritari potest. 581. & seq.

*Copula.*

Copula præcedens non consummat matrimonium ratum subiequens. 2.2, 4, & 5
Vide *Debitum coniugale.*

*Crimen, & Criminosus.*

Criminosi quales dicantur, & reputentur inhabiles ad religionem. 209.15
Non censentur tales propter crimina occulta. ib.16
Sed propter crimen publicum, de quo iudicium publicum per accusationem, vel inquisitionem inchoatam sit in particulari & iustè, & quod de tali inchoatione in actis publicis constet. ib.17
Tale crimen debet esse publicum non solum notoreitate facti, sed etiam iuris aliquo modo. ib.18
Criminosus hic comprehensus si absoluatur, & innocens iudicetur, vel damnatus pœnam impleuit, religionem ingredi potest. ib.19
Crimen tripliciter religionis ingressum aliquo modo impedire potest. ib.16

D.

*Debitum, & Debitor.*

Debitum respectu Dei duplex est, aliud gratitudinis, & aliud obedientiæ, seu necessitatis. 29. 21
Debitum pietatis erga parentes est maius, & perfectius, quàm debitum ordinarium iustitiæ. 198.9
Debitum coniugale, vide *Votum religionis. Castitas simplex. Castitas Clericalis, & Castitas solemnis.*
Debitor ingrediens religionem tenetur prius soluere debita incerta, si habet vnde soluat, potest vero donare religioni, vel pauperibus. 205.1
Si habeat debita ex voto, satisfecit commutando illa cum ingressu religionis. ibi.
Ingredi potest statim religionem qui est simpliciter impotens ad soluendum debita certa; tenetur tamen aliquantulum expectare, si habeat spem proximam soluendi. ibid.2
In casu vero quod possit soluere, sed per longum tempus: prima opinio docet non posse tunc ingredi religionem. 206.3
Secunda idem tenet, si debitum sit personale, non ita si sit reale, dummodo cedat bonis suis in fauorem creditoris. ib.5, 6, & 206.7
Tertia docet, absolutè posse ingredi. ib.10
Præfertur prima sententia vt vera, cum debito

tamen moderamine. 208.12,&13
Quid in hac materia disponat constitutio Sixti V. & quomodo per aliam Clem. VIII. limitetur. 210. 20,&21.
Vide *Professio*.

*Decipere, & deceptio.*

Deceptio in religionis ingressu aliquando est grauis, aliquando leuis. 214.6
Qui decipit alium consulendo, vt ingrediatur religionem, quem judicat, vel scit ineptum, peccat grauiter, excusatur tamen si bona fide procedat. 215.7
Qui decipit auertendo ab ingressu religionis, peccat grauiter. ibid.8
Non ita si solùm auertit precibus, aut promissionibus dummodo non sint importunæ, & sine causa contra certam Spiritus sancti vocationem. ibid. num.9
Qui decipit, tenetur restituere tollendo vel infamiam detractionis, vel ipsam deceptionem, vel vim, si fortè illata est volenti religionem ingredi. ibid.10
Vide *Ignorantia*, & *Professio*.

*Delectatio morosa.*

Delectatio morosa quando sit peccaminosa. 382. num.3
Delectatio interna morosa, & voluntaria de actu turpi, etiam absque desiderio, imò & cum proposito non committendi talem actum exteriorem, est sacrilega in habente votum castitatis. 443. 2, & seq.
Delectatio morosa circa personam voto castitatis ligatam, & circumstantia sacrilegij aperienda in confessione. ibid.

*Desiderium.*

Desiderium religionis per se, & regulariter est à Spiritu sancto, ac proinde sine consultatione suscipiendum; ad illius tamen executionem regulariter consultatio necessaria est. 211.4
*Diaconus*, vide *Clericus*, & *Castitas clericalis*.

*Discipulus.*

Discipulus Christi dupliciter quis dicitur. 348.n.4, 532.7
*Dimissoriales literæ*, vide *Nouitius*, & *Societas* Jesv.

*Dispensare, & Dispensatio.*

Dispensatio in jure humano sine causa data, valida est. 67.7
Dispensari potest cum persona religiosa super voto religionis arctioris. 297.18
Non autem in professione cum subdito. 301.12
Excepto Pontifice qui dispensare potest in professione. 303.5, & seq.
Dispensare etiam potest in solemnitate voti, non ita in ipso voto. 307.6
Major causa requiritur ad dispensandum in professione religiosa, quàm in votis simplicibus inde sumptis. ibid.7
Dispensari quomodo à Pontifice possit in matrimonio rato. 310.21
Dispensari non possunt vota scholarium Societatis. 311.26
Dispensare poterunt Episcopi ante reseruationem votorum. 312.2
Potestas dispensandi in votis quo iure competat Episcopis. ibid.3
An sicut vrgente graui necessitate potest Episcopus dispensare in votis Pontifici reseruatis, possit etiam in professione. ibid.4
Dispensari non potest ab Episcopo in matrimonio rato. 313.5
Causa sufficiens, vt Papa dispenset concedendo professis transire ad laxiorem religionem, quæ. 323. num.11
Ad dispensationem validam & licitam in voto castitatis causa justa requiritur. pag.445.num.10,& 521.5
Dispensare potest Episcopus quoad licentiam consummandi votum castitatis. 457.7
In voto simplici castitatis solus Papa jure ordinario dispensat. 480.1
Communi opinione conceditur Episcopis potestas quasi ordinaria ad dispensandum, & commutandum votum castitatis vrgente necessitate. ibid.
Dispensare non potest Episcopus in voto castitatis quando in casu vrgentis necessitatis subuenire alio modo potest. 483.13
In eo tamen casu aliqualem dispensationem concedere potest in vsu veneri. ibid.
Potestas religiosis concessa ad dispensandum in votis, non extenditur ad dispensandum cum conjuge ad petendum debitum, nisi exprimatur. 484.15
In casu necessitatis Episcopus dispensare potest cum habente votum ad petendum debitum tantùm, & ad nihil aliud. ibid.16
Episcopus quamuis detur causa, dispensare non potest cum conjugato in toto voto castitatis, sed tantùm ad petendum debitum. ibid.17
Idem dicendum de habentibus priuilegium ad dispensandum in petendo debito. ibid.
Dispensare, Episcopus potest circa votum non petendi debitum. ibid.18
Nisi in casu grauis necessitatis, vbi ad petendum & reddendum debitum dispensare potest. 485. num.21
Eodem modo dispensare potest cum vno tantùm coniuge. ibid.22
In nullo casu dispensare totaliter potest in voto castitatis. 486.26
Diaconi olim ex dispensatione ordinabantur, quamuis nollent abstinere à futuro matrimonio. 501.5
Dispensari potest ab Ecclesia votum sacri ordinis. 521.3
Valida simul & injusta potest esse hæc dispensatio. ibid.5
Clericus in sacris sine causa dispensatus validè contrahit matrimonium, non tamen potest licitè petere debitum. 522.6
Hanc dispensationem etiam validam esse quoad voti obligationem nonnulli opinantur. ibidem. num.7.
Dispensari vtrùm possit ad vsum conjugis pariter & ordinis sacri. ibid.9
Papa dispensare potest in voto solemni castitatis, dispensando in ipso statu, & professione religiosa. 548.8
Per dispensationem obligatio voti obedientiæ tollitur. 566.17
An & quomodo dispensare superior valeat. ibidem. num.18
Vt Episcopus dispenset, & sibi reseruet, an semper requiratur causa legitima. ibidem. num.19 & seq.
Vide *Episcopus*. *Professio*. *Votum Religionis*. *Paupertas simplex*, & *solemnis*. *Castitas simplex*, & *solemnis*. *Castitas clericalis*. *Matrimonium*, & *Societas Iesu*.

*Diuitiæ.*

Diuitiarum amor, & possessio quæ mala secum afferant. 387.7
Diuitiarum bonus vsus est difficilis. ibid.8
Diuitiarum nomine quid comprehendatur. ibid.9

*Dolus*, vide *Ignorantia*, & *Deceptio*.

*Dominium, & Dominus.*

Dominium in alium non transfertur nisi ab eo acceptetur. 82.6
Incapacitas dominii bonorum temporalium in professis solemniter non prouenit ex sola traditione sui, sed adiuncta Ecclesiæ ordinatione. 96.18
Inhabilitas acquirendi dominium duobus modis contrahi potest. 109.11
Noui dominij imperfecti non est Deus capax. 250. 17.& 366.34
Dominium transferri potest per puras donationes sine promissione, voto, aut iuramento. 99.2
Dominium in homine duplex, & quale. 357.10
Dominij diffinitio, & explicatio. 359.4
Dominus ab administratore, in quo distinguatur. ibid.5
Dominiorum varij gradus. ibid.
Dominij capax, aut incapax tribus modis homo intelligi potest. 362.18,19
Sine possessione aliquando dominium acquiri potest. 364.26
Potest dari res quę non sit sub dominio alicuius. 366. 37.& seq.
Per puram promissionem rei, non amittitur eius dominium. 451.8
Dominium proprij corporis, & aliarum rerum, quomodo possit quis à se alienare. 452.12
Vide *Paupertas simplex*, & *solemnis*. *Seruus*. *Religiosus*. *Christus*, & *Apostolus*.

*Donatio.*

Donatio non potest fieri Deo immediatè, & quare. 95.12
Impotentia ad donandum validè rem priùs donatam non prouenit ex eo, quòd prior donatio irreuocabilis sit, sed ex eo quòd nemo potest donare quod non est suum. 97.21
Vide *Nouitius*, & *Traditio*. *Dos Monialium*, vide *Simonia*.

*Dubium.*

In dubio potest quis aliquando obedire præcipienti. 561.9
Quando & cui teneatur quis habens votum obediētiæ in dubio obedire. 560.5
Vide *Obedientia simplex*, & *Professio*.

E.

*Ecclesia.*

Ecclesia primitiua tempore Apostolorum erat quasi vna religio, in qua omnes fideles statum religionis profitebantur. 150.3
Quomodo hoc intelligatur. 151.4
Vide *Status*.
*Electio*, vide *Nouitius*. *Professio*. *Obedientia solemnis*.

*Eleemosyna.*

Eleemosyna potest fieri à religioso. 74.9
Eleemosynis possunt licitè sustentari religiosi. 384. 14.15.385.18,& 19
Non ita seculares pauperes, qui laborare valent, & tamen otiosè viuere volunt. 384.13,15,& 16
Vxor licitè potest dare Eleemosynam moderatam, & suo statui conformem, si maritus ei neget licentiam. 398.20

*Elias, & Eliseus.*

Elias, & Eliseus coluerunt paupertatem, sed eam non vouerunt. 144.7
Eliseus coluit, non tamen vouit obedientiam. ibid.8
Fuerunt auctores religiosi status iuxta multorum sententiam. 142.1

*Epiikia.*

Epiikia in quo casu liceat. 280.28

*Episcopus, & Episcopatus.*

Ad Episcopatum suscipiendum quomodo possit Papa obligare, cùm sit opus consilij. 36.3
Episcopus non potest mutare statum proprtia authoritate. 38.14
Episcopus est in statu perfectionis exercendæ. 44.7
Ad Episcopatum supponitur perfectio in Episcopo. ibid.8
Non tenetur habere talem perfectionem in executione, sed in voluntate efficaci. ibid.9
Episcopatus, est status perfectionis exercendæ. 45.5, vsque ad 9
Ad illum constituendum non requiruntur vota de obseruatione alicuius consilij. 47.12
Vide *Status. Perfectio*, & *Parochus*.
Episcopatus vinculum non est indissolubile iure diuino naturali & positiuo, sed tantùm Ecclesiastico. 484.& seq.& 67.7
Episcopatus renuntiatio non est cōtra ius diuinum. 486.& 7
Facta ex licentia Papæ absque causa sufficienti tenet. 49.8
Sine Episcopatu potest ordinari Episcopus, neque est contra ius diuinum: ita ordinauit D. Petrus, Linum, & Cletum. ibid.9
Episcopatus translatio non est prohibita iure diuino. 49.11
In multis prouinciis solet fieri. 50.12
Episcopus electus, & confirmatus validè, sed non licitè potest contrahere matrimonium. ibid.14
Ex vi pacti inter Episcopum, & suum Ecclesiam, non potest illam deserere. 51.18,& 28
Episcopatus est ex institutione diuina immediata; determinatio verò quoad modum regiminis, & iurisdictionis, & alias conditiones, est ex iure Ecclesiastico. 57.21
Episcopatum deserere reseruatur Papæ. ibid.
Episcopatus indissolubilitas non oritur ex voto. ib. 25,26,& 27
Episcopi consecrationi nullum votum est annexum. ibid.25
Episcopi habent perfectiori modo curam pastoralem, quàm Parochi. 56.21.& seq.
Ad Episcopum principaliter pertinet munus docendi, & prædicandi. 59.3
Item exemplo illuminare. ib.4
Episcopatum appetere non est de melioribus bonis, nec per se cadit sub consilium. 60.8
Episcopatus propter adiuncta pericula non est materia voti. ibid.11
Votum acceptandi Episcopatum aliquando est licitum. ibid.12
Votum nō acceptandi Episcopatum, per se validum est si fiat debito modo. ibid.13
Item est optimum. 65.22

Episcopus, vt ingrediatur religionem, tenetur prius Episcopatum renunciare. 64.15
Si non renunciet, non potest amplius dignitatem recuperare. ib.14
Ad hanc renunciationem requiritur licentia Papæ. 65.1,2
Talem licentiam tenetur Papa dare quando ante Episcopatum datur votum religionis, & nulla intercedit causa specialis dispensandi. 67.9
Episcopus petens talem licentiam tenetur manifestare votum, si non obtineat licentiam. ibid. 10, & 68.13
Non ita quando votum est factum post Episcopatum. ibid.11
Si negetur licentia, tenetur Episcopus illam repetere quoties occurrit noua causa iustificans. ibid.12
Licentia concessa Episcopo non habenti votum religionis, vt ex deuotione ingrediatur religionem licet, & tenet. 67.7
Episcopi dignitas impedit, sed non inualidat religionis ingressum. 195.14
Vide *Paupertas solemnis. Votum religionis. Professio.*
Episcopus potest in sua diœcesi quidquid illi non prohiberur. 133.8, & 312.3
Potestas dispensandi in votis non est Episcopis concessa ex iure diuino, sed ex Ecclesiæ concessione, quæ ab Apostolorum tempore incepit. ibid.
Quo tempore incepit reseruatio votorum facta Episcopis. ib.
Episcopus potest vrgente graui necessitate dispensare in voto simplici castitatis, & similibus reseruatis. 313.5
Non ita in matrimonio rato. ibid.
Vide *Potestas. Professio.*
Episcopus est verus Prælatus religiosi non exempti, potest illius vota irritare. 590.17
Vide *Obedientia solemnis. Castitas simplex, Castitas Clericalis, & Matrimonium.*
*Error*, vide *Ignorantia.*

### *Esseni.*

Esseni, de quibus Philo, non sunt Iudæi, sed Christiani religiosi, iuxta aliquos. 145.11
Vocabantur Esseï, vel Iessei à Iesu nomine, ibid.
Fuerunt Esseni Iudæi ante Christi aduentum. ibid.12
Non fuerunt verè religiosi, nec habuerunt veram, & sacram fidem. ib.13
Non fuerunt propriè religiosi professi. 243.3

### *Excommunicatio, & Excommunicari.*

Excommunicatio maior impedit licitum religionis ingressum. 196.18
Excommunicantur cogentes per vim, aut metu fœminas ad ingressum religionis in Ordine ad habitum suscipiendum; vel susceptionem habitus; vel professionem. 213.2
Aliquando propter hæc contrahitur vnica, aliquando triplex excommunicatio. ib 3
Hæc excommunicatio ligat quascunque personas. 214.5
Contrahitur per solam coactionem directam; vel indirectam. ibid.
Excommunicantur impedientes iniustè fœminas, ne professionem, aut votum simplex castitatis, aut religionis emittant. 216.11, 12, & 13
Hæc excommunicatio incurritur impediendo, per deceptionem, non verò per preces, aut promissiones. ib.14
Excommunicantur non tamen ipso facto parentes, propinqui, aut tutores, qui tempore nouitiatus de bonis, nouitij vel nouitiæ aliquid, etiam sub ratione mutui, tribuunt monasterio, excepto victu, & vestitu. 217.16
Excommunicatio, & suspensio ferendâ imponitur Prælato, qui recipit seruum in Monachum sine licentia Domini: item excommunicatur qui suadet seruum contemnere dominum causa religionis. 266.2
Inter censuras Ecclesiasticas sola excommunicatio, & hæc denunciata, vel lata contra notorium clerici percussorem impedit professionem licitè facere, non verò valdè. 282.9
Vide *Professio. Castitas Clericalis, & Patet.*

### *Exemptio, & exemptus.*

Exemptio tam à spirituali, quàm à temporali iurisdictione Episcoporum, quo iure competat religiosis professis. 491.3
Vide *Obedientia solemnis.*

## F.

### *Fama.*

FAmæ an renuntiare quis possis. 356.4, & 5

### *Fidelitas.*

Fidelitas ex genere suo solùm obligat sub veniali. 569.4

### *Filius.*

Filij puberes & impuberes quando sint, & dicantur. 173.2
Filius post expletos pubertatis annos non potest cogi à parentibus sine propria voluntate ad religionis ingressum. 187.1
Potest verò ante pubertatem. ibid.3
Filius impubes sine propria voluntate non potest à parentibus obligari ad sponsalia. 188.3
Impubes coactus à parentibus ingredi religionem, etiam ante pubertatem licitè potest habitum relinquere. 189.9
Filius in leui parentis necessitate non tenetur differre, vel omittere religionis ingressum. 197.3
Tenetur verò in extrema; dummodo sit omnino necessarius parenti, & moraliter speret posse illi subuenire manendo in seculo. ibid.4, & 5
Si non sit spes moraliter certa, quòd aliquis alius subueniet, licet id possit, & debeat; adhuc filius tenetur non ingredi; si verò sit spes quod subueniet, ingredi potest. ibid. 6. & seq.
Filius si parentis necessitas id postulet, tenetur laborando procurare illi sustentationem. 198.8
Filius clericus, vel religiosus, vt subueniat parenti, tenetur propriis manibus laborare, exercendo actiones non repugnantes neque indecentes suo statui; ad actiones autem repugnantes, vel non decentes non tenetur, imò nec debet illas exercere. 277.15
Filius nobilis non tenetur mendicare in tali patris necessitate. ibid.
Vide *Necessitas, & Professio.*
Filius in graui parentis necessitate tenetur non ingredi religionem. 199.11
Quamuis habeat votum religionis. 200.13

Filius habens votum religionis, quoties propria authoritate potest non ingredi religionem propter parentis necessitatem, ad id tenetur. ibid.17
Filius non habens votum religionis licet non teneatur omittere religionis ingressum propter parentis necessitatem, tamen aliquando melius erit manere in seculo, & subuenire parenti. ibid.19
Filius si ab ipso parente inducatur ad peccatum, excusatur ab obligatione manēdi in seculo propter illum. 201.20
Si tentatur ad peccandum, non tenetur relinquere parentem, tenetur verò si inducitur. ibid.21
In hoc tamen casu adhuc tenetur in loco distans subuenire parenti si possit, (ac proinde non ingredi religionem) vel quolibet alio modo, etiamsi ingrediatur. ibid 22
Filius à parente grauiter, vel extremè egente prouocatus ad peccatum, non tenetur illum deserere ratione sui. ibid.23
Non est ad id obligandus: si verò potest facilè illi subuenire per alium vel alio modo absens, debet obligari, & tenetur relinquere. ibid.24
In eo casu quamuis filius non teneatur, tamen licitè potest relinquere. 202.25
Si deferat, & habeat votum religionis, tenetur implere, & ingredi. ib.26
Filius si à parente inducatur directè ad peccatum veniale tenetur deserere illum; si verò prouocetur indirectè, tenetur non deserere, nec ingredi religionem. ibid.27
Idem dicendum si impediatur ab operibus perfectionis. ibi.28
Filius si manens in seculo timeat probabiliter graue, & morale periculum peccandi mortaliter, quin parens ad id præbeat occasionem, rarissimè, & nisi tribus conditionibus concurrentibus, potest licite parentem deserere in extrema, vel graui necessitate positum, & ingredi religionem. 203.31
Filij Prophetarum non fuerunt verè religiosi, viuebant sub Eliæo colentes, sed non vouentes obedientiam. 144.9, & 10
Viuebant sub Elia veluti in quadam congregatione; incertum est, an perpetuò in societate Eliæ, vel Eliæi habitarent: veritimile est castitatem coluisse dum ibi manebant. 145.10
*Filia*, vide *Filius. Parens*, & *Pater.*
*Finis*, vide *Status.*

*Frater.*

Frater tenetur non ingredi religionem, & subuenire fratribus adhuc sub cura parentis existentibus ratione parentis; non tenetur verò si fratres sumantur per se separati à parente. 204.3, & 4
Est tamen valde rationabile etiam in hoc casu differre per aliquod tempus religionis ingressum. ibid.4.
Si frater habeat votum religionis, non potest licite ob grauem fratrum necessitatem differre ingressum sine dispensatione. 205.5

*Furtum.*

In materia furti duplex quantitas consideranda. 368.5
Quæ quantitas in furto sufficiat ad peccatum mortale, referuntur variæ opiniones. ibidem 6, & 7
Vide *Paupertas solemnis.*

G.

*Gratia.*

PRima gratia an obtineatur per professionem religiosam, vide *Professio.*

*Gratitudo.*

Gratitudo ad Deum non obligat in rigore præcepti. 29.21

H.

*Habitus.*

HAbitus Monialium, & Monachorum olim fuit specialis.
De habitu Clericorum religiosorum non constat, est tamen verisimile fuisse specialem, vt nunc est. ibid.6
Habitus Monachorum, & religiosorum fuit, & debet esse honestus, simplex, vilis & mundus: non verò nimis vilis, pannosus, & horridus. 155.7
*Hæres*, vide *Paupertas solemnis.*

*Honor.*

Honor duplex, & an illi quis renunciare valeat. 356.3

*Horæ Canonicæ.*

Horas Canonicas non tenentur recitare religiosi Societatis IESV, antequam in Sacris ordinentur. Neque milites sancti Ioannis. 182.9
Item neque nouitii. 241.19

I.

*Ignorantia.*

IGnorantia duplex, & qualis circa substantialia, & accidentalia religionis. 2643
Ignorantia causat inuoluntarium, vel saltem non voluntarium. ibid.4
Differentia inter metum, & ignorantiam, siue dolum. 265.8
Ignorantia duplex, vel per errorem, & deceptionem, vel per scientiæ priuationem. ibid.9.
Vide *Deceptio*, & *Professio.*

*Illegitimus.*

An sint illegitimi filii ex copula propriæ vxoris, & mariti in Sacris ordinati.
Vide *Constitutio.*
*Impedimentum matrimonii*, vide *Matrimonium.*
*Impubes*, vide *Filius. Parens. Pater*, & *Tutor.*

*Indulgentia.*

Indulgentia plenaria conceditur ingredientibus aliquas religiones in ipso ingressu, & iterum in morte. 292.8
Vide *Professio*, & *Societas IESV.*

*Ingratitudo.*

Ingratitudo Dei negatiua, & non priuatiua datur, si quis sine iusta causa egrediatur, vel non ingrediatur religionem à Deo vocatus 224.4

*Ingressus Religionis.*

Ingressus Religionis in quacunque ætate licet, neque vllo iure prohibetur. 184.2, & seq.
Impubes potest ingredi religionem parentibus non contradicentibus. 185.8
Ante vsum rationes licet ingressus religionis, si parentes positiuè consentiant. 186.10
Fœminæ post Conc. Trident. post 12. ætatis annum non possunt ingredi, nec profiteri licitè sine Episcopi examine. 189
Fœmina est inhabilis ad ingrediendam virorum religionem, & vir, ad religionem fœminarum. 192.1

Fœmina coacta ingredi Monasterium, est inde educenda. 214.5
Vide *Pater. Parens. Tutor. Constitutio. Castitas simplex.*
Ingressus in religione reformata est valde vtilis pueris ante annos pubertatis. 191.7
Ipsis vero religionibus præcipuè mendicantibus non expedit regulariter loquendo, talis puerorum ingressus, & educatio. ib.8. & 192.9
Assignantur impedimenta quæ reddunt personam inhabilem ad ingressum religionis. 193.5,6, & 7.
Ingressus religionis sine licentia alterius coniugis, si ille postea consentiat, validus est, neque oportet iterum incipere nouitiatum. 194.10
Item, quando professus transit ad aliam religionem, si postea detur facultas. 195.12
Item si Episcopus ingrediens postea à Papa licentiam obtineat. ibid.14
Item si quis recipiatur cum impedimento prohibente ingressum, & directè irritante professionem, non ita, si directè irritet ingressum. 196.16
Et illicitus ingressus religionis, si quis scienter occultet impedimentum graue animi, vel corporis, quo est ineptus ad onera religionis. ibid.19
Vide *Filius. Pater. Frater. Crimen. Carentia vsus rationis. Debitor. Episcopus. Excommunicatio*, &c.
Ingressus religionis necessariò ex natura rei fieri debet cum plena scientia, cognitione, ac deliberatione in particulari talis status. 210.2
Vt exequatur eget consultatione. 211.4
Ad consulendum religionis ingressum non est expectanda motio extraordinaria Spiritus sancti, sed satis est aliqualis. ibid.5
Vt debito modo fiat, debet fieri recta intentione, & perfectè, ac voluntariè. 212.6, & 8
Est approbandus ingressus propter honestum finem ex occasione temporali procedens, diligenter tamen examinandus. ibid.7
Est imperfectus si fiat propter preces importunas, aut blanditias. ibid.9
Suadere illum est bonum ex suo genere, magna tamen prudentia vtendum. ibid.10
Ingressus religiosus ad habitum suscipiendum postulat libertatem ingredientis liberam à tribus defectibus, à violentia. 213.1
A deceptione. 214.6
A simonia. 216.15
Vide *Deceptio. Receptio. Potestas. Simonia.*
Numerantur aliqui effectus ab ingressu religionis prouenientes. 224.1, & seq.
Per ingressum religionis dissoluuntur sponsalia solum ex parte manentis in seculo, & potest contrahere ante professionem alterius. 226.10
In casu vero quòd alter egrediatur, si manens in sæculo adhuc sit soluta, probabilius est non teneri ad contrahendum cum illo. ibid 11
Probabile etiam est teneri, si à principio non acceptauit talem remissionem, sed potius expectauit an profiteretur. ibid.
Vota, quæ impleri possunt, & vrgent ante ingressum religionis, debent prius impleri, nec commutantur ex vi iuris; possunt tamen commutari ex intentione vouentis, si habeat ex tunc animum ingrediendi religionem, & commutandi talia vota in hanc obligationem. 294.8
Vota vero, quorum impletio non vrget antè ingressum religionis, non sunt ex necessitate ante implenda. ibid.9
Quomodo commutentur vota per ingressum religionis, & quæ obligatio maneat post ingressum. 298.21
Vide *Votum religionis.*
An post sponsalia de futuro copula intercedente, possit sponsus ingredi religionem, & ad id voto se obligare cum iniuria sponsæ. 473.16
Vide *Castitas solemnis.*
Coniux potest reuocare licentiam alteri datam ad ingressum religionis. 193.7
Et si vterque religionem ingrediatur, & alter non perseueret, potest alium reuocare. ibid.8, & seq.
Vide *Professio.*
Impedimentum annullans professionem religionis, non annullat ingressum illicitè factum; nisi id specialiter exprimatur. 194.10, & 16

*Inquisitio*, vide *Receptio.*

*Ioannes.*

Beatus Ioannes Baptista iuxta multorum sententiam fuit auctor religiosi status. 142.1
Virgo fuit, & votum Virginitatis fecit. 442.19
Beatus Ioannes Euangelista, an fuerit à nuptijs Cana Galilæa vocatus ad Apostolatum relicta sponsa. 460.3.25, & 26, & 540.3
Vide *Apostolus.*
Beatus Ioseph Virgo fuit, & votum castitatis emisit. 442.19

*Irregularitas*, vide *Castitas clericalis.*

*Irritare & Irritatio.*

Irritare potest Prælatus subditorum vota, & promissiones homini factas. 112.8
Vnde proueniat in Prælato hæc potestas. ibid.11
Irritatio duplex, directa & indirecta, in votis religiosorum prouenit à potestate dominatiua Prælati, & non à iurisdictione. 139.6, & 7
Potestas irritandi vota religiosorum prouenit ex traditione facta à religioso per professionem, & non x voto obedientiæ. 148.7
Dominus non potest omnia vota seruì irritare absolutè, sed solùm ex parte materiæ, quod potius est vsum, vel actum eorum impedire, quatenus suo dominio repugnant, & nihil amplius. 266.3
Votum, vel aliquid aliud potest esse irritabile, & irritari, non tamen dispensabile, & dispensari. 311.26, & seq.
Actus à iure humano dupliciter irritari potest. 335.4
Vide *Votum religionis. Castitas simplex*, & *Parens.*

*Iuramentum.*

Iuramentum de seruandis statutis alicuius collegij non obligat ad seruanda statuta consuetudine derogata. 578.18
Vide *Professio*, & *Matrimonium.*

*Iurisdictio, & Ius.*

Iurisdictio ordinaria potest limitari per reseruationem. 137.25
Vide *Potestas.*
Ex iure diuino potest aliquid esse dupliciter. 304.10
Ius dupliciter sumi potest. 361.12
Ius proprie dictum quale sit. 365.29

L.

*Labor.*

Labor manuum in ordine ad vitam sustentandam quando cadat sub præceptum. 385.12, & 13

Vide

Vide *Religiosus. Filius, & Monachus.*

*Legatum.*

Legatum religioni relictum sub conditione repugnante paupertatis voto, non est acceptandum, & est ipso iure nullum. 401.34

Vide *Paupertas solemnis.*

*Lex.*

Lex prohibens, non irritat, nisi id expresse declaret. 126.3. & seq. & 513.8, & 9

Vide *Consuetudo, & Præceptum.*

*Licentia.*

Qualis sit licentia prælati expressa, & tacita. 394.6

Vide *Paupertas solemnis.*

*Malitia*, vide *Peccatum. B. Virgo Maria.*

Beata Maria Virgo à primo instanti conceptionis perfectionem à Deo accepit, illi tunc Deus abstulit fomitem, & infudit virtutes; in eo etiam elicuit actum charitatis. 14.7

Votum perpetuum Virginitatis emisit. 442.19

Vide *Baptismus.*

M.

*Maritus*, vide *Votum religionis. Castitas simplex, & Coniugatus.*

*Mater*, vide *Parens, & Pater.*

*Matrimonium.*

Inhabilitas ad matrimonium non oritur per se, nec ex voto castitatis, nec ex aliqua consecratione, aut benedictione humana.

Neque ex traditione religiosa. 93.5, & cap. 8. & 9

Oritur vero ex iure Ecclesiastico. 102.5

Inhabilitas ad matrimonium, vt possit induci, supponit auctoritatem publicam, & supernaturalem; & non sufficit priuata, neque publica naturalis, vt quis omnino priuetur potestate contrahendi matrimonium. 101.9

Non est inhabilis ad matrimonium qui vere se tradit religioni, non tamen habet animum vouendi, nec se obligandi ad castitatem. 102.2

Impedimentum sequentis matrimonii est habitus religionis assumptus, etiam sine professione. 215.8

Item professio nulla, quando ex illa manet votum simplex castitatis. 338.14

Etiam in hoc casu impedit vsum prioris. ibid.

Vide *Votum Religionis. Votum castitatis. Professio. Castitas simplex. Clericalis, & solemnis.* item *Consecratio. Clericus. Seruus. Ordo. Religiosus. Societas IESV.*

Matrimonium consummatum, sine consensu alterius coniugis inhabilitat ad ingressum religionis inualidando illum. 193.5

Matrimonium contrahens post Baptismum cum voto castitatis antea facto nullam incurrit pœnam. 527.18

Matrimonium sub conditione, etiam per verba de præsenti impleta conditione non incipit esse matrimonium, donec repliaetur, & explicetur iterum mutuus consensus. 288.18

Qui ita contraxit, impleta conditione tenetur præbere consensum, & ad id cogi potest. 289.10

Matrimonium semel nullum, nunquam incipit esse validum etiam ablato impedimento propter solum temporis fluxum. 325.3. & seq.

Vt matrimonium nullum ratificetur, non est necessarium, vt vterque consensus eodem tempore exprimatur, sed satis est eundem consensum præsumptiuè concurrere. 329.19

Coniugi etiam iuranti se inualidè contraxisse matrimonium ex quocunq; defectu occulto, non creditur in iudicio, nisi aliunde interueniat sufficiens probatio. 340.5, & 6

Si quis ex metu cadente in constantem virum contrahat matrimonium, & postea in foro externo metum probare non possit, potest in conscientia de facto se separare, & fugere, nisi aliunde ad aliud obligetur. 341.9

In matrimonio rato, in nullo casu, etiam grauissimæ necessitatis, potest Episcopus dispensare. 299.5

Matrimonium ratum nunquam dissoluitur ex natura rei, sed solùm per superioris potestatem. ibid. 6

In matrimonio raro potest Papa dispensare. 305. 12, & 13, 310. 21.

De facto dispensauit Greg XIII. 303.6

Matrimonium ratum, & consummatum non potest dissolui per dispensationem etiam à Papa. 311.23

Nullum præceptum positiuum datur obligans omnes & singulos homines pro aliquo tempore ad matrimonium contrahendum. 438.4, & 5

Dabatur vero naturale, obligans solum primos homines ad humanam propagationem tam pro statu innocentiæ, quàm naturæ lapsæ, pro tempore illo necessitatis. ibi 6

Post illud vero tempus necessitatis, nullum hominem in particulari obligabat. 439.7

In lege veteri nullum præceptum matrimonij contrahendi fuit. ibid.

Neque in lege gratiæ est. ibid.

Matrimonium contrahentium varij fines. 446.4

Matrimonium factum, contra promissionem vel sponsalia etiam iurata, est validum. 451.8

Extra matrimonium nemo potest sola priuata voluntate ita alteri corpus suum tradere, vt se reddat inhabilem ad matrimonium. ibid. 9, vsque ad 12.

Matrimonium serui inuito domino est validum. ib. d. 14

Matrimonium per procuratorem contractum post reuocatam facultatem, non est validum: neque hæc facultas contrahendi potest dari irreuocabiliter. 452.11

Fœmina conuersa ad fidem post matrimonium consummatum, licitè potest alium maritum fidelem assumere, si cum infideli manere non possit sine iniuria creatoris. 466.27

*Meritum.*

Meritum præmij essentialis non solum à charitate, sed ab alijs virtutibus prouenit. 12.19

*Metus.*

Metus leuis, & grauis explicatio, & differentia. 261.11

Metus reuerentialis duplex; primus non sufficit ad matrimonium irritandum. 262.16

Secundus vero sufficit. ib.17

Vide *Professio. Castitas clericalis, & Matrimonium.*

*Ministerium.*

Ministerium Ecclesiasticum distinguitur à statu; ordinatur

dinatur ad bonum commune, status verò ad priuatum. In proœmio.

*Monachus.*

Monachi olim habitabant extra vrbes, & seperatim. 155.9
Inter Monasteria monachorum & clericorum, quæ differentia fuerit. ibid.
Monachi occupabantur in diuino officio canendo, vel in operibus manuum, ex quibus magna ex parte viuebant. ibid.
Primum exercitium adhuc perseuerat non ita secundum. ibid. & seq.
Vide *Status.*

*Monialis.*

Vide *Paupertas solemnis. Status. Obedientia solemnis. Ingressus Religionis. Nouitius. Constitutio. Pater.*

N.

*Nazaræus.*

NAzaræi non fuerunt verè religiosi, neque veram fidem habuerunt. 145.14

*Necessitas.*

Necessitas triplex, extrema, grauis, & communis explicatur, 197.2
In extrema necessitate consanguinei, vel proximi, solùm tenetur quis si potest subuenire, per breue tempus differre religionis ingressum. pag. 198. num. 9.
Quænam censeatur grauis necessitas parentis, propter quam filius tenetur non ingredi religionem. 199.13, & 14
Nepos in necessitate extrema aui non tenetur per multum tempus differre religionis ingressum. 198.8, & 9.
Vide *Filius. Professio. Obligatio, & Parens.*

*Nouitius, & Nouitiatus.*

Nouitius non habens votum religionis potest egredi sine rationabili causa, & absque vllo peccato. 165.7
Non potest verò expelli sine causa quin expellentes grauiter peccent. ibid. & 225.5
De bonis nouitij, vel nouitiæ tempore nouitiatus nihil etiam sub ratione mutui potest tribui monasterio; excepto victu, & vestitu: de aliis verò bonis potest. 217.16
Nouitius per religionis ingressum non obligatur ad profitendum, quamuis non habeat iustam causam ad egrediendum. 224.2, & 4
Erit tamen si exeat Deo ingratus negatiuè. ibid.
Egrediens non tenetur satisfacere expensas à se factas in religione. 225.5
Religio non tenetur nouitio egredienti restituere quod donauit in suam sustentationem, nisi quod non consumpsit: si verò tantùm promisit, potest recuperare, non tamen illum detinere vt soluat. ibid.
Nouitius non potest licitè contrahere matrimonium. ibid. 8
Si contrahat, & consummet, tenetur egredi vbi primùm commodè possit, alioqui tenetur ad restitutionem expensarum religionis: si verò non consummauit, & velit adhuc manere animo profitendi, vel saltem expectandi, an à Deo ad id moueatur, potest. ibid.
Nouitio per ingressum religionis priora vota non extinguuntur, sed suspenduntur per quandam commutationem. 226.9
Nouitius gaudet priuilegio canonis & fori. ibidem. 12
Vide *Ingressus Religionis.*
Nouitius in conscientia non tenetur ad obseruantiam regularem, aliquo tamen modo subest disciplinæ religiosæ. 236.2
Nouitius quomodo obligetur & peccet circa castitatem. ibid. 3
Circumstantia nouitij in peccato contra castitatem quando non est aperienda in confessione. ibid.
Circa paupertatem in bonis religionis quomodo obligetur & peccet. 237.5
Circa bona propria quid possit facere. ibid. 6
Potest de nouo licitè & valide acquirere etiam sine licentia prælati. ibid.
Ante factam professionem moriens in monasterio, siue non moriens, potest libere testari prætermisso monasterio, nisi priùs sua dona illi donauit, aut obtulit. ibid. 7
Nulla religio potest nouitium prohibere vel cogere, vt testamentum non condat, vel monasterium relinquat hæredem, siue tale testamentum fiat causa mortis, siue vt professio sequatur, siue alio modo. 238.8
Si nouitius moriatur infecto testamento religio non illi succedit. ibid. 9
Religio potest retinere bona nouitij donata inter viuos, quoad omnia vel copiosa bona, si moriatur, & quoad moderata si recedat. ibid. 10, & 11
Quando & quæ donationes inter viuos nouitijs prohibeantur à Conc. Trident. 239.11
Nouitius potest retinere beneficia Ecclesiastica, neque illis est priuatus, aut priuandus sine illius consensu. Item facit fructus suos si non postulant personalem residentiam, & assistentiam. ibid. 12
Renuntiatio beneficij à nouitio facta non habet effectum nisi secura professione. ibid.
Nouitius non potest de nouo prouideri, nec acquirere beneficium seculare licite, tam ex parte conferentis, quàm recipientis; valida tamen est collatio. ibid. 13
In fauorem tamen religionis indigentis potest superior habens potestatem in hoc licite dispensare. ibid.
Nouitio licite, & valide potest conferri beneficium regulare simplex; non ita habens administrationem. 240.14
Nouitius nec valide nec licite potest eligi ad dignitates religionis; quoad Episcopatum verò & alias inferiores, valide, sed non licite. ibid. 15
Quando & quomodo possit actiue eligere. ibid. 16
Non est excludendus ab electione si venit adesse, alij tamen non tenentur vocare. ibid.
Nouitius intra annum nouitiatus potest ordinari. ibid. 17. & seq.
Attento jure communi facultas & dimissoriæ literæ probabiliter dari possunt ab Episcopo, in cujus diœcesi est monasterium: probabilius à solo Episcopo, in cujus Diœcesi nouitius habebat domicilium. ibid.
Hoc facere possunt superiores ex priuilegio. ibid.
Nouitius secluso scandalo, non tenetur sub culpa obedire, nec seruare regulam; tenetur tamen per violentiam non resistere religiosæ disciplinæ. 241.18
An, quando, & quomodo debeat puniri etiam carcere ante dimissionem. ibid.
Prælatus religionis respectu nouitij habet curam proprij parochi, & Episcopi: ille potest sub pœnis & censuris præcipere, qua parochus & Episcopus. ibid.

Nouitius non tenetur recitare officium canonicum. ib.19
Nouitiatus inchoari potest ante 16. ætatis annum expletum. 184.6
Ex iure diuino nullum certum nouitatus tempus ante professionem requiritur. 227.1
Requiritur tamen ex iure positiuo Ecclesiæ tempus vnius anni. ibid.3
Olim annus nouitiatus non erat simpliciter necessarius nisi fortè in religionibus mendicantibus. ibid.4
Annus nouitiatus post Conc. Trident. est simpliciter necessarius. 228.5
Non est de substantia nouitiatus, vt fiat in habitu talis religionis. ibid.4
Annus nouitiatus est computandus à die in quo aliquis vt nouitius admittitur. ibid.
Annus nouitiatus formaliter incipit à puncto, in quo & ex intentione religionis, & ex consensu nouitij admittitur ad talem religionem, in statu nouitiorum. 229.6, & 9
Annus nouitiatus potest post annos pubertatis ante 16. ætatis annum inchoari, & expleri ante 16. ibid.8
Finito nouitiatus anno potest differri professio, si detur causa rationabilis. ib.
Vide *Ingressus religionis.*
Distinctio inter statum nouitiatus seu probationis, & actualem probationem. 230.3
Nouitiatus substantialiter exigit, vt non fuerit facta professio in tali religione. ib.4
Non solum professio re ipsa valida, sed etiam existimata tam ex parte religiosi, quàm religionis, tollit rationem nouitiatus. ib.5. & 231.6
Nouitiatus includit substantialiter aliquid positiuum quod exterius fiat & moraliter duret, & in quo consistat. ib.7
Nulla actualis probatio est de substantia nouitiatus, præter voluntariam permanentiam in tali statu, cum sufficienti exteriori significatione illius. ibid.8
Non est de substantia nouitiatus deferre habitum nouitiorum etiam vbi est distinctus ab habitu professorum. ib.10
Commoratio intra claustrum, si sumatur materialiter, non est de substantia nouitiatus. 232.13
Est verò si sumatur formaliter. 233.14
Quando dicatur nouitius formaliter vel materialiter claustrum dimittere. ibid
Nouitius si statim ac ingreditur, incidat in lectum ægrotus, & ita duret per annum, censetur verus annus nouitiatus, & potest profiteri. ibid.15
Annus nouitiatus necessario debet esse integer, & cõputari de momento ad momentum: neq; tamen oportet addere anno vnum diem. ibid.1
Debet esse annus continuus & non interruptus. 234.3
Quando & quomodo interrumpatur ita vt sit necesse illum iterum inchoare. ibid. 5. & 235. 6, & 7
Regula vniuersalis est quoties iuxta consuetudinem religionis censetur noua receptio necessaria, annus etiam nouitiatus sufficienter interruptus existimatur. ib.6
Annus nouitiatus debet esse continuus vsque ad professionem, & non sufficit integer semel. v. g. si quis egrediatur anno expleto, & postea iterum redeat, prior annus non sufficit ad profitendum. ib.8. & 236.9, & 10
Vide *Professio.*

## *Nuptiæ.*

Nuptiæ à quibusdam hæreticis damnantur, ab aliis verò abstinere ab illis damnatur. 437.1, & 2

## O.

## *Obedientia simplex.*

OBedientia duplex, specialis & generalis. 552.3
Obedientia quatenus est subiecto propriæ voluntatis ad alienam est honesta & opus consilij. ibid. 5, & seq.
Obedientia simplex est honesta. 556.23
Respectu cuius personæ conuenientius fiat votum simplex obedientiæ. ib.24
Votum obedientiæ potest fieri per duas promissiones, vnam Deo, & alteram homini factam. ibid, 2. & 558.9
Et tunc in illius violatione datur duplex malitia specie distincta. 557.5
Vtraque est mortalis ex genere suo. ibid.6, & 7
Obedientia potest fieri per solam promissionem homini factam. 558 8
Item per solam promissionem Deo factam. ib.10
Obedientia in religione facta includit promissionem Deo, & homini simul factam. 559.13
Extra religionem verò facta regulariter ex vouentis intentione includit solam promissionem Deo factam. ibid.
Imò non potest aliter fieri iure Ecclesiastico talem promissionem homini factam irritante. ibid.14
Vide *Votum obedientiæ.*
Obedientia simplex obligat ad res possibiles, honestas, & non impeditiuas melioris boni. ibid.2, & seq.
Ex vi voti obedientiæ simplicis non tenetur quis obedire si præcipiatur matrimonium contrahere, aut non ingredi religionem aut ingredi laxiorem. ibid.2.
An teneatur obedire quando non in vno, vel alio opere, sed in vniuersum in toto viuendi modo præcipiuntur ea opera & viuendi ratio, quæ vouentem potius impediunt, quàm iuuant ad profectum virtutis. 560.4
In dubio an sit honestum, quod præcipitur, non tenetur obedire. ibid 5, & 6
Licitum tamen & melius est obedire. ibid.8. & seq.
Quæ difficultas & arduitas operis præcepti ab obediendo excuset. 561.10
Hoc votum semper habet materiam limitatam quoad varietatem, multitudinem, perfectionem, ad difficultatem operum per respectum ad vouentem, & eius statum. ibid.11
Sub materia huius voti regulariter non comprehenduntur pertinentia ad mutationem status, vnde non potest quis obligari, v. g. ad ingrediendum religionem. ib.12
Item neque ad non assumẽdum inferiorem statum: vt, v. g. ne vidua vel virgo contrahat matrimonium. ibid.13
Similiter non comprehenduntur omnia opera virtutis, quanuis non sint directè pugnantia cum statu vouentis. Vnde vir nobilis non potest obligari vt vtatur vilibus vestibus, aut viles actiones publicè exerceat. 562.20
Hoc votum non est necessariò connexum cum voto paupertatis, aut castitatis. 562.15
Quælibet persona cuiuscunque conditionis hoc votum emittere potest. ibid.16

Etiam

Etiam Papa. ib.17
Item Episcopus, vel alius prælatus. 563.19
Transgressio obedientiæ simplicis ex suo genere mortalis est. ib.1
Quando superior præcipit per voluntatem inefficacem non obligat, & omissio nulla est culpa. ib.3
Quando verò præcipit per voluntatem efficacem sufficienter significatam, non solùm de actione, sed etiam de ipsa obligatione votum obligat, & non obsequi est peccatum. ib.4
Non ità, quando præcipit per voluntatem efficacem de sola actione. 564.6
Vt voluntas præcipientis obliget, necessarium est vt illa in particulari vel in generali per se, vel per alium sufficienter declaretur quibuscunq; signis, regulariter tamen debent dari verba vel prolata vel scripta. ib.8
Vt peccatum inobedientiæ sit mortale requiritur materia grauis, neque superior in re leui sub mortali obligare potest; si verò materia sit grauis, & simul declaret superior se velle obligare quantum potest, tunc erit peccatum mortale non obedire. 565.10
Superior non censetur velle obligare sub mortali in materia graui nisi præcipiat in virtute obedientiæ, aut alio modo æquialenti. ibid. 11, & 12
Intentio superioris obligantis sub mortali colligitur vel ex forma præcipiendi, vel ex grauitate pœnæ impositæ. ibid. 10
In materia graui quando superior simplici tantùm verbo præcipit, transgressio non est mortalis, nec venialis contra votum obedientiæ; potest verò esse contra aliam virtutem. ib.13
Quæ causæ excusent ab obligatione & violatione obedientiæ. ib.14
An periculum grauis damni, excuset ab obediendo. ibid.15, & 16
Præceptum obedientiæ religiosæ cum periculo vitæ regulariter imponi non potest, aliquando ex causa graui potest. ib.16
Votum obedientiæ simplex non est reseruatum; ab Episcopo dispensari potest. 566.17
Requirit causam legitimam vt validè dispensetur in toto, vel in parte. ib.19
Episcopatus an possit auferre obligationem obediendi in particulari impositam, & sibi reseruare. ibid.
Superior cui promissa est hæc simplex obedientia, an & quomodo valeat in illa dispensare. ibid. 18, & 19

## *Obedientia solemnis.*

In statu religioso verum obedientiæ votum fit. 567.4
Est quid formaliter distinctum à traditione inclusa in professione. ibid.5
Ad perfectam & Euangelicam abnegationem traditio religiosa & promissio obedientiæ requiritur. ibid.6

Vide *Traditio. Solemnitas*, & *Votum obedientiæ.*

Transgressio obedientiæ religiosæ habet duas malitias specie diuersas, vnam contra religionem, aliam contra iustitiam. 568.2
In peccato obedientiæ præter malitiam sacrilegij, est vnica tantùm iniustitiæ, & nulla alia malitia respectu prælati. ib.3
Potest aliquando esse aliqua specie distincta ratione materiæ præceptæ. 569.5, & 6
Inobedientia solùm quando formaliter intenditur, causat malitiam, specie diuersam ab alijs, & ex suo genere mortalem. 570.7
Requiritur tamen ad hoc vt sit peccatum mortale absolutus contemptus ipsius prælati, vt talis est, seu potestatis eius. ibid.
Materia voti obedientiæ potest esse lex, aut constitutio, aut prælati præceptum. ib.1
Principalis materia est prælati præceptum. ib.
Tota regula continetur sub materia obedientiæ religiosæ. 571.6, & 572.7, & 8
Votum obedientiæ non addit regulæ obligationem sub mortali, nisi in regula exprimatur, vel supponatur. ib. 9, 10. & 11
Si regula obliget sub veniali, votum etiam obligat sub veniali, sed alterius speciei. 573.12
Duobus modis potest regula obligare sub mortali. 572.10
Et duobus sub veniali. ib.11
Si verò regula sub nullo peccato obligat, similiter nec votum. 573.13
Est tamen adhuc aliqua imperfectio intra virtutem religionis, & voti, non seruare talem regulam. 574.17
Quid dicendum si quis faciat votum obediendi secundum regulam aut votum seruandi regulam. 573. 14, & seqq.
Transgressio præcepti prælati non volentis vllam obligationem in conscientia imponere, per se & secluso contemptu nõ est peccatum mortale, aut veniale. ib.15
Materia proxima obedientiæ est superioris præceptum, dummodo sit validum, remota verò res, vel actus, qui præcipi potest. 574.1
Vt præceptum prælati sit validum, ita vt votum obliget ad illius obseruantiam, præter voluntatem præcipientis requiritur potestas in præcipiente, & materia capax præcepti. ibid.
Solum res honestæ, indifferentes ex obiecto, & quæ non apparent malæ, possunt ab homine præcipi, & esse materia obedientiæ: item quæ cadunt directè sub regula, vel reductiuè si præcipiantur. Quod verò constat esse contra regulam religionis, non est materia huius voti. 575.2
Ex voto obedientiæ solùm tenetur religiosus obedire prælato iuxta professionem regulæ, id est intra illius limites, prout comprehendit omnia quæ ad perfectam eius obseruantiam vel necessaria, vel vtilia aut cõuenientia esse possunt. ibid.5, & seq.
Religiosus delinquens obligari potest ex præcepto non solùm ad passiuè sustinendam pœnam sibi impositam, sed etiam ad eam actiuè suscipiedam. 576.7
Religiosus tenetur obedire quoties maior aliqua auctoritas quàm ordinaria regulæ additur, vel ad præcauenda mala, vel ad maiorem cautelam religioso statui conferentem. ib.8
Votum obedientiæ posito præcepto obligat monniales ad clausuram, non verò votum castitatis. ibid.
An & quando teneantur religiosi obedire & obseruare, si religio edat de nouo constitutiones austeriores quàm antea haberet, quamuis in illas non consenserint, neque secundum illas professi prius fuerint. 577.10, 12, 13
Papa an & quomodo possit præcipere & addere tales austeritates. ib.11
An & quando qui professus est in religione, quæ à principio suæ primitiuæ regulæ multum remisit, possit

sit postea in virtute obedientiæ cogi ad regulam primitiuam obseruandam facta reformatione vel antequam fiat. 758.17,& seq.
Obedientia Euangelica, vt sit perfectissima debet se extendere aliquo modo ad omnia perfecta sine vlla limitatione. 580.1
Ad obedientiam requiritur, vt non sit de re mala, sine intrinsecè, siue extrinsecè ex prohibitione, & vt materia eius non sit contra regulam. ibid. 4
Perfecta obedientia Euangelica in externos, & internos actus cadere potest. 581.5
In hoc excedit votum obedientiæ alia duo, quòd interiorem voluntatem Deo offert. ibid.
Perfectissimam obedientiam non profitetur omnes religiones. ibid.6,& seq.
Hæc perfectissima, & vniuersalis obedientia non repugnat omni statui religioso in particulari, fuit in Apostolis, & in primis religiosis Apostolorum imitatoribus; & de facto datur in Societate Iesv. ibid.9,& seq.
Quæ obligatio diuersa oriatur ex voto obedientiæ secundum determinatam regulam, & ex voto obedientiæ in omnibus, quæ regulæ non repugnant. 582.11
Transitus religiosi ad statum secularem est prohibitus à voto obedientiæ. ibid 1
Anullo prælato neque à Papa potest præcipi in virtute obedientiæ. ibid.
Transitus ad religionem inferiorem vel æqualem est prohibitus à voto obedientiæ, neque ab vllo prælato præcipi potest. 583 2
Transitus ad religionem perfectionem non est materia voti obedientiæ nec negatiuè, nec affirmatiuè, non potest prohiberi nec præcipi. ibid.4,5
Obligatio petendi licentiam prælati ad hunc transitum non oritur ex voto obedientiæ, sed ex lege Ecclesiastica. ibid.4
Potest in religione fieri votum transeundi ad aliam perfectionem, si superior, vel Papa præcipiat: hoc tamen votum non pertinet ad perfectionem status religiosi. ibid.5
Acceptatio Pontificatus à religioso facta sine consensu prælati neque ex lege Ecclesiastica, neque ex voto obedientiæ est prohibita, aut irrita. 584.8
Si electus, acceptans Pontificatum liber manet à iugo religionis, neque tenetur renuntiare & redire ad religionem. ibid.9
Acceptans Pontificatum inuito prælato nullum peccatum committit. ibid.10
Electio & acceptatio Episcopatus est prohibita ex iure Ecclesiastico si fiat sine consensu Prælati. 585.14.
Potest etiam ex voto prohiberi, vt fit in Societate Iesv. ibid.
Probabilius est electionem & acceptionem Episcopatus sine Prælati consensu esse prohibitam ex voto obedientiæ, & solùm irritam ex iure Ecclesiastico. 586.15
Adhuc tamen si Episcopatus immediatè à Papa offeratur, licitè & validè acceptari potest sine consensu prælati. ibid.16
An & quando possit religiosus acceptare Episcopatum sine consensu prælati, si ab aliis præter Papam offeratur aliis modis præter electionem. ibid.17
Acceptatio Episcopatus in casu grauis necessitatis & extra illum religioso præcipi potest à summo Pontifice ratione iurisdictionis supremæ. 587.19, & 20
Hoc procedit, quamuis iurasset vel vouisset non acceptare Episcopatum. ibid.20
Hoc præceptū non est propriè materia voti obedientiæ, neq; ex vi illius potest obligari ad acceptandū. ibid.21
Nec generalis, nec alius prælatus potest præcipere subdito vt acceptet Episcopatum. ibid.
Potest verò præcipere & obligare vt acceptet beneficium curatum. 588.23
Potest etiam illum tali beneficio priuare validè sine causa, quamuis malo animo id faciat. ibid.
Probabile tamen est solùm ad beneficium regulare & non ad seculare posse subditum obligare. ib.24
Votum obedientiæ solùm homini viatori seu Deo per illum præcipienti obligat. ibid.2
Si Deus per se immediatè vel per Angelum aut alio modo extraordinario præcipiat, non tenetur religiosus ex voto obedire. ibid.
Peccatum contra legem naturalem & diuinam positiuam non habet specialem malitiam ex circumstantia voti obedientiæ. ibid.
Item neque contra legem Ecclesiæ. 589.5
Votum hoc non obligat ad obediendum cuilibet homini, sed illi tantum cui religiosus voluntariè se tradit. ibid.
Obedientia domino, vel parenti debita non pertinet ad hoc votum. ibid.
An & quando sit parendum potiùs vni, quàm alteri, si contingat multis deberi obedientiam, aliis titulis præter votum: vt, v.g. religiosus filius familias, seruus aut non exemptus an teneatur potius obedire prælato, quàm parenti, domino, aut Episcopo. ibid.4,& 5
Votum obedientiæ obligat ad parendum omnibus prælatis religionis, seruato ordine & respectu inter illos. ibid 6
Votum obligat obedire præcepto superioris prælati omisso inferioris contrario. 590.7
Papa ex vi potestatis iurisdictionis potest præcipere religiosis in quacunque materia. 591.11,& 12
Item vt verus prælatus ex vi potestatis dominatiuæ, & obligare ex voto obedientiæ. 590 10 & 591 13
Episcopus tam ex potestate iurisdictionis, quàm dominationis, atque adeò ex voto obedientiæ potest præcipere & obligare religiosos non exemptos etiam in materia ad regularem vitam pertinente. 592.15,16,& 17
Non exempti Episcopo vt vero & principali prælato promittunt obedientiam. ibid.17
Potestas ordinaria præcipiendi in virtute obedientiæ est in prælatis localibus religionum, & ab illis delegari. 593.18
Alii officiales non habent hanc potestatem iure ordinario. ibid.19
Votum obedientiæ obligat moniales ad parendum Abbatissis vt verè prælatis & matribus spiritualibus. ibid.20
Hæc potestas præcipiendi est in fœminis magis limitata quàm in viris. ibid.
Votum obedientiæ à solo summo Pontifice duobus modis dispensari potest. ibid.1,& 2

*Oblatus religioni.*

Cum oblato religioni potest Papa dispensare, liberando illum ab omni obligatione ad talem religionem. 305.17

Vide *Professio*, & *Parens*.

*Obligatio.*

Obligatio mutua debet dari inter religiosum, & ipsam religionem. 839
Obligatio absolute ex parte religionis ad retinendum religiosum irreuocabiliter non est necessaria. 117.11,& 24
Contrarium non est iniquum. ibid 12,& seq.
Obligatio inter Deum & homines non oritur nisi mediante præcepto, & promissione ex parte Dei; ex parte hominis mediante voto, seu promissione. 95.11

Obligatio subueniẽdi & alendi in necessitate est major parentum ergo filios non emancipatos, quàm filiorum ergo parentes. 204.1,& 2
Vide *Pater.*

*Oratio.*

Orationi semper vacandum quomodo intelligatur. 382.7

*Ordo.*

Ordo sacer numeratur à subdiaconatu vsque ad Episcopatum. 489.2
Ordinibus minoribus & primæ tonsuræ potest Ecclesia adjungere inhabilitatem ad matrimonium. 309.13,& seq.
Vide *Castitas simplex. Castitas clericalis*, & *Clericus.*

P.

*Papa.*

PApa est supremus Prælatus religionum. 128.13, 299.6,296.15 583 13,& seq.
Vide *Paupertas solemnis. Obedientia simplex. Obedientia solemnis. Castitas simplex. Castitas clericalis. Castitas solemnis. Matrimonium. Potestas. Approbatio.* & *Votum religionis.*

*Parens.*

Parentes possunt directè irritare omnia vota filiorum impuberum, nullo excepto. 173.3
Non possunt parentes irritare votum solemne castitatis annexum sacris ordinibus, si filius impubes voluntariè ordinetur. ibid.4
Item neque votum castitatis simplex vel solemne à filio pubere factum, etiam illis inuitis. 176.14
Parens potest vendere filium in seruum ob grauem aliquam necessitatem, dum est in sua potestate, non tamen potest in infantia ita donare religioni, vt post annos pubertatis teneatur permanere in monasterio. 257.12
Vide *Pater. Votum religionis*, & *Paupertas solemnis.*

*Parochus.*

An Parochi & Prælati Episcopis inferiores teneantur perpetuò manere in suo munere. Negat D. Thomas 54.7 8 & 55.11
Impugnatur hæc opinio. ibid.12,& 13
Quæ differentia detur inter illos & Episcopos. 56. num.20
Non sunt instrumenta, & officiales Episcoporum, sed ordinarij Pastores, & causæ proximæ in suo ordine principales. ibid.21
Assignantur tres inferiorum pastorum gradus. 57.22, & 23
Parochi sunt veri Pastores, licet coadiutores & subordinati Episcopis. ibid.24
Parochorum munus esse de iure diuino, & consequenter non posse ab Ecclesia auferri, est probabile. ibid.25
Parochi sunt in statu perfectionis exercendæ. ibi.26, & 58.29

*Pater.*

Pater potest reuocare à religione filium impuberem, intra annum si non consensit tacite, vel expresse illius ingressus. 285.8
Potest licite pater vel mater offerre religioni filium educandum ante vsum rationis vt postea perseueret. 186.12
In hoc casu nec pater potest filium reuocare, nec filius egredi ante annos pubertatis sine consensu religionis. ibid.
Pater vel mater potest cogere ad ingressum religionis filium ratione vtentem ante annos pubertatis, non expectata vel etiam repugnante illius voluntate. 187.3
Hæc potestas manet in altero parente si alius moriatur. 189.9
Pater licitè & validè potest offerre filiam religioni repugnante matre. ibid.9,& 10
Non ita mater patre contradicente. ibid.11
Si verò pater non repugnet, quamuis posituè non consentiat, potest mater filium offerre. ibid.12
Pater non potest absolutè omissa filii cura nisi sufficienter ei prouideat illum deserere, aut ingredi regionem. 204.1
Intelligitur hæc obligatio erga filium non emancipatum: nam erga emancipatum in necessitate positum eodem modo quo filius ergo parentes. ibi.2
Pater vel mater seuerè custodiens & tractans filiam ita vt tædio affecta aliqat religionem ingredi, non facit illi violentiam dummodo id non intendat aut nimium excedat in paterna seueritate. 213.1
Pater vel mater sine peccato potest cogere filiam ante annos pubertatis vt ingrediatur monasterium; non verò post pubertatem, quamuis sit tantùm ad educationem & clausuram: non tamen incurrit propter hoc excommunicationem. ibid.
Item non incurrit excommunicationem si relinquat hæredem ea conditione vt ingrediatur monasterium. 214.5
Vide *Votum religionis.*

*B. Paulus.*

Paulus neque ante, neque post Apostolatum contraxit matrimonium. 494.4,5,& 6

*Paupertas simplex.*

Paupertas actualis non est necessaria ad salutem, neque hominibus præcepta. 347.2,& seq.
Votum simplex paupertatis per se honestum est ac de meliori bono. 349.2,& seq.
Voluntaria paupertas est vtilis ad perfectionem, & inter opera consilii computatur. 351.7,8,& 9
In voluntaria paupertate includitur voluntas carendi diuitiis & actualis carentia. ibid.10
Est optimum & opus consilij vouere paupertatem. 352.14
Votum simplex paupertatis per se honestum est, & sub consilio cadere potest. 353.8
Votum hoc dupliciter fieri potest. ibid.
Relinquere bona sua communitati non tollit veram rationem voti paupertatis. 354.19
Votum simplex paupertatis extra statum religiosum est optimum, & ad opera cõsilii pertinet. ibi.2
Probabile est de facto plures sanctos Eremitas hanc paupertatem personalem coluisse. ibid.
Enumerantur commoda & fructus paupertatis. ib.3
Quare Clericis & Episcopis annexa paupertas sicut & castitas. 355.5
Sine Pontificis facultate nullus qui non sit verè religiosus, titulo paupertatis voluntariè ad sacros ordines admitti potest. ibid.
Votum simplex paupertatis sine voto obedientiæ consistere potest. ibid.6
Item sine voto castitatis. ibid.8.& seq.
Materia remota voti paupertatis sunt bona quæ diuitiarum nomine comprehenduntur. 356.2
Excluduntur ab hac materia, vita, membra ac facultates: item virtutes. ibid.
Honor & fama. ibid.3,& 11
Item beneficia Ecclesiastica & alia munera, dignitates seu tituli honorifici, vt v.g. Doctoratus quoad iura spiritualia & honorifica. 358.12
Comprehenduntur autem quoad emolumentum temporale illis annexum. ibid.14
Ius eligendi, præsentandi, confirmandi, instituendi, & omnis iurisdictio tam Ecclesiastica, quàm secularis: item beneficia cathedræ & similia ratione proprietatem, quàm possessionem iuris & facti, haberi possunt quin violetur votũ paupertatis. ib.18
Ius

Jus suscipiendi alimenta ex hoc vel illo monasterio quomodo sit vel non sit materia paupertatis. 395. num.15
Ius decimarum, vel commendæ, per se non est materia paupertatis. ibid.
Votum paupertatis duobus modis fieri potest. ibid.1
Dominia rerum temporalium sunt pars principalis materiæ proximæ paupertatis. 361.13
Non semper est contra votum paupertatis appellare aliquid *rem meam*. ibid.
Votum paupertatis si est solenne, necessariò excludit dominium tam præsens, quàm futurum: si verò per se spectetur, solum obligat ad relinquendum dominium quod habetur, & nullum postea acquirendum, si vouens per illud dominio se priuare intendit. ibid.14
Dives vouens paupertatem non est pauper, nec caret dominio suarum rerum donec de illis disponat. 362.15
Quando obligetur talis ad diuitias relinquendas. ibid.16
Habens votum simplex paupertatis acquirit verum dominium, quamuis rem acquirendo vel accipiendo peccet. ibid.17
Licèt is, qui paupertatem simplicem promittit, simul haberet voluntatem se reddendi incapacem omnis dominij, mutata voluntate acceptando dominium iam est capax, vereque dominium acquirit. ibid.18
Si accipiens aliquam rem, an possit apud se retinere. 363.21
Non tenetur distribuere in pauperes, vel pios vsus, sed pro suo arbitratu. ibid 23
Vsusfructus, vsus & propria possessio sunt materia proxima paupertatis. ibid.24,25,& 26
Quid potest licitè facere habens huiusmodi votũ, si hæres instituatur, vel ab intestato succedat. 364.27
Vsus facti & omnis rei apprehensio, aut tentio, vel pura administratio, quæ nõ fit proprio iure & nomine, sed alterius, non ita propriè sunt materia voti paupertatis, vt omnino ex vi illius excludantur, aliqua tamen moderatio in his potest esse materia paupertatis iuxta vouentis intentionem. ibi. 28,&29
Omnimoda carentia vestium non est paupertas professa à Christo, aut Apostolis. 365.30
Etiam neque pura administratio, neque ius administrandi (quod non habet emolumentum pretio æstimabile) per se repugnat paupertati. ibid.31
Si votum paupertatis simpliciter fiat, & vouens nihil specialiter intendat; excessus in vsu, & peculio facti, v.g. vti cibis, & vestibus multis, & pretiosis, non est contra illud. ibid.31.& 33
Apud quem sit dominium rerum, quibus vtitur, vel quas requirit habens huiusmodi votũ. 366.34,&35
Resolutio est, apud neminem esse. ibid.37
Adhuc tamen est peccatum iniustitiæ tales res illo inuito auferre. 367.38
Contra hoc votum peccatur habendo vel accipiendo dominium alicuius rei (sub dominio possessio etiam propria, ius vtendi, & fruendi proprium comprehenditur.) ibid.1
Hoc peccatum ex suo genere est mortale sacrilegium. ibid.2.& seq.
Ad peccatũ mortale requiritur materia grauis. 368.5
Qualis sit hæc ex sententia aliquorum. ibid.5,& 8
Quantitas grauis censetur illa, quæ promissa in eleemosynam sufficit ad violationem talis voti, & hæc videtur esse quantitas 4. argenteorum. 369. 9.& 10
Differentiæ inter hanc paupertatem & religiosam. 371.20
Habens hoc votum potest illud grauiter violare per sacrilegium, quin peccet contra iustitiam. 369.12, & 14
Quantitas furti, respectiuè tamen ad talem religionem sufficit vt religiosus violet paupertatem. 370.13
In persona priuata potest dari peccatum mortale furti sine peccato mortali contra votum. 370. 15,& 16
Item in religioso, si furetur tertiæ personæ, & non suæ religioni. ibid.18
Secluſa proprietate & dominio vix inuenitur alius modus violandi votum simplex paupertatis. 371. num.19
Habens tale votum potest donata accipere sine alicuius licentia ad vsum tantùm: item potest aliis donare tanquam dispensator. ibid.
Non peccat per proprietatem, nisi directè intendat sibi acquirere dominium. ibid.20
An & quomodo peccet per displicentiam voti facti. ibid.21
Hoc votum non est reseruatum; ex causa iusta potest à Papa vel Episcopo dispensari vel in toto vel in parte. ibid.22
Vide *Votum Paupertatis*.

*Paupertas solemnis.*

Assignantur 4. modi paupertatis religiosæ. 373. 7, 8,& 9
Aliqua paupertas est necessaria ad religiosum statum, & fuit seruata ab initio Ecclesiæ. ibid.8
Probabile est aliquando statum religiosum constitisse in aliquibus cum paupertate, quæ nec dominium, nec vsum independentem excluderet, sed tantùm vsum rerum superfluum. 374.10
Tria impedimenta perfectionis, scilicet solicitudo rerum temporalium, amor diuitiarum, & elationis occasio per paupertatem auferuntur. ibid. 11, & 12
Probabilius est semper fuisse in Ecclesia vsitatum, vt in statu perfectionis paupertas esset per abdicationem proprietatis saltem quoad vsum. 375.14
In Eremitis quomodo fuerit vsus rerum non proprietarius. 376.17
Item in viris & sactis virginibus, quæ olim in priuatis domibus statum religiosum profitebantur. 377.19
Licet paupertas quoad carentiam dominij omnium bonorum fuerit semper vsitata in Ecclesia, non tamen videtur obseruata, in omni specie vel tempore status religiosi. ibid.20
Dominium bonorum mobilium in statu religioso priuato apud Episcopum fuisse, probabile est, probabilius apud ipsam personam priuatam. ibid.
Idem de dominio rerum stabilium dicendum. ibid. num.21
Religiosi in communitate viuentes verisimiliùs non habebant dominium rerum stabilium, vel mobilium. ibid.22,& seq.
Probabilius huiusmodi dominium & proprietatem habere vel validè vel etiam licitè, ex licentia iusta prælati, non repugnabat illi statui. ibid.
Paupertas reddens incapacem dominij non fuit à principio in Ecclesia, sed postea introducta. 378. num.23
Probatur de Christo Domino. ibid.
De Apostolis. ibid.24,25,& 26
De Monachis solitarijs. 379.27
Solennitas voti paupertatis à tempore Iustiniani Imperatoris vniuersaliter incepit. ibid.28
Iuxta aliquos religiosus professus potest retinere dominium ad breue tempus. 380.31
Vide *Paupertatis votum, & solemnitas*.

In communitate religiosa duplex paupertas dari potest. Prima excludens dominium & proprietatem à singulis personis. Secunda excludens etiam ab ipsa communitate. 381.2
Paupertatis in communi tres gradus. ibid.
Est de fide, laudabile esse religiosorum institutum, qui paupertatem tam in particulari quàm in communi profitentes quoad carentiam possessionum ac certorum reddituum non ex solis Eleemosynis, sed ex proprio manuum labore aluntur. ibi. 6, & 7
Item quando non ex labore, sed ex solis eleemosynis vel oblatis vel petitis viuunt. 382.8
Hoc genus paupertatis professus est Christus Dominus. ibid.
Item Apostoli. ibid. 8, & 383.9
Item Apostolici viri, & alij sancti. ibid. 10
Hoc genus paupertatis & mendicitatis incepit à tempore S. Francisci, & S. Dominici, ibid. 11
Est de fide & euidens laudabile esse institutum, in quo paupertas cum abdicatione omnis proprietatis in particulari, & cum dominio bonorum in communi obseruatur. 386.21
Christus & collegium Apostolicum habuerunt dominium rerum mobilium in communi. ibid. 23
Item primitiua Ecclesia antiquæ & nouæ aliquæ religiones. ibidem
Religio fratrum minorum non habet dominium etiam rerum mobiliumin communi. 387.25
Nec Christus nec Apostoli habuerunt dominium aut possessionem rerum stabilium in communi. ibid. 27
Probabile tamen est aliquas Ecclesias viuentibus adhuc Apostolis habuisse bona stabilia in communi. ibid.
In religiosis, qui statum Apostolicum profitentur, perfectior est paupertas bonorum stabilium tam in particulari, quàm in communi per se loquendo. 390.4
Ratione verò circumstantiarum potest esse magis expediens habere possessiones moderatas in communi. ibid. 5
Non est perfectius regulariter loquendo, non solùm bona immobilia non possidere, sed neque ex vsu consumptibilibus in futurum prouidere eas congregando & conseruando. ibi. 6
Non spectat per se ad majorem perfectionem habere hæc bona mobilia absque dominio communitatis etiam pro illo tempore quo possidentur. 391.7
Paupertas in communi quoad immobilia est medium per se ad perfectionem: non ita quoad bona mobilia. ibid.
Quomodo hoc intelligatur. ibi. 8, & 9
Hoc votum ex genere suo obligat sub mortali ad nõ habendum dominium, vel proprietatem. 392.2
Primus modus peccandi est per directam voluntatem habendi dominium, quando & quomodo. ibid. 3
Secundus est accipiendo rem moraliter æquiualentem dominio, vel acquisitioni eius. ibid. 3, & 4
Desiderium & delectatio morosa quando sit peccatum in hac materia. ibid 3
Accipere aliquid sine licentia prælati ex genere suo est mortale, nisi ex leuitate materiæ fiat veniale. 393.1
Licentia prælati, quando commodè postulari potest est necessaria vt res optimè & sincerè fiat. ibid. 3
Quando commodè postulari non potest sufficit præsumpta, & interpretatiua cum intentione manifestandi prælato, & si res non sit consumpta, oportet manifestare, vt licite retineatur. ibid.
In rigore præcepti sufficit tacita, vel probabiliter præsumpta superioris voluntas etiam quando potest expressa licentia postulari, & ob aliquem humanum respectum vel pudorem, aut nonnullam difficultatem adeundi prælatum omittitur. ibid. 4
Probatur de licentia tacita & ponuntur varii casus. 394.7, & 8
De præsumpta. ibid. 9, & 10
Dispensatio superioris quoad substantiam tollit voluntatem præsumptam, non ita quoad modum. 396.11
Licentia iniusta ex parte petentis aliquando excusat illa vtentem à peccato contra paupertatem, aliquando non. ibid. 14
Idem dicendum de licentia iniusta ex parte materiæ. 397.15
Licentia iniusta ex parte prælati concedentis excusat à peccato proprietatis recipientem. ibid. 16
Aliquando verò non excusat ab alio peccato vel scandali vel superfluitatis. ibi. 17
Licentia debita irrationabiliter tamen negata, vel probabiliter præsumpta neganda non sufficit ad excusandum à peccato proprietatis recipiendo. 398.19
Excipitur casus extremæ necessitatis in qua potest & debet religiosus facere eleemosynam etiam prohibente prælato. ibi. 21
Quæ quantitas sit magna vel parua, vt illam accipere sine licentia sit peccatum graue vel veniale. 399.24.
An sit peccatum mortale accipere rem in quantitate sufficienti sine licentia, non vt habeatur, aut occultè possideatur, vel extra religionem rependatur; sed solùm vt religioni incorporetur, & publicus vsus illius habeatur, cum proposito relinquendi illum, si superior iusserit. 400.30
Quæ quantitas in hoc casu requiratur. 401.40
Item quando res accipitur, & applicatur ad vsum proprium loco alterius similis. Quæ ad similem vsum ex bonis communibus monasterii, danda est. 400.28, & 31
An res sic accepta fiat monasterii; & an accipiens debeat eam monasterio tradere, vel ei reddere, qui donauit, vel denique possit ea vti de licentia. 401. 33, 34, & 35
An talis rei acquisitio, & donatio possit reuocari. 402.36
Vsurpatio sine licentia ex bonis monasterii est contra paupertatem & iustitiam. ibid.
Est peccatum mortale vsurpare sine licentia pecuniam monasterii in quantitate sufficienti, v.g. argenteorum. ib. 40
In aliis verò bonis monasterii vsu consumptibilibus, quæ pertinent ad cibum, & potum, si tantùm ad proprium vsum actualem, & transitorium sumatur aliquid, regulariter non est peccatum mortale, nisi damnificatio sit nimia, & in re extraordinaria, ac pretiosiori. ibid. 41
Vsurpatio rerum, quæ vsu statim non consumuntur, si non accipiantur vt occultæ, & tanquam propriæ possideantur, ordinariè non est peccatum mortale. ibid.
Acceptio ab aliquo externo de bonis eius ad solum vsum proprium, an & quale peccatum sit. 403. 42, & 43
Quando liceat religioso pecuniam mutuo accipere. ibid. 44
Accipere pecuniam in custodiam non est contra paupertatem. ibid. 45
Quando liceat accipere pecuniam vel aliud donatum ab altero, vt reddat tertiæ personæ. ibid.
Solum peculium proprietarium repugnat paupertati. 404.47

Primum signum peculii proprietatii est possidere aliquid sine vlla legitima licentia. ibid.2,& 3
Secundum signum est si res possessa ita occultetur, vt non possit à superiore inueniri. ibid.4
An & quando res à principio accepta cum sola licentia præsumpta, si postea occultetur prælato, & ita retineatur, sit sufficiens signum proprietatis. ibi.5
An res accepta & possessa cũ licentia expressa si postea occultetur, ne possit & contingat auferri, sufficiat ad vitium proprietatis. 405,6
An habere aliquid claui obseratum sine licentia, quoad illum modum habendi sit peccatum proprietatis, quamuis res ipsa in se cum licentia habeatur. ibid.8.& seq.8,& 9
An possit religiosus esse proprietarius ex eo solùm, quod habeat aliquid ex licentia irrationabiliter & iniustè concessa. 406.& 10,11
An saltem in hoc casu committat aliud genus peccati contra paupertatem, vel aliam virtutem. ibid. 12,& 53
Licentia respectu suiipsius vel superiorum prælatorum irreuocabiliter concessa religioso, vt aliquid possideat, est inualida. 407.14
Vsus bonorum proprietarius per paupertatem prohibetur. 412.1
Vsus proprietarius paupertati repugnans est omnis ille, qui propria authoritate fit. ibid.2
Vt hic vsus non sit proprietarius, sufficit licentia præsumpta etiam sine proposito postulãdi à prælato, vt expresse ratam habeat donationem factã. ibid.
Vt vsus consumendi vel alienandi bona religionis sit validus requiritur iusta & legitima prælati licentia. 413.4
Quando censeatur licentia iusta & valida. ibid.
An & quale peccatum sit vsus bonorum religionis vsurpatus & dispensatus in extraneos sine vlla licentia. ibid.5
Circa ipsos religiosos. 414.6
Peccat contra paupertatem sine vlla licentia donans ex sibi concessis ad vsum quando seipsum priuat illo commodo & non grauat religionem, in re alia, vel vsu. ibid.8
Item non potest res concessas ad vnum vsum in alium conuertere: vt v.g. cibos in libros, aut eleemosynas, nisi aliud constet ex regula, vel consuetudine. ibid.
Mutuare bona religionis non licet sine licentia 413.5
Sine debita licentia tam priuatis religiosis quam officialibus & procuratoribus quibus committitur cura bonorum, non licet illa dispensare. 414.9
Prælatus non potest pro suo arbitrio bona monasterii expendere. 415.10
Idem dicendum de prælatis superioribus seruata proportione. ibid.
Quæ donationes à Prælatis factæ sunt licitæ, & quæ iniustæ & inualidæ. ibid.11,& seq.
Expendere de bonis alienis sine licẽtia & inuito domino, est contra iustitiam & paupertatem. ibid.14
Concedente domino vsum facti determinatum, si cedat vsui in commodum ipsius religiosi vel ei propriè donetur, est contra paupertatem sine licentia illum accipere: non ita si vsus non cedit in commodum, neq; ipse pro se ipsum acceptet, sed solùm vt instrumentum transferendi rem ab vno in alium. 416.15
Quoties conceditur vsus facti indeterminatus, sed absolute pro arbitrio accipientis, acceptare illum vel applicare sine licentia est contra paupertatem, non ita si solùm acceptetur dispensatio facienda in alios nomine alterius, quamuis particularis applicatio, & electio esset commissa arbitrio religiosi. ibid.16
Res donatas & acceptas expendere vel consumere sine licentia est contra iustitiam & paupertatem: ibi.17
Res sic malè accepta, si prior acceptio rata habeatur à prælato, potest de eius licentia expendi: si non habeatur rata, debet restitui domino. ibid.18
An & quando possit prælatus dare licentiam religioso, vt expendat, alienet, vel cõuertat in proprium vsum rem acceptam, si sit in magna quantitate, vel pretiosa. 417.19
An sub decreto Concil. Trident. concedentis omnibus religionibus, exceptа Minorum, habere bona immobilia, comprehendatur etiam religio Carmelitarum discalceatorum. 424.1,& 2
Huic priuilegio renuntiauit Societas IESV professa, & possunt aliæ renuntiare. ibid.1
Religio quæ dominium in communi excludit obligatur ad non habenda aliqua bona immobilia in sustentationem religiosorum tanquam propria. ibid.4
Bona verò mobilia habere potest, & colligere, & cõseruare etiam pecunias, excepta tamen Minorum religione, quæ pecunias non potest colligere. ibi.
In hac pecunia colligenda moderatus modus habendus. ibid.4,& 5
An talis religio possit habere hæc bona mobilia vt propria. 425.6,& 7
Potest habere domum ad ordinariam habitationẽ, & hortum domui coniunctam: item Ecclesiam ad diuinum cultum. ibid.7
Habere etiam potest animalia ad vsum ambulandi, & ad labores monasterio necessarios. ibid.8
Societas IESV professa non potest habere animalia ad vsum ambulandi. ibid.
Animalia fructifera, vt v.g. greges ouium, & armentorum, an & quomodo liceat habere. ibi.9,& 11
Non licet habere aliquod animal ad locandum accepto pretio pro vsu eius. 426.12
Aues domesticas, vt gallinas & columbas in paruo numero habere licet. ibid.14
Item ex domestico horto fructus colligere, non tamen vendere. ibid.
Talis religio non potest habere iura, vel actiones ad aliquid recipiendum per modum annuæ pensionis vel reditus, potest verò ad aliquid recuperandum, quod vno actu solui potest, & statim cõsumi, vel in vtilitatem conuerti. 427.17,& 25
Legatum annuæ pensionis illi relictum est nullum quoad obligationem & ius ciuile: hæres tamen in conscientia tenetur illud soluere, & religio potest accipere & admonere hæredem suæ obligationis. ibid.18,& 19
Si hæc pensio legata sit ad breue tempus, probabilius est acquirere religionem ius ciuile ad illam recuperandam. ibid.20
Legatum annuæ pensionis potest statim vendi vt conuertatur in commodum monasterii, si hæres & principalis legatarius velit, non tamen potest ad id cogi. 428.23
Hæres vel legatarius in hoc casu non tenentur in cõscientia reddere æstimationem talis pensionis, neque se obligare volenti illam dare. ibid.24
Differentia inter legatum annuæ pensionis, & alterius rei immobilis. ib.25.& 26
Licet habere reditus certos iure ciuili recipiẽdos pro expensis Ecclesiæ seu sacristiæ. 429.28
Non tamen licet illos vel partem illorum, si sint superflui, vel nimium crescant in alios vsus monasterii conuertere, possunt tamen conuerti in opera pia. ib.29
Pro aliis rebus, vt, v.g. pro libris emendis nõ licet habere annuos redditus iure ciuili exigẽdos. 430.30

Pro hospitibus verò externis recipiendis licet habere tales reditus sola administratione; non ita pro religiosis hospitibus, ibid.31
Anniuersaria perpetua, & capellanias, an & quomodo liceat habere. ibid.32
Quid sit habere hæc bona immobilia tanquam propria. ibid 33
Non licet habere ex voluntate domini rem quoad vsum & vsumfructum. ibid.
An & quomodo traditio alicuius possessionis vel census quoad vsum vel vsumfructum repugnet huic paupertati in communi. 431.34.35.36
Ex vi huius paupertatis an & quomodo obligentur subditi ad mendicandum & strictiorem paupertatem. ibid.37
Pontifex potest dispensare cum religioso in paupertate, vt sit capax dominij, nullam aliam obligationem votorum vel status illi inferendo, quamuis moraliter loquendo vix possit id licitè fieri. 433.6.&7
Hæc dispensatio data est sine iusta causa est valida. ib
Pontifex non solùm potest dispensare cum religioso, vt sit capax dominii, sed etiam vt actu habeat dominium & proprietatem aliquam cæteris obligationibus. ibid.8
Si Papa solùm dispenset in solemnitate voti paupertatis, potest vere fieri dominus rei acceptæ, adhuc tamen peccat contra votum accipiendo sine licentia sui prælati. 434.9
In hoc casu non licet etiam de licentia prælati dominium acceptare. ibid.10
Papa, si detur causa, potest dispensare in toto voto paupertatis, non dispensando in castitate vel obedientia. ibid.11
Vsque ad 14. Regularis factus Papa manet liber omnino à voto paupertatis quoad vsum & dominium. ibd.12 &13
Non ita si fiat Episcopus. 435.14
Cum illo tamen potest Papa dispensare non dispensando in aliis votis. ibid.
Pontifex potest dispensare in voto paupertatis quãdo occurrit iusta causa dispensandi in ipso statu religionis & voto castitatis. v.g. si oporteat, vt monachus rex fieret. ibid.5
Vide *Dominium*.

*Peccare & Peccatum.*

Peccatum veniale euitare, vel commissum remitti est aliquo modo medium necessarium ad salutem. 30.8
Peccat grauiter nouas religiones, vel ordines sine Ecclesiæ approbatione introducere tentans, quãuis careat effectu. 122.29.&30
Peccati malitia non semper multiplicatur ex multiplicatione legum. 570.8
In peccato religiosi contra castitatem datur duplex malitia, vna contra temperantiam, & alia contra votum: & nulla datur iniustitiæ contra traditionem. 100.6
Peccatum grauius committit violans votum solemne castitatis, quàm simplex contrahendo matrimonium. 105.4
Peccatum religiosi in foro Ecclesiæ est grauius, & pœna dignius. 367.2
Peccatum inobedientiæ habet duas malitias, vnam contra Deum, & aliam contra hominem. 113.12
Vide *Paupertas simplex. Paupertas solemnis. Castitas simplex. Castitas clericalis. Obedientia simplex. Obedientia solemnis. Nouitius. Filius.*
*Peculium*, vide *Paupertas solemnis*.

*Pecunia.*

Pecuniæ nomine quæ cõprehendantur. 357.9,&10
Pecunia an, & quando inter bona mobilia computetur. 417.21,& 424.4
Vide *Paupertas solemnis*.

*Pensio.*

Pensio an nomine beneficij comprehendatur. 516. 21, & 22
Pensio non potest in alium transferri sine Papæ authoritate, extinguitur per professionem, & non transit ad monasterium. 498.7
Vide *Paupertas solemnis*.

*Perfectio.*

Perfectio, ad quam status perfectionis ordinatur, an sit forma simplex, vel pluriũ collectio. 8.1.2.&3
In charitate sola consistit. 9.4
Tribus modis perfectio charitati tribui potest, substantialiter, principaliter & totaliter. ibid. & seq.
Perfectio totalis absolutè sumpta non consistit in sola charitate. 11.15
Aliæ virtutes conferunt ad perfectionem Christianam, vt dispositiones, media & instrumenta charitatis. ibid.16
Item vt accidentia perfectionis. ib.17
Habens charitatem sine aliqua virtute est imperfectus accidentaliter. 12.18
Perfectio consistit in operatione vel proxima habitudine ad illam, & consequenter in charitate. ib.
Vide *Status charitatis, & Concilium*. 21.& 22
Perfectio charitatis intenta per statum perfectionis, nec potest nec requirit amorem Dei infinitæ perfectionis. 131
Item neq; immutabilem sine vlla actuali interruptione; aut ita perfectum vt nullam culpam etiam leuissimam admittat. ibid.2
Assignantur variæ perfectiones charitatis. ib.3
Quod hæc perfectio non sistat in charitate actuali, probatur. ib.4
Quod in habitu alitenetur. ib.5.vsque ad 9
Requiritur antecedens actuum frequentia de lege ordinaria, & similiter continuatio, non tamen illa consistit formaliter perfectio. 14.8
Non est necessaria ad perfectionem intẽtio charitatis habitualis, neq; etiam sufficit. 15.10.&11
Perfectio consistit in quadam proxima dispositione ad perfecte operandum iuxta Christi præcepta & consilia. ib.11
Potest quis ex perfecto fieri imperfectus sine peccato mortali, & consequenter sine diminutione charitatis & gratiæ. ibid.12
Potest quis simul esse sanctior & imperfectior alio perfectiore, & tamen ad maiorem beatitudinem peruenire. ibid.
Ad perfectionẽ per se pertinet amor proximi. ib.14
Non tamen primario, sed secundario. 16.18
Extensio dilectionis Dei ad implendã illius voluntatem in omnibus pertinet per se primo ad perfectionem charitatis. ib.16.&17
Vt charitas viæ in statu perfectæ esse censeatur, & vt homo in statu pfectionis simpliciter esse dicatur, requiruntur aliæ perfectiones, scilicet moderatio passionum, abnegatio rerum temporalium, & similes. 17.19.&20
Potest quis esse perfectus, & tamen non esse in statu perfectionis, & è contra. ib.1
Perfectio non requirit omnimodam obseruantiam consiliorum omnium. ib.2.&32.6
Perfectio non acquiritur sine obseruantiã consiliorum. 31.3.&4
Perfectio Christiana principalius præceptorum quã consiliorum obseruantiam postulat, status verò perfectionis è contra. 34.8.&9
*Pietas*, vide *Debitum*.

*Possessio.*

Possessionis definitio & explicatio. 360.8,&9

*Potestas.*

Potestas approbandi religiones immediatè est in Papa jure diuino. 132.1
Est etiam aliquo modo in Episcopis. ibid. 2, & 7
Hæc potestas altiori modo est in Papa quàm sit in Episcopus. 134.15
Sex differentiæ assignantur inter potestatem & approbationem Pontificiam & Episcopalem: prima est quòd approbatio Episcopi potest esse pro sua diœcesi tantùm, Pontificis verò potest esse pro tota Ecclesia. 135.16
Approbatio Episcopi fallibilem & merè humanam certitudinem habet; Pontificis verò diuinam, & infallibilem. ibid.17, vsque ad 23
Hæc potestas est immediatè in Pontifice de iure diuino, non ita in Episcopis. 136.24
Item in Papa est immutabilis per hominem, in Episcopo est cum dependentia à Pontifice, à quo limitari vel auferri potest. 137.25
Pontifex potest approbare religionem solemnizando vota, non ita Episcopus. ibid.26, & 27
Tandem Papa religionem approbare simpliciter potest; Episcopus secundum quid. 138.30
Potestas approbandi religiones Episcopis ablata est à Concil. Lateranensi. 137.25
Potestas iurisdictionis trib. modis requiri potest ad statum religiosum. 138.1
Quid significetur nomine potestatis & iurisdictionis dominatiuæ. 139.5
In statu religioso necessaria est in Prælato potestas gubernatiua & suo modo dominatiua distincta, & separabilis à iurisdictione. ib.6
Est sufficiens hæc sola potestas ad constituendum statum religiosum. 140.8, & 10
Ad perfectum regimen necessaria est propria potestas iurisdictionis in aliquo Prælato religionis saltem extrinseco, qualis est Episcopus. ibid.11
Est quasi proprietas consequens statum religiosum. 141.12
Potestas dominatiua oritur ex professione religiosa, & ordinatè coniungitur cum potestate iurisdictionis. ibid.13
Potestas acceptandi religiosam professionem vice Dei est necessaria ad statum religiosum. 149.12, & 13
Data est D. Petro, & pertinet ad potestatem ligandi atque soluendi. 150.14
Triplex potestas datur in Prælato ad præcipiendum. Vide *Irritare*. (574.1
Potestas recipiendi ad religionem est immediate in sola & qualibet religione approbata, & includitur in ipsa approbatione. 218.2
Necessario est committenda alicui vel aliquibus in particulari. ibid 3
Ex iure communi pertinet ad Abbatem in religionibus monasticis, in mendicantibus verò ad Prouincialem: sed consulendum quid in hac materia determinet quælibet religio. ibid.6
Sixtus V. eam committit generali, seu prouinciali, & definitoribus. 221.18
Item Prouinciali cum duobus aut tribus localibus ad hoc designatis, vel cum duobus aut tribus patribus antiquioribus, electis à capitulo prouinciali mendicantium, vel generali monachorum. 222.19
Ad receptionem suffragia definitorum, vel electorum non sunt tantum consultiua, sed definitiua: non requiritur consensus omnium, sed sufficit si plures consentiant cum prouinciali. ibid.
Vide *Professio*.

*Præceptum.*

Præceptũ affirmatiuũ non obligat pro semper. 22.1
Non possunt præcipi omnia bona opera, nec à lege naturali. ibid.2
Nec à positiua diuina, vel humana. ibid.3
Præceptum charitatis sumptum ex cap. 22. Matth. explicatur. 26.5
Quomodo contineat virtute alia præcepta. ibid 6
Ex vi præcepti charitatis tenentur habere in affectu & spe perfectissimum amorem patriæ. 28.12
Præceptum in actibus humanis aliquando obligat ad specificationem, aliquando ad exercitium actus. 439.9, & 10
Vide *Obedientia simplex. Obedientia solemnis. Matrimonium*, & *Consilium*.

*Prælatus.*

Prælati religionum vt pastores ordinarij leges & præcepta subditis possunt imponere. 569.6
Prælatus religionis est Pater altioris ordinis. 252.25
Vide *Obedientia simplex. Obedientia solemnis. Votum religionis. Professio. Potestas*, & *Irritare*.

*Præscriptio.*

Ad præscriptionem quale tempus continuum sufficiat; & quomodo bona vel mala fide interrumpatur. 332.31, & 33
Vide *Seruus*.
*Preces importunæ*, vide *Professio*.
*Priuilegium*, vide *Professio*.
*Procurator*, vide *Matrimonium*, & *Professio*.

*Prohibitio.*

Prohibitio superioris dupliciter dici potest irrationabilis, & quomodo tunc obliget. 399.22

*Promissio.*

Promissio vt genus essentialiter includitur in omni voto. 94.8
Promissio Deo facta est vere votum: promissio vouendi castitatem, est vere votum, sed non castitatis. ibid.
Promissio & donatio differunt, & in quo. 95.12
Promissio pura non transfert rem in alterum, neque est potens vt reddat personam incapacem dominij. 109.11
Promissio homini facta non est votum, sed soli Deo. 558.9
Vide *Dominium*, & *Traditio*.

*Profiteri, Professio, & Professus.*

Professio vera & valida est de substantia status religiosi. 243.2, & seq.
Sola professio valida siue expressa siue tacita constituit religiosum. 245.8
Diuisio professionis in validam & inualidam; expressam & tacitam. ibid.7
Professio tacita est valida, neque à Conc. Trid. reuocata est. ibid.
Sine professione non fit religiosus quamuis habitũ suscipiat cum proposito vel voto religionis. ib.10.
De substantia professionis sunt tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, siue explicite, siue implicite facta. 248.12, & seq.
Modus profitendi religionis Prædicatorum & Carthusianorum. 246.3, & 13
Professio in qua vnum votum voce exprimitur, vel promissio alicuius obiecti in quo alia confuse cõtinentur, est expressa. 248.13
De substantia professionis est traditio religiosi & acceptatio prælati. 246.4
Traditio quæ in professione fit, non est pactum, aut donatio mere humana, vel sacra, obligans Deo specialiter. Sola sufficit ad substantiam professionis sine promissione, quæ si aliquando additur, solùm est ad maiorem firmitatem & obligationẽ pluribus titulis augendam. 249.14

Effectus quasi formalis professionis quatenus traditionem includit est esse donatum, traditum, seu translatum in alterius potestatem. 250.18
Ad hunc effectum pertinet potestas data prælato seu religioni, & passiua subiectio se tradentis. ibid.
Hæc subiectio & simul filiatio in ordine ad Deum est strictissima & nobilissima seruitus. 251.19
In ordine verò ad prælatum vel religionem non est propriè seruitus mancipij, sed filij spiritualis subiectio. ib.19,20,& seq.
Hæc subiectio quantum est ex vi seruitutis poterat esse in statu innocentiæ. 252.24
Potestas prælati orta ex professione est œconomica & paterna, spiritualis & supernaturalis. ib.25
Ex traditione per professionem facta prouenit potestas coactiua & punitiua prælatorum erga religiosum. 248.9.& 10
Ex traditione, & tribus votis coalescit professio quoad suam substantiam. 252.26 & 28
Potest inueniri oblatus cum tribus votis qui non sit professus, neque verè religiosus. 253.32
Ad veã professior ẽ nõ sufficit traditio cũ tribus votis in religione approbata, sed requiritur vt sit in religione approbata, & approbata est. 254.32.& 33
Vide *Traditio*, item *irritare vota*, &c.
Causa finalis proxima professionis est ipse status religiosus, & vltima charitatis ac diuini cultus perfectio. ib.1
Causa formalis est ipsamet professio. ib.
Causa efficiens proxima est proprius consensus professi. ibid.2
Professio ex malo fine operantis potest vitiari, non tamen inualidari. ib.1
Vera ac valida professio non fit sine libero consensu professi. 251.3
Ad professionẽ validã ex iure positiuo requiritur hic cõsensus post 16. ætatis annum completum. ib.4
Olim sufficiebat post 14. ib.
Ad professionem validam ex iure cõmuni nõ requiritur maior ætas quàm 16. annorum: aliqui tamen insulani iuxta ca. *quia in insula*, ante 18. ætatis annũ illicitè profitentur. Sed hoc statutum videtur consuetudine reuocatum. 256.7,& 8
Filius ante vsum rationis donatus à parentibus religioni, post annos pubertatis non tenetur profiteri. ib.9.& 12
Item non potest fieri religiosus professus per donationem & voluntatem partis. ibid.10,& 12
Liber consensus ad professionem validam est necessarius tam ex parte religiosi, quàm religionis. 258.14,& 263.20
Etiam est necessaria potestas in acceptante professionem. 258.15
Quando quis ex metu siue magno siue paruo, vel eram sine causa profiteretur exterius absque interno consensu, professio est nulla apud Deum. ib.1
Quando quis professionem vetũ consensum interius pbet metu tamen extortũ, professio est nulla. ib.3
Talis professio est valida ex natura rei. 259.6
Iure tamen Ecclesiastico irrita est. 260.9
Vt professio hæc sit irrita, debet metus grauis esse seu cadens in constantem virum. 261.12
Debet item esse directè immissus ad extorquendum consensum. 260.7,& 8
Metus mortis naturalis ex infirmitate, vel violentiæ ex naufragio, non inualidat professionem. ib.6
Adultera quam maritus iustè vult affici pœna mortis, nec parcit nisi religionem professatur, validè profitetur. Item si quis timens violentam mortem sibi imminentem ab inimico, quam vt fugiat religionem ingreditur. ibid.
Metus leuis ex parte causæ & obiecti quantumcunq; moueat vel perturber professentem si non tollit vsum rationis & libertatem sufficientem ad pecãdum mortaliter tam in foro exteriori, quàm in conscientia, non irritat professionem. 261.13
Si quis posita causa timoris grauis non timeret, & vellet adhuc profiteri, non ex timore, sed propter alias causas, professio est valida, neque potest talis tuta conscientia liberari iugo religionis per sententiam. ib.14
Idem dicendum etiamsi ortus sit timor quando ille non est causa professendi. 262.15
Metus reuerentialis quatenus includit solam interiorem reuerentiam cum quadam verecundia non irritat professionem. ib.16
Quatenus v. includit aliquã coactionem, irritat. ib.17
Per metum cogentes aliquem profiteri quas pœnas incurrant. 263.19
Vide *Excommunicatio*.
Vt professio sit valida requiritur voluntarius consensus religionis recipientis per eum, qui potestatem habet. ib.20,.& 282.8
In casu quo non consentiat Prælatus interius, sed fictè exteriùs postea id affirmauerit, non tenetur religiosus credere, nec potest ad hoc vt deseratur religionem: in foro exteriori non est admittenda hæc causa nullitatis. 263.20
Si Prælatus non fictè, sed vero consensu professionem acceptauit, ex quocunque metu etiam graui id fecerit valida est professio. ib.21
Professio ita facta non est irritanda, siue persona profitens sit digna, siue indigna. ibid.
Ita per metum cogens Prælatum acceptare professionem, si persona est indigna, tenetur resarcire damnum, si illud patiatur religio vel alendo personam inutilem, vel vltra numerum eorum quos sustentare potest. ibi.
Non omnis ignorantia seu deceptio ex parte professi tollit reddit professionem nullam. 299.3
Ignorantia vel deceptio in rebus substantialibus religionis annullat professionem. ib 4 & 5
Non ita ignorantia accidentalis. ibi.6
Importunè preces, blanditiæ & similia, si non includant deceptionem in substantialibus, non impediunt valorem professionis. 300.7
Importunæ preces, seu blanditiæ adiunctæ timori reuerentiali etiam non impediunt. ibid.
Ignorantia siue dolus irritãt professionem ex natura rei, metus verò ex iure positiuo. ib.8
Ignorantia quamuis crassa, & supina (non verò affectata) irritat professionem, non solùm quando contingit per iniuriosam deceptionem, sed ex alia quacunq; causa naturali seu extrinseca. ib.9
Ignorantia ex parte religionis circa professentem eadem proportione impedit vel non impedit professionis validitatem. 301.10
Libertas à statu seruitutis est necessaria ad professionẽ: seruus manens seruus nõ potest profiteri. 301.2
Professio serui est valida etiam inscio vel inuito domino. ib.3
Non obstante professione potest dominus seruum repetere, & sibi & non religioni seruire cogere. ib.
Si tamen intra triennium illum non repetat, si commodè posuit non potest amplius repetere. ib.
Vt dominus censeatur consentire in hoc satis est quòd sciat & non contradicat. ibid.
Post professionem serui sine consensu domini factam (non potest dominus à religione cogi vendere seu redimere seruum, nisi hac ratione & pacto pretii consensus fuerit. 304.4
Si religio bona fide ignorans conditionem serui illum recipit, non potest à domino cogi illum redimere, sed tantum redderet: si verò scienter recipit,

pit, potest cogi ad reddendum pretium si dominus velit. ibid.
Vide *Excommunicatio.*
Libertas à vinculo vel obligatione perpetua matrimonij consummati est necessaria ad professionem. 267.1
Matrimonium ratum & non consummatum non impedit professionem. ibid.
Si alter coniux adulteretur, alius liberè potest profiteri: item quoties causa perpetui diuortij datur. ibid.
Matrimonio consummato durante, sine licentia coniugis facta professio, est nulla ex iure Ecclesiastico. ib.2,&3
Ex hac professione ita nulla adhuc manet votum castitatis; vnde viuente coniuge obligatur ad non petendum debitum, & illo mortuo ad iterum nō contrahendum. 268 6
Vota tamen paupertatis & obedientiæ non manent, sed omnino irritantur. ib 7
Professio facta de licentia & legitima conuersione alterius coniugis valida est. 269,8
Vinculum professionis cum tribus votis solemnibus, & vinculum matrimonij non sunt formaliter repugnantia. ibid.
Professio facta de licentia alterius coniugis, sine cōuersione eius facta est valida. ib.2.9
Sufficit licentia tacita. ib.10
Vide *Votum sol mne castitatis.*
Si alter coniugum qui licentiam profitendi dedit & non fuit conuersus, votum religionis aut castitatis perpetuæ emittendo socium professum petat, illi est reddendus ad vsum matrimonij. ibid.9,11, &15.
Debet tamen reddi authoritate Ecclesiastici iudicis competentis. ibid.
Coniux dans talem licentiam, siue sciens, siue ignorans obligationem conuertionis suæ à iure impositam, non potest cogi ad vouendam religionem vel castitatem perpetuam. 270,13,&14
Si tamen fecit votum simplex religionis, & noluit implere, sed repetere suum socium, non est illi reddendus; imò cogi debet vt votum impleat, si vero fecit votum simplex castitatis, vt ieruet illud cum debita clausura. ib.14
Mortuo coniuge vel conuerso qui repetiit tenetur alter professus redire ad eandem religionem, & non ad aliam. 271.16
Libertas ab Episcopali dignitate est necessaria ad professionem. ib.1
Episcopus actualiter habens Ecclesiam curatam sine licentia Papæ non potest profiteri: potest vero solum electus, nisi speciali præcepto prohibeatur. ib.
Episcopus confirmatus, & non consecratus, sine licentia Papæ non potest profiteri. ib 2
Episcopus consecratus si iam renuntiauit Episcopatui, potest sine licentia profiteri. 272.1,4
Episcopus consecratus carens Episcopatu non per renuntiationem, sed vel quia illa Ecclesia à fide defecit, vel qui consecratus fuit tolo titulo alicuius Ecclesiæ, non potest sine licentia profiteri. ibid.5
Episcopatus impedimentum non irritat professionem, sed prohibet & impedit vsum eius. ibid.7 &seq.
Talis professio quanuis valida, est tamen illicita. 273.12
Prælati inferiores præter Episcopum sine licentia Papæ validè & licitè profiteri possunt, debent tamen illam petere à suis Episcopis, quamuis non obtineant. ib 13
Abbates exempti & habentes iurisdictionem Episcopalem possunt profiteri petita prius à Papa licentia, licet non obtenta: etiam videtur, satis illam petere ab Episcopo, cui de iure deberent esse subiecti. 274.14
Professio in vna religione tam ex iure naturæ, quàm Ecclesiæ, impedit aliam professionem in laxiori vel æquali, non vero in arctiori. 272.8,&13
Libertas ab obligatione speciali subueniendi, vel obsequendi parentibus est necessaria ad professionem. 274.1
Professio facta cum hac obligatione est valida, sed sub mortali prohibita necessitas quæ impedit religionis ingressum, etiam impedit professionem. ibid.
Vide *Ingressus religionis. Filius, & Necessitas.*
Quando filius professus est cum iniuria parentis, iam grauiter egentis, tenetur petere facultatem ad subueniendum illi, & religio dare, si autem neget, & aliud remedium commodum non sit, potest sine licentia obtenta subuenire parenti, seclusio scandalo vel notabili indecentia religiosi status. 276.9,&24
Si religio velit subvenire parenti & non dare licentiam filio potest. ib 10
Si ex tali exitu religiosi sequatur religioni magnum detrimentum priuatiuum, non tenetur dare licentiam, sed alere parentem, si vero non habeat facultatem sufficientem ad subueniendum, prudentis arbitrio videndum, an cum tanto damno teneatur. ib.
Quomodo debeat peti, & dari talis licentia. ib.11
Si licentia à superiore negetur, vsque ad generalem recurrendum, imò ad Papam si dimittenda est religio, dummodo sic recursus non sit adeo difficilis, vel sit periculum in mora. ibid.
Quando grauis parentis necessitas orta est, post professionem filii tenetur illi subuenire, seruato tamen suo statu & ordine substantiali religionis, non vero potest mutare statum sine licentia Pontificis aut Prælati. 277.16
In hoc casu tenetur Prælatus dare licentiam ex charitate, & iustitia, si tali necessitati subueniri potest per media, quæ ab ipso religioso, retento habitu & intra religionem manente decenter, & sine notabili grauamine religionis, ac sine morali periculo religiosi adhiberi possunt. ib.17
Quando necessaria est licentia diu viuendi, extra monasterium, vel dimittendi habitum, vel etiam intra monasterium, si illud est priuandum vti itate magni momenti, & non superflua, non tenetur Prælatus licentiam dare. ib.18,&19
Probabile est in his casibus adhuc teneri dare licentiam. 278.22
Actiones quæ non sunt directè contra regulam aut votum, possunt fieri professo ad subueniendum parenti, vel licentia non petita, si non sit moralis spes obtinendi, vel etiam negata: neque in hoc tenetur obedire quamuis sub præcepto prohibeatur. 279.27
Si vero actiones sunt directè contra regulam, aut votum, ad quas est necessaria Prælati dispensatio, si Prælatus iniustè non dispenset, potest illas sine scandalo & occultè exercere. ibid.26,&280. 28,29.
Non ita si Prælatus iustè non dispenset. ib. 29
Ad omnia, ad quæ tenetur filius professus respectu parentis, tenetur parens professus respectu filii imo tenetur succurrere filio grauiter egenti post illius professionem. ib.30
De obligatione fratris professi respectu fratrum vel sororum. ibid 31

Debita vel aliæ rationes reddendæ tunc impediunt professionem, quando religionis ingressum. 281.1
Hoc impedimentum, non est irritans. ib.
Vide *Debitor*.
Debitor à principio licite profitens nõ tenetur laborare vel quærere vnde soluas, neque egredi, neque ad hoc licentiam petere, neque oblatam acceptare. ibid.2
Non tenetur etiam intra monasterium vel proprijs manibus laborare, vel cum licentia subtrahere aliquid ex datis ad proprium vsum, aut petere eleemosynam & similia. ib.4
Si verò habeat multa ad suũ vsum superflua, de quib. cum licentia liberè disponere potest, probabiliter tenetur ex his soluere, non tamen ex iustitia. ibi.
Si religio acceptando talem professum, vel voluntariè se obligauit ad tale debitum, vel simul cum persona accepit bona eius, tunc ipsa tenetur soluere creditoribus. ibid.
Si talis debitor illicitè contra iustitiam professus est, non tenetur egredi, neq; aliquid agere contra decentiam, vel substantiam status religiosi. 282.7
Tenetur vero soluere si commode potest intra religionem manens, & regularem disciplinam obseruans. ib.8
Professus furtum, vel iniuriam faciens non tenetur egredi monasterio vt restituat, tenetur tamen restituere quoad commodè possit. ib.
An censuræ impediant professionem, vide *Excommunicatio*.
Vt professio sit valida, debet fieri in manibus habentis potestatem. 283.2
Hæc potestas est in eo qui potest recipere ad nouitiatum. ibid.
Vide *Potestas*.
Olim professio facta in manibus Episcopi sine consensu religionis valida erat. 283.3
Nunc in religionibus exemptis nõ habet Episcopus hanc potestatem. ibid.
In non exemptis habet ex vi iuris communis. ib.4
Episcopus, vel quiuis alius de licentia habentis ordinariam potestatem, potest validè admittere professionem. ib.5
Si Episcopus nomine Prælati admittat alicuius professionem sub spe ratihabitionis, professio non est valida. 284.6
Ratihabitione vero sequuta, & nouo etiam consensu profitentis, valida est. ib.7
Vt professio sit valida debet professionem admittẽs habere liberam voluntatem acceptandi, & obligandi religionẽ eo modo quo obligari debet. ib.8
Vt professio perficiatur & valeat, requiritur aliqua forma exterior sufficienter exprimens mutuum consensum religiosi, & religionis. ib.1
Hæc forma & signum ex parte profitentis debet esse satis expressum, vt est vox humana, vel capitis inclinatio, ex parte vero Prælati ordinariè nulla verba requiruntur, sed solũ aliqua demõstratio exterior, qua significet se acceptare professionẽ. 285.2
Iure communi non requiritur scriptura vt per illam expressa professio fiat: iure autem speciali aliquarum religionum est necessaria. ib.3
Scriptura sufficit ad professionẽ validam & expressam, tamen iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem debet publicè legi. ib.4
Professio, vt conuenienter fiat, debet fieri coram testibus, si non fiat coram testibus, valida est stando in iure communi. ib.5
De necessitate formæ professionis validæ est vt per eam exprimatur obligatio trium votorum cum traditione ad certam & determinatam religionem 286.6.&7
Necessarium est ad valorem professionis, vt formà eius non includat conditionem repugnantẽ substantiæ religiosi status. 287.14
Professio facta sub conditione indifferenti, de præsenti, vel de futuro, & in re ipsa subsistente, est valida, si de futuro, non est valida, quousque impleatur conditio. 288.16
Si in eo casu consensus reuocatus est ante impletam conditionem, professio est nulla post il am impletam. ibid.
Professio sub conditione de futuro impleta conditione non est valida, nisi de nouo fiat & detur nõuus consensus. ib.18
Qui professus est appositæ conditione de futuro, impleta illa, tenetur ad profitendum; & ad id cogi potest. 289.20
Hoc probabiliter procedit, quando talis professio fit in manibus habentis potestatem, non verò in manibus non habentis, sub conditione, si superior consenserit, aut ratam habuerit, probabilius tamẽ etiam in hoc casu tenetur. ib.21
Professio facta per procuratorem, est valida, si consensus nõ est reuocatus ante vsum procurationis ibid. 22
Stando in iure communi professio per litteras est valida. 290.23
Quod professio intra religionem vel in Ecclesiastico non est de substantia illius. ib.24
Professio facta à fœmina in religione virorum, si religio sit approbata pro viris, & fœminis, est valida; nõ ita, si sit approbata pro solis viris. ib.24.& 25
Qui & quales effectus sequantur ex professione valida expressa ratione trium votorum. ib.1
Ratione traditionis. ib.2
Numerantur alij effectus magis extrinseci prouenientes ex iure Ecclesiastico. 291.3
Ex iure diuino attribuitur professioni remissio totius culpæ, & pœnæ, quasi ex opere operato. ib.4
Non æquiparatur professio baptismo vel martyrio, in hoc, quod ex opere operato vel ex speciali priuilegio primam gratiam conferat, & facit ex attrito contritum. ib.5
Est temeratium attribuere hoc professioni. ib.
Probabiliter si quis in statu gratiæ professionẽ emittat ex diuina liberalitate, remittitur illi totus reatus pœnæ temporalis. ib.6.& seq.
Probabilius est hoc prouenire ex perfectione & excellentia talis operis. 292.6.7.&8
Professio assimilatur, & appellatur secũdum baptisma. ib.7
Communis sententia absolutè docet, per professionem vota omnia præcedentia extingui. 293.3
Vota præcedentia, quæ simul cum professione impleri non possunt, per illam commutantur & extinguuntur. ib.4
Etiam extinguitur votũ peregrinationis Terræ sanctæ, siue causa deuotionis, siue subsidij factum. ibid. 5
Item vota purè realia: si tamen sit adiuncta propria humana promissio, illa non commutatur, sed est implenda si potest. 294.6
Vota præcedentia quæ compatiuntur cum ipsa professione, extinguuntur per illam, si profitens intẽdat commutare. ib.10
Ad hanc commutationem faciendam non requiritur superioris autoritas. ib.10 & 11
Probabilius & tutius est, quod hæc commutatio nõ fiat ipso facto & iure, si profitens illam non intendat. 295.13 14. & 15
Contrarium in praxi etiam est probabile. 297.18
Superior potest irritare talia vota post professionem. 296.14

Votum religionis strictioris non commutatur licite propria authoritate, sed Prælati etiam dispensantis. ib.15
Sicillicite profitens non tenetur transire ad arctiorem religionem, nam valida est talis commutatio. 297.18.
Votũ religionis arctioris post professionem factũ obligat, neq; potest irritari à Prælato. ib.17.&18.
Siue votum sit ingrediendi tantum, siue perseuerandi. ib.19
Per vota simplicia Societatis post biennium facta nõ extinguuntur ipso iure, & facto vota præcedentia. 298.20
Vide *Societas* IESV. *Votum religionis.*
Vinculum professionis ex parte professi est omnino indissolubile. ib.2
Item ex parte religionis. 299.3.&4
Professus è religione eiectus, tenetur ad illam redire, si à Prælato reuocetur: & quamdiu non profitetur in alia religione, tenetur obseruare vota, & alias obseruantias grauiores suæ religionis. ib.5
Item semper manet sub speciali obedientia Papæ, à quo cog. potest vt reuertatur ad suam religionem ibid.6
Item sic eiectus & habitu priuatus manet Episcopo subiectus. ibid.
Vinculum professionis etiam ex mutuo consensu religionis & religiosi dissolui non potest. 300.7
Quo iure sit indissolubile hoc vinculum. ib.8.& seq.
In quo sensu sit indissolubile iure Ecclesiastico & naturali. 301.12.& 13
Opinio D. Th. asserentis, professionem esse omnino indispensabilem etiam à summo Pontifice. 302.1
Hæc opinio iuxta aliquos non põt defendi sine errore, ad minimum non videtur multum probabilis. 311.24
Defendi potest sine censura, minus tamen probabiliter, & cohærenter, iuxta declarationes Pontificum. ib.25
Ponuntur varij modi illam defendendi, & intelligendi. ib.25.& 26
Summus Pontifex potest dispensare in professione. 303.5.& seq. 306.3.& seq.
Numerãtur variæ personæ professæ cum quibus dispensatum fuit, vt vxores ducerent. 303.6
Pontifex potest dispensare valide, quamuis illicite, sine causa in solemnitate voti, non ita in ipso voto 307.6
Dispensatus legitime à Pontifice sine causa in voto solemni potest valide contrahere matrimonium, adhuc tamen manet obligatio resultans intrinsece ex ipso voto. ibid.
Maior causa requiritur ad dispensandum in professione, quã in votis simplicib. nude sumptis. ib.7
Prælatus religionis non potest dispensare in professione subditi. 301.12
Item non potest ita dimittere incorrigibilẽ vt ipsum statum religiosi illi auferat. ib.13
Neq; summus Pontifex hoc potest facere & dispensare valide in professione, nisi detur causa iusta. ib.
Potestas ordinaria dispensandi in professione tam de facto, quam de iure immediate, est in solo summo Pontifice. 312.1
Hanc potestatem habebant olim Episcopi circa sibi subditos. ib.2
Nunquam licet, etiam in grauissima necessitate, Episcopis per epiikiam dispensare in professione & votis solemnibus. 313.5
Oppositum est probabile. ib.4.& 5
Professionis vinculum nunquam cessat ex natura rei propter aliquam vrgentem necessitatem, nisi à superiore potestate dissoluatur. ib.6
Vide *Castitas religiosa*; seu *solemnis.*
Ad professionem faciendam quomodo possit quis obligari cum sit opus consilij. 36.3
Ex professione nulla manet irritum votũ obedientiæ & paupertatis. 129.16
Castitatis vero aliquando. ib.17
Professio non fit inualida propter votum profitendi, vel aliam merè internam obligationem: fit vero, si ab extrinseco detur aliqua necessitas, vel obligatio, vt v. g. pactum inter nouitium & religionem faciendæ, vel admittenda professione. 161.19
Professio fœminarum non est nulla, quamuis omittatur examen Episcopi à Conc. Trident. præscriptum. 185.9
Professio impedit, si non fiat cum licentia, ingressum alterius religionis, vel laxioris, vel prohibitæ 195.12
Professio nulla à principio, non fit valida per tacitam sequentem, quando prior seruatur sub existimatione valoris, & obligationis illius. 174.7
Per professionem nõ extinguitur commoditas vsusfructus, nec ius ad illam, sed transit ad monasterium. 408.6
Non ita pensio. ib.7
Assignãtur modi, quibus professio inualida fieri potest. 325.1
Professio ita aliquando est nulla vt nunquam possit fieri valida, aliquando vero possit. ib.2
Professio facta in religione non approbata nunquã fit valida quoad vinculum professionis: quoad valorem vero votorum, potest esse valida, si dentur requisita. ib.
Professio facta à perpetuo amẽte ita est nulla, vt nullo modo ratificari valide possit. Item facta ab Episcopo, vel coniugato post matrimonium consummatum, quatenus durant in statu impotentiæ propter defectum licentiæ, vel à Pontifice, vel ab altero coniuge. ibid.
Professio semel inualida (quæ tamen est capax remedij) solo tractu temporis non fit valida ablato defectu, sed opus est vt iteretur consensus. ib.3
Vt professio inualida fiat valida, necessarium est, vt de priori defectu & nullitate constet, & qui talem professionem ratam habet. 326.4
Ad inualidam professionem ratificandam non sufficit interior tantum cõsensus, sed necesse est vt exterius, per signum vel tacitum vel expressum manifestetur. ib.5.& 6
Professio expressa nulla potest ratificari per sequentem tacitam. ib.6.& 7
Professio inualida si ante illam expresse emissam antecessit integer probationis annus, potest statim fieri vel expresse, vel tacite, si vero non antecessit, nullo modo potest ratificari, nisi iterum annus probationis integer fiat. 327.8
Ad talem professionẽ, expresse, vel tacite iterandam, non requiritur habitum nouitiorum suscipere, & modũ viuendi illorum obseruare, sed sufficit perseuerare in tali religione sub habitu, & obedientia eius, per annum integrum computandum à tempore, quo cognouit nullitatem prioris professionis, & decreuit in religione manere. ib.10
In eo casu tenetur abstinere ab actibus professorum qui vel valide, vel licite sine vera professione exerceri non possunt. ibid.
Quando professio fuit nulla ex defectu irritante solum consensum religiosi: vt, v. g. si ex malitia ficte professus est, vel ex metu graui, nõ est necessaria ex parte religionis scientia talis nullitatis, neque nouus consensus, sed sufficit prior moraliter permanens, vt professio iterari possit. 329.16.& 17

In

In hoc casu non tenetur manifestare religioni talem defectum. ib.16.&19
Quando professio fuit nulla ex defectu irritante solum consensum religiosi (vt v.g. si ex malitia fictè professus est, vel ex metu graui) non est necessaria ex parte religionis scientia talis nullitatis, neq; nouus consensus, sed sufficit prior moraliter permanens, vt professio iterari possit. ib.16.&17
Quando professio fuit nulla ex defectu irritante cõsensum ex vtraq; parte (vt v.g. defectus anni nouitiatus) vel ex parte religionis, necesse est, vt vtraq; pars scientiam habeat defectus vt possit denuo legitime consentire. 330.20
Defectus anni probationis non solũ manifestandus religioni propter ipsam professionem, sed etiam propter probationem, vt ex tempore notitiæ incipiat nouitiatus eo modo, quo religioni placuerit. ib.22.&24
Quando defectus fuit in anno probationis, sufficit complere quod defuit, si professio solum facta sit exterius, vel fictè intellecta eius nullitate tam ex parte religiosi, quã religionis, dũmodo sub eadẽ obedientia in habitu religionis p seueretur 331.25
Quando verò talis professio fieret sub errore, quod sit valida, si receptio est nulla directe, & per se, necessarium est, vt noua receptio valida fiat, & post illam integer annus nouitiatus, ac tandem sequatur professio. 332.28.&29
Quãdo receptio in se fuit valida, professio verò nulla ex defectu anni integræ probationis, vt denuo ratificetur debet præcedere nouus annus probationis. ib.30
Probabile est sufficere in hoc casu tempus, quod defuerat, supplere. ib.31.&32
Probabilius & securius est, ex quocunq; defectu professio sit nulla, necessariò præmittendum integrũ probationis annum, vt possit ratificari. 333.34
Si bona fides intercessit, talis religiosus saltem post ratificatam professionem retinet locum antiquitatis quem acquisiuit. ib.34
Ad iterandam professionem nullã sufficit tacita, nisi religio expressam postulauerit. 334.35
Quando professio expressa ita fuit nulla vt in foro Ecclesiæ de eius nullitate constet, vel cõstare possit, qui illam tacite solum confirmauit, non potest eligi in Prælatum, & si eligatur, nulla erit electio, nec poterit tuta conscientia acceptari. ib.36
Quando verò non potest constare probabiliter, est valida electio. ib.37
Quãdo professio bona fide facta est simpliciter nulla per se loquendo nullum habet effectum, per accidens autem, potest habere aliquem, magis in foro externo, quam in interno. 335.3.&5
Professio ita facta, quamdiu existimatur valida obligat ac si esset valida ratione ignorantiæ. ib.5
Si hæc ignorantia sit publica, & communi existimatione iudicetur professus, omnes actus professorũ proprij etiam validam professionem supponendo ab eo exerciti, sunt validi. ibid.
Sic professus potest in foro externo obligari ad permanendum in religione, & obediendum, & ipse tenetur aliquo modo parere huic sententiæ. ib.
In prædicto casu si talis sit dubius de nullitate professionis tenetur parere sententiæ, imò quamuis non intercedat sententia non potest sua authoritate se eximere à religione, & tenetur ad ratificandam professionem. ib.6
Si verò sit certus corã Deo de nullitate professionis, quam ab initio bona fide fecit, non tenetur ratificare illam, quamuis per sententiam cogatur in religione manere. Item non tenetur ad internam obseruantiam, votorum, & regularum, sed tãtum ad externam, & neq; ad hanc secluso scandalo: itẽ potest relinquere Religionem sine vi, iniuria, & scandalo: solum obligatur ad parendum exterius illi sententiæ, non resistendo per vim. ib.
In hoc casu consulendum est tali personæ vt priorem professionem ratam habeat. 336.7
Probabile est, si talis dubitationẽ moueat circa nullitatem professionis cum nihil probare possit, iuste posse à religione obligari ad professionem iterandam, & tunc ipse tenetur ex animo iterare. ib.
Ad idem tenetur, quamuis à religione non obligetur si in aliquo casu non possit sine scandalo, & periculo religionem relinquere. ib.8.
Professio nulla ex defectu consensus propter fictionem professitentis, per se non obligat ad statum religiosum, aut iterandum, aut vota seruanda, per accidens verò potest obligare. ib.9
Quando professio est nulla tantum ex iure Ecclesiastico, per se habet effectus in iure expressos. 337.10
Professio facta in religione mendicantiũ ante expletum annũ probationis, ante Conc. Trid. obligabat ad ingrediendũ aliam religionem, post Conc. est omnino inualida, & nullũ habet effectũ. ib.11
Idẽ dicẽdum de professione tacita, facta p susceptionẽ habitus professorũ intra annum nouitiatus. ib.
Professio cõiugati, sine licẽtia consortis est nulla, neque obligat ad vota paupertatis & obedientiæ, sed solum ad votum simplex castitatis. ib.12.&13
Ex intentione verò professitentis neq; ad hoc obligabit, si non intendit vouere castitatem nisi vt annexam religioni. 338.14
Professio hoc secundo modo facta, secluso scãdalo, non impedit matrimoniũ, primo verò modo impedit propter simplex votum castitatis. ib.
Si quis suscipiat habitum religionis cum proposito mutandi vitam, ibi non interuenit professio expressa, nec tacita. 339.18
Quæ obligatio resultet ex professionẽ cũ tribus votis solemnibus facta in manibus non habentis potestatem admittendi & incorporandi religioni. ib.19.&20
Post professionem inualidam simpliciter potest quis licite relinquere habitum & religionem, quin in foro conscientiæ incurrat apostasiam, aut excommunicationem. ib.1
Item relicta religione potest assumere quemcunque statum. 340.2
Professio inualida in foro Ecclesiæ & valida coram Deo est moraliter impossibilis: si tamẽ contingat quod professio valida coram Deo in foro Ecclesiæ probari non possit, vel quòd sit valida, vel quòd sit facta, tenetur eam seruare in conscientia, nullumq; dubium circa illam mouere. ib.3
In probanda professione nulla non credendum ipsi religioso etiam iuranti, nisi aliunde sufficiens probatio detur. ib.5.&6
Vt Ecclesia reputet professionem nullam non satis est, vt probetur inualide factam, sed requiritur vt sufficienter constet exterius factam esse cum tali defectu irritante. 341.8
Qui certus est professionem esse nullam, & in foro externo id probare nõ potest, habet ius relinquẽdi religionem propria autoritate, & assumendi alium statum etiam matrimonij. ib.9.&10
Tenebitur tamẽ ex quo fuit in mala fide & in mora vel ratificandi professionem, vel relinquendi religionẽ ad restituendũ quidquid de bonis religionis cõsumpsit in ꝓprios vsus habita ratione obligationum, quæ fecit religioni eo tempore. 342.12
Quando professio nulla probari potest, non debet exire propria authoritate, sed petendo libertatem ab Ecclesiastico Prælato. ib.13

Ad hoc tenetur in conscientia, & si contrarium faciat peccat grauiter, & tenetur non vti priuilegiis religionis, & amisit ius ad gaudendum: post quam tamen exiuit non tenetur redire. ibid.12
Item, non incurrit ipso facto excommunicationem, vel pœnam aliam ipso iure impositam apostatis: & quamuis sub excommunicatione iubeatur redire, & vt contumax declaretur, non tenetur in conscientia, nec ligatur censura nisi quoad exteriorem eius obseruantiam. ibid.
Talis proprtia authoritate dimittens religionem excusatur à culpa, quando ob eam rem in carcere detinetur, vel aliter impeditur ne ius suum postulet, vel non potest alia via vexationem illam vitare; & si probare potest in foro Ecclesiæ hæc impedimenta, non incurrit pœnas à Conc. Trident. impositas. 343.13
Item quamuis temere dimittat habitum, si postea velit reassumere ad hoc vt audiatur & voluntariè redeat (non verò si inuitè capiatur) bene potest illi concedi audientia, ex quadam æquitate & benignitate. ibid.14
Qui volunt causam nullitatis professionis prætendere ante quinquennium elapsum à die professionis illam intentare debent, alioqui non audiuntur. ibid.1
Hoc intelligitur tam de professione expressa, quàm de tacita. ibid.
Quis sit dies professionis à quo quinquēnium computatur. ibi.2
Hoc decreto nec statuit, nec potuit statuere Conc. vt elapso quinquennio talis persona vel maneret religiosus professus sine proprio consensu. ibid.4
Vel teneretur in conscientia ad permanendum in religione in perpetuum eius obsequium, ex vi præscriptionis aut pœnæ. 344.5
In aliquibus casibus admittenda exceptio vt non obstante quinquennio elapso quis audiatur, & assignantur. ibid.6,7,8,& 9
Milites sancti Ioannis comprehenduntur sub hoc decreto, non verò milites aliorum ordinum militarium. 345.10
Quid teneatur facere religiosus qui post quinquennium non auditur, cùm certus sit se non esse religiosum. ibid.
Tacita professio, est vera professio. 313.2
Quot modis fiat. ibid.3
Primus modus professionis tacitæ secundùm ius antiquum erat quando quis induebat habitum proprium professorum. ibid.4
Requirebatur tamen ætas pubertatis. ibid.
Non ita annus nouitiatus. ibi.314.5,& 16
Secundus modus professionis tacitæ erat per vsum actuum, qui sunt proprii professorum. ibid.16
Ex sententia aliquorum probabiliter requirebatur ad hanc tacitam professionem vt fieret in habitu saltem nouitiorum cum perseuerantia per triduum. ibid.7
Solus actus proprius professorum sine voluntaria habitus professorum susceptione, non sufficit ad tacitam professionem. ibid.8
Vtrumq; requiritur, & assumptio habitus professi & exercitium actus eius. 315.12,& 21
Quando solus habitus professorum assumitur, requiritur perseuerantia triduj post habitum assumptum, vt professio tacita facta censeatur; quando verò adiungitur exercitium actus, tunc statim censetur facta. ibid.12
Probabiliùs tamen etiam in hoc casu requiritur perseuerantia per triduum. 316.14, 15,& 16
Ante hoc triduum non est valida professio tacita etiam in foro conscientiæ. ibid.13,& 14
Quæ & qualis scientia requiratur vt professio sic facta teneat in vtroque foro. ibid.16,& seq.
Quæ conditiones requirantur tam ex parte religionis, quàm tacitè profitentis. ibid.
Certior modus professionis tacitæ post annum nouitiatus expletum est gestare habitum professorū, & hoc dupliciter potest contingere. 317.17
Quas cōditiones necessarias requirat, 316.16, vsq; ad 21
Alius modus tacitè profitendi est per solam susceptionem cuiuscunq; habitus religiosi etiam proprij nouitiorum, si post publicum votum simplex religionis assumatur. 318.22
Reiicitur tamen. ibid.23
Post Conc. Trident. non fit professio tacita intra annum nouitiatus. 320.1
Expleto anno probationis fieri potest. ibid.2
Duobus modis potest fieri, primo si quis expleto anno nouitiatus, & 16. ætatis sponte sua habitū proprium & distinctum professorum assumat. ibid.3
Secundo modo fit tacita professio si quis per integrum annum (qui annus debet inchoari post expletum 16. ætatis) probationis, gestet habitum religionis indistinctum patenter. ibid.4
Cum solo habitu proprio & omnino distincto nouitiorum, quidquid aliud ei adiungatur etiam post expletum annum nouitiatus & 16. ætatis, non fit tacita professio. 321.5
Vt professio tacita sit valida requiritur positiuus consensus formalis vel virtualis profitendi, & non sufficit negatiuus. 320.5
Professio tacita est vera professio; ad illam requiruntur omnes conditiones, quæ ad expressam. 321.1
Habet omnes effectus, quos expressa, exceptis in iure declaratis. ibid.2
Duæ exceptiones sunt in iure, prima est quòd professio tacita, facta ante expletum annum nouitiatus, non obligat religioni, in qua professus est: sed religioni in genere. ibid.3,8,& 9
Ipsa tamen religio obligatur ad retinendum sic professum. 323.12
Hæc iuris exceptio non habet locum in professione tacita, quæ fit deferendo communem habitum professorum per integrum annum. 324.13
Neq; in professione tacita, quæ modò fit post Concilium Trident. ibid.14
Secunda exceptio est quòd tacitè professus non potest eligi in Prælatum suæ vel alterius religionis. Potest tamen actiuè eligere. ibi.15
Professus an testari possit, vide *Paupertas solemnis*.
Quinquennium à Concilio Tridentino præscriptum ad probandam professionis nullitatem, vide suprà hac ipsa rubricâ. 343.4.& seq.

R.

*Ratihabitio.*

RAtihabitio de futuro non confert iurisdictionem. 482.8,& seq.
Vide *Professio.*
*Reatus pœnæ temporalis*, vide *Pœna* 8.
*Recipere, & receptio in religione.*
Receptio in religione vt fiat validè requirit protestatem in recipiente. 218.2
Iuxta constitutionem Sixti V. vt valida sit receptio, requiritur, vt recipiendus sit maior 16. annis; deinde vt præcedat inquisitio de parentibus solùm, non verò de illorum conditione aut qualitatibus. Item de patria, vita, ac moribus. 220.12.& seq.
Rec pi potest in religione expositus, cuius parentes, vel patria ignoratur, facta priùs diligenti inquisitione. ibi.13
Inquisitio hîc requisita sufficit, quæ ad humanam fidem faciendam satis est; qualis est duorum vel trium testum absque suspicione, iuridicè, & cum iura-

juramento interrogatorum ab aliquo fideli ministro ad hoc munus constituto, per religionum, aut prælatum eius. ibid.14
Non requiritur probatio de bonitate recipiendi per testes, sed solùm probatio quòd non habeat crimina impedientia. ibid.
Requiritur etiam probatio per ministros fideles & prudentes religionis facta, an Spiritus sancti vocatione religionem eligat. 221.16
Ante receptionem debet certificari capitulum generale, vel prouinciale, de inquisitione facta. ib.17
Receptio ad habitum regularem non seruata hac forma præscripta, est inualida. 222.20
Siue fiat bona fide, siue scienter & temere. ibid.22
Moderata fuit hæc constitutio Sixti V. per aliam Clem. VIII. ibid.
Ad receptionem in religione ex iure naturali requiritur examen prudens, & probatio, vt solùm idonei, & à Deo vocati recipiantur. 223.23
Olim ex jure communi nullus recipiebatur sine licentia Episcopi habentis potestatem in illo monasterio. ibid.24
Item requirebatur diuturna probatio, solùm pro militibus, pro incognitis, & pro Ecclesiastico seruitio deputatis. ibid.25
Recipi possunt peccatores antequam diu exerceantur in præceptorum Dei obseruantia, sed non facilè quando est inueterata peccandi consuetudo. ibid.26
Concurrentibus omnibus necessariis, tam ex parte religionis, quàm recipiendi, qui potestatem habet, tenetur ex officio, & charitate illum recipere, nisi causa rationabilis excuset. Idem dicendum de ferentibus suffragia. 224.28
In dubio liberum est recipere, vel non recipere. Item si multi æquales petant, & non possint omnes simul recipi, liberum est hos potiùs quàm illos recipere. ibid.
Vide *Ingressus Religionis*, & *Potestas*.

*Rechabites.*

Rechabites traxerunt originem à Nazaræis, non fuerunt tamen verè religiosi. 145.14

*Reformatio.*

Reformatio religionis relaxatæ obligat antè professos ad obseruantiam. 579.19
Vide *Obedientia solemnis*.

*Regula.*

Regula religiosa licet ex se non obliget in conscientia, saltem ratione pœnæ & regularis disciplinæ, obligat in conscientia. 574.16
Vide *Obedientia solemnis*.

*Relaxatio, & Relaxare.*

Relaxatio religionis simpliciter contingere potest. 576.6
Obligatio trium votorum religionis relaxati non potest sola consuetudine. 575.2,&22

*Religio & Religiosus.*

Religio est status perfectionis acquirendæ. 43.3,4, & 5
Religionum distinctio vnde proueniat. 73.5
Religio dupliciter institui potest. 125.16
Olim religionum institutio non erat vel generalis pro vniuersa Ecclesia, vel sub vno capite. 126.17
Religiones D. Basilij, Augustini, Benedicti & Pachomij cum multis aliis monasteriis sunt introductæ sola Episcopi approbatione. 133.9.vsque ad 13
Religio clericorum ac sacerdotum, Apostolos imitantium, fuit prior quàm monachorum. 151.n.5, & 6
Fuit instaurata à D. Augustino, non verò incepta. 152.8
Vide *Status. Perfectio Obligatio. Approbatio. Receptio. Consilium. Potestas. Ingressus Religionis. Paupertas solemnis. Reformatio. Relaxatio. Votum religionis.*
Religiosus per vota traditur Deo: non est sui juris. 82.5
Vetus religiosus dupliciter ab Ecclesia fieri potest habilis ad matrimonium. 103.11
Religiosus è Religione in perpetuum ejectus, non acquirit sibi dominium, nec potest testari de bonis acquisitis: non tamen illi succedit religio. 109. num.13
Religiosus mundo mortuus quomodo intelligatur. 110.17
Religiosi ejectio à votis relaxando, est antiquissima. 118.14, vsque ad 22
Vox *Religiosus*, quomodo in jure accipienda sit. 244. num.10
Religiosus in jure cur potiùs seruo quàm filio comparetur. 248.8
Quidquid acquirit, monasterio acquirit. ibid.
Etiam repugnante prælato. 492.35
Religiosi laici in labore manuum exerceri debent, cum illi qui in seculo non laborabant, minùs in hoc agendum. 383.19
Vide *Peccatum, Paupertas, Professio*.

*Renuntiatio.*

Renuntiatio Pontificatus à Papa fieri potest. 49.10
Renuntiatio beneficij, vide *Nouitius*.
Renuntiatio Episcopatus, vide *Episcopus*.

*Reseruatio.*

Reseruatio in jurisdictione non est signum delegationis factæ. 137.25
Vide *Votum religionis, & Castitas simplex*.

*Restitutio.*

Restitutio non obligat cum graui onere & detrimento. 649.19
Vide *Debitor, & Professio*.

S.

*Sacerdos*, vide *Castitas clericalis, & Status*.

*Salutatio.*

Salutatio, *Deo gratias*, est antiquissima in Monachis. 155.10

*Seruitus, & Seruus.*

SEruitus corporalis est pœna; potest ab extrinseco & violenter induci sine consensu serui. 36.4
Seruitus non irritat ingressum religionis, sed facit illicitum. 195.15
Seruitus propria qualis sit. 251.22
Differentia inter seruitutem mancipij & religiosi. ibid.21,22, & seq.
Seruus potest validè contrahere matrimonium inuito domino. 101.8
Seruus non est omnino incapax dominij. 110.17
Qui in seruitute iniustè detinetur, quamuis dominus sit in bona fide, & in exteriori foro non possit probare libertatem suam, licite potest fugere, & libertatem recuperare. 341.9
Seruus nemo fit sola domini præscriptione, quamuis è contrario seruus possit præscribere libertatem: in pœnam verò potest quis inuitus alteri subiici in seruum, vel alio modo sub dominio illius constitui. 344.9
Serui cum pecunia computantur. 357.9
Vide *Professio Matrimonium*.

*Simonia.*

Simonia pro religionis ingressu non datur. nisi intercedat ratio pretij: vnde dos pro congrua sustentatione etiam cum pacto, aut quid simile pro habitu emendo, eleemosyna, aut largitio seculo pacto, non faciunt simoniam. 216.15
Item

Item nec munuſcula, aut beneficia facta ex parte recipientium, vt facilius alliciantur ingreſſuri. ib.

*Societas IESV.*

Votum ſimplex paupertatis in Societate IESV non eſt ſolemne quia non eſt perpetuum. 108 8
Societas non habet ius ſuccedendi in bonis ſuorum religioſorum. 109.11
Votum religionis in genere impleri poteſt in Societate, in quocunque gradu. 162.19
Generalis Societatis poteſt dare ſubditis etiam profeſſis licentiam tranſeundi ad religionem paris, laxioris, aut ſtrictioris diſciplinæ. 179.7
Superior Societatis poteſt diſpẽſare in voto ſtrictioris religionis cum eo, qui in Societate recipitur: Siverò ante profeſſionem recedat, reuiuiſcit tale votum. 180.9
Ex ſpeciali priuilegio poteſt ſuperior Societatis dare litteras dimiſſorias nouitiis, vt ordinentur. 240.17.& ſeq.
Societas eſt approbata pro ſolis viris, 290 25
Indulgentia plenaria conceditur religioſis Societatis in ipſo ingreſſu, & iterum in morte. 292 8
Vide *Paupertas ſolemnis.*
Vota Scholarium Societatis IESV poſt biennium emiſſa an & quomodo poſſint dici indiſpenſabilia à Pontifice. 311.26
Vota præcedentia per vota ſimplicia poſt biennium in Societate emiſſa ipſo iure, & facto ſolum ſuſpenduntur, non vero commutantur, aut extinguuntur, vnde amiſſo ſtatu iterum reuiuiſcunt. 298 20
Per ingreſſum, & habitus ſuſceptionem an, & quomodo commutari poſſint ex intentione vouentis, & quæ obligatio maneat poſt egreſſum. ibi. 21. & 22
In Societate vt profeſſio ſit valida, debet in ſcriptis legi. 285.3
Item debet neceſſario fieri coram teſtibus. ib.2.
Votum caſtitatis ſimplex in ſocietate factum ante conſtitutionem Greg. XIII. non irritabat matrimonium poſtea contractum. 451.10. & 462.13. & ſeq.
Hoc votum non dirimit præcedens matrimonium ratum. 546.19
In Societate votum obedientiæ eſt perfectiſſimum & extenditur ad omnia opera perfectionis. 581.9. & ſeq.
Electio & acceptatio Epiſcopatus eſt prohibita ex voto obedientiæ in Societate. 585.14

*Solemnitas.*

Solemnitas non eſt de eſſentia voti ſolemnis niſi reduplicatiuè ſumpti. 85 3
Solemnitas eſt duplex, ſubſtantialis, & accidentalis. ib.4.&10
Non repugnant inter ſe, ſed poſſunt in eodem voto coniungi. 87.11
Solemnitas ſubſtantialis non conſiſtit in aliqua ſacra benedictione, aut conſecratione. 89.3
Solemnitas voti caſtitatis religioſæ iuxta aliquos cõſiſtit formaliter in traditione, quam religioſus ſuiipſius facit religioni & quam prælatus acceptat. 92.2
Ex hac traditione, in illa ſententia, oritur ſolemnitas inhabilitans perſonam ad matrimonium. 93.3
Solemnitas in voto caſtitatis non prouenit per ſe ex tradi ione. 95.14 & 15
Solemnitas hæc eſt ex iure humano; probatur ex iure lib.2.ca.8. probatur ratione eod. lib.c.9. Oſtenditur eſſe ex iure Eccleſiaſtico. 102.5.& 304.9
Solemnitas ſubſtantialis nihil aliud eſt, quam moralis efficacia voti caſtitatis ad inhabilitandam perpetuo perſonam, ne validum matrimonium contrahere poſſit. 101.1
Cur hæc efficacia potius voto, quàm traditioni tribuatur. 102.2
Quo ſenſu dicatur hæc ſolemnitas voti caſtitatis à ſummis Pontificibus de iure Eccleſiaſtico. 306.1, & 2.
Solemnitas in voto paupertatis conſiſtit in eo, quod reddat perſonam, perpetuo incapacem dominij, & proprietatis. 108.7,&8
Hæc ſolemnitas ex ſolo iure Eccleſiaſtico prouenit. ib.9,& 109.11
Non prouenit ex tradtione. ibid.12,& ſeq.
Solemnitas in voto obedientiæ conſiſtit in eo, quod vouens ſe non poſſit firmiter obligare, neque naturaliter, neque ciuiliter ſine prælati conſenſu, 123.4.& 8
Hæc ſolemnitas, & efficacia non inuenitur in traditione etiam voto firmata, ex ſolo iure naturæ abſque iuris Canonici adminiculo. 125.14
Hæc ſolemnitas ab Eccleſia introducta, voto obedientiæ principaliter attributa eſt, & nunquam ſoli voto, aut ſoli traditioni.
Solemnitas huius voti includit, vel ſupponit traditionem abſolutè perpetuam tam ex parte religionis, quàm religioſi.
Solemnitas votorum non eſt de eſſentia ſtatus religioſi. 110.4
Vide *Traditio. Votum. Caſtitas religioſa,* & *Votum caſtitatis.*

*Solicitudo.*

Solicitudo rerum temporalium an, & qualis impediat perfectionem. 375.12,& 13

*Sponſalia.*

Vide *Ingreſſus religionis. Votum religionis. Caſtitas ſimplex. Filius.*

*Status.*

Status in Eccleſia diſtinguitur ab officio & miniſterio. in proœmio.pag.14
Eſt in triplici differentia. 4.14,&15
Status ſignificatio. 1.1
Illius definitio. ib.2.2
Dicit,& requirit perfectionem in ſuo ordine. ibid.1
Status moralis exigit neceſſario immobilitatem ſeu immutabilitatem ortam ex cauſa permanente. ib. 2.& 2 4,6,& 7.37.2.11.
Cauſa permanens immobilitatis huius eſt multiplex. 3.9
Status immobilitas in ſeruitute humana oritur ex titulo iuſti dominii in ſeruum: in ſtatu libertatis ex lege naturali. ibid.
Ex ſtatu peccati ex procliuitate ad malum, vel difficultate ad bonum. ibid.10
In ſtatu gratiæ oritur ab ipſa gratia. ib.11
In ſtatu regulari, à profeſſione, voto, vel pacto: in ſtatu ſeculari à iure propriæ libertatis: in ſtatu Clericali à ſacramentali, non iterabili, & à charactere indelebili. ib.12
In ſtatu viriginitatis, vel viduitatis oritur à propria libertate. ibid.13
In Eccleſia, prout eſt reſpublica temporalis ſunt varij ſtatus libertatis & ſeruitutis humanæ. 4 14
Prout eſt reſpublica ſpiritualis, ſunt duo ſtatus viæ, & termini. ib.15
Status termini diuiditur in ſtatum beatitudinis, & damnationis: In purgatorio non datur ſtatus, ſed beatitudinis inchoatio. ibid.
Status viæ duplex, innocentiæ, & naturæ lapſæ. ibid.16

Status naturæ lapsæ diuiditur in statum legis naturæ, legis veteris, & legis gratiæ. ib.17.
Status vitæ Christianæ habet omnes conditiones necessarias tam perfectionis, quàm immobilitatis. ibid.
Statuum multiplicitas in Ecclesia tam formaliter, quàm materialiter accepta. 5.1, & 2
Status pertinens ad bonum commune diuiditur in Clericalem, & laicum. ib.3
Pertinens vero ad bonum spirituale singulorum, est multiplex religionis. ib.4. & 5
Status religionis manauit ex diuina institutione. 6.5
Status vitæ Christianæ distinguitur in statum vitæ communis, & perfectionis. ib.7, & 8
Quomodo inter se distinguantur. ib. 9
Status vitæ communis est omnibus necessarius; non obligat ad perfectionem, neque excludit. ibid.8
Diuisio ista est sufficiens, & adæquata. 7.12
Ad statum vitæ communis spectat matrimonium, etiam prout est sacramentum. ib.13. & 8 14
Status perfectionis non est difficilior, quàm status vitæ communis; imo facilior, vtilior, & securior. 7.10
Status perfectionis à perfectione distinguitur. 5.2, & 17,3. & 33.6
Status perfectionis definitio, & explicatio. 17.3, & 4
Quinque conditiones ad illum requiruntur. 18.6, vsque ad 11
Status perfectionis per se ac principaliter ordinatur ad contemplationem. 19 2.12 & 13
Status perfectionis principalius consilia, quàm præcepta respicit. 32.3 & 8
Non solum ordinatur ad obseruantiam præceptorum ob vitanda peccata mortalia, sed etiam venialia. 34.11
Illius essentia in consiliis posita est. ibid.12. & 13
Status perfectionis requirit obligationem, per aliquem consilii actum indirectam. 35.1
Neque ille, neque eius obligatio inducitur ab extrinseco, sed consensu propriæ voluntatis statum assumentis. 36.2. & 3
Actus quo constituitur ordinariè est emissio voti; sæpius adiungi debet aliqua donatio, traditio, vel contractus; aliquando alius contrahendi modus. ib.5, 6, & 7
Requiritur vt sit actus externus, licet occultus per accidens. 37.10
Item vt sit actus obligans ad perpetuo permanendum & obseruandum aliquid perfectionis in tali viuendi modo. ib. 11, & 38.15, & 47. 1
Status nomen dupliciter vsurpatur. 38.1
Status perfectionis diuiditur in tres gradus, seu status, incipientium, proficientium, & perfectorum: & modo personis, modo charitati, & virtutibus tribuuntur. 39.2. & seq.
Status incipientium malè accommodatur coniugatis. 41 13
Malè etiam continentibus. ib.15
Status proficientium malè tribuitur religiosis, & perfectorum solis Episcopis. ib.14
Prædicta diuisio est vel accidentis in subiecta, vel subiecti in accidentia. ib.16
Conueniens est diuisio in statum perfectionis acquirendæ & exercendæ. 43.3
Status religionis est perfectionis acquitendæ. ibid. 4, 5, & 6
Status Episcopi, est perfectionis exercendæ. 44.7
Status clericorum non sacerdotum, non est status perfectionis. 53.1
Status sacerdotum simplicium est perfectionis saltem inchoatiuè. 54.4
Status parochorum, & prælatorum Episcopis inferiorum, est perfectionis exercendæ. 57.26, 27, & 29
Non ita status curatorum. 56.18
Ad status immutabilitatem sufficit, quod ille de se habeat perpetuitatem, & quod quis mutationem facere nequeat nisi ex grauissimis causis, vt patet in Papatu. ib 17
Non impedit rationem status, quod possit mutari transeundo ad alium. 54 9
Vide *Perfectio* & *Charitas*.
Status Episcopalis est perfectior quocunque religioso statu. 59.2
Tres differentiæ inter statum Episcopalem, & religiosum. 60.9, & 10
Status religiosus est Episcopali ignobilior, sed vtilior. ib.12
Status prælaturæ religiosæ, si sit perpetua est verè status perfectionis, si vero sit temporalis, est officium. 61.15
An status Episcopalis adeo sit perfectus vt in eo votum religionis impleatur. ib.1, & seq.
Status religiosus est perfectior absolutè, & eligibilior, quàm status prælatorum Episcopis inferiorum, & parochorum. 69.5
Secundum se tamen, & ex hypothesi perfectior est status prælatorum, & parochorum. 70.6
Status & dignitas sacerdotis postulat maiorem sanctitatem, quàm status religiosi laici, seu conuersi. ibid. 8
Status religionis strictè sumptus tria vota requirit; non ita latè acceptus. 71.1
Status perfectionis acquirendæ, & religionis idem sunt. ib.2
Finis intrinsecus, & proximus religiosi status est perfectio charitatis huius vitæ; extrinsecus verò est perfectio charitatis patriæ. ibid.
Est etiam finis vltimus illius peculiaris Dei cultus, & gloria. 73.3
Finis Apostolatus fuit vita mixta. 148.10
Finis particularis, ad quem status religiosus ordinari potest, est triplex, vita scilicet contemplatiua, aut actiua, aut mixta. ibid.
Finis ingrediendi religionem est vita irreprehensibilis, & apostolicæ imitatio. 112.6
Status religiosus non potest consistere sine tribus votis, singula, & omnia simul necessario requirit. 75.3, vsque ad 10
Ad illius essentiam hæc tria vota sufficiunt. 77.11
Status religionis incompletus est ille, in quo vnum, vel alterum votum profitetur. 78.17
Fœminæ, quæ vulgo Beatæ dicuntur, non sunt in statu religionis absoluto, & completo, sed incompleto tantum. ib.18
Item conuersi, & Eremitæ vulgo Ermitanos. ibid.
Status religionis necessario postulat immobilitatem omnem ex aliqua obligatione, & non ex solo proposito. 79.1
Hæc obligatio principaliter cadit in tria vota. ib.2
Debet esse perpetua. ib.4
De essentia huius status est, vt per vota Deo facta confirmetur. ib.5. & 8
Non potest constitui per solam obedientiam. 80 10
Non requiritur ad hunc statum, vt fiat votum de aliis consiliis seruandis. ib 11
Status religionis dupliciter constitui potest, vel in communitate, vel in vita solitaria. 81.1. & 2
Ad statum religiosum præter tria vota est necessaria promissio vel traditio facta homini propter Deum 82.6, 7, & 8

Item

Item est necessaria obligatio humana reciproca ex parte religiosi, & religionis. 83.9, & 10
In statu religioso priuato est necessaria promissio facta homini. ib.11
Absolutè tamen, & ex sola rei natura non est necessaria hæc promissio, & obligatio. 84.14
Status religiosus sine votis solemnibus, cum solis simplicibus constitui potest. 110.4, & 30
Verus religionis status secundum præsens ius sine approbatione Ecclesiæ subsistere non potest. 122.1
Status religionis in communitate duplex dari potest. 124.10
Verus religionis status in præsenti tempore non datur nisi in communitate approbata. 131.27
An potestas iurisdictionis sit necessaria ad statum religiosum. 138.1
Vide *Approbatio*, & *Potestas*.
Status religiosus absolutè quoad suam perfectam institutionem incepit in lege gratiæ. 243.4
Multorum opinio est incepisse in lege naturæ, vel saltem in scripta. 142.1
Status religionis substantialiter à Christo Domino immediatè institutus fuit: est de iure diuino non præcipiente, sed consulente. 147.3
Non est tamen à Christo institutus quoad particularem determinationem eius ad talem, vel talem regulam. ib.6, & 8
In particulari tamen ab illo fuit institutus quidam religionis perfectæ ac specialis status, ad illum Apostolos congregando 148.9, & 10
Status religiosus non solum doctrina, sed etiam potestate à Christo institutus fuit. 149.12
Status religiosus à Christo institutus, perpetuo ex tunc in Ecclesia duraui. 150.2
Status religiosus ab Apostolis deriuatus continuauit in clericis, ac sacerdotibus religiosis. 151.5, & 6
Fuit prior, quàm Monachorum. ibid.
Status Monachorum à tempore Apostolorum incepit. 152.9
Nunquam fuit intermissus in Ecclesia. 53.11
Similiter status Monialium. ib.12
Status religiosus quoad substantiam semper fuit eiusdem rationis in Ecclesia. ib.2
Quoad accidentia, cæremonias, & ritus saltem in genere sumptos, multum conuenit vterque status primitiuæ, & præsentis Ecclesiæ. 154.6
Vide *Monachus*, & *Apostoli*.
*Subdiaconus*, vide *Clericus*, & *Castitas clericalis*.
*Suspensio*, vide *Excommunicatio*.

## T.

*Testari*, & *Testamentum*.

Religiosus professus nec validè, nec licitè testari potest sine legitima licentia. 418.1
Excipitur casus, in quo pater habens filios professionem emisit antequam de bonis disponeret. ib.2
Hæc distributio committitur arbitrio patris, non tamen extra filios & monasterium. ibid.4
Huiusmodi in Hispania potest præferre aliquem ex filiis in tertia parte suorum bonorum. 419.5
Potest quintam partem relinquere filiis, vel alicui eorum, nec tenetur relinquere monasterio. ib.6
An hæc iuris concessio ampliari possit respectu ascendentium, & an possit pater cogi vt illam distributionem ante mortem exequatur. ib.7. & seq
Religiosus non potest facere testamentum etiam de licentia cuiuscunque prælati infra Papam. 420.8
Papa non potest dare religioso licentiam testandi irreuocabilem, nisi dispensando in ipso voto paupertatis. 421.13
Si testamentum sit factum, & morte confirmatum, licentia non potest reuocari. ib.14
Potest vero si non sit morte confirmatum, & reuocari & annullari à Pontifice. ib.422.15, & 16
Potest etiam ita confirmari vt sit irreuocabile à testatore. ibid.
Religiosus, si velit, potest reuocare tale testamentum. 421.15
Potest etiã aliud condere vir ute datæ facultatis. ib.
Hæc facultas testandi est gratia, neque expirat morte concedentis. 422.17
Requiritur ad dandam hanc facultatem causa legitima. ib.19
Religiosi ordinum militarium licitè & validè testari possunt. 423.22 & 24
Probabile est deficientibus filiis legitimis, vel necessariis hæredibus non posse testari sine facultate Pontificis, sed illis succedere religionem. ib.23
Clerici horum ordinum militarium, & milites sancti Ioannis testari non possunt, facilius tamen eis datur licentia à Pontifice. 423.25
Vide *Religiosus*, & *Nouitius*.

*Traditio*.

Traditio Religiosi facta Deo per tria vota, debet ab Ecclesia nomine Dei acceptari. 82.6
Traditio differt à promissione Deo facta. ib.7
Traditio religiosi facta religioni differt reipsa à voto castitatis, quod in se non est donatio, sed Promissio facta soli Deo. 92.1
Traditio hæc duobus modis intelligi potest inhabilitare ad matrimonium, vel ex natura sua, & consequenter iure diuino naturali, vel ex institutione Ecclesiæ. 93.5
De primo modo procedit quæstio, sed impugnatur, & reprobatur. ib.5. & seq.
Traditio, & promissio non sunt actus necessario coniuncti, sed possunt separari pro arbitrio libertatis. 94.9
Traditio, aut donatio interna Deo facta, quę habeat vim obligandi per modum pacti, est fictitia. 95.11
Traditio religiosa duplex, perfecta, & minus perfecta. ib.16
De traditione religiosa scholariũ, vel coadiutorum facta in Societate Iesu. ib.16, vsque ad 19
Traditio religiosa in aliquo sensu dici potest de iure diuino. 99.1
Non irritat matrimonium subsequens ex vi solius iuris diuini. ib.2
Neque etiam adiuncto solo castitatis voto. ibid.3
Traditio non est radix solemnitatis in voto paupertatis. 109.12. & seq.
Traditio non est proxima, & sufficiens ratio solemnitatis votorum: possunt esse vota cum traditione sine solemnitate. ibid.11
Traditio formaliter distinguitur à voto, seu promissione; habent effectus formales diuersos, & possunt ab inuicem separari. 110.16, & 17
vide *Irritare. Professio*.

*Transitus*.

Transitus ab vna religione ad aliam in religiosis professis, quando & à quo dispensatur. 279.7, & seq.
Vide *Votum religionis. Obedientia solemnis*.

*Tutor*.

Tutor potest licitè, & valide offerre religioni impuberem, etiam cogendo illum. 189.12
Similiter potest, quamuis mater, quæ non sit tutrix, repugnet; non ita mater sine tutoris vel cõsensu, vel non contradictione. 190.14

## V.

Vestis, vide *Habitus*.

*Virgo, & Virginitas.*

Virgines olim in suis domibus, in manibus Episcopi profitebantur, & sacrum velum recipiebant, & erant in perfecto religionis statu. 81,2,& 452,16

In virginibus impositio veli erat professio religionis. 244.5

Virginitas non honoratur nisi per votum. 80,8

Vide *Christus. B. Maria. Apostolus, & Castitas.*

*Vita.*

Vitam nemo potest vendere, nec ius, quod in illam habet, à se alienare. 356.2

*Voluntarium.*

Voluntarium indirectum sufficit ad peccatũ. 265,9

*Voluntas.*

Voluntas Prælati duplex, efficax, & inefficax; & quam vim habeat. 563,3,& 4

Vide *Obedientia simplex.*

*Votum.*

Votum paupertatis, castitatis & obedientiæ religiosæ, virtualiter continent omnia alia consilia perfectioni conducentia. 77,15,& 16

Votum, & promissio humana de re pia distinguuntur, & separari possunt inter se. 80,7

Per vota religiosa transfert religiosus dominium sui in Deum speciali modo se tradendo. 82,5

Votum solemne & simplex distinguuntur. 84,1

Conueniunt in communi, & essentiali ratione voti. ibid.2

Votum solemne differt à simplici addens aliquid, quod simplex non includit. 85,3

Vide *Solemnitas. Obedientia. Paupertas. Castitas.*

Votum vt sit solemne, debet esse externum, & visibile, & non solum mentale. ibid.5

Debet etiam esse aliquo modo publicum. ibid.

Vt votum sit solemne substantialiter, requiritur, vt vnus promittat, & alius acceptet nomine Ecclesiæ, seu Dei, ad hoc habẽs potestatẽ legitimã. 86,7

Potest dari votum accidentaliter, & non substantialiter solemne. ibid.9

Aliquæ extrinsecæ conditiones requiruntur vt votum sit validum, & solemne, & tamen sunt distinctæ à voto, & eius solemnitate. 87,13

Votũ substantialiter solemne, dicitur solemne simpliciter; accidentaliter vero secundũ quid. 88.15

Est moraliter necessarium, vt vota quibus status religionis constituitur, sint solemnia saltem accidentaliter. ibid.16

Absolute tamen, & simpliciter non est hoc necessarium. ibid.17

Vota substantialiter solemnia sunt conuenientissima, non tamen simpliciter necessaria ad statum religiosum. ibid.18

Tria vota oblati facta etiam in religione approbata, sed non prout approbata est, non sunt solemnia, neque reddunt inhabilem ad matrimonium, neque incapacem prorsus ad dominium. 254,32

Votum potest fieri ex solemni simplex, & ex simplici solemne, per extrinsecam mutationem independenter à voluntate vouentis. 104.1

Notandum in hac materia circa vota Societatis Iesu. ibid.2,& 105.& 5.

Votum solemne, & simplex non differunt specie. ibid.6,7,& 106.8

Vota de rebus perpetuis nõ fiebant ante legem gratiæ, quia superabant perfectionem illius status. 144,6

Votum simplex à Deo immediate acceptatur, solemne vero mediante homine potestatem habente. 150,14

Tria vota religionis solemnizantur simul, neq; potest vnum sine alio solemnizari secundum ius ordinarium. 115,22

Præter tria vota religiosa non dantur alia solemnia substantialiter. ibid.

Vide *Promissio.*

*Votum Castitatis.*

Votum castitatis non est annexum sacris ordinibus ex se, sed ex institutione Ecclesiæ. 45,4

Solum votum castitatis ordinibus sacris, & religiosæ professioni annexum est solemne, & nullum aliud impedit matrimonium postea contrahendum. 86,9

Votum solemne castitatis habet duos effectus morales, scilicet dirimere præcedens matrimonium ratum, & non consummatum: & simul impedire, atque annullare postea contractum. 88.1

Votum castitatis solum per se non inhabilitat ad matrimonium. 89,5,6,& 7

Votum potest esse solemne, & tamen non irritare matrimonium, ex sententia Vasquez. 90,8,& 10

Refutatur hæc opinio. ibid.11,& 17

In hoc differt votum solemne castitatis à simplici, quod solemne irritat matrimonium, non vero simplex. ibid.

Votum substantialiter solemne dicitur illud, quod inhabilitat ad matrimonium. 91,12.13,& 14

Votum castitatis duplex, vel triplex distingui Medina, & similiter promissione ab ipso voto. 94.7

Reprobatur opinio, ibid.8

Potest dari votum simplex castitatis, quod sit pura promissio, & nullam habeat adiunctam traditionem. ibid.9

Votum solemne castitatis semper habet aliquam traditionem adiunctam quæ non ipsi Deo immediate, sed per ministros suos fit. 95.13

Potest dari votum castitatis cum traditione, & non esse solemne. ibid.14

Queritur in voto emisso post biennium in Societate IESV. ib.15

Vota simplicia Societatis quare non sunt solemnia. 99,10

Votum castitatis religiosæ si professio sit nulla, manet simplex. & non dirimit matrimonium. 103.8

Votum solemne castitatis sacri ordinis, & religionis, qualiter conueniant, & differant. 106,10, 11,& 12

Votum solemne castitatis adæquate dividitur in votum ordinis, & religionis, & nullum aliud de facto datur. 107,13

Votum castitatis Religiosæ non dirimit matrimonium ex iure naturali neque diuino positiuo, sed tantum Ecclesiastico. 120,25,vsque ad 28.

Votum castitatis ante legem gratiæ non fiebat nisi ex speciali Dei reuelatione. 144.6

Per votum castitatis non donatur castitas ipsa, sed promittitur eius obseruatio. 94,9

Castitas non consistit quasi in habitu, vel in re aliqua permanenti, sed in carentia actuum libidinis voluntaria. ibid,

Vide *Solemnitas. Peccatum. Castitas. Apostolus. Christus, & Societas Iesu.*

*Votum paupertatis.*

Votum paupertatis potest esse simplex. 107.1

Per se, & ex sua natura non priuat dominio bonorum. ibid.2

Potest esse solemne. ibid.2,3

Non solemnizatur nisi in solo statu religioso per professionem rigorosam. 111,14

Non est annexum ordinibus sacris. 120.3

In quo conueniant, & differant votum simplex & solemne paupertatis. 108,5,6,& 7

Votum paupertatis non fiebat tempore legis veteris. 144.7

Vide

Vide *Solemnitas, Paupertas simplex solemnis, Traditio. Apostolus. Christus.*

*Votum obedientia.*

Votum obedientiæ potest esse dupl x. 110,1, & seq.
Votum religiosæ obedientiæ est obediendi homini. ibid.
Votum obedientiæ non est annexum ordinibus sacris. ibid.2
Votum obediētiæ solemne inuenitur solum in professione religiosa. ibid.2, &3
Votum obedientiæ non superflue additur traditioni religiosæ. 113,12
Vide *Solemnitas, Obedientia simplex, & solemnis. Peccatum. Traditio. Apostolus.*
Materia voti obedientiæ non solum sunt res cadentes sub præceptum, sed etiam sub consilium. 78,1
Vide *Societas* Iesv.

*Votum religionis.*

Votum religionis emittere per se loquendo, est optimum. 157,2
Vt valide fiat, sufficit ætas capax peccati mortalis. ibid.3
Vt congrue fiat, requiritur matura ætas, & deliberatio maior, quam ad alia vota. Non est pueris consulendum, neq; est firmum ante annos pubertatis factum, nam irritari potest à parentibus. ibid.
Votum sub hac forma emissum *si futurus sim vel iosus, vel in tali religione*, est validum, & obligat solum in specie; non tamen est proprie votum religionis, nec reseruatum. 158,4
Votum religionis si vouens intentione, ac promissione sua designauit tempus, pro illo obligat; si vero promisit absolute, obligat ad statim, per se ac moraliter loquendo. ibid.5
Quibus modis cessare, vel auferri possit. ibid.6
Non cessat per negligentiam, aut voluntariam dilationem vouentis. ibid.
Ad differendam illius executionem, sufficit non solum impedimentum positiuum, sed negatiuum, & causa rationabilis, & tenera ætas, defectus scientiæ, & similia. 159,7
Votum religionis obligat ad procurandum ingressum, & non ad aliud ante ingressum. 159,1
Non obligat ad castitatem, nec ad alia vota, & onera religionis. ibid.2
Obligat vero ad cauenda impedimenta religiosi status. v. g. matrimonium. ibid.
Vouens tenetur ingredi religionem, si admittatur. ibid.3
Quando censeatur fecisse quod in ipso est sufficienter, vt propter repulsam liber maneat à voto. ib.4
Vouens religionem, vel monasterium in individuo, ibi solum tenetur petere, & ingredi, & non alibi, etiamsi inuitetur. ibid.
Vouens non tenetur sæpius petere, neque post repulsam si inuitetur ingredi, nisi aliud constet de intentione, & promissione facta. Item non tenetur petendo manifestare votum. ibid.7
Vouens religionem in specie tenetur in multis locis ingressum procurare. 160,8
Tenetur discurrere per omnia monasteria talis religionis, quando contrarium non constat, aut præsumitur de illius intentione, ordinarie autē, præcipue in fœminis præsumendum. ibid.9
Nō requiritur, vt discurrat p omnia monasteria formaliter, sed vel formaliter, vel virtualiter. 161,15
Aliquando sufficiet adire tria, vel quatuor monasteria, aliquando plura, aliquando duo, vel etiam vnum. ibid.11
An teneatur petere, & ingredi arctiora monasteria eiusdem religionis, quando in laxioribus non recipitur: regulandum ex intentione vouētis. ib.12
Votum religionis in genere non impletur ingrediendo aliquam ex militantibus. ibid.14
Impletur vero ingrediendo ordinem clericorum ordinum militarium. ibid.
Non ita si fiat ex militibus sancti Ioannis; si tamen ingrediatur, non est damnandus. ibid.15
Si vouens, post factam diligentiam sufficientem, in nulla religione recipiatur, non tenetur ad tria vota emittenda in manibus Episcopi. ibid 162,18
Manet omnino liber à voto. ibid.20
Votum religionis impleri potest in Societate Iesu, in quocunque gradu, vnde si in nulla religione admittatur, sed solum in Societate, in gradu tamen non professorum, tenetur ingredi in alio gradu. ibid.19
Vouens religionem, vt recipiatur, tenetur remouere impedimentum leue, quod est in sua potestate; non ita graue, v.g. Grammaticam addiscere respectu hominis grandioris ætatis, excepto si hoc præuidit, & adhuc se voto obligauit; si vero nolit addiscere, tenetur fieri religiosus laicus, si ita recipiatur. ibid.21
Vouens absolute religionem, tenetur ingredi ad gradum sacerdotum, vel laicorum, dummodo aliud non intenderit. 163,22, & 23
Vouens religionem in gradu laicorum, si non recipiatur nisi prius addiscat aliquod officium, si est facile, tenetur addiscere, non ita si est difficile, vel facile, sed nō necessarium vt religioni sit idoneus; excepto si hoc præuidit. ibid.24
Votum ingrediendi vel etiam perseuerandi ad quid, & quomodo obliget. 319,24
Vouens absolute religionem non tenetur ad profitendum si intra annum nouitiatus ex causa sufficienti iudicat sibi non expedire illum statū. 163.1
Si vero iudicet conuenientem, tenetur, & si exeat, tenetur iterum ingredi, & profiteri. ibid.2
Potest dari votum ingrediendi solum, & non profitendi. ibid.
Hoc votum non est proprie religionis. ibid.3
Votum religionis, absolute loquendo, obligat ad profitendum. ibid.
Assignantur causæ sufficientes ad prudenter iudicādum non expedire in religione profiteri, vt vouens sine voti violatione possit exire. ibid.5
An qui ex causa rationabili intra annum probationis egreditur liber omnino maneat à voto. 166, 10.
Vouens religionem in genere, vel in specie si ex causa sufficienti egrediatur; vel si eiiciatur, dummodo nec directe nec indirecte id procurauerit, manet omnino à voto liber. ibid.11,&12
An votum expresse & directe profitendi obliget ad perseuerandum. ibid.1, & 2
Votum profitendi seu perseuerandi nec prohibetur neque irritatur à Concil. Trid. 168, 6, & 7
Non est improbabile, quod indirecte ex mutatione materiæ sit inualidum. ibid.7
Votum profitendi non impedit valorem professionis. ibid.
Votum perseuerandi, nisi aliud intendat vouens, solum obligat ad non egrediendum sine iusta causa. ibid.8
Si vero voluit absolute & expressa intentione se obligare ad perseuerandum, ad id obligatur. 169.10
Assignantur casus in quibus adhuc non obligat tale votum. ibid.12
Habens tale votum si voluntarie sine iusta causa egrediatur, tenetur redire ad profitendum; non ita si cum causa legitima. ibid.13
Si causa legitima egrediendi non est perpetua, illa cessante tenetur iterum ingredi. 170,14

Oppositum tamen probabiliter in praxi sequi potest. ibid.15
Si inuoluntarie eiiciatur propter causam perpetuam & adæquatā, extinguitur votum, si propter temporalem, illa cessante tenetur redire. ib.16
Votum religionis post matrimonium consummatum obligat ad ingressum vel mortuo, vel consentiente coniuge. ibid. 2, & 295, 16
Votum ingrediendi religionem etiam sine consensu coniugis si voluens liber perpetuo sit à reddendo debito, obligat statim. 171,3.
Votum hoc etiam illicite non impletum non obligat ad castitatem. ibid. 4
Votum religionis factum post matrimonium ratum, non consummatum, obligat ad ingressum, & abstinendum à prima copula tam petendo quam reddendo. ibid. 5
Si talis consummat matrimonium, peccat in prima copula, non ita in alijs; & solum tenetur ingredi religionē mortuo vel consentiente coniuge. ib. 6
Si alius coniux petat debitum, dando facultatem, vt non obstante matrimonij cōsummatione possit ingredi religionem, adhuc non licet talis copula habenti votum. ibid.
Post elapsos duos mēses à iure præscriptos ad ingrediendum religionem habens tale votum peccat consummando matrimonium, & tenetur nondum consummato matrimonio si coniux non cōtradicat ingredi religionem. ibid. 7
Si post duos menses statim alter coniux petit debitum, tenetur reddere, neque peccat consummando matrimonium. ibid 8
Si vero non petit per multum tempus, quamuis postea petat, tenetur ingredi religionem, & non consummare matrimonium. 172, 9
Nunquam in hoc casu licet habenti tale votum petere debitum, & consummare. ibid. 10
Votum religionis post sponsalia de futuro etiam iurata, obligat, & dissoluit illa. ibid. 11
Votum religionis post sponsalia non obligat ad non contrahendum matrimonium absolute, sed cum intentione & periculo consummandi. ibid. 12
Si habens tale votum ingrediatur religionem & egrediatur, tenetur implere promissionem sponsaliorum, si alter velit. ibid. & seq.
Per votum religionis non extinguuntur, sed suspenduntur sponsalia. ibid.
Votum religionis factum ante omnia sponsalia tam de præsenti, quam de futuro, obligat per se ad non contrahendum, nec promittendum matrimonium. 173, 15
Vide *Castitas simplex*.
Votum religionis factū ab impubere potest à parentibus irritari ante annos pubertatis. ib d. 3
Etiam post annos pubertatis, si filius post pubertatem expresse illud non confirmauit. 174, 6, & 7
Si pater ratum habuit tale votum filij post pubertatem, iam non potest irritare. ibid. 8
Si vero ratum habuit intra pubertatis annos, adhuc intra illos potest irritare. ib d. 9
Si pater nunquam confirmauit votum, vel quia nesciuit, vel quia noluit approbare, aut irritare, adhuc potest post annos pubertatis illud irritare. 175 10, & 12
Votum religionis à filio pubere factum etiam inuitis parentibus, est validum, nec potest irritari. 176. 14
Votum transeundi ad arctiorem religionem à subdito factum, non potest prælatus irritare. ibid. 15
Votum religionis est Papæ reseruatum. ibid. 3
Votum religionis non approbatæ ab Ecclesia non est reseruatum. ibid.
Votum religionis in genere, & in specie est reseruatum. ibid. 3
Votum ingrediendi Societatem Iesu in particulari est reseruatum. ibid. 4
Votum religionis clericorum militarium est reseruatum. 177, 5
Votum religionis militaris sancti Ioannis est reseruatum; non ita in alijs ordinibus militarib. ibid.
Votum ingrediendi, & peseuerandi est reseruatum. ib d. 6
Item ingrediendi solum. ibid. 7
Si votum religionis fiat cum expressa intentione ingrediendi & non perseuerandi, probabiliter est nullum. ibid. 8
Si vero sub expressa conditione ingrediendi & probandi, & exeundi, si non placuerit, est validum, & reseruatum. ibid.
Votum religionis strictæ non est reseruatum, potest ab Episcopo dispensari vt in laxiori impleatur. 178, 2
Hoc votum non potest ab Episcopo dispensari cum professis, cum nouitijs vero potest. ibid. 3
Item neq; Episcopus cum professis sibi subditis, neque prælatus religionis possunt in hoc voto dispēsare post Conc. Trident. 179. 7
Si tamen votum impleatur in religione æquali vel strictori, possum dispensare. ibid.
Generalis Societatis Iesu potest dare licentiam, subditis transeundi ad aliam religionem paris, laxioris, aut strictioris disciplinæ. ibid.
Prælati religionis possunt cum subditis dispensare in voto transeundi ad arctiorem, antequam transeant, post transitum vero, & professionem, nequeunt dispensare vt ad priorem redeant. 180, 8
Votum religionis arctioris à seculari factum, nō potest iure ordinario dispensari à prælato laxioris in qua postulat recipi. ibid. 9
Ex priuilegio possunt aliqui. ibid.
Hoc priuilegium dispensandi cum ingrediente potest concedi vel superioribus ipsis, vel religioni immediate; si primo modo concedatur, tenetur qui vult ingredi aperire prælato suum votum; nō ita si secundo modo. ibid.
Vide *Ingressus religionis*.
Habens votum strictioris religionis non peccat ingrediendo laxiorem quæ habet à sede Apostolica ad hoc priuilegium, quamuis non habeat causam specialem præter voluntatem. ibid. 10
Item prælatus sine alia causa potest cum eo licite dispensare. ibid. 11
Dispensatio cum professo vt transeat ad laxiorem religionem requirit causam, neque Papa potest priuilegium concedere ad hunc transitum sine causa rationabili. ibid.
Quæ causæ sufficiant ad hanc dispensationem. ibid. 9, & 323, 11
Votum simplex strictioris religionis extinguitur per professionem in laxiori; & bene cum illo commutatur. 64, 19 & 23
Votum religionis non est commutabile propria authoritate in statum Episcopi. 65, 21
Votum religionis ante Episcopatum emissum non est per se irritabile à Papa sed dispensari potest. 66, 5, & 6
Causa ad dispensandum in illo debet esse specialis suæ Ecclesiæ necessitas. 67. 7
Votum religionis nec cōmutatur, nec extinguitur per Episcopatum; & talis peccat assumendo Episcopatum sine dispensatione, & tenetur renuntiare, & implere votum. 61, 3. 11, 16, 18, & 19
Vide *Episcopus*, & *Fi ius*.
Votum ingrediendi certam religionem etiam cum pro-


promissione eidem facta extinguitur ingrediendo laxiorem. 62.7
Vide *Ingressum religionis Fratres Societas IESV.*
Vt commutatio voti religionis commodè fiat, regulariter loquendo debet illi adiungi aliquid dispensationis. 181.1
In quas res possit commutari. ibid.2
Potest commutari in votum sacerdotij, vel continentiæ perpetuæ, additis aliis piis operibus perpetuis, vel æquiualentibus. ibid.
Votum religionis arctioris non potest commutari in votum ingrediendi, & perseuerandi in laxiori. ibid.
Per generalem potestatem commutandi vota, potest commutari votum religionis particularis, si concurrant aliæ conditiones necessariæ. ibid.3
Votum pœnale potest commutari in materiam minus grauem, vt v g. votum religionis strictioris in laxiorem, si vouens libentius illam ingrediatur. ib.4
In commutatione voti religionis æqualitas quomodo consideranda & facienda. 182.7, & 11
In hac commutatione habenda est ratio horarum Canonicarum. ib.8
Item ieiuniorum & aliorum operum austeritatis, saltem prout in aliqua religione minus austera exercentur. ib.10
Vide *Commutatio.*
Votum simplex religionis solemnizari suscipiendo habitum illius etiam nouitiorum proprium, ita vt dissoluat præcedens matrimonium ratum, & dirimat contrahendum, opinantur aliqui. 318.22, & 23
Reijcitur hæc opinio. ib.23, & seq.
Votum non ingrediendi religionem per se loquendo est nullum. 59.5, & 60.13
Votum simplex religionis factum ab vxore ante vel post matrimonium ratum, & non consummatum, non potest à marito irritari, sed debet implere, & non potest licitè matrimonium cum illo consummari. 473.1

*Vsus, & Vsusfructus.*

Vsusfructus definitio, & explicatio. 360.6
Quid sit vsus quoad ius. ib.7
Differentia inter vsumfructum & vsum eiusdem rei. ibid.
Vsus rerum, quæ vsu consumuntur, separari potest à dominio respectu eiusdem. 387.25
Vsusfructus quoad vtilitatem potest manere apud professum. 407.3
Probabile est ius quidem manere in ipso religioso, quamuis commoditas transeat in monasterium. 408.4
Non extinguitur vsusfructus per votum solemne paupertatis, sed manet tam commoditas illius, quàm ius ad illam in monasterio. ib.6
Per sic per solemnem paupertatem extinguitur, & non transit ad monasterium. ib.7
Ex vi paupertatis ante Concil. Trident. licebat religiosis habere bona stabilia, & annuos reditus ex prælati licentia. 409.3, & 4
Post Concilium negant absolutè aliqui hoc licere. 410.5
Communis sententia affirmat absolutè licere. ibid. 7, & 12
Quid circa hoc prohibeatur, vel de nouo præcipiatur à Concil. 411.8, *vsque ad* 11
Consuetudo Monialium & aliæ similes habendi certos reditus, quomodo liceat iuxta Concil. 412. 13, & 14. 418.24
Vide *Paupertas solemnis.*
*Vsus rationis*, vide *Carentia.*
*Vxor*, vide *Coniux.*

FINIS.


Th
902a


VII.
SVAREZ
in 2 2. D.Th.
Tom IIe-V.
De Religione
Tom IIIe-IV.
D. V. 7